COLLEGII

SALMANTICENSIS

CARMELITARUM

DISCALCEATORUM

CURSUS THEOLOGICUS

ANICII. — EX TYPIS MARCHESSOU FILIORUM

COLLEGII

SALMANTICENSIS

FR. DISCALCEATORUM

B. MARIÆ DE MONTE CARMELI

Primitivæ Observantiæ

CURSUS THEOLOGICUS

Juxta miram Divi Thomæ Præceptoris Angelici doctrinam.

TOMUS DECIMUS OCTAVUS

COMPLECTENS TRACTATUM XXIII. — DE EUCHARISTIA
A QUÆSTIONE LXXIII TERTIÆ PARTIS.

ILLUSTRISS. ac REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI D. D.

CAROLO AMABILI DE LA TOUR - D'AUVERGNE - LAURAGUAIS

ARCHIEPISCOPO BITURICENSI

DICATUS

EDITIO NOVA, CORRECTA

PARISIIS
E SOCIETATE GENERALI LIBRARIÆ CATHOLICÆ
VICTOR PALMÉ, RECTOR GENERALIS
76, via Sanctorum Patrum, 76

BRUXELLIS
APUD J. ALBANEL
SUCCURSALIS RECTOREM
12, via Parochianorum, 12

GENEVÆ
APUD HENRICUM TREMBLEY
SUCCURSALIS RECTOREM
4, via vulgo dicta *Corraterie*, 4

1882

INDEX TRACTATUS

QUÆSTIONUM, DISPUTATIONUM ET DUBIORUM

QUÆ IN HOC TOMO DECIMO OCTAVO
CURSUS THEOLOGIÆ SALMANTICENSIS CONTINENTUR.

TRACTATUS XXIII.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Disputatio III.

QUÆSTIO LXXIV.

Disputatio IV.

QUÆSTIO LXXV.

Disputatio V.

QUÆSTIO LXXVI.

Disputatio VI.

Disputatio VII.

QUÆSTIO LXXVII.

Disputatio VIII.

QUÆSTIO LXXVIII.

Disputatio IX.

QUÆSTIO LXXXII.

QUÆSTIO LXXXIII.

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ IN HOC TOMO EXPLICANTUR

In quod D disputationem : N numerum marginalem : P paginam : Q quæstionem : A articulum et C commentarium designant.

EX VETERI TESTAMENTO.

—

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Ex Marco.

Ex Luca.

Ex Joanne.

Ex epistola ad Romanos.

Ex 1 ad Corinthios.

Ex epistola ad Ephesios.

Ex epistola ad Hebræos.

Ex epistolis Petri.

LAUS DEO.

TRACTATUS XXIII

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

PROŒMIUM.

1. Absolutis illis, quæ ad considerationem sacramentorum in communi pertinent, et quibus elucidandis in præcedenti tractatu operam posuimus ; consequens videbatur agere de singulis sacramentis in specie, nempe de Baptismo, de Confirmatione et aliis. Quo modo se gessit D. Thomas a quæst. 66, hujus 3 partis usque ad quæst. tri- ordo. 73, exclusive. Et profecto optima procedendi methodus, consummataque hujusce materiæ notitia hoc ipsum exposcebant. Sed tamen de re judicavimus, omissis Tractatibus de Baptismo, et Confirmatione, gradum immediate facere, studiumque applicare ad augustissimum, et sanctissimum Eucharistiæ sacramentum. Nostri namque instituti, ut sæpius monuimus, ab initio fuit illas circa sacramenta difficultates premere, atque versare, quæ locum pro sua dignitate habent apud Theologos Scholasticos ; prætermittendo, aut leviter tangendo plurima per se spectantia ad Theologiam practicam, seu moralem. Hæc enim apud istius professores quærenda sunt, illisque non infimam navarunt operam hujus Collegii Lectores, Franciscus a Jesu Maria, et Andreas a Matre Dei. Nihil autem adeo grave in consideratione baptismi, et confirmationis reperimus, quod profundas, minusve morosas concertationes, ac perinde continuatam ab Scholasticis desideret tractationem. Et propterea illam duximus omittendam : præsertim cum specialis aliqua, si quæ est, circa illa sacramenta difficultas, ex dictis in Tractatu *de Sacramentis in communi* haud obscure colligatur. Provocamur insuper ad hunc ordinem amplectendum gravium Theologorum exemplo, Joannis a S. Thoma, Lugonis, N. Philippi, et aliorum, qui post considerationem de sacramentis in communi, calamum statim direxerunt, attentionemque immediate converterunt ad agendum de Eucharistia, omittentes quæ ad baptismum, et confirmationem spectabant. Alii etiam tam pauca, tam brevia, et jejuna quædam de prædictis sacramentis scripserunt, quod nomen Tractatus ægre, aut nullo modo mereantur, ut in Arauxo, Labat, et quibusdam aliis observavimus.

2 Erit præsentis nostræ considerationis subjectum sacramentum Eucharistiæ, *Sacramentum*, ut cum D. Bernardo loquamur, *Sacramentorum, sanctum sanctorum, amor amorum, et dulcedo dulcedinum :* et ut addamus ex D. Hieronymo, *omnium novitatum novitas :* atque ex D. Dionysio, *finis, et consummatio sacramentorum.* In quo, ut prædicat Tridentina Synodus, sess. 13, cap. 2, *Salvator amoris sui divitias omnes effudit.* Ut merito dixerit Tertullianus lib. *adversus Judæos*, cap. 14, divinum amorem in hoc mysterio « sublimatum fuisse in consummationem, et omnis consummationis vidisse finem. » Dilexit namque usque ad finem, et sine fine, qui tum bona naturalia, tum gratiam, et gloriam impertiri minime contentus, semetipsum in hoc sacramento substantialiter communicavit, ut sicut nihil majus se, ita nihil majus eo communicare queat. Unde elucet dignitas, sublimitasque præsentis considerationis : cui pares nequaquam sunt vespertiliones, graculi, et noctuæ, sed adesse oportet aquilas cælestes, nihil commune cum his terrenis habentes, juxta illud Matth. 24 : *Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.* Quod de hoc sacramento,

Materia hujus Tractatus.

Excellentia.

Conferentia ad ejus lucem.

et ipsum contemplantibus explicat D. Chrysost. hom. 24. in 1, *ad Corinth.*

Difficultas. 3 Inde fit, quod etsi nobilitate, et dulcedine tanti mysterii alliciamur; ejus tamen altitudine, et obscuritate viles homunciones, humique repentes ab ejus investigatione merito deterremur, atque caliginosa tenebrositate obruimur; et cum progredi tentamus, clamare compellimur cum Isaia cap. 45: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* Ut enim D. Thom. cecinit in quodam Rhythmo, « In cruce latebat sola Deitas: at hic latet simul et humanitas. » Deus namque in mysterio Incarnationis exinanivit se accipiendo formam servi: verum in mysterio Eucharistiæ ulterius exinanivit se, et formam assumptam, dum se, et illam occultat latens sub minima forma panis, ut non immerito dixerit Dionysius Alexandrinus in epist. *contra Paulum Samosatenum*: « Hæc est exinanitio Dei facta ad usum nostrum, ut possimus capere eum. Hoc enim mysterium pertimescendum dicit S. Apostolus ad Philip. 2. » Unde superbi homines ad tantæ exinanitionis, et condescensionis stuporem obtenebrati, mysteriumque amoris, ac humilitatis ferre impotentes, ad proprias (mendaces nempe, et deceptrices) cogitationes regressi, in sacramenti abnegationem, summosque errores prolapsi sunt. Profecto Hebræi Joan. 6, illud reputavere impossibile: *Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Quin et Christi discipuli dubitaverunt, aprehenderuntque mysterium impersuasibile: *Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Sed præ cæteris moderniores hæretici illud criminantur vacuum, atque ad meras umbras, troposque confugiunt, ut in operis progressu videbimus. Et ut hanc difficultatem uno quasi verbo repræsentemus: « Hoc sacramentum, *inquit D. Thomas,* opusc. 59, *in Canone* vocatur mysterium fidei; quia tot, et tanta sunt ibi supra, et præter rationem, et etiam contra rationem naturalem; quæ nisi per fidem tenerentur, et crederentur, nunquam intelligerentur. » Ita plane debilis nostri intellectus acies ad solarem hunc splendorem palpitat, et caligat.

4. Verum ne impediamur his, sed summa ista obstacula superemus saltem ex parte, et in tanti mysterii declaratione minime erremus; aliqua adjumenta speramus nobis præsidio fore, ad quæ proinde continuo recurremus. Primum erit, quod proxime indicatum fuit a D. Thoma, nempe pura, constans, et sincera fides, qua indivulse Dei verbis hæreamus supra, et contra quoscumque caligantis luminis naturalis adsultus. Sufficit nobis Deum dixisse, ut quæ dixit, rata habeamus, et firmissime circumplectamur. Fides. Ipse vero, ut recte expendit B. Laurentius Justinianus in serm. *de Euchar.* « ad roborandum credulitatem fidelium, nullum præter se hujus institutorem voluit fieri sacramenti: non prophetam, non patriarcham, non justum, non Angelorum quempiam sive de inferioribus sive de mediis, sive de superioribus. Ipse plane illud instituit, qui semetipsum tradidit, cujus eloquia verissima sunt, cujus sapientia falli nullatenus potest, cujusve scientia mutari nequit. » Et B. Albertus in tract. *de Euchar.* dist. 3, inquit: « In hoc sacramento, quod sacramentum veritatis est, quia in veritate simplici totam continet veritatem, et veritatis auctorem, maxime fides operatur. » Porro Magni Alberti maximus disciplus Thomas sic accinit in Rhythmo supra relato. « Tibi se cor meum totum subjicit: quia te contemplans totum deficit. Visus, tactus, gustus, in te fallitur: sed auditu solo tuto creditur. Credo, quidquid dixit Dei filius: nil hoc Verbo veritatis verius. » In hac itaque sincera fide quiescere oportet omnes intellectus motus: hac fide roborandus animus: hac fide propulsandæ, aut corrigendæ fallaces rationis naturalis argutiæ: hac denique fide contundendi, et dissipandi cuncti hæreticorum impetus. Plane Manna, quod fuit egregium istius Sacramenti symbolum, in media noctis caliginosa tenebra de cœlo descendebat, ut facile intelligamus veritatem tanti mysterii in fidei nocte suscipi oportere. Parens etiam noster Elias, ut sincerius Deum agnosceret, vultum suum operuit pallio, obscuritate scilicet fidei. « Ut nequaquam intelligentiæ oculus ultra se præcipitanter aperiat, sed ad hoc, quod apprehendere non valet, reverenter claudat, » ut observat, et admonet D. Gregorius lib. 5. in Job. cap. 16. Sic secure progreditur humilis investigatio in perscrutando tanti mysterii majestatem, ne opprimatur ejus gloria.

Secundum

Devotio, et pietas.

5 Secundum in perlustrando hujusmodi provinciam subsidium non infirmum erit ardens erga ipsum augustissimum sacramentum pietas, reverentia, atque devotio: est enim illud *panis vitæ, et intellectus:* quod cum Dei Verbum, et sapientiam genitam contineat, sapientes gignit, et mentes nutrit litterarum splendore. Unde D. Augustin. in ps. 33, inquit : « Hæbrei de Crucifixo obtenebrati sunt : nos manducando Crucifixum illuminamur. » Et. D. Ambros. lib. 8, *in Lucam* ait : « Est corpus, de quo dictum est, Caro mea vere est cibus. Circa hoc corpus veræ aquilæ sunt, qui alis circumvolant spiritualibus. » Nimirum cibus ipse cœlestis aquilas format cœlestes, aptasque reddit tanti mysterii obtutui. Panxit jam pridem David hujus Sacramenti panegirim in ps. 110 : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Eoque artificio carmen disposuit, ut singuli ejus versus in Hæbreo ordinate incipiant litteris alphabeti A. B. C. ut probe recognoscamus nihil magis proficuum ad sapientiam, nihil utilius ad litteras utiles comparandum, quam reverentem, et frequentem erga istud Sacramentum affectionem. Quod cum pluribus exemplis confirmare possemus; nullum tamen nobis vividius, nullum nos magis pungens occurrit, quam Angelici Præceptoris nostri D. Thomæ. Fuit profecto ille litteratissimus, ad stuporem usque doctissimus, et juxta nominis proprietatem litterarum, et doctrinarum abyssus. Sed unde illi tam copiosa, et redundans omnis sapientiæ affluentia? Credimus, quod ex singulari erga Eucharistiam devotione. Etenim testatur Summus Pontifex Joannes XXII, in Bulla Canonizationis ipsius: « Præmittebat divina, ut roboraretur in schola, cum singulis diebus, antequam lecturus ascenderet cathedram, vel distraheretur ad alia, Missam unam celebraret, aliam audiret, vel duas integras Missas, si non celebraret, audiret. In quibus lachrymarum effusione mentis suæ dulcedinem, devotionemque Deo, cui nihil est absconditum revelabat. » Ab hac igitur lucis scaturigine immensa divini luminis vena derivata fuit in Thomam : hæc præstitit, ut impetuoso doctrinæ torrente redundaret abyssus : per hanc etiam proficere oportet, qui tanti mysterii cupit inscrutabilia meditari, et dilucidare secreta. O utinam nobis adsit hic ardor, et non desperabimus lucem !

6. Tertio loco spei nostræ fulcrum circa opus, quod aggredimur, stare præsumimus, si continuo legamus D. Thomæ scripta ; si indivulse amplectamur legitimas ejus resolutiones; si summo affectu promereri satagamus gloriosam ipsius apud Deum patrem luminum intercessionem. Sentimus (fateamur), hunc affectum : sentimus equidem post Scripturam, et Concilia nullum nos consulere Doctorem, qui firmiori veritate, sinceriori subtilitate, et dilucidiori profunditate nos circa Eucharistiæ notitiam instruat, quam Angelicum Doctorem. In aliis namque mysteriis collustrandis superavit cæteros Theologos : at in exponendis, quæ ad Eucharistiam pertinent, excelluit se. Nullibi plane uberior, nullibi doctior, nullibi magis Angelicus, quam ubi disserit de Eucharistia. In aliis, quamvis semper lucidus, non adeo copiose splendet: in contemplatione autem hujus mysterii rota totius luminis circumcingitur. Nempe hanc derivavit claritatis redundantiam ex singulari erga sacramentum affectu : ea enim, et summa erat hujus Angeli erga Angelorum panem devotio. Angelum sæpe legimus in veteri testamento apparuisse ; sed magnam non legimus Angeli lucem : at super Bethlehem tanta emicuit Angelus refulgentia, ut claritate Dei circumfulserit, atque instruxerit idiotas : erat quippe locus ille domus panis, typus Eucharistici panis, panis, inquam, Angelorum. Pro mysterio Incarnationis mittitur unus Angelus in Nazareth : ad confortandum Christum descendit unus Angelus in Gethsemani : ut manifestetur Salvatoris resurrectio adsunt duo Angeli juxta sepulchrum : atque ut instruantur homines de futuro Christi adventu occurrunt duo Angeli in Monte Oliveti. Sed in deserto *ecce Angeli accesserunt* plures scilicet, ac in magna multitudine, *et ministrabant,* nimirum cibum, et potum, ut exponit D. Bonaventura, symbola utique augustissimi Eucharistiæ sacramenti. Tanta est Angelorum ad panem Angelorum affectio, ut qui pro aliis mysteriis in exiguo numero occurrunt, ad reverendum vel Eucharistiæ umbras convolent sine numero. Quidni alliciatur ad Eucharistiam Doctor Angelicus? Plane ita singulariter in hoc

Patrocinium D. Thom.

eminet, ut *AngelicusDoctor* merito dici queat *Doctor Eucharisticus*.

Singularis D. Tho. in ista materia laus.

7. Scripsit D. Thomas uberrime de hoc mysterio in 4 sent. a dist. 8 usque ad 13, et lib. 4 *contra gentes* a cap. 60, et opusc. 57, 58, et 59, et 66, et alibi frequentissime. Cæterum in hac 3 parte a quæst. 73, usque ad 83 inclusive tanta copia, ordine, acumine, intelligentia, et pietate versavit hanc materiam; ut omnes hoc loco D. Thomam tanquam miraculum cum stupore admirentur. Inde etiam (quod summæ laudis est), Concilium Tridentinum derivavit non plures tantum doctrinas, sed ipsa quandoque verba. Ob quem egregium singulariter tractatum, meruit specialiter D. Thomas cum Neapoli ad imaginem Crucifixi oraret, hanc ab ipso approbationem audire : « Bene scripsisti de me Thoma. Quam ergo mercedem accipies ? » ut post S. Antoninum, et alios bene observat Arauxo. Nec in his sistens Angelicus Doctor scripsit ulterius jussu, et approbatione Summi Pontificis Urbani IV, hymnos, antiphonas, et alia, quibus Ecclesia Catholica utitur in solemnissima festivitate : et quæ extant in opusc. 57 ejusdem S. Doctoris. Sed exeat nunc nescio quis Papebrochius, et tantam tanto Doctori invidens gloriam, negare audeat tom. 1 Aprilis, in appendice ad vitam B. Julianæ, D. Thomam auctorem fuisse prædicti officii, et opusculi. Adsultus tamen iste refellendus, retundendus, et penitus comminuendus erit vel sola, sed solida Ecclesiæ traditione, et Breviarii Romani epigraphe; quibus ille obluctari non reveretur. Sed modo plura dicere paratis (ad hæc nos rapit erga D. Thomam reverentialis affectus), satis erit Papebrochio reponere contraria, et magis pia Sociorum testimonia. Jacobus Granados (ut omittamus cæteros) controv. 7, *de Eucharistia* in præfat. cap. 4, relatis quampluribus, qui de hoc Sacramento scripserunt, subdit : Inter omnes Theolo-« gos Scholasticos principem locum obtinet « Sanctus Thomas Angelicus Doctor, huic « Angelorum pani devinctissimus, ita ad « sacramentum hoc cognoscendum, expli-« candumque divino lumine perfusus, ut « propterea, quæde Eucharistia dictavit, illi « Assertoris nostri laudem bis meruerint. « Bene scripta sunt hæc, ut refert Petrus de « Ribadeneira in vita illius. Et Ecclesia uni-« versa volens in hujus almi sacramenti ho-« norem solemnissimum festum instituere, « non alio officio, quam eo, quod S. Thomas « ordinavit, celebrare decrevit. » Et hinc facile colligemus auctoritatem D. Thomæ, quæ in exponendis aliis fidei articulis magna est, esse circa Eucharistiæ mysterium maximam. Unde qui in aliis Tractatibus fidelissimum ipsi (ut non arroganter censemus), exhibuimus discipulatum, ejusque sententias transcribere, atque imbibere studuimus; illas in præsenti introspicere, atque tueri contentiosissime (concedatur verbum affectui), pro virili curabimus. Nec dubitandum erit bene nos scribere, quos Thomam bene scribentem transcribere, imitari, cordi insculpere, atque intellectus medullis figere constiterit, indeque ad chartas, et libros ejus sensa derivare. Innitentes itaque sinceræ fidei, et progredientes cum profunda ad tantum mysterium reverentia, atque implorantes D. Thomæ suffragia, ejus litteram submittimus admoventes operi manum.

QUÆST.

QUÆSTIO LXXIII

De Sacramento Eucharistiæ secundum se, in sex articulos divisa.

Consequenter considerandum est de sacramento Eucharistiæ. Et primo de ipso sacramento. Secundo de materia. Tertio de forma. Quarto de effectibus. Quinto de recipientibus hoc sacramentum. Sexto de ministro. Septimo de ritu. Circa primum quæruntur sex. Primo.

DISPUTATIO I

PROŒMIALIS.

De præsupponendis in hoc Tractatu.

Eucharistiæ consideratio latissime patet, et quatuor principaliores complectimur partes. Prima pertinet ad controversias cum hæreticis, et posita est in ostendendo tum veram, et realem Christi in Eucharistia præsentiam, tum transsubstantiationem, sive substantialem conversionem panis, ac vini in corpus, et sanguinem Christi. Secunda spectat ad interpretes sacræ Scripturæ explicatque plures questiones, quæ circa modum, tempus, locum, et materiam institutionis hujus Sacramenti occurrunt in Evangeliis, et in epistolis Pauli. Tertia pertinet ad Theologos Scholasticos, occupaturque in declarando plurima dubia, quæ supposita per lumen fidei mysterii veritate, circa illud occurrunt tam ex parte causarum, quam effectuum, et modorum. Quarta denique attinet ad Theologos practicos, sive moralistas, et versatur circa casus conscientiæ, qui in conficiendo, ministrando, et recipiendo istud sacramentum accidere solent. De quibus omnibus luculenter disputat D. Thomas per undecim a 73 quæstiones: nihil enim ad prædictas classes spectat, quod non tangat, et illustret in aliquo articulorum. Ex his vero partibus solam tertiam pro more, et instituto nostro suscipimus, aggredimurque exponendam in præsenti. Prima enim, et secunda Controversistis, et interpretibus, ad quos per se attinent, reliquendæ sunt. In ultima autem (a qua non ita facile præscindere poterimus ob non semel occurrentem doctrinæ connexionem) illa tantum attingere curabimus, quæ necessaria fuerint ad tertiam, et vitari nequeant absque claritatis dispendio. Attentionis itaque, et nostri studii conatus difficultatibus mere Theologicis, sive scholasticis applicandus est. Cæterum quia vix, aut nullo modo valemus has introducere, nisi præmissa mysterii veritate, et quibusdam ad ipsum pertinentibus, quæ sint dicendorum velut bases, et fulcimenta; congruum duximus illa in hac prima quæstione tanquam prologemena quædam prælibare; succincte tamen, et presse, mutuandoque doctrinam ab illis, qui controversias contra hæreticos agunt, vel Scripturam exponunt: ad quos, qui diffusiorem quærant doctrinam, remittendi sunt lectores. Unde mutato in hac disputatione stilo, non dubia excitabimus, sed quæ congrua judicaverimus, per capita simpliciter proponemus.

CAPUT I.

De vera, et reali præsentia Christi in Eucharistia.

Eucharistiæ nomine (est enim significatio nominis utcumque supponenda, ut possimus in disputando procedere, et rem ipsam investigare), significant Catholici sacramentum quoddam speciebus panis, et vini institutum, in quo Christus continetur, et a communicantibus sumitur. Hanc autem Christi in Eucharistia præsentiam non esse veram, et realem, sed solum intentionalem, sive repræsentativam quasi in symbolo, imagine, seu figura docuerunt plures hæretici. Et referri solet Simon Magus illorum Patriarcha cum specialibus discipulis Simoniacis, Saturnianis, et Menandrianis: qui omnes Eucharistiam, et oblationes non admittebant, quia veram præsentiam carnis Christi in Eucharistia

Qui negaverint realem Christi in Eucharisti præsentiam.

D. Ignat. Theod. negabant, ut colligitur ex D. Ignatio in epist. *ad Smyrnenses*, et ex Theodoreto *dialogo* 3. Sed tamen horum error non respexit specialiter hoc mysterium, sed habuit universalius principium : censebant enim illi Christum non habuisse vere corpus, et sanguinem, sed corpus phantasticum. Melius itaque, si ad primos hæresis auctores attendamus, referri queunt Capharnaitæ, Joan. 6. qui *Joannis* 6, fuerunt primi murmuratores contra cœleste hac sacramentum. « Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: « Quomodo potest hic nobis carnem suam « dare ad manducandum ? » Hæc vero remotiora fuerunt, et communiora. Unde primus, qui ex Christianis non bene sensit de Christi præsentia in Eucharistia, fuit quidam Joannes Scotus Erigena, ut refert Lanfrancus, Lanfran. adfavente etiam Leutherico Archiepiscopo Senonensi, ut videre est apud Baronium *anno Christi* 1004, et 1050. Baron. Sed qui aperto Marte hanc hæresim defendit, et propugnavit, fuit Berengarius Archidiaconus Andegavensis, ut referunt iidem Lanfrancus, et Baronius. Quem damnarunt Concilium Romanum sub Leone IX, Diversa Concilia. Vercellense sub eodem Leone, Turonense sub Victore II, et Romanum sub Nicolao II, in quo Berengarius cecinit palinodiam, abjuravit hæresim, combussit libros Joannis Scoti, unde venenum hauserat, et recitavit professionem fidei specialiter circa hoc mysterium, quæ habetur in cap. *Ego Berengarius de consecr.* dist. 2. Et eandem etiam hæresim condemnavit postea Concilium generale Lateranense sub Innocentio III, Concil. Lateran. ut constat ex cap. *Firmiter, de summa Trinit.* etc. Sed illam deinde renovarunt Wiclephus art. 1 (ut refert V. D. N. Waldensis tomo 2 *de sacramentis* cap. 2) Joannes Hus, et Hieronymus de Praga, et eorum discipuli. Quos omnes cum præcedentibus iterum damnarunt quoddam Concilium generale Romanum apud Cocleum Alia Concilia lib. 1 *historiæ Hussitarum*, Concilium Constantiense sess. 8, Viennense sub Clemente V, *in Clement. unica, de reliquiis, et venerat. Sanctorum*, et Florentinum *in decreto Eugenii*. Denique hæresim toties sepultam ab inferis resuscitarunt præcedentis sæculi hæretici Zvinglius, Calvinus, Beza, et plures alii Sectarii, reprobati, et condemnati in sacro, et generali Concilio Tridentino, ut statim videbimus. Contra quos omnes hæreticos.

§ I.

Asseritur veritas catholica.

1. Hanc statuit, declaravitque Synodus Tridentina sess. 13, cap. 1, his verbis : Concil. Trident. « Principio docet Sancta Synodus, et « aperte, ac simpliciter profitetur in almo « Sanctæ Eucharistiæ sacramento post panis, et vini consecrationem, Dominum « nostrum Jesum Christum, verum Deum, « atque hominem, vere, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum « sensibilium contineri. » Et can. 1 ejusdem sess. decrevit : « Si quis negaverit in « sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter « corpus, et sanguinem, una cum anima, « et divinitate Domini nostri Jesu Christi, « ac proinde totum Christum ; sed dixerit « tantummodo esse in eo ut in signo, vel « figura, aut virtute: anathema sit. » Sic credunt, sic profitentur omnes Catholici, quos proinde superfluum est recensere.

Primum fundamentum desumitur ab Probatio ab Scriptura. Scriptura, nempe ex ipsis verbis institutionis, et consecrationis: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Matth. 26, Marci. 16, Lucæ 22, et 1 ad Corinth. 11. Nam hæc aperte significant illud, quod Christus consecravit, et discipulis distribuit, fuisse ejus carnem, et sanguinem : quod minime salvari valet, nisi Christus vere, realiter, et substantialiter contineatur in Eucharistia : id itaque simpliciter asserendum est.

Hujus solidissimi fundamenti vires, ut Responsio hæreticorum. subruant hæretici, ad tropos, et figuratæ locutionis modos confugiunt. Plures refert Lutherus in apologia de Cœna Domini, refert et Calvinus lib. 4. *Instit.* cap. 14, et non pauciores quam 83 recenset Claudius Sainctes repet. 1 et 10, atque omnes in id præcipue diriguntur, ut verbum *est* transferatur a propria significatione, et denotet meram repræsentationem, ita quod idem valeat *est corpus meum*, ac *Est signum corporis mei*, vel *significat corpus meum.* Sed Confutatur. voluntarium istud, et infelix effugium, cum multipliciter præcidi queat, nunc breviter confutatur. Primo : quia prædicta verba secundum sui proprietatem significant veram, et realem Christi in sacramento præsentiam: non est autem recedendum a proprio verborum Scripturæ sensu, nisi

nisi alter Scripturæ locus aliter explicet, vel obstet articulus fidei oppositum docens : ergo cum nihil horum occurrat in præsenti materia; fateri oportet Christum juxta prædictorum verborum proprietatem esse vere, et realiter in sacramento Eucharistiæ. Secundo : quia mysteria Trinitatis, et Incarnationis non sunt minus difficilia, et supra captum humanum, quam realis Christi in sacramento præsentia : nec prædicta mysteria magis expresse asseruntur in his verbis, *Ego, et Pater unum sumus, Hi tres unum sunt*, et similibus, quam istis præsentia Christi, *Hoc est corpus meum :* sed in illis non fit recursus ad figuratas locutiones : ergo nec in his ultimis debet admitti : alias sicut Adversarii negant Christi præsentiam in sacramento, negabunt etiam mysteria Trinitatis, et Incarnationis : quod tamen nec possunt, nec audent. Tertio, quia legitimus Scripturæ sensus non ab hæreticis, et pessimis hominibus accipiendus est, sed ab Ecclesiæ Patribus : hi autem verbum *est* non tropice accipiunt, sed cum proprietate. Unde Septima Synodus act. 6. optime observavit, quod Christus, « non dixit, sumite imagi-« nem corporis mei, sed sumite corpus « meum. » Et D. Damascenus lib. 4 *fidei* cap. 14, inquit : « Non est figura panis, et « vinum, corporis, et sanguinis Christi : « absit enim hoc. Sed est ipsum corpus « Domini deificatum, ipso Domino dicente: « Hoc est meum, non figura corporis, sed « corpus; non figura sanguinis, sed san-« guis. » Et S. Hilarius lib. 8, *de Trinit.* ante medium : « De veritate carnis, et san-« guinis non relictus est ambigendi lo-« cus. » Et idem disertissime affirmant alii Patres. Unde Concilium Trident. cap. cit. recte ponderat : « Ita enim majores nostri « omnes quotquot in vera Christi Ecclesia « fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacra-« mento disseruerunt, apertissime professi « sunt hoc tam admirabile sacramentum « in ultima cœna Redemptorem nostrum « instituisse, cum post panis, vinique be-« nedictionem se suum ipsius corpus illis « præbere, ac suum sanguinem dissertis, « ac perspicuis verbis testatus est. Quæ « verba a sanctissimis Evangelistis com-« memorata, et a D. Paulo postea repetita, « cum propriam illam, et apertissimam « significationem præseferant, secundum « quam a Patribus intellecta sunt : indi-« gnissimum sane flagitium est ea a qui-« busdam contentiosis, et pravis hominibus « ad fictitios, et imaginarios tropos, quibus « veritas carnis, et sanguinis Christi ne-« gatur contra universum Ecclesiæ sensum « detorqueri, quæ tanquam columna, et « firmamentum veritatis hæc ab impiis « hominibus excogitata commenta velut « Satanica detestata est, grato semper, et « memore animo præstantissimum hoc « Christi beneficium agnoscens. » His alia addemus num. 7.

D. Dam.

D. Hilar.

Concil. Trident.

Alius Scripturæ locus

2. Confirmatur idem motivum verbis, quibus Christus promisit Joan. 6, institutionem Eucharistiæ : *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Nam quamvis in prioribus illius loci verbis, locutus fuerit de manducatione spirituali, et homines persuadebat ad credendum se esse Messiam : nihilominus sicut a miraculo panum, quibus eos sustentaverat, transivit ad sui spiritualem manducationem per fidem ; sic etiam ab ista spirituali per fidem manducatione transivit ad realem, et sacramentalem manducationem, quæ adest in susceptione Eucharistiæ. *Patres vestri*, inquit, *manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de Cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : et panis quem ego dabo, caro mea non est pro mundi vita.* His vero auditis, et in proprietate sermonis intellectis, scandalizati sunt Judæi, et *litigabant dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Quam turbationem, et scandalum facillime posset Christus uno verbo excludere dicendo se daturum signum quoddam symbolum, aut figuram carnis suæ : erant enim Judæi his assueti, et sæpius in agno paschali, manna, et panibus propositionis sic (id est mystice) comederant Messiam, nempe in ipsum futurum credendo. Non tamen sic se gessit Salvator, nec se ita explicuit, sed in simplici, et propria assertione iterum comminatus fuit : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam : et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus etc.* Et cum hic multi etiam discipulorum

ejus scandalizarentur, et dicerent : *Durus est hic sermo, et qui potest eum audire?* (Et addit Evangelista : *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant*) : nihilominus Christus Dominus minime temperavit propositionem exponendo se loqui in sensu metaphorico, et de quodam symbolo suæ carnis, et sanguinis, quod propter horum repræsentationem carnem sanguinem, cibum, et potum fide suscipienda appellaret. Sed in proprietate veræ carnis, veri sanguinis perseveravit, nec aliam adhibuit vel explitionem, vel consolationem, quin ad duodecim Apostolos dixit : *Numquid et vos vultis abire?* quasi nullum relinqueretur medium inter hæc duo, nempe vel credere realem manducationem corporis, et sanguinis Christi, vel recedere ab ejus schola, et Ecclesia. Petrus autem hujus, et Apostolorum nomine captivavit intellectum, fidemque præstitit Christo erga futurum, et adeo admirabile mysterium, dicendo : *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Ex qua historia sincere intellecta constat Judæos, et Christi tam Apostolos, quam discipulos intellexisse Christum de reali manducatione, et Christum ipsum de eadem locutum esse. Incredibile enim omnino est pium, ac cœlestem Magistrum, qui non venerat homines illaqueare, sed salvare, atque docere, omissurum fore explicationem de manducatione per solam fidem in quodam symbolo, aut figura, quam facillime adhibere posset, si de ea tantum loqueretur, ut plane alibi fecit, ubi usus est parabolis, et tropis, ut Matth. 15, Joan. 2 et 16. Incredibile etiam est ipsum dedisse Ecclesiæ occasionem errandi, non manifestando mysterium, si realis præsentia, et realis Christi in sacramento manducatio falsa esset, ut hæretici sentiunt. Oppositum itaque efficaciter colligitur ex verbis Christi promittentis futuram sui corporis manducationem.

Hæreticorum responsio. Nec momenti est, quod hæretici præmisso discursui et respondent, et opponunt Christum murmurantibus Judæis, et discipulis satis se explicuisse dicendo : *Spiritus est, qui vivificat : caro non prodest quidquam. Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus, et vita sunt.* Quibus correxit errorem Judæorum existimantium (sicut et credunt Catholici), carnem Christi fore realiter manducandam ; docuit enim manducationem suæ carnis esse spiritualem, sive spiritualiter, atque ideo sola fide exercendam. Id, inquam, nihil valet : nam Christus correxit quidem aliquem et Judæorum, et suorum discipulorum errorem circa manducationem suæ carnis, quam illis proponebat, ac promittebat. Errabant autem illi non in eo, quod censerent Christum promittere realem suæ carnis manducationem; sed quod existimarent modo communi edendam, nempe mortuam, et sine spiritu, et plane concissam, et divisam, sicut caro animalium venditur in macello. Quem errorem dispulit Christus monendo verba sua accipi non debere in sensu adeo carnali, sed in alio diviniori, et magis recondito. Unde D. Augustin. tract. 27 *in Joan.* sic explicat relata Christi verba : « Caro « non prodest quidquam: sed quomodo illi « (nempe Judæi, et discipuli) intellexe- « runt. Carnem quippe sic intellexerunt, « quomodo in cadavere dilaniatur, aut in « macello venditur; non quomodo spiritu « vegetatur. Accedat spiritus ad carnem, « et prodest plurimum : nam si caro non « prodesset, Verbum caro non fieret. » Et post aliqua subdit : « Sicut illi intelle- « xerunt carnem, non sic ego do ad man- « ducandum carnem meam. » Reprehendit itaque Christus in eis non quod realem realis suæ carnis manducationem apprehenderint ; sed quod apprehenderint futuram modo carnali, sicut aliæ carnes in propria specie, et absque spiritu, seu vita comeduntur; cum tamen modus manducandi carnem Christi (licet realis), futurus esse magis spiritualis, et reconditus, nempe sub specie sacramenti, credendo istud, sicut re vera accedit, continere corpus Christi. Addenda ulterius est interpretatio Parentis nostri D. Cyrilli Alexandrini lib. 4 *in Joan.* cap. 14, Christum solum velle carnem suam nudam, id est, secundum suam speciem, sive naturalem conditionem acceptam non prodesse quidquam ad spiritualem animæ nutritionem : prodesse autem plurimum, prout spiritu Divinitatis vivificatur. Quasi diceret : Caro mea, si esset pura caro, non prodesset : sed quia conjungitur spiritui, quippe Verbo hypostatice unita, multum vobis proderit. Unde continuo subjunxit : « Verba, quæ ego loquor vobis, spiritus, et « vita sunt. » Ubi verborum nomine intelligit res ipsas (carnem scilicet, et sanguinem,

Evertitur.

D. Aug.

N. Cyril.

nem, quæ promittebat), quæ dicuntur spiritualia cum ob Divinitatem, cum ob modum spiritualem, sive indivisibilem existendi in sacramento. Frequenter enim verba accipiuntur per Hæbraismum pro rebus, ut Lucæ 2 *videamus hoc verbum, quod factum est.* Ex quibus liquet Christum non negasse futuram realem suæ carnis manducationem; sed modum carnalem, et solam carnem, prout Capharnaitæ apprehendebant.

Lucæ 2.

Fundamentum ex traditione.

3. Secundum præmissæ veritatis fundamentum stat in perpetua Ecclesiæ Catholicæ traditione, quam ordiri possumus ab illis Apostoli verbis 1 *ad Corinth.* 11: *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis: quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem etc.* Et post relatam institutionem subdit: *Probet autem se ipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat: qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit non dijudicans corpus Domini.* Ubi sacrilegii peccatum indigna Eucharistiæ susceptione in id revocat Apostolus, quod suscipiens non dijudicet, non tractet, non revereatur Eucharistiam ut corpus Domini: est igitur illa Domini corpus. Unde plures occurrunt circa hoc hæreticorum, præsertim Calvinistarum, inconsequentiæ: nam si Eucharistia non continet corpus Domini, minime peccat, sed recte agit, qui Eucharistiam non judicat corpus Domini: sicut non peccat qui judicat manna non fuisse Domini corpus, sed ejus symbolum: id vero Apostoli sententiæ evidenter repugnat. Deinde juxta illorum hæresim non contingit susceptio hujus sacramenti nisi per fidem apprehendentem Christum ut præsentem, ut est solemnis illorum error. Vel ergo qui suscipit Cœnam, accedit cum fide, vel sine fide. Si accedit cum fide, digne suscipit juxta Calvinistas non aliam recognoscentes justitiam nisi per fidem: unde nullam pro sacramento recognoscunt indispositionem, nisi fidei carentiam: quin Lutherus in serm. *de præparatione ad Eucharistiam* impudentissime asseruit. « Optima dispositio est non nisi « ea, qua pessime es dispositus. Et ideo « pœnitentia potius post, quam ante sacra- « mentum digne peragitur. » Si vero non accedit cum fide, nec suscipit sacramentum; siquidem juxta illos sola fide manducatur. Quando igitur continget sacrilega susceptio, et æterni judicii manducatio, quam comminatur Apostolus? Ne igitur hanc dicamus vanam, fateri oportet Apostolum a Domino edoctum tradidisse Ecclesiæ veram, et realem Christi præsentiam in sacramento.

1 Ad Cor. 11.

Hæreticorum inconsequentia.

Luther.

Sed progrediamur ad alios ab ipsis Ecclesiæ primordiis. In actis passionis S. Andreæ scriptis a presbyteris Achaiæ, (quæ laudant, et cum veneratione suscipiunt D. Bernardus serm. 2, *de S. Andrea*, et serm 16, *de diversis*. S. Petrus Damian. serm. 2, *de eodem Apostolo*, Iuo Carnotensis lib. *de convenientia veteris, et novi sacrificii*, Lanfrancus in lib *de Eucharistia*, et alii,) refertur Apostolum dixisse Ægeæ: *Ego omnipotenti Deo, qui verus, et vivus est, immaculatum agnum quotidie sacrifico: non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem; sed immaculatum agnum in altari: cujus carnes postquam omnis populus manducaverit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat, et vivus.* S. Jacobus frater Domini *in sua Liturgia* inquit: *Rex regnantium, ac dominus dominantium Christus Deus noster progreditur, ut immoletur, ac detur in cibum fidelibus.* S. Marcus *in sua Liturgia* ait: *Domine Deus noster, qui te obtulisti pro hujus mundi vita, inspice in nos, et super panem istum, et calicem super hunc: et fac eum immaculatum corpus tuum, et pretiosum sanguinem.* D. Dionysius Apostoli discipulus in lib. *de Ecclesiastica hierarch.* Christum sub speciebus latentem sic alloquitur: *O divinissimum et sanctum sacramentum, obducta tibi symbolice operimenta ænigmatum revelans, dilucida nobis aperi, ac spirituales nostros oculos singulari, apertoque lumine imple.* S. Ignatius, qui floruit primo, et secundo sæculo in epist. *ad Smyrnenses* loquens de Saturnianis, et Simoniacis inquit: « Eucharis- « tiam, et oblationes non admittunt, quod « non confiteantur Eucharistiam esse car- « nem Salvatoris Domini nostri Jesu « Christi, quæ pro peccatis nostris passa « est, quam Pater sua benignitate suscita- « vit. » S. Justinus Martyr *in apologia* 2, *pro Christianis* inquit: « Non ut communem panem et communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster et carnem, et sanguinem salutis nostræ causa habuit: ad eum modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ

D. And.

D. Jac. Minor.

D. Marc.

D. Dion.

D. Ignat.

D. Just.

sunt actæ alimoniam, unde sanguis, et caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem, et sanguinem esse docti sumus. Nam Apostoli in Commentariis a se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse Jesum, etc. »

Tertul. Tertullianus lib. *de resurrect. carnis*, cap. 8, inquit : « Caro corpore, et sanguine « Christi vescitur, ut et anima de Deo sa- « ginetur. » Et in lib. *de pudicitia* cap. 9. « Optimitate Dominici corporis vescitur. » Et lib. 5, *contra Marcionem*, ait : « Panis, « et calicis sacramento jam in Evangelio « probabimus corporis, et sanguinis Domi- « nici veritatem adversus phantasmata

D. Cyp. « Marcionis. » D. Cyprianus epist. 56: « Considerantes idcirco se quotidie calicem « sanguinis Christi bibere, ut possint et « ipsi propter Christum sanguinem fun- « dere. » Et in tract. *de Orat. Dominica* ait : « Sic et panem nostrum vocamus, « quia Christus, cujus corpus contingimus, « panis est. Hunc autem panem dari nobis « quotidie postulamus, ut qui in Christo « sumimus, et Eucharistiam quotidie ad « cibum salutis accipimus, intercedente « aliquo graviori delicto, dum abstenti, « et non communicantes a cœlesti pane « prohibemur, a Christi corpore sepa-

Plures alii Patres. « remur. » Et quia nimis prolixum foret aliorum Patrum formalia verba referre, eundem sensum, et veritatem proferunt D. Irenæus lib. 4, cap. 34, et lib. 5, cap. 2. D. Hilarius Pictaviensis lib. 8, *de Trinitate*. Optatus Milevitanus lib. *contra Parmenianum*. S. Ephrem in lib. *de natura Dei minime scrutanda*. D. Basilius lib. 2, *de baptis.* 9. 3. S. Cyrillus Hierosolymitanus *cateches.* 4. et 5. Sanctus Gregorius Nyssenus *in oratione catechetica* cap. 37. D. Ambrosius in lib. *de initiandis*, cap. 9, et lib. 4, *de sacramentis*, cap. 4 et 5, et eodem modo loquuntur alii antiquiores, ut

Mendac. Calvini. infra n. 6, magis expendemus. Unde liquido constat Calvinum in ultima admonitione ad Wesphalium egregie, et evidenter, ut solebat, mentitum esse, cum dixit veteres omnes Scriptores, qui totis quinque sæculis post Apostolos vixerunt, uno ore sibi patrocinari negando veram, et realem Christi præsentiam in Eucharistia. Liquet etiam nostram, et catholicam assertionem fuisse constantem Ecclesiæ traditionem a suis exordiis.

4. Quæ communis traditio ex eo magis confirmari potest, quod ante Berengarium nullus reperitur, qui supposita fide veritatis carnis, et sanguinis Christi in se ipso, negaverit horum realem præsentiam in sacramento. Unde Berengarius communiter censetur primus hujus hæresis Auctor, — Fulcitur præmissa traditio.

D. Tho. ut recte observavit D. Thom. infra quæst. 75, art. 1, his verbis : « Quæ quidam non « attendentes posuerunt corpus, et sangui- « nem Christi non esse in hoc sacramento « nisi sicut in signo. Quod est tanquam « hæreticum abjiciendum utpote verbis « Christi contrarium. Unde et Berengarius, « qui primus hujus erroris auctor fuerat, « postea coactus est suum errorem revo- « care, et veritatem fidei confiteri. » Quare

D. Pasc. D. Paschasius jam pridem de communi hac consensione testabatur in Epist. *ad Fradegardum* his verbis : « Quamvis ex hoc qui- « dam de ignorantia errent ; nemo tamen « est adhuc in aperto, qui hoc ita esse con- « tradicat, quod totus orbis credit, et con- « fitetur. Videat ergo, qui contra hoc ve- « nire voluerit, quid agat contra ipsum « Dominum, et contra omnem Christi Ec- « clesiam. Nefarium ergo scelus est orare « cum omnibus, et non credere, quod Veri- « tas ipsa testatur, et ubique omnes univer- « saliter verum esse fatentur. » Et hunc communem orbis, et Ecclesiæ consensum recognoverunt ipsi hæretici, qui præcedenti sæculo hanc hæresim renovarunt.

Hæreticorum confessio. Unde Zvinglius primus renovationis Auctor refert se in principio clam processisse, quia videbat homines præoccupatos contraria sibi doctrina. Et Œcolampadius apud Lavaterum in hist. *de Cœna Domini*, part. 5, intendebat hanc quæstionem dissolvi de-

Zving. Œcol. Causab. Daill. Socin. Scaliger. bere *semota hominum auctoritate* : Sic illam desperabat. Casaubonus autem in Epist. *ad Witemgobardum* aperte fatetur se circa Eucharistiam vehementer conturbari ob immanem discrepantiam inter doctrinam veteris Ecclesiæ, et doctrinam Protestantium. Et similia proferunt Daillæus in lib. *de vero Patrum usu*, cap. 2, Socinius epist. *ad Rodecium*, pag. 213, Scaliger *in sua Scaligerinia*, pag. 78, et plures alii Sectarii. Unde liquet primo Concilium Trident, loco supra cit. dum hanc catholicam veritatem docuit, summo jure asseruisset : « Ita « enim majores nostri, quotquot in vera « Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctis- « simo hoc sacramento disseruerunt, aper- « tissime professi sunt, etc. » Liquet secundo,

cundo, quod etsi divina Scriptura non adeo evidenter doceret hanc veritatem, ut expendimus num. 1 et 2, adhuc nihilominus Ecclesiæ auctoritas, et traditio satis essent ad ejus fidem, et robur. Nam Christus Joan. 14, promisit : *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, illo vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* In quibus verbis omnes Patres recognoscunt delatam Ecclesiæ fuisse auctoritatem, et potestatem eruendi legitimum Scripturæ sensum, illumque proponendi fidelibus. Sed hoc motivum magis firmabitur ex immediate dicendis.

Joan. 14

Fundamentum ex Conciliis.

5. Tertium hujus veritatis fundamentum desumitur ex Conciliis. Nam licet ante Berengarium nulla inveniantur pro hoc catholico dogmate stabiliendo (quippe opposita hæresis caput non produxerat), congregata : nihilominus in eorum non paucis apertissime supponitur. Nicenum Primum lib. 3, juxta editionem Pisani, cap. *de sacra mensa* inquit : « In hac sacra « mensa ne humiliter intenti simus ad pro- « positum panem, et calicem ; sed attollen- « tes mentem fide, intelligamus situm in « illa sacra mensa agnum illum Dei, tollen- « tem peccata mundi, incruente a sacer- « dotibus immolatum ; et pretiosum corpus « ejus, et sanguinem nos sumentes creda- « mus hæc esse nostræ redemptionis Sym- « bola. » Concilium Ephesinum in Epist. Patris Nostri Cyrilli ad Nestorium ait : « Ad mysticas benedictiones accedimus, « eaque ratione sanctificamur, utpote sa- « cræ carnis, et pretiosi sanguinis Christi « participes effecti... Neque enim illam ut « carnem communem suscipimus, sed tan- « quam vere vivificam, ipsiusque Verbi « propriam. » In Concilio Niceno Secundo, sive septima Synodo Generali, act. 6, dicitur : « Nemo unquam Sanctorum Aposto- « lorum, qui tubæ sunt Spiritus Sancti, aut « gloriosorum Patrum nostrorum, in- « cruentum nostrum sacrificium, in me- « moriam Passionis Christi Domini Dei « nostri, et totius suæ dispensationis factæ, « imaginem corporis illius dixit. Nam is, « qui accipit a Domino, sic non dicit, aut « confitetur ; sed audiunt sic dicentem Evan- « gelice, Nisi comederitis carnem Filii ho- « minis, etc. » Et hæc fuerunt ante Berengarium. Sed exorta hujus hæresi, plurima subsequentia Concilia illam condemnarunt, ut in principio hujus capitis expendimus. Nominatim autem in Concilio generali Romano sub Nicolao II ipse Berengarius suam hæresim abjuravit, librosque de illa scriptos combussit. Ejus autem confessio refertur in cap. « Ego Berengarius, de conse- « crat. » dist. 2, his verbis : « Ego Berengarius « indignus S. Mauritii Andegavensis Eccle- « siæ Diaconus, cognoscens veram, Catho- « licam, et Apostolicam fidem, anathema- « tizo omnem hæresim, præcipue eam, de « qua hactenus infamatus sum, quæ astruere « conatur panem, et vinum, qui in altari « ponuntur, post consecrationem solum- « modo sacramentum, et non verum cor- « pus, et sanguinem Jesu Christi esse. » Deinde in alio Concilio Romano sub Innocentio III amplissimo, scilicet totius orbis, canone 1, diffinitum est : « Verum Christi « corpus, et sanguis in Sacramento altaris « sub speciebus panis, et vini veraciter « continetur, transubstantiatis pane in cor- « pus, et vino in sanguinem potestate di- « vina : » Verba Tridentini jam supra numero 1 expendimus. Unde evidenter constat veritatem hanc sæpius diffinitiam ab Ecclesia fuisse in Conciliis.

Concil. Nicenum I

Concil. Ephes.

Concil. Nic. II.

Concil. Roman.

Confes. Bereng.

Aliud Roman.

Fundamentum ex Patribus.

6. Quartum ejusdem veritatis fundamentum præstant evidentissima Patrum testimonia. Plura, ut evinceremus communem, et Apostolicam traditionem, dedimus n. 3. Sed supersunt alia plurima. Quia tamen nimis prolixum esset, et non adeo necessarium ea recensere, unum dumtaxat, aut alterum graviorum Patrum referemus : alia vero plurima ad certas classes sub argumentationis forma (sic enim evidentius premunt), proponemus. D. Ambrosius lib. 4 *de Sacramentis*, cap. 4 : « Panis iste panis « est ante verba Sacramentorum : ubi ac- « cesserit consecratio, de pane fit caro Chri- « sti. » Deinde expendit vim verborum Christi, et subdit : « Vides ergo, quam « operatorius sit sermo Christi. Si ergo « tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut « inciperent esse, quæ non erant, quanto « magis operatorius est, ut quæ erant, in « aliud commutentur. Cœlum non erat, mare « non erat, terra non erat, sed audi dicen- « tem : Ipse dixit, et facta sunt, ipse man- « davit, et creata sunt. Ergo tibi ut respon- « deam, non erat corpus Christi ante con- « secrationem : sed post consecrationem « dico tibi, quod jam corpus est Christi. « Observa, de pane fit caro Christi sermo-

D. Amb

« nibus Christi : qui sermo est is, quo facta « sunt omnia. » Et cap. 5 : « Antequam « ergo consecretur, panis est : ubi autem « verba Christi accesserint, corpus est « Christi... Ergo videte, quantis generibus « potens est sermo Christi universa conver- « tere. » Et id ipsum asserit, atque exemplis aliarum conversionum confirmat in lib. *de initiandis* cap. 9. D. Chrysostomus homilia 51, *in Matth.* « Non vestis solum, sed « corpus ipsius nobis propositum est : non « ut tangamus solummodo, sed ut come- « damus, et saturemur. » Et hom. 83: « Quo- « niam ille dixit: Hoc est corpus meum, nul- « la teneamur ambiguitate, sed credamus. » Ibidem etiam: « Neque illi satis fuit hominem « fieri, colaphis cædi, et crucifigi : verum et « semetipsum nobis commiscet, et non fide « tantum, verum et ipsa re suum efficit cor- « pus. » Et homilia 24, in 1, *ad Corinth.* « Id, quod est in calice, est id, quod fluxit e « latere, et illius sumus participes... Hoc « corpus etiam jacens in præsepi reveriti « sunt Magi, et cum multo metu, et tremore « adorarunt. Tu autem non in præsepi vide, « sed in altari : non fœminam eum tenen- « tem, sed sacerdotem astantem. » Similia, et innumera plane occurrunt in eloquentissimo isto Doctore. D. Hieronymus epist. 1, ad Heliodor. « Absit, ut de his « quidquam sinistrum loquar, qui Aposto- « lico gradui succedentes, Christi corpus « sacro ore conficiunt. » Et in Psal. 145, explicans verba, *Panem nostrum quotidianum,* ait : « Putat aliquis, quod panem « cœlestem de mysteriis dicat. Et hoc qui- « dem accipimus : quia vera caro Christi « est. » D. Augustin. in serm. *ad Neophytos* : « Hoc accipite in panem, quod pepen- « dit in Cruce : hoc accipite in Calicem, « quod fluxit e latere. » Et lib. 2, *contra advers. legis, et prophet.* « Christum Jesum « carnem suam nobis manducandam, san- « guinemque bibendum dantem fideli corde, « et ore suscipimus. » Ubi præter susceptionem per fidem in corde, docet susceptionem realem, quæ ore fit. Et conc. 1, in Ps. 33, explicat illud quod habetur 1, Reg. 21, nempe David juxta lectionem Septuaginta se portasse manibus suis, et inquit : « Hoc vero fratres quomodo fieri potuerit « in homine quis intelligat ? Manibus alio- « rum potest portari homo : manibus suis « nemo portatur. Quomodo intelligatur in « David secundum litteram, non inveni- « mus : in Christo autem invenimus : fere- « batur enim Christus in manibus suis, « quando commendans corpus suum ait : « Hoc est corpus meum. Ferebatur enim « illud corpus suum in manibus suis. » Quo loco evidens est loqui de præsentia reali in sacramento, et de portatione corporis realis ; imaginem enim, et symbolum sui David, et quilibet homo portare posset Div. Gregorius Magnus hom. 14, *in Evangelia:* « Bonus pastor animam suam posuit, « ut in sacramento nostro corpus suum in « sanguinem verteret, et omnes, quos re- « demerat, carnis suæ alimento satiaret. » Et hom. 22 : « Quid namque sit sanguis « agni, non jam audiendo, sed bibendo di- « dicistis. » Sapientissimus P. N. Cyrillus Alexandrin. lib. 4, *in Joan.* cap. 2, quasi prævidens subdola Calvinistarum effugia, ista profert non tam verba, quam fulmina: « Sæpe Salvator eundem sermonem Judæis « inculcans varie proponit, modo quidem « ænigmate, et obscuritate multa involu- « tum, modo rejecta tunica nudum, et « apertum ; ut nisi crediderint, condem- « nationem non effugiant, sed mali male « pereant, in suam ipsi perniciem gladium « stringentes. Nihil igitur occultans de- « mum Christus ait : Ego sum panis vivus, « qui de Cœlo descendi. Illud manna typus « erat, inquit, et umbra, et imago. Audite « palam nunc, et aperte : Ego sum panis « vivus. Si quis manducaverit ex hoc pane, « vivet in æternum. Qui ex illo manduca- « verunt, mortui sunt : non erat enim vi- « vificus. Qui autem manducaverit hunc « panem, id est, me, sive carnem meam, « vivet in æternum. » Et lib. 10, cap. 13: « Quemadmodum si quis igne liquefactam « ceram aliæ ceræ similiter liquefactæ ita « miscuerit, ut unum quid ex utrisque « factum videatur : sic communicatione « corporis, et sanguinis Christi ipse in no- « bis est, et nos in ipso. » Sanctus Leo Magnus serm. 6, *de jejunio septimi mensis,* inquit : « Sic sanctæ mensæ communicare « debetis, ut nihil prorsus de veritate cor- « poris Christi, et sanguinis ambigatis : « hoc enim ore sumitur, quod fide creditur. » Et hæc satis sit formalibus verbis ex Patribus adeo gravibus retulisse.

D. Chrys. D. Hier. D. Aug. D. Greg. P. N. Cyrillus. D. Leo

Majus ejusdem fundamenti robur.

Sed aliam viam non minus efficacem et magis compendiosam prosequendo id ipsum ostenditur ex propositionibus, et principiis a Patribus assertis : unde necessa-

ria

ria consecutione inferatur illorum sententiam fuisse corpus, et sanguinem Christi existere in Eucharistia non præcise ut in figura, aut Symbolo, sed vere, realiter, et substantialiter. Nam primo ut explicent hoc Mysterium, recurrunt ad Dei omnipotentiam : et ita se gerunt Div. Ambrosius ubi supra, Div. Cyprianus *in sermone de Cœna Domini*, Sanctus Gaudentius tract. 2, et alii communiter. Vanus autem foret hic recursus pro solo signo, aut figura. Secundo Patres dicunt præsentiam Christi in sacramento esse magnum miraculum : et sic loquuntur Div. Chrysost. lib. 3, *de Sacerdotio*, Div. Cyprianus ubi proxime, et alii plures : quod autem Christus sit in pane, solum sicut in signo ipsum repræsentante, nullum est miraculum : ergo Patres alium præsentiæ Christi modum asserebant. Tertio admirantur Patres, quod Christus comedatur, et non minuatur. Sic Sanctus Andreas loco supra citato. Nissenus *oratione catech.* 36, Div. Augustinus serm. 2, *de verbis Apost.* et alii plures. Id vero si referatur ad solam figuram, aut Symbolum Christi, nil habet admiratione dignum. Quarto mirantur, quomodo Christus sit simul in Cœlo ad dexteram Patris, et in Sacramento. Ita Ambros. lib. 4, *de sacram.* cap. 9, Chrysostom. lib. 3, *de sacerdotio*, et alii plures. Quod autem Christus sit realiter in Cœlo, et repræsentative in sacramento, ut sentiunt hæretici, nullam meretur admirationem. Quinto hortantur Patres, ut in hoc Mysterio non credamus sensibus. Ita Div. Chrysostom. hom. 6, *ad populum*, et hom. 51 et 53, *in Matth.* et alii communiter. Per hoc autem satis aperte significant Christum latere in hoc Sacramento, licet istud exterius appareat panis. Sexto Patres summam curam adhibuerunt, et severe statuerunt, ne aliquid de corpore, vel de sanguine cadat, aut stillet in terram, ut patet ex his, quæ congerunt Ivo part. 2, capite 56, et Burcardus libro 5, capite 47. Si autem Eucharistia non esset corpus, et sanguis Domini, nisi repræsentative ; non major circa hoc adhiberetur diligentia, quam ne imago sacra, aut biblia caderent in terram. Septimo, et ultimo (ut plura alia hujus communis apud Patres consensionis signa omittamus), ipsi ut salvent præsentiam Christi in sacramento, affirmant panem, et vinum transmutari in corpus, et sanguinem Christi : ad idque utuntur exemplis conversionis virgæ Moysis in serpentem, et aquæ in vinum, ut constabit ex dicendis capite sequenti. Porro supervacaneum foret angustias istas, et subtilitates inducere, si Christus in Eucharistia non existeret vere, et realiter, sed solum repræsentative, et sicut in signo ; quippe ad repræsentationem hujusmodi nulla transmutatio, aut conversio rerum necessaria est, ut constat in aliis signis. Patres igitur satis evidenter, et communiter docuerunt Catholicam assertionem : hæretici vero oppositum asserentes longe exulant ab illorum doctrina.

7. Quartum prædictæ veritatis fundamentum potest a ratione desumi. Et quidem quod præsentia vera, et realis Christi in sacramento non sit impossibilis, ex dicendis in toto tractatu constabit : nulla enim occurret repugnantia, quæ haud obscure non superetur, ut suis locis ostendemus. Cæterum ejus, quod de facto res ita se habeat, nulla alia ratio a priori assignari potest, quam Dei voluntas sic decernentis : sicut proportionabiliter in existentia mysterii Incarnationis, et institutione aliorum sacramentorum contingit. Porro de prædicta Dei voluntate certo nobis constat : tum verbis ipsius Christi, tum perpetua Ecclesiæ traditione, ut supra expendimus. Potest autem id amplius confirmari multipliciter. Nam in primis permissa (quod non pauci hæreticorum admittunt) non repugnantia hujus mysterii, supponamus Christum illum instituere voluisse, atque instituisse, sicut affirmamus Catholici. Inquirimus itaque, quibus verbis magis perspicuis potuisset Christus suam intentionem, atque institutionem manifestare, quam istis : *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus ?* Profecto nullis. Nec enim ad vitandum futuras hæreticorum cavillationes debuit dicere, *Hoc est corpus meum proprie, Hic est sine metaphora sanguis meus.* Nam idem absolute significat, qui dicit *Hoc est*, et qui dicit, *Hoc est proprie, et sine metaphora*, ut liquet in his propositionibus *Petrus est pater meus, Hæc est domus mea etc.* Quare sicut rem aliquam possidenti non incumbit probare illam esse suam ; sed id onus in actorem volentem illam auferre regerendum est : sic Catholicis, qui habemus verba perspicua, absoluta, et plana Christi non incumbit probare illa accipienda esse proprie, et sine metaphora ;

Fundamenta ex ratione.

sed obligatio hæc referenda est in hæreticos, qui conantur inducere oppositos sensus : debent enim illos positive ostendere. Quod tamen minime præstare queunt reclamante tum ipsa proprietate verborum Christi, tum communi Ecclesiæ traditione, et intelligentia. Unde D. Chrystostomus homil. 83 *in Matth.* ait : « Quoniam ergo « ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla « teneamur ambiguitate, sed credamus. »

D.Chrys.

Alia consideratio.

Præterea Christus longe prætulit Eucharistiam a se institutam veteri Hebræorum mannæ. *Patres vestri,* inquit Joan. 6, *manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt: qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Et plane ipsa rerum dispositio id exigebat : fuit enim manna figura futuræ Eucharistiæ ; figura vero inferior est re, quam repræsentat. Porro si Eucharistia non continet vere, et realiter Christum, sed illum tantum per modum symboli repræsentat ; id minime salvatur, sed magis infertur oppositum. Quoniam manna Christum etiam repræsentabat: aliunde vero multum eminebat : erat enim panis Angelorum, omne delectamentum in se habens, et deserviens uniuscujusque voluntati, ut dicitur Sapient. 16, quorum nihil convenit pani communi, in quo Eucharistia conficitur. Si ergo manna, et Eucharistia, non aliud sunt, quam merum symbolum Christi ; cur Eucharistia tantopere, et usque adeo antefertur ? Nec ab isto nodo se expedient Calvinistæ , licet respondeant præferri Eucharistiam tum quia repræsentat Christum jam actu existentem : tum quia perseveratura est usque ad finem mundi : et neutrum habuit manna. Nam id facile exploditur : quod enim ad repræsentationem Christi actu existentis attinet, commune est omnibus Christi imaginibus, commune etiam est baptismo, non negantibus Adversariis : ergo ex vi hujus repræsentationis nulla peculiaris supra manna excellentia attribuitur Eucharistiæ, quæ communis non sit tam imaginibus Christi, quam aliis novæ legis sacramentis. Quod vero spectat ad durationem, non magis valet ; quia diuturnitas pertinet quidem ad perfectionem aliquam accidentariam , non vero ad substantialem, de qua agimus. Quare ex majori duratione non sequitur Eucharistiam esse sacramentum perfectius, quam manna : sicut inepte colligeret quis lapidem esse perfectiorem homine, quia habet diuturniorem existentiam. Si ergo Eucharistia est merum symbolum Christi : non debuit mannæ præferri.

Joan. 6.

Effugium, et confutatio.

8. Deinde ex prædicta positione fit nos non aliter manducare Christum, et uniri illius carni, quam manducabant, et uniebantur Patres antiquæ legis. Id vero aperte repugnat verbis Christi Domini Joan. 6: *Non Moyses dedit vobis panem de Cœlo : sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum... Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur... Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Æqualitatem autem insinuatam inferri ostenditur evidenter : quoniam supposito, quod Christus non sit vere, et realiter in Eucharistia, ut Calvinistæ affirmant; dum communicamus, solum suscipimus quoddam signum, aut symbolum Christi et unimur illi per fidem, qua ipsum in illo signo apprehendimus, aut reveremur. Id vero commune erat Patribus veteris testamenti : nam comedentes manna, vel agnum paschalem suscipiebant quoddam symbolum, signum, et sacramentum Christi, cui etiam uniebantur per fidem, apprehendendo ipsum, atque sperando. Unde Apost. 1. *at Corinthios* 10. inquit: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari, et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt : (bibebant autem de spiritali, consequente eos petra : petra autem erat Christus).* Et Divus Augustinus tractatu 26 *in Joannem* ait : « Manducavit manna et Moyses, manduca- « vit manna et Aaron, manducavit manna « et Phinees, manducaverunt ibi multi, qui « Domino placuerunt, et mortui non sunt. « Quare? Quia visibilem cibum spiritaliter « intellexerunt, spiritaliter esurierunt, spi- « ritualiter gustaverunt, ut spiritualiter « satiarentur. » Ergo si Christus vere, et realiter, ac substantialiter in Eucharistia non est ; et subinde si nos communicantes non aliud suscipimus, quam quoddam symbolum Christi, cui unimur præcise spiritualiter per fidem usque ad Christum pertingentem : liquido colligitur nos non aliter uniri Christi carni, quam Patres antiquos suscipientes manna, videlicet spiritaliter, et per fidem. Quod cum Theodorus

Alter discursus.

Joan. 6.

I ad Corinth. 10.

D. Aug.

Nota.

rus Beza argumento oppressus concessisset coram Principe Witembergensi, obstupuit, et exhorruit iste. Et quidem merito propter manifestam oppositionem ad sermonem Christi in verbis relatis : intendebat namque, et prædicabat excellentiam nostram in suscipiendo Eucharistiam supra veteres in suscipiendo manna, et alia symbola. D. Amb. Unde Divus Ambrosius lib. *de initiandis* cap. 7 : « Considera, uter præstantior sit, « panis Angelorum, an caro Christi, quæ « utique est corpus vitæ. Manna illud de « cœlo : hoc supra cœlum.... Illis aqua de « petra fluxit : tibi sanguis a Christo. » Et lib. 4 *de sacram.* cap. 4 : « Magnum, et ve- « nerabile, quod manna Judæis pluit de « cœlo. Sed intellige, quid est amplius, « manna de cælo, an corpus Christi, utique Præciditur fuga. « qui est auctor cœli ? » Nec diluent hæretici hujus discursus vim effugio supra insinuato, quod Eucharistia repræsentet Christum actu existentem, aut quod veteres non respicerent Christum ex si legis, ved ex gratia data per ipsum Christum. Nam hæc accidentaria sunt præsenti, quam expendimus, et premimus, comparationi. Si enim Christus in Eucharistia vere, et substantialiter non existit, plane fit nos eam suscipientes recipere præcise quoddam Christi symbolum, illique uniri per fidem. Id ipsum autem contingebat in antiquis manducantibus manna, ut ostendimus. Quæ igitur erit nostri supra illos quantum ad manducationem Christi excellentia ? Aut quomodo stabunt verba Christi, *Non sicut manducaverunt Patres vestri manna etc* ?

Ultima consideratio. Denique ut rem absolvamus (jam enim plus immoramur, quam intenderamus, et statueramus a principio), vel admittenda non sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, et similia, vel plane admittendum est mysterium veræ, et realis præsentiæ Christi in Sacramento. Et similiter vel concedendum est nullam esse hæresim, vel positionem asserentium Christum non esse vere, et realiter in Eucharistia esse rotunde, atque evidenter hæreticam. Primum ostenditur : quia mysteria Trinitatis, et Incarnationis ex una parte non sunt minus difficilia, quam mysterium veræ, et realis præsentiæ Christi in Sacramento: et ex alia parte prædicta mysteria non magis evidenter, aut perspicue proponuntur in Scriptura, quam istud: in utrisque vero adest constans, et communis Ecclesiæ traditio : ergo vel admittenda non sunt mysteria Trinitatis, et Incarnationis, vel admittendum omnino est mysterium veræ, et realis præsentiæ Christi in Sacramento : atque ideo Calvinistæ, qui ultimum istud negant, convincuntur inconstantissimos esse, nullumque vere, et cum solido fundamento credere mysterium religionis Christianæ, sed pro suo nutu quædam admittere respuendo alia. Secundum etiam constat : quoniam illa hæreticorum doctrina evidenter contradicit satis manifestis Scripturæ testimoniis, communi apud Patres illorum sensui, perpetuæ Ecclesiæ traditioni, et multorum Conciliorum diffinitionibus. Ergo vel nulla est hæresis ab Ecclesia damnata; vel hæc notissima, et damnatissima est.

§ II.

Recensentur, et convelluntur contraria motiva.

9. Hæreticorum argumenta ad tres classes revocari possunt. Nam quædam desumunt ab Scriptura, quædam ex Patrum testimoniis, quædam ex rationibus philosophicis, aut naturalibus. Quæ omnia suo ordine proponemus, et diluemus. Et incipiendo ab Scriptura opponunt primo Christum de hoc mysterio agentem dixisse Joan. 6 : *Spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam.* Et rursus : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus, et vita sunt*, hoc est, spiritualiter intelligenda, ut exponit Divus Augustinus trac. 27 in Joan. Ergo Christus non est substantialiter, et realiter in Eucharistia : nec illi ibidem unimur nisi spiritualiter, seu per fidem. Et confirmatur ex Apostolo 1 *ad Corinth.* 10 : *Patres nostri omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt* : Sed non manducaverunt carnem Christi, nec biberunt ejus sanguinem, nisi spiritualiter, seu per fidem : ergo idem de nobis dicendum est. Unde D. Augustin. tract. 26. *in Joan.* exponit : *Spiritualem eandem : nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud : spiritualem vero quam nos.*

(Argumenta hæreticorum ab Scriptura. — Primum. — Joan. 6. — D. Aug. — 1 Ad Cor. 10. — D. Aug.)

Opponunt secundo : nam Christus Matth. 15 asseruit : *Omne, quod intrat in os, in ventrem vadit, et in secessum emittitur* : sed impium est dicere corpus Christi mitti in secessum : ergo corpus Christi non est

(Secundum. — Matt. 15.)

realiter in Eucharistia, quæ ore sumitur. Et confirmatur : quia natura corporis est, quod palpari queat, et videri, juxta illud Christi Domini suam resurrectionem con-

Luc. 24. firmantis Lucæ 24 : *Palpate et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet :* sed corpus Christi in Eucharistia non palpatur, nec videtur : ergo corpus Christi non est vere in Eucharistia.

Tertium. Opponunt tertio : nam ipse Christus Marci 24, discipulos ita monuit : *Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere* : ergo minime credendum est dicentibus: Ecce Christus est vere in Eucharistia, et altari. Confirmatur primo ; quia

Matth. 24 et 26. Dominus Matth. 26, dixit : *Ecce pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Haberemus autem, si Christus vere, et realiter existeret in Eucharistia. Et si respondeatur ipsum Christum dixisse Matth. ult. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi ;* reponunt hæretici expositionem, et concordiam ex D. Augustino

D. Aug. tract. 50, *in Joan. Christum semper esse vobiscum præsentia majestatis, non autem præsentia corporis sui.* Ergo Christus secundum corpus non est nobis præsens reali præsentia corporis sui. Confirmant secundo, quia

Ad Coloss. 3. Apostolus ad Coloss. 3, nos docet : *Quæ sursum sunt, quærite ubi Christus est in dextera Dei sedens, non quæ super terram* : sed Eucharistia non est in cœlo, sed super terram: ergo Christus non est quærendus in Eucharistia. Et similes consequentiæ formari possunt ex aliis Scripturæ testimoniis : nam *Deus non in manufactis templis habitat,*

Act. 17. ut dicitur Act. 17, ergo Christus non habitat in templis Christianorum. Et Christus ascendens ad Patrem reliquit mundum, ut

Joan. 14 et 16. dicitur Joan. 16; ergo non perseverat in isto mundo apud nos. Ipse etiam Christus promisit alium Paraclitum, qui suppleat ejus præsentiæ defectum, ut constat Joan. 14, quod superfluum foret, si Christus ut homo adesset nobis invisibiliter præsens in Sacramento.

Quartum. Opponunt quarto : nam Eucharistia est in commemorationem Christi, juxta illud

Luc. 22. Lucæ 22: *Hoc facite in meam commemorationem :* memoria autem non est rei præsentis, sed absentis: ergo Christus non adest præsens in Eucharistia.

Quintum. 1 Ad Cor. 11. Opponunt quinto : quia Apostolus 1 ad Corinth. 11, vocat Eucharistiam panem : *Quotiescunque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Ergo Eucharistia est vere panis, et subinde non est vere corpus Christi. Confirmatur primo : nam Christus Marci 14, dixit, *Non bibam amodo de hoc* Marc. 14. *genimine vitis, donec bibam illud novum in regno Dei.* Quæ verba protulit post calicis consecrationem, ut constat ex textu. Ergo vinum supposita etiam consecratione est adhuc vinum. Confirmatur secundo : quia ex Evangelio constat Christum accepisse panem in manibus, fregisse, et dedisse discipulis suis dicendo : *Hoc est corpus meum* : ergo panis ille erat simul panis, et corpus Christi : panis quidem realiter, corpus vero Christi repræsentative. Patet consequentia: quia ex opposito falsificaretur propositio Evangelii, qua dicitur Christum accepisse, fregisse, et dedisse panem.

Opponunt sexto : quia frequentissimum Sextum. est in scriptura, quod verbum *est* sumitur pro *significat*, aut repræsentat. Sic enim 1 ad Corinth. 10, dicitur, *Petra autem erat Christus*, id est, significabat Christum. Et Exodi 12, agnus, quem Judæi immolabant, dicitur *Phase*, id est, transitus : quia repræsentabat illum. Et in eodem sensu Apostolus ad Galatas 4 dixit duos filios Abrahæ esse duo testamenta. Ergo eodem modo possunt congruenter accipi verba Christi, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, nempe, hæc symbola repræsentant meum corpus et sanguinem. Sic enim vitantur innumerabiles difficultates, quæ occurrunt, si prædicta verba accipiantur in rigore, et proprietate sermonis.

10. Hæc sunt difficiliora, quæ ab scriptu- Solvitur primum. ra opponunt hæretici, et diluentur eodem ordine. Ad primum satis constat ex dictis num. 2, quin opus sit alia addere. Sed tamen nec omittemus expositionem S. P. N. Cyrilli ibidem insinuatam, quam pro- D. Cyril sequitur in declaratione undecimi anathematismi Concilii Ephesini contra Nestorium, his verbis : « Communis caro vivificare non potest. Et hoc salvator ipse testatum facit, caro, inquiens, non prodest quidquam, spiritus est, qui vivificat. Quia vero caro verbis facta est propria, ob id intelligitur, et est vivifica, quemadmodum ipse salvator ait : sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, vivet propter me. »

Ad confirmationem negamus consequentiam,

tiam, quæ non recte infertur ex præmissis: quia licet Patres antiqui eandem escam, nempe Christum manducaverint, non tamen eodem modo: quia illi illum præcise manducaverunt in mysterio, et significatione; nos vero illum realiter suscipimus in sacramento. Quo sensu dixit Christus Dominus, *Non sicut manducaverunt Patres vestri manna*, etc. ut num. 8 expendimus. Unde Div. Augustinus in verbis objectis idem significat, et magis perspicue in Psalm. 77, dicens : *Idem in mysterio cibus, et potus illorum, qui noster. Sed significatione idem, non specie: quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus.*

D. Aug.

Everti-tur secundum.

Secundum ejus conditionis est, ut merito dixerit Algerus initio libri secundi dignius esse, ad quod obturantur aures, quam ut respondeatur. Fuerunt autem homines impii, et stupidi, qui eo voluntarie convicti concesserint corpus Domini in Eucharistia esse corruptibile, obnoxiumque, ut mittatur in secessum, sicut post D. Damascenum lib. 4, *de fide*, cap. 14, meminit Auctor citatus his verbis : « Diximus « superius non minus ore corporis, quam « ore cordis corpus Domini esse sumen- « dum. Sed ex hac ipsa visibili, et corpo- « rali comestione, quæ sacramento tenus « fit, nascitur fœdissima hæresis stercora- « nistarum. Dicunt enim tantum sacra- « mentum sicut corporali comestioni, sic « et secessui esse obnoxium. » Sed ad sordidum eorum motivum respondetur primo signum distributivum *omne* positum in illa sententia distribui pro generibus singulorum, non pro singulis generum, et pertinere ad priorem partem sententiæ, *In ventrem vadit*, non autem ad secundam, *Et in secessum mittitur*. Nam certum est puriores alimenti partes transmutari in substantiam aliti, et subinde in secessum non mitti. Non itaque in secessum abit, quidquid ore sumitur: sed impuriora tantum escarum purgamenta, quæ nutritioni idonea non sunt. Respondetur secundo evidentius, et facilius permittendo sententiam Christi intelligi de omni cibo, et omnibus ejus partibus. Sed tamen nihil inde periculi imminet corpori Domini. Nam corruptis speciebus sacramentalibus in stomacho, desinit statim esse sub illis: porro species quandiu non corrumpuntur, minime in secessum tendunt; et ubi primo corrumpuntur, subito desinunt corpus Domini continere. Quare quidquid de illis fuerit, corpus Domini existit ab omni turpitudine immune. Sicut etiam quandoque species illæ cremantur, et percutiuntur, quin corpus Domini ullum horum malorum in se sustineat: est enim in speciebus modo spirituali, indivisibili, et incorruptibili, ut disp. 6, dub. 5, magis explicabimus.

D. Dam. Algerus.

Ad confirmationem dicendum est, quod licet omne, quod palpatur, et videtur, sit corpus (unde Christus efficaciter ostendit veram sui resurrectionem corpoream), nihilominus fieri divinitus potest, quod corpus nec palpetur, nec videatur, sublata scilicet corporis extensione in ordine ad locum, quæ est effectus secundarius quantitatis, et sine qua salvari queit essentialis ratio corporis. Et ita contingit in præsenti : nam Christus habet esse in sacramento modo indivisibili, et per modum substantiæ, ut loco citato dicemus.

Ad tertium negamus consequentiam : quia sensus verborum antecedentis est, quod non credamus illis, qui post Christum venientes dicant se, aut quempiam alium esse Messiam, sive Christum, ut satis liquel ex subsequentibus : *Surgent enim pseudo Christi, et pseudoprophetæ* etc. Id vero nihil commune vel apparenter habet cum præsentia reali Christi in Eucharistia.

Diruitur tertium.

Ad primam confirmationem respondetur Christum in illis verbis negasse se fore præsentem cum discipulis visibilitet, et in propria specie. Cum quo recte cohæret esse nobis præsentem invisibiliter sub specie sacramenti. Sicut enim Christus post suam resurrectionem vere dixit Lucæ 24 : *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum:* quia licet tunc eis realiter præsens, nihilominus non erat præsens eo modo, quo prius, nempe sub statu vitæ mortalis : sic etiam licet nobiscum sit in Ecclesia usque ad consummationem sæculi, vere dicere potuit, *Me autem non semper habebitis* : quia non habemus illum visibilem, et in propria specie sed invisibiliter sub specie Sacramenti. Et in hoc eodem sensu procedit sententia D. Augustini, ut optime, et generaliter observat D. Thom. infra quæst. 75, art. 1, ad 2, his verbis : « Dicendum, quod verbum illud « Augustini, et omnia similia sunt intel- « ligenda de corpore Christi, secundum « quod videtur in propria specie (secun-

Dissolvuntur appendices.

Luc. 24.

D. Tho.

« dum quod etiam ipse Dominus dicit « Matth. 26, me autem non semper habe- « bitis). Invisibiliter tamen sub speciebus « hujus sacramenti est, ubicumque hoc sa- « cramentum perficitur. » Ad secundam confirmationem neganda est consequentia, quæ non recte infertur ex præmissis: nam sensus sententiæ Apostoli est nos debere quærere, quæ sursum sunt, nempe superna, et cælestia, et non debere affici ad terrena sistendo ibi. Sed minime prohibet nos quærere aliqua, quæ sunt super terram quoad situm, si ejus conditionis existant, ut nos elevent ad Deum, et cælestia. Sic enim laudabiliter quæsierunt Dominum super terram Pastores, Magi, Maria Deipara, et Magdalena in præsepio, templo, et sepulchro. Et eadem ratione possumus, ac debemus quærere, et suscipere Christum in Eucharistia. Eodem fere modo eliduntur aliæ consequentiæ adjectæ: nam Apostolus, cum dicit Deum non habitare in templis, loquitur de divinitate: nec hanc absolute negat habitare in templis, sed solum ex indigentia, ut constat ex aliis verbis subjectis, *Nec manibus humanis colitur indigens aliquo.* Hinc vero nihil colligi valet pertinens ad præsentiam corporis Christi in Sacramento, et Ecclesiis. Christus etiam reliquit hunc mundum visibiliter, et in propria specie: sed perseverat nobiscum invisibiliter in specie Sacramenti. Promisit etiam Paraclitum, qui conversationem ejus cum hominibus, et instructionem per verba sensibilia suppleat, suggerendo pertinentiam ad fidem,et salutem: quod Christus solebat visibiliter, et in propria specie facere.

Occurritur quarto. 11. Ad quartum respondetur Eucharistiam esse commemorationem Christi, non utcumque sumpti, sed ut patientis, et morientis in propria specie, juxta illud Apostoli I, ad Corinth. 11: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. donec veniat.* (1. Ad Cor. 11) Unde cum passio, et mors Christi jam præterierint, optime fieri potest, quod Eucharistia sit in ejus commemorationem; licet Christus sit in ea realiter præsens. Addimus memoriam, aut commemorationem posse esse rei realiter præsentis, si sit occulta. Unde videmus, quod licet Deus sit ubique physice præsens; quia tamen talis præsentia est occulta, frequenter scriptura nos monet ad Dei memoriam. Quare ex eo, quod Eucharistia sit in commemorationem Christi, non probatur Christum non esse præsentem, sed esse occultum in Sacramento.

Ad quintum negamus utramque consequentiam: quoniam licet peracta conse- Satisfit quinto. cratione in sacramento non sit substantia panis, et vini, sed corpus, et sanguis Christi: nihilominus tale sacramentum potest non immerito panis, et vinum appellari. Tum quia fit conversio ex pane, et vino in corpus, et sanguinem Christi: terminus autem conversionis solet juxta usum scripturæ appellari nomine rei, ex qua conversio fit: sicut Genes. 2, Eva appellatur os, quia facta ex osse per conversionem: et Exod. 7, serpens factus ex conversione virgæ Moysis vocatur virga: et Joann. 2, vinum factum ex aqua per conversionem vocatur aqua. Tum etiam quia Eucharistia retinet similitudinem, atque accidentia panis, et vini: quod sufficit, ut juxta phrasim scripturæ panis,et vinum dicatur: sicut Genes. 18, et Act. 1, Angeli habentes similitudinem hominum vocantur viri. Unde satis constat ad primam confirmationem: nam cum sanguis Christi esset factus ex genimine vitis, atque species illum continens retineret similitudinem, et accidentia vini; potuit genimen vitis appellari ob rationes immediate assignatas. Ad secundam negamus consequentiam, quæ soli fallaciæ innititur: nam ex eo, quod Christus acceperit panem, fregerit, et dederit dicendo: *Hoc est corpus meum*, non sequitur id, quod accepit, et dedit, esse simul panem et corpus Christi, et multo minus esse panem realiter, et corpus Christi solum repræsentative: sed sequitur illud fuisse panem, et corpus Christi successive: panem ante consecrationem, cum Christus ipsum accepit; et corpus Christi facta consecratione. Nec ad veritatem illius propositionis, *Hoc est corpus meum* requiritur, quod ab ejus exordio fuerit ibi corpus Christi; sed sufficit esse in ultimo prolationis momento. Nam talis propositio, ejusque veritas fuit practica, et factiva illius, quod significavit: pro quo sufficiebat, ac requirebatur, ut id, quod a principio erat in manibus Christi, et demonstrabatur, transiret per conversionem in corpus Christi. Sicut cum ipse Dominus in Cana Galilææ convertit aquam in vinum, potuit amphoram aquæ manibus tenens cum eadem

dem

dem proprietate, et veritate dicere. *Hoc est vinum:* eo quod in eodem instanti, quo verba absolvit, aquam in vinum transubstantiavit.

Diluitur sextum. Ad sextum, et ultimum respondetur admittendo sæpe contingere in scriptura, quod verbum *est* transferatur a propria significatione ad impropriam, et idem valeat, ac *significat*, vel *repræsentat*. Idque accidere, et admittendum esse in hoc, aut illo loco cognoscimus vel ex qualitate materiæ, quæ non admittit proprietatem; vel ex antecedentibus, et consequentibus, sive adjunctis, in quibus aperte significatur sermonem esse metaphoricum ob aliquam ibi repertam similitudinem. Cæterum prædictum verbum *est* sæpissime accipi debet cum omnimoda proprietate, nempe quotiescumque non occurrit motivum ad oppositum. Et qui semper illud exponeret metaphorice, aut tantum repræsentative, plane deliraret, et destrueret tam scripturam, quam innumeros fidei articulos ipsi innixos. Ut si quis contenderet has propositiones: *Deus erat verbum, verbum caro factum est, ego, et pater unum sumus. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, et Spiritus sanctus*, ac similes exponere per metaphoram, ut non significent identitatem, sed similitudinem. Familiare tamen est hæreticis, et fidei nostræ adversariis ad similes metaphoras confugere, ut sermonis proprietatem evertant, nihilque D. Iren. relinquant solidum. Nam ut inquit D. Irenæus lib. 4, cap. 35: « Coguntur hi tales « semper typos typorum, et imagines « imaginum adinvenire, et nunquam figere « animum suum in uno, et vero Deo,» qui D. Aug. scilicet loquitur in scriptura. Et D. Augustin. lib. 3, *de doctrina christiana*, cap. 10, dixit: « Si animum præoccupaverit « alicujus erroris opinio, quidquid aliud « asseruerit scriptura, figuram arbitran- « tur. » Juxta hanc igitur doctrinam, concesso antecedenti, neganda est consequentia: quia sicut non valet, scriptura in aliquo loco loquitur per metaphoram: ergo scriptura in omnibus locis loquitur per metaphoram: sic etiam non tenet, verbum *est* in locis, quæ ibi recensentur idem valet, ac *significat*, aut *repræsentat*: ergo sic etiam accipi debet in omnibus locis, et specialiter Disparitas observanda in hac propositione, *Hoc est corpus meum.* Ratio autem disparitatis constat ex immediate prænotatis: quia in omnibus locis, in quibus verbum *est* sumitur pro significat, aut repræsentat, hæc ad sensum metaphoricum determinatio constat tam ex qualitate materiæ, quam ex adjunctis: nam vel antecedentia, vel consequentia manifestant evidenter prædictam usurpationem. Nam Apostolus ante illa verba, *Petra autem erat Christus*, dixerat de Hebræis, *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra*, manifestans se loqui de petra spirituali, sive de Christo, atque de ejus signo. In loco etiam Exodi satis aperte significatur, non quod agnus occisus esset *phase*, sive transitus; sed quod religio, et cæremonia comedendi agnum repræsentaret transitum filiorum Israel. Deinde Paulus ubi dixit duos Abrahæ filios esse duo testamenta, statim significavit se tropice loqui, et quantum ad repræsentationem: *Quæ sunt*, inquit, *per allegoriam dicta.* Cæterum in re, quam versamus, oppositum omnino contingit. Tum quia materiæ qualitas, non exposcit, ut verba transferantur a propria, et rigorosa significatione: præsertim cun constans Ecclesiæ traditio, et communis Patrum expositio prædictam proprietatem retineant. Tum quia postquam Christus dixit: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, illa prædicata corporis, et sanguinis determinavit addendo: *Quod pro vobis tradetur, Quod pro vobis effundetur.* Quod autem traditum, et effusum est, non fuit præcise signum, aut figura corporis, et sanguinis Christi, sed vere corpus et sanguis ejus. Unde talia verba non admittunt metaphoram. Quin addimus nec metaphoram necessariam esse in illis verbis, quibus utuntur Lucas cap. 22, et Paulus 1, *ad Corinth.* 11: *Hic calix est novum testamentum:* quoniam sanguis Christi calicis appellatione significatus dicitur vere, et proprie testamentum: nam testamentum appellatur non solum ultima testatoris voluntas, sed etiam instrumentum authenticum manifestativum talis voluntatis. Unde sensus utique planus, et proprius illius propositionis est: « Hic calix est instrumen- « tum authenticum meæ voluntatis con- « sistens in meo sanguine. » Vel, « sanguis « meus hoc calice contentus est instru- « mentum, vi cujus ex mea voluntate ho- « mines habent jus consequendi hæredita- « tem cœlestem. » Quæ procedunt satis liquido absque improprietate.

12. Sed veniamus jam ad secundam

Aliud hæreticorum argumentum ex Patribus.

classem argumentorum, quæ hæretici formant ex Patrum testimoniis. Continuando itaque ordinem propositum opponunt septimo : nam Patres non infrequenter Eucharistiam appellant signum, figuram, antitypum, et repræsentationem Christi, et corporis ejus : ergo Christus non continetur vere, et realiter in Eucharistia. Antecedens constat : quia Tertullianus lib. 1, contra Marcionem paulo ante medium docet « panem Eucharistiæ repræsentare corpus « Christi. » Origenes in cap. 15, Matth. affirmat «Eucharistiam esse corpus typicum « symbolicumque et veram Christi carnem « non posse a peccatoribus sumi. » D. Basilius in sua Liturgia Eucharistiam vocat « antitypon, sive figuram corporis Christi. » D. Ambros. lib. 4, *de sacramentis* cap. 4, ait : « Similitudinem pretiosi sanguinis « bibis.» Et lib. *de initiandis*, cap. 9 : «Ante « benedictionem alia species nominatur : « post consecrationem corpus Christi signi- « ficatur. » Et lib. 1, *de offic.* cap. 48, cum dixisset Christum in Missa offerri, subdidit : « Hic in imagine, ibi in veritate, « ubi apud Patrem quasi advocatus pro « nobis intervenit. » Et denique D. Hieronymus lib. 2, *contra Jovinianum* affirmat « Christum in typum sanguinis sui non « obtulisse aquam, sed vinum. » Et in cap. 26, Matth. addit : « Ut quomodo in præfi- « guratione ejus Melchisedech summi Dei « sacerdos panem, et vinum offerens fue- « rat ; ipse quoque veritatem sui corporis, « et sanguinis repræsentaret. » Ex sententia itaque Patrum Eucharistia non aliud est, quam signum, figura, typus, et repræsentatio Christi, et corporis ejus.

(Septimum in ordine. Tertul. Origen. D. Basil. D. Amb. D. Hier.)

Octavum Tertull.

Octavo opponunt difficilem locum Tertulliani lib. 4, *contra Marcian.* cap. 40, ubi ait : « Acceptum panem, et distribu- « tum discipulis corpus suum illum fecit. « Hoc est corpus meum dicendo, id est « figura corporis mei. » Quæ videtur esse ipsissima sectariorum expositio, atque sententia.

Nonum.

Nono opponunt specialiter D. Augustinum, apud quem reperiuntur plures propositiones, in quibus significat, tum Eucharistiam non esse vere corpus Christi, sed figuram ejus : tum verba Christi hoc sacramentum promittentis, et instituentis intelligenda esse spiritualiter, non materialiter : tum nos in Eucharistia suscipere corpus Christi, non re, sed per fidem in ipsum. Sic enim in lib. *contra Adamantium*, cap. 12, ait : « Non dubitavit Dominus dicere, « Hoc est corpus meum, cum signum daret « corporis sui. » In epist. 23 : « Secundum « quemdam modum sacramentum corpo- « ris Christi corpus Christi est : » ubi renuit concedere absolute, quod Eucharistia sit corpus Christi, *psalm.* 3, dicit : « Chris- « tum in ultima cœna corporis, et sangui- « nis sui figuram discipulis commen- « dasse. » Et Psalm. 98 : « Non hoc corpus, « quod videtis, manducaturi estis, et bibi- « turi illum sanguinem, quem fusuri sunt, « qui me crucifigent. Sacramentum ali- « quod commendavi vobis. Spiritualiter « intellectum vivificabit vos, caro autem « non prodest quidquam, lib. 20, contra « Faustum cap. 11. » Manichæos irridens ita loquitur : « Ore aperto expectatis, quis « inferat Christum tamquam optimæ sepul- « turæ faucibus vestris. » Quod non objiceret, si sensisset Christum esse realiter in Eucharistia. Epist. 57 : « Spatia locorum « tolle corporibus ; nusquam erunt. » Sentiebat itaque corpus Christi non existere realiter nisi in loco : quod minime habetur in Eucharistia. Et tract. 30 in *Joan.* « Cor- « pus Domini, in quo resurrexit, uno loco « esse potest, veritas ejus ubique diffusa « est. » Ex ejus itaque sententia corpus Domini solum habet esse in uno loco, nempe in cœlo ad dexteram Patris : atque ideo non est alibi realiter.

(D. Aug.)

Responsio ad 7.

13. Hæc sunt difficiliora, quæ ex Patribus possunt opponi, sed quæ intentionem hæreticorum minime evincunt. Ad septimum ergo concesso antecedenti, negamus consequentiam : quoniam etsi Eucharistiæ sacramentum contineat vere, et realiter Christum, ut catholice affirmamus ; potest nihilominus rationabiliter dici signum, figura, typus, et repræsentatio tum Christi, tum corporis, et sanguinis ejus, tum aliarum rerum. Primo quidem quia sensibiles Eucharistiæ species (in quibus ratio hujus sacramenti consistit, ut dicemus disp. seq. num. 25), sic continent corpus, et sanguinem Christi, quod ea significant, et repræsentant ; cum species sint aliquid notum, quod præter se repræsentat aliquid latens, nempe Christum. Unde Eucharistia est signum Christi, non quidem vacuum, sed plenum Christo, re scilicet significata. Sicut bursa solet significare nummos, quibus plena est : et pastillus est signum carnis

(Eucharistia quo sensu figura et signum.)

nis, quam continet. Secundo quia tota Eucharistia adæquate etiam sumpta pro toto constituto tam ex speciebus continentibus corpus Chrtsti, quam ex isto in illis contento est signum commemorativum Christi, et corporis ejus, non secundum se accepti, sed ut patientis in cruce : quippe Eucharistia instituta fuit ad ejusmodi commemorationem, ut num. 11 explicuimus. Quare sicut Rex posset in comædia ita repræsentare victoriam olim a se partam, quod ipse per se gereret sui personam ac repræsentationem : sic etiam Christus in Eucharistia existens, et illis speciebus sensibilibus quasi vestitus se ipsum olim passum repræsentat. Tertio denique dicitur Eucharistia signum, et typus corporis Christi mystici, quod est Ecclesia per unitatem fidelium inter se, et cum ipso Christo: sicut panis conficitur ex pluribus granis, et vinum ex multis acinis confluit. Accedit etiam Eucharistiam posse dici signum, et figuram, utique gloriæ futuræ, cujus pignus est. Juxta has ergo acceptiones, vel eorum aliquam loquuntur Patres, quando Eucharistiam signum, figuram, antitypum, aut repræsentationem appellant. Unde Divus Augustinus apud Gratianum Can. *sub figura, de consecrat.* distinctione 2, inquit : « Corpus Christi, et veritas, et figura est. Est « veritas, dum corpus Christi, et sanguis ex « panis, et vini substantia efficitur. Figura « vero est id, quod exterius sentitur. » Et Divus Anselmus apud Claudium Sainctes repet. 3, cap. 4, ait : « Christi benedictione « panis fit corpus ejus, non significative « tantum, sed etiam substantive. Neque « enim ab hoc sacramento figuram omnino « excludimus : neque eam solum admitti- « mus. Veritas est, quia Christi corpus est. « Figura est, quia immolatur, quod in- « corruptibile habetur. »

D. Aug.

D. Ansel.

Explicantur Patres.

Quare opus non erat ad singula testimonia, quæ pro suadendo antecedenti inducuntur, respondere : concedimus, namque illud in sensu proxime exposito. Sed tamen ad singula accedendo, Tertullianus solum dicit Eucharistiam repræsentare corpus Christi : quod verum est in uno ex duobus sensibus primo loco propositis : sed id minime excludit veram, et realem Christi in sacramento existentiam. Accedit quod *repræsentare* tam in usu satis communi, quam juxta phrasim Tertulliani, significare solet *demonstrare*, *et rem præsentem exhibere*. Unde ipse Tertullianus lib. 4, *contra Marcion.* cap. 22, ait : « Pater repræsentans Fi- « lium dixit, Hic est Filius meus dilectus. » Ubi notum est repræsentare non sumi pro figura, sed pro rei vere præsentis ostensione. Origenes in prioribus verbis loquitur juxta sensus supra præmissos. Sed ubi negat malos posse veram carnem Christi sumere, magis stat pro catholica assertione : supponit enim justos suscipere veram Christi carnem : quod non contingeret, si caro Christi non existeret vere in Eucharistia. Cum igitur illud negat, non agit de sumptione reali, et sacramentali carnis Christi ; sed de sumptione spirituali, et fructuosa : quippe licet peccatores suscipiant realiter Christum in sacramento, non tamen cum fructu. D. Basilius non negat Christum esse in Eucharistia : sed hanc vocat typum et figuram corporis ejus ob rationes supra assignatas. Merito autem illam appellavit antitypum, id est, similitudinem prototypi : nam Eucharistia et Christus prout in illa repræsentant passionem Christi in cruce : quo etiam sensu D. Chrysostomus homilia 17, in epistola ad Hæbr. Eucharistiæ sacrificium vocat *exemplar sacrificii crucis*. D. Ambrosius in priori loco solum significat nos in Eucharistia non bibere externam speciem sanguinis, ne nobis sit horrori: sed bibere similitudinem pretiosi sanguinis, nempe sacramentum. Sed tamen ea similitudo non est vacua, quæ ipsum Christi sanguinem continet. In secundo loco ly *significatur*, idem valet, ac *appellatur*, vel *dicitur*, ut constat ex verbo *nuncupatur*, quo D. Ambrosius ibidem utitur. Appellatur autem panis post consecrationem corpus Christi, quia in illud convertitur ipsumque continet. Tertius locus magis perspicuus est, nihil habet difficultatis : quippe solum intendit assignare differentiam in modo, quo nunc habemus Christum *in imagine*, id est velatum speciebus, in patria autem illum habemus *in veritate*, nempe revelatum et sine sacramento : quia illum videbimus facie ad faciem. Quod magis constabit referendo integrum locum. « Hic, inquit, « umbra, hic imago, illic veritas. Umbra « in lege, imago in Evangelio, veritas in « Cœlestibus. Ante agnus offerebatur, offe- « rebatur et vitulus. Nunc Christus offer- « tur, sed offertur quasi homo, quasi « recipiens passionem, et offert se ipsum « quasi sacerdos, ut peccata dimittat. Hic

« in imagine, ibi in veritate, ubi apud « Patrem pro nobis quasi advocatus inter- « venit. Hic ergo in imagine ambulamus, « in imagine videmus. Illic facie ad faciem, « ubi plena perfectio : quia perfectio in « veritate est, nempe in veritatis manifes- « tatione. » In quo etiam sensu loquitur

D. Bern. D. Bernard. serm. 33, *in Cant.* « Habeo et « ego Verbum, sed in carne : et mihi appo- « nitur veritas, sed in sacramento. Ange- « lus ex adipe frumenti saginatur, et nudo « satiatur grano. Me oportet interim quo- « dam sacramenti cortice esse contentum.» Exponendus etiam in eodem sensu est

Maxim. Maximus in annot. *ad Dionysium* cap. 3, *de Eccles. Hierarch.* ubi Eucharistiam vocat *symbolum*, *non veritatem*, ut evidenter constat ex annot. 5, ubi ait: « Dona perfecta « in altari sunt imago : umbra fuit in « sacrificiis legalibus : veritas erit in cœlo. » Testimonia D. Hieronymi faciliora sunt : nam in priori loquitur de vino consecrando, quod est materia Eucharistiæ, non autem aqua. Et licet de vino consecrato ageret ; potuit illud appellare typum sanguinis Christi : quia ipsum repræsentat, non quidem ut signum vacuum, sed ut continens rem significatam, sicut supra exposuimus testimonia Patrum in genere. Sic etiam accipiendum est ly *repræsentaret* in secundo testimonio. Præterquam quod *repræsentare* non semper idem significat, ac *figurare ;* sed eo loco magis denotat præsentem ostendere, seu veram Christi carnem præsentem facere.

Responsio ad 8. 14. Ad octavum respondetur locum illum Tertulliani posse facile exponi juxta doctrinam numero præcedenti traditam, qua plurima Patrum testimonia in genere exposuimus. Tertullianus namque non negat verum Christi corpus esse, ac contineri in Eucharistia, cum expresse asserat, « Panem « acceptum, et distributum discipulis cor- « pus suum fecit... » Sed tamen Eucharistiam non immerito vocavit *figuram corporis Christi :* quia Eucharistia sicut sacramentum, ita necessario signum, et figura est. At non signum vacuum, sed continens, quod repræsentat, nempe Christi corpus.

Algerus. Ut enim optime observavit Algerus libro 2, sicut Joannes Baptista erat propheta, et plusquam propheta ; quia non solum prædixit, sed monstravit Christum : ita Eucharistia est figura, et plusquam figura ; quia scilicet repræsentat, et continet Christum. Hancque fuisse Tertulliani eo loco mentem, potest non incongrue suaderi attendendo ad ejus intentionem. Agebat nemque contra Marcionem negantem Christo verum corpus et carnem. Probat vero Tertullianus corpus Christi non fuisse phantasticum, ut ille asserebat : quia Eucharistia est figura corporis Christi : figura autem non est phantasmatis, sed veri corporis : ergo Christus verum corpus habet. « Figura, « inquit, non esset nisi veritatis esset cor- « pus. » Et rursus : « Vacua res, quod est « phantasma, figuram capere non potest. » Et denique lib. seq. « Panis, et calicis « sacramento jam in Evangelio probavimus « corporis, et sanguinis Dominici veritatem « adversus phantasmata Marcionis. » Hæc erat Tertulliani mens, hic scopus ; minime autem, quod Eucharistia sit mera figura, aut signum vacuum, id quod repræsentat, non continens. Quin potius oppositam veritatem evidenter supponit, quando contra Marcionem arguit: « Aut si propterea panem « sibi corpus finxit (Christus) quia corporis « carebat veritate : ergo panem debuit « tradere pro nobis. » Ubi alludit ad verba ex I, ad Corinth. 11 : « *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et necessarium est Tertullianum, ut rem evincat, supponere illud quod continetur sub figura panis, esse non phantasticum aut mere figurativum corpus Christi, sed verum. Si enim illud non est verum corpus Christi, sed vere panis; panis utique et non corpus Christi traderetur, et crucifigeretur pro nobis, ut arguit Tertullianus : nam de eo, quod Christus habebat in manibus dixit : *Hoc est corpus Christi, quod pro vobis tradetur.* Cum igitur absurdum sentiat panem fuisse traditum, et crucifixum pro nobis, plane sequitur, quod ex Tertulliani sententia id, quod Christus habuit in manibus, nempe Eucharistia, sit vere, et realiter corpus Christi.

Mens Tertulliani.

Quamvis autem ista plana sint, et satis pervia, non omittemus addere aliam responsionem ex doctis Recentioribus, Cardinali Peronensi libro 2, *de Eucharistia*, in Authore sexto. Francisco Sylvio infra quæstione 75, articul. 1, ad 1, ex Patribus, Vincentio Contensonio dissert. 1, speculatione 2, *in Tertulliano*, et aliis. Qui acute observant, quod in integra hac Tertulliani sententia, « Acceptum panem, et distri- « butum discipulis corpus suum illum fecit. « Hoc est corpus meum dicendo, id est figura « corporis

Subtilis alia Tertulliani expositio.

« corporis mei, » illa verba, id est, *figura corporis mei*, non sunt construenda cum immediate præcedentibus, *Corpus meum*, nec applicanda corpori : sed referri immediate debent ad pronomen *hoc*, quod ex sententia Tertulliani supponit pro pane, qui olim fuit, et modo etiam est figura Christi. Unde integer, et facile decurrens sensus illius sententiæ est : « Acceptum panem, et « distributum discipulis corpus suum illum « fecit dicendo, Hoc, id est panis, qui olim « erat figura corporis mei, nunc est corpus « meum. » Usus autem fuit Tertullianus illa transpositione, ne ordinem verborum formalium Domini interrumperet expositione, aut interpretatione illius particulæ *Hoc :* unde curavit expositionem post omnia Domini verba inducere: et hinc factum fuit, quod sensus evaderet minus perspicuus. Sed hic tenor, et transponendi modus familiaris erat Tertulliano (quod hanc responsionem magis confirmat), ut liquet ex lib. contra Praxeam cap. 15, nam explicat ibidem, qua ratione Christus, qui Deus est, mori potuerit, inducitque illud Apost. 1, *ad Corinth.* 15: *Quoniam Christus mortuus est*, et subjungit : « Dicendo, Christus mor« tuus est, id est unctus : id quod unctum « est, mortuum ostendit, id est, carnem. » Ubi manifestum est illas particulas, *Id est, unctus* non referri immediate ad ly *mortuus est*, nec afficere illud prædicatum, sed referri ad Christum sive subjectum, ut sensus sit *Christus, id est, unctus, mortuus est*. Sed Tertullianus adhibuit eam transpositionem, ne seriem interrumperet verborum Apostoli. Sic igitur exponenda est alia sententia : « Hoc est corpus meum dicendo, « id est, figura corporis mei, » ut sensus fit : « Dicendo, Hoc, id est, figura corporis « mei, est corpus meum. » Et sic decurrit liquida sententia, et cessat omnis scrupulus.

Responsio ad 9. 15. Ad nonum respondemus, quod Berengarius jam olim gloriabatur de patrocinio Augustini, ut refert Guitmundus lib. 2. Mendac. Calvini. Calvinus etiam lib. 4, *Instit.* cap. 16, § 28, insolenter affirmat Augustinum sine controversia totum suum esse. Sed mentiuntur hæretici. Nam S. et Magnus Doctor asseruit nostram communem, et catholicam doctrinam, ut ostendimus numero 6. Ad ea vero, quæ nunc opponuntur, ejus testimonia, D. Tho. respondemus in genere cum Angelico Doctore infra quæst. 75, articulo 1, ubi sibi opponit aliqua Div. Augustini, et respondet: « Ad primum dicendum, quod ex hac auc« toritate prædicti hæretici occasionem « errandi sumpserunt, male verba Augus« tini intelligentes. Cum enim Augustinus « dicit : Non hoc corpus, quod videtis, man« ducaturi estis; non intendit excludere « veritatem corporis Christi : sed quod non « erat manducandum in hac specie, in qua « ab eis videbatur. Per hoc autem, quod « subdit : Sacramentum, quod vobis com« mendavi, spiritualiter intellectum vivifi« cabit vos; non intendit, quod corpus « Christi sit in hoc sacramento solum se« cundum mysticam significationem; sed « spiritualiter dici, id est, invisibiliter, et « per virtutem Spiritus Sancti. Unde in « Joan. exponens id, quod dicitur, Caro « non prodest quidquam, dicit: Sed quomodo « illi intellexerunt : carnem quippe sic in« tellexerunt manducandam, quomodo in « cadavere dilaniatur, aut in macello ven« ditur ; non quomodo spiritu vegetatur. « Accedat spiritus ad carnem, et prodest « plurimum. Nam si caro nihil prodesset, « Verbum caro non fieret, ut habitaret in « nobis. Ad secundum dicendum, quod « verbum illud Augustini, et omnia similia « sunt intelligenda de corpore Christi, « secundum quod videtur in propria specie, « (secundum quod etiam ipse Dominus « dicit Matth. 26 : Me autem non semper « habebitis). Invisibiliter tamen sub spe« ciebus hujus sacramenti est, ubicumque « hoc sacramentum perficitur. » Hæc omnia D. Thomas, ex quibus facile constat legitima sententia, atque intelligentia D. Augustini in omnibus testimoutiis relatis : unde supervacaneum apparet illa singulatim exponere.

Explicantur D. Aug. propositiones. Sed tamen respondemus ad primum, quod D. Augustinus vocat Eucharistiam *signum corporis Christi*, non quidem vacuum, sed continens rem significatam, ut supra alios Patres exponebamus. Nam ut aperte indicat ibidem Sanctus Doctor eo modo Eucharistia est signum corporis Christi, quo sanguis animæ : sanguis autem animam præsentem significat. In secundo dicit ipsas species sacramentales (in quibus consistit sacramentum) esse quodammodo corpus, et sanguinem Christi : quia non sunt simpliciter hæc ; sed ipsa continent, et repræsentant : sicut baptismus dicitur aliquo modo fides, quia est fidei sacramentum.

In tertio merito affirmat Christum in Cœna commendasse sui corporis, et sanguinis figuram: quia Eucharistia, sicut Sacramentum, ita figura est; cæterum non vacua, sed continens rem, quam repræsentat, ut num. 13, et 14, magis explicuimus. Quartum non alium sensum continet, quam propositum, et optime expositum a Div. Thoma ubi proxime, quin opus sit alia addere. Quintum nihil habet, quod referat in præsenti: nam Augustinus non irridet Manichæos, quia susciperent Eucharistiam; sed quia delirabant volentes omnes herbas, et fructus terræ esse naturale corpus passibilis Christi. In quo sensu ironice ait, quod Christus eorum faucibus inferatur. In sexto loquitur Sanctus Doctor de corporibus secundum naturalem modum, quo existunt. Sed non negat ea posse divinitus absque illo modo inveniri. Septimum, et ultimum testimonium eodem modo exponendum est: affirmat enim corpus Domini esse posse in uno loco. Inde vero minime sequitur ipsum sensisse tale corpus non posse alibi existere vel sicut in loco vel saltem alio modo, et in Sacramenti specie. Videatur Div. Thom. loco cit. in resp. ad 4, ubi ait: « Dicendum, « quod ratio illa procedit de præsentia cor- « poris Christi, prout est præsens per mo- « dum corporis, id est, prout est in sua « specie visibili: non autem prout est « spiritualiter, id est, invisibili modo, et « virtute spiritus. Unde Augustin. dicit « super Joan. Si intellexisti spiritualiter « verba Christi de carne sua, spiritus, et « vita tibi sunt: si intellexisti carnaliter, « etiam spiritus, et vita sunt; sed tibi non « sunt. »

D. Tho.

Argumenta hæreticorum ex principiis naturalibus.

16. Pervenimus tandem ad ultimam classen motivorum, quæ hæretici desumunt ex rationibus naturalibus, seu principiis Philosophicis. Principaliora vero ejusmodi sunt. Primum (et decimum in ordine) est implicare idem corpus esse in pluribus, et distantibus locis: sed corpus Christi est in Cœlo: ergo corpus Christi non est in Eucharistia apud nos. Major probatur tum ex illo Math. 28: *Non est hic, surrexit enim,* quod habet vim consequentiæ, et infirmaretur, si idem corpus posset in pluribus locis existere. Tum etiam quia si id non repugnaret, qua ratione idem corpus posset esse in multis locis, posset etiam esse in infinitis: quod tamen soli Deo proprium est. Tum præterea, quia repugnat aliquid esse simul in diversis temporibus: ergo et esse simul in diversis locis, ut paritatis ratio evincere videtur. Tum insuper quia si idem corpus collocaretur in distinctis locis, distingueretur, et distaret a se ipso: neque enim hoc, quod est hic, continuatur ei, quod est in Cœlo: sicut nec ipsa loca continuantur, quibus commensurari debet locatum. Tum denique quia ex opposito fieret posse idem corpus moveri motibus contrariis, et suscipere qualitates oppositas: nam existens in uno loco posset moveri sursum, et infrigidari, atque existens in alio posset moveri deorsum, et calefieri.

Decimum in ordine.

Undecimum.

Opponunt undecimo: nam corpus Christi in Eucharistia non potest esse quantum, nec potest esse non quantum: in quo datur manifesta contradictio. Primum ostenditur: quia tunc minor quantitas hostiæ contineret majorem corporis quantitatem; quod repugnat. Aliunde etiam deberet una quantitas penetrari cum altera: quod etiam implicat. Secundum etiam patet: tum quia corpus est inseparabile a quantitate, cum hæc sit vera ejus proprietas: tum quia si corpus Christi non retineret eandem quantitatem, non esset idem: quippe quantitas est de ratione corporis, ipsumque constituit. Dicere autem, quod corpus Christi retinet eandem quantitatem, non autem extensionem localem, non minus implicat: nam extensio in ordine ad locum est effectus formalis quantitatis: unde fieri non valet quod corpus retineat eandem quantitatem, et non conservet eandem localem extensionem.

Duodecimum.

Opponunt duodecimo: nam inhærentia est de ratione accidentium, sicut perseitas est de ratione substantiæ: ergo accidentia panis, et vini vere inhærent alicui subjecto. Si autem inhærent propriæ substantiæ, nequeunt continere corpus Christi, ut magis constabit cap. sequenti. Dicere autem, quod insint corpori Christi, est omnino absurdum: tum quia accidentia panis, et vini nequeunt transire a subjecto in subjectum: siquidem ab eo mutuantur individuationem: tum quia si in corpore Christi reciperentur talia accidentia, illud qualificarent, ac modificarent ad modum sui: unde figura hostiæ illud faceret rotundum, et sic de aliis. Quæ sunt plane repugnantia, atque indigna gloria, et statu corporis Christi.

Opponunt ultimo: nam ex hac reali

Christi.

Ulti-mum. Christi in Sacramento præsentia multa indecentia, atque absurda consequuntur. Nam sequitur in primis Christum in terram cadere, dentibus atteri, in ventrem,et secessum ire,a muribus corrodi,putrescere, cremari, et alia pati, quæ ejus majestatem minime decent. Sequitur ulterius hanc corporalem Christi præsentiam impedire præsentiam ejus spiritualem, atque assistentiam, et acceptationem Spiritus Sancti, Joan. 16. juxta illud ejusdem Salvatoris apud Joan. 16: *Expedit vobis,ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Confirmatur: quia fructus Eucharistiæ est nutrire animam: sed tantum hujusmodi fructus potest communicare Christus existens in signo, et apprehensus per fidem, quantum communicaret ejus realis præsentia: cum igitur talis præsentia non plus afferat fructus, et plures aliunde afferat difficultates; præsumendum est Christum non esse in Eucharistia realiter,et substantialiter, sed solum sicut in signo, aut sacramento.

Convelluntur in genere. D. Aug. 17. Hæc et similia a ratione opponunt hæretici, et facile foret addere alia: nam, ut inquit D. Augustin. lib. 1, *de utilitate credendi*, cap. 2: « Mysteria fidei facile possunt populariter accusari. » Unde in epist.49, affirmat: « Christum non crederemus, si fides Christianorum metueret cachinnos Paganorum, Hæreticorum, Judæorum, et similium. » Ad omnia autem, quæ modo opponuntur, possumus respondere cum eodem S. Doctore: « Ecce,quibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas? » Nam mysterium Incarnationis (et idem contingit in aliis), est opus omnipotentiæ Dei operantis supra omnes conditiones naturæ, et ultra id, quod naturalis ratio potest in hac vita clare intelligere. Quare oportet intellectum captivare in obsequium fidei, credendo verbis Christi contra omnes nostri intellectus discursus, aut potius in hac parte langores Et sic se gesserunt sacri Doctores veritatem hujus mysterii revocantes ad potentiam Dei, et ad testimonium Christi, ut vidimus nu. 7. D. Dam. Modo tamen audiamus D.Damascenum lib. 4, *de fide*, c. 14, ubi hæc habet: « Quæsivit Virgo, quomodo fiet mihi istud? Respondit Gabriel Angelus, Spiritus Sanctus superveniet in te.Tu quoque nunc quæris, quomodo panis fiat corpus Christi, et vinum aqua mixtum fiat sanguis Christi? Tibi quoque respondeo: Spiritus Sanctus supervenit, eaque efficit, quæ orationis facultatem, et mentis intelligentiam excedunt. » Et post aliqua: « Quod si quæras, quo pacto id fiat satis tibi sit audire, quod per Spiritum Sanctum id fiat. Quemadmodum ex Sancta Dei Matre per Spiritum Sanctum Dominus sibi ipsi carnem condidit. Nec quidquam amplius nobis perspectum, et exploratum est, quam quod Verbum Dei est verum, et efficax, atque omnipotens, ut ea efficiat, quæ nulla ratio humana queat indagare.» Et ita quidem non minus rationabiliter, quam fideliter respondendum est ad omnes illas objectiones in genere :nam contra omnes prævalere debet verbum Christi, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Sed tamen illas etiam in particulari diluemus; brevissime tamen hoc loco: quia concernunt varias, et graves difficultates scholasticas, quas versant Theologi, ut (salva semper fide) explicent modum hujus mysterii, et alia ad ipsum pertinentia: quibus superandis per sequentes hujus Tractatus disputationes operam dabimus ex professo.

Ad decimum ergo multi Theologi respondent negando majorem: sentiunt enim non implicare, quod idem corpus habeat esse circumscriptive in duobus locis: unde a fortiori colligunt nullam esse repugnantiam in eo, quod idem Christi corpus sit tum in cœlo, tum in pluribus sacramentis. Sed qui hanc premunt viam, curabunt illis occurrere, quibus confirmatur major, et aliis etiam non admodum facilibus, quamvis nec omnino evidentibus. Verior autem, et longe communior Philosophorum, et Theologorum cum Divo Thoma infra quæst. 76, articulo primo sententia est idem corpus nec divinitus posse in multis locis ipsum circumscribentibus collocari, ut videri potest apud N. Complutenses abbrev. in lib. *Physic.* disput. 19, quæst. 7. Juxta quam sententiam omissa majori, et concessa minori, negamus consequentiam absolute: nam Christus non habet esse in Eucharistia sicut in loco, sed alio modo longe diverso, videlicet sacramentaliter, et per modum substantiæ. Omnes autem probationes, quæ ad suadendum majorem inducuntur, hanc partem non attingunt: quia procedunt determinate circa præsen- Responsio ad 10.

tiam localem, sive circumscriptivam, alterius plane, atque inferioris rationis ad præsentias sacramentales, quas corpori Christi attribuimus. Porro ratio disparitatis, ut idem corpus nequeat habere plures præsentias locales, possit autem habere plures præsentias sacramentales, ea nunc breviter assignari potest, quod corpus habet esse in loco ratione quantitatis, quæ per modum formæ communicat extensionem, et coaptationem ad locum : unde sicut repugnat idem corpus habere plures quantitates, sic etiam quod habeat plures præsentias locales : implicat enim mutiplicari effectum formalem non multiplicata forma. Præsentia autem sacramentalis non convenit corpori ratione quantitatis, sed ratione modi sacramentalis, sive passivæ conversionis : unde cum idem corpus queat terminare plures numero conversiones, potest etiam habere plures modos, et subinde plures præsentias sacramentales. Et ideo Christus ratione quantitatis solum habet esse in uno loco : et per plures modos, sive ratione plurium conversionum, et quatenus succedit pluribus substantiis in ipsum conversis, habet esse in pluribus numero sacramentis. Quod hic delibare sufficiet : nam rem ex professo tractabimus disp. 6, dub. 8.

Responsio ad 11. 18. Ad undecimum respondemus corpus Christi in Eucharistia retinere quantitatem, et subinde habere extensionem, et distinctionem partium in ordine ad se, ut ostendemus disput. 7, dub. 3, § 2. Caret tamen ibidem extensione, et coaptatione locali, siquidem non habet esse in sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ, ut proxime insinuavimus. Porro nulla est contradictio in eo, quod corpus retinens in se quantitatem careat in sacramento actuali extensione in ordine ad locum : quoniam hujusmodi extensio, et commensuratio est effectus secundarius quantitatis : forma autem potest divinitus impediri, ne effectûm secundarium communicet ; sic enim licet corpus grave inducat actualem gravitationem ; fieri tamen absolute valet, quod non gravitet, ut contigit in Christo ambulante super aquas : et similiter unum corpus habet naturaliter aliud expellere ab eodem loco ; et nihilominus potest hujusmodi effectus supernaturaliter impediri, et sic accidit, ubi unum corpus penetrat divinitus aliud : coexistunt enim eidem loco absque mutua exclusione ut cum Christus exivit de utero Virginis, et de sepulchro, et quando ingressus est ad discipulos januis clausis, juxta communem Patrum, et Theologorum expositionem. Supposito autem, quod Christus in Eucharistia non habet extensionem in ordine ad locum, et habeat esse per modum substantiæ; vanum est inquirere, quomodo quantitas major continuetur sub minori, aut quomodo inter se penetrentur : quia hæ quæstiones solum possunt procedere, ubi duæ quantitates servant suas extensiones locales : quod, ut diximus, minime in præsenti contingit.

Ad duodecimum respondetur, quod licet inhærentia aptitudinalis sit de essentia accidentium ; non tamen inhærentia actualis : unde non implicat reperiri accidentia, quæ actu non inhæreant subjecto. Idque declaratur ipso exemplo, quod ad contrarium inducitur : quia non magis convenit accidentibus esse in subjecto, quam substantiæ esse per se, aut vindicare sibi propriam perseitatem : potest autem divinitus fieri, quod natura substantialis privetur modo proprio perseitatis, et habeat esse in alio, ut patet in mysterio Incarnationis, ubi natura humana caret propria perseitate, sive personalitate, atque habet esse in supposito divino. Sic igitur fieri etiam divinitus valet, quod accidentia non habeant esse actu in subjecto, sed existant per se, sive independenter ab alio. Et ita contingit in mysterio Eucharistiæ : nam substantia panis, et vini convertitur in corpus, et sanguinem Christi, ut cap. sequenti dicemus : et accidentia panis, et vini manent per se, hoc est, independenter a subjecto, cui actu insint. Quare vanum est inquirere, an recipiantur in propria substantia, vel in corpore Christi : in nullo quippe subjecto recipiuntur, sed habent esse per se. Utrum autem ut queant sic existere, recipiant de novo aliquem modum positivum perseitatis, quæstio est in præsenti non necessaria, quam decidemus disp. 8, dub. 3. Responsio ad 12.

19. Ad ultimum respondemus nullum ex catholica assertione sequi inconveniens. Et ad illa, quæ primo loco recensentur, dicendum est Christum existere in Eucharistia modo spirituali, et impassibili : quare nullum ibi damnum sustinere potest, aut indecentiam : sed cuncta, quæ ejusmodi aliquid videntur afferre, in solis sacramentalibus Responsio ad ultimum

talibus

talibus panis, et vini speciebus sistunt. Unde Christus in Sacramento existens proprie loquendo non cadit in terram, nec atteritur, nec dividitur, nec mittitur in ventrem, nec corrumpitur, nec crematur : sed hæc omnia penes solas species contingunt, ut merito dixerit Divus Cypriamus in serm. *de cœna Domini* : « Integer erogatur; « distributus non demembratur, incorpo- « ratur, et non injuriatur ; recipitur, et « non includitur. » Potestque id declarari exemplo animæ rationalis existentis in homine ; nam licet homo cadat, non dicitur anima cadere, nisi per accidens, et ad motum corporis : et quamvis homo percutiatur, dividatur, et cremetur, nihil horum cadit in animam, quia spiritualis est, existitque indivisibili modo. Idem itaque contingit in corpore Christi existente in sacramento : quia ibi habet etiam existere prædicto modo. Et notandum est similia objecta a Judæis et Gentilibus jam olim fuisse contra mysterium Incarnationis: sed eorum cachinnos spreverunt Sancti Patres, et nominatim Tertullianus lib. *de carne Christi*, dicens : « Quodcumque Deo indignum est, « mihi expedit. Salvus sum, si non con- « fundar de Domino meo.» Et lib. 2, *contra Marcionem* inquit : « Assumpsit Deus quæ- « dam indigna, nobis autem necessaria : et « ideo jam Deo digna : quia nihil tam Deo « dignum, quam salus hominum. » Quod secundo loco opponitur, minus adhuc premit : quia non quæcumque præsentia realis Christi impedit missionem, et acceptionem Spiritus Sancti ; sed sola præsentia visibilis, familiaris, et secundum modum humanæ conversationis. Hoc enim impedimentum aliquo modo erat, ne plenitudo Spiritus Sancti ad Apostolos, et alios fideles effunderetur. Tum propter decretum Dei statuentis eam affluentiam non esse dandam, nisi post Christi passionem, resurrectionem, et ascensionem. Tum quia Apostoli non satis dignam de Domino existimationem concipiebant, humano adhuc more illum tractantes, et diligentes, ut Divus Augustinus, N. Cyrillus, Theophylact. et alii communiter observant ad cap. 16. *Joan.* Nihil autem occurrit in eo, quod Christus adsit realiter præsens in Eucharistia ; cum ibidem lateat, et habeat esse modo spirituali, qui sola fide a viatoribus cognoscitur. Ad confirmationem neganda est minor : tum quia longe aliter, et magis ardenter afficimur ad rem præsentem, quam ad absentem. Tum quia Christus præsens illa beneficia communicat, quæ non conferret, si foret absens : sicut curabat, quotquot ipsum tangebant, non curaturus, si non tetigissent. Tum quia docet, quod Christus præsens majora conferat beneficia, per se, quam si solum adesset in signo. Quare licet non implicet, quod Deus conferat eandem gratiam, et nutritionis spiritualis fructus independenter a reali Christi præsentia: nihilominus magis congruum rerum naturis est, quod illa communicet attendendo ad præsentiam ejus realem. Unde juxta hujusmodi congruitatem, cui se attemperat suavis Dei providentia, non foret idem Eucharistiæ fructus, si Christus non esset in ea realiter præsens : decet namque regem potiora bona impertiri, cum præsens adest, quam si procul sit.

D. Cyp. — Tertul. — Patres.

CAPUT II.

De transsubstantiatione, sive conversione substantiæ panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi.

20. Cuncti hæretici, qui negant veram, et realem Christi præsentiam in Eucharistia, negant etiam transsubstantiationem, sive conversionem panis, et vini in corpus, et sanguinem ejus. Et quidem consequenter, ac merito : nam supposito, quod Christus in Eucharistia non existat, nulla est ratio vel necessitatis, vel convenientiæ, ut panis et vinum dicantur in ipsum converti. At contraria illatio non ita omnino manifesta est : nam imaginari quis posset sub accidentibus Eucharistiæ contineri tam Christum, quam substantia panis et vini, nulla istorum facta in illum transmutatione. Et ita plane se gessit inconstans ille Protheus, Berengarius, inquam, ille primus, et manifestus hujus mysterii impugnator. Nam abjurata priori hæresi, qua veram, et realem Christi præsentiam in Eucharistia negabat, ut cap. præcedenti vidimus, postea versatilis homo, ac fidefragus canino more ad vomitum magna ex parte rediit, asserens integram substantiam panis, et vini manere post consecrationem in Eucharistia, conjunctum accidentaliter Corpori Christi, sicut unum suppositum solet alteri localiter conjungi : unde consequenter de medio sustulit veram conver-

Qui negaverint transubstantiationem. — Bereng.

sionem, sive transubstantiationem panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi. Quam tamen hæresim etiam revocavit, et abjuravit in quodam concilio Romano sub Gregorio Septimo, ut infra videbimus. Post quam abjurationem catholice vixit; et acta culparum suarum pœnitentia in Ecclesiæ Romanæ fide, et communione decessit, ut tradunt Guillelmus Malmesburiensis lib. 3, *de gestis Anglorum*, et Papirus Masso lib.3, *Annalium Franciæ*, non dissentiente Baronio ad annum 1088. Refert vero Malmesburiensis Berengarium in ultimo vitæ agone positum alternis spei, et timoris motibus agitatum fuisse, Dei misericordiam sperantem propter pœnitentiam, justitiam autem timentem propter aliena, quorum causa fuerat, peccata; nam « quamvis ille « sententiam correxerit, omnes tamen, « quos ex totis terris depravaverat, con- « vertere nequivit: » adeo periculosum est alios verbo, aut exemplo ad errandum inducere. Et re vera ita contigit: nam extincto Berengario, plures fuerunt discipuli, qui ejus hæresim continuarint quoad ultimum ejus statum, et diversis temporibus interpolaverint. Inter quos, ut omittamus alios, ille principe loco numerandus est omnium hæreticorum post hominum memoriam audacissimus, Martinus Lutherus. *Luther.* Tenuit quidem ille, asseruit, et contra alios sectarios propugnavit, vindicavitque veram Christi præsentiam in Eucharistia, ut evidenter constat ex ejus apologia de cœna Domini, et sermone de Eucharistia tom.7, et ep. *ad Argentinenses*, ubi post alia inquit: « Vellem (ea erat bona hominis adfectio) « quod posset aliquis mihi persuadere ni- « hil esse in Eucharistia præter panem, et « vinum: magno ille beneficio me devin- « ciret. Jam sæpe gravibus curis in hac ma- « teria desudavi. Verum ego me captum « video: nulla elabendi via relicta est: tex- « tus Evangelicus nimis est apertus. » Quin et in lib. *de abroganda Missa* testatur se longam habuisse disputationem cum dæmone, qui sophisticis argumentis contendebat Christum non adesse realiter in Eucharistia; a quo, ut ipse refert, convinci non potuit. Sed hic ipse pro reali præsentia Christi agonista amplexus est errorem novissimum Berengarii. Fluctuabat quidem initio Lutheri animus, et affirmantem transubstantiationis sententiam permittebat, dummodo consubstantiatio, sive conjunctio substantiæ Christi cum substantia panis, et vini tanquam hæresis non accusaretur. At impudentior deinde factus catholicum de transubstantiatione dogma tanquam impium reprobavit anno 1522, in lib. *contra Henricum Angliæ regem*, quem novum, et eximium Thomistam appellat, et profitetur se suam antiquam transubstantiare, sive mutare sententiam. Addit vero transubstantiationis vocem, et rem esse inventum Thomæ, et Thomistarum: in quo evidenter mentitur, ut infra videbimus. Hæc autem ejus hæresis ad plurimos Lutheranos promanavit, qui idcirco *impanatores*, sive *panistæ* appellati sunt, et verba Christi *Hoc est corpus meum* sic interpretantur: *In hoc, vel sub hoc, vel cum hoc pane est vere corpus meum.* *Mendacium Luther.*

Ad hanc hæresim proximè accedit aliorum error asserentium panem, et vinum remanere in Eucharistia, non accidentaliter præcise Christo conjunctum, ut sentiunt Lutherani; sed hypostatice assumptum a verbo, eo plane modo, quo humanitas fuit assumpta: ex quo sequitur panem esse corpus Christi, non quidem humanum, sed panaceum. Quem errorem Ruperto Abbati Tuitiensi tribuunt post Baronium Bellarminus lib. *de Eucharistia* cap. 11, et Gravina tom. 3, part. 1, controv. 1, quæst. 1, art. 6, ad 12. *Rupert.* Et plane sic docuisse videtur lib. 6. *in Joann.* ubi affirmat: « Verbum « jamdudum factum carnem panem visi- « bilem fieri: non mutatum in panem, « sed assumendo, et in unitatem personæ « transferendo panem. » Et lib. *in Exodum*, inquit: « Spiritus Sancti effectus non « est destruere, vel arrumpere substan- « tiam quamcumque, sed substantiæ bono « permanenti, quod erat invisibiliter adji- « cere, quod non erat. Sicut naturam huma- « nam non destruxit, cum illam operatione « sua ex utero Virginis Deus Verbo in « unitatem personæ conjunxit. Sic subs- « tantiam panis, et vini secundum exte- « riorem speciem quinque sensibus subac- « tam non mutat aut destruit, cum eidem « Verbo in unitatem corporis ejusdem « quod in cruce pependit, et sanguinis « ejusdem, quem de latere suo fudit, ista « conjungit. » Et similia inculcat lib. 2, *de officiis*, cap. 2 et 9. Non desunt tamen viri docti, qui pium hunc Auctorem excusent, ejus verba ad bonum sensum interpretantes. Et ita post Suarium se gerit

Contensonius

Contensonius dissert, 2, cap. 2, specul. 2. objectione 5. Quid autem nos censeamus, n. 30 dicemus. Non absimilis præcedenti est error cujusdam Joannis Parisiensis, qui apud Venerabilem N. Waldensem tom. 2, *de sacramentis*, cap. 36, asseruit panem assumi a Verbo non mediante toto Christo, ne cogeretur dicere Deum esse panem; sed solum mediante corpore: sicut Æthiops non dicitur absolute albus, sed solum secundum dentes, quia in illis tantum habet candorem. Sed contra absurdas omnes has positiones.

Joannes Pariens.

§ 1.

Defenditur catholica veritas.

Assertio fidei.

21. Quam sic explicat, et diffinit Sacrum Concilium Trident. sess. 13, can. 2: « Si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam « panis, et vini una cum corpore, et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam, et singularem conversionem totius substantie « panis in corpus, et totius substantiæ « vini in sanguinem, manentibus dumtaxat « speciebus panis, et vini: quam quidem « conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat; « anathema sit. »

Fundamentum ex verbis consecrationis. Concil. Trident.

Primum huic veritati fundamentum præstant verba Christi Domini, *Hoc est corpus meum* ut optime expendit Concilium Tridentinum loco cit. cap. 4, ubi ait: « Quoniam Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit: ideo persuasum « semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc « denuo hæc Sancta Synodus declarat per « consecrationem panis, et vini conversionem fieri totius panis in substantiam « corporis Domini nostri, et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus. »

D. Tho.

Qui discursus fuerat D. Thom. in hac 3 part. quæst. 75, art. 2, ubi contra asserentes remanere substantiam panis, et vini sic format secundam rationem: « Hæc positio contrariatur formæ hujus sacramenti, in qua dicitur, Hoc est corpus « meum. Quod non esset verum, si substantia panis ibi remaneret: nunquam enim « substantia panis est corpus Christi. Sed « potius esset dicendum: Hic est corpus « meum. » Et jam olim Guitmundus, qui primus contra Berengarium scripsit, aiebat lib. 3, *de veritate corporis, et sanguinis Christi*: « Hos impanatores suos Dominus « verbo oris sui interfecit, cum accipiens « panem, gratiasque agens, ac benedicens « ait: Hoc est corpus meum. Non ait, In « hoc latet corpus meum, Nec dixit, In hoc « vino est sanguis meus: sed dixit, Hic « est sanguis meus. »

Guitmundus.

Effugium.

Nec vim hujus motivi infirmabit, qui pro Lutheranis (adfaventibus quantum ad hoc effugium nonnullis Scholasticis), dicat veritatem propositionis Christi posse salvari, quamvis simul cum substantia Christi existeret sub speciebus substantia panis: quia hoc etiam præsupposito non oporteret pronomen *Hoc* demonstrare totum, quod est sub speciebus; sed determinari ex intentione loquentis posset ad designandum non panis substantiam, sed Christi. Sicut ob hanc rationem designato marsupio, in quo est aurum, possumus vere dicere, *Hoc est aurum*.

Præcluditur.

Id, inquam, non diruit propositum fundamentum: quoniam etsi prononem *Hoc* queat demonstrare tam substantiam continentem, quam substantiam contentam, et ad unam earum determinari, si una vel ex natura rei, vel ex hominum usu instituatur ad continendum aliam, ut in exemplo allato, et in similibus contingit: id tamen non ita contingit, ubi res continens non est instituta ad continendum aliam, et illam de facto continet: quia tunc pronomen *Hoc* determinate demonstrat id, quod res continens habet vel a natura, vel ab usu communi: unde si sub pane contineretur, et absconderetur aurum nemo vere, et recte diceret, *Hoc est aurum*: designaret enim ly *Hoc* panem, de quo nequit aurum vere prædicari. Manifestum autem est, quod substantia panis nec ex usu hominum, nec ex natura rei continet corpus Christi: idque insolens erat, cum Christus Eucharistiam instituit. Quare in hac propositione, *Hoc est corpus meum*, pronomen *Hoc* non substantiam Christi contentam præcise significaret; sed determinate vel solam substantiam panis, vel utramque substantiam, aut totum contentum sub speciebus. Unde propositio esset falsa. Ne igitur id dicatur, fatendum omnino est substantiam panis non ibi remansisse, sed in corpus Christi conversam esse. Id vero non amplius premimus, amplius expensuri disp. 5,

dub. 1, et 2, ubi conversionem hanc ex verbis Christi theologice demonstrari ostendemus.

Fundamentum ex Conciliis. Concil. Roman. 22. Secundum ejusdem veritatis fundamentum est in Conciliis ipsam diffinientibus. Sic enim decrevit Concilium Romanum sub Gregorio VII, in quo Berengarius oppositam hæresim abjuravit sub hac forma, quæ habetur inter opera Lancfranci, edita novissime anno 1540, ex vetusto codice bibliothecæ Bexensis. *Secunda Berengarii confessio.* « Ego Berengarius corde credo, et ore confiteor panem, « et vinum, quæ ponuntur in altari, per « mysterium sacræ orationis et verba nostri Redemptoris converti in veram, et « propriam, ac vivificatricem carnem, et « sanguinem Jesu Christi Domini nostri; « et post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, et « quod pro salute mnndi oblatum in cruce « pependit, et quod sedet ad dexteram Patris; et verum sanguinem Christi, qui « de latere ejus effusus est : non tantum « per signum, et virtutem sacramenti, sed « in veritate naturæ, et proprietate substantiæ. Sicut in hoc brevi continetur, et « ego legi, et vos intelligitis, sic credo : nec « contra hanc fidem ulterius docebo. » Sic etiam decrevit generalissimum concilium *Concil. Lateran.* Lateranense sub Innocentio III, can. I. his verbis : « Verum Christi corpus et sanguis « in sacramento altaris sub speciebus panis « et vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem potestate divina. » *Nota contra Luther.* Unde incidenter constat (quod ostensuros supra spopondimus) Lutherum evidenter mentitum fuisse, dum asseruit *transsubstantiationis* vocem, et rem esse inventum Thomæ, et discipulorum : cum concilium illud hac voce, et intelligentia usum fuerit; prædictum autem concilium pluribus annis Doctorem Angelicum antecessit : nam celebratum fuit anno 1215, quo tempore nondum natus fuerat D. Thom. Diffinierunt etiam *Concil. Constan. Florent. Trident.* eandem veritatem concilium Constantiense sess. 8, damnans errorem Wiclephi dicentis substantiam panis, et vini manere in sacramento altaris. Et Concilium Florentinum in instructione Armenorum aperte docens hanc mutationen panis in corpus Christi. Et denique concilium Tridentinum verbis supra relatis.

23. Tertium hujus veritatis fundamentum desumitur ex perpetua Ecclesiæ traditione, *Fundamentum ab Ecclesiæ traditione.* et communi Patrum doctrina, qui istam conversionem, sive transsubstantiationem manifeste, licet diversis vocibus significaverunt. *Origen.* Origenes lib. 8, *contra Celsum* affirmat « panem fieri corpus Sanctum per « precationem. » *Tertul.* Tertullianus lib. 4, *contra Marcionem*, cap. 40 : « Acceptum « panem corpus suum facit dicendo, Hoc « est corpus meum. » *Cyril. Hieros.* S. Cyrillus Hierosolym. *catech.* 3. *mystag* « Hoc sciens, « ac pro certissimo habens panem hunc, « qui videtur, non esse panem, etiam« si gustus panem esse sentiat. » *D. Chrys.* D. Chrysost. hom. *de Eucharistia in encæniis.* « Num vides panem? Num vinum? « Num sicut reliqui cibi in secessum vadit? « Absit, ne sic cogites. » *D. Amb.* D. Ambros. lib. *de sacram.* cap. 4 : « Panis hic panis est ante « verba sacramentorum : sed ubi accesserit « consecratio, de pane fit caro Christi. » *D. Aug.* D. Augustinus serm. 28, *de verbis Domini:* « Ante verba Christi, quod offertur, panis « dicitur : ubi verba Christi deprompta « fuerint, jam non panis dicitur. » Et in tract. *de corpore et sanguine Domini,* quem refert, et se vidisse testatur N. Waldensis, inquit : « Nec dubitare debet aliquis, quod « panis, et vinum mutantur in veram substantiam Christi. » *P. N. Cyril.* S. P. N. Cyrillus Alexandrinus in epist. *ad Cœlosyrium* (quæ nunc inter ejus opera non habetur, sed testimonium refertur in D. Thomæ Catena ad illud Lucæ 22 : *Et accepto pane,*) inquit : « Oblata convertuntur a Deo in veritatem « propriæ carnis. » *Emissenus.* Eusebius Emissenus hom. 1. *de Paschat.* « Antequam consecrentur, substantia illic est panis, et vini : post verba autem Christi corpus, et « sanguis ejus est. Nec dubitet quisquam « nutu potentiæ, et præsentiæ majestatis in « Dominici corporis posse transire natu« ram. » *D. Cyp.* D. Cyprianus in serm. *de Cœna Domini* : « Panis iste non effigie, sed na« tura mutatus omnipotentia verbi factus est caro. » *D. Dam.* D. Damascenus lib. 4, *de fide,* cap. 14 : « Quemadmodum naturaliter « panis per manducationem, et vinum, et « aqua in bibentis, ac comedentis corpus, « et sanguinem immutantur : sic panis, et « vinum, quæ proponuntur in altari, per « Sancti Spiritus invocationem, et adven« tum mirabili modo in Christi corpus, et « sanguinem vertuntur. » *V. Beda.* V. Beda in lib. *de myster. Missæ* : « Ibi forma panis vide« tur, ubi substantia panis non est. » D. Bernardus

D. Bern. D. Bernardus in serm. *de Cœna Domini:* « Hostia, quam vides, jam non est panis, « sed caro mea. Similiter liquor iste, quem « vides, jam non est vinum, sed sanguis
Gaudentius. « meus.» Gaudentius Brixinianus tract. 2, in Exodum ; « Creator omnium, qui om- « nipotentia sua de terra panem creat, de « pane rursum efficit corpus suum : et qui « olim aquam convertit in vinum, vinum
Paschas. « jam in sanguinem convertit.» Paschasius Corbejensis lib. *de corp. et sanguine Domini* cap. 1: «Ideo ista (*nempe panis et vinum*) « ob miraculum non mutantur exterius « in speciem, sed interius ut fides compro-
Remig. « betur spiritu.» Remigius Rhemensis in 1. *ad Corinth.* cap. 10: « Panis, qui consecra-
Petrus Blesen. « tur, transit in corpus Christi. » Petrus Blesensis epist. 140: «Pane, et vino trans- « substantiatis virtute verborum cœlestium « in corpus, et sanguinem Christi, acci- « dentia, quæ prius ibi fuerunt, sine sub- « jecto remanent, et apparent. » Eandem
Justin. Irenæus. E hym. D. Ans. Remig. Amalar. Algerus. Hugo de S. Vict. Magist. omnino sententiam exprimunt Justinus martyr in *apologia* 2, Irenæus lib. 4, cap. 34, Theophylact. *Joan.* 6, Euthymius in cap, 26. *Matthei*, Strabus in I *ad Corinth.* cap 10, D. Anselm. referendus n. 25, Remigius Altisiodorensis in Ps. 21, Amalarius lib. 3 *de Ecclesiast. offic.* cap. 24, Guitmundus lib. 3, *de veritate corporis, et sanguinis Domini*, Algerius lib. 1, *de corpore Domini* cap. 7, Petrus Cluniacensis lib. 1, epistolarum, epist. 2, Hugo de S. Victore lib. 2, *de sacramentis*, part. 3, cap. 7, Magister sent. lib. 4, dist. 11, et alii innumeri, qui hanc mirabilem conversionem panis, et vini significant per verba: « Vertuntur, « mutantur, immutantur, transeunt, « fiunt, transferuntur, » et similia. Unde liquet hanc esse communem Ecclesiæ traditionem. Liquet etiam mentitum fuisse Lutherum, qui hoc quasi inventum D. Thomæ ut auctori detulit : mentitum pariter
Mendacia hæreticorum. esse Calvinum lib. 4, *Instit.* cap. 17, § 14, cum dixit nostram assertionem omni antiquitatis patrocinio destitutam esse : mentitum præterea esse Kemnitium in 2 part. *examinis Tridentini* sess. 13, cap. 4, cum asseruit tempore Petri Lombardi nihil certi de hac re fuisse in Ecclesia.

Fundamentum a ratione. 24. Succedebat, ut hanc ipsam assertionem ratione probaremus. Et quidem si repugnat sub eisdem accidentibus reperiri simul tam substantiam panis, et vini, quam substantiam corporis, et sanguinis Christi, liquido res evincitur contra Lutheranos : nam ipsis concedentibus corpus, et sanguis Christi existunt vere, et realiter sub speciebus sacramentalibus ut præced. cap. ostensum est : ergo sub eisdem accidentibus non conservatur substantia panis, et vini, sed desinit, transit, et convertitur in substantiam corporis, et sanguinis Christi. Cæterum ea repugnantia non plane constat apud Theologos, ejusque discussio referenda est ad propriam sedem disp. 5, dub. 1 et 2. Quare non aliam hic rationem assignare efficaciter possumus (supposita, aut permissa non repugnantia illius conjunctionis) quam Dei voluntatem statuentis, ut prolatis verbis consecrationis fiat ea conversio : de prædicta autem voluntate certo nobis constat ex diffinitionibus Ecclesiæ, traditione, et communi Patrum doctrina, ut supra ostendimus. Sed tamen possumus prædictæ voluntatis assignare unam, aut alteram rationem, seu congruentiam. Primam, quod si in Eucharistia permaneret substantia panis, et vini, foret utique subjectum propriorum accidentium, quæ species sacramentales appellamus : ergo primarius, et immediatus horum ordo foret utique ad substantiam panis, et vini, non vero ad corpus, et sanguinem Christi. Ex quod ulterius fieret rem primario in Eucharistia significatam non esse substantiam Christi, sed panis. Fieret præterea, quod non tam manducaremus corpus Christi, quam panem communem, et usitatum. Hæc vero sunt absurda, et directe pugnant cum hujus sacramenti institutione. Secundam, quod Deus solet supernaturalia operari modo magis connaturali, id est, non pluribus miraculis faciendo, quod potest paucioribus. Eo autem principio satis perspicuo præsupposito, progredimur ulterius : nam certum est corpus Christi incipere esse sub speciebus sacramentalibus, sub quibus prius non erat, ut ostendimus cap. præc. et concedunt Lutherani, contra quos agimus ; ergo incipit ibi esse vel per creationem, aut generationem, vel per motum localem, vel denique per mutationem, aut conversionem substantiæ panis in ipsum. Magis autem connaturale, et minus miraculosum est, quod incipiat esse per hujusmodi conversionem. Nam quod actu existit, ut existit Christi corpus, non denuo creatur, aut generatur : non enim fit absolute de novo, quod actu est. Porro advenire ad

Eucharistiam per motum apparet impossibile, ut ostendit D. Tho. infra quæst. 75, art. 2. « Tum quia sequeretur, quod corpus « Christi desineret esse in cœlo : non enim, « quod localiter movetur, pervenit de novo « ad aliquem locum, nisi deserat priorem. « Tum quia omne corpus localiter motum « pertransit omnia media : quod hic dici « non potest. Tum quia impossibile est, « quod unus motus ejusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diversa « loca : cum tamen in pluribus locis cor« pus Christi sub hoc sacramento simul « esse incipiat. » Relinquitur ergo a sufficienti partium dinumeratione, quod Christus incipiat esse in sacramento per conversionem substantiæ panis in ipsum.

D. Tho.

Consequentia doctrinæ contra alios errores. 25. Quamvis autem hactenus dicta videantur præcise evertere hæresim Lutheranorum negantium transubstantiationem, et docentium consubstantiationem, sive conjunctionem duarum substantiarum panis scilicet, et corporis Christi sub eisdem accidentibus Eucharisticis : nihilominus virtute etiam evertunt aliam hæresim asserentium substantiam panis assumi a Christo hypostatice, atque in unitatem suppositi ; sive hic error fuerit Ruperti, sive Walerammi (quem esse auctorem librorum de officiis, et in Joannem, qui Ruperto attribuuntur, sentiunt N. Waldensis tom. 2, *de sacramentis*, cap. 47, et Vazquez disp. 180, cap. 5,) sive alterius : et quocumque modo illa positio explicetur. Etenim si substantia panis, et vini assumitur hypostatice a Christo in sacramento, plane conservatur, atque existit, sicut et humanitas a Christo assumpta ; atqui de fide est substantiam panis, et vini peracta consecratione non remanere, sed desinere esse, ut liquet ex fundamentis supra propositis : ergo Christus non assumit, et sibi unit substantiam panis, et vini in sacramento. Et hoc motivo jam olim usus fuit D. Anselmus in lib. *de corpore, et sanguine Christi*, quem scripsit ad Walerammum, (et qui modo inter ejus opera non circumfertur, sed illum, ut testatur N. Waldensis loco citato invenerunt Oxonienses Doctores tempore, quo ipse Oxoniis commorabatur). Nam arguebat Anselmus : « Primum, « quid hic sacrificii corpus appelletis, peni« tus non adverto : cum ad benedictiones « mysticas, operante invisibiliter verbo « Dei, corpus in corpus, substantia mutata « sit in substantiam. Sicut enim in mensa « nuptiali, aqua in vinum mutata, solum « affluit vinum, in quod aqua mutata erat; « sic in mensa altaris solum adest corpus « Domini, in quod vere mutata vera panis « substantia. Nisi quod de aqua nihil re« mansit in mutatione illa : de pane vere « mutato ad peragendum sacri institutum « mysterii sola remanet species visibilis. « Unde B. Ambrosius : Ne, inquit, horror « cruoris fieret, ideo in similitudine acci« pimus sacramentum. Nam panis subs« tantia post Dominici corporis consecra« tionem in altari superesse semper abhor« ruit pietas christiana, nuperque dam« navit in Berengario Turonensi, ejusque « sequacibus. Nam si hoc admittitur ; jam « Verbum non incarnatum tantum, sed « etiam dici posset impanatum. Sicut ille « dicebat, panis sic in Domini corpus trans« iret, non tanen panis desineret. »

N. Wal. Vazq.

D. Ans.

Accedit prædictam sententiam esse ex aliis capitibus absurdissimam, et principiis tam fidei, quam Philosophiæ minime cohærentem, ut declaratur sequenti discursu. Discursus contra impanatores. Etenim vel illa unio fit immediate inter substantiam panis, et personalitatem Verbi ; vel fit immediate inter prædictam panis substantiam, et corpus Christi. Primum dici non potest : quia inde fieret Verbum ita esse impanatum, sicut fuit incarnatum, quin, et quotidie, frequentissimeque impanari. Et quid magis absurdum, et ridiculum dici valet, quam Verbum toties assumere naturam panis, quoties fit consecratio ; et toties dimittere naturam panis, quoties Eucharistia sumitur ? Cum Patres e converso non aliam unionem hypostaticam agnoscant, quam in mysterio Incarnationis ; et solemne apud illos axioma sit, *Verbum quod semel assumpsit, nunquam dimisisse.* Addimus hanc immediatam naturæ panis ad personalitatem Verbi assumptionem non ad alium finem excogitari potuisse, quam ad verificandum consecrationis verba, *Hoc est corpus meum :* hunc vero finem minime assequi. Sola quippe conjunctio duarum naturarum in eodem supposito minime præstat unam esse alteram vel unam posse de altera prædicari : sicut anima, et caro sunt in eodem supposito, et tamem anima nón prædicatur de carne, nec e converso : et idem contingeret si Verbum præter naturam humanam assumpsisset naturam Angelicam : licet

licet enim interveniret ibidem communicatio idiomatum, non tamen identitas, qualem illa prædicatio, *Hoc est corpus meum* requirit. Secundum etiam dici non potest : quoniam unio hypostatica non fit in natura, sed in persona, ut ostendimus tractatu 21, disput. 3, dubio 1. sed corpus Christi, sive humanitas non habet propriam substantiam, sed unice terminatur per Verbi personalitatem, ut fides docet, et eo loco ostendimus contra Nestorium : ergo repugnat, quod natura panis assumpta hypostatice immediate fuerit ad humanitatem, sive corpus Christi, et non ad Verbi personam. Eo vel maxime quod assumere naturam alienam arguit infinitatem soli Deo convenientem, ut ostendimus eo tract. disp. 8, dub. 7 ; ergo minime dici debet, quod natura creata humanitatis, aut corporis Christi habeat vim assumendi, et sibi hypostatice uniendi naturam panis.

Confirmatur.

Confirmatur evertendo utramque partem : nam cum dicitur naturam panis uniri Christo hypostatice, vel talis natura assumitur in proprio supposito, quod ibi conservetur, vel eo destructo ? Primum est impossibile : nam implicat unum suppositum assumi hypostatice ab alio, cum suppositum sit substantia omnino completa, et incommunicabilis: et similiter repugnat naturam creatam retinentem propriam subsistentiam assumi, quin assumatur ipsa subsistentia, et suppositum, siquidem subsistentia creata est modus intrinsecus naturæ, ut ostendimus eo tract. disp. 9, dub. 2. Si autem eligitur secundum; fateri oportet Adversarios, quod per consecrationem destruitur subsistentia propria, et suppositum panis : et si res ita se habet, sicut concedunt, quod destruitur per consecrationen tale suppositum, sic concedere possunt, quod destruatur panis substantia, sive natura : nec enim unum magis repugnat, quam aliud: nec majus fundamentum occurrit ad assertionem, conservationemve unius, quam alterius. Unde satis elucet non solum absurditas, sed inconsequentia hujus positionis, in quolibet sensu exponatur.

Corollarium.

Ex præmissa autem assertione catholica, et fundamentis, quibus illam communivimus haud obscure colligitur, quod in Eucharistia peracta consecratione nihil substantiale substantiæ panis, et vini relinquitur, aut perseveret, non suppositum, non materia, nec forma, nec subsistentia, nec existentia, nec ullus substantialis modus. Sed quia ista concernunt aliquas difficultates scholasticas : propterea hunc appendicem ut magis elucidandum remittimus ad disput. 8, dubio 1 ; nam pro his prologomenis dicta sufficiunt.

§ II.

Motivis hæreticorum satisfit.

Primum hæreticorum argumentum a Scriptura.

26. Cuncta fere argumenta, quæ cap. præcedenti § 2, proposuimus, possunt contra catholicam nostram assertionem inflecti : nam cum contendant Christum vere, et substantialiter in Eucharistia non esse, pariter concluderent, si quid valerent, conservari ibidem propriam panis, et vini substantiam. Sed jam ostendimus, quod primum illud minime suadeant. Supersunt tamen alia, licet non admodum multa, quibus occurrere oportet, illaque in duas classes dividemus. Primum ergo funtamentum desumunt hæretici ab Scriptura: nam Eucharistiam appellat panem 1, *ad Corinth.* 10 : *Panis, quem frangimus.* Et cap. 11. *De pane illo edat.* Joan. 6 : *Qui manducat hunc panem.* Ipse etiam calix post consecrationem appellatur vinum, Lucæ 22 : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Evangelistæ etiam referunt Christum eandem rem accepisse, benedixisse, fregisse, ac Apostolis dedisse: accepit autem panem : ergo panem dedit in Eucharistia : atque ideo conservatur in illa panis substantia.

1 ad Corinth. 10.

Luc. 22.

Confirmatio.

Confirmatur : nam Christus de eo, quod in manibus tenebat, dixit : *Hoc est corpus meum:* tenebat autem panem, quem acceperat : ergo de pane dixit esse, aut continere corpus suum. Eo vel maxime, quod pronomen *Hoc* demonstrabat aliquam rem tunc, quando proferebatur, existentem : quæ profecto alia non fuit, quam panis a Christo acceptus. Oportet igitur fateri, vel Christum in Eucharistia vere non esse, vel simul cum Christo existere substantiam panis : atque ideo non dari hujus conversionem, sive transubstantiationem in corpus Domini.

Solvitur argumentum.

Sed ad hæc satis constat ex supra dictis, præsertim num. 11, in resp. ad 5. Juxta quæ ad priora testimonia respondemus Eucharistiam, licet panis substantiam non contineat, appellari panem ob plures

causas. Primo propter externam speciem : qua ratione Angeli solent vocari homines, cum apparent sub hominis figura. Secundo juxta morem Scripturæ, quæ rem per conversionem factam vocare solet nomine rei conversæ : quo modo serpens ex virga factus appellatur virga. Tertio propter veras proprietates panis, juxta illud Joan. 6: *Pater meus dat vobis panem de Cœlo verum:* non quia panis materialis vere sit ; sed quia animam vere nutrit, eique spiritualia præstat, quæ panis communis solet præstare corpori. Et hinc etiam patet ad id quod dicitur de vino, seu genimine vitis : potest enim Eucharistia quoad speciem vini appellari vinum ob illasmet rationes, ob quas quantum ad panis speciem appellatur panis. Quamvis non desint, qui censeant duos calices fuisse ab Evangelista Luca commemoratos, communem, et consecratum ; ejusque verba de communi interpretentur, ut constat ex dictis tract. 22, disput. 3, dubio 6, numero 92. Quod autem Evangelistæ dicant Christum accepisse, benedixisse, fregisse, ac dedisse, nihil facit contra istam veritatem: nam Christus acceptum panem consecravit, et consecratum, sive in suum corpus transmutatum distribuit discipulis : unde inter acceptionem, et dationem intervenit substantialis panis mutatio : et consequenter fit Christum non dedisse illudmet secundum substantiam, quod a principio in manus acceperat. Et est simile, si dicatur, quod mulier accepit farinam, subegit massam, coxit, et dedit filiis : non enim sequitur, quod quia farinam accepit, farinam dederit, sed panem : quia inter acceptionem, et distributionem adfuit aliqua mutatio.

(Joan. 6)

(Solvitur confirmatio.) Ex quibus ad confirmationem respondemus veritatem illius propositionis *Hoc est corpus meum* determinari, et consummari in ultimo instanti terminante prolationem talis propositionis : illud autem, quod eo momento fuit in manibus Christi, non erat substantia panis, sed ejus corpus : unde vere dixit : *Hoc est corpus meum:* nec id verum fuisset, si tunc substantia panis adesset, ut diximus n. 21. Quare ad difficultatis augmentum dicendum est pronomen *Hoc* significare rem, non quæ existat quando ipsum profertur ab initio prolationis ; sed quæ existit im momento, in quo propositio debet verificari. Est enim veritas hujusmodi propositionis practica, et commensuranda objecto, quod habet esse non in principio, sed in fine, sive ultimo prolationis momento. Quo etiam pacto Christus in nuptiis tenens amphoram aquæ manibus potuit dicere : *Hoc est vinum :* non quia vinum esset, cum proferebatur pronomen *Hoc*, sed quia vinum fuit, et non aqua in ultimo instanti illius prolationis ; et ly *Hoc* referebatur, et determinabatur ad illud instans : quippe conversio aquæ in vinum fieret per ipsam prolationem ut ultimo terminatam.

(Secundum argumentum ex Patrum testimoniis.) 27. Secundum fundamentum desumunt hæretici ex multis testimoniis Patrum, qui cum asserant Christum esse vere, et realiter in Eucharistia, haud obscure tamen significant esse simul ibidem substantiam panis, et vini, et cum corpore Christi mirabiliter conjungi. (Gelas. Papa.) Sic Gelasius Papa in lib. *de duabus in Christo naturis contra Eutychem, et Nestorium* inquit : « Sacramenta, quæ sumimus, corporis et « sanguinis Christi divina res est ; propter « quod et per eadem divinæ efficimur con- « sortes naturæ : et tamen esse non desunt « substantia panis, et vini. » Quo nihil expressius potuit pro hæreticis dici. (D. Just.) S. Justinus in apolog. 2, *ad Antonium* ait : « Edocti sumus Eucharistiam factum « cibum, ex quo sanguis, et carnes nos- « træ per mutationem aluntur. » Id vero, quo carnes nutriuntur, est ipsa substantia cibi, utique panis, et vini. (D. Iren.) D. Irenæus lib. 4, cap. 34, inquit : « Eucharistia ex dua- « bus rebus constat, terrena, Cælesti. » Quibus aperte denotat componi ex pane, et corpore Christi. (D. Cyr.) D. Cyrillus Hierosolymitanus catech. mystag. « Quemadmo- « dum panis Eucharistiæ post Spiritus San- « cti invocationem non amplius est panis « communis, sed est corpus Christi : sic et « sanctum hoc unguentum non amplius est « unguentum nudum, neque commune, post- « quam jam consecratum est : sed est chris- « ma Christi, quod adventu Spiritus sancti « per ipsius divinitatem energiam habet. » Ergo ex sentia Cyrilli sicut oleum tametsi benedictum non amittit naturam olei ; sic panis Eucharistiæ licet consecratus non amittit naturam, sive substantiam panis. (Isychius.) Isychius lib. 2, *in Levit.* ait : « Illud mys- « terium simul panis, et caro est. Reti- « net itaque utriusque substantias, et natu- « ras. » (D. Amb.) D. Ambrosius lib. 4, *de sacramentis* cap. 4, inquit: « Si tanta vis est in sermone

« Domini

« Domini Jesu, ut inciperent esse, quæ « non erant : quanto magis operatorius est « ut sint, quæ erant, et in aliud commu- « tentur ? » Ubi vel nihil dicit, vel significat manere panem, ut verum sit manere, et esse, quæ erant. Theodoretus *Diagolo* 1, qui inscribitur *Immutabilis*, inquit; « Chris- « tus symbola, et signa, quæ videntur, « appellatione corporis honoravit, non na- « turam quidem mutans, sed naturæ gra- « tiam adjiciens. « Et Dial 2, qui inscribitur, *Inconfusus*, ait : « Neque enim signa « mystica post sanctificationem recedunt a « sua natura: manent enim in priori subs- « tantia, et figura, et forma etc. » In quibus apertissime significat naturas panis, et vini non immutari, sed permanere simul cum adjuncta gratia præsentiæ corporis, et sanguinis Christi. D. Damascenus lib.4, *de fide*, cap.14, ait : « Quia consuetu- « do est hominibus comedere panem, et « vinum bibere, conjugavit eis Deus divini- « tatem. et fecit ea corpus, et sanguinem « suum : et ita panis communicationis non « panis simplex est, sed unitus divinitati.» Nequit autem unio, aut conjugatio esse, nisi rerum actu existentium : quare necessario supponit Damascenus natura panis, et vini existere. Denique pius, et doctus Rupertus Abbas Tuitiensis id apertissime docet, ut expendimus num. 30.

Theod. — D. Dam. — Rupert.

Confirmatio.

Confirmatur : nam ipsa Ecclesia Romana id ipsum docuisse videtur. Tum quia compulit Berengarium ad abjurandum suam hæresim his verbis, quæ referuntur in cap. *Ego Berengarius de consecrat.* dist. 2 : « Anathematizo omnem hæresim, præ- « cipue eam de qua hactenus infamatus « sum, quæ astruere conatur panem et vi- « num, qui in altari ponuntur, post conse- « crationem solummodo sacramentum, et « non verum corpus, et sanguinem Jesu « Christi esse. » Ubi apparet Ecclesiam illum in eo reprobasse, non quod assereret panem, et vinum permanere, sed quod diceret esse solummodo signum, aut sacramentum, negata præsentia reali corporis, et sanguinis Christi : ergo virtualiter approbavit duo illa conjungi, nempe substantiam panis, et vini cum reali corporis Christi præsentia. Tum etiam quia Ecclesia in oratione secreta Missæ secundæ Nativitatis Domini petit, « Ut terrena subs- « tantia conferat, quod divinum est :» supponit itaque in Eucharistia manere aliquam substantiam terrenam, panem scilicet, et vinum, ex quibus constat.

Solvitur argumentum, et explicantur Patres.

28. Respondetur Patres tam in particularibus scriptis, quam in conciliis docuisse nostram catholicam assertionem, ut supra ostendimus. Nec oppositum evincitur ab his, qui nunc allegantur. Nam quod ad Gelasium attinet, constans, et evidentissimum est libellum illum non esse Gelasii Pontificis. Primo quidem, quia opus de duabus Christi naturis a Gelasio Papa scriptum *grande volumen* appellant Gennadius, et Honorius Augustodunensis : et fuisse divisum in quinque libros testatur Anastasius Bibliothecanus in vita Gelasii: opus autem unde locus nobis objectus eruitur, perexiguus libellus est : nec ullum verisimile occurrit argumentum, quod Gelasius duo illa opera ediderit. Secundo, quia Auctor libelli inter veteres Patres recenset Eusebium Cæsareensem Arianorum signiferum : quod fecisse Gelasium est incredibile, qui opera Eusebii declaravit apocrypha, ut constat ex cap. *Sancta Romana* dist. 15. Tertio, quia ille Auctor promittit se veterum Patrum referre testimonia pro duabus Christi naturis : et tamen solos Græcos producit, omissis Hieronymo, Augustino, Leone Magno, et similibus ; ita vero minine se gereret Romanus Pontifex, si Auctor illius libri fuisset. Quarto, quia nec Berengarius, nec ejus discipuli prædictum Gelasii testimonium in suæ causæ patrocinium unquam protulerunt : quod non omitterent si Pontificis foret, aut ullam haberet auctoritatem. Quinto quia libellus ille publici juris factus est opera Basilensium Lutheranorum anno 1528, unde præsumi debet fuisse ab illis corruptum falsis titulis, et additamentis, ut communiter contigit in operibus Patrum, quæ edunt hæretici. Fuit itaque illius libri Auctor non Gelasius Papa, sed Græculus quidam Scriptor, quem Cano lib. 6, de locis, cap. ult. ad 9, appellat Gelasium Cæsareensem. Qui cum compilatoris, aut collectoris subiisset officium, ut constat ab ipso operis exordio ; quædam assuit tum ex Gelasio papa, tum ex aliis, plurima vero ex suo cerebro adjecit. Unde productum ex eo testimonium nullius momenti est, aut præsumi etiam debet ab hæreticis confictum. Videantur Cano ubi proxime, Baronius ad annum 496 et Bellarminus *de Scriptoribus ecclesiast. in Gelasio*, et alii

Judicium de libro Gelasii. — Cano.

communiter Recentiores, qui libellum illum tanquam omnino spurium contemnunt.

Ad locum ex D. Justino respondemus obscuritatem aliquam habere ob transpositionem verborum, sed ejus sententiam esse satis planam, et catholicam : significat enim cibum, ex quo sanguis, et carnes nostræ aluntur, factum Eucharistiam, sive eucharistizatum, et consecratum esse corpus, et sanguinem Christi. Quod magis liquet referendo integrum locum, qui est ejusmodi : « Per preces Verbi Dei ab ipso « Eucharistiam factum cibum, ex quo san- « guis, et carnes nostræ aluntur, illius In- « carnati Jesu carnem, et sanguinem esse « edocti sumus. » D. Irenæus ea ratione dicit Eucharistiam constare duabus rebus, terrena, et cœlesti, quia constat speciebus sacramentalibus, et corpore Christi ; non autem quia conservet substantiam panis, quam alias satis exprimit in corpus Domini transmutari. Supposito, et admisso testimonio Div. Cyrilli Hierosolymitani, negamus consequentiam : tum quia comparatio, qua utitur, non procedit, nec tenet in omnibus : tum quia de Chrismate non dicit, quod post consecrationem sit Spiritus Sanctus, sicut de pane post consecrationem affirmat, quod est corpus Christi. Aliunde autem ejus mens evidenter elucet in catech. 4, mystag. ubi diserte docet: « panem « hunc, qui videtur a nobis, non esse pa- « nem, etiamsi gustus panem esse sentiat, « sed esse corpus Christi : et vinum, quod « a nobis conspicitur, tametsi sensu gustus « vinum esse videatur, non esse vinum, « sed sanguinem esse Christi, Dominico « scilicet verbo ea, quæ apparent, in aliud « aliquid majus, et intelligibile transfe- « rente. » Hæc sunt clarissima, ac perspicue demonstrant mentem Cyrilli in alia comparatione non esse omnimodam similitudinem inter Eucharistiam, et chrisma, sed tantum, quod sicut Eucharistia non est panis communis, ita chrisma non est unguentum commune : cum quo recte cohæret Eucharistiam non retinere substantiam panis, chrisma vero retinere substantiam eorum, ex quibus fit. Sententia Isychii in illis verbis: « *Illud mysterium simul panis, et caro est*, clarissime constat ex immediate sequentibus, *sicut corpus Christi panis vivus, qui de cœlo descendit.* Unde non aliud denotat, quam hoc mysterium esse simul carnem, et panem de cœlo descendentem : minime vero, quo adsit quod substantiam communis panis. Ad locum D. Ambrosii respondemus sensum esse, quod ea, quæ erant, manent secundum accidentia, licet in aliud transeant secundum rationem proprie substantiæ. Verisimile etiam est vulgarem D. Ambrosii codicem esse vitiatum in ea sententia : nam Lanfrancus testatur se in quibusdam legisse : « Quanto magis « operatorius est, ut quæ erant, in aliud « commutentur. » Et sic plane legit Ecclesia ex D. Ambrosio in secundis lectionibus diei septimæ Octavæ corporis Christi. Consonatque ista lectio cum sententia indubitata D. Ambrosii in lib. *de initiandis*, cap. 9, ubi ait : « Sermo Christi, qui potuit ex « nihilo facere, quod non erat, non potest « ea, quæ sunt in id mutare, quod non « erant ? »

Similitudo inter Chrisma et Eucharistiam.

29. Difficiliora specietenus apparent testimonia Theodoreti ; sed sensus haud obscurus est : non enim loquitur de substantia panis, et vini, sed de Symbolis, et signis, hoc est, de accidentibus remanentibus, quæ, ut ipse asserit, *videntur*. Verissime autem affirmat signa, sive accidentia non mutari, sed eadem permanere. Et hic ejus sensus manifeste liquet ex his, quæ prius dixerat : « Volebat Dominus eos, qui sunt « mysteriorum participes, non attendere naturam eorum, quæ videntur, » (et sunt accidentia panis, et vini). « Sed propter no- « minis mutationem » (vocantur enim post consecrationem corpus, et sanguis Christi) « mutationem, quæ fit ex gratia, credere, » videlicet conversionem, et transsubstantiationem substantiæ panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi : quæ non est opus naturæ, sed gratiæ ; et non videtur, sed creditur. Et hæc est sincera prioris testimonii sententia. Eadem etiam est secundi : loquitur enim de signis, sive symbolis, sive accidentibus : de quibus affirmat manere in priori substantia et forma etc. quia retinent propriam speciem, sive essentiam, quæ vulgo dicitur substantia rerum, licet vere accidens sit. Fiet autem hujus Auctoris perlucidior sententia, si integra legatur. « Neque enim, *inquit*, « signa mystica post sanctificationem rece- « dunt a sua natura : manent enim in « priori substantia, et figura, et forma, et « videri, et tangi possunt, sicut prius. In- « telliguntur autem ea esse, quæ facta sunt, «et

Quid senserit Theodoretus.

« et creduntur, et adorantur, ut quæ illa sint « quæ creduntur. » Ubi constat Theodoretum dividere Eucharistiæ mysterium in duas quasi partes, quas complectitur. Dicit enim in Eucharistia esse aliqua, quæ videntur, et tanguntur, sicut prius ; et hæc sunt accidentia panis, et vini : substantia enim in se tangi, et videri non valet. Et esse etiam alia, quæ intelliguntur, creduntur, et adorantur : et hæc non possunt esse substantia panis, et vini, utpote quæ non creditur, nec adoratur ; sed est corpus, et sanguis Christi : quæ non tanguntur, nec « videntur, et tamen creduntur, et adoran- « tur. » Unde tantum abest, quod Theodoretus Lutheranis faveat, ut potius valde catholicam assertionem confirmet. Præsertim cum illa verba : « Manent in priori substantia, et figura, et forma, » congruentissime ex textu Græco ita vertantur, « Manent in prioris substantiæ et figura, « et forma : » quoniam et si panis, et vinum non maneant in se, manent nihilominus in prioris substantiæ accidentibus.

D. Tho. Testimonium Damasceni optime explicat D. Thom. quæst. 75, art. 2, ad 1, his verbis : « Dicendum, quod Deus conjugavit « divinitatem suam, id est divinam virtu- « tem pani, et vino ; non ut remaneant in « hoc sacramento, sed ut faciat inde cor- « pus, et sanguinem suum. » Et rursus Damascenus Eucharistiam vocat panem juxta morem Scripturæ ob motiva assignata nu. 26. Unde merito dixit non esse *panem simplicem*, sive communem, sed divinitati unitum ; quia sub accidentibus, quæ apparent panis, est Christus Deus, et homo, eisdem vere, et realiter præsens.

Dubium erga Ru. pertum. 30. De Ruperto Abbate dubitamus, quid senserit : nam ipsum tenuisse, quod panis, et vinum manent in sacramento Eucharistiæ, assumpta a Verbo, et propterea dicantur corpus Christi, ea videntur liquido evincere, quæ expendimus num. 20. In aliis vero locis non obscure significat substantiam panis, et vini converti in corpus et sanguinem Christi: nam. lib. 6, *in Joan.* tractans illa verba, *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum* affirmat : « panem in « veram substantiam corporis Christi di- « vina virtute converti. » Et explicans illa verba, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, asserit : « panem ut vitam det æternam, « in carnem suam transmutari. » Denique statuit : « Crede, quia panis iste sensibilis, « et vinum, quamvis nihil de exteriori « specie mutatum sit, in alium transierint, « et in illum cibum, potumque conversa « sint, qui Angelorum victus est. » Et rursin lib. *de divinis officiis* cap. 2, ait : Panis, et vinum in verum corpus, et sanguinem Domini transferuntur. » Id vero, quod in aliud convertitur, non manet in se, nec ab alio supposito assumptum. Ergo ex sententia Ruperti *in his ultimis testimoniis* substantia panis, et vini nec assumitur a Verbo, nec manet in Eucharistia, utpote quæ in verum corpus et sanguinem convertit. Et propterea nihil certi statuere possumus circa mentem hujus Auctoris. Sed ut ut fuerit de ejus sententia ; non laboriose curandum est de illius auctoritate : quamvis enim vir pius, et doctus fuerit, comparandus non est, minus autem opponendus torrenti Patrum, nostram, et catholicam doctrinam asserentium. Nec mirum est virum illum in aliquo lapsum fuisse, cum plurima scripserit. Fuisse vero aliquatenus lapsum haud obscure demonstrat ejus in assertis inconsequentia : asserit enim ex una parte panem, et vinum assumi hypostatice a Verbo in Eucharistia ; et ex alia parte affirmat panem, et vinum transferri, transmutari, et denique converti in corpus, et sanguinem Christi. Quæ duo sunt inconjungibilia : nam quod assumitur ad hypostasim Verbi, manet in illo, ut liquet in humanitate assumpta : quod autem convertitur in aliud, minime manet, ut patet in aqua conversa in vinum. Idem judicium firmamus de Bertramo, Corbejensi Quid de Bertramo. Monacho, et Orbacensi Abbate, qui librum de corpore, et sanguine Domini scripsit circa annum 850, nam incertum est, quid senserit : adeo obscure, et lubrice loquitur. Unde Cardinalis Bellarminus lib. 1, *de Eucharistia*, cap. 1, illum hæreticis accenset : Cardinalis vero Perronius ipsum catholicis vindicat. Sed tantus Auctor non est, ut has vitiligationes mereatur. Et quidquid docuerit, præjudicium afferre nequit communi doctrinæ. Personas tamen Ruperti, et Bertrami non attingimus, qui forte ex ignorantia, aut inculpabiliter ut homines errarunt in re eo tempore non adeo perspicua. Idem a fortiori censemus de Joanne Scoto, sive Erigena, Monacho Quid de Scoto Erigena etiam, qui vivebat anno 880. Nam etsi nonnulli illum vindicare satagant ; nobis tamen suspectæ auctoritatis est, et plane

nullius. Tum quia hujus Joannis doctrina potissimum utebatur Berangarius. Tum quia in concilio Vercellensi liber Joannis Erigena proscriptus est. Tum quia Berengarius in epist. *ad Asselium*, vehementer hunc objurgat, quod Joannem Scotum hæreticum haberet inconsiderate, atque indigne ageret contra ejus professionem, et sacerdotium. Cui Asselius respondit : « Joannem vero Scotum nec inconsiderate, « nec impie, nec indigne sacerdotio meo « hæreticum habeo, quem toto nisu, tota« que intentione ad hoc solum tendere « video, ut mihi persuadeat, hoc videlicet, « quod in altari consecratur, neque vere « corpus, neque sanguinem Christi esse. « Hoc autem astruere nititur ex sanctorum « Patrum opusculis, quæ prave exponit. » Tum denique quia Nicolaus Papa in epist. *ad Carolum Calvum* de prædicto Erigena agens, inquit: «Licet Joannes multæ scien« tiæ prædicetur; tamen non sane sapere in « quibusdam frequenti rumore dicitur. » De his itaque, et similibus Auctoribus nihil curamus ; sed illos vel rejicimus, vel ponibus sub incerto.

Occurritur confirmationi. Ad confirmationem negamus assumptum. Et ad primam ejus probationem neganda est consequentia ; nam in illa Berengarii confessione tantum significatur, quod panis vi consecrationis substantialiter mutatus sit corpus Christi, minime vero, quod panis manens panis sit Christi corpus : nec id referebat ad confitendum veram Christi in Sacramento præsentiam, quam tunc Berengarius profiteri compellebatur. Ubi autem inconstans ille ausus rursum fuit asserere, quod Eucharistia simul cum corpore Christi conservabat panis substantiam, obligatus fuit ad hujus hæresis abjurationem, et confessus est veram, et substantialem conversionem substantiæ panis in corpus Christi, ut liquet ex illius abjurationis forma, quam supra dedimus num. 22. Unde magis convincitur hanc semper fuisse Ecclesiæ sententiam. Ad secundam probationem respondetur Ecclesiam in illa oratione loqui de pane, et vino, quæ adhuc sunt substantia terrena ; petere autem, quod pro eo tempore, quo erunt transmutata, conferant aliquid divinum : quia et tunc etiam retinent aliquid terrenum, videlicet accidentia, sive species externas, sub quibus Christus Deus, et homo substantialiter continetur.

31. Tertium, et ultimum fundamentum formant hæretici ab aliquibus rationibus. Et primo opponit Lutherus : quia designato ferro candenti, vere dicimus, *Hoc est ferrum*, et *hoc est ignis :* eo quod utraque substantia ibi est : ergo quamvis substantia Christi esset simul cum substantia panis, verum foret dicere, *Hoc est corpus Christi :* ergo ex eo, quod Christus dixerit, *Hoc est corpus meum;* minime sequitur esse ibi dumtaxat substantiam corporis Christi, et non esse ibi substantiam panis. Secundo opponitur : quoniam ex effectu cognoscitur causa ; et quorum una est operatio, eorum etiam est una substantia : sed in Eucharistia dantur effectus, et operationes panis materialis : quippe sapit, nutrit, confortat, atque operatur omnia, quæ panis materialis operari solet : ergo in Eucharistia invenitur substantia panis materialis. Tertio: quia inter sacramenta debet dari conformitas : sed in aliis sacramentis conservatur substantia materiæ, ut in baptismo substantia chrismatis, et sic de aliis : ergo cum materia sacramenti Eucharistiæ sit panis, sequitur, quod in illo conservetur panis substantia. Quarto : quia panis, et vinum assumuntur in hoc sacramento ad significandum ecclesiasticam unitatem, quatenus panis fit ex multis granis, et vinum ex multis racemis, ut non semel docet Divus Augustinus : sed hoc pertinet ad ipsam substantiam panis, et vini: ergo substantia panis, et vini conservantur in hoc Sacramento. Quinto : nam accidentia dependent a proprio subjecto, et sine illo conservari non valent : sed in Eucharistia perseverant accidentia panis,et vini,ut sensibiliter constat : ergo etiam conservatur panis, et vini substantia. Nec dici valet, quod Deus suppleat illius substantiæ defectum in conservatione accidentium : quoniam Deus supplere nequit concursum causæ materialis: eo quod hujusmodi concursus importat essentialiter imperfectionem subjecti recipientis, et partis componentis ; quæ imperfectio Deo repugnat. Sexto : quia generatio substantialis necessario fit ex præjacente materia, sive substantia : sed in Eucharistia post consecrationem sæpe contingit generatio substantialis, ut cum putrescentibus speciebus vermes generantur: ergo talis generatio fit ex aliqua substantia ibi post consecrationem permanenti : atqui non fit ex corpore Christi ; cum istud

Tertium argumentum ex rationibus.

Prima.

Secund.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

istud modo sit incorruptibile : ergo fit ex substantia panis, quæ proinde ibi perseverat. Et idem argumentum fieri potest de nutritione : quoniam homo sumendo Eucharistiam potest nutriri, et sustentari : sed non nutritur ex corpore Christi, nec ex solis accidentibus : ergo nutritur ex subs-
Septima tantia panis ibi permanente. Septimo, et ultimo, quia nomen transubstantiationis est in Ecclesia novum, et peregrinum, utpote quod non reperitur vel in Scriptura, vel apud antiquos Patres : ergo res hoc nomine significata nova etiam est, et quæ minime debet inter catholica dogmata computari. Ad hæc revocantur cætera, quæ opponuntur a Lutheranis.

Convelluntur. 32. Ad primum concesso, aut omisso antecedenti, negamus consequentiam. Et ratio disparitatis est : quoniam in ferro candenti occurrunt, et apparent accidentia propria ignis, et accidentia propria ferri ; quæ subinde tam ignis, quam ferri substantias demonstrant. Quare visis accidentibus ignis, calore, et splendore, vere dicimus, *Hoc est ignis*, scilicet, contentum sub his accidentibus et ignis. Et similiter visis, et sensibiliter cognitis ferri accidentibus, densitate, gravitate, figura, vere dicimus, *Hoc est ferrum*, nimirum, contentum sub his accidentibus est ferrum. Cæterum in Eucharistia nulla apparent accidentia propria corporis Christi, sed dumtaxat accidentia propria panis. Quare cum ista solum panem referant, et repræsentent ; si substantia panis ibi contineretur ; et quis Eucharistia demonstrata diceret *Hoc est istud; aut illud*, determinate significaret, « contentum sub istis accidentibus, quod « est panis, est istud, aut illud. » Et consequenter si data ea hypothesi Christus dixit *Hoc est corpus meum;* sensus talis propositionis erit : « Contentum sub his accidenti« bus, quod est panis, est corpus meum. » Id vero aperte pugnat cum veritate verborum Christi. Unde facta suppositione, quod sub illis accidentibus perseveret substantia panis, non potest veritas formæ consecrationis salvari : quod est absurdum. Recolantur supra dicta num. 25.

Ad secundum dicendum est ex effectibus, proprietatibus, et operationibus recte colligi rei substantiam, nisi interveniat miraculum, quo prædicta accidentia separentur a subjecto, et aliter subsistant. Et hoc ultimum contingit in hoc Sacramento ob mirabilem conversionem substantiæ panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi, quam fides docet, ut supra ostendimus. Et ideo ex permanentia accidentium panis, et vini non sequitur, quod permaneat ibi illorum substantia.

Tertium diluit optime Divus Thomas D. Tho.
quæst. 75, artic. secundo ad 2, his verbis : « Dicendum, quod in aliis sacramentis non « est ipse Christus realiter, sicut est in hoc « sacramento. Et ideo in aliis sacramentis « manet substantia materiæ; non autem « in isto. » Idque amplius fulcitur regerendo in Lutheranos objectam difficultatem, et evertendo conformitatem quam intendunt : nam ipsis concedentibus, Christus est realiter in hoc sacramento et non est realiter in aliis sacramentis:ergo non obstante tali conformitate fieri potest, quod substantia materiæ sit realiter in aliis sacramentis, et non sit realiter in sacramento Eucharistiæ.

Ad quartum respondet idem Sanctus D. Tho.
Doctor loco citato ad 3 his verbis : « Dicen« dum, quod species, quæ remanent in hoc « sacramento, ut infra dicetur, sufficiunt « ad significationem hujus sacramenti : « nam per accidentia cognoscitur ratio subs« tantiæ. » Unde accidentia panis facti ex pluribus granis, et accidentia vini expressi ex pluribus racemis apte repræsentant unitatem fidelium ; licet substantia panis, et vini in Eucharistia non sit.

Ad quintum satis constat ex supra dictis D. Tho.
num. 18, in resp. ad 12. Et ad insertam impugnationem respondemus Deum non posse causalitatem materialem, sive dependentiam accidentium a subjecto supplere per modum subjecti, sive recipiendo : posse tamen per modum causæ extrinsecæ, atque efficiendo supplere, quidquid habent accidentia ex materiali subjecti concursu : sicut etiam potest conservare formam substantialem materialem separatam a subjecto. Quod magis explicabimus disp. 8, dub. 3, determinando, an accidentia Eucharistica recipiant de novo modum substantialem.

Ad sextum respondemus generationem substantialem supponere substantiam, sive materiam, ex qua fiat, non quæ necessario præcedat ordine temporis, sed naturæ. In ultimo autem instanti, in quo corrumpuntur species sacramentales, adest de novo materia prima, ex qua vermes, vel alia composita substantialia generantur : sive

talis materia fiat de novo per creationem, sive fiat de novo per conversionem specierum sacramentalium in ipsam ex vi præcedentis miraculi, ut magis significare videtur D. Thomas quæst. 77, artic. 5. Quam difficultatem versabimus disput. 8, dub. 5. Et quod de generatione diximus, dicendum etiam est de nutritione : nam ut optime advertit S. Doctor loco cit.: «Hæc quæstio dif« ficultatem non habet, præcedenti quæs« tione soluta. Ex hoc enim, ut dicitur 2, « de Anima, cibus nutrit, quod convertitur « in substantiam nutriti. »

33. Quod ultimo loco objicitur, levissimum est, et sæpius in similibus a nobis dilutum, præsertim Tract. 21, *in Procœmio*, num. 2, quippe nec insolens, nec novum in Ecclesia est ad confutandum hæreses, et ad vividius significandum mysteria fidei, nova procudere nomina, quæ res ipsas antiquas magis exprimant. Sic nomina *Incarnationis*, et *consubstantialis* jam invaluerunt. Nec Lutherani relegabunt nomen Christianorum, licet eo Christi discipuli a principio usi non fuerint, sed postmodum, ut scilicet veri discipuli a falsis discernerentur. Nec vapulabit per illos nomen *transfigurationis*, quo usus fuit Evangelista ad significandum mutationem Christi ab externo splendore: licet tale vocabulum antiquitus non fuerit nec admodum usitatum. Porro res significata per vocabulum *transubstantiationis* certissima, et antiquissima est non minus, quam ipsa Eucharistia, sive panis in corpus Christi conversio. Patres etiam terminis omnino æquipollentibus ad idem significandum usi fuerunt, ut vidimus num. 23. Ortis vero controversiis propter hæreticos, merito Doctores introducere potuerunt prædictum nomen : quia liquido, et breviter significat conversionem, sive mutationem unius substantiæ in aliam, remanentibus accidentibus. « Quæ

Concil. Trident. « conversio » (declarat sacra Synodus Tridentina sess. 13, cap. 4, quamvis ringant, et rumpantur hæretici), « convenienter, et « proprie a Sancta Catholica Ecclesia tran« substantiatio est appellata » De re autem ipsa eo nomine significata dixerat ibidem : « Persuasum semper in Ecclesia fuit, idque « nunc denuo sancta hæc Synodus declarat « per consecrationem panis, et vini con« versionem fieri totius substantiæ panis « in substantiam corporis Christi. » Unde minime audiendus est Scotus in 4, dist. 10, q. 1, § *Quantum ergo ad istud argumentum*, et dist. 11, q. 3, ubi observat hanc de conversione, sive transubstantiatione doctrinam non esse admodum antiquam. Oppositum enim satis manifeste constat ex Patribus, et Doctoribus supra allegatis ; maxime vero ex verbis Tridentini immediate relatis : « Persuasum semper in Ecclesia fuit etc. » Et a fortiori rejiciendus omnino est Petrus de Alliaco Cameracensis in 4, dist. 6, art. 2, in 4 opinione, ubi ausus fuit dicere nostram assertionem non colligi evidenter ex Scriptura, nec ex diffinitione Ecclesiæ ; sed esse magis communem, et doctrinæ Patrum magis consentaneam. At jam ostendimus eam assertionem esse de fide, et sæpius diffinitam ab Ecclesia. Et his Auctoribus non incongrue reponit Vazquez disp. 180, cap. 5, num. 47. « Verum unus Cameracensis, inter Scho« lasticos Nominales nullius nobilitatis, et « auctoritatis Theologus, contra tot insi« gnes Ecclesiæ Patres quid ponderis, et « momenti habere potest? Et quamvis sub« tilis Scotus idem dixisset, quod Camera« censis, nil nos contra tot Patrum, et Con« cilii Tridentini testimonia movere debe« ret. »

Refellitur Scotus.

Alliacensis.

Vazquez.

34. Consulto autem (idque observamus, ne lector aliquid in præsenti desideret, quod censeat fuisse a nobis per incuriam derelictum) omisimus referre, ac refellere errorem Ubiquistarum, sive plurium Lutheranorum, qui ut ex una parte salvent existentiam realem corporis Christi in Eucharistia : et ex alia parte excludant necessitatem conversionis panis in ipsum, defendantque consubstantiationem, aut substantiæ panis simul cum substantia Christi coexistentiam; ausi sunt humanitati Christi propter unionem ad verbum concedere attributum immensitatis : ita quod non solum naturæ humanæ in concreto significatæ deferant (ut deferimus Theologi,) propter communicationem idiomatum proprietates naturæ divinæ, ut cum designato Christo dicimus : « Hic homo est Deus, est « creator, est omnipotens, est immensus « etc. » sed etiam humanæ naturæ abstracte sumptæ dicant tales proprietates communicatas fuisse, ita quod humanitas Christi ex illa unione habet esse immensam, sive existere ubique. Unde hujus positionis assertores Ubiquistæ dicti sunt. Illum primus docuit Lutherus, ut sententiam

Peculiaris hæresis Ubiquistarum.

Luther.

tiam de reali præsentia corporis Christi simul cum substantia panis adversus Oecolampadium, et Zvinglium tueretur: quam tamen paulo post abjecit. Quare inter ipsos Lutheranos schisma contigit: nam Kemnitius cum suis solum admisit impanationem, exclusa humanitatis Christi immensitate, sive ubiquitate: sed istam tuentur Witembergenses *in sua confessione*. Brentius *in apologia pro illis, et in tract. de Cœna Domini*, et in lib. *de duabus naturis*. Illiricus in lib. *de ascensione Domini*, Wigandus in lib. *de communicatione idiomatum*. Schmidelinus *in Thesibus*, et alii.

Brent. Illiricus. Wigand. Schmid.

Confutatur. Sed hanc hæresim, ut diximus, meditato prætermisimus hoc loco. Tum quia est manifesta stultitia, et ut talis vel ab ipso primo assertore deserta. Tum etiam quia renovat hæresim Eutychetis docentis unionem, aut permixtionem duarum naturarum in Christo: quam ex professo evertimus tract. 21, disp. 3, dub. 1, § 2, statuentes catholicam doctrinam, quod unio hypostatica facta fuerit non in natura, sed in persona, retenta distinctione naturarum, et proprietatum unicuique correspondentium. Tum præterea, quia hunc specialem Ubiquistarum errorem in propriis terminis rejecimus, atque impugnavimus eadem disp. dub.3, a num. 74. Tum insuper quia impossibile est humanitatem Christi esse scientem per scientiam increatam, et esse omnipotentem per omnipotentiam divinam, ut ex professo ostendimus eodem tract. disp. 17, dub. 3, et disp. 23, dub. 1; ergo pariter repugnat esse ubique, sive in omni loco per immensitatem divinam sibi communicatam: id enim paritatis ratio satis liquido evincit. Et omnia motiva, quæ pro antecedenti expendimus locis relatis, et recoli queunt, veritatem consequentis demonstrant. Tum denique nam absurda illa positio jam diu ab Ecclesia proscripta fuit. Unde in septima Synodo act.ult. dicitur: « Si quis Deum secundum humanitatem non circnmscriptibilem confessus fuerit; anathema sit. »

Septima. Synod.

D. Aug. Et D. Augustin. serm. 191, *de tempore*, ait: «Illorum execramur blasphemiam, qui « novo sensu asserere conantur a tempore « acceptæ carnis omnia, quæ erant divi- « nitatis, in hominem demigrasse. » His igitur de causis congruum censuimus in subruendo materiam caducam, et sæpius a nobis convulsam non immorari. Tantum addimus, quod si Christi humanitas habet esse in pane propter immensitatem sibi communicatam; pari ratione erit in petra, in igne, in aqua, et tandem ubique, ut patroni hujus positionis plane concedunt. et rursus si ob illam in pane præsentiam potuit Christus designato pane dicere: *Hoc est corpus meum*; eadem ratione designata petra potuit dicere: *Hoc est corpus meum*: et prosequendo consequentiam, sicut Sacerdotes nomine Christi designato pane dicimus, *Hoc est corpus meum*; pariter eodem nomine, et auctoritate, designato v. g. caseo dicere poterimus, *Hoc est corpus meum*. Et si res ita se habet; quare Eucharistia, sive panis consecratus est verum unum, et speciale Ecclesie sacramentum ob Christi præsetiam, ut concedunt Lutherani; secus autem caseus benedictus, et similia? Et si Christi corpus propter communicatem sibi immensitatem erat antecedenter vere præsens in pane, sicut in aliis rebus; quare Christus præmisit sacras cæremonias accipiens panem, gratias agens, et benedicens ut diceret, *Hoc est corpus meum*; cum antecedenter ad omnem aliam institutionem verum esset juxta Ubiquistas *Corpus Christi esse in pane?* Ista satis demonstrant fatuitatem illorum, quin opus sit plura adjicere.

CAPUT III.

De institutione Eucharistiæ.

Quamvis plura alia circa hoc mysterium occurrant asserta dogmatica, atque ad fidem immediate pertinentia: duo tamen illa, quæ in superioribus statuimus, nempe realis, ac vera præsentia corporis, et sanguinis Christi in Sacramento contra Calvinistas asserta; et absentia, sive desitio substantiæ panis et vini contra Lutheranos probata, sunt cæterarum veritatum huc pertinentium velut communes radices, et fulcra: aliæ namque ex his duobus articulis derivantur, in ipsosque tanquam in fundamenta conjiciendæ sunt. Quocirca non expedit hic alias assertiones fidei circa istud mysterium præsupponere; sed pro sequentibus disputationibus simul cum aliis conclusionibus Theologicis reservare. Quia vero, ut a principio observavimus non pauca circa hujus sacramenti institutionem occurrunt, quæ magis per se pertinent ad

expositores, et interpretes scripturæ, quam ad Theologum Scholasticum; ab his etiam nos breviter expediri in præsentiarum oportet, ut liberius postea nostro instituto, id est, Theologicis disceptationibus operam demus. Possunt autem illa revocari ad auctorem, sive institutorem Eucharistiæ, ad tempus institutionis, ad locum, ad materiam assumptam, ad instrumenta, aliasque circumstantias: de quibus dicemus eodem ordine.

§ I.

De institutore Eucharistiæ.

Christus institutor Eucharistiæ.

35 Et quod ad institutorem attinet, certum de fide est Christum Dominum Eucharistiam per se, atque immediate instituisse. Constabat id satis ex dictis tract. præced. disp. 6, dub. 1, § 1, ubi generaliter statuimus Christum esse immediatum sacramentorum novæ legis institutorem Sed insuper probatur evidenter ex Evangelio: nam Mattheus 26, ait: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens. Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et idipsum referunt Marcus 14, et Lucas 21, et Apostolus Paulus 1, *ad Corinth.* 11, ubi ait: *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit. Accipite, et comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quo iescumque bibetis, in meam commemorationem.* Id ipsum profitetur Ecclesia Catholica absque ulla controversia: unde hanc veritatem non tam diffinivit, quam supponit in Conciliis. Sufficiat modo audire ex Tridentino sess. 13, cap. 2: « Ergo salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, « sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut « effudit, memoriam faciens mirabilium « suorum: et in illius sumptione colere « nos sui memoriam præcepit, suamque « annuntiare mortem, donec veniat etc. » Porro congruum specialiter fuit quod Eucharistia Christum auctorem, et tam manifestum auctorem haberet ad *roborandum*, (inquit S. Laurentius Justinianus in serm. *de Euchar.*) *credulitatem fidelium* erga mysterium adeo occultum, et magnum. Quare « nullum præter se hujus institutorem vo« luit esse sacramenti: non Prophetam, « non Patriarcham, non justum, non An« gelorum quempiam. Ipse plane illud « instituit, qui semetipsum tradidit, cujus « eloquia verissima sunt, cujus sapientia « falli nullatenus potest, cujusve scientia « mutari nequit. » Est autem hæc de Christo institutore veritas adeo certa, ut nullam fere vel hæresim contra illam referre valeamus: nam quod Bogomili *apud Euthymium in Panoplia* dixerint Eucharistiam non aliud esse, quam orationem Dominicam; alius error est, sed qui non negat immediatam Christi institutionem. Et quod Petrobrusiani negaverint Christum dedisse hominibus potestatem conficiendi Eucharistiam, ut refert Petrus Cluniacensis in quadam epist. contra ipsos; alius etiam est error, cum ipsi exprese concesserint Christum mysterium hujusmodi celebrasse. Melius referri possent Archontici apud *D. Epiphanium* hæresi 40, mysterium altaris omnino negantes: et Messaliani apud Theodoretum lib. 4, hist. cap. 10, nullius utilitatis esse dicentes: inde enim, si vera dicerent, convinceretur, quod Eucharistia Christum non habuerit auctorem. Sed prædictæ hæreses nullum vel apparens habent fundamentum, et evidenter repugnant Evangelio.

(Margin notes: Mat. 26. — 1 ad Cor. 11. — Concil. — S. Laurentius Justinianus. — Contraria hæresis.)

II.

De tempore institutionis Eucharistiæ.

Institutio Eucharistiæ in ultima cæna.

36. Prolixior est hæc difficultas, et explicatione difficilis ob varios hinc inde occurrentes dicendi modos. Ut autem aliquid certum statuamus, ex quo possimus progredi ad cætera disceptationibus obnoxia, supponendum est Christum instituisse Eucharistiam in nocte cœnæ ultimæ factæ cum discipulis, pridie quam pateretur. Sic certissime colligitur ex Evangelio ab illis verbis Matth. 26: *Cœnantibus autem eis, etc.* nam refert, quod Christus statim egressus est ad orandum in horto, ibique compre- Mat. 26.

hensus, et die sequenti occisus. Et idem aperte significat Apostolus in verbis proxime relatis: *Quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem etc.* Unde in Canone Missæ dicimus, *Qui pridie, quam pateretur, accepit panem etc.* Et ita supponitur in Concilio Viennensi *Clementina unica de reliquiis, et veneratione Sanctorum.* Et in Tridentino sess. 13, cap. 1, ubi dicitur : « Ita enim majores nostri « omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia « fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacra« mento disseruerunt, apertissime pro« fessi sunt, hoc tam admirabile sacra« mentum in ultima cœna Redemptorem « nostrum instituisse. » Et cap. seq. « Sal« vator noster discessurus ex hoc mundo « ad Patrem, sacramentum hoc instituit. »

Concil. Vienn. Trident.

Congruentias autem tam proxime conjunctionis inter institutionem hujus sacramenti, et passionem Christi optimas assignat Div. Thomas in hac quæst. 73, art. 5. Tum quia cum Christus vellet in propria specie discedere jam ab hominibus; conveniens fuit se ipsum relinquere aliena specie occultatum. Tum quia cum nemo salvetur absque fide passionis Christi ; oportuit apud homines semper esse aliquod memoriale commemorativum prædictæ passionis, et quod Christus immediate ad eam passionem illud institueret. Tum quia ea, quæ ultimo fiunt, et dicuntur ab amicis recedentibus, profundius memoriæ commendantur, et animo imprimuntur : quare ut homines pluris facerent sanctissimum hoc sacramentum, congruum fuit, quod a Christo in ultima cœna, imminente jam passione. et morte, institueretur. Accedit, quod testamenta fieri solent proxime ad mortem testatoris : Christus autem instituendo Eucharistiam corpus suum, et sanguinem hominibus quasi testamento legavit: unde conveniens fuit, ut proxime ad mortem Eucharistiam institueret.

Congruentia tempo-ris.

Hinc liquido sequitur eandem esse quæstionem de tempore passionis Christi, et de institutione Eucharistiæ cum sola differentia unius diei. Quare fatendum est Eucharistiæ institutionem contigisse eodem anno, et mense, quibus Christi passio. Sunt autem duæ probabiliores, et magis celebres opiniones circa hoc, omissis pluribus aliis absurdis et nullius probabilitatis. quas recenset, et bene refellit Suarez tom. 2, in 3 part. disp. 40, sect. 1. Prima asserit Christum mortuum esse expleto trigesimo secundo suæ ætatis anno, et inchoado trigesimo tertio. Quam defendunt D. Epiphanius *hæresi* 78, Nicephorus lib. 1 *Historiæ*, cap. 40, Driedo, Cano, Pererius, et alij plures. Secunda affirmat Christum mortuum fuisse expleto trigesimo tertio anno. et agentem jam annum trigesimum quartum. Quam tuentur V. Beda lib. *de ratione temporum*, cap. 4, Baronius anno 34, Marianus Scotus, Genebrardus, Suarez, et alii plures. Utramque vero sententiam problematice sustinemus : nec enim nostra refert, nec in præsenti expedit diffinire probabiliorem. Quælibet autem supponatur, arduum consequenter non erit designare annum mundi, quo Eucharistiæ institutio, et Christi passio contigerunt, regrediendo scilicet, et attendendo ad annum Incarnationis ejusdem. Et cum hic fuerit annus quinquies millesimus, centesimus, nonagesimus nonus, ut colligitur ex Martyrologio Romano, et ostendit Baronius in notis ad ipsum, et in apparatu *ad Annales Ecclesiasticos*, magisque probavimus tract. 21, *in Comment.* ad art. 6, q. 1 hujus 3 partis: consequenter dicendum est Eucharistiam institutam fuisse anno a creatione mundi 5232, vel 5233, juxta diversas sententias proxime relatas. Quo autem mense, et mensis die, ex dicendis constabit.

Eucharistiæ institutio eodem anno, et mense, quibus Christi passio. Suarez. D. Epip. Niceph. Beda Baron.

37. Hæc faciliora sunt, et non ægre intelliguntur. Sed occurrit ardua, et gravis controversia circa diem, et lunam, in qua Christus ultimam cœnum cum discipulis habuit, in eaque Eucharistiam instituit. Nam Græci communiter affirmant celebrasse cœnam, comedisse agnum paschaet instituisse Eucharistiam non die, aut luna 14 primi mensis, sed die, aut luna 13. Idque colligunt ex eo, quod Joan. 18 dicitur, quod sacerdotes noluerunt introire in Prætorium (ea scilicet die, qua Dominus passus est) *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Certum enim est Pascha celebrari die, sive luna 14 primi mensis. Ergo Christus, qui die præcedenti comederat agnum, et celebraverat Pascha cum discipulis, anticipavit diem statutum a lege. Tunc autem instituit Eucharistiam, ut constat ex Evangelio. Ergo hujus institutio non contigit die 14, sed die 13 primi mensis. Ex Latinis etiam non desunt graves aliqui Autores, qui Græcis consentiant

Grave dubium. Opinio Græcorum.

in assignando diem, sive lunam 13 pro ultima Christi cœna, et institutione Eucharistiæ : licet ex diverso procedant fundamento. Non enim sentiunt Christum prævenisse, vel anticipasse diem a lege præscriptum Exodi 12, sed magis legem observasse. Quia licet lex statueret agnum esse immolandum die, sive luna 14, ad vesperam : nihilominus existimant id intelligendum esse de prima vespera, quæ est finis diei, sive luna 13, et re ipsa pertinet ad diem naturalem decimum tertium primi mensis. Communis autem Latinorum sententia est Christum celebrasse cœnam, comedisse agnum, et instituisse Eucharistiam die, sive luna 14, ad secundam vesperam, quæ pertinet ad ipsum diem naturalem decimum quartum. Tanta est circa hoc punctum sententiarum discordia.

Communis Latinorum sententia.

Duplex annus apud Hebræ.

38. Ut igitur rei de se obscuræ tenebras non addamus, oportet breviter præmittere terminorum explicationem, modum scilicet varium, quo Hebræi annos, menses, et dies recensebant : hinc enim clara difficultatis tam discussio, quam resolutio magna ex parte dependet. Et quod ad annos attinet, duplex annus distinguebatur apud Hebræos, nempe vulgaris, et sacer. *Vulgaris* dicebatur, quo utebantur in humanis commerciis, antequam egrederentur de Ægypto, et etiam postquam egressi sunt. Et hujus anni initium erat in autumno. Et quia menses apud illos erant lunares, sive a luna in lunam ; primus mensis anni vulgaris apud illos correspondebat partim nostro Septembri, partim Octobri. *Sacer* vero annus dicebatur, quo utebantur ad ritus, et solemnitates Religionis. Et initium hujus anni desumebant per correspondentiam ad tempus, quo egressi sunt de Ægypto. Atque ob motivum immediate insinuatum mensium lunarium, primus mensis anni sacri correpondebat ex parte tum Martio nostro, tum Aprili. Diversitatis autem prædictorum annorum meminit Josephus lib. 1 *antiquit.* cap. 4, his verbis : « « Mosses autem Nisam, qui est Xanthicus, « mensem primum in suis festis ordina- « vit, quod per hunc Hebræos ex Ægypto « eduxisset. Eundem etiam illorum, quæ « ad rem divinam pertinerent, exordium « fecit. Alioqui quod nundinationes rerum « venalium, reliquarumque dispensatio- « num anni attinet, nihil de pristino ritu « innovavit. » Quod autem ad menses spectat, jam diximus fuisse apud illos lunares, sive a prima luna in aliam lunam primam. Quocirca Neomenia, sive novilunium immediate proximum æquinoctio vernali, quod in Martio contingit, erat illis simpliciter prima dies tam primi mensis, quam totius anni. Et juxta hanc primam diem regulabant tempora, et dies aliarum festivitatum in anno. Porro tres dierum differentias agnoscebant : nempe diem legalem, naturalem, et artificialem. Dies legalis computabatur a vespera unius diei usque ad vesperam subsequentis, juxta illud Levit. 23 : *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra* : eo plane modo, quo nunc in Ecclesia festa incipiunt quoad officia a prima vespera, et durant usque ad secundam. Dies naturalis apud Hebræos durabat, sicut apud nos, a media nocte usque ad mediam noctem sequentis : vel (quod quibusdam placet) ab ortu solis usque ad ortum sequentis. Dies denique artificialis distinguebatur, sicut et nunc, contra noctem, comprehendebatque præcise illud spatium temporis, in quo lux solis apparet. Hinc incipiunt jam innotescere termini, quibus sententiæ supra relatæ se explicant.

Josephus.

Menses.

Dies.

Lev. 23.

Sed ut ad rem ipsam proximius accedamus, præsupponendum est, quod inter alia festa duæ fuerunt a Deo præceptæ solemnitates : prima dicebatur Hebraice *Phase*, Chaldaice vero *Pascha* ; secunda vero dicebatur *Azima*, sive *Azimorum*. De utraque lex lata fuit Exod. 12, unde transcribemus earum rationes, resecatis aliis verbis in præsenti non necessariis. « Mensis iste « vobis principium mensium, primus erit in « mensibus anni. Decima die mensis hujus « tollat unusquisque agnum per familias, « et domos suas, et servabitis eum usque « ad decimam quartam diem mensis ejus : « immolabitque eum universa multitudo « filiorum Israel ad vesperam : et edent « carnes nocte illa assas igne, et azymos « panes cum lactucis agrestibus, et comede- « tis festinanter. Est enim phase, id est, « transitus Domini. Habebitis autem hanc « diem in monumentum, et celebrabitis eam « solemnem Domino in generationibus « vestris cultu sempiterno. Septem diebus « azima comedetis. In die primo non erit « fermentum in domibus vestris. Dies « prima erit sancta, atque solemnis : et « dies septima eadem festivitate venerabi- « lis. » Ubi notum est, quod duæ festivitates

Duæ festivitates apud Hebræos.

Exod. 12

Coincidentia cum diversitate.

tes a die decima quarta concurrebant, nempe festum Phase, sive Paschæ, aut transitus: et festum azymorum. Quorum primum, nempe Pascha institutum fuit in memoriam beneficii, quo Angelus vastator transiens per Ægyptum occidit primogenitos Ægyptiorum, Hebræis salvis, et intactis relictis. Secundum autem erat in recordationem alterius beneficii, quo eadem nocte post interfectos primogenitos Ægyptiorum, Hebræi de Ægypto egressi sunt festinanter, urgentibus ipsis Ægyptiis, ita ut non potuerint fermentare panes, sed illos coxerint azymos, sive absque fermento ut legitur Exod 12. Sed inter eas festivitates erat notabilis differentia, quod prior, nempe Pascha, erat brevior et solum celebrabatur una, eaque integra die, nempe luna 14 mensis primi. Posterior autem scilicet Azymorum complectebatur septem dies legales completos: incipiebat enim 14, et concurrebat cum Phase, sive Pascha: ita quod a cœna agni paschalis comedendi cum azymis incipiebat festivitas azymorum, et durabat usque ad diem, sive lunam 21. Sic enim manifeste colligitur ex testimonio relato. Sed tamen licet sacrificium agni solum fieret die 14, nihilominus in omnibus subsequentibus azymorum diebus multa erant sacrificia, de quibus populus comedebat, ut constat Numer. 28, et lib. 2, *Paralip.* cap. 35, quin et omnes illi dies solebant Pascha appellari, denominatione sumpta a primo solemnitatis die, qui dicebatur Phase, Pascha, vel transitus. Quæ fusius prosequuntur, atque exponunt Abulensis in 3 parte *Defensorii*, cap. 3, Baronius anno 24, cap. 37, Suarez loco supra citato, sectione 2, et alii plures.

Abulens. Baron. Suarez.

Dies, qua Christus Eucharistiam instituit.

39. His præsuppositis tenendum est primo Christum instituisse Eucharistiam die, sive luna decima quarta mensis primi. Sic docent communiter Patres, et Doctores Latini, ex quibus Angelicus Doctor rem hanc optime declarat, et urgentissimis Evangelii testimoniis confirmat supra quæst. 46, articulo 9, ad 1. Unde congruum duximus integrum locum licet diffusum transcribere, ut simul lector habeat, quæ a multis sparsim, et non ita perspicue traduntur. « Dicendum, quod quidam dicunt « Christum fuisse passum decima quarta « luna, quando Judæi Pascha immolabant. « Unde et Joannis 18. dicitur, quod Judæi « non introierunt in Prætorium, ut non « contaminarentur; sed ut manducarent « Pascha. Unde Chrysostomus dicit, quod « tunc Judæi faciebant Pascha; ipse vero « ante unam diem celebravit Pascha, re- « servans suam occisionem sextæ feriæ, « quando vetus Pascha fiebat. Cui videtur « consonare, quod dicitur Joannis 13, quod « ante diem festum Paschæ Christus facta « cœna pedes discipulorum lavit. Sed con- « tra hoc videtur esse, quod dicitur Matth. « 26, quod prima die azymorum accesse- « runt discipuli ad Jesum dicentes, ubivis « paremus tibi comedere Pascha? Ex quo « patet, quod cum primus dies azimorum « dicatur dies decimus quartus mensis « primi, quando agnus immolatur, et luna « clarissima est, ut Hieronymus dicit: « constat decima quarta Luna Christum « cœnam fecisse, et decima quinta eum esse « passum. Et hoc expressius manifestatur « per id, quod dicitur Marci 14: Primo die « azymorum, quando Pascha immolabant. « Et Lucæ 22: Venit dies azymorum, in « quo necesse erat occidi Pascha.

Insignis D. Thomæ locus.

« Et ideo quidam dicunt, quod Christus « die convenienti in decima quarta luna « Pascha cum discipulis suis manducave- « rit, demonstrans, quod usque ad ulti- « mum diem non erat contrarius legi, ut » Chrysostomus dicit super Mattheum. Sed « Judæi occupati circa procurationem mor- « tis Christi, contra legem, celebrationem « Paschæ in crastinum distulerunt. Et prop- « ter hoc de eis dicitur, quod in die pas- « sionis Christi noluerunt intrare Præto- « rium, ut non contaminarentur, sed ut « manducarent Pascha. Sed nec istud vi- « detur consonum verbis Marci dicentis, « Primo die azymorum, quando Pascha « immolabant. Simul ergo Christus, et « Judæi vetus Pascha celebraverunt. Et si- « cut Beda dicit super Marcum, licet « Christus, qui est Pascha nostrum, sit « crucifixus sequenti die, hoc est, decima « quinta luna: attamen nocte, qua agnus « immolabatur, corporis, sanguinisque « sui discipulis tradens mysteria cele- « branda, et a Judæis tentus, ac ligatus, « ipsius immolationis, hoc est, passionis « suæ sacravit exordium.

« Cum autem dicitur Joan. 3: Ante diem « festum Paschæ, intelligitur hoc fuisse « decima quarta luna, quod tunc evenit « quinta feria: nam luna existente decima

« quinta erat dies solemnissimus Paschæ « apud Judæos. Et sic eundem diem, quem « Joannes nominat ante diem festum « Paschæ propter distinctionem naturalem « dierum, Mattheus nominat primum diem « azymorum : quia secundum ritum ju- « daicæ festivitatis solemnitas incipiebat « a vespera præcedentis diei. Quod autem « dicitur eos comesturos esse Pascha in de- « cima quinta luna, intelligendum est, « quod ibi Pascha non dicitur agnus pas- « chalis (qui immolatus erat decima quarta « luna) sed dicitur cibus paschalis, id est, « azymi panes : quos oportebat comedi a « mundis. Unde Chrysostomus ibidem « aliam expositionem ponit, quod Pascha « potest accipi pro toto festo Judæorum, « quod septem diebus agebatur. » Hæc omnia S. Doctor sapientissime, et litteratissime. Cui subscribunt Caietanus, Medina, Nazarius, et alii discipuli ad prædictum locum. Soto in 4, dist. 11, quæst. 1, artic. 4, Prado in hac 3, p. quæst. 74, dub. 6, § 3, Gonet disput. 2, articulo 5, § 2, Abulensis in 2, parte *Defensorii* a capitulo 1, Suarez ubi supra, Pererius tomo 2, in *Joannem* capitulo 13, disput. 6, cum tribus sequentibus, Noster Sylveira tom. 5, lib. 7, cap. 4, quæst. 1, pro eadem resolutione (quæ vere communis est), referens Ambrosium, Augustinum, Cyprianum, Hieronymum, Bedam, Rupertum, Anselmum, et alios.

Thomis. Abul. Suarez. Perer. N. Abul.

Ratio fundamentalis.

40. Fudamentum autem, quamvis plura a pluribus proponantur, non melius, nec magis solidum potest esse, quam a Divo Thoma propositum, et ad sequentem formam reducitur. Christus instituit Eucharistiam in illa nocte, in qua celebravit cœnam legalem, et comedit cum Apostolis agnum paschalem : sed hoc contingit die, sive luna decima quarta primi mensis : ergo in hac die, sive luna contigit institutio Eucharistiæ. Major constat ex historia Evangilii. Et quamvis aliqui hæretici *apud Theophylactum* Matth. 26, illam negaverint, censentes Christum in ea cœna non comedisse agnum paschalem, non alio motivo ducti, quam quod Judæi comedebant agnum stantes, Christus autem legitur accubuisse ad cœnandum : nihilominus hæc illorum imaginatio adeo stulta est, ut absque impugnatione corruat. Motivum autem facile dehiscit : tum quia cum Christus celebraverit tam cœnam usualem, quam legalem, potuit in unam recumbere, et in alia stare. Tum etiam quia cum Judæi generaliter accumberent ad sumendum cibum usualem ; factum est, ut quolibet modo cibum sumerent, accumbere dicerentur : sicut modo etiam dicimur accumbere ad mensam, licet sedeamus : unde Evangelistæ uti potuerunt communi illo vocabulo ad significandum Christum cum discipulis sumpsisse cœnam, sive stans fuerit, sive sedens, sive recumbens. Minor autem, in qua poterat esse difficultas, ostenditur : nam Christus celebravit cœnam legalem, et comedit agnum paschalem, ut antiquam legem servaret, juxta illud Matth. 5 : *Non veni solvere legem sed adimplere.* Unde ad Galat. 4, dicitur *factus sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Sed lex præcipiebat, quod agnus paschalis comederetur die, sive luna decima quarta primi mensis, ut constat ex testimonio Exodi relato num. 38, et *Levit.* 23, et *Numeror.* 28, et *Deuteron.* 26 ; ergo Christus die, sive luna 14, comedit agnum paschalem.

Matth. 5. Ad Galat. 4.

Responsio Græcorum.

Nec satisfaciunt Græci cum suo Euthymio respondentes Christum prævenisse Pascha comedendo agnum die, sive luna decima tertia : licebat enim hæc anticipatio ; quamvis illicitum foret Pascha ultra diem constitutum differre. Non, inquam, satisfaciunt : quia hæc illorum responsio est fictio mere voluntaria nullum habens in Scriptura fundamentum, sed procedens ex intentione, quam magis detegemus § 4, *num.* 58. Quod satis erat, ut contemneretur. Sed refellitur ulterius : nam ut Christus anteverteret Pascha cœnando pridie, quam lex jubebat, debuit habere aliquam rationabilem causam : quæ tamen assignari non valet. Quod enim Græci respondent Christum ita prævenisse, quia se sciebat crastina die moriturum, et non posse agnum paschalem comedere ; ridiculum plane apparet. Tum quia petit principium : Christus enim non est mortuus die, aut luna 14. Sed die, aut luna 15, unde opus non habuit pro hac præventione celebrare cœnam legalem, et comedere agnum die, sive luna 13. Sed ea legalia exequi optime potuit die, aut luna 14. Tum etiam quia Christus (sicut et alii) non debebat servare legem, nisi quandiu viveret : unde non debuit servare illud mandatum, cujus obligatio minime occurrit juxta Græcorum doctrinam, nisi post ejus mortem

Evertit.

mortem. Et rem non ita contigisse, ut isti imaginantur, constat a signo admodum efficaci: nam si Christus comedisset agnum, et celebrasset cœnam legalem minus conformiter ad legis Mosaicæ præscriptum, id est, non eo die, quo ipsa præcipiebat; profecto perfidi Judæi, qui sub id tempus adeo maligne ejus actiones observabant, et in articulo mortis tam solerter testimonia adversus illum perquisiverunt, non omitterent hanc illi inferre calumniam, de violatione illius legis eum graviter accusando. At nihil ipsi circa id opposuerunt. Signum itaque satis manifestum est Christum præter morem illa legalia non prævenisse, sed agnum immolasse, et comedisse eadem nocte, qua cæteri Judæi.

Quæ Græci opponunt. 41. Sed Græci opponunt plura Joannis testimonia: nam *cap.* 13, affirmat omnia, quæ Christus gessit in cœna, facta fuisse *ante diem festum Paschæ:* ergo nec cœna legalis, nec institutio Eucharistiæ contigit in die festo Paschæ: atqui dies, sive luna decima quarta primi mensis jam erat festum Paschæ: ergo Eucharistia non ea die instituta fuit, sed die 13. *Deinde cap.* 18, dicit, quod in die passionis Domini, *Judæi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur sed ut celebrarent Pascha,* nempe agnum paschalem: ergo dies illa, in qua passus est Christus, erat decima quarta, in qua Judæi ex præscripto legis agnum comedebant, et Pascha celebrabant: cum ergo Christus cœnam legalem celebraverit, et Eucharistiam instituerit pridie, quam pateretur: sequitur Eucharistiam instituisse die decima tertia. *Præterea cap.* 19. scribit Christum mortuum fuisse in Parasceve Paschæ: erat autem Paraseve tempus in quo necessaria ad Paschæ celebrationem parabautur; ergo Christus mortuus est ante actualem Paschæ celebrationen: unde evidentius infertur ipsum legaliter cænasse, et Eucharistiam instituisse ante diem 14, et anticipando tempus communiter ex lege præscriptum.

Stultus olim quorum excessus. Quæ motiva ex Evangelio Joannis desumpta tanti faciunt Græci, ut cum videant sibi refragari alios Evangelistas, dum dicunt Christum agnum comedisse in die prima azymorum juxta illud Matth. 26. *Prima die Azymorum accesserunt discipuli*, et Marci 41: *Die prima Azymorum, quando Judæi Pascha immolabant*, et Lucæ 22: *Venit prima die Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*: non vereantur eorum aliqui dicere cæteros Evangelistas errasse, et fuisse a Joanne correctos, ut refert D. Thomas *in* 4. *dist,* 11, *quæst.* 2, *art.* 2, *quæstiunc.* 3. In quo non solum errant contra fidem, sed etiam contra lumen naturale, nam si Evangelistæ errare possunt, cur potius dicemus errasse tres, quam unum? Præsertim cum tres loquantur perspicue; alterius vero mens solum deducatur per consequentias. Sed tamen ea solet esse ad proprias sententias, affectio, ut ad delirandum inducat.

Matt. 26. Mar. 22. Luc. 22.

D. Tho.

Prima quorundam responsio. Ad objectionem autem dupliciter potest responderi. Primo Christum cum discipulis Pascha celebrasse die, sive luna 14 juxta tenorem legis; Judæos autem ex dispensatione sibi concessa distulisse eo anno celebrationem Paschæ ad sequentem diem. Nam traditio erat, ut si Pascha incideret in feriam sextam, sive in Parascevem, sicut eo anno contigit, transferretur in sabbatum: tum ne duo festa solemnia Paschæ, et Sabbati immediate concurrent: tum ne gravaretur populus, cui non licebat in die festo opera servilia facere etiam ad cibos parandos. Juxta quam responsionem facile conciliantur testimonia Evangelistarum, quæ videntur opposita: nam Mattheus, Marcus, et Lucas dicunt Christum comedisse agnum in die Paschæ, nempe juxta tenorem, et modum ordinarium legis: Joannes vero dicit hæc contigisse ante diem festum Paschæ, nimirum celebrandi eo anno ex dispensatione post diem 14. Ita Lyranus, et Paulus Burgensis Matth. 26, ad illa verba: *Erat autem prima dies Azymorum.* Maldonatus ibidem ad illa verba, scitis, quia post biduum. Catharinus lib. 2 *contra Caietanum.* Salmeron tom. 9, tra. 4, Jansenius, Joannes Lucidus, Joannes Hantenius, Onuphrius Panuinus, et alii apud Vazquez disp. 172, c. 3. Quin dicitur Gamalielem magistrum Pauli Apostoli hanc sententiam docuisse in quodam libro de solis, et lunæ motibus. Quæ ex eo magis confirmari valet: quia nisi ita dicamus, fateri necesse est, quod Christus occisus fueri in ipsa die Paschæ, prout tunc celebrarunt Judæi. Id autem apparet incredibile: tum quia in die adeo solemni nefas erat Judæis litigare: ergo Christum capere, accusare, et occidere. Tum quia in die festo non licebat Judæis

Lyra. Burgens. Maldon. Cathar. Salmer. Jansen.

aliquid facere, exceptis, quæ ad vescendum pertinebant, ut dicitur Exodi 12, et tamen mulieres eo die, quo Christus mortuus fuit, emerunt, et paraverunt aromata, ut legitur Lucæ 23; ergo Judæi in ea die non celebraverunt Pascha. Eo vel maxime, quod Sabbatum immediatum post mortem Christi appellat Joan. 19, *diem magnum Sabbati* : quo nomine minime designaretur, si non habuisset specialem magnitudinem, et excellentiam supra alia Sabbata : nec in alio ea dignitas consistere potuit, quam in eo, quod Judæi Pascha ad ipsum transtulerint, in eoque celebraverint.

Displicet et rejicitur. 42. Hæc tamen responsio minime nobis arridet. Primo quidem, nam illam expresse refellit D. Thomas loco supra citato, ubi ea relata inquit : « Sed nec istud videtur « consonum verbis Marci dicentis, Primo « die Azymorum, quando Pascha immola- « bant. Simul ergo Christus, et Judæi vetus « Pascha celebraverunt. » Nec oppositum dici valet, nisi contra D. Th. agendo. Secundo, quia sic etiam docuerunt V. Beda (quem allegat D. Thomas) et Anselmus, Ambrosius, Cyprianus, et Augustinus, quos refert Vazquez loco cit. cap. 5. Et Rupertus, qui præcedentem responsionem commemorat lib. 2, *in Levit.* cap. 36, lib. 10. *in Matth.* cap. 26, tanquam Judæorum traditionem, et statim subdit nullum eam in Scriptura habere fundamentum. Tertio quia Christum eodem die celebrasse Pascha, quo alii Judæi est antiqua, et longe communior sententia Scholasticorum, Theologorum, et Interpretum : sic enim docent Cajetanus, et alii Thomistæ cum S Doctore in hac 3 part. quæst. 46, art. 9, D. Bonaventura in 4, dist, 11 tart, 2, quæs 1, Ricardus art. 2, quæst. 3, Alexander 4, part, quæst, 10, membro 3, art. 3, § 2 ad 3, Magister *historiar.* cap. *de Cœna Domini*, Gabriel in can. Missæ, lect. 34, Suarez to. 2, in 3, p. disp. 4, sect. 4, Vasquez disp 172. cap. 5, Toletus, Lucas Brugensis, Bellarminus, Cornelius, et alij, quos refert et sequitur N. Sylveira tom. 5, lib. 7, cap. 4, quœst. 1, num. 10, Pererius tom. 2, *in Joan.* cap. 13, disp. 6, et alii quos prolixum esset referre. Videndus tamen specialiter est Soto in 4, dist. 11, quæst. 2, art. 4, ubi egregie expendit duodecim argumenta contra novitatem Pauli Burgensis Videndus etiam Abulensis *in Defensorio* 2,

D. Tho. Beda. Rupert. Cajet. D. Bon. Ricard. Alex. Magist. hist. Gabriel. Suarez. Vazq. Bellarm. Sylveir. Perer. Soto. Abulens.

p. cap. 1, cum seq. qui omnium uberrime, et doctissime de ista materia disseruit, et ex quo hauriunt communiter Recentiores, ut Vazquez etiam observavit loco cit. nu. 42. Quarta, quia traditio illa de translatione Paschæ ad diem sequentem, quam commemorat Burgensis, modernior Evangelio est, et orta post Christi mortem. Unde Rabbi Abenezra in cap. 23 *Levitici* aperte tradit hanc traditionem de transferendo Pascha « non solum non fuisse ab « initio secundi templi, sed etiam neque « eo tempore, quo fiebat Talmud : » quod multis annis post Christi mortem compositum fuisse constat. Quod si nunc perfidi Judæi Pascha suum, cum incidit in feriam sextam, transferant ad Sabbatum ; id forte faciunt ex odio, et horrore ad Christum, quem ipsos occidisse in die veneris non dubitant. Quinto, quia prædicta responsio haud obscure opponitur testimoniis Evangelii, ut optime ponderavit D. Thomas : nam Marcus ait : *Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant*, et Lucas inquit, *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Si autem eo die immolabant Pascha et necesse erat occidi Pascha ; eo plane die immolaverunt et occiderunt, ac minime in sequentem diem transtulerunt. Sexto, quia motivum cui innituntur prædictæ responsionis patroni, invalidum est, atque in ipsos regerendum : nam si festum Paschæ translatum eo anno fuit ad Sabbatum immediatum ; consequenter dicere debent septimam Azymorum diem (quæ erat ejusdem solemnitatis cum prima, ut constat Exod. 12) incidisse in feriam sextam sequentem : atque concurrisse duo festa sibi immediate succedentia, nempe septimam diem Azymorum, et Sabbatum : quod inconveniens ipsi vitare satagebant. Septimo, quia præsumendum est pro observatione legis, nisi oppositum probetur : lex autem generalis est de celebrando Pascha in eo determinate die : et non reperitur dispensatio circa illum casum, sicut Numeror. 9, invenitur circa alios duos casus differentes. Ergo inverisimile apparet, quod eo anno pro toto populo Judaico dispensatum in lege fuerit. Porro nec urgens aliqua, vel sufficiens hujus dispensationis ratio assignari valet : tum quia grave non erat celebrare duo festa immediate : tum quia in ipsa solemnitate paschali licitum erat parare

Abenez.

rare

rare cibaria, ut licet ex Levit. 23: *Exceptis his quæ ad vescendum pertinent.* Et opposita prohibitio solum, et determinate urgebat in Sabbato, quod erat dies requietionis, ut optime observavit D. Thomas in 4, dist. 11, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 3, ad 4, his verbis: « Nulla dies erat adeo celebris quantum ad vacationem ab operibus « sicut dies Sabbati. Unde in prima die « solemnitatis licebat coquere cibos, et « alia hujusmodi facere: « quod non licebat facere in Sabbato. »

D. Tho.

Motiva præmissæ responsionis diruuntur.

Ea vero, quæ ad fundandum eam responsionem afferebantur, non urgent; nam quod Paulus Burgensis dicit de traditione transferendi Pascha, commentitium est, ut vidimus in quarta impugnatione. Quod autem dicitur de molestia celebrandi duo festa immediate succedentia, non magis valet, ut in octava ostendimus. Ad confirmationem concedimus sequelam. Et ad primam ejus impugnationen dicendum est non constare ex Scriptura, quod actus judiciales fuerint in eo festo prohibiti. Esto tamen, forent; Judæi existimare potuerunt id sibi tunc licere pro bono communi. Addi etiam potest, quod cum non dubitaverint in persequendo Christum violare legem naturalem, minus dubitaverunt transgredi scriptam. Ad secundam impugnationem constat ex dictis, quod sicut in eo festo non erat prohibitum parare cibos, sic nec parare aromata, et alia exequi opera misericordiæ, ut tradit D. Thomas loco proxime citato. Augmentum autem difficultatis evacuat optime idem S. Doctor loco cit. in resp ad 5, his verbis. « Quacumque die de sep« tem diebus Azymorum Sabbatum veniret « dicebatur magnus dies Sabbati propter « geminatam solemnitatem, scilicet Sab« bati, et Pasche, » nempe dierum paschalium, quæ eo tempore decurrebant: sic enim dicebantur omnes dies Azymorum simul cum Pascha incipientes.

D. Tho.

Legitima ad objecta Græcorum responsio.

43. Rejecta igitur prædicta responsione aliter motivis græcorum occurrendum est. Ad primum respondemus ea, quæ Christus in cœna gessit, dici a Joanne facta ante Pascha, aut ante diem festum Paschæ, sumpta die pro die artificiali, prout distinguitur contra noctem; non vero pro die naturali noctem, et diem complectente, nec pro die legali procedente a vespera in vesperam: unde consulto non dixit, Ante festum, sed *Ante diem festum.* Unde nulla est contradictio inter Evangelistas: nam alii loquuntur de festo Azymorum complectendo diem naturalem, et legalem; et sic Christus in eo cœnavit: sed Joannes loquitur de die artificiali; ante quem Christus ea gessit, ut luculentius explicat D. Thom. loco cit. ex 4 sentent. in resp. ad 1, his verbis: « Dicendum, quod verbum illud « Joannis Græci hoc modo intelligunt, sicut « objectio procedit. Sed hic intellectus stare « non potest: quia est contrarius aliis « Evangelistis quod non est fas in sacra « Scriptura dicere. Et præterea non inve« nitur in lege, quod aliquo casu liceret « anticipare lunam decimam quartam. Unde « quidam dixerunt, quod cœna, qua Domi« nus lavit discipulorum pedes, et qua cor« pus suum consecravit, non fuit eadem, « sed una aliam præcessit: et de prima « loquitur Joannes, de secunda alii Evan« gelistæ. Sed hoc est contra usum Eccle« siæ, quæ die Jovis ablutionem pedum « celebrat: et etiam contra textum Evan« gelii, quia sicut ex serie Evangelii Joannis « apparet, eodem sero, quo pedes lavit, a « Juda post buccellam recedente traditus « est. Et ideo dicendum est, quod dies fes« tus Paschæ vocabatur prima dies de sep« tem, quæ erat celeberrima: et hæc erat « 15 luna: et in vespere præcedenti im« molabatur, et comedebatur agnus luna « 14, cum azymis. Et tunc Dominus cœnam « fecit cum discipulis suis. Et hanc diem « alii Evangelistæ dicunt primum diem « azymorum; et Joannes ante diem fes« tum Paschæ. »

D. Tho.

Ad secundum respondetur, quod quando Joannes dicit Judæos non introisse in Prætorium, ne contaminarentur, et ut manducarent Pascha; per Pascha non significavit agnum paschalem (quem pridie, id est, vespera præcedenti jam comederunt), sed significavit tum panes azymos, qui per septem dies comedebantur: tum victimas paschales, quæ illis diebus offerebantur, et manducabantur, et Paschata propterea dicebantur. Hæc cuncta non nisi mundi manducabant. Unde Judæi noluerunt tunc introire in Prætorium, ne contaminarentur ad eorum esum. Ultimum facilius adhuc explicatur, et dissolvitur: quia Judæi quamlibet feriam sextam vocabant Parasceven: quia in tali feria præparabant omnia necessaria pro sabbato immediate sequenti, in quo non licebat eis quidquam

operari, nequidem præparare ipsos cibos. Quando ergo dicitur diem, in qua Christus mortuus fuit, fuisse Parascevem Paschæ, non significatur aliquis dies, qui præcederet dies paschales, et præveniret ad Pascha; sed significatur feria sexta inter dies paschales decurrens. Et hoc satis denotarunt ipsi Evangelistæ, non aliud significantes se exprimere per Parascevem, nisi feriam sextam inter illos dies, quæ Sabbatum immediate præcessit. Unde Marcus 15, ait: *Erat Parasceve, quod est ante Sabbatum*. Et Joan. 19, inquit: *Judæi ergo, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato.* Erat itaque Parasceve, de qua loquuntur, præventio quædam non ad totum Pascha, sive ad omnes dies azymorum, sed solum pro Sabbato.

Marc. 15. Joan. 19.

Orta ex præcedenti alia difficilis quæstio.

44. Ex dictis satis constat, qua die Christus instituerit Eucharistiam, nempe die decima quarta mensis primi. Sed quia dies ille erat festivus, et legalis, qui apud Judæos se extendebat a prima vespera usque ad secundam vesperam, et utramque complectebatur, ut nu. 38, præmisimus: dubitari adhuc potest, in qua vespera illius diei Christus Eucharistiam instituerit, in prima ne, an in secunda? Nec quæstio levis momenti est: nam cum *prima vespera diei decimæ quartæ* pertineat ad diem naturalem decimam tertiam; consequenter dici debet, si Christus instituit Eucharistiam die decima quarta in prima hujus vespera, et non in secunda, Eucharisti institutionem non contigisse in die naturali 14, sed in die 13, naturali primi mensis. Sicut si modo aliquid diceretur accidisse in primis vesperis diei Corporis Christi; re ipsa contingeret non feria quinta, sed quarta, non in die Jovis, sed Mercurii. Igitur Christum comedisse agnum, et instituisse Eucharistiam die 14, in prima vespera, non in secunda; sive in luna 14, incipiente, non autem desinente, docent Oleaster in c. 23 *Levitici*, Stella in ca. 12, Luc 12, Luisius Legionensis in opusculo *de utriusque agni typici, et veri immolatione*. Basilius Legionensis in opusculo ejusdem argumenti, quod edidit 1 part. variarum a fol. 1, et Pet. Montoya in lib. *ann. in sacrum canonem missæ.*

Aliquorum opinio. Oleast. Stella. Luisius. Legion. Basilius Legion. Montoy.

Vera sententia.

45. Contraria tamen sententia asserens Christum celebrasse ultimam cœnam, et instituisse Eucharistiam in secunda vespera diei 14, sive luna 14, jam desinente, vera, et communis est; illique subscribimus. Sic docent D. Thomas, ut statim ostendemus, et communiter Thomistæ, Serra quæst. 73, art. 5, fol. 292, Prado quæst. 74, dub. 2, § 4, Gonet disp. 2, artic. 5, conclus. 2, Contenson dissert. 2, cap. 1, in fine, et alii. Idem etiam docent Baronius tom. 1, anno 34, a cap. 23, Ribera lib. 5, *de templo*, cap. 3, Alanus lib. 1. *de Eucharistia* cap. 1?, Toletus *Joan.* 13, annotat. 5, Suarez tom. 2, in 3 parte disput. 40, sect. 3, et tom. 3, disput. 41, sect. 1. Vasquez disput. 172, cap. 6, Cornelius *Exodi* 12, vers. 6, Granados controvers. 6, tract. 1, disp. 5, Leander *de Eucharistia* disp. 1, quæst. 6, Jansenius, Barradas, et alii, quos sequitur N. Sylveira tom. 5, lib. 7, cap. 4, quæst. 1, num. 12. Probatur primo ex D. Thom. in testimonio num. 4? relato ex sent. ubi ait: « Dicendum est, « quod dies festus Paschæ dicebatur prima « dies de septem, quæ erat celeberrima: et « hæc erat decima quinta luna. Et in vespera « præcedenti immolabatur, et comedebatur « agnus luna 14, cum azymis. Et tunc « Dominus cœnam fecit cum discipulis suis. » Manifestum autem est, quod vespera lunæ 14, immediate præcedens lunam 15, non erat prima vespera, sed secunda vespera lunæ 14. Cum igitur D. Thom. asserat Christum fecisse ultimam cœnam vespera præcedente diem, sive luna 15, sequitur, quod ex illius sententia Christus instituerit Eucharistiam in die sive luna 14, non quidem incipiente, sed desinente, sive non in prima illius diei vespera sed in secunda. Et eandem sententiam exprimit in hac 3 parte, quæst. 74, art. 4 ad 1, illis verbis: « Dicendum quod sicut legitur Exodi 12, « solemnitas paschalis incipiebat in vesperis quartæ decimæ lunæ: et tunc Christus post immolationem agni paschalis « hoc sacramentum instituit. Unde hæc dies « dicitur a Joanne præcedere diem Paschæ: « et a tribus aliis Evangelistis dicitur prima dies azymorum, quando fermentatum « in domibus Judæorum non inveniebatur. » Solemnitas autem paschalis non incipiebat a prima vespera diei 14, quæ re ipsa contingebat die 13, sed incipiebat a secunda, sive desinente jam luna 14, siquidem solemnitas ipsa paschalis celebrabatur die 15. Ergo juxta D. Thom. Christus instituit Eucharistiam in secunda vespera diei 14, sive desinente jam luna decima quarta.

D. Tho. Thomist. Baron. Ribera. Alanus. Toletus. Suarez. Vazq. Cornel. Granad. Jansen. N. Sylv.

Non

Motiva pro vera sententia. Non desunt etiam urgentia pro hac parte motiva. Primum desumitur ex illo Exodi 12 : *Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Illud enim *ad* Exod. 12. D. Amb. *vesperam* omnes Interpretes exponunt de V. Beda. Lyra. fine diei, sive vespera secunda, ut D. Am- Abulens. bros. epist. 83, V. Beda lib. *de ratione tem-* Hugo. Victor. *porum*, cap. 81, Lyra in eum locum, Abulensis ibi quæst. 10 et 19. Hugo de S. Victore in annotatione ad eundem locum, et alii communiter : ergo sic etiam accipi debet in aliis Scripturæ locis, ubi agitur de cœna legali, et agni immolatione. Secundum (et desumitur ex priori) quia Judæi comedebant agnum in memoriam egressionis de Ægypto, atque eodem die, et hora occurrentibus, ut præcipitur Exodi 12, sed illi comederunt prima vice agnum in luna quarta decima ad finem, sive in vespera secunda illius diei; ergo Judæi comedebant agnum in eadem die prædicto modo accepta: ergo cum Christus illum etiam cum discipulis comederit eodem tempore, quo alii Judæi, ut supra ostendimus; sequitur Christum et cœnam legalem celebrasse, et Eucharistiam instituisse in die 14, ad finem, sive in luna 14 jam desinente. Cætera constant. Et minor probatur : quoniam Hebræi egressi sunt de Ægypto die, sive luna 15, ut patet Num. 33, sed nocte præcedenti comederant agnum assum igne, et panes azymos : ergo Judæi prima vice comederunt agnum die 14, ad finem, seu luna 14 deficiente, sive ad vesperam. Tertium, quoniam si Christus celebravit cœnam, et instituit Eucharistiam in prima vespera diei 14, sive incipiente luna 14, manifeste sequitur Christum hæc fecisse in die Mercurii, aut feria quarta post Dominicam Palmarum : unde cum in eadem nocte cœnæ fuerit a Judæis comprehensus, et die immediate sequenti occisus ; ulterius et non minus liquido infertur Christi mortem contigisse non feria sexta, sed quinta. Id vero est plane absurdum, et contra communem sensum Ecclesiæ quæ feria sexta commemorat Christi mortem, illamque diem ob memoriam mortis Christi in veneratione habet: quin etiam Judæi nobiscum circa diem mortis Christi consentiunt. Ergo fateri oportet Christum ultimam cœnam sumpsisse, atque Eucharistiam instituisse die, sive luna 14, non quidem incipiente, sed desinente, sive ad finem illius diei. Alia motiva, et fusiori stylo prosequuntur Auctores supra relati, præsertim Ribera, et Vazquez : sed præmissa sufficiunt, maxime ad propugnandum sententiam communem, pro qua stat possessio.

46 Quæ vero ab alterius patronis oppo- Prima contra sententiam communem objectio. nuntur, non sunt admodum difficilia. Non quod Luisius opponit ex Josepho lib. 2 *antiquit.* cap, 5, ubi ait : « Illucescente « quarta decima, omnes ad exitum animati « sacrificabant : » illucescere autem non est desinere, aut vergere ad finem, sed incipere. Id, inquam, retunditur ex eodem Diluitur. Joseph. Josepho, qui non tantum se explicat, sed vires addit communi sententia lib. 3 *antiquit.* cap. 10, his verbis : « Mense autem « Xantico, qui nostris Nisam vocatur, et « annum exorditur, luna quarta decima, « sole Arietem obtinente : quandoquidem « hoc mense ab Ægyptiaca servitute libe- « rati sumus, sacrificium, quod tunc exe- « untes fecisse diximus, Pasca nominatum, « quotannis instaurare lege jubemur : cele- « bramusque id per soladitia, nihil e victi- « mis in sequentem diem relinquentes, « quæ est quinta decima, et azymorum fes- « tivitas prima. » Erat ergo ex sententia Josephi dies, qui immediate sequebatur post immolationem agni, dies quintus decimus: atque ideo vespera die, sive lunæ 14, in qua sacrificabant agnum, non erat prima, sed secunda illius diei ; quippe notum est secundam vesperam diei 14, non vero primam conjungi cum die 15, et hanc illi immediate succedere. Nec oppositum significavit Josephus in priori loco : nam verti non debet *Illucescente* ut transtulit Gelenius, nec *Appetente, aut incipiente*, ut vertit ipse Luisius : sed ut alii melius transferunt, *Ubi venit quarta decima dies*, vel, *Postquam adfuit dies decimus quartus* participium enim græcum, quo utitur Josephus, non est præsentis temporis, sed præteriti : et significat rem non quidem determinate in initio diei, sed suo tempore factam, ut erudite expendit Vazquez disput. citat. cap. 11, Vazq. numero 129. Et hoc modo expositus nihil habet Josephus, in quo faveat Adversariis.

Opponunt secundo : nam Judæi celebra- Secunda objectio. bant Pascha immolando agnum in vespera pertinente ad lunam 14, sed hæc vespera non erat secunda, sed prima : ergo Judæi immolarunt, et comederunt agnum in luna 14 inchoante, sive in prima vespera illius diei : idemque proinde dici debet de Christo cœnante legaliter, instituente Eucharis-

tiam; Probatur minor: quia Judæi suas solemnitates inchoabant a vespera diei præcedentis, illasque terminabant ad vesperam sequentis, sive ante secundam vesperam: ergo Judæi immolabant agnum non in secunda, sed in prima vespera diei, aut luna 14. Sed hoc motivum delebile est, diluiturque negando minorem. Cujus probatio procedit, ut putamus, ex evidenter falsis: nam Judæi suas festivitates agebant a primis vesperis usque ad secundas inclusive, ut supra prænotavimus, et quemadmodum nunc Ecclesia incipit sua festa quoad officia a primis vesperis, illaque extendit usque ad secundas inclusive. Adde ly *Ad vesperam*, quo utitur textus Exodi, non denotare primam, sed secundam, ut ex communi Interpretum expositione num. præced. observavimus. Adde ulterius celebritatem Paschæ non fuisse apud Judæos festivam, nisi ratione primi diei azymorum: hic autem dies incipiebat a secunda vespera diei, sive lunæ 14, unde sequitur Judæos non inchoasse festum, sive celebritatem Paschæ a secundis vesperis diei 13, et primis 14, sed incepisse omnino a secunda vespera lunæ decimæ quartæ.

Dispellitur.

Tertia objectio

47. Opponunt tertio, et magis apparenter: nam eo tempore Judæi immolaban agnum, quod primum illum immolaveran egredientes de Ægypto: sed in egressu de Ægypto illum immolaverunt in prima vespera lunæ 14, quæ incidit in finem diei naturalis decimæ tertiæ: ergo in hoc eodem tempore illum postea immolaverunt: idemque proinde dicendum est de Christo, et discipulis agnum immolantibus, et comedentibus. Cætera constant. Et minor probatur: quoniam Judæi egressi sunt de Ægypto nocte, quæ terminabat lunam 14, et inchoabat lunam 15, ut plane colligitur ex cap. 13 Numer. ubi dicitur. *Profecti sunt de Ramesse mense primo, decima quinta die mensis primi:* atqui in illa nocte, in qua egressi sunt de Ægypto, non potuerunt immolare, et comedere agnum, sed ad summum in nocte præcedenti, in qua inchoaverat luna decima quarta, et quæ pertinuit ad diem naturalem decimum tertium: ergo Hebræi in egressu de Ægypto immolaverunt, et comederunt agnum in primis vesperis lunæ 14, quæ inciderunt in finem diei naturalis 13. Minor hujus secundi syllogismi, in qua poterat esse difficultas, ostenditur: tum quia illa nocte,

Num. 33

qua Judæi immolaverunt agnum, non potuerunt exire de domo juxta illud Exodi 12: *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ u qu mane:* ergo Judæi non immolaverunt agnum in illa nocte, in qua egressi sunt de Ægypto, sed in alia antecedenti. Tum etiam quia Judæi postquam comederunt agnum petierunt multa vasa aurea, et argentea, multamque suppellectilem ab Ægyptiis: sed incredibile est hæc omnia fecisse in eadem nocte: ergo agnum immolaverant in nocte præcedenti. Tum prætereà quia de Ægypto exierunt sexcenta fere millia virorum absque fœminis, et parvulis: sed ad congregandum tantam multitudinem ex diversis locis necessarius fuit unus ad minus dies naturalis: hic igitur intervenire debuit a nocte, in qua comederunt agnum, usque ad illorum egressum. Tum denique quia Numeror. 33, expresse dicitur Hebræos altera die a phase, sive immolatione, et esu agni exivisse de Ægypto: ergo non exierunt in eadem nocte, qua illum comederant.

Exod. 12.

Num. 33.

Diruitur.

Respondetur negando minorem. Ad cujus probationem iterum neganda est minor: quam inductæ probationes, licet apparentes, minime evincunt. Nam ad primam respondetur Moysem solum prohibuisse, ne nocte illa Hebræi e domibus egrederentur voluntarie, et nisi ab Ægyptiis compellerentur, ut patet loc. cit. Exodi 12. Quare cum Pharaonis, Ægyptiorumque violentia exire compulsi fuerint, minime præceptum illud transgressi sunt. Porro violenter, et festinanter egressos esse, vel ex eo liquet, quod panes fermentare non potuerunt. Ad secundam dicendum est Judæos jam egressuros illa vasa, et suppellectilem postulasse ab Ægyptiis; hos vero timore perculsos, quod viderent suos primogenitos interfectos, et nimis optantes, quod Judæi discederent, facile concessisse: unde nihil inverisimile habet, quod Judæi hæc omnia in eadem nocte fecerint. Ad tertiam respondemus duplicem egressum filiorum Israel distinguendum esse: primum, quando compulsi sunt exire de terra Gessen, et de singulis ejus urbibus, et oppidis: secundum, quando in aliquo loco congregati omnes simul, et ordinate per modum unius multitudinis, aut exercitus progressi sunt. Primus ille contigit summo mane in fine noctis lunæ 14, et ante ortum solis diei decimæ quintæ: secundus autem contigit vespere

pere ad solis occasum ejusdem diei 15. Porro ad hujusmodi congregationem necessarius, et sufficiens fuit unus dies artificialis ab ortu usque ad occasum solis: præmonuerat enim Moyses locum, in quo deberent congregari ; et ad illum singuli licet ex diversis, non tamen valde dissitis oppidis egressi potuerunt per totam illam diem artificialem accedere. Ad quartam, et ultimam facile constat propterea dici, quod Hebræi exierunt ab Ægypto altera die ab esu agni ; quia ad vesperam, sive in fine lunæ decimæ quartæ agnum comederant : et deinde sequenti mane, inchoante luna 15, egressi sunt de terra Gessen, et oppidis ejus ; et denique tota illa artificiali die congregati per modum unius multitudinis circa solis occasum ulterius processerunt, ut proxime diximus. Unde liquet nullum occurrere urgens aliquod motivum, quod novitiam hanc sententiam evincat, cogatque deserere antiquam, et communem quam supra statuimus.

Novum dubium circa horam institutionis. 48. Ex dictis habemus Eucharistiam institutam fuisse die, sive luna 14 primi mensis, non in prima ejus vespera, quæ pertinuit ad diem naturalem 13, sed in secunda vespera, quæ pertinuit ad ipsam diem tam legalem, quam naturalem decimam quartam. Cæterum cum secunda prædicta vespera habuerit notabile spatium, et plures horas, utputa a secunda hora post meridiem usque ad mediam noctem, ut nunc in officiis Ecclesiasticis contingit, adhuc dubitari potest, in qua parte, sive hora istius durationis Christus Eucharistiam instituerit? In qua difficultates omnes supponunt Christum illam instituisse tempore noctis, sive post solis occasum. Quod facile ostenditur tum ex Apostolo id aperte significante 1, *ad Corinth.* 11, illis verbis: *Quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem etc.* Tum quia ut ex supra dictis constat, Christus eodem fere tempore conjunxit cœnam legalem comedendo agnum, et cœnam mysticam instituendo Eucharistiam: agnus autem immolabatur, et comedebatur vespere ad solis occasum, ut patet ex illo Deuteron. 16: *Immolabis phase vespere ad solis occasum* : et Christus hanc horam observavit, ut Evangelistæ significant dicendo: *Cum facta esset hora*, utique a lege præscripta : Ergo Christus Eucharistiam instituit, non durante die artificiali, sed tempore nocturno.

1. Ad Cor. 11.

Deut. 16.

Aliquorum opinio. Quo supposito Claudius Sainctes censet institutam fuisse post multam noctem, sive in profundo, et medio noctis. Et fundamentum est, quod existimet ejus institutionem contigisse post omnem aliam cœnam tam legalem, quam communem (in quo illi suffragatur Baronius anno 34), unde necessum fuit multum noctis decurrisse ante institutionem Eucharistiæ. Sed longe probabilius est institutam fuisse in principio noctis, nempe transacta una hora, vel ad summum duabus post solis occasum. Quod etiam visum fuit Suario tom. 3, in 3 p. disp. 41, sect. 4, in fine, Leandro tract. 7. disp. 1, quæst. 8, in fine, et aliis. Et probatur primo destruendo oppositum fundamentum : quia lotio pedum et cœna sive legalis, sive usualis potuerunt ad summum durare per duas horas: statim autem secuta fuit Eucharistiæ institutio : ergo hæc contigit una, vel ad summum duabus horis post solis occasum. Secunda, et urgentius probatur signo satis efficaci deducto ex historia Evangelistarum : quoniam Christus post institutam Eucharistiam habuit longam concionem ad discipulos; ivit ad hortum, et prolixe oravit; deinde comprehensus est, ductusque ab uno Pontifice ad alium, et coram illis interrogatus ; et denique post hæc superfuit magna pars noctis, in qua multis injuriis affectus fuit per ministros expectantes diem, ut illum sisterent ad Pilatum : ergo inverisimile omnino apparet, quod Eucharistiam instituerit in medio, aut profundo noctis ; et longe verosimilius est illam instituisse in noctis initio, nempe prima, vel secunda hora post solis occasum : sic enim relinquitur tempus sufficiens ad omnia prædicta, quæ aliter necesse est agglomerari, et confundi.

Verior sententia.

Suarez. Leand.

Gravis difficultas. 49. Occurrit tamen hic difficultas minime dissimulanda, quam Sainctes in suo illo fundamento attingit. Nam Eucharististiam non fuisse institutam ante omnem cœnam, facile constat ex scriptura in testimoniis statim referendis. Sed an instituta fuerit inter cœnandum, an post cœnam finitam, minime constat ; quin potius videntur scripturæ sibi in hac parte contradicere. Matthæus enim ait : *Cœnantibus illis*, Marcus *Manducantibus illis accepit Jesus panem etc.* Cæterum Lucas, et Paulus aperte dicunt, *Postquam cœnavit, accepit calicem.* Quæ tam contraria apparent, ut ægre conciliantur, et Doctores obligent ad diver-

Variæ opiniones.

Bellarm. sas expositiones. Et quidem Bellarminus lib 4, *de Eucharistia*, cap. 27, sentit panem consecratum fuisse in medio cœnæ, vinum vero post cœnam : de pane dicunt Matthæus, et Marcus *Cœnantibus, manducantibus illis accepit panem :* de calice autem dicunt Lucas, et Paulus, *Postquam cænavit, accepit calicem.* Baron. Baronius *anno Christi* 34, sentit totum sacramentum institutum omnino fuisse in fine cœnæ, eaque completa. Et ly *Cœnantibus illis* explicat, id est, recumbentibus adhuc ad mensam. Suarius. Suarez tom. 3, in 3, part. disp. 41, sect. 4, præter institutionem Eucharistiæ, quæ potest dici cœna mystica, distinguit duplicem cœnam: aliam legalem, in qua Christus, et Apostoli comederunt agnum paschalem juxta ritum antiquæ legis : alteram vero usualem, et communem, in qua alios cibos comederunt. Et hoc supposito affirmat Eucharistiam institutam fuisse post cœnam legalem, et in ordine ad istam dictum fuisse, *Postquam cœnavit :* sed tamen ante cænam communem. Et ideo respectu totius cœnæ ut utramque complectentis dictum esse, *Cœnantibus illis*, id est, inter utramque cœnam. Vazq. Vazquez denique disp. 172, cap. 9, non distinguens illas cœnas, vel ab earum diversitate præscindens, in id inclinat, quod Eucharistia instituta fuerit inter cœnandum : et verba illa *Postquam cœnavit*, exponit, postquam cœnavit in parte.

Exclu-n In omnibus his opinionibus aliquid reperimus minus consonum, ut nullam absolute probemus. Nam quod ait Bellarminus, minus verisimile nobis apparet : cum enim consecratio panis, et vini unum integrum mysterium, et sacramentum perficiat, præsumendum est vinum fuisse post panem immediate consecratum, ita quod totum illud mysterium peractum fuerit vel in medio cœnæ, vel post cænam, eo plane modo, quo nunc Sacerdotes istud sacramentum conficimus. Et profecto Matthæus, et Marcus qui dixerunt, *Cœnantibus, manducantibus illis*, tam de pane, quam de calice loquuti sunt : Lucas vero, et Paulus, qui dixerunt, *Postquam cœnavit*, possunt exponi de utraque specie, cum relata consecratione panis subdant, *similiter et calicem postquam cœnavit.* Non igitur oportet dicere, quod Christus consecraverit partem mysterii in medio cœnæ, et partem aliam post cœnæ finem, Contra Baronium autem stat proprietas verbi *Cœnantibus, et manducantibus illis :* nam nisi violenter detorqueatur, manifeste denotat non fuisse completam, et finitam omninum ciborum cœnam, quando Christus accepit panem, et consecravit, istud sacramentum instituendo. Suarii vero expositio neutri parti satisfacit, et verbis (in quibus fundatur difficultas), non cohæret : quoniam ly *Postquam cœnavit* denotat finem totius illius cœnæ, ex quibus suis partibus composita fuisse dicatur. Et e converso, ly *Cœnantibus illis, et manducantibus illis* denotat Eucharistiam instituam esse, quando actu cœnabant, et manducabant. Denique Vazquii sententia repugnat illi verbo *Postquam cœnavit* : nam in proprietate sermonis non significat, *Post partem cœnæ*, sed post totam cœnam absolutam. Deinde nulla ratione dici debet institutionem Eucharistiæ contigisse inter cœnandum agnum paschalem : quia præceptum erat, ut comederetur festinanter : unde non oportebat, quod ejus esus institutione Eucharistiæ interrumperetur. Et hoc ultimum satis aperte docuit Concilium Tridentinum Concil. Trident. sess. 22, cap. 1, de sacrificio missæ, dicens: « Celebrato veteri Pascha, novum instituit Pascha. » Et Ecclesia aperte canit: « Post « agnum typicum expletis epulis, corpus « Dominicum datum discipulis. » Non itaque congruit dicere Eucharistiam fuisse institutam absolute, et omnibus modis inter cœnandum, sive durante cœna, præsertim apud illos, qui in hac parte non distinguunt inter cœnam legalem et usualem.

Quare relictis his expositionibus, verior, Sententia præferenda. et sincerior alia nobis videtur, quam Aversa quæst. 1, sect. 2, et quidam alii indicarunt. Ad cujus intelligentiam attendi debet di- Aversa. versitas inter verba, quæ in hoc puncto difficultatem ingerunt, et contradictionem habere videntur. Nam illa, *Postquam cœnavit* referuntur ad Christum, ut liquet: alia autem, *Manducantibus*, vel *Cœnantibus illis* referuntur ad Discipulos, ut non minus ex se constat. Sicut autem in aliis cœnis passim contingit non omnes simul convivas in eodem momento cœnam finire, sed unum ante alium : ita intelligere possumus, quod Christus ante Discipulos fecit finem cœnandi, cum illi, aut eorum plures cœnam continuarent, et aliquid manducarent. Igitur Christus *postquam cœnavit, et illis adhuc conantibus, et manducantibus*, accepit panem, et gratias egit, initium præbens tanti sacramenti institutione illis

fortasse

fortasse verbis, *Desiderio desideravi etc.* vel aliis, quibus discipulos movit, ut attenderent ad mysterium ab ipso perficiendum. Et tunc demum consecravit prius panem, et deinde calicem, sacramentum perficiens, et discipulis distribuens. Juxta quem ordinem (plane satis connaturalem, et verisimilem) cuncta cohærent absque ulla contrarietate proceduntque sincere verba scripturæ, ut sensus sit: Christus postquam cœnavit, sed cœnantibus adhuc discipulis, accepit panem, et calicem, ac utramque speciem consecravit. Cohærent etiam omnia superius dicta, nempe Eucharistiam institutam fuisse die, sive luna 14 primi mensis: non quidem in prima vespera pertinente ad diem naturalem 13, sed in secunda vespera pertinente ad diem naturalem 14, nec in medio, aut profundo noctis, sed in hora prima, vel secunda post solis occasum. Quoniam Christus conjunxit cœnam mysticam Eucharistiæ cum legali cœna agni paschalis, ut liquido deducitur ex Evangelio, et est communis Doctorum sententia: tempus autem celebrandi cœnam legalem agni erat illud jam assignatum lunæ decimæ quartæ in secunda ejus vespera ad solis occasum: tunc igitur Christus eandem cœnam cum Discipulis manducavit: sed postquam ipse cœnaverat, et ipsis adhuc cœnantibus, Christus Eucharistiam instituit, ut proxime vidimus: ergo Eucharistiæ institutio contigit paulo post illud tempus, quod designabatur ad cœnam legalem; atque ideo una, vel ad summum duabus horis post solis occasum.

Consonantia dictorum.

50. Post hæc autem discussa, adhuc lector desiderabit scire, quo die tum hebdomadæ, tum mensis Eucharistia instituta fuerit? Quod plane non ex eo præcise diffiniri potest, quod decisum relinquamus ejus institutionem contigisse die decima quarta primi mensis, ut statim magis declarabimus. Sed tamen quod attinet ad primam interrogationis partem, facile apud omnes constat diem hebdomadæ, in qua Christus Eucharistiam instituit, fuisse feriam quintam, sive diem Jovis. Id vero ita demonstratur: nam Christus Eucharistiam instituit pridie, quam pateretur, sive die immediate præcedenti diem passionis, et mortis ejus: sed Christus passus, et mortuus est feria sexta, sive die Veneris: ergo instituit Eucharistiam feria quinta, sive die Jovis immediate præcedenti. Probatur minor tum ex Evangelistis, qui id evidenter significant: nam Matthæus 27, dicit Christum fuisse crucifixum, et mortuum *in die parasceves*, Marcus 15, addidit, *quod est ante sabbatum*. Lucas cap. 23, inquit: *Erat parasceves, et sabbatum illucescebat*. Notum autem est parascevem esse feriam sextam, sive diem Veneris, in qua præveniebantur necessaria pro Sabbato, in quo laborare, et cibos parare non licebat. Tum etiam ex perpetua, et communi Ecclesiæ traditione, quæ sextam feriam, sive diem hebdomadæ specialiter veneratur, quod Christus in ea mortuus sit, ut jam olim docuit D. Augustin. epist. 119 *ad Januarium* cap. 13, cum duobus seq. Ob quam venerationem ab ipso Ecclesiæ initio observatum est, ut Christiani eo die a carnibus abstinerent, ut tradunt D. Ignatius epist. 8, ad Philippenses, Clemens Alexandrinus lib. 7 *stromat.* post medium, Tertullianus contra Psychicos cap. 1, et 9, D. Epiphanius *hæres.* 25, alii communiter. Quibus (quæ sufficiunt) et aliis motivis ductus V. Beda lib. *de ratione temporum*, cap. 45, asseruit: « Nulli Catholico dubitare licet « Christum feria sexta fuisse occisum. »

Alterius dubii decisio. — *Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.* — *D. Aug. D. Ignat. Clemen. Alex. Tertul. D. Epip. Beda*

Major difficultas occurrit circa secundam interrogationis partem, nempe diem mensis, et mensem ipsum. Oriturque eo, quod licet dixerimus Christum instituisse Eucharistiam in primo mense, quem luna conficit post æquinoctium vernale, et in die 14 ejusdem lunæ: modo tamen sermo non fit de mense lunari, sed de solari, sicut nunc menses eorumque dies supputamus. Cum enim mensis ille lunaris post æquinoctium, partim incidat in Martium, partim in Aprilem; et interdum plures dies prioris, interdum vero plures dies posterioris complectatur; merito dubitatur, an in Martio, an in Aprili Eucharistia instituta sit, et rursus in quo die alterutrius mensis? Quæ difficultas communis etiam est diei mortis Christi ob ea, quæ proxime diximus; et prior determinari debet per ultimam. Sed, ut proprium revelemus judicium, in ea sumus sententia, quod neutra queat certo diffiniri. Pendet namque illarum decisio tam ex humana historia, quam ex tabulis astronomicis: et in utroque occurrit summa varietas, atque incertitudo. Quod etiam censuit Suarez tom. 3, in 3 p. disp. 40, sect. 5, in fine. Quare omittendo

Difficilior alia quæstio. — *Propria sententia.* — *Suarez.*

immensam opinionum sylvam, tres tantum sententias probabiliores, et communiores referemus, illas submittendo judicio lectoris.

Probabiles opiniones. Abulensis. 51. Prima docet Eucharistiam fuisse institutam in mense Aprili, atque in hujus die secundo. Hanc docuit Abulensis in 2, p. *Defensorii* cap. 13, cui multi recentiores subscribunt, ut testatur Suarez loco citato § *Circa*. Et fundamentum hujus opinionis est satis grave : quoniam subducta ratione per tabulas regis nostri Alphonsi, et per computationem Ecclesiasticam ex aureo numero, et litteris, invenitur quod per plures annos ante, et post mortem Christi, dies, sive luna 15 primi mensis (qua die Christum mortuum fuisse constat ex supra dictis), non incidit in mense Martio, nec in sexta hebdomadæ feria : invenitur autem incidisse in mense Aprili, et die tertia ejusdem mensis, cum Christus agebat annum 34 ; ergo Christus mortuus fuit die tertia mensis Aprilis : et pridie instituerat Eucharistiam.

Sed longe communior, aut plane communis est sententia asserens Christum Eucharistiam instituisse, et mortuum esse in mense Martio, ut satis constat ex Doctoribus statim referendis. Quamvis autem plurimum varient in designando diem prædicti mensis, quod superfluum putamus recensere ; duæ tamen sunt circa hoc celebriores opiniones. Nam quidam asserunt Christum mortuum fuisse die vigesima tertia Martii. Ita Eusebius Cæsariensis apud Turrianum lib. 5 *Constitut. Apostolicarum* cap. 16. Lactantius lib. 4 *divinarum instit.* cap. 16, Beda in lib. *de ratione temporum*, cap. 65. D. Anselmus lib. *de imagine mundi*, cap. 7. Et hanc sententiam sequebantur olim omnes Ecclesiæ Galliæ, ut testatur Beda lib. cit. cap. 45. et 59. Quod multum ponderis, et auctoritatis addit huic opinioni.

Euseb. Cæsar. Lactant. Beda. D. Ans.

Alii autem censent Christum instituisse Eucharistiam die 24, et mortuum fuisse die 25 Martii. Quam sententiam, ut testatur Beda lib. cit. cap. 28, et 45, tradiderunt plures Ecclesiæ magistri, et Doctores. Et plane ita res se habet : nam sic docuerunt Tertullianus lib. *contra Judæos*, cap. 8. D. Chrysostomus in serm. *de nativitate Joannis Baptistæ*. D. Augustinus lib. 18 *de Civitate*, cap. ult. et lib. 4 *de Trinit.* cap. 5, et lib. 83 *quæstionum*, quæst. 56. Idem etiam docuit D. Thomas *super Joan.* cap. 2, Antoninus, Platina, Usuardus, et alii, quos refert Suarez loco cit. § *Ultima denique*. Sylvius quæst. 46, art. 9, post finem argumentorum dicens esse sententiam communem. Porro ex his sententiis ultimam magis probaremus : quia sumus in quæstione facti, in qua per certas rationes nihil demonstrari potest, ut supra monuimus ; sed stare magis oportet Doctorum auctoritati : qui autem hanc ultimam asserunt, plures, et graviores sunt : inter quos pro mille nobis computandus venit Angelicus Doctor.

Tertull. D. Chry. D. Aug. D. Tho.

§ III.

De loco institutionis Eucharistiæ.

52. Quis iste fuerit, facile constat ex Evangelio : nam Lucas cap. 22, inquit : *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. Et misit Petrum, et Joannem dicens : Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. At illi dixerunt : ubi vis paremus ? Et dixit ad eos : Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans : sequimini eum in domum, in quam intrat, et dicetis patrifamilias domus : Dicit tibi Magister : Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, et ibi parate. Euntes autem invenerunt, sicut dixit illis, et paraverunt pascha. Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo.* Et deinde consequenter refert institutionem Eucharistiæ eodem loco, tempore, et cœna factam. Idque ipsum refertur a Matthæo 26, et Marco 14, et satis constat ex dictis § præced. Habemus autem ex prædicto testimonio civitatem, et civitatis domum, et domus partem, in quibus Eucharistia instituta est. Nam quod ad civitatem attinet, manifestum est fuisse Hierusalem : tum quia hæc per excellentiam dicebatur absolute *civitas*. Tum etiam qui ab ista paulo post cœnam Christus egressus fuit secundum consuetudinem in Montem Olivarum ; et rursus in horto comprehensus reductus fuit in eandem civitatem ad domum Principis sacerdotum, ut constat ex historia Evangelii. Tum præterea quia vetitum erat extra illam agnum immolare, ut constat ex præcepto Deuteron. 16: *Non poteris immolare phase in qualibet urbium tuarum : sed in*

Locus institutionis. Luc. 22. Civitas. Deut. 16.

in loco, quem elegerit Dominus Deus, ut habitet nomen ejus ibi, (id est, ubi fuerit templum) *immolabis phase vespere ad solis occasum.*

Deinde in ea civitate designatur specialis domus cujusdam patris familias. Sed quis iste fuerit, nec in Evangelio dicitur, nec convenit inter Doctores. Fuisse autem Christo familiarem, ejusque discipulum, observant Lyra, Carthusianus, Maldonatus, N. Sylveira, et alii : idque haud obscure indicant illa verba: *Dicit tibi Magister :* non enim dixerunt, Magister meus, sed absolute Magister, meus, tuus, noster, et omnium. Jussit etiam Christus ei dicere, *Tempus meum prope est*, ut habet Matthæus, id est, tempus moriendi : quod non minimam manifestat illius hominis cum Christo familiaritatem, et quod notitiam haberet doctrinæ ipsius. Quis autem determinate fuerit, nequit ex Evangelio adhuc per conjecturas determinari : tacet enim tam nomen ejus, quam alia signa. Plane Nicephorus lib. 2, cap. 3, et Cedrenus *in compendio historiar.* censent fuisse S. Joannem Evangelistam, qui eam sibi domum emerat in Monte Sion. Sed id nobis inverisimile prorsus apparet : nam Joannes Evangelista fut unus ex duobus missis a Christo, ut sequerentur hominem amphoram aquæ portantem, ut in domo, quam ingrederetur, pararent pascha : fuit etiam, qui locutus est ad patrem familias illius domus dominum : ergo ille non fuit ipse paterfamilias dominus domus.

53. Verior sententia est hanc domum fuisse Joannis, qui cognominatus est Marcus, et fuit socius Pauli, et Barnabæ in prædicatione Evangelii. Et ita sentiunt Alexander Monachus in commendatione B. Barnabæ apud Surium tom. 3. Canisius lib. 5 *Marialis*, cap. 1. Jansenius, Adricomius, Cornelius. et alii, quos sequitur N. Sylveira tom. 5, lib. 7, cap. 4, quæst. 3, num. 28, dicens esse traditionem communem. Nec scrupulum contra hanc sententiam facere debet, quod Actorum 12, dicitur : *Venit Petrus in Domum Mariæ Matris Joannis, qui cognominatus est Marcus :* unde constat Mariam fuisse dominam illius domus : sed Christus non dixit, *Dicite Matrifamilias*, sed *Dicite Patrifamilias domus :* ergo Joannes cognominatus Marcus non erat dominus illius domus, ad quam missi sunt discipuli, et in qua instituta est Eucharistia. Id, inquam, levissimus est scrupulus, et facile propellitur : nam licet domus fuerit Mariæ ; tamen Joannes ejus filius illam regebat, et in eo sensu dicebatur paterfamilias : sicut non raro in domibus viduarum idem contingit. Fuit autem hæc Joannis domus felicissima, et sanctissima vel a sola sanctissimi sacramenti Eucharistiæ institutione in ea celebrata; cui velut ex consequenti plurima deinceps addit Deus beneficiorum insignia tum eodem fere tempore, tum in sequentibus, ut constat ex his, quæ referunt graves Auctores. Beda in lib. *de locis sanctis*, inquit : « In superiori montis Sion planitie « monachorum cellulæ frequentes Ecclesiam magnam circundant illic, ut perhibent, ab Apostolis ædificatam : eo quod « ibi Spiritum Sanctum acceperint, ibique « S. Maria obierit. In qua etiam locus Cœnæ « Domini venerabilis ostenditur. » Nicephorus lib. 8, cap. 30, ait : « Helena in Sion « amplissimum construxit templum, in « cujus porticu domum circumclusit, in « qua foribus clausis propter metum Judæorum discipuli fuerunt congregati : in « qua etiam sacra cœna peracta, sacraque « pedum lotio, nec non Spiritus Sancti in « cœnaculo adventus : in qua Jacobus quoque Episcopus renuntiatus est. » Addit Borchardus cap. 7, § 47 : « In qua Dominus post resurrectionem discipulis illic « congregatis apparuit, et in qua Matthias « sorte electus est. » Ejusdem etiam meminit D. Joannes Damascenus lib. 4, *de fide* cap. 14. Unde constat locum ab ipsa Eucharistiæ institutione fuisse sacerrimum.

Ejus domus privilegia. — Beda. — Niceph. — Borch. — D. Dam.

54. Sed cum in ea domo sicut in aliis ædibus plures essent partes ; dubitari posset, in quanam illius domus parte Eucharistia instituta fuerit ? Sed hoc dubium exclusit Evangelium eam designando illis verbis : *Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum et ibi parate.* Erat autem cœnaculum in ædibus illius Provinciæ pars superior ædium, veluti tabulatum, aut solarium. Et congruebat sublimis hic locus institutioni tanti mysterii, ut optime significavit D. Gregorius Nazianz. 41, n. 18 his verbis : « Jesus cum sublimioribus rebus « discipulos initiaret, mysterium in cœnaculo impertit. Ut illud indicetur, partim « Deum ad nos descendere oportere, quem « admodum olim in Moyse contigisse

Pars domus. — D. Naz.

« scimus : partim nos ad eum subvehi, sicqu « inter Deum, et homines consortium « inire. » Dicitur autem ab Evangelistis Luca, et Marco *magnum* et *grande :* quia vere ita erat, capax scilicet suscipiendi ad cœnam Christum cum duodecim Apostolis. Dicitur etiam *stratum*, hoc est, paratum, dispositum, et instructum ad solemne agni convivium : unde, ut observant Interpretes, credendum est ornatum fuisse tapetibus, floribus, frondibus, ac opportuna. aut pretiosa supellectili. Sic enim viri nobiles domos præparabant ad celebrationem Paschæ, sive esum agni. Sed Christus, qui pauperrimus erat, viliaque, ac humilia eligebat ab ipso præsepio, in quo natus fuit, cœnaculum adeo magnum, et tam honeste instructum elegit, non tam ut agnum materialem manducaret, sed ut honestissimo loco Eucharistiam institueret, doceretque Apostolos, et alios sacerdotes in locis nitidissimis, et purissimis Eucharistiæ mysterium oportere celebrari ; nullamque esse pompam, nullas divitias, et pretiositates, Nota. quibus ipsum dignissimum non sit. Quare admodum verosimile nobis apparet (quam- Baron. Gabriel. vis Baronius *anno Christi* 34, Gabriel lect. 52, in can. *Missæ*, et alii contra sentiant), calicem, in quo Christus consecravit vinum, fuisse ex agatha, sive ex calcedonio, ignito, valde pretioso, qui nunc servatur Henriq. Valentiæ, ut tuentur Henriquez lib. 9, Cartag. Leand. cap. 28, nu. 2, Cartagena hom. 26, *de Eucharistia*, alii, quos refert, et sequitur Leander tract. 7, disp. 1, quæst. 10. Patinum etiam, seu catinum fuisse ex Smaragdo lapide pretioso, ut nunc apud Genuenses ostenditur Quod tuentur Gra- Granad·s. nados tom. 5, tract. 1, *de Eucharistia* disp. 6, num. 4, Primus Cavilonensis, Erasmus, Stella, Urreta, et Salmeron, quos refert, et sequitur Leander ubi proxime quæst. 11. Mappas denique mensæ fuisse acu pictas, infertis liliis, quæ in templo S. Rochi Ulysiponensis servari dicuntur, ut ex Welterio refert Granados loco cit. num. 6. Hæc enim tametsi valde pretiosa potuerunt et præparari a patre familias pro solemni agni esu, et altiori providentia ordinari a Christo ad solemnissimam institutionem, primamque celebrationem Eucharistiæ, quam omnis pompa omnisque ornatus decebat.

§ IV.

De materia electa ad institutionem Eucharistiæ.

55. Constat pro corpore fuisse panem, et pro sanguine vinum : sic enim Evangelistæ et Paulus aperte asserunt, concordante perpetua Ecclesiæ traditione, cui nec hæretici hujus temporis repugnant. Sed tamen circa quamlibet earum specierum dubium speciale occurrit. Nam de pane, quem Christus consecravit, dubitari potest, an fuerit azymus, an fermentatus ? Qui autem panis hoc, aut illo modo vocetur, facile constat tam ex usu illum conficiendi, quam ex linguis Græca, et Latina. Solet namque aliqua massæ portio fieri, et conservari, donec accrescat : et hæc Græcis dicitur *Zymıs*, Latinis vero fermentum. Ubi autem panis fit ex illa portione mixta farinæ subactæ, Græcis dicitur *Zymitis*, et Latinis fermentatus. Quando autem fit ex sola farina, et aqua sine mixtione fermenti, dicitur Græcis *azymus*, et Latinis infermentatus, sive absque fermento. Quo pane azymo, aut infermentato utebantur quandoque Hebræi juxta veteris legis ritus, ut constat ex Scriptura. His suppositis.

Panis, et vinum hujus sacramenti materia.

An panis fuerit azymus.

Tenendum omnino est Christum consecrasse Eucharistiam in pane azymo. Sic sentiunt Doctores Ecclesiæ Latinæ, et nominatim D. Thomas quæs. seq. art. 4, cui subscribunt Theologi in eodem loco. Probatur motivo satis efficaci : nam Christus consecravit Eucharistiam die, sive luna decima quarta mensis primi, in secunda ejus vespera ad occasum solis : atqui eo tempore, aut solemnitate Hebræi non utebantur pane fermentato, sed azymo : ergo Christus, qui inter celebrandum eam solemnitatem cum omnibus suis legalibus, instituit Eucharistiam, non consecravit in pane fermentato, sed in azymo. Major constat ex late dictis toto § 2, ubi independenter a præsenti quæstione (ne illa moti discurrere videremur) ostendimus, Christum eo mense, et die Eucharistiam instituisse ; et hujus difficultatis nec minimum punctum attigimus. Minor etiam constat ex ipsa Scriptura : nam ut alia loca omittamus Exodi 12, dicitur : *Septem diebus azyma comedetis. In die primo non erit fermentum in domibus vestris : quicumque comederit fermentum*

Vera I... tiorū assert... D. Th... Fun... menti... Exo...

mentum, peribit anima illius de Israel a primo die usque ad diem septimum. Dies prima erit sancta, atque solemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis : nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent. Et observabitis azyma : in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti, et custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo. Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel tam de advenis, quam de indigenis terræ. Omne fermentatum non comedetis : in cunctis habitaculis vestris edetis azyma. Quam legem, sive cæremoniam tanta religione observabant Judæi, ut ab ipsa luna 14, et eadem nocte, qua immolabant, et comedebant agnum, soliti erant inquirere per domos fermentatum ad lumen lucernæ, ut illud e suis domibus ejicerent tanquam sibi prohibitum, et illius temporis spatio execrabilem, ut tradunt ipsi Hebræi in principio libri *Thalmudici*, qui *Pesachim*, sive Paschatum inscribitur, apud Jansenium *in Concordia* cap. 144.

Nota. Jansen.

Recurrunt Græci.

56. Nec momenti est, quod respondent Græci (apud quos communis est contraria sententia), Christum celebrasse Pascha, et comedisse agnum, et perinde Eucharistiam instituisse non in die, aut luna 14, sed in die, aut luna 13, præveniendo scilicet solemnitatem Paschæ, quia in proprio ejus die, nempe decimaquarta primi mensis moriturus erat. Constat autem, quod 13, non erat interdictus usus fermentati. Quare prædicto discursu minime evincere possumus, quod Christus consecravit in azymo.

Repelluntur.

Id, inquam, non satisfacit. Primo, quia istud Grecorum effugium ex recursu ad diem decimam tertiam præcisum a nobis est §, 2, fere per totum, et præcipue a num. 39, ubi ostendimus Christum cum discipulis celebrasse Pascha, sive comedisse agnum die ordinaria, et consueta secundum legem. Nec ullum hujus exceptionis, quam Græci prætendunt, vel motivum, vel vestigium rationabile assignari valet, quam eorum pervicax obstinatio in contradicendo Latinis : cum enim nequeant fundamentum a nobis propositum aliter diruere, compelluntur misere recurrere ad confictam illam antecessionen. Sed in casu dubii, si adesset (quod neminem mentis compotem negaturum existimamus), præsumendum est pro communi lege, et pro Christo, qui illius erat observantissimus. Comedit ergo Christus agnum paschalem in die, sive luna 14. ut lex jubebat; ea vero duratione prohibitus, illicitusque erat usus panis fermentati. Secundo, quia gratis pro nunc permisso, quod Christus prævenerit diem in lege assignatam, comedendo agnum, sive phase in die decima tertia; perstat adhuc propositum fundamentum : quoniam si Christus prævenit, transtulitque celebritatem agni a die 14 in diem 13, immediate antecedentem; prævenit, transtulitque eam profecto cum omnibus suis ritibus, et appendicibus legalibus : non enim adest fundamentum, ut dicamus fecisse dimidiatam præcise translationem; sive (et in idem recidit), quod quædam legalia illius solemnitatis observaverit, non autem cætera : præsertim cum oppositum præsumi omnino debeat, nempe Christum fecisse opus perfectum, et absolutum juxta præscriptum totius legis, quantum ipsa dies, et occasio permittebant. In cœna autem agni paschalis azymus tantum panis adhiberi poterat : et ab eo tempore per dies sequentes usque ad vigesimam primam interdicebatur usus panis fermentati. Cum ergo Christus vel inter cœnandum, vel post cœnam legalem agni instituerit Eucharistiam, ut supra diximus nu. 49, plane sequitur, quod illam in pane azymo consecravit, permisso etiam quod ipsam instituerit die, non 14, sed 13, ut affirmant Græci. A quibus proinde inquirendum est, quare Christus die decima tertia usus fuerit legalibus in comedendo agnum, non autem in comedendo azymum? Ad quod aliud respondere non possunt, quam non comedisse azymum, ne Eucharistiam in azymo consecraret. Sed id ridiculum est, et manifeste petit principium. Videatur Basilius Pontius in disp. *de agno typico*, cap. 31. Basilius Pontius.

57. Præmissum fundamentum satis erat ad rem hancevincendam. Sed tamen aliud addemus, quamvis Græcis non admodum gratum, quod est ejusmodi : nam quod Christus instituerit Eucharistiam in pane azymo, est communis sententia, et traditio Ecclesiæ Latinæ : sed hujus auctoritas plu- Firmatur eadem resolutio.

ris facienda est, quam Ecclesiæ Græcæ : eo quod in Latina sit prima sedes, et suprema auctoritas, cui tota Ecclesia, et consequenter Græcorum (quidquid clament schismatici,) subjici debet : ergo tenendum est Christum Eucharistiam consecrasse non in pane fermentato, sed in azymo. Utraque discursus præmissa est satis manifesta, et hic tanquam omnino certa præsupponi debet ex dictis in tract. 17, disp. 4, dub. 1, § 1, et alibi. Et huic principio innixi sicut et præcedenti, hanc veritatem docuerunt, et adversus Græcos assuererunt Gelasius I, et Leo I, ut refert Nicolaus I, epist. 42, Adrianus II, epist. 42, apud Baronium tom. 9, anno 868, et Leo IX, epist. 6, ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham, apud Baronium tom. 11, anno 1054, cap. 11, et alii Romani Pontifices.

Gelas. Primus Leo I. Nicol. I. Adrian. II. Leo IX.

Congruentiæ ex D. Thoma.

Nec desunt congruentiæ rationes, ut Christus Eucharistiam in pane azymo consecraverit, quas attigit D. Thomas loco supra citato, ubi docet « consuetudinem celebran« di in pane azymo esse rationabiliorem. » Et probat primo propter imitationem Christi (quod fundamentum jam proposuimus). « Secundo, inquit, quia panis est proprie « sacramentum corporis Christi, quod sine « corruptione conceptum est » In quo motivo alludit ad similia verba D. Gregorii in Registro, quæ prius allegaverat : « Ro« mana Ecclesia offert azymos panes, prop« terea, quod Dominus sine ulla commix« tione suscepit carnem. Deinde prosequi« tur : Tertio, quia hoc magis competit sin« ceritati fidelium, quæ requiritur ad usum « hujus sacramenti, secundum illud I ad « Corinth. 5: Itaque epulemur in azymis « sinceritatis, et veritatis. »

D. Greg.

Sentent. Græcorum.

58. Oppositam sententiam defendunt Græci, et tam mordicus eorum aliqui, ut censeant Eucharistiam in pane azymo non valide consecrari, ut constat ex eorum Patriarcha Jeremia in censura Confessionis Lutheranæ, cap. 10. Illis ex parte suppetias detulit Calvinus (sic Romanam diligebat Ecclesiam) lib. 4 *Instit*: cap. 17, § 43, ubi dicit parum referre, quod in azymo, aut fermentato fiat consecratio ; universalem tamen Ecclesiam ante Alexandrum Papam consecrasse in fermentato : et hunc ab illo introductum usum reprehendit. Unde ejus discipuli in cœna sua utuntur pane communi, et fermentato. Sed nos modo a praxi, et usu observandis præscindimus ; de quibus dicemus disp. 4, dub. 1, § 4, et solum de prima Eucharistiæ consecratione tractamus. Eam autem fuisse in pane fermentato probant Græci primo : nam Christus celebravit ultimam cœnam, (in qua Eucharistiam instituit) die 13 primi mensis : ergo consecravit in pane fermentato. Antecedens persuadere satagunt omnibus motivis propositis num. 4. Consequentiam autem ex eo colligunt, quod in die 13 primi mensis nulla erat prohibitio utendi pane fermentato. Secundo, quia panis, in quo Christus consecravit, in textu Græco dicitur *artos*, et derivatur a verbo, quod significat elevare : proprium autem fermenti est elevare : unde panis fermentatus est communiter elevatus : Christus igitur in hujusmodi pane consecravit. Tertio, quia non est credibile Christum, cum consecravit Eucharistiam, et novam Evangelii legem inchoabat, dedisse nobis occasionem judaizandi : sed uti azymis fuit legalis, et judaica cæremonia, ut constat ex loco Exodi supra relato : ergo dici non debet, quod Christus in azymo Eucharistiam instituerit. Quinto, quia panis fermentatus ob mixtionem duarum naturarum farinæ, et fermenti habet altissimam et optimam significationem : quippe repræsentat unionem duarum naturarum in Christo : ergo magis verisimile est, quod Christus in eo instituerit sacramentum. Quinto, nam Patres Græci, qui plurimi, et doctissimi fuerunt, sic senserunt de prima Eucharistiæ consecratione : unde ipsi non in azymo, sed in fermento consecrabant : est igitur Græcorum opinio sententiæ Latinorum in hac causa præferenda.

Jremias. Patriarcha. Calvinus et sequaces. Argumenta. Primum. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum.

Dissolvuntur.

Hæc tamen parum urgent. Ad primam enim respondetur negando antecedens, cujus probationes diluimus loco cit. Dato etiam antecedenti, negamus consequentiam ob ea, quæ num. 56 observavimus. Ad secundam dicendum est argumentum desumptum ex radice vocabuli esse communiter levis efficaciæ. Concesso autem, quod panis apud Græcos dicatur ab elevando ; tamen id habet, quia auget, et elevat vires, quod omni pani commune est. Unde Exodi 28, num. 6, ubi sermo est de pane azymo, Græci habent idem vocabulum *artos*, quod modo nobis objicitur. Ad tertiam respondemus in usu azymi pro Eucharistia nos minime judaizare, nec Christum id docuisse. Et objectionem optime retundit, regeritque

Tho. geritque in opponentes Div. Thom. loco cit. in resp, ad 2, his verbis : « Dicendum, « quod conficientes ex azymo non intendunt cæremonias legis servare ; sed conformare se institutioni Christi. Et ideo « non judaizant. Alioquin et celebrantes in « pane fermentato judaizarent : quia Judæi « panes primitiarum fermentatos offerebant. » Quod plane constat Levitic. 7, et 23, alibi. Itaque ad judaizandum non sufficit uti aliqua cæremonia apud Hebræos usitata ; sed necesse est eam adhibere ut nunc necessariam per illam legem. Quod nos minime facimus, cum consecramus in azymo : nec enim succingimur, nec baculos in manibus tenemus ; nec alios ritus exequimur : sed præcise imitari intendimus primam Christi institutionem. Ad quartam dicimus panem etiam azymum habere optimas significationes, ut vidimus num. 57. Aliunde vero necessarium non est, quod Eucharistiæ panis significet unionem duarum naturarum in Christo. Et hanc ipsam unionem significare valet panis azymus, ut factus ex duabus naturis farinæ, et aquæ. Ad quintum respondemus nos non reprobare, nec illicitum censere usum Græcorum consecrantium in pane fermentato : reprobare autem, quod ipsi hunc usum præferant consuetudini, et traditioni Ecclesiæ Latinæ, et quod hanc sugillare audeant. Illa vero, quæ ultimo motivo inserunt de auctoritate suorum Patrum dispellere censuimus non aliis verbis, quam Innocentii Tertii lib. 4, *de altaris mysterio*, cap. 4, in fine, ubi ait : « Ecclesia « Romana ab ipsis Beatis Apostolis Petro, « et Paulo, quos et vivos habuit, et defunctos custodit, hujus sacrificii ritum accepit, « quem hactenus inviolabili cultu servavit. « Græci vero postquam tunicam Domini « inconsutilem diviserunt, ut perpetuæ « divisionis scandalum interponerent, sacrificii ritum mutaverunt, quos Leo Nonus « per epistolam ad Imperatorem Constantinopolitanum directam super variis confutavit hæresibus, qui Latinos Azymitas « vocabant, cum ipsi verius Fermentarii « nuncupentur. »

Innoc. III.

Dubium circa materiam calicis.

59. Altera, licet præcedenti persimilis, quæstio occurrit circa aliam Eucharistiæ speciem, nempe an vinum, quod Christus consecravit, et in proprium sanguinem convertit, fuerit purum, an vero aqua mixtum? Ad quam respondetur amplectendo omnino secundam partem. Illam tamen probare non possumus ex Evangeliis, aut loco alio divinæ Scripturæ : in his enim nullam hujus mixtionis mentionem reperimus. Sed aliunde nobis constat ex satis communi Ecclesiæ traditione : quam possumus multipliciter demonstrare. Nam in primis sic docent Concilia : Florentinum enim in decreto fidei, quod est post sess. ult. § *Tertium est Eucharistia*, inquit : « Aqua autem ideo admiscetur vino : quoniam juxta testimonia Sanctorum Patrum creditur ipsum Dominum in vino « aqua permixto hoc instituisse Sacramentum. » Et Concilium Tridentinum sess. 22, cap. 7, ait : « Monet deinde Sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent : tum quia Christum « Dominum ita fecisse credatur etc. » Et similia dixerunt Concilium Carthaginense tertium, cui interfuit Divus Augustinus can. 24, Bracharense tertium can. 1, Aurelianense quartum, can. 4, Trullana Synodus, con. 32. Et Concilium Africanum can. 4, ait : « In sacramento corporis, et « sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, « et hoc est panis, et vinum aqua mixtum. » Et sic etiam docuerunt Summi Pontifices, Alexander I, epist. 1, cap. 4, Eugenius IV, in decreto Florentino proxime allegato, Julius Papa, cujus meminit Eugenius in prædicto decreto, et alii. Constat præterea eadem traditio ex antiquissimis Liturgiis : nam Jacobus frater Domini in sua (est in 6, tomo Bibliothecæ sacræ) hæc habet : *Similiter postquam cœnavit, accipiens calicem, et permiscens ex vino, et aqua, et aspiciens in cœlum etc.* » Quod testimonium allegat Synodus Trullana canone cit. Marcus etiam Evangelista *in sua Liturgia* inquit : *Similiter et calicem, postquam cœnavit accipiens, factaque vini, et aquæ commixtione etc.* In Missa etiam, sive Liturgia antiquissima Æthiopum, quam in Latinum transtulit Genebrardus, dicitur : « Orabo, « quando ponitur vinum, et aqua in calice « a Diacono. » Et conformiter ad hæc procedit etiam D. Basilius *in sua Liturgia*.

Resolutio. Concil. Florent. Concil. Trident. Carthag. Tertium. Brachar. Aurel. African. Alex. I. Eug. IV. Julius. Papa. Liturgia D. Jacobi. Liturgia. D. Marc. Liturgia Æthiop. Liturgia D. Basil.

Constat insuper et non minus evidenter de eadem traditione ex satis communi Patrum doctrina : nam D. Cyprianus epist. 63, quæ est tertia libri secundi, scribens contra illos, qui vinum absque ulla aqua

D. Cyp.

consecrabant, inquit: *Non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus, et Deus noster, sacrificii hujus auctor, et doctor fecit, et* D. Hier. *docuit.* D. Hieronymus in illud Marci 14: *Amen dico vobis, quia non bibam,* inquit: *Accepit Jesus panem, et benedixit, et fregit etc. formans sanguinem suum in calice vino, et aqua mixto: ut altero purgemur a* D. Dam. *culpis, altero redimamur a pœnis.* D. Damascenus lib, 4, *de fide*, cap. 14, ait: *Similiter autem accipiens et calicem ex vino, et aqua etc.* Clemens Roman. Theod. D. Amb. D. Aug. Alii. Clemens lib. 8 *Constit.* cap: 17: *Miscens ex vino, et aqua* etc. Theodoretus in *dialogo* 1: *Christus suum sanguinem fecit, quod in calice commixtum erat.* Et similia dicunt D. Ambros. lib. 4, *de sacramentis*, cap. 4, et lib. 5, cap. 1. D. August. 120, in Joan. Eusebius Emissenus serm. 5, *de Paschate.* D. Isidorus lib. 1, *de officiis*, cap. 18. Beda in cap. 14 *Marci*, et 22 *Lucæ*. D. Bernardus epist. 69. Rabanus lib. 1, *de institut. Clericorum*, cap. 31, et alii, quos prolixum esset referre. Sed omnium loco damus testimo- Concil. Florent. nium Concilii Florentini loco cit. qui hic præ oculis haberi debet: nam ex eo evidenter constat hanc fuisse illo tempore communem Ecclesiæ traditionem exceptis præcise Armenis: concurrentibus, enim ex terrarum orbe Latinis, et Græcis, docuit in hunc modum: « Cum ergo tam Sancta « Romana Ecclesia a Beatissimis Apostolis « Petro, et Paulo edocta, quam reliquæ « omnes Latinorum, Græcorumque Eccle- « siæ, in quibus omnis sanctitatis, et doctri- « næ lumina claruerunt, ab initio nascen- « tis Ecclesiæ sic servaverint, et modo « servent, inconveniens admodum vide- « tur, ut alia quævis regio ab hac univer- « sali, et rationabili discrepet observantia. « Decernimus igitur, ut ipsi etiam Armeni « se cum universo orbe Christiano confor- « ment, eorumque sacerdotes in calicis « oblatione paululum aquæ, ut dictum est, « admisceant vino. » Porro principale motivum hujus dispositionis videtur fuisse, quod Concilium insinuavit in verbis supra relatis: « Creditur ipsum Dominum in « vino aqua permixto hoc instituisse sa- « cramentum. »

Rationes congruentiæ ex D. Thoma. Rationes autem congruentiæ, ut Christus consecraverit vinum aqua mixtum, optime proponit D. Thomas quæst. 74, art. 6, ubi postquam ostendit conveniens esse, quod aqua vino misceatur in consecratione calicis, primo quidem ad imitandum primam Christi consecrationem, statim subdidit: « Secundo, quia hoc convenit repræsenta- « tioni dominicæ passionis. Unde dicit « Alexander Papa: Non debet in calice « Domini aut vinum solum, aut aqua sola « offerri, sed utrumque permixtum: quia « utrumque ex latere ejus in passione sua « profluxisse legitur. Tertio, quia hoc con- « venit ad significandum effectum hujus « sacramenti, qui est unio populi Chris- « tiana ad Christum: quia ut Julius Papa « dicit, videmus in aqua populum intel- « ligi, in vino vero ostendi sanguinem « Christi. Ergo cum in calice aqua « miscetur, Christo populus adunatur. « Quarto, quia hoc competit ad ultimum « effectum hujus sacramenti, qui est introi- « tus ad vitam æternam. Unde Ambros. « dicit in lib. de sacram. Redundat aqua « in calicem, et salit in vitam æternam. » Alias congruentias addunt Guillelmus Duran. lib. 4, *rationalis* cap. 30, et Suarez disp. 65, sect. 2. Guille Durai Suarez

60. Contrariam communi traditioni sententiam convincuntur illi tenere, qui negant aquam miscendam esse, et addendam vino in consecratione calicis. Sic sentiebant Armeni, ut constat ex decreto Concilii Florentini supra relato. Castro etiam adversus hæreses, verbo *Eucharistia* hæresi 7, et quidam alii dixerunt errorem hunc de non miscenda aqua, non solum fuisse Armenorum, sed et Græcorum. Melius autem observavit Caietanus in Comment. ad art. 5, quæst. 74, Græcos in illo errore non fuisse, ut convincitur illo Concilii coram Græcis celebrati decreto, quod solum ad Armenos dirigitur. Porro Lutherani, et Calvinistæ nullam aquam suo calici miscent: quin Lutherus in formula Missæ pro Ecclesia Witembergensi, id facere censet stultum. Kemnitius majori aliqua moderatione se gessit in 2 p. examinis Tridentini sess. 22, cap. 7, dicens rem esse indifferentem, et incertum esse, quid Dominus fecerit, miscueritne aquam vino, an non. Calvinistæ neque in Catechismo, neque in formula sacramentorum mentionem faciunt aquæ miscendæ, ut observat Kelisonus quæst. 74, artic. 6. Igitur Christum in prima hujus sacramenti institutione non miscuisse aquam, nec usum hujusmodi derivari ex imitatione Christi (id quod pertinet ad præsentem considerationem). Nam utrum absolute debeat hæc mixtio fieri

Qui cueri oppo tum — Arme — A etia Gra — Luth ni Cal nis

fieri, et quo præcepto, divino, vel humano, discutiendum est disp. 4, dub. 3, potest suaderi aliquibus fundamentis.

Motiva præmissæ sententiæ. Primo, quia Innocentius III, in cap. *In quadam nostra*, de celebratione Missarum, affirmat non posse vero argumento ostendi, aquam esse vino miscendam, nisi de latere Christi fluxisset aqua, et sanguis. Quod falsum esset, si Christus vinum aqua temperatum consecrasset : tunc enim ipso facto, atque exemplo induceremur ad hujus imitationem : ergo Christus non consecravit in vino temperato, sed puro, Sapientissimus etiam Doctor, atque in his rebus versatissimus Thomas N. Waldensis tom.3, *de sacramentis* tit.4 , cap. 32, n. 10, aperte docet Christum non miscuisse vinum aqua ad consecrandum calicem ; et Ecclesiam non accepisse formam hujus mixtionis ab exemplo Christi, qui illam fecerit, sed a fluxu sanguinis, et aquæ ex latere Christi post mortem. Fatetur tamen (ut pium adeo, et catholicum Doctorem decebat); præceptum esse hujus mixtionis, et omnino servandum. Secundo, quia si Christus miscuisset vinum aqua in calice consecrando, id utique fecisset ad temperandum vinum juxta morem Palestinorum ; hoc autem est falsum : ergo Christus non præmisit illam mixtionem. Probatur minor : tum quia potus ille modicus non ordinabatur ad corporis refectionem, sed ad mysterium, eratque dividendus inter multos : quare illo temperamento minime egebat. Tum quia si ob temperantiam facta fuisset mixtio ; non modicissima aqua misceretur, sed justa aliqua quantitas : cujus oppositum constat ex Ecclesiæ praxi. Tertio, quia ut arguunt Lutherus, et Kemnitius locis supra relatis, mixtio aquæ cum vino habet in Scriptura pessimam significationem : unde Isaiæ 1, dicitur, *Vinum tuum mixtum est aqua :* qua similitudine dicit D. Hieronymus ibidem significari sinceritatem corruptam fuisse a Judæis. Ergo non est credendum, quod Christus vinum aqua miscuerit pro tanti Sacramenti institutione. Quarto, quia ex opposito fieret non posse calicem in solo vino valide consecrari : quod tamen est contra communem Doctorum sententiam. Sequela ostenditur : nam quia Christus consecravit in pane triticeo, colligimus panem triticeum esse materiam necessariam sacramenti, istudque non posse aliter confici : ergo si Christus consecravit in vino temperato, ut asserimus, consequenter dicere debemus vinum aqua mixtum esse materiam necessariam Sacramenti, et speciem calicis non posse valide consecrari in vino puro.

(Margin: Primum. — Innocen. Tertius. — N. Wal. — Secundum. — Tertium. — Isaiæ I. — D. Hier.)

61. Ad primum respondetur Innocentium loqui de argumento expresse in Scripturis commemorato, quia in nullo earum legimus Christum ad instituendam Eucharistiam vinum aqua miscuisse, ut supra jam observavimus. Si aliquod vero ab Scripturis argumentum, vel congruentiæ motivum desumendum est, illud plane occurrit in profluvio sanguinis, et aquæ ex latere Christi : ad quod mystice repræsentandum potuit Ecclesia rationabiliter præcipere aquæ cum vino consecrando mixtionem, ut expendit Innocentius Qui tamen non negat Christum in instituendo Eucharistiam calicem temperasse : sed negat præcise (et quidem merito) id contineri explicite in Scripturis. Quod ad Venerabilem nostrum Waldensem attinet, fatemur sapientissimum hunc Doctorem in ea sententia fuisse. Sed ut ipsum vindicemus a calumniis, quibus eum Recentiores aliqui (cum alias communiter ab ipso hauriant), percellere tentant : animadvertendum est duas in hac materia distinguendas esse propositiones, nempe « Aqua « vino consecrando admiscenda est, et « Christus instituens Eucharistiam vinum « aqua miscuit. » Prima propositio est de fide propter diffinitiones Concil. Florentini, et Tridentini : ex quibus habemus eam mixtionem esse non solum licitam, et convenientem, sed etiam necessariam necessitate præcepti, saltem Ecclesiastici, ut fusius expendemus disput. 4, dub. 3. Nec id unquam negavit Waldensis, sed potius constantissime, ut solet, contra hæreticos hujus ritus impugnatores asseruit. Secunda vero propositio non habet, et minus tunc habebat eam certitudinem : quippe non pauci Doctores tam ante, quam post Waldensem senserunt ritum miscendi aquam vino consecrato ortum minime duxisse ex facto, aut exemplo Christi, qui id fecerit ; sed ex consuetudine, et præcepto Ecclesiæ. Sic enim Rabanus aperte docuit in lib. *de corpore, et sanguine Domini*, cap. 8, ubi ait: « Quare aqua in sanguine misceatur, dum « in natalicio calicis » (sic vocat primam sacramenti institutionem) « factam fuisse non « legimus ? Illa maxime causa est, quia de la-

(Margin: Solvitur primum. — Defenditur Waldensis. — Qui cum eo senserint. — Raban.)

« tere Christi, ubi passio impletur, sanguis « pariter cum aqua manavit. Quod certe mysterium Apostoli plane intelligentes faciendum in calice censuerunt, ut nihil nobis deesset in hoc Sacramento ad commemorationem passionis, quod tunc extitit in « cruce ad confirmationem nostræ redemp-

Paschas. « tionis. » Et eadem verba habet Paschasius Rabertus Abbas Corbeiensis in lib. *de corpore, et sanguine Domini*, cap. 11. Senserunt itaque ritum miscendi aquam non fuisse institutum a Christo Domino, sed

Guillel. Duran. derivari ex Apostolica institutione. Guillelmus Duran. vir satis doctus loco supra cit. affirmat hunc ritum introductum fuisse per Alexandrum I, Romanum Pontificem. Et plane ipsa Romana Ecclesia in commemoratione hujus Divi, die tertia Maii, inquit : « Is constituit, ut tantummodo panis, et vinum in mysterio offerretur : « vinum autem aqua misceri jussit propter « sanguinem, et aquam, quæ ex Jesu Chris-

Alexander I. « ti latere profluxerunt. » Quin Alexander ipse loco supra citato, non dicit aquam esse miscendam vino, quia Dominus eam miscuerit, sed ut celebretur passio Christi : eamque traditionem fatetur se *a Patribus accepisse. A Patribus* dixit, non a Christo.

Innoc. Et eodem fere modo se gerit Innocentius

Durand. III, in cap. supra relato. Præterea Durandus dist. 11, quæst. 5, aperte sentit rem hanc incertam esse, nempe an Christus vinum ad consecrandum temperaverit, et primus Eucharistiam sic instituerit. Et quod nobis summi ponderis est, ipse Angelicus Doctor, et Theologorum Princeps

D. Tho. D. Tho. minime attribuit huic rei omnimodam certitudinem, ut palam constat ex quæst. 74, art. 6, ubi ait : « Dicendum, « quod vino, quod offertur in hoc sacra- « mento, debet aqua misceri. Primo qui- « dem propter institutionem : probabiliter « enim creditur, quod Dominus hoc sacra- « mentum instituerit in vino aqua per- « mixto. » Non dixit, *Certa, aut catholica fide credetur :* sed *probabiliter creditur*, hoc est, credulitate pia, prudentiali, et humana, quæ non excludit formidinem partis contrariæ, aut quod sibi falsum subesse queat. Cum igitur res ita se habuerit ; mirum non est Venerabilem Waldensem ita sensisse, amplectendo sententiam Rabani, Paschasii, et aliorum, prout sua, aut Ecclesiæ potius, quæ tunc versabat, referre inculpabiter censuit.

62. Nec propterea diluimus vires eorum, quæ supra expendimus : nam licet nullum hactenus Concilium diffinierit Christum pro instituendo Eucharistiam vinum aqua miscuisse : nihilominus Concil. Florentinum, Tridentinum, Africanum, et Trullana Synodus, ut diffiniant, præcipiantque hujusmodi mixtionem a Sacerdotibus faciendam, præmittunt inter alias rationes præambulas, quod Christus ita fecerit. Id vero, etsi non fundet necessariam fidem circa motivum (præsertim ubi recensentur alia), maximæ tamen auctoritatis est. Accedunt etiam alia motiva tum ex antiquissimis Liturgiis, tum ex Patrum testimoniis, quæ supra expendimus. Quare tanquam Nota. certissimum nunc tenemus, quod Christus consecraverit in vino temperato : nec censeremus immunem omnino ire, qui hoc tempore obnixe propugnaret oppositum. Et istud nostrum judicium prævenisse videtur Suarez disp. 65, sect. 2, in fine ubi Suarez. ait : « Verior tamen, et fere certa sententia est Christum consecrasse in vino aqua « mixto. » Et infra : « Multum inclinavit « in hanc sententiam Tridentinum. » Non dixit eam docuisse, aut diffinivisse. Sic plane sæpius contigisse observamus, ut res quæ uno tempore poterat probabiliter, et pie defendi, nequeat absolute, aut ita probabiliter sustineri, ob magis explicatam Patrum doctrinam, et alia occurrentia motiva.

63. Ad secundum respondemus Chris- Occurritur secundo motivo. tum quidem de facto miscuisse vinum, se accommodando Palestinorum consuetudini : sed tamen intendisse mysterii significationem, et ideo modice miscuisse. In quo sensu concessa majori, et negata minori, cessant probationes, quæ pro ea suadenda inducuntur. Illa namque mixtio quamvis facta juxta morem gentis, non ordinabatur principaliter ad corporis refectionem, sed fiebat propter mysterium : pro quo repræsentando, ut etiam modo fit, sufficit modicissima aqua. Et in hoc etiam sensu accipienda est prima ratio D. Thomæ, quam late urget Hugo Ætherianus lib. 2, *contra* Hugo. Æther. *Græcos*, cap. 16. Revera tamen non est ratio principalis; sed evincit præcise factum Christi, permittendo altiora ex mystica significatione motiva, quæ in sequentibus expendit.

Ad tertium negamus consequentiam : Satisfit tertio. quia frequens est in sacra scriptura, quod eadem

eadem res nunc habeat bonam significationem, nunc malam. Sic fermentum habet bonam significationem Matth. 13, malam autem, 1 ad Corinth. 5. Sic etiam leo habet bonam significationem Genes. 49, et Apocalyp. 5, malam autem Psalm. 90, et 1 Petri 5. Idemque facile est aliis exemplis confirmare. Ad hunc itaque modum mixtio vini cum aqua malam habet significationem, præsertim ubi fit a cauponibus, qui illud adulterantes vendunt impurum pro puro : et in hoc sensu procedit locus, qui nobis objicitur. Sed habet etiam bonam significationem, maxime cum fit a bibentibus : nam denotat sobrietatem, et temperantiam, juxta illud, quod dicitur
Prov. 9. Proverb. 9: *Bibite vinum, quod miscui vobis.* Et magis adhuc bonam significationem habere potest, ubi ea mixtio fit ad aliquod supernaturale mysterium repræsentandum : sicut Christum fecisse credimus, et satis constat ex supra dictis.

Diluitur ultimum. Ad ultimum negamus sequelam. Ad cujus probationem concesso antecedenti in sensu statim declarando, negamus consequentiam. Et ratio disparitatis duplex assignari potest. Prima, quod panem esse materiam necessariam ad Eucharistiam necessitate sacramenti, constat ex facto Christi, adjuncta Ecclesiæ communi intelligentia, et traditione : sed quod aqua sit materia necessaria necessitate sacramenti, nulla docet Ecclesiastica traditio. Secunda, quod recte procedit consequentia a principali ad secundarium : panis autem triticeus est materia principalis Eucharistiæ, et idem dicimus de vino : sed quod vinum misceatur aqua est quid secundarium : sicut et quod panis sit azymus. Quare sicut non est necessarium necessitate sacramenti, quod panis sit azymus ; sic nec necessarium ea necessitate est, quod vinum sit mixtum, sive temperatum.

§ V.

De personis, quæ Eucharistiam in sua institutione susceperunt.

Supponitur fuisse Apostolos. 64. In communi loquendo constat fuisse Apostolos, ut satis evidenter deducitur ex Evangelio : nam Matth. 26, inquit : *Vespere autem facto discumbebat cum duo-*
Matt. 26. *decim discipulis suis.* Et post aliqua : *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite, et comedite, Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et Marcus 14, ait : *Vespere autem* Marc. 14
facto venit cum duodecim... Et manducantibus illis accepit Jesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait : Sumite, Hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes. Lucas. 22, inquit : *Et cum facta esset hora,* Luc. 22.
discubuit, et duodecim Apostoli cum eo, et ait illis etc. Ex quibus in communi loquendo manifeste liquet primos ad Eucharisticum epulum convivas fuisse Apostolos, hosque sacramentum in prima sui institutione suscepisse. Sed occurrit specialis difficultas circa alias personas, an videlicet tunc communicaverint. Et primo dubitatur de ipso Christo Domino ejusdem Eucharistiæ auctore, et institutore. Secundo de B. Virgine Maria. Tertio de Juda proditore. Ad quas difficultates eodem ordine breviter respondere curabimus.

Et quod ad Christum attinet, « aliqui, » ut refert D. Thomas quæst. 81, art. 1, « dixerunt, quod Christus in cœna corpus, « et sanguinem suum discipulis suis tradi- « dit ; non tamen ipse sumpsit. » Et hanc sententiam, quam communiter omnes Theologi impugnaverant, et quæ nullam auctoritatem habebat, Lutherus in lib. *de abroganda Missa privata*, a mortuis suscitavit, negans Christum se ipsum in sacramento sumpsisse. Et probatur primo : quia in nulla scriptura Canonica legitur, quod Christus acceperit sacramentum : erga qui id asserunt, loquuntur sine fundamento. Secundo, quia inconveniens apparet, quod Christus fuerit intra se ipsum : quod tamen consequenter admitti debet ex suppositione, quod Christus sumpserit Eucharistiam. Tertio, quia Christus non potuit suscipere sacramentum sacramentaliter, nec spiritualiter : ergo illud non accepit. Antecedens declaratur, et probatur : quia suscipere sacramentum istud sacramentaliter tantum est suscipere corpus, et sanguinem Christi sub speciebus absque ullo effectu, aut fructu spirituali : suscipere autem sacramentum spiritualiter est hoc ipsum percipere cum spirituali fructu. De Christo autem dici non debet, quod sumpserit Eucharistiam absque

Sententia Lutheri negantis Christum suscepisse Eucharistiam

omni fructu : talis enim sumptio nec ipsum decebat, nec in ullum rationabilem finem ordinari poterat. Rursus dici non potest, quod aliquem spiritualem fructum ex communione perceperit : quia ipse supponebatur plenus gratia, et veritate. Et aliunde non decebat ipsum subdi sacramentis seu rebus corporeis in percipiendo ullum spiritualem effectum. Si enim hic modus proficiendi non congruebat hominibus in statu innocentiæ, ut ostendimus tract. præced. disp. 3, dub. 1 et 2, multo minus in Christo admittendus est.

Vera sententia. 65. Sed affirmans sententia est communis inter Catholicos. Nam Patres in primis, quotquot rem attigerunt, eam aperte significarunt. D. Dion. Antiquissimus enim Dionysius in cap. 3, *de Ecclesiast. hierarch.* agens de sacra communione inquit : « Facit, ut divinam illam cœnam, et quæ primum signum fuit eorum, quæ perficiuntur, sacra memoria recolant : in qua etiam ipse signorum effector, et author jure optimo privat sorte eum, qui non sancte, nec concordi animo sacramenta secum sumpserat, » ubi ly *sacramenta secum sumpserat* aperte denotat ipsum etiam illa sumpsisse. D. Hier. D. Hieronymus epist. 150, ad Hebr. etiam ait : *Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus, ipse conviva, et convivium, ipse comedens, et qui comeditur.* Et eandem fere sententiam repetit in cap. 11 *Oseæ* ubi loquens nomine Christi ait : *Dedi eis esum corporis mei, ipse cibus, et conviva.* D. Chrys. D. Chrysostom. hom. 83, in Matth. agens de calice consecrato ait : *Ipse quoque bibit ex eo* etc. ut infra referemus. Euthym. Euthymius in cap. 22 *Lucæ,* addit : *si poculum accepit, utique et panem.* Glossa. Glossa ordinaria in illud Ruth. 3, *Cum comedisset,* relato etiam Theodoreto inquit : *Christus comedit, et bibit in cœna, cum corporis, et sanguinis sui sacramentum discipulis tradidit : unde quia pueri communicaverunt carni, et sanguini, et ipse participavit eisdem.* Et idem asseruerunt alii Patres, ut infra expendemus. Porro Scholastici, et Theologi D. Tho. id unanimiter docent. Angelicus Doctor in 4, dist. 11, quæst. 3, art. 1, ubi ait : « Propter hoc communius tenetur, quod Christus manducaverit, secundum quod sancti expresse dicere videntur. Unde et ab antiquis versus est factus : Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena. Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus. » Et loco supra cit. ex hac 3 part. post verba ibi relata subjunxit : « sed hoc non videtur convenienter dici etc. » Similiter loquuntur B. Albertus Magnus in 4, dist. 12, art. 15. B. Alb. D. Bon. D. Bonaventura dist. 9, artic. 1, quæst. 4. Richard. Alensis. Richardus dist. 11, artic. 4, quæst. 1. Alensis 4, part. quæst. 44, memb. 1 et 2. Gabriel in canon. lect. 37. Gabriel. Sotus dist. 12, quæst. 2, art. 1. Soto. Vazq. Palacios dist. 9, disp. 1 et 2. Clicthoueus lib. 2, *de officio Missæ,* cap. 21. Vazquez in comment. ad art. 1, quæst. 81, ubi etiam Suarez, Suarez. et disp. 75, sect. 2, § sexta, et ultima, Aversa quæst. 9, sect. 1, et alii communiter, tam Thomistæ, quam extranei ad loc. cit. ex 3 p.

Probatur multipliciter. Quamvis autem hæc veritas non habeatur expresse in scriptura, deducitur tamen satis efficaciter ex illa optimis conjecturis. Et suadetur primo ex illis Christi verbis Lucæ 22 : Luc. 22. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum* : quæ verba referri non solum ad pascha vetus, atque legale, sed etiam ad novum, et mysticum Eucharistiæ docent Tertullianus lib. 4, Tertull. *contra Marcion.* cap. 40. D. Hier. D. Hieronymus in cap. 26. Matth. Emissen. Eusebius Emissenus, quem refert, et sequitur D. Thomas *in Catena ad illum locum,* et alii : desideravit ergo Christus manducare, et manducavit istud pascha, sive Eucharistiam, cum discipulis. Secundo ex aliis verbis Christi Lucæ 22 : *Non bibam amodo de generatione vitis* etc., nam licet Lucas hæc verba referat ante consecrationem, videtur tamen per anticipationem dixisse : Matthæus enim, et Marcus illa post consecrationem referunt, et ita intellexit D. Aug. D. Augustin. lib. 3, *de consensu Evangelist.* cap. 1. Unde sermonem ibi esse non de calice communi, sed de calice sanguinis docent D. Augustin. loc. citat. Origen. Origen. tract. 35, in Matth. D. Cyp. D Epiph. Div. Cyprianus epist. 63, *ad Cæcilium,* num. 4. Div. Chrysostom. homil. 83, in Matth. Div. Epiphanius hæres. 37, circa finem, Euthymius in cap. 26, Matth. explicans illum locum, et alii. Porro Christum bibisse tunc ex illo calice satis manifestant verba producta, et expresse affirmat D. Chrysostom. loco citato ; sumpsit igitur Christus in illa cœna Eucharistiam. Tertio ex illis verbis apud Evangelistas, *Accepit Jesus panem, accepit calicem :* nam congruentissime exponi possunt non solum de sumptione in manibus, sed etiam in ore, ut observavit D. Tho. D. Thom. quæst. 81, art. 1, ad 1, his verbis : « Dicendum,

« cendum, quod in Evangeliis legitur, « quod Christus accepit panem, et calicem. « Non est autem intelligendum, quod acce- « ceperit solum in manibus, ut quidam « dicunt : sed eo modo accepit, quo aliis « accipiendum tradidit. Unde cum disci- « pulis dixerit, Accipite, et comedite, et « iterum, Accipite, et bibite; intelligen- « dum est, quod ipse accipiens comederit, « et biberit. » Et quamvis Suarez, et Vazquez locis relatis dicant id motivum esse levis momenti, tamen vel sola expositio Angelici Doctoris sufficit ad magnam illi conciliandam auctoritatem : pertinet enim ad sacros Ecclesiæ Doctores eruere, et nobis proponere legitimam scripturarum sententiam, quam Recentes revereamur.

Rationes congruentiæ ex D. Thom. et Chrys. 66. Nec desunt pro communi hac sententia rationes congruentissimæ. Optimam tradit D. Thomam loco immediate cit. in corp. art. ubi relata sententia negante Christum sumpsisse Eucharistiam, subjunxit: « Sed hoc non videtur convenienter « dici. Quia Christus ea, quæ ab aliis obser- « vanda instituit, ipse primitus observavit. « Unde ipse prius baptizari voluit, quam « aliis baptismum imponeret, secundum « illud Act. 1. Cœpit Jesus facere, et docere. « Unde et primo ipse corpus suum, et san- « guinem sumpsit : et postea discipulis « sumendum tradidit. » Aliam egregiam rationem proposuit D. Chrysostom. hom. 83, in Matth. his verbis : « Ipse quoque bi- « bit ex eo, ne audi is illis verbis dicerent : « Quid igitur sanguinem bibimus, et car- « nem comedimus? Ac ideo peturbarentur. « Nam et quando prius de his verba fecit, « multi solummodo propter verba scan- « dalum passi sunt. Ne igitur tunc id quo- « que contingeret, prius ipse hoc fecit, ut « tranquillo animo ad communionem mys- Aliæ. « teriorum induceret. » Tertium, et non incongruum motivum potest fundari in ipsa propria ratione convivii : nam decet, ut is, qui alios ad manducandum, et bibendum inducit, cum eis simul comedat, et bibat. Denique ad dignitatem tanti sacramenti pertinet, quod Christus eo usus fuerit. Præsertim cum nulla urgens causa occurrat, vel assignari queat, ut dicatur Christum abstinuisse ab illo cibo, et potu, quos offerebat discipulis, ut diruendo, quæ supra apponebantur, constabit.

Evertuntur fundamenta contraria. Ad primum namque, omisso antecedenti, negamus consequentiam : jam enim ostendimus num. præc. quod licet hæc veritas non habeatur expresse in Scriptura, nihilominus probabilissime colligitur ex Evangelio : quod sufficit, ne dicatur absque fundamento asseri. Ad secundum dicimus, quod sicut nullum est inconveniens, quod Christus existens sacramentaliter sub speciebus panis, et vini fuerit in manibus Christi existentis modo naturali ; ita nec inconveniens fuit, quod prædicto modo extiterit in ore, et in pectore ejusdem. Porro Christum habuisse semetipsum in manibus suis (quod forte negabunt Lutherani, qui realem Christi præsentiam non nisi in usu, sive actuali sacramenti manducatione concedunt), docet evidenter D. Augustinus concione 1, *in Psalmo* 33, D. Aug. ubi explicans quod legitur 1, Reg. 21, David coram Achis rege Geth se portasse manibus, ut vertunt Septuaginta, inquit : « Hoc vero, « fratres, quomodo fieri potuerit in homine « quis intelligat? Quis enim portatur in « manibus suis ? Manibus aliorum potest « portari homo: manibus suis nemo porta- « tur. Quomodo intelligatur in ipso David « secundum litteram, non invenimus. In « Christo autem invenimus: ferebatur enim « Christus in manibus suis, quando com- « mendans ipsum corpus suum ait: Hoc est « corpus meum : ferebatur enim illud cor- « pus in manibus suis etc. » Quibus addendum est ex D. Thoma loco citato in resp. ad D. Tho. 2, « quod Christus secundum quod est sub « hoc sacramento, comparatur ad locum « non secundum proprias dimensiones, sed « secundum dimensiones specierum sacra- « mentalium : ita quod in quocumque loco, « ubi sunt illæ species, est ipse Christus. Et « quia species illæ potuerunt esse in mani- « bus, et in ore Christi : ipse totus Christus « potuit esse in suis manibus, et in suo ore. « Non autem potuisset esse, secundum quod « comparatur ad locum per proprias di- « mensiones. »

Ad tertium respondemus nihil evincere: nam quod dicitur de sumptione præcise sacramentali, aut de sumptione etiam spirituali, prout præsenti materiæ applicatur, pertinet majori ex parte ad loquendi modum : circa quem aliqui immerito plus æquo controvertunt. Nam quod ad rem attinet, liquido constat Christum summa decentia potuisse corpus suum, et sanguinem manducare, non propter ullum spiritualem effectum denuo participandum, sed

præcise propter mysterium, exemplum, et causas supra assignatas. Potuit namque Christus sacramentaliter existens collocari in ore, et pectore Christi naturaliter existentis, sicut collocatur in sacrario: quidquid fuerit de alio fructu: in quo nulla indecentia, minorve dignitas occurrit, ut facile consideranti constabit. Et sic plane sensit

D. Tho. D. Thomas in 4, dist. 11, quæst. 3, art. 1. Cæterum rem luculentius versavit loco supra cit. ex hac 3, p. in resp. ad 3, ubi hæc habet, quibus plane diluit, quidquid difficultatis repræsentat objectio : « Dicendum, « quod effectus hujus sacramenti est non « solum augmentum gratiæ habitualis; sed « etiam quædam actualis delectatio spiri- « tualis dulcedinis. Quamvis autem Christo « gratia non fuerit augmentata ex suscep- « tione hujus sacramenti : habuit tamen « quandam spiritualem delectationem in « nova institutione hujus sacramenti. Unde « ipse dicebat Lucæ 22: Desiderio desideravi « hoc Pascha manducare vobiscum. Quod « Eusebius exponit de novo mysterio novi « testamenti, quod tradebat discipulis. Et « ideo spiritualiter manducavit. Et similiter « sacramentaliter, in quantum corpus suum « sub sacramento sumpsit: quod sacramen- « tum sui corporis intellexit, et disposuit. « Aliter tamen, quam cæteri sacramentali- « ter, et spiritualiter sumunt, qui augmen- « tum gratiæ suscipiunt sub sacramentalibus « signis, quibus indigent ad veritatis per- « ceptionem. » Ex his ultimis verbis patet ad id, quod objectio addebat ultimo loco : nam si homines in statu justitiæ originalis uterentur sacramentis, eis profecto subderentur, et per illa proficerent: quod non decebat conditionem, et dignitatem illius status. Sed Christus sic recepit sacramentum, quod illi non se subjecerit ; cum fuerit illius institutor, et auctor : nec ullum effectum percepit per ipsum sacramentum, sed solum in ejus præsentia, et usu, nempe non gratiam, et sanctitatem, sed præcise spiritualem quandam dulcedinem, ut explicat D. Thom. et solet in accidentalibus Beatorum gaudiis contingere.

An B. Virgo susceperit tunc Eucharistiam ?

67. Ad secundam autem quæstionem deveniendo, rem aggredimur, ut censemus, incertissimam. Nam B. Virginem ea nocte fuisse in illa domo (sive in eodem Cœnaculo, in quo instituta fuit Eucharistia, sive in alia ejusdem domus parte), et quod susceperit Eucharistiam primo a Christo institutam (sive ipsa venerit ad Cœnaculum pro ea suscipienda, sive D. Petrus, aut alius quis sacramentum ad illam detulerit : in quo variant statim referendi), affirmant aliqui Auctores, Cardinalis Marcus Viguerius *chorda* 7, cap. 43, Walterius *de triplici cœna Christi* cap. 11, Christophorus Vega *in Theologia Mariana*, palæstra 21, certamine 2, num. 1479, et certam. 3, nu. 1487. Sherlogus tom. 3, *in Cantica* vestigat. 37, nu. 20. Escobar tom. 3, *in Evang. Sanct.* lib. 3, sect. 2, § 4, Leander tract. 7, disp. 11, quæst. 34, N. Sylveira to. 5, lib. 7, cap. 7, quæst. 26, nu. 178, et novissime Joannes Ciampinus in opusc. *de azymo, et fermentato* cap. 7, nu. 6. idemque jam olim asseruerat Georgius Metropolita Nicomediensis (qui floruit tempore Heraclii Imperatoris), in serm 8, suffragante Francisco Combefisio in notis ad eundem. In quam etiam sententiam inclinant Barradas to. 4, in Evang. lib. 1, cap. 17, in fine, dicens ita potuisse accidere, et Granados controv. 6, *de Eucharistia* tract. 10, disp. 12, n. 3, dicens id esse versimile.

Pars affirmans

Viguer. Walteri. Vega. Sherlog. Escobar.

Leander. N. Sylv. Ciampin. Georg. Metrop. Combes. Barrad. Granad.

Fundamentum.

Et probatur : quoniam Christus ex magno amore erga discipulos, desiderio desideravit manducare Pascha cum eis, et se sub sacramento Eucharistiæ illis dare, ut re ipsa fecit: sed multo magis dilexit suam Matrem B. Virginem Mariam, ex qua sumpserat corpus, et sanguinem, quæ in hoc sacramento dabat: ergo credere oportet, quod B. Virgo in ea domo adfuit, cum Eucharistiæ institutio contingit, et quod illam primo institutam suscepit.

Propria sententia.

Sed, ut diximus, res nobis videtur valde incerta, et levis probabilitatis. Tum quia apud antiquos, et graves scriptores nullum reperimus ejus vestigium, sed altum silentium : quare ignoramus, unde Recentiores eam historiam hauserint. Tum etiam, nam illi, qui aliquid de Communione B. Virginis dixerunt, ejus initium revocarunt non ad tempus institutionis Eucharistiæ in Cœnaculo, sed ad aliud longe diversum : B. Albertus Magnus *super Missus est* cap. 68, et 73, ad tempus post Resurrectionem : et Joannes Gerson tract. 9, *in Magnificat* ad tempus post Pentecostem. Tum præterea, quia si B. Virgo vel adfuiss et institutioni Eucharistiæ, vel illam ea nocte suscepisset ; id ab aliquo Evangelistarum commemoratum fuisset : nullus autem Evangelista hanc historiam refert. Et quamvis hoc argumentum videatur negativum, suas tamen non

Albert. Gerson.

infimas

infimas vires habet: nam cum Scriptura *Lucæ* 1, referat B. Virginem visitasse Elisabeth, et mansisse cum illa mensibus tribus: cum referat *Joan.* 2, B. Virginem adfuisse nuptiis in Cana Galilææ: cum referat *Act.* 1, B. Virginem post Filii Ascensionem mansisse in Cœnaculo cum Apostolis, et mulieribus: quæ rationabilis causa assignari valet, ut si revera interfuit Eucharistiæ institutioni, vel eam in eadem domo suscepit, id omnino prætermissum fuerit ab scriptoribus sacris; cum nihil minus decorum, minusve sanctum hic occurrat, quam in domo nuptiarum, et Zachariæ? Ergo cum id minime referant, præsumi debet non contigisse. Tum insuper, nam ita abest, quod Evangelistæ id significaverint, ut potius ex eorum relatione colligatur

Matt. 26. oppositum, ut patet ex illo Matth. 26: *Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis:* dum enim signatur determinatus numerus convivarum, tacite alli ab illa cœna excluduntur. Unde V. N.

N. Wal. Waldensis tom. *de sacramentalibus* cap. 43, num. 5, ait: « Ergo instituit eos (nempe « Apostolos) Christus Pontifex, ut jam « dixit Origenes, sacerdotes perfectos, ut eo « participarent sanguinis sacramento, quod « alias facerent, et præ aliis: quia sacra- « mentum ejus præ aliis memorarent, scili- « cet septuaginta discipulis; aut sanctis « mulieribus, quorum tunc nullus adfuit, « sed Apostoli soli. » Tum denique, quia (et desumitur ex præcedenti motivo) si B. Virgo in illa domo tunc fuit, et Eucharistiam suscepit; vel adfuit in eodem cœnaculo, vel in alia domus parte: sed neutrum potest congruenter dici: ergo antecedens est falsum. Probatur minor: nam si dicitur fuisse in eodem cœnaculo; sequitur evacuari illud Evangelii, *Discumbebat cum duodecim Apostolis suis*, quod designat numerum convivarum. Poterunt enim cum simili licentia aliæ sanctæ mulieres ad cœnaculum introduci: quod apparet absurdum. Si vero dicatur fuisse in alia illius domus parte; sequitur non adeo commendari amorem Christi erga beatissimam Matrem, qui cum facile posset cum illa tum Pascha, tum Eucharistiam celebrare, illam ad eandem mensam non admisisset. Deinde si in alio loco fuit, oportet dicere, vel quod postea venerit ad suscipiendum Eucharistiam, vel quod Petrus, vel alius Apostolus Sacramentum ad ipsam detulerit: et rursus quod Beata illa Eucharistiam susceperit ante Apostolos, vel post illos. Et nihil horum dici posse videtur, nisi divinando.

Propter hæc censemus rem istam esse valde incertam, et non admodum verisimilem ab intrinseco. Sed tamen non negamus esse probabilem saltem ab extrinseca eorum auctoritate, qui illam partem tuentur. Ipsorum tamen motivum non probat: nam sicut non obstante, quod Christus matrem suam summe dilexerit, illam tamen non habuit præsentem in Transfiguratione, et in multis aliis mysteriis, quia juxta dispositionem sapientiæ suæ necessaria non erat ejus præsentia: sic etiam eam præsentem non habuit, quando Eucharistiam instituit. Habuit autem, et curavit habere præsentes Apostolos, quia non solum celebraturus erat Pascha, et instituturus Eucharistiam, sed etiam ordinaturus eos sacerdotes, ut optime N. Waldensis significavit: quod nec ad B. Virginem, nec ad alias mulieres sanctas pertinebat. Diruitur motivum oppositum.

68. Pervenimus ad tertiam difficultatem. In qua dicendum est Christum instituisse Eucharistiam præsente Juda, et illam eidem cum cæteris Apostolis communicasse. Alterius quæstionis circa Judam resolutio.

Ita D. Thom. infra quæst. 81, artic. 2, et in 4, sent. dist. 11, quæst. 3, art. 2, quæstiunc. 1, et 2. Et idem communiter docent Scholastici, Theologi, et Expositores, quos supervacaneum est recensere. Videantur Soto in 4, dist. 12, quæst. 2, art. 2, Vazquez disp. 217, cap. 2, Suarez disp. 73, sect. 3, Prado quæst. 81, dubio 2, Discatillo disp. 9, dub. 20, N. Sylveira tom. 5, cap. 7, quæst. 1, Pererius in cap. 13, *Joannis* disput. 27, cum seq. Jansenius *in Concordia*, cap. 132, Baronius anno 34, § 62, et alii. Quin aliqui hujus communis sententiæ patroni adeo certam illam putant, ut non dubitent significare oppositam fore omnino reprobandam. Sotus enim loco cit. § *Ut autem*, inquit: « Sententia hæc non solum tanquam Doctorum, sed etiam tanquam « Evangelii est suscipienda. » Nugnus quæst. 81, art. 2, in fine dicit « oppositam « esse temerariam. » Didacus Tapia quæst. 9, *de Eucharistia*, asserit « insolens « fere, et temerarium » esse recedere a Patribus, quoad communionem Judæ. N. Thomas Beuxamis homilia 10, de Passione videtur contrariam quasi hæreticam damnare. Et alii alia similia proferunt. Sed nos ab omnibus his censuris abstinemus, non

D. Tho. Soto. Vazq. Suarez. Prado. Dicastil. N. Sylv. Perer. Jansen. Baron. Nugnus. Tapia. N. Beux.

negantes oppositum sentientibus illam probabilitatem, quam eorum auctoritas, et motiva, quibus utuntur, eidem conciliare meruerint. Affirmamus tamen nostræ, et communis sententiæ fundamenta esse tam multa, et urgentia, ut vel probabiliter vix dilui queant.

Primum fundamentum

Et primum desumitur ex eo, quod omnes Patres, uno tantum, vel altero excepto, docent nostram assertionem: est igitur vera, et velut communis Ecclesiæ traditio. Antecedens patet: nam Eugenius Papa in cap. *Si sacerdos, de officio judicis ordinarii* ait: « Nec Christus Judam a communione removit. » D. Dionysius cap. 3, *de ecclesiast. hierarch.* ait: « Facit, ut divinam illam cœnam, et quæ primum signum fuit eorum, « quæ perficiuntur, sacra memoria recolant: in qua etiam ipse signorum effector, « et auctor, jure optimo privat forte eum, « qui non sancte, nec concordi animo sacramenta secum sumpserat. » Ubi notum est sermonem fieri de sacra communione Eucharistiæ in ultima cœna institutæ, et de Juda proditore: de quo duo dicit Dionysius: primum, quod sacramenta sumperit cum Christo: secundum, quod non sancte, nec concordi animo communicaverit, et propterea forte, sive effectu sacramenti privatus sit. Et quamvis Franciscus Turrianus infra referendus prædictum testimonium variis translationibus, et interpretationibus obscurare studuerit, ut tandem diceret Dionysium stare potius pro contraria sententia: nihilominus credendum magis est D. Thomæ, qui quæst. 81, art. 2, Dionysium pro communione allegavit dicens: « Et ideo dicendum est, quod Ju« das cum aliis discipulis corpus Domini, « et sanguinem suscepit, ut dicit Dionysius « in lib. Eccles. hier. » Non enim dubitamus, quod Angelicus Doctor longe melius Dionysium intelligere potuerit, intellexeritque quam Turrianus. Allegavit etiam immediate D. Thom. S. August. quem nobiscum sensisse evidentissime constat, ut superfluum sit ejus verba referre, cum occurrant integra loca, in epist. 163, post medium, et lib. 1, *de adulterinis conjugiis* cap. 27, et lib. 2, *contra litteras Petiliani*, cap. 22, et tract. 26, *in Joan.* in illud, *Patres vestri manducaverunt.* Et tract. 50, in illud, *Dixit autem hoc, non quia de egenis.* Et tract. 6, *in eundem Joan.* et refertur in can. *Christus* 1, quæst. 1. Allegavit præterea D. Thomas S. Chrysostomum hom. 46, *in Joan.* ubi id evidenter affirmat dicens: « Judas particeps existens « mysteriorum conversus non est. Unde fit « scelus ejus utrinque immanius: tum quia « tali proposito imbutus adiit mysteria: « tum quia adiens melior factus non fuit, « nec metu, nec beneficio, nec honore. » Et similia fusius expendit, atque elegantissime prosequitur in speciali hom. *de proditione Judæ*, tom, 3. Idem etiam asserit D. Hieronymus Marc. 14, ad illa verba: *Biberunt ex eo omnes*, ubi subjungit: « *Et Judas bibit; sed non saturatur, nec sitim extinguit ignis æterni, qui indigne sumit mysteria Christi.* Et rursus in Ps. 54, ad illa verba: *Qui dulces mecum capiebas cibos*, illa exponit de Juda dicens: *Cibus dulcis est corpus Christi, quod ipse accepit indignus.* Prolixum foret aliorum verba referre. Sed ita manifeste docent Origenes tract. 25, *in Matth.* D. Cyprianus in serm. *de cœna Domini*, et in serm. *de ablutione pedum.* Div. Ambros. lib. *de apologia David* prope finem. S. Leo Magnus serm. 3 et 7, *de passione Domini.* S. P. N. Cyrillus Alexandrin. lib. 9, *in Joan.* cap. 26, Beda in cap. 13. *Joannis.* Nicephorus lib. 1 *Histor.* cap. 30, S. Algerus lib. 1, cap. 21, Divus Laurentius Justinianus lib. *de triumphali Christi agone.* Rabanus lib 1, *de institut. Cleric.* cap. 32, et lib. 2, cap. 36, Cyrillus Hierosolym. *Cathec.* 13, Theodoretus in illud 1, *ad Corinth.* 11, *Hoc facite, quotiescumque bibetis.* Euthymius in illud *Matth.* 26, *Dico autem, quod non bibam.* Petrus Damianus epist. 46, Hugo de Sancto Victore lib. 2, *de sacramentis*, p. 8, cap. 4, et alii communiter. Eratque jam olim sententia ista adeo in Ecclesia communis, ut illam tanquam rem notissimam supposuerit Justinianus Imperator in edicto fidei suæ ad Joan. 11, Pontificem, ubi ait: « Ju« das cum putasset latere eum, qui occulta « hominum cognoscit, sacramentis com« municavit cum Apostolis. » Quin ipsa Ecclesia id ipsum supponit, dum canit in officio Corporis Christi: *Cibum turbæ duodenæ se dat suis manibus*, et in Missa ejusdem festivitatis: *Turbæ fratrum duodenæ datum non ambigitur.* Ubi ad complendum numerum duodenarium necesse est recenseri, et computari Judam. Quod enim aliqui ausi sunt dicere in eo numerari Christum pro Juda, ridiculum plane est, cum ibi expresse Christus Verbum caro distinguatur ab illis duodecim fratribus,

Marginalia: Eugen. Papa. — D. Dion. — Tho. — D. Aug. — D. Chrys. — D. Hier. — Alii communiter Patres. — Justinianus Imperator. — Officium Ecclesiæ.

fratribus, quibus se dedit in Eucharistia.

Secundum fundamentum. 69. Secundum ejusdem veritatis fundamentum desumitur ex Evangelio : nam Mattheus cap. 26, num. 20, agens de cœna agni paschalis dixit : *Vespere autem facto* Matt. 26. *discumbebat cum duodecim discipulis suis.* Et num. 21, subdit : *Et edentibus illis dixit, Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.* Ubi fateri oportet adfuisse tunc Judam. Prosequitur Mattheus, et num. 26, refert cœnam Eucharisticam dicens : *Cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait, Accipite, et comedite : Hoc est corpus meum. Et accipiens Calicem gratias egit, et dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes : Hic est enim sanguis meus, etc.* Quo loco perpendi debent illa verba, *Cœnantibus autem eis :* nam relativa sunt, et repetunt numerum prius assignatum, *discumbebat cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis :* id enim omnino exposcit ipse contextus dicendorum ordo, atque immediatio. Atqui in prioribus verbis, *Edentibus illis* manifeste comprehenditur Judas, ut proxime ostendimus. Ergo etiam comprehenditur in sequentibus, *Cœnantibus autem eis.* Atque ideo fateri oportet Judam adfuisse institutioni Eucharistiæ, illique et aliis dictum fuisse a Christo, *Accipite, manducate, bibite ex eo omnes.*

Roboratur. Confirmatur urgenter ex cap. 22, Lucæ num. 19, quem locum evidentissimum ad intentum appellant D. Augustinus, et D. Luc. 22. Chrysostomus, et post ipsos Soto, Jansenius, Suarius, et alii. « Et accepto, inquit, pane « gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens, « Hoc est corpus meum, quod pro vobis « datur : hoc facite in meam commemo- « rationem. Similiter et calicem, post- « quam cœnavit, dicens : Hic est Calix « novum testamentum in meo sanguine, « qui pro vobis fundetur. Veruntamen « Ecce manus tradentis me mecum est in « mensa. » Erat ergo tunc præsens Judas. Et particula, *Veruntamen* aperte indicat illa verba dicta fuisse in ipsa actuali communione, ut sensus planus sit : « Ecce trado « vobis meum corpus, et sanguinem, « quamvis non ignorem inter vos esse, qui « qui me traditurus est. » Quare Sancti Patres communiter observant ea verba a Christo tunc dicta fuisse ad emolliendum cor Judæ, ut resipisceret, et sacramentum indigne non sumeret. Quod autem aliqui insinuarunt Lucam dixisse vel priora consecrationis verba per anticipationem, vel sequentia de præsentia Judæ per recapitulationem, ut contingere solet in Scriptura juxta regulam Ticonii apud Div. Augustinum libro 3, *de doctrina Christiana*, capite 36, id, inquam, frivolum omnino est. Tum quia nullum habet in textu fundamentum, sed ejus seriem pervertit. Tum quia proprietas particulæ *Veruntamen* illud effugium præcludit : est enim adversativa, et immediate connectit cum sermone præcedenti, quasi referens unam integram sententiam. Quæ vero per anticipationem, vel recapitulationem narrantur, hanc proprietatem non habent, sed simpliciter dicuntur per solam continuationem. Testi- Fulcitur amplius. monio autem Lucæ ita (id est sincere, et vere) intellecto adjungendus est locus Marci 14, numero 23 : *Et accepto Calice, gratias agens dedit eis : et biberunt ex illo omnes. Et ait illis, Hic est sanguis meus.* Unde formari videtur demonstratio : quoniam Judas erat cum aliis Apostolis, quando Christus dedit omnibus sui sanguinis calicem, ut constat ex Luca : sed ex eo Calice biberunt omnes, ut constat ex Marco : ergo Judas simul cum aliis Apostolis suscepit sanguinem Christi, sive Eucharistiam.

Tertium fundamentum. 70. Tertium, et non minus validum fundamentum potest in hac forma proponi : nam Judas erat præsens, quando Christus Eucharistiam instituit : ergo Judas suscepit tunc Eucharistiam. Consequentia est evidens ad hominem contra Adversarios, qui ideo negant Judam communicasse, quia censent, quod Judas accepta buccella panis communis exierit ante Eucharistiæ institutionem : ergo si oppositum contigit, oportet fateri Judam Eucharistiam suscepisse. Et plane supposita Judæ assistentia, id omnino poscunt verba generalia, quibus utuntur Evangelistæ, ut proxime vidimus. Antecedens autem ostenditur : quoniam Apostoli ordinati a Christo sunt Sacerdotes in ipsamet Eucharistiæ institutione : sed Judas ordinatus est Sacerdos cum cæteris Apostolis : ergo Judas præsens fuit, quando Christus instituit Eucharistiam. Major hujus Syllogismi est doctrina catholica tradita in Concil. Trident. sess. 22, cap. 1, Concil. Trident. his verbis : « Christus corpus, et sanguinem « suum sub speciebus panis, et vini Deo « Patris obtulit, ac sub earundem rerum « symbolis, Apostolis, quos tunc novi

« Testamenti Sacerdotes constituebat, ut « sumerent, tradidit, et eisdem, eorumque « in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, « præcepit per hæc verba, Hoc facite in « meam commemorationem : uti semper « Catholica Ecclesia intellexit, et docuit. » Et can. 2, ejusdem sess. diffinivit : « Si « quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in « meam commemorationem, Christum « non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut « non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdo- « tes offerrent corpus, et sanguinem suum; « anathema sit. » Minor denique ejusdem Syllogismi ostenditur : quia notum est in Episcopatu includi Sacerdotium : Judas autem fuit vere Episcopus cum aliis Apostolis, ut expresse asserunt D. Ambrosius serm. 50 et Div. Leo serm. 6, *de Passione*, et alii Patres, qui id efficaciter probant ex illo psal. 108. *Et Episcopatum ejus accipiat alter* : nam ita locum intellexit Apostolorum Princeps D. Petrus *Act.* 1. Cum enim ageret de perditione Judæ, et quod oporteret alium Apostolum, et Episcopum ejus loco subrogari, dixit : *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum : qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus.* Et post pauca : *Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum deserta, et non sit, qui habitet in ea, et Episcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati etc.* Quare sicut Matthias, quem loco Judæ elegerunt, fuit vere Apostolus, Episcopus, et Sacerdos : sic oportet fateri Judam, cujus locum supplevit Matthias, fuisse vere Apostolum, Episcopum, et Sacerdotem. Nullum autem tempus nullave occasio assignari poterit, in qua Judas ordinatus fuerit Sacerdos, et Episcopus, nisi cum alii Apostoli ordinati sunt, nempe quando Christus instituit Eucharistiam, ut liquet ex Concilio Tridentino jam relato. Ergo Judas ordinatus est Sacerdos, et Episcopus cum cæteris Apostolis.

D. Amb. D. Leo. Ps. 108. Actor. 1.

71. Quartum fundamentum, sive convenientiæ motivum proponit D. Thom. loco cit. ex quæst. 81, his verbis : « Quia « Christus nobis debuit esse exemplum « justitiæ, non conveniebat ejus magisterio, « ut Judam occultum peccatorem sine « accusatore, et evidenti probatione, ab « aliorum communione separaret : ne per « hoc daretur exemplum prælatis Ecclesiæ « similia faciendi : et ipse Judas exaspe- « ratus inde sumeret occasionem peccandi « Et ideo dicendum est, quod Judas cum « aliis Discipulis corpus Domini, et san- « guinem suscepit, ut dicit Dionysius, et « Augustin. » Nec momenti erit, si dicatur hunc D. Thomæ discursum supponere, quod Judas fuerit præsens tempore institutionis Eucharistiæ, et communionis aliorum Apostolorum : quod tamen negant Adversarii : et plane fieri optime potuit, quod Christus expectaverit, ut Judas ipse discederet, antequam sacramentum institueretur, et distribueretur : juxta quam providentiam nec Judas communicaret, nec publicaretur peccatum ejus occultum. Id, inquam, nihil valet : tum quia D. Thomas merito supposuit Judam adfuisse tempore institutionis Eucharistiæ ob ea, quæ diximus num. præced. et in hac suppositione procedit ejus discursus. Tum etiam quia sicut evasio intendit fieri posse, quod Judas non esset præsens ; ubi dubitandum non est fieri potuisse, quod tunc adesset. Porro magis expediens hoc ultimum fuit, nempe quod Christus in re gravissima dispensandi sacramenta occultis peccatoribus istud optimum exemplum daret Prælatis, ut docerentur, quomodo circa hujusmodi peccatores se oporteat gerere. Congruum etiam fuit ita providere ad manifestandum Christi amorem erga peccatores, et præsertim in Judam, quem tanto beneficio allicere satagebat. Et quamvis Vazquez dicat Judam tunc temporis jam fuisse publicum peccatorem, tamen communiter rejicitur, et a nobis rejectus est tract. præced. disp. 7, dub. 5, num. 90. Nec Auctor ille affert aliquid solidum, quo suam censuram fulciat, vel cui opus sit satisfacere.

Quartum fundamentum ex D. Thoma. Præcluditur effugium. Rejicitur Vasquez.

72. Oppositam communi assertioni sententiam tuentur Franciscus Turrianus in explanatione defensoria ad constit. *Apostol.* Clementis Papæ lib. 5, cap. 13. Franciscus Mendoza in lib. 1, *Regum*, cap. 6, vers. 21, annot. 23, sect. 1, num. 12, Barradas tom. 4, *in Evang.* lib. 3, cap. 3, Basilius Pontius *de agno typico*, cap. 32, § 4, Walterius *de triplici Cœna*, cap. 6, *Cœnæ tertiæ* usque ad cap. 10. Et in eandem sententiam inclinant Salmeron tom. 9, *in Evang.* tract. 10, Lorinus in psal. 40, vers. 10, et alii. Quam probant primo ex Patribus, et primo ex D. Dion.

Sententia contraria. Turrian. Mendoz. Barrad. Basilius. Pontius Walter. Salmer. Lorinus.

D. Dionysio loco supra cit. ubi, ut refert Turrianus, sic habet : « Et ipse auctor « Symbolorum justissime subtrahit eum, « qui non sancte, nec pari morum simili- « tudine sacra concœnaverat, docens sancte, « et ut Deum decebat, quod verus secun- « dum virtutem ad divina accessus præstat « accedentibus Communionem cum simili « ipsis. » Per eum, *qui concœnaverat*, intelligit Turrianus Judam; per *sacra*, *quæ concœnaverat* intelligit agnum legalem cum lactucis, et azymis ; denique per illud, quod additur, *Subtrahit eum* intelligit, quod Judas fuerit exclusus a participatione Symbolorum, sive sacramentorum corporis, et sanguinis : ergo Judas non suscepit Eucharistiam. Deinde S. Clemens loco cit. ait : « Cum autem antitypa mysteria pretiosi « corporis et sanguinis sui nobis tradidisset, « absente Juda, exiit in montem Oliveti. » Non erat igitur Judas præsens, quando Christus Eucharistiam distribuit. Evidentius loquitur Sanctus Hilarius can. 30, *in Matth.* refert enim Christum misisse discipulos ad parandum Pascha, et tunc subjungit : « Post quæ Judas proditor indicatur, « sine quo Pascha accepto Calice, et fracto « pane conficitur : dignus enim æternorum « sacramentorum non fuerat. Nam disces- « sisse statim hinc intelligitur, quod cum « turbis reversus ostenditur. » Allegantur etiam pro eadem sententia Theophylactus in Matth. 26, num. 26, et *in Marcum* 14, num. 22, Rupertus Abbas libro 10, *in Matth.* cap. 26, num. 20, et lib. 7, in Joan. cap. 6, num. 72. Innocentius Tertius lib. 4, *de mysteriis Missæ*, cap. 13 et alii.

imum rgu- entum. — emens. oman. — Hil — ii Pa- tres.

[illegible]lutio. Respondetur nullum Sanctorum, aut antiquorum Patrum, si unum Hilarium excipiamus, prædictam sententiam docuisse Et ipsum Hilarium explicare voluit S. Algerus loco supra citato, ut eatenus dixerit Pascha, sive transitum ad vitam æternam celebratum sine Juda fuisse, quatenus illius spiritualiter particeps non fuit : minime vero negasse, quod Judas susceperit sacramentaliter Eucharistiam. Sed tamen ea quæ Div. Hilarius addidit suavem hanc interpretationem non admittunt. Et ideo concedere oportet illum fuisse in illa singulari opinione quæ tamen aliorum Patrum torrenti non comparari, minus autem præponi debet. Et hoc modo se gessit D. Thomas (in alios Patres summa comitate urbanissimus) loco cit. ex quæst. 81, ubi ait : « Dicendum, quod Hilarius posuit « super Matth. quod Christus Judæ corpus « suum, et sanguinem non dedit. Et hoc « quidem conveniens fuisset consideratæ « malitiæ Judæ. » Sed quia Angelicus Doctor vidit Patres communiter docere contrarium, nominatim autem Dionysium, Augustinum, et Chrysostomum, quos ibi allegat, immediate impugnavit Hilarii sententiam. Et plane Divus iste ea illo loco habet, quæ robur auctoritatis ejus elevant in hac causa : docet enim Judam nec cœnam legalem, sive Pascha sumpsisse cum Christo: id vero esse falsum haud obscure constat ex Evangeliis, cum Christus ipsi buccellam intinctam porrexerit. Probat ulterius Judam non adfuisse institutioni, et distributioni Eucharistiæ, quia reversus est cum turbis ad comprehendendum Jesum : hoc vero motivum leve apparet, cum ab institutione, et distributione Eucharistiæ satis temporis decurrerit, ut Judas potuerit ire ad Judæos, et cum turbis reverti. Quare minime opprimimur Hilarii testimonio, qui roboramur communi, et magis fundata aliorum Patrum sententia, nullumque Hilario excepto, contrarium habemus.

D. Tho.

Rejicitur Turrian.

Nam ad Dionysium respondemus nostram docuisse assertionem, ut vidimus nu. 68. Et Turriani expositio est satis violenta, et extorta, cum ly *sacra concœnaverat* limitat ad legalia, agnum scilicet, lactucas, et azyma : magis enim denotat Eucharistiam, sive totam cœnam Sacramenta comprehendendo. Sensus itaque totius sententiæ est, quod licet Judas sumpserit sacram cœnam, tamen ob suam malitiam, fructum spiritualem ejus minime participavit. Ad locum Clementis significavit Suarez vel locum esse corruptum, vel Clementem non loqui ex traditione Apostolica, sed juxta propriam opinionem. Cæterum his effugiis non egemus, cum locus explicari facile queat. Nam cum ait, « Christus ubi sacramenta « tradidisset, absente Juda, exiit in mon- « tem Oliveti, » particula, *Absente Judea*, non refertur ad verbum antecedens, *tradidisset*, sed ad verbum sequens, *exiit in montem :* ut sensus planus sit Christum absente jam Juda exiisse in montem Oliveti ; non vero, quod absente Juda tradiderit Eucharistiam. Theophylactus eis locis refert quidem utramque sententiam, sed tamen nullam earum pronunciat ut propriam. Eodem modo se gerit Rupertus, id tantum addens,

quod si quis velit sententiam Hilarii defendere, debeat simul dicere, atque componere, nemini nisi de crimine convicto, et confesso denegandam fore communionem. Innocentius III. eo libro non loquitur ut Pontifex, sed ut particularis Doctor. Habet etiam sententiam Clementis, et potest eodem modo explicari. Præsertim quod ita propendet in unam partem, quod alteram non rejiciat. Unde magis liquet prædictam opinionem non habere pro se aliquem Sanctum, vel Patrem Ecclesiæ, nisi solum Hilarium.

Secundum argumentum. Joan. 13.

73. Probant secundo eandem sententiam aliis motivis. Principale est, quod ut refert Joan. 13: *Judas cum accepisset buccellam, exivit continuo,* nempe statim, et absque ulla mora: unde Syrus legit, *In eodem momento:* sed illam buccellam accepit ante institutionem, et distributionem Eucharistiæ: ergo Judas non fuit præsens tali institutioni, nec Eucharistiam suscepit. Probatur minor: nam prædictam buccellam Christus exhibuit Judæ, quando Matthei 26, dixit: *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet,* et Marci 14: *Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino, tradet me:* sed Christus dixit prædicta verba ante institutionem, et distributionem Eucharistiæ, ut constat ex historia Evangelistarum: ergo Judas accepit buccellam illam ante prædictam institutionem, et distributionem.

Matt. 26.

Confirmatio. Matt. 26.

Confirmatur: nam Matthei 26, dixit Christus: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Ergo illis dumtaxat vinum eucharisticum tunc bibendum dedit, quibuscum postea bibit: sed certum est illud postea non bibisse cum Juda: ergo neque tunc illi bibendum dedit. Quo motivo usus est D. Hilarius loco cit. ubi post verba supra relata subjunxit: « Neque sane « bibere cum eo poterat, qui non erat bi- « biturus in regno; cum universos tunc « bibentes ex vitis istius fructu bibituros « secum postea pollicetur. »

Hilar.

Aliquorum ad argumentum responsio. D. Aug. D. Cyril.

Ad argumentum respondetur aliquos insinuasse buccellam illam, post cujus sumptionem Judas continuo exivit, fuisse ipsum Eucharistiæ sacramentum. Ita significaverunt D. August. lib. 5, *contra Donatistas* cap. 8, P. N. Cyrillus lib. 9, *in Joannem* cap. 16, et alii, qui prædicta verba, *Et post buccellam intravit in eum Sathanas,* exponunt in pœnam Judæ propter sacrilegam sumptionem corporis Christi sub illa buccella, seu particula contenti. Juxta quam sententiam facile diluitur argumentum negando minorem: nam cum ipsa buccella fuerit Eucharistia, minime sequitur Judam sumpsisse buccellam, priusquam Eucharistiam acceperit. Sed prædicta expositio est valde falsa, illamque refellunt Concilium Brachar. Tertium, cap. 1, Julius I, relatus in cap. *Cum omne crimen, de consecratione,* dist. 2, D. Augustin. tract. 62, et 66, in Joan. Beda, S. Petrus Damianus, et B. Laurentius Justinianus locis supra relatis, et nominatim D. Thomas quæst. 81, art. 2, ad 3, tam asseveranter, ut statuat: « Dicendum, quod sine dubio Judas sub « pane intincto corpus Christi non sump- « sit, sed simplicem panem. » Et plane quando refertur historia de porrectione illius buccellæ, nulla prorsus fit mentio de institutione Eucharistiæ. Quin Matthеus, et Marcus in argumento relati oppositum satis indicant. Aliunde vero decens non erat, quod Christus institutam Eucharistiam jusculo aliquo intingeret. Fuit itaque illa buccella simplex panis.

Refellitur. Concil. Brachar. Julius I. D. Aug. D. Tho.

Aliorum solutio.

74. Quo supposito, aliqui ad argumentum respondent concedendo præmissas, et negando consequentiam: censent enim Christum prius buccellam illam Judæ dedisse, et postea illo adhuc præsente Eucharistiam instituisse, atque distribuisse. Et ad testimonium Joannis, quod majori inseritur, respondent particulam illam *continuo* non significare, quod Judas statim immediate post acceptam buccellam exierit, ita ut absque ullo intervallo discesserit, quin expectaverit Eucharistiam; nam quamvis expectaverit, fuit tamen illud tempus adeo breve, ut Evangelista potuerit vere dicere ipsum *continuo* exivisse. Nam ubi distantia est valde modica, sufficit, ut moraliter dicamus rem statim, et continuo fieri: sicut solemus exprobrando dicere, quod aliqui post acceptam communionem statim, et continuo de Ecclesia exeant in plateas; licet expectent usque ad Missæ finem: quia tempus illud modicum est. Ita Baronius anno 34, § 63, Vasquez ubi supra, Dicastillo disp. 9, dub. 20, nu. 481, et alii. Quam responsionem Cæsar Baronius confirmat ex eo, quod in Rituali Hebræorum legitur morem dandi panem intinctum esse cæremoniam

Baron. Vazq. Dicastil.

cæremoniam pertinentem ad ritum cœnæ legalis : cum Christus post cœnam legalem instituerit et distribuerit Eucharistiam ; sequitur prius dedisse buccellam Judæ.

[...]pu [...]atur. Sed prædictæ expositioni, et sententiæ, licet sit probabilis, minime subscribimus : quia procedit contra D. Augustinum in ps. 18, et epist. 163, D. Chrysostomum hom. 1, et 2, *de proditione Judæ*, Cyrillum Hierosolym. catech. 13, et alios Patres, qui communiter affirmant Christum usque ad illam horam, qua dedit Judæ buccellam, ipsum sustinuisse, procurando verbis, et factis, quod resipisceret : ex tunc vero propter ejus obstinationem permisisse illum a diabolo vehementius instigari : et ideo statim ad tradendum Christum exivisse. Deinde, particula *continuo*, qua utitur Joannes, majorem festinationem significat, quam repræsentatam, et præcise concessam ab illis Auctoribus. Præterea, ubi Judas accepit buccellam, cœpit cognosci ut peccator : crimenque intentionis tradendi Christum, quod prius latebat, cœpit innotescere, et publicari : in qua suppositione congruum non erat, quod Christus illi ministraret Eucharistiam. Ulterius, nullum grave motivum occurrit, ut debeamus admittere illorum Auctorum interpretationem non ita cohærentem Evangelistarum historiæ. Quod enim affert Baronius *ex Hebræorum Rituali*, levissimum est, sicut communiter ea sunt, quæ comminiscuntur Hebræi. Denique D. Thomas alios Patres sequens, et nominatim Augustinum, prædictæ sententiæ evidenter refragatur : nam post verba num. præced. relata subjungit : « Sicut Augustinus dicit, intelligendum est, « quod Dominus jam antea distribuerat « omnibus discipulis suis sacramentum « corporis, et sanguinis sui, ubi et ipse Ju- « das erat, sicut narrat Lucas. Ac deinde « ad hoc ventum est, ubi secundum narra- « tionem Joannis Dominus per buccellam « tinctam, atque porrectam suum exprimit « proditorem. » Et idem docent Hugo de S. Victore lib. 2, part. 8, cap. 4, Magister sent. in 4, dist. 11, et omnes Scholastici, ut testatur Soto dist. 12, quæst. 2, art. 3, ad 3.

[...]Aug. [...]hrys. [...]illus. [...]ros. [...]Tho. [...]ugo de [...]Vict. [...]agist. Soto.

75. Quare prætermissis solutionibus, et tuendo antiquam Patrum sententiam, cui etiam adhæret Suarius disp. 41, sect. 3, conclu. 3, respondetur ad argumentum concedendo majorem, et negando minorem : Christus enim prius Eucharistiam instituit, et distribuit, quam buccellam illam Judæ tribuerit, ut ex D. Augustino, et D. Thoma proxime vidimus. Ad minoris autem probationem neganda est major. Et ad illa inserta Matthei, et Marci testimonia, quibus suadetur, potest responderi primo prædictos Evangelistas dixisse per anticipationem, quæ post institutam, et distributam Eucharistiam contigerunt. Sed respondetur secundo, et melius prædicta verba fuisse a Christo dicta ante Eucharistiæ institutionem, ut plane suadet sincerus, et consequens Evangelistarum in scribendo tenor : sed tamen nihil illa evincere. Quia Matthæus, et Marcus in prædictis verbis non referunt idem factum, quod Joannes loquens de intinctione, et porrectione buccellæ, ut falso in hoc discursu supponitur ; sed aliud diversum, atque præambulum. Illa enim verba : *Qui intingit mecum manum in paropsyde, et unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino* etc. dicebantur in communi, et dirigebantur ad Apostolos in communi, quasi diceret Christus : Unus ex vobis, qui ad eam mecum familiaritatem admissus est, ut mecum soleat eadem non solum domo, et mensa, sed et paropsyde uti, me tradet. Propter quam in generali factam comminationem cœperunt omnes tristari, hæsitare, atque inquirere, *Nunquid ego sum?* Et quamvis Judæ eodem modo interroganti responderit Christus, *Tu dixisti:* nihilominus tale verbum vel Judas solus audivit ; siquidem Petrus, et Joannes adhuc proditorem ignorabant; vel solus Judas intellexit : nam illud verbum juxta morem Hebræorum non erat concedentis, aut affirmantis, sed suspendentis assensum, et impedientis sermonem : ut sensus fuerit, *Satis est tu videris*, ut observat D. Augustinus lib. 3, *de consensu Evangelist.* cap. 1. D. Aug. Et hæc omnia acciderunt inter cœnandum, et ante institutionem Eucharistiæ. Sed Dominus Jesus postquam cœnavit, illis tamen adhuc cœnantibus, et cœnam absolventibus, Eucharistiam instituit, et distribuit, ut supra diximus num. 49, et tum iterum manifestavit suum ob proditionem dolorem animi dicens: *Amen, amen dico vobis : quia unus ex vobis tradet me.* Et hinc continuat historiam Joannes cap. 13: *Aspiciebant ergo ad invicem discipuli hæsitantes, de quo diceret. Erat ergo recumbens unus ex discipulis*

Legitima difficultatis explicatio.

ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, et dixit ei, Quis est, de quo dicit? Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei, Domine, quis est? Respondit Jesus : Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ. Et post buccellam introivit in eum Satanas. Et dixit ei Jesus : Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus, Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum : aut egenis aliquid daret. Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo.

Ordo historiæ evangelicæ. Quæ igitur commemorant Mattheus, et Marcus verba Christi circa proditionem, dicta fuerunt ante Eucharistiam institutam, et dicebantur in communi, ita ut nullus, nec ipse Joannes cognoverint Judam esse proditorem. Sed quæ narrat Joannes, dicta sunt post institutam Eucharistiam, et quasi ex condicto dicebantur, ut Joannes specialem proditorem cognosceret; secreto tamen, ut nemo præter Joannem sciverit discumbentium. Et tunc demum post prædicta verba, et signum eis correspondens, nempe buccellam instinctam, Judas exivit continuo. Unde ex Evangelistarum historia minime colligitur Judam accepisse buccellam ante Eucharistiam, sed vice versa buccellam post Eucharistiam suscepisse : et ita omnia consonant. Nec movere quemquam debet, quod Eucharistia instituta fuerit post cœnam, aut in fine cœnæ, et quod tunc nihil remanere ciborum potuerit, in quo Christus panem intingeret : quoniam ut superius num. 49, statuinus; sic Christus in fine mensæ, et postquam ipse cœnaverat, instituit Eucharistiam, quod nihilominus Apostoli adhuc cœnabant, cœnamque absolvebant juxta illud Evangelistarum, *Cœnantibus autem illis. Manducantibus illis.* Unde dubitandum non est potuisse adhuc remanere pultem, vel embamma, ut loquitur Baronius, ex lactucis agrestibus (quod ille cum Rituali Hebræorum vult confectum, in quo Christus intinxerit buccellam Judæ porrigendam).

Occurritur confirmationi. Ad confirmationem num. 73 propositam respondetur negando primam consequentiam : nam pro veritate illius propositionis : *Donec vobiscum illud bibam novum,* non requiritur, quod singuli nullo excepto, omnes bibituri postea essent : sed sufficit bibituros eos, cum quibus Christus cœnabat, sive illam communitatem ; quidquid de uno, vel altero in particulari foret. Addit D. Thomas loco supra cit. resp. ad 1 : D. Tho. « Dicendum, quod illa est ratio Hilarii ad « ostendendum, quod Judas corpus Christi « non sumpsit. Non tamen cogit : quia « Christus loquitur discipulis : a quorum « collegio Judas se separavit, non autem « Christus eum exclusit. Et ideo Christus, « quantum est in se, etiam cum Juda vi- « num in Regno Dei bibit. Sed hoc convi- « vium ipse Judas repudiavit. »

76. Arguitur tertio pro eadem sententia : nam Christus opere implevit, quod præcepit juxta illud Act. 1 : *Cœpit Jesus facere et docere :* sed Christus Matth. 7, præcepit, *Nolite sanctum dare canibus,* quod omnes communiter applicant administrationi sacramentorum : et rursus ipse Christus optime cognoscebat Judam esse peccatorem : ergo non est credendum, quod illi tribuerit sacramentum corporis, et sanguinis sui. Tertium argumentum. Act. 1. Matth. 7.

Sed id optime diluit D. Thomas loco cit. in resp. ad 2, his verbis : « Dicendum, « quod Christo nota erat Judæ iniquitas, « sicut Deo : non autem erat sibi nota per « modum, quo hominibus innotescit. Et « ideo Christus Judam non repulit a com- « munione, ut daret exemplum tales pec- « catores occultos non esse ab aliis Sacer- « dotibus expellendos. » Itaque licet Christus evidenter cognosceret Judam esse peccatorem, nihilominus evidenter cognoscebat esse peccatorem non publicum, sed occultum. Quamvis autem sacramenta denegari debeant publico peccatori, sive illa petat publice, sive occulte; nihilominus concedi possunt, et debent occulto peccatori, ubi publice petit, ut ex professo, atque in genere statuimus tract. præced. disp. 7, dub. 5. Quare optima ratione potuit Christus ministrare Judæ Eucharistiam : et sic sapienter providit, ut cæteri Sacerdotes, et prælati discerent peccatores occultos non esse repellendos a publica participatione sacramentorum. Responsio ex D. Thoma.

Duo autem possent contra hanc responsionem D. Thomæ opponi. Primum ex Vazquio, et aliis, qui censent Judam prius suscepisse buccellam intinctam, quam Eucharistiam, fuisseque propterea tempore, quo Eucharistiam suscepit, publicum peccatorem, quippe cujus notum erat peccatum apud Duplex objectio.

apud alios Apostolos, et præsertim Joannem. Secundum, quod licet peccator occultus non sit repellendus a publica participatione sacramentorum, si illa petat; nihilominus non debent sacramenta illi administrari, nisi petat, ut constat ex dictis num. 87, cum seq. non legitur autem in Evangeliis, quod Judas sacramenta petierit : unde doctrina responsionis D. Thomæ non videtur huic difficultati congrue accommodari posse. Sed ista levi manu dispelluntur : nam ad primum constat ex dictis num. præced. quod Judas non prius accepit buccellam, quam Eucharistiam. Et rursus Apostoli per signum buccellæ non cognoverunt peccatum Judæ, ut expresse notat Joannes. Ipse vero id cognovit notitia non publica, sed secreta ex revelatione Christi. Ad secundum liquet Judam licet non expressis verbis, tacite tamen, et virtualiter petisse id, quod omnibus præbebatur, quando cum omnibus publice discubuit, et se innocentem ostendit, et quod cunctis offerebatur, accepit. Quibus ita se habentibus, non congruebat Christum illum singulariter repellere, atque subinde infamare.

[S]olutio.

CAPUT IV.

De motivis, figuris, et nominibus Eucharistiæ.

Eorum, quæ in hac prooemiali disputatione ab ejus limine exponere promisimus, graviora jam, atque difficiliora explicata sunt. Sed pro illius coronide addere oportet nonnihil, quod ad ejus motiva, figuras, quibus præsignata fuit, et nomina, quibus significatur, spectat : quæ breviter expedire curabimus. Et priori loco dicemus.

§ I.

Quos ob fines Eucharistia instituta sit?

Proœmium. 77. Rem, si pro dignitate tractanda foret, aggrederemur nostro judicio impossibilem: tantum enim Deo gloriæ, tantum nobis commodi ex Eucharistia provenit, quantum creatus intellectus cognoscere, et lingua humana explicare minime queant. Et de hac materia nullum specialem articulum reperimus apud D. Thomam in hac 3, part. quæ facis loco nobis sit ad istam provinciam perlustrandam. Sed tamen uberrimam segetem apud ipsum invenimus in opusc. 58, quod est *de venerabili altaris sacramento*, a cap. 1, quod inscribitur *de tribus causis institutionis sacramenti corporis Christi, cum sequentibus usque* ad 15, unde delibabimus, et ad compendium, ordinemque redigemus, quæ congruentiora visa nobis fuerint : nam cuncta persequi, et pro merito versare facultatem nostram excedit, quin et angelicam. *D. Tho.*

Prima instituendæ Eucharistiæ ratio ex D. Tho. Prima itaque congruentiæ ratio est illamet, qua D. Thomas in primo primæ quæstionis articulo hujus 3 part. probat conveniens fuisse Deum incarnari : nam illud dicitur unicuique conveniens, quod illi competit secundum naturam suam : natura autem Dei est ipsa essentia bonitatis, ut loquitur D. Dionysius cap. 1, de divinis nominibus : quare quidquid pertinet ad rationem boni, est Deo conveniens. Porro ad naturam boni pertinet se communicare, et diffundere : et nullibi videtur Deum se magis communicare, atque diffundere, quam in Eucharistia. Optima itaque ratione Deus illam instituit, ut se scilicet communicaret, et indolem propriæ naturæ magis exprimeret. Quem discursum libentius ille probabit, qui attenderit in aliis Dei communicationibus limitem aliquem præfigi, in Eucharistia vero ultra metam divinam bonitatem difluere. Adamo in Paradisi voluptate omnem lignorum usum permisit : interdixit tamen fructum arboris unius. Per legem Moysi datam voluntates suas patefecit : sed tamen ejus luce unum tantum Judææ angulum collustravit. In mysterio Incarnationis omnis divinitatis plenitudo naturæ humanæ communicata fuit: sed nihilominus solus Christus ad tantam dignitatem provectus est prædestinatus filius Dei naturalis. Christus ipse in cruce corpus suum terræ commendavit : sed spiritum Patri reddit. In cœlo denique totam gloriam majestatis suæ beatis expendit : cæterum ad tantum bonum pusillus tantum prædestinatorum grex admittitur. Verum enimvero in Eucharistia Deus se totum, nempe divinitatem, corpus, et animam, omnibus hominibus prædestinatis, et reprobis, perfectis, et imperfectis, non semel, sed frequentissime iterum, atque iterum usque ad intimam unionem, qualem cibus visceribus affert, largissima *D. Dion.*

diffusione communicat. Maxima igitur divinæ bonitatis communicatio in Eucharistia relucet. Ut quemadmodum stupenti animo dictum est, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, nempe Verbum ad carnis humanæ assumptionem : ita etiam reverenti voce clamemus : Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum jam incarnatum cum omnibus, quæ assumpsit, anima, corpore, et sanguine nobis dederit ad manducandam.

Secunda ratio. 78. Secunda ratio (quæ immediate derivatur ex præcedenti,) est, ut Deus ostenderet suam erga homines excellentissimam charitatem. Unde Concilium Trident. sess. 13, cap. 2, inquit : « Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit, in quo divitias sui erga homines amoris velut diffudit. » Quod negabit nemo, qui signa vehementis amoris in hoc sacramento scintillantia alte contempletur. Nam amantium est bona sua diffundere : Christus autem in hoc sacramento se, et sua largissime communicat, ut proxime vidimus, et expendit D. Thom. opusc. 57, illis verbis : « Unigenitus siquidem Dei filius suæ divinitatis volens nos esse participes, naturam nostram assumpsit, ut homines Deos faceret, factus homo. Et hoc insuper, quod de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem. » specialissime in hoc sacramento. Amantium præterea est appetere cum re amata intime copulari : hinc desiderium, et quandoque languor, dum abest, hinc gaudium in ejus præsentia; hinc, dum hæc impeditur, suspiria, et quasi animorum transfusio. Sed in Eucharistia impetus amoris hæc obstacula fregit, pervadens usque ad intima unionis : nam Christus diligens, os dilecti ingreditur, pectus pervadit, et ad cor ipsum usque illabitur. In aliis itaque divini amoris effectibus separatio, et distantia quædam contingit : sed in Eucharistia adest intima præsentia, et animorum non tantum, sed et corporum copulatio. Christus quippe nascens se nobis dedit, sed in socium : patiens se nobis dedit, sed in pretium : docens se nobis dedit, sed in magistrum : sanctificans se nobis dat, sed per gratiam creatam, donum diffusum in cordibus nostris : regnans se nobis dat, sed per lumen gloriæ, quo ad tanti objecti notitiam provehimur. Verum in Eucharistia semetipsum dat, ipse dans, et ipse donum. Quocirca divinus amor summam, quam potuit, videtur hoc sacramento invenisse intimam conjunctionem, qualem expressit Christus, cum post Eucharistiæ institutionem rogabat Patrem, Joan. 17: *Ut omnes unum sint. Sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis idem sint. Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.* Quod de Eucharistia explicant plures Patres, et elegantissime D. Chrysostom. hom. 24, in 1, *ad Corinth.* Amantium deinde est cupere se insidere in memoria dilecti; unde solent signa dare, quibus excitetur ad sui recordationem. Christus autem ut id assequeretur, non aliud memoriale dedit, quam se ipsum dicens: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.* Unde sicut nullum nobilius signum dare potuit, sic etiam nullum majorem amorem exprimere potuisse videtur. Amantium insuper est satagere, quantum possunt, ut corda dilectorum ad se convertant, eorumque affectus in proprio corde quasi in centro uniant. Id vero fecit Christus instituendo sacramentum, communem scilicet spiritualem cibum, in quo omnes communicamus, et unum sumus. Et hinc Apostolus *ad Ephes.* 5, fideles ad amorem, et unitatem inducit, quod de uno pane participamus : hinc etiam ipsum sacramentum appellatur *Communio*, et ab Augustino tract. 26, *in Joann.* vocatur *symbolum pacis, et unitatis.* Maximum itaque erga homines amorem Christus in ejus institutione repræsentavit. Amantium denique est, sepositis vel propriæ majestatis, vel proprii commodi studiis, amici, et dilecti utilitatibus inservire. Unde quidam dixit non bene convenire, nec in una sede morari majestatem, et amorem. Quod mire refulget in hoc mysterio. Congruere namque videbatur, et Christi majestatem decere, quod cœlestis esus non cunctis etiam improbis expositus foret, sed solum sanctis; et similiter quod talis cibi confectio, sive consecratio non permitteretur promiscue omnibus Sacerdotibus, sed solum justis, atque in dignitatis culmine constitutis, utputa Episcopis; et similiter quod tantum mysterium non conficeretur in cunctis locis, et temporibus, sed in purissimis, et sacratioribus. Et tamen tantus fuit Christi amor

amor in hujus sacramenti institutione, ut hæc, quæ nostro judicio repræsentaretur inconvenientia, ex quadam prodiga charitate contempserit, se exponens indecentiis, atque injuriis per homines tam indigne consecrantes, quam peccaminose suscipientes sibi certissime, quod agnoscebat, irrogandis. Quam dilectionis summitatem profunde significavit Apostolus verbis, *In qua nocte tradebatur*, nempe tunc paravisse immensum hoc beneficium, quando homines mille nocendi artes in ipsum meditabantur, et quando ab illis non aliud expectabat, quam injurias, ludibria, verbera, et mortem. Quod igitur majus summæ dilectionis argumentum potuit excogitari?

Tertia ratio. 79. Tertium congruentiæ motivum est ipsa Dei gloria, quæ in manifestatione attributorum ejus creaturis innotescit : prædicta namque manifestatio in augustissimo hoc sacramento multipliciter refulget. (Eucharistia attributorum Dei manifestatio.) Quantum enim emicat in illo immensa Dei erga homines charitas, proxime vidimus. Sed non minus affulgent alia attributa. (Charitas.) Si enim attendamus ad omnipotentiam; plane Eucharistiam esse summum ejus indicium, divinorum operum compendium, ac miraculorum summam facile concedemus. (Omnipotentia.) Unde David hæc considerans dicebat *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Et divinus Evangelista narrationem ultimæ cœnæ aggressurus alte de Christo præmisit, *sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Quia revera Dei Filius instituendo hoc sacramentum manifestavit summam potentiam, atque dominium in omnes creaturas. Ibi enim substantiam in substantiam transmutat : ibi tribuit accidentibus existere absque subjecto : ibi corporis moli concedit modum essendi ad instar spiritus : ibi impertitur humanitati immensitatem quandam, ut indivisa queat assistere in plurimis, et disitissimis locis : ibi denique talia operatur, quæ omnem humanam, et angelicam superant facultatem, petantque robur totius divinæ virtutis. Inter quæ computari debet illud effecisse, ut recte expendit Innocentius Tertius lib. 4, *de hoc mysterio* cap. 44, quod sicut divina natura tribus (Innoc. III.) modis existit in creaturis, scilicet per naturam, per gratiam, et per unionem hypostaticam : ita Christi humanitas existeret tribus modis, videlicet personaliter in Verbo, visibiliter in cœlo, et sacramentaliter in altari. Computari etiam debet quod nihil majus fieri, aut excogitari potuerit in ratione convivii. Demus enim per impossibile, nunquam tamen futurum, quod prima Trinitatis persona, æternus scilicet Pater carnem etiam assumeret: demus Christum ejus Filium, ipsum, qua omni posset majestate, ad convivium excipere. Profecto non solum non in orbis spatio, sed nec in ipsis totius omnipotentiæ Thesauris, quantumvis sedulo investigaret, majus quid, pretiosius, et exquisitius invenire posset, aut Deo Patre dignius, quam seipsum, qui est panis vivus de cœlo descendens. Et tamen hoc ferculum, corpus scilicet Dei, et sanguinem Dei, Deumque in ipsis subsistentem de facto nobis infimis homuncionibus subministrat.

Ex quibus etiam facile constat, quantum in hoc mysterio emineant, ac manifestentur perfectiones divinæ liberalitatis, et misericordiæ circa pauperes, et miserabiles. (Misericordia.) Porro Eucharistiam esse opus maxime manifestativum divinæ sapientiæ liquet ex mirabilibus, et velut inter se incompossibilibus, quæ in hoc mysterio concurrunt. (Sapientia.) Nam sicut in Incarnatione humanitas caruit proprio supposito; sic in Eucharistia accidentia separantur a subjecto : et sicut ibi Verbum latuit sub humanitate factum homo; ita hic latet sub accidentibus Christus factus cibus animarum : et quemadmodum per Incarnationem factum est, quod Verbum in humanitate assumpta hominum injuriis fuerit expositum, ipso tamen Verbo in se impassibili, atque immutabili permanente; sic in Eucharistia fit, quod Christus quatenus in hoc sacramento contentus interdum jaceat in locis indignis, et hominum injuriis subsit, ipso nihilominus Christo, illiusque sacratistima humanitate modo impassibili, atque immutabili in se permanentibus. Quæ omnia sunt divinæ sapientiæ prodigia. Sed summopere insuper eluxit in componendo quædam discordia, illi non absimilia, qua duæ mulieres coram Salomon de retinendo unum parvulnm litigabant. Absoluto namque in cruce nostræ redemptionis mysterio, Ecclesia triumphans, et Ecclesia militans pro vendicando sibi Christum præsentem pugnabant utique, non pugna cordium, sed rerum. Jesum qua Deum revocabat cœlum : Jesum qua homi-

nem retinebat terra. Pater alliciebat Filium : mater attrahebat Natum. Angeli clamabant, ut ad thronum veniret rex gloriæ, et dominus virtutum : homines ut Christus sibi datus ab illis divelleretur, non patiebantur. Quid igitur ageret Christus similis ferro inter duos magnetes æqualiter constituto, et in hanc, atque illam partem propendens? Nunquid daret divinitatem cœlo, et angelis, humanitatem terræ, et hominibus? Sic forte censeret Salomon. *Dividite*, dixit, *infantem.* Sed ecce plusquam Salomon Christus, non patiens divisionem, nec quod semel assumpsit unquam dimittens, se totum dat cœlo, se totum dat etiam terræ. Cœlum ingreditur in propria specie : in terra moratur sub accidentibus Eucharisticis. *Vado*, inquit, *venio ad vos. Et ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Vado ad Patrem, et Angelos ascensione; venio ad vos consecratione : ibi revelatus, hic aliena accidentium specie occultus. Sed tamen qui cum Angelis in gloria sum, vobiscum etiam sum usque ad finem mundi. Tam miram, et difficilem concordiam excogitare dumtaxat potuit infinita Verbi sapientia. Denique in hoc mysterio mirabiliter resplendet attributum immensitatis : participat enim Christi humanitas quendam ejus modum, ut indivisa queat existere in totis speciebus, et in singulis earum partibus, atque innumerabilibus, et plurimum distantibus locis mundi. Conduxit itaque Eucharistia ad nobilissimam divinorum attributorum manifestationem, quæ extensio quædam est gloriæ Dei.

Immensitas.

80. Quartum motivum desumitur ex plurimis et maximis utilitatibus, quæ homini ab Eucharistia proveniunt. De his agit D. Tho. quæst. 79, nosque ex professo dicemus disp. 10. Quare hic nonnullos tanti sacramenti fructus insinuabimus, ut inde constet, quam congrua fuerit ejus institutio. Causat igitur hoc sacramentum augmentum gratiæ, quod aliis etiam commune est : sed istud illud causat per modum cibi reficientis animam, estque omnibus sacramentis nobilius : quare per se loquendo, et cæteris paribus uberiorem quam alia effectum gratiæ communicat : ut statuimus tract. præced. disp. 9, dub. 2, n. 17, et 22. Causat prætera specialem, et intimam cum Christo unionem, ut docet Concil. Florentinum *in decreto de sacramentis.* « Sicut enim, inquit P. N. Cyrillus lib. 4. « *in Joan.* cap. 17, si quis ceræ liqueafctæ « aliam ceram infuderit, alteram cum « altera commisceri necesse : sic qui car- « nem, et sanguinem Domini recipit, cum « ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso, et « ipse in Christo inveniatur. » Et D. Thomas opusculo 58, cap. 8 ait : « Magnum « quidem fuit Christum Dominum se ip- « sum in peregrinationis nostræ socium « dedisse : majus vero in pretium redemp- « tionis. Hoc tamen donum adhuc est in « aliqua separatione ab eo, cui datur. Cum « autem datur in cibum, non datur in ali- « quam separationem, sed in omnimodam « unionem : uniuntur enim in unitate cor- « poris, et cibus, et qui cibum sumit. Unde « etiam provenit, quod Christus est velut « commune centrum, in quod omnes jus- « ti tanquam lineæ confluunt ; unio etiam « fidelium inter se fit specialis hujus « sacramenti effectus. Propter quod insti- « tutum fuit in specie panis, quod ex mul- « tis granis conficitur, in specie vini, quod « ex multis acinis confluit. Et ideo dixit « Apostolus, unum corpus multi sumus « omnes, qui de uno pane, et de uno calice « participamus. » Causat ulterius spiritus pinguedinem, et spiritualem delectationem : institutum namque fuit per modum cibi, et potus reficientium, ac delectantium. Unde D. Thomas quæstion. cit. articulo 1 ad 2, inquit : « Ex virtute hujus sacramenti « anima spiritualiter reficitur per hoc, « quod anima spiritualiter delectatur, et « quodammodo inebriatur dulcedine boni- « tatis divinæ, secundum illud Cant. 5, Co- « medite amici et bibite, et inebriamini cha- « rissimi. » D. Cyprianus in serm. *de cœna Domini* ait : « Quam præclarus est calix « iste! Quam religiosa hujus potus ebrietas! « per quam excedimus Deo, et quæ retro « sunt obliti, ad anteriora extendimus, non « habentes sensum hujus mundi, cruci hæ- « remus, sanguinem sugimus, et intra ipsa « Redemptoris nostri vulnera figimus lin- « guam, quo interius, exteriusque rubri- « cati a sapientibus hujus sæculi indicamur « amentes. » Causat deinde vigorem animi quo tentationibus resistimus, et a peccatis præservamur, et mundamur. Et ideo Concilium Trident. sess. 13, cap. 2, hoc sacramentum vocat « antidotum, quo liberamur « a culpis quotidianis et a peccatis præ- « servamur. » Et D. Ambros. lib, 5 *de sacram.*

Quarta hujus institutionis ratio. Mirabiles Eucharistiæ effectus. Causat præ aliis sacramentis uberiorem gratiam. Intimam cum Christo unionem. Concil. Florent. D. Cyril. D. Tho. Unionem inter fideles. Spiritus pinguedinem, et delectationem. D. Tho. D. Cyp. Robur contra tentationes. Concil. Trident. D. Amb.

cram. cap. 4, ait : « Iste panis quotidia-« nus sumitur in remedium quotidianæ « infirmitatis. » Hinc etiam provenit quod perseverantia finalis sit hujus sacramenti effectus, quantum est ex virtute sacramen-

Joan. 6.

ti, juxta illud Joan. 6 : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Sicut enim cibus corporalis vitam corporalem usque ad suum terminum servat incolumem : sic et iste spiritualis cibus spiritualem vitam, quantum est de se, perducit ad finem æternitatis : « Post cœleste regnum

D. Chrys.

« (inquit S. Petrus Chrysol. serm. 68,) « panem quis postulet temporalem ? Sed « quotidianum, et in diem vult nos in « sacramento sui corporis panis viaticum « postulare : ut per hoc ad perpetuum « diem, et ipsam Christi perveniamus ad « mensam : ut unde hic gustum sumpsimus, « inde ibi plenitudinem, totasque satietates

Castitatem.

« capiamus. » Causat item animi, et corporis castitatem, ut egregie observat D. Thom,

D. Tho. Osee. 14. Zach. 9.

opusc. cit. cap. 21, ad id specialiter inducens illud Osee 14 : *Ego quasi ros, et Israel germinabit quasi lilium.* Et Zacharias 9, Eucharistiam appellat *vinum germinans virgines.* Quem effectum par est ut inducat præsentia intima virginei, et purissimi corporis Christi Domini. Inducit etiam ipse sacramenti fructus : nam ut recte observat D. Thom. quæst. illa 79, artic. 6 ad 3, « licet hoc sacramentum non directe ordi-« netur ad diminutionem fomitis, diminuit « tamen fomitem ex quadam consequentia, « in quantum auget charitatem : quia ut « Augustin. dicit in lib. 88 quæst. aug-« mentum charitatis est diminutio cupidi-

D. Bern.

« tatis. » Hinc D. Bernardus in serm. *de cœna Domini* admonebat : « Si quis ves-« trum non tam sæpe modo, non tam acer-« bos sentit iracundiæ motus, invidiæ, lu-« xuriæ, aut cæterorum hujusmodi ; gratias « agat corpori et sanguini Domini : quo-« niam virtus sacramenti operatur in eo. » Causat denique Eucharistia plurimos alios utilissimos effectus, quales decent et sanctitatem doni, et liberalitatem donantis, qui est idem cum ipso dono. Sed quia omnes recensere non possumus : sufficit vel præmissos insinuasse, et pro cunctis oportet gratum animum habere : ut facile constet, quam utilis homini fuerit tanti sacramenti institutio.

81. Et quia quod de effectibus immediate diximus, occurrit etiam in hujus sacramenti instituendi motivis (impossibile enim est, quamvis dulce foret, cuncta persequi): propterea a multis aliis recensendis supersedemus. Sed prætermittendum non est ultimo loco specialissimum pro instituendo Eucharistiam motivum, nempe ut tanquam perpetuum memoriale, ac monumentum passionis Christi, quæ fontalis est humanæ salutis causa, Ecclesiæ relinqueretur. Unde ipse Christus hanc

Ultima institutionis ratio.

institutionem curans alte monuit : *Hoc facite in meam commemorationem.* Et Apostolus 1, *ad Corinth.* 11, hortatur : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem*

1 ad Cor. 11.

bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Et D. Augustinus relatus in cap.

D. Aug.

Semel, de consecratione dist. 2, inquit : « Se-« mel immolatus est in semetipso Christus : « tamen quotidie immolatur in sacramen-« to. » Sicut enim conveniens fuit, quod Israelitæ in memoriam beneficii egressionis ab Egypto comederent agnum cum lactucis agrestibus : sic oportuit quod in memoriam redemptionis nostræ per Christi passionem comedamus agnum cœlestem cum prædictæ passionis recordatione, ne contingeret tanti benificii oblivio. Quæ commemoratio, et mystica immolatio fit in sacrificio Missæ, ut tradit Divus Thom. in-

D. Tho.

fra quæst. 83, artic. 1, dub 1 ; propterea prædictum motivum hoc loco insinuasse sufficit. Ex quibus, et aliis relatis satis superque demonstratum existimamus convenientissiman ob plures fines fuisse Eucharistiæ institutionem.

§ II.

Quæ figuræ Eucharistiam præmonstraverint, et quæ fuerit excellentior.

Eucharistia præfigurata in antiqua lege

82. Hæretici solent irridere, atque exprobare catholicis, quod dicamus augustissimum Eucharistiæ sacramentum pluribus veteris testamenti figuris præsignificatum fuerit. Sic debacchabatur Wiclephus apud N. Waldemsem tom. 2, *de sacramentis* a

Spiritus hæreticorum furor.

cap. 19. Sic ejus hæres Lutherus in lib. *de abroganda missa privata*, ubi tanquam phreneticus, et abrepticius plurima evomuit in Angelicum Doctorem, quod in officio corporis Christi plures inseruerit figuras, ut oblationem Melchisedech, panem subcinericium Eliæ, manna patrum, et similia. Sed plane nisi spiritu diabolico

acti non potuerunt contra id studium opponere, ut constabit supponendo, atque probando plures in veteri lege præfuisse hujus sacramenti figuras. Tum quia generaliter docet Apostolus 1, *ad Cor.* 10, v. 11 *Omnia in figura contingebant illis*, id est, quæ contingebant in lege antiqua, præfigurabant mysteria futura in statu legis gratiæ : quare cum Eucharistia sit hujus legis nobilissimum mysterium, dubitari non deberet, quod fuerit antiquis aliquibus figuris præmonstratum. Et plane cum alia pertinentia ad legem evangelicam præsignata sint in antiquis, qua fronte exprobrari valet, quod idem dicamus de Eucharistia? Porro ita contigisse docet Paulus loco cit. v. 1: *Nolo*, inquit, *vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt ; omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari: et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, omnes eundem potum spiritalem biberunt:(bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus,) sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum*, etc. Tum etiam quia eruere, exponereque legitimum scripturæ sensum tam litteralem, quam spiritualem, seu mysticum pertinet ad sacros Ecclesiæ Doctores : ipsi vero plurimas veteris testamenti figuras de sacramento Eucharistiæ exponunt, ipsique applicant ut evidenter constabit ex eorum testimoniis infra referendis. Tum præterea, quia id etiam optima ratio persuadet : nam cum sacramentum Eucharistiæ ex una parte sit nobilissimum, et ex alia altissimum, atque difficillimum : congruum erat, quod antecedenter prædiceretur, et traderetur per varia signa. Et sic plane docuit Concilium Trident. sess. 22, cap. 1, in fine, ubi loquens de oblatione sacrificii Missæ inquit : « Hæc denique illa « est, quæ per varias sacrificiorum naturæ « et legis tempore similitudines figurabatur, « utpote quæ bona omnia per illa significa- « ta velut illorum omnium consummatio et « perfectio complectitur. » Sic etiam sentiunt omnes Catholici. Videantur Magister in 4, dist. ubi D. Thom. quæst. 1, art. 2, per tres quæstiunculas, D. Bonaventura art. 1, per tres quæstiones, Sotus quœst. unica, art. 6, N. Waldensis loco supra cit. Durandus *in Rationali* lib. 6, cap. 69, Bellarminus lib. 5, *de Eucharistia*, cap. 7, Raynerus *in Pantheologia*, verbo *Eucharistia*, in quinque primis capitibus. Suarez in Comment. ad. art. 6, quæst. 73, et alii communiter.

(Marginalia, left column: 1. Ad Cor. 11 — Concil. Trident. — Magist. Sent. — D. Thom. — D. Bon. — Sot. — N. Wald. — Durand.; right column: Bellarm. — Rayner. — Suarez.)

Nota observanda. 83. Possumus autem omnes hujusmodi figuras ad certas quasdam classes reducere prænotando cum D. Thom. in hac quæst. art. 6, quod in sacramento Eucharistiæ tria distinguenda sunt. Nam datur aliquid, quod est sacramentum tantum : et hoc consistit in speciebus panis, et vini. Et datur aliquid, quod est res tantum : et hoc consistit in effectu, quem sacramentum causat in nobis. Et denique datur aliquid, quod est res, et sacramentum simul : et hoc consistit in corpore, et sanguine Christi existentibus sub speciebus sacramentalibus. Juxta hæc igitur diversæ Eucharistiæ figuræ, sive antiqua Symbola distingui possunt.

Figuræ primi ordinis. Nam Eucharistiam, quod est sacramentum tantum, videlicet species panis, et vini, præsignificaverunt oblatio Melchisedech Genes. 14' Panis propositionis, de quibus soli mundi edere poterant, Exodi 4, Levit. 23 et 1 Reg. 21, ut declarat D. Hieronymus in exposit. ad Titum 1, Cyrillus Hierosolym. Catech. 4, Myst. D. Damascenus lib. 4, cap. 14, et alii. Præmonstravit etiam David dicens psal. 20 : *Calix tuus inebrians quam præclarus est !* ut explicat D. Hieronym. epist. 150, *ad Edibiam* quæst. 2. Idem etiam significatum fuit illis Proverbiorum verbis cap. 9 : *Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum et proposuit mensam suam*, ut interpretatur Div. Cyprianus epist. 63. Idem etiam significavit panis subcinericius Eliæ 3 Reg. 19, ut constat ex usu Ecclesiæ in hujus mysterii solemnitate. Quantum autem ad rem tantum, sive effectum hujus sacramenti, illud præmonstravit Manna, ut communiter explicant Patres, Origenes hom. 7, *in Numer.* Div. Ambrosius lib. 5, *de Sacramentis*, cap, 1, et lib. *de initiandis*, cap. 8 et 9. Div. Augustinus Joan. 6. D. Chrysostomus hom. 23, in 1, *ad Corinth.* ad illa verba : *Omnes eandem escam spiritalem manducaverunt*. D. Gregorius Nissen. in lib. *de Vita Moysis* circa medium, et alii plures. Et plane Manna aptissimum Symbolum ad id fuit : nam erat cibus de Cœlo missus : dabatur hominibus peregrinantibus in deserto, ut possent ad terram promissam pergere : habebat omnis saporis suavitatem

(Marginal note: Figuræ secundi ordinis.)

suavitatem, et optime nutriebat : denique licet varii varias ejus mensuras colligerent, eandem postea inveniebant, ut constat Exodi 16. Hæc autem omnia congruentissima fuerunt ad præmonstrandum hujus sacramenti effectum. Eundem etiam effectum significaverunt lignum vitæ, quod erat in paradiso ad conservandum vitam, et favus mellis, quo oculi Jonathæ aperti sunt, ut exponunt Patres, et alii graves Interpretes. Denique quod attinet ad rem simul, et sacramentum, sive ad corpus, et sanguinem Christi, quæ sub speciebus Eucharisticis continentur, illud significarunt omnia antiqua sacrificia, ut expresse affirmant D. Augustin. lib. 17 *de Civit.* cap. 20, et lib. 1, contra advers. legis, et prophetar. cap. 18, et Leo Magnus serm. 8, *de passione*, et alii. Significaverunt etiam corpus, et sanguinem Christi panis, et vinum in veteri testamento ut Hierem. 11 : *Mittamus lignum in panem ejus*, nempe ut exponit Tertulliatnus lib. 4, contra Marc. cap. 4, et Lactansius lib. 4, *Institut.* cap. 18, *crucem in corpus ejus.* Et Genes. 49, *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum.* Nam ut inquit D. Cyprianus epist. 63: « Quando « sanguis uvæ dicitur, quid aliud, quam « vinum Calicis Domini, et sanguis osten« ditur? » Et eadem ratione sanguis Christi in calice significatus fuit per sanguinem testamenti, quo Moyses post legem datam populum aspersit dicens : *Hic est sanguis testamenti quem misit ad vos Deus*, ut legitur Exodi 26, et ad Hebr. 9. Nam ad hæc alludens, et ostendens veritatem illius figuræ in se impleri, dixit Christus istud sacramentum instituens, Matth. 26: *Hic est sanguis meus novi testamenti.* Luc. 22 : *Hic Calix novum testamentum est in meo sanguine.* Denique cuncta (et fuerunt profecto innumerabilia) quæ Christi corpus, et sanguinem in sacrificio cruento crucis significaverunt, præmonstrarunt etiam corpus, et sanguinem Christi in sacrificio altaris incruento: nam idem est sacrificium ex parte rei oblatæ, et ex parte principaliter offerentis, licet modus offerendi diversus sit.

Figuræ tertii ordinis.

Consectaria præmissorum.

84. Ex quibus satis liquet plures fuisse in antiqua lege hujus sacramenti figuras, quæ cum aliqua inadæquatione ipsum repræsentabant : nam quædam magis exprimebant ipsum quantum ad sacramentum, sive species: quædam magis quantum ad rem tantum, sive effectum : quædam vero magis quoad rem, et sacramentum simul, sive corpus, et sanguinem Christi sub speciebus latentia. Unde facile colligitur illam potiorem subinde hujus sacramenti figuram fuisse, quæ ipsum cum majori adæquatione expressit, repræsentando hæc omnia, quæ immediate recensuimus. Hoc autem habuit agnus paschalis. Unde figura præcipua fuit hujus sacramenti. Quod statuit, et probat Div. Thomas in hac quæst. art. 6, ubi postquam explicuit, quomodo illa tria præsignata fuerint per diversas antiquorum figuras, subdit : « Sed agnus « paschalis quantum ad hæc tria præfi« gurabat hoc Sacramentum. Quantum « enim ad primum (nempe sacramentum « tantum) quia manducabatur cum panibus « azymis, secundum illud Exodi 12. Edent « carnes, et azymos panes. Quantum vero « ad secundum (scilicet rem, et sacramen« tum simul) quia immolabatur ab omni « multitudine filiorum Israel decima quarta « luna : quod fuit figura passionis Christi, « qui propter innocentiam dicitur agnus. « Quantum vero ad effectum (nimirum « rem tantum) quia per sanguinem agni « paschalis protecti sunt filii Israel a devas« tante Angelo, et educti de Ægyptiaca « servitute. Et quantum ad hoc ponitur « præcipua figura hujus sacramenti agnus « paschalis : quia secundum omnia ipsum « repræsentat. » Quibus addendum est ex eodem Div. Thom. 1, 2, quæst. 102, art. 5, ad 3, ubi post traditas causas litterales immolationis prædicti agni, prosequitur in hunc modum : « Figuralis autem ratio « patet : quia per immolationem agni pas« chalis significabatur immolatio Christi, « secundum illud 1, ad Corinth. 5. Pascha « nostrum immolatus est Christus. Sanguis « vero agni liberans ab exterminatore, « linitus superliminaribus domorum, signi« ficat fidem passionis Christi in corde, et « in ore fidelium, per quam liberamur a « peccato, et morte secundum illud 1 « Petri 1. Redempti estis pretioso sanguine « agni immaculati. Comedebantur autem « carnes illæ ad significandum esum cor« poris Christi in sacramento. Erant autem « assæ ad significandum passionem, vel « charitatem Christi. Comedebantur autem « cum azymis panibus ad significandum « puram conversationem fidelium sumen« tium corpus Christi, secundum illud 1 « ad Corinthios 5. Epulemur in azymis

Præcipua Eucharistiæ figura agnus paschalis. D. Tho.

Idem.

« sinceritatis, et veritatis. Lactucæ autem « agrestes addebantur in signum pœni- « tentiæ peccatorum, quæ necessaria est « sumentibus corpus Christi. Renes autem « accigendi sunt cingulo castitatis. Calcea- « menta autem pedum sunt exempla mor- « tuorum. Baculi autem habendi in mani- « bus significant pastoralem custodiam. « Præcipitur autem quod in una domo « agnus paschalis comedatur, id est, in « Ecclesia Catholicorum, non autem in « conventiculis hæreticorum. » Hæc omnia Angelicus Doctor uberrime, et sapientissime. Quæ sunt adeo vera, et perspicua, ut nulla egeant confirmatione, aut explicatione ; sufficiantque ad obstruendum ora Lutheri, et similium. Tradunt vero plures illarum expositionum a D. Thoma propositarum Patres illo antiquiores. Tertullianus lib. 4, *contra Marcionem*, cap. 40. D. Cyprianus in lib. *de unitate Ecclesiæ*. Div. Hieronymus in cap. 26, *Matth.* D. Augustin. lib. 2, *contra Pertilian.* cap. 37, et serm. 150, et 181, *de tempore*. Div. Gregorius hom. 22, *in Evangelia*, et lib. 35, *Moral.* cap. 7. D. Leo serm. 7, *de passione*, et alii plures.

Tertull. D. Cyp. D. Hier. D. Aug. D. Greg. D. Leo.

§ III.

De diversis Eucharistiæ nominibus.

Plura hujus sacramenti nomina, et quare?

85. Quod de Deo O. M. dici solet, diversis, multisque nominibus illum in Scriptura appellari, quia uno tantum infinita ejus perfectio explicari non possit ; idem in excellentissimo Eucharistiæ sacramento contingit ob immensas ejus prærogativas. Sive enim rei contentæ majestatem, sive modi existendi prodigia, sive Christi se offerentis charitatem, sive uberrimos sacramenti fructus perpendamus, cuncta reperiemus nostra cogitatione majora, et quæ minime possimus una voce significare. Quare jure optimo Patres, et Doctores excogitarunt diversa nomina ad repræsentandum diversas hujus sacramenti perfectiones, et munia : ut quod uno vocabulo comprehendi nequit, pluribus nominibus declaretur ex parte. Ad imponendum autem prædicta nomina attenderunt ad varios respectus, quod istud sacramentum importat : potest enim comparari vel ad res præteritas vel ad præsentes, vel ad futuras, et secundum diversam ad omnia istiusmodi habitudinem potest diversimode nominari, ut discurrit Div. Thom. in præs. quæst. art. 4. Potest etiam considerari aut ex parte Christi, quem continet ; aut ex parte specierum, quibus continetur ; aut ex parte effectuum, quos gignit ; aut denique ex parte rerum, quas significat : et sic etiam sortitur differentia vocabula. Quod magis constabit recensendo principaliora. D. Tho.

Primum igitur, satis celebre, et valde usitatum est *Eucharistia :* quod significat vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem. Merito autem hoc sacramentum dicitur bona gratia: tum quia Dei gratia largius in eo funditur : tum quia continet Christum gratiarum fontem : tum quia præmonstrat futuram beatitudinis vitam, de qua dicitur, *Gratia Dei vita æterna.* Et quamvis continere, et causare gratiam commune sit omnibus sacramentis legis evangelicæ ; tamen ut recte observat Div. Thom. loco cit. ad 2, « id quod est commune omnibus « sacramentis attribuitur antonomastice « huic propter ejus excellentiam. » Apposite etiam vocatur gratiarum actio. Primo quod Christus ipsum instituens gratias egit, ut constat Matth. 26, Marci 14, Lucæ 22. Secundo, quia ipsummet sacramentum, quatenus habet rationem sacrificii pacifici, potest dici summa gratiarum actio, et offertur in gratiarum actionem. Tertio, quia tantum sacramentum nos excitat ad referendum gratias pro immenso redemptionis beneficio, quod ejus celebratione commemorari jubemur. Unde Div. Chrysostomus hom. 25, *in Matth.* inquit : « Optima bene- « ficiorum custos est ipsa memoria bene- « ficiorum, et perpetua gratiarum actio. « Propterea et tremenda, ac salutaria « illa mysteria, quæ in omni synaxi cele- « bramus, Eucharistia nominamus : sunt « enim beneficiorum recordatio plurimo- « rum. » Eucharistia. D. Tho. D. Chrys.

86. Secundum est *Communio*, græce *Synaxis :* non quod ad conficiendum, aut recipiendum hoc sacramentum debeant plures necessario convenire, ut volunt hæretici oppugnantes Missas privatas; sed ob causas longe diversas. Nam in primis susceptione hujus sacramenti corpori, et sanguini Christi unimur, et cum aliis fidelibus sub eodem capite coagmentamur: nam quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Unde dicebat Apostolus 1, *ad Corinth.* 10 : *Unus panis et unum corpus sumus omnes qui de uno pane et* Communio.

de

1. ad Cor. 10. *de uno calice participamus.* Quæ magis explicuimus num. 80. Deinde in unum solent locum convenire Christiani, ut huic sacramento, et sacrificio intersint, ut optime observavit Div. Thom. loco supra relato num. 84. Denique qui istud charitatis sacramentem participamus, debemus habere magnam animorum consensionem, et D. Aug. pacem. Unde Div. Augustinus tract. 26, *in Joan.* inquit : « O sacramentum pietatis, o « signum unitatis, o vinculum charitatis ! « Litigabant utique judæi, quoniam panem « concordiæ non intelligebant, nec sumere « volebant. » Et serm. 9, *in Annivers. Ecclesiæ* ait : «Domum Dei fideles non faciunt, « nisi quando charitate compaginantur. « Ligna ista et lapides si non sibi certo « ordine cohærerent, nemo huc intraret. « Quando vides in aliqua fabrica lapides, « et ligna bene sibi cohærere, securus « intras, ruinam non times. Sic et fideles. « etc. » Et propterea idem Div. Augustinus vocat Eucharistiam *Sacramentum fidelium*, serm. 2, *de verbis Apost.* capite 10, quia in illo tanquam in centro fidelium religio, atque consensus uniuntur.

Viatic. Tertium est *Viaticum:* quia virtute hujus sacramenti conficimus iter hujus peregrinationis, ut ex hac vita, et ab isto exilio tendamus in æternæ vitæ patriam. Sicut olim P. N. Elias in fortitudine cibi, quem sumpserat, ambulavit usque ad montem 3 Reg. 19. Dei Horeb, ut legitur 3 Reg. 19. Unde Ecclesia in periculo mortis constitutis hoc Concil. Nicen. sacramentum subministrat, ut statuit Con- D. Amb. cilium Nicenum can. 16, sic enim corro- D. Greg. Beda. borantur ad iter peragendum. Unde Paulinus Amanuensis, et minister D. Ambrosii scribit in ejus vita *viaticum* suscepisse. Et D. Gregorius hom. 40, *in Evang.* refert S. Romulam viaticum petiisse, et recepisse. Et eadem voce utuntur Amphilochius *in vita D. Basilii*, Beda lib. 4, *histor. Anglicæ* cap. 24, et alii.

Calix, et panis. *Quartum est Calix, panis, fractio panis,* ut constat ex Apostolo I, *ad Corinth.* 10, 1 ad Cor. 10. *Calix benedictionis etc. Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis est ?* Appellatur autem hoc modo tum propter accidentia panis, et vini, quæ in hoc sacramento conservantur. Tum propter terminum a quo, vel ex quo : quia fit ex pane, et vino. Tum quia in usu Scripturæ omnis cibus appellatur panis : Eucharistia autem est vere cibus, ut constat Joan. 6. Tum denique quia istud Sacramentum præstat illos spirituales effectus, quos proportionabiliter, et cum debita analogia conferunt corporaliter panis, et vinum. Quæ omnia Nota. fusius explicuimus supra cap. 1. num. 11, et cap. 2, num. 26. Et bene observare oportet, quod in locis Scripturæ, in quibus Eucharistia vocatur panis, semper aliquid adjungitur, ut facile intelligamus non esse panem communem : dicitur enim *panis vivus* : *panis, qui de cœlo descendit : panis, quem qui manducat, vivit in æternum,* ut constat Joan. 6. Et idem observandum est in Patribus, apud quos frequenter occurrit *panis supersubstantialis, panis vitæ Angelorum, etc.*

87. Quintum est *Corpus, et sanguis Christi,* Corpus et sanguis Christi. et similiter *Sacramentum corporis, et sanguinis Christi :* quia nimirum corpus, et sanguis Christi in Eucharistia vere, et realiter continentur, ut ostendimus cap. 1. Sicut enim appellatur panis, et vinum propter accidentia continentia, ut proxime vidimus : ita appellatur corpus, et sanguis Christi propter rem contentam. Unde Ter- Tertull. tullianus lib. *de resurr. carnis*, cap. 8 : « Caro corpore, et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. » D. Au- D. Aug gustin lib. 1, *de peccat. merit.* cap. 24 : « Optime Punici Christiani baptismum « nihil aliud, quam salutem : et sacramen- « tum corporis Christi nihil aliud quam « vitam vocant.» Et epist. 50: « Convivium « Domini unitas est corporis, non solum in « sacramento altaris, sed etiam in vinculo « pacis. »

Sextum apud Græcos est *Metalepsis*, La- Assumptio. tine *Assumptio :* quia per Eucharistiam deitatem Filii Dei assumimus, ut fiat velut extensio quædam Incarnationis erga singulos homines. Assumimur enim hoc sacramento ad Christum, et in ipsum aliquomodo transformamur. In quo est differentia inter hunc cœlestem cibum, et alimentum corporale. Cibus namque corporeus non convertit manducantem in se ; sed ipse potius convertitur in substantiam viventis. Cæterum cibus Eucharistiæ convertit nos in Christum, et facit ut nos in Christo vivamus. Unde D. Augustin. lib. 7, *confes.* cap. D. Aug 10, refert se vocem audivisse de cœlo dicentem : « Cibus sum grandium, cresce, et « manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ : sed tu mu- « taberis in me. »

Sacrificium.

88. Septimum est *Sacrificium :* quia est commemorativum Dominicæ passionis, et eadem oblatio, immolatioque tam ex parte rei oblatæ, quam ex parte sacerdotis principaliter offerentis, licet modus sit diversus: quod enim in cruce factum est physico, et cruento modo hic fit mystice, et incruente. Quam autem perfectum sacrificium sit Eucharistia, qualiterque uniat omnium antiquorum multiplicitatem, et varietatem, recte significavit B. Algerus lib. 2 *de sacram.* cap. 3. his verbis : « Multiplicationem sacrificiorum veterum singularitate sui sacrificii abbrevians, occupationem exteriorem nobis minuit, beneficiorum nobis gratiam multiplicavit ; uno unco suo sacrificio remissionem, redemptionemque peccatorum faciens ; profectuque fidei, cæterarumque virtutum ad vitam æternam perducens. » Et rursus : « Carnalem nobis occupationem abstulit extirpata multitudine sacrificiorum veterum, ut mentem spiritualibus expediret, et animus variis occupatus in varia non distraheretur. » Denique : « Cæterarum omnium hostiarum vim, et dignitatem magnitudine sua, et præstabili dignitate obruit, Hic holocaustum, hic hostia pacifica, hic propitiatorium sacrificium continetur. » Quod fusius a nobis explicandum est disp. 13, dub. 1, cum D. Thom. quæst. 83, art. 1. Est autem hoc sacrificium specialiter sacrificium laudis, juxta illud Ps. 49, *Sacrificium laudis honorificabit me* : quia ob sui dignitatem meretur laudes, et beneficiis, quæ præstat, mentes incitat ad Deum laudandum. Unde Mattheus cap. 26, ubi de institutione Eucharistiæ agit, subdidit : *Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti. Et hoc exemplo* (addit D. Hierony. *in catena D. Thomæ* ad eum locum) *Salvatoris, qui pane Christi saturatus, calice inebriatus fuerit, potest laudare Deum.*

B. Alger. — Ps. 49. — Matt. 26. — D. Hier.

Sanctissimum.

Octavum est *Sanctissimum*, vel absolute Sanctum, vel antonomastice *Sacramentum.* Quæ elogia occurrunt in Patribus, quæ similia excogitarunt ad repræsentandum sanctitatem, dignitatemque hujus mysterii, et præ cæteris eminentiam. Unde Tertullianus in lib. *de spectaculis* cap. 25 : « Ex ore, quo amen in Sanctum protuleris, » hoc significans Sacramentum. D. Cyprianus in serm. *de lapsis :* « Cum quædam arcam, in qua sanctum Domini fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est. » B. Albertus tract. 1, *de Eucharistia*, cap. 1 : « Hoc est sacramentum sacramentorum, Eucharistia omnis gratiæ contentiva, edulium vegetans ad vitam æternam. Quidquid in omnibus sacramentis, et virtutibus sparsum est, totum simul hoc in hac gratia invenitur. » D. Bernardus, « Sanctum Sanctorum, Sacramentum Sacramentorum. » Unde colligebat D. Chrysostomus hom. 61, ad populum Antiochenum, sanctitatem ad mensam altaris deferendam : « Cum dixerit Sancta Sanctorum, hoc dicit : Si quis non sanctus non accedat : non simpliciter dicit a peccatis purus, sed sanctus. Non peccatorum tantum, liberatio, verum Spiritus præsentia sanctum facit, et bonorum operum divitiæ. Nolo vos tantum, inquit, a cœno esse liberatos, verum candidos, ac splendidos. Et hom. præcedenti *dixerat* : Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio ? Quod solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem? Os, quod igni spirituali repletur, linguam, quæ tremendo sanguine rubescit ? Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. »

Tertull. — D. Cyp. — B. Alb. — D. Bern. — D. Chrys.

Cæna Domini.

89. Nonum est *Cœna Domini*, aut *Cœna Dominica :* quo lubentius utentur hæretici Lutherani, et Calvinistæ, quod illo plures suas hæreses conantur obtrudere. Ex eo enim, quod Eucharistia dicatur *Cæna*, colligunt tum Eucharistiam in solo usu, sive sumptione consistere : quia non est *Cœna*, nisi quando comeditur, et bibitur. Tum Eucharistiam sumi debere sub utraque specie : quia cœna cibum, et potum requirit. Tum Eucharistiam posse vespere, et post cœnam celebrari : et Lutherus dicebat melius dispositos esse bene tentatos, quam jejunos : quia cœna supponit aliam cibi sumptionem. Tum Eucharistiam non posse celebrari in missa privata, et ab uno præcise sacerdote : quia cœna Dominica plures habuit convivas. Porro Eucharistiam esse *Cœnam Domini*, et debere ita vocari, probant ex Scriptura Lucæ 19 : *Homo quidam fecit cænam magnam*, et 1, ad Corinth. 11 : *Jam non est dominicam cænam manducare.*

Luc. 19. — 1 ad Cor. 11.

An Eucharistia vocari possit cœna Domini ?

Sed Sainctes resp. 6, *de Eucharistia* cap. 6, censet Eucharistiam vocari non debere *cænam Domini*: quoniam hæretici hac voce utuntur ad inducendum errores proxime assignatos

assignatos : et quia Patres illa usi non fuerint ad hoc Sacramentum significandum. Aliquorum opinio. Idem censet Vazquez quæst. 73, articulo 4, numero 35, disput. 211, cap. 2. Idem Saincte. Vazqu. etiam censet Kelisonus in proœmio ad hunc Keliso-nus. Tractatum, qui ad locum Lucæ respondet sermonem in eo non fieri de Eucharistia, sed de æterna beatitudine, quæ dicitur cœna, vel quia est ultima animæ refectio, vel quia cœna accipitur pro convivio, cui sæpe comparatur beatitudo, quod sine fastidio satiat, ut etiam observat Jansenius ad illum locum. Et ad testimonium Pauli respondet non intelligi de Eucharistia, sed de alio convivio, ad quod Christiani conveniebant in Ecclesia post Eucharistiæ sumptionem, quod appellabant *Agape*, ut Justin. constat ex Justino *in Apolog.* 2, Tertulliano Tertull. D.Chrys. *in Apologetico*, cap. 39. Divo Chrysostomo et Patribus Græcis. Porro non intelligi de Eucharistia, videtur manifestum : nam Apostolus testatur in illa cœna alium esurire, alium ebrium esse. Nemo vero credet fideles solitos inebriari, ingurgitarique sanctissimo Sacramento, quod non nisi in exigua quantitate, et manu minis- Justin. tri porrigebatur, ut referunt Justinus loco D.Ignat. citato. Divus Ignatius epist. 7, et Tertullanus lib. *de corona militis*. Dicebatur nihinominus illa cœna *Dominica*, tum a tempore, quia fiebat diebus dominicis : tum a locis, nam fiebat in templis, quæ olim Dominica dicebantur : tum denique ab imitatione, quia fiebat ad instar cœnæ, quam Dominus celebravit. Reprehendit autem Apostolus illum cœnandi modum propter ejus abusus : quidam enim præveniebant alios ; quidam etiam ad luxum, et ebrietatem illa utebantur. Sed quia instituta illa cœna fuerat ad fovendum charitatem, et quamdam primæ institutionis Eucharistiæ repræsentationem : propterea Apostolus occasione sumpta transivit ad loquendum de institutione hujus Sacramenti, illaque recitata, hortatus fuit ad tollendum illum abusum, ne convenirent in suam condemnationem

Præfertur sententia contraria. 90. Verum enimvero neque religionis amor, nec in hæreticos zelus cogit nos veritatem dissimulare. Sentimus itaque Sacramentum Eucharistiæ posse non immerito *Cœnam Domini*, aut *Dominicam* appellari. Fundamentum præcipuum est, quod hoc nomen reperiamus apud Patres, aut D. Dion. voces prorsus æquivalentes. Divus Dionysius *de cælesti hierarch.* cap. 8 : « Audite « convivium inspectionis, quod nutrit, et « deificat. » Ad quæ Turrianus : « Convivium « dicitur, in quo mensa mystica apponitur; « Inspectionis vero convivium vocavit, quia « in hoc convivio mystica ea inspiciamus « contemplatione mentis, ad quorum me- « moriam fit, sicut dixit Dominus : Hoc « facite in meam comemorationem. » D. D.Ignat. Ignatius epist. 7, Eucharistiam *Cænam Dominicam* vocat, ut fatetur ipse Claudius Sainctes. Divus Augustinus appellat *cænam* D. Aug. *Dominicam* lib. 2, *de serm. Domini in monte* D. Basil. Tertull. cap. 12, epist. 118, et in refertur in cap. *Li-* D. Naz. Nicetas. *quido, de consecrat.* distinct. 2. Divus Basi- D. Cyp. lius eodem nomine utitur *in regulis brevioribus*, in 310. Tertullianus lib. 2, ad uxorem vocat *Dominicum convivium;* Divus Nazianzenus orat. 2, *Cœnam Evangelicam*. Nicetas orat. 42, § *Et illi* vocat *Cænam mysticam;* D. Cyprianus epist. 54. *Dominicam saturitatem* appellat. « Quos tutos, *inquit*, esse « contra adversarium volumus, munimen- « to Dominicæ saturitatis armemus. » Divus Bernardus scripsit sermonem de cœna Domini. Et similiter Divus Cyprianus, vel Auctor satis antiquus, et gravis inter ejus opera. Denique Ecclesia feriam quintam majoris Hebdomadæ vocat in *Cæna Domini*, non solum propter memoriam Dominicæ cœnæ, seu propter hoc sacramentum ea feria institutum, ut recte observavit Du- Durant. rantus lib. 6, *Rationalis*, cap 75. Si igitur tot, et adeo graves Patres hoc nomine Eucharistiam significarunt, non est, cur nomen *Cænæ Domini*, [illegible] tur, et refellatur. A [illegible] quod prædictum no[illegible] valde probabiliter de [illegible] Nam etsi magnam vin[illegible] loco Lucæ, *Fecit Cænam m*[illegible] sum habeat parabolicum ; t[illegible] nino refelli debet : nam illum de convivio Eucharistico explicat Divus Augustinus in serm. 35, *de verbis Domini*. Majorem longe vim habet locus Pauli, *Jam non est Dominicam cænam manducare* : nam etsi expositio, quam Claudius, Kelisonus, et alii adhibent sit probabilis, insinuataque a Chrysostomo, Œcumenio, et aliis Patribus Græcis : nihilominus non minus probabile est, quod Apostolus illis verbis significaverit Eucharistiam. Et ita exposuerunt Sensus Apostol. Divus Hieronymus, Theodoretus, Divus Anselmus, Glossa ordinaria, Lyra, et alii

ad prædictum locum, et nominatim Angelicus Doctor, qui ibidem lect. 4 totum locum exponit de manducatione Eucharistiæ. Unde relatis illis verbis: «Jam non est « Dominica cœnam manducare, *addit*: Id « est, sumere Eucharistiæ sacramentum, « quod Dominus in cœna discipulis dedit. « Hoc enim sacramentum, ut dicit Augus- « tinus super Joan. est sacramentum uni- « tatis, et charitatis : et ideo non competit « dissentientibus. Vel melius potest referri « ad ea, quæ sequuntur, ut sit sensus: Non « solum convenientibus vobis, scissuræ sunt « inter vos : sed convenit vobis convenien- « tibus, jam, id est, in præsenti, id est, non « licet Dominicam cœnam manducare, ad « quam pransi acceditis. Quia enim Domi- « nus discipulis suis post cœnam hoc sacra- « mentum tradidit, ut legitur Matth. 26, « volebant etiam Corinthii post communem « cœnam sumere corpus Christi. » Movemur denique, quia cum plura nomina attribuantur huic sacramento ob differentes respectus ad diversa; non occurrit rationabilis causa, ob quam valeat dici *bona gratia*, quia illam continet, et causat ; *communio*, quia in ea uniuntur fideles ; *sacrificium*, quia mortem Christi repræsentat, et similia: et non possit dici *c*[illegible]*nini*, cum illam etiam repræse[illegible] spirituale convivium.

(D. Tho.)

(Dispellitur objectio.) Quod auten [illegible] ntiores contra [illegible] Pauli, [illegible] *care*, [illegible] ius- [illegible] *it*, [illegible] [illegible] io- [illegible] Co- [illegible] commu- [illegible] quatenus magis [illegible] hujus sacramenti ce- [illegible] em (quod etiam nunc sibi videntur facere Calvinistæ), in qua eorum aliqui excedebant ad ebrietatem usque. Unde D. Thomas loco cit. exponit Apostoli sententiam: « Ideo dico, quia non licet vobis « Dominicam cœnam manducare : quia « unusquisque vestrum præsumit, id est, « antesumit suam cœnam, scilicet ciborum « communium ad manducandum. Quilibet « enim eorum portabat ad Ecclesiam fercula « præparata, et comedebat quilibet seorsum « antequam sumeret mysteria. Et arguit « culpam eorum, in quantum erat contra « proximum. Divites enim laute comede- « bant in Ecclesia, et bibebant usque ad « ebrietatem : pauperibus autem nihil da- « bant, ita quod remanebant esurientes. » Unde ulterius fiebat homines illos peccavisse etiam contra Deum, prætermittendo reverentiam tanto sacramento debitam, et non recte dijudicantes corpus Domini.

(D. Tho.)

(Alia explicatio.) Si quis autem contendat excessus illos commissos fuisse immediate in ipsa Eucharistiæ sumptione, vel acceptione ; viam non arripiet improbabilem, quam idem Angelicus Doctor loco cit. in fine lectionis his verbis : « In primitiva Ecclesia fideles « panem, vinum offerebant, quæ consecra- « bantur in corpus, et sanguinem Christi. « Quibus jam consecratis, divites, qui mul- « ta obtulerant, eadem sibi repetebant : « et sic ipsi abundanter sumebant, pauperi- « bus nihil sumentibus, qui nihil obtule- « rant. De hac ergo culpa Apostolus eos « hic reprehendit dicens: Convenientibus « vobis in unum jam non est, id est, non « contingit inter vos Dominicam cœnam « manducare. Cœna enim Domini est com- « munis toti familiæ : unusquisque autem « vestrum sumit eam non quasi commu- « nem, sed quasi propriam, dum sibi vult « vendicare, quod Deo obtulit. Et ita sequi- « tur, quod alius, scilicet pauper, qui ni- « hil obtulit, esurit, nihil scilicet sumens « de consecratis : alius autem, nempe di- « ves, qui multa obtulit, ebrius est, ad lit- « teram propter hoc, quod nimium sump- « sit de vino consecrato, quod scilicet quasi « proprium repoposcit. » Et cum sibi opponat Div. Thomas absurdum videri, quod aliquis de vino consecrato inebrietur, post relatas, et impugnatas aliorum circa hoc opiniones, breviter, et resolutorie respondet : « Sicut virtute consecrationis mira- « culose confertur speciebus panis et vini, « ut subsistant sine subjecto ad modum « substantiæ: ita etiam eis miraculose con- « fertur ex consequenti, quod agant, et pa- « tiantur, quidquid agere, aut pati posset « substantia panis, aut vini, si adesset. « Et hac ratione species illæ possunt nu- « trire, et inebriare, sicut si esset ibi subs- « tantia panis, et vini. » Quod a nobis late explicandum est disp. 8, dub. 5 ; si autem Claudius, et alii indecens, absurdumque censeant hujusmodi inordinationes commissas aliquando fuisse in sacræ Eucharistiæ usu; advertant, oportet hæc contigisse in

in spirituali Corinthiorum infantia, et cum adhuc valde rudes essent erga tanta mysteria: quos proinde Paulus instruit eo loco, et promittit, cum venerit, amplius docturum.

Alia objectio diluitur. 91. Minus autem nos deterrere debet ab arrepta jam via, quod, quod Lutherani, et Calvinistæ vocabulo *cœnæ Domini*, vel *Dominicæ* utantur ad significandum hoc sacramentum, indeque pravas illationes deducant, quales num. 89, repræsentavimus. Alias oporteret etiam relinquere illa scripturæ testimonia, in quibus hæretici cum Catholicis conveniunt : quia inde illi colligere satagunt suos errores. Id vero est plane absurdum. Unde objectum inconveniens nihil pendi debet : sed magis oportet separare pretiosum a vili. Porro argumentum, quod hæretici desumunt a cœna Domini, ut eosdem ritus in conficiendo Eucharistiam nunc observemus, invalidum est, atque in ipsos retorquendum, et ab eisdem oportet dilui. Nam si ita scrupulosi sunt in quibusdam, quæ Christus in cœna gessit ; cur non prius adstantium pedes lavant ? Cur non prius comedunt agnum ? Sed ipsi religiosissimi sunt in observando, quæ Ecclesia non præcipit : at vulgo prætermittunt, quæ Ecclesia Apostolicarum traditionum tenax observat. Nos vero objectas ab illis calumnias uno quasi verbo dispellimus : Dominus enim non præcepit omnia illa facere, sed solum tanti sacramenti consecrationem, et receptionem : alia enim pertinent ad ceremonias, quæ possunt pro congruentiis temporum, et personarum variari, et eorum determinatio pertinet ad Ecclesiam, sicut contigit in D. Tho. jejunio. Ut enim recte tradidit D. Thom. lect. cit. « quod Christus post cœnam instituerit Eucharistiam, rationabiliter fecit « propter tria. » (Quæ ibi recenset). « Sed « in reverentiam tanti sacramenti postmo- « dum Ecclesia instituit, quod non nisi a « jejunis sumatur. » Et idem dicendum est ad alias ibidem repræsentatas comparationes.

Animadversio. Hic autem observare oportet, quod licet hoc nomen *Cœna Domini*, vel *Dominica* congruum de se sit insinuatum in scriptura, et apud Patres usitatum, ut supra ostendimus : nihilominus, quia hæretici illo frequentius utuntur, ne communicent jejuni, et ne alios ritus Ecclesiæ Catholicæ observent : non ita illo frequenter, sicut aliis nominibus supra relatis utendum est, sed parce, et cum discretione, et ubi nulla datur occasio erroris, vel ullius consensionis cum hæreticis. Et ita observarunt Concilium Coloniense in tract. *de Eucharistia*, Concil. Colon. Petrus de Soto lect, 1, *de Eucharistia*, Suarez Petrus de Soto. Suarez. in notis ad art. 4, præsentis quæst. et alii. Unde etiam consuleremus in Provinciis, ubi degunt Lutherani, et Calvinistæ, ab illo nomine magis abstinere, ne illos imitari videamur. Quod periculum non est in nostra Hispania, ubi nullus datur locus hæreticis. Idemque judicium formaremus pro censura circa personas : qui enim tam hoc vocabulo, quam aliis supra relatis, hisque frequentius uteretur ; nullo modo circa hoc nobis suspectus foret. Sed si attenderemus aliquem inculcare nomen *cœnæ Domini*, vel *Dominicæ*, suppressis, aut rarissime expressis aliis dignioribus, utputa *Sanctissimi Sacramenti*, *Corporis Domini*, et similium : hunc profecto suspectum haberemus de hæresi Calviniana, sive de eo, quod in veritatem, et dignitatem Eucharistiæ non probe foret affectus. Et in hoc subscribimus Theologis num. 89 relatis.

Eucharistiæ elogia ex Patribus. 92. Denique ut rem præsentem jam absolvamus (longissimum quippe foret cuncta hujus sanctissimi sacramenti nomina, elogia, et epitheta recensere, et declarare), Patres multipliciter ipsum, ejusque eminentiam significant. D. Dionysius illud vocat « sacramentum sacramentorum, et « sacrificium divinissimum. » D. Ignatius « gloriam Dei, pacem Christi, et pharma- « cum immortalitatis. » Tertullianus « sa- « cramentum benedictionis. » D. Cyprianus « alimoniam immortalitatis, et por- « tionem vitæ æternæ. » Origenes verbum « nutritorium animarum. » D. Ambrosius « mysterium Cæli. » D. August. vitam. » « D. Athanasius « panem beatitudinis. » « D. Chrysostom . « decus orbis terra- « rum. » S. Isidorus Pelusiota « fontem « immortalitatis. » N. Cyrillus « vivificam « benedictionem » D. Petrus Chrysologus « cibarium æternæ vitæ. » D. Prosper « po- « culum æternitatis. » D. Hieronym. « omnium novitatum novitatem. » Div. Germanus Constantinopol. « arcam lumi- « num. » D. Eligius, « lætitiam totius Tri- « nitatis. » D. Thom. « pignus futuræ « gloriæ. » D. Bernardus » sanctum sanc- « torum, amorem amorum, et dulcedinem

« omnium dulcedinum.» Rupertus « holo« caustum salutis. » Damascenus « offici« nam omnium miraculorum. « B. Albertus Magnus « edulium vegetans ad immor« talitatem. » Cabasilas « mysteriorum « finem.» Hugo cardinalis, « bonum anto« nomastice, et omnia bona.» Et ne ultra progrediamur; qui plura voluerit, non pauca (et si non parvo studio, sunt enim hinc inde sparsa) reperiet apud Aloysium Novarinum in opere de agno eucharistico per totum. Et hæc tam de dogmaticis, quam de expositivis præmittendis ad Scholastica circa hoc mysterium, delibasse sufficiet.

ARTICULUS I.

Utrum Eucharistia sit sacramentum ?

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Eucharistia non sit sacramentum. Ad idem enim non debent ordinari duo sacramenta : quia unumquodque sacramentum efficax est ad suum effectum producendum. Cum ergo ad perfectionem ordinetur et confirmatio, et Eucharistia (ut dicit Dionys, 4. Cœlest. hier.) videtur Eucharistia non esse sacramentum, cum confirmatio sit sacramentum, ut prius habitum est.

Præterea. In quolibet sacramento novæ legis id, quod visibiliter subjicitur sensui, efficit invisibilem effectum sacramenti : sicut abtutio aquæ causat et characterem baptismalem, et ablutionem spiritualem : sicut supra dictum est. Sed species panis, et vini, quæ subjiciuntur sensui in hoc sacramento non efficiunt neque ipsum corpus Christi verum, quod est res, et sacramentum, neque corpus mysticum, quod est res tantum in Eucharistia. Ergo videtur quod Eucharistia non sit sacramentum novæ legis.

Præterea. Sacramenta novæ legis habentia materiam, in usu materiæ perficiuntur ; sicut baptismus in ablutione, et confirmatio in chrismatis consignatione. Si ergo Eucharistia sit sacramentum, perficeretur in usu materiæ, non in consecratione ipsius materiæ. Quod patet esse falsum : quia forma hujus sacramenti sunt verba, quæ in consecratione materiæ dicuntur : ut infra patebit. Ergo Eucharistia non est sacramentum.

Sed contra est quod in collecta dicitur, Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam.

Respondeo dicendum, quod sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali. Vita autem spiritualis, vitæ corporali conformatur ; eo quod corporalia, spiritualium similitudinem gerunt. Manifestum est autem quod sicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, et augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitæ : ita etiam requiritur alimentum, quo homo conservatur in vita. Et ideo sicut ad vitam spiritualem oportuit esse baptismum, qui est spiritualis generatio, et confirmationem, quæ est spirituale augmentum : ita oportuit esse sacramentum Eucharistiæ : quod est spirituale alimentum.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est perfectio. Una quæ est in ipso homine, ad quam perducitur per augmentum : et talis perfectio competit confirmationi. Alia autem est perfectio, quam homo consequitur ex adjunctione alicujus extrinseci, hominem conservantis : puta ex adjunctione cibi, vel indumenti, vel alicujus hujusmodi, et talis perfectio competit Eucharistiæ, quæ est spiritualis refectio.

Ad secundum dicendum, quod aqua baptismi non causat aliquem spiritualem effectum propter ipsam aquam, sed propter virtutem Spiritus Sancti in aqua existentem. Unde Chrysost, dicit super illud Joann. 5. Angelus Domini secundum tempus, etc. In baptizatis non simpliciter aqua operatur : sed cum Spiritus Sancti susceperit gratiam, tunc omnia solvit peccata. Sicut autem se habet virtus Spiritus Sancti ad aquam baptismi : ita se habet corpus Christi verum ad species panis et vini. Unde species panis, et vini non efficiunt aliquid nisi virtute corporis Christi veri.

Ad tertium dicendum, quod sacramentum dicitur ex eo quod continet aliquid sacrum. Potest autem aliquid esse sacrum dupliciter, scilicet absolute, et in ordine ad aliud.

Hæc autem est differentia inter Eucharistiam, et alia sacramenta habentia materiam sensibilem, quod Eucharistia continet aliquid sacrum absolute, scilicet ipsum Christum, aqua vero baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud, scilicet virtutem ad sanctificandum. Et eadem ratio est de chrismate, et similibus. Et ideo sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materiæ, alia vero sacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum.

Et ex hoc etiam consequitur alia differentia, nam in sacramento Eucharistiæ id quod est res, et sacramentum, est in ispa materia : id autem quod est res tantum, est in suscipiente, scilicet gratia, quæ confertur : in baptismo autem utrumque est in suscipiente, scilicet et character qui est res et sacramentum, et gratia remissionis peccatorum, quæ est res tantum et eadem ratio est de aliis sacramentis.

Conclusio : *est affirmativa*

ARTICULULUS II.

Utrum hoc sacramentum sit unum, vel plura ?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Eucharistia non sit unum sacramentum, sed plura. Dicitur enim in collecta : Purificent nos Domine sacramenta, quæ sumpsimus. Quod quidem dicitur propter Eucharistiæ susceptionem. Ergo Eucharistia non est unum sacramentum, sed plura.

Præterea : Impossibile est multiplicato genere, non multiplicari speciem, sicut quod unus homo sit plura animalia. Sed signum est genus sacramenti, ut supra dictum est. Cum igitur in Eucharistia sint plura signa, scilicet panis, et vinum, videtur consequens esse quod sint plura sacramenta.

Præterea : Hoc sacramentum conficitur in consecratione materiæ : sicut dictum est Sed in hoc sacramento est duplex materiæ consecratio : ergo est duplex sacramentum.

Sed contra est quod Apost. dicit 1. ad Corinth. 10. Unus panis et unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane, et de uno calice participamus, ex quo patet, quod Eucharistia est sacramentum Ecclesiasticæ unitatis. Sed sacramentum similitudinem gerit rei, cujus est sacramentum. Ergo Eucharistia est unum sacramentum.

Respondeo dicendum, quod sicut dicitur 5 Metaph. unum dicitur non solum quod est indivisibile, vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum : sicut dicitur una domus, et unus homo. Est autem unum in perfectione, ad cujus integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem ejusdem : sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animæ, et domus integratur ex omnibus partibus, quæ sunt necessariæ ad inhabitandum : et sic hoc sacramentum dicitur unum. Ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum : et potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem hujus sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus, et spiritualis potus : sed illud Joan. 6 : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter, et perfective.

Ad primum ergo dicendum, quod in eadem collecta et pluraliter dicitur primo : Purificent nos sacramenta, quæ sumpsimus : et postea singulariter, subditur : Hoc tuum sacramentum

sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, ad ostendendum, quod hoc sacramentum quodammodo est multa, simpliciter autem unum,

Ad secundum, quod panis et vinum materialiter quidem sunt plura signa : formaliter vero et perfective unum, in quantum ex eis perficitur una refectio.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc quod est duplex consecratio materiæ hujus sacramenti, non potest plus haberi, nisi quod hoc sacramentum materialiter est multa, ut dictum est.

Conclusio : *Sacramentum Eucharistiæ est multa materialiter, unum vero formaliter, et perfective.*

DISPUTATIO II.

De Sacramento Eucharistiæ secundum se.

Expediti jam ab illis, quæ pro introductione præsentis materiæ præmittere oportuit, manus, et attentionem in ipsam convertemus. Et quia rectus procedendi methodus exposcit, ut rerum notitia a communioribus incipiat, indeque derivetur ad speciales earum notiones, partes, proprietates, et effectus : hunc ordinem cum D. Thoma observabimus, qui in hac quæst. 73, egit de Eucharistia secundum se, et in communi, et in sequentibus agit de aliis magis specialibus. Quare primo loco investigare oportet.

DUBIUM I.

Utrum Eucharistia sit verum sacramentum, et ab aliis distinctum ?

Difficultas hæc nec est admodum ardua, nec longas moras exposcit: præmitti tamen debet, et ab ipso Tractatus limine superari, ut habeamus subjectum determinatum, quod supponatur dicendis. Cuncta enim, quæ postea disputabimus, in istud tandem caput revocanda sunt. Et ideo ante alia.

§ I.

Veritas Catholica aliquibus assertionibus explicatur.

Prima conclusio. 1. Dicendum est primo Eucharistiam esse verum sacramentum novæ legis. Hæc conclusio est de fide, ut statim constabit ex ejus probationibus. Unde illam docent omnes Catholici, quin opus sit particulares Doctores referre. Quinimo et hæretici hujus temporis nobiscum in hac causa sentiunt, ut recte observavit Labat disp. 4, dub. 1, § 1, licet alias circa eandem materiam delirent, et plures addant errores. (Fundamentum.) Probatur primo : nam Eucharistiam esse sacramentum docent, et diffiniunt Concilia, nempe Africanum sub Bonificacio I, cap. 2, nu. 4, Carthaginense Tertium can. 28 et 29. Lateranense sub Innocentio III, et refertur in cap. *Firmiter, de summa Trinit.* et cap. *Cum Marthæ, de celebratione Missarum.* Florentinum in decreto Eugenii. Constantiense sess. 13, Basiliense sess. 30, Coloniense p. 7, cap. 14, Senonense decreto 10, Moguntinum cap. 11, et Tridentinum sess. 7, can. 1, ubi ait : « Si quis dixerit « sacramenta novæ legis esse plura, aut « pauciora, quam septem, videlicet Baptis- « mum, Confirmationem, Eucharistiam etc. « aliquod horum septem non esse vere, et « proprie sacramentum ; anathema sit. » (Concil. African. Concil. Carth. 3. Concil. Later. Concil. Florent. Constan. Basilien. Senon. Mogunt. Trident.) Et idem docet sess. 13, per omnes fere canones, ut superfluum sit eos referre. Idem etiam docuerunt Summi Pontifices in suis decretis, Alexander I relatus in cap. *Sacramentorum, de consecratione*, disp. 2, Martinus I, relatus in cap. *Non oportet, eodem titulo, et distinctione.* Innocentius III, in cap. *Firmiter*, et cap. *Cum Marthæ* supra relatis. (Alex. I. Mart. I. Innoc. 3.) Hic etiam est unanimis Patrum consensus, ut constat ex D. Dionysio *de Eccles. hierarch.* cap. 3. D. Ambrosio lib. 5. *de sacramentis*, et lib. 5, *de fide*, D. Augustino epist. 23, et lib. 50, homiliarum, hom. ult. D. Damasceno lib. 4, *de fide* cap. 14, D. Thomas in præs. art. 1, et aliis, quos prolixum esset recensere. (D. Dion. D. Amb. D. Aug. D. Tho.)

2. Probatur secundo demonstratione sumpta ex sacris litteris, quæ licet expresse nomen sacramenti Eucharistiæ non attribuant, ea tamen dicunt, ex quibus evidenter constat ipsam esse verum sacramentum, ut ostenditur sequenti discursu. (Aliud fundamentum.) Etenim sacramentum, aliud non est, quam signum rei sacræ sanctificantis nos, ut statuimus, et explicuimus Tract. præced. disp. 1, dub. 3, vel, ut hæretici diffinire solent, ritus sacer, cui annexa est divina promissio : sed hæc conveniunt cum omnimoda proprietate Eucharistiæ : hæc igitur est verum sacramentum. Probatur minor : nam Eucharistiam esse aliquod signum sensibile, et sacrum ritum, satis ex se constat :

tate: quod autem repræsentet rem sacram, qua sanctificamur, et quod habeat annexam Dei promissionem, patet ex verbis Christi, Joan. 6 : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* In quibus ly *Ex hoc pane*, signat externum signum, et ritum : et ly *vivet in æternum* denotat tam Dei promissionem, quam rem sacram, sive gratiam promissam. Quare sicut ex eo, quod Christus dixerit: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*, efficaciter colligitur baptismum esse verum sacramentum : sic etiam ex eo, quod dixerit, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, infertur non minus efficaciter, quod Eucharistia verum sacramentum sit. Accedit, et explicatur magis : nam sacramenta novæ legis sunt signa externa a Christo instituta, ut permaneant in Ecclesia, ad sanctificandum homines. Quæ omnia ad amussim conveniunt Eucharistiæ. Nam quod sit signum externum liquet ex speciebus sensibilibus, quibus constat. Quod vero instituta fuerit a Christo, liquet ex Evangelio Matth. 26, Marci 14, et Lucæ 22, ut fusius ostendimus disp. præced. cap. 3, § 1. Quod autem instituta fuerit ad permanendum in Ecclesia, liquet ex verbi Christi Lucæ 22, *Hoc facite in meam commemorationem.* Idque magis exponens Apostolus ex traditione Domini 1, *ad Corinth*, 11. addidit : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, nempe in fine mundi ad judicandum homines. Denique ordinatam fuisse ad hominum sanctificationem, liquet ex immediate dictis, et ex innumerabilibus elogiis, quibus Patres Eucharistiæ virtutem, et fructus commendant, ut ostendimus disp. præced. cap. 1 § 1 et 3.

Joan. 6. Luc. 22. 1 ad Corinth. 11.

Alterum fundamentum ex D. Thoma.

3. Probatur tertio ratione congruentiæ, quam optime expendit D. Thomas in quæst. art. 1, explicans simul et convenientiam institutionis Eucharistiæ, et peculiarem ejus effectum. Fundatur autem in analogia inter vitam spiritualem, et corporalem, et potest ita formari: sacramenta instituta sunt ad subveniendum homini in vita spirituali, quæ corporali proportionabiliter conformari debet. Videmus autem in corporalibus, quod præter generationem, quæ dat homini primum esse, et præter augmentationem quæ perducit hominem ad perfectum debitæ quantitatis statum, datur nutritio, quæ mediante alimento vires deperditas reparat, et hominem in vita conservat. Ergo sicut ob prædictam ad corporalia correspondentiam congruum fuit dari unum sacramentum, nempe baptismum, quod generationi respondet, et primam vitam spiritualem communicat; et similiter dari aliud sacramentum, nempe confirmationem, quod respondet augmentationi, et præstat augmentum spirituale : sic etiam oportuit dari tertium alterum sacramentum, quod nutritioni respondeat, et communicet effectum reparandi vires spirituales, et conservandi hominem in spirituali vita. Hoc autem sacramentum est Eucharistia, sive panis supersubstantialis, continens Christum, qui de se dicit : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Oportuit ergo dari istud sacramentum, quod Eucharistiam vocamus. Recolantur, quæ diximus disp. præced. n. 80, ubi aliquas ex innumeris recensuimus utilitates, quas ab Eucharistia participamus. Videantur etiam, quæ diximus Tract, præced. disp. 9, dub. 1, num. 2, ubi per analogiam ad naturalia statuimus septenarium numerum nostrorum sacramentorum.

Secunda conclusio.

4. Dicendum est secundo Eucharistiam esse sacramentum ab aliis Ecclesiæ sacramentis distinctum. Hæc conclusio etiam est de fide. Et probatur primo ex Concilio Trident. in canone nu. præced. relato, ubi diffinivit Ecclesiæ sacramenta esse septem, et non plura, nec pauciora, inter quæ expresse recenset Eucharistiam : si autem Eucharistia non esset sacramentum ab aliis distinctum, sequeretur contra prædictam diffinitionem sacramenta Ecclesiæ esse pauciora, quam septem: ergo fateri oportet eucharistiam esse sacramentum ab aliis Ecclesiæ sacramentis diversum. Quod amplius confirmari valet ex alia doctrina ejusdem Consilii infra referenda.

Concil. Trident.

Ratio Theologica.

Probatur secundo ratione Theologica : nam cum sacramenta nostra sint quædam concreta, sive composita, quæ constant materia, et forma, sive rebus, et verbis, ut constat ex dictis Tract. præced. disp. 2, dub. 1 et 2, et cum aliunde ordinentur ad causandum, et significandum gratiam, ut ibidem ostendimus disp. 4, dub. 1, cum sequentibus : consequens omnino est illa sacramenta distingui inter se, quæ habent distinctas materias, formas, causalitates

litates. et significationes. Sic autem comparatur eucharistia ad reliqua sacramenta : habet enim diversam materiam nempe panem, et vinum ; et diversam formam, scilicet : *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus ;* diversam etiam causalitatem; et significationem, nimirum per modum cibi,et potus reficientis spiritualiter animam. Ergo Eucharistia est sacramentum distinctum ab omnibus aliis sacramentis. Quod magis adhuc constabit ex immediate dicendis.

Tertia conclusio.

5. Dicendum est tertio unam ex præcipuis differentiis, ut Eucharistia distinguatur a cæteris sacramentis; sitam in eo esse quod alia sex sacramenta consistunt in usu sive actuali applicatione materiæ, Eucharistia vero non consistit in usu, et applicatione alicujus materiæ, sed est sacramentum permanens. Hæc etiam conclusio est de fide. Et probatur primo ex Concilio Tridentino sess. 13, cap. 13, ubi ait : « Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris sacramentis symbolum esse rei sacræ, et invisibilis gratiæ formam visibilem. Verum illud in ea excellens, et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur. At in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est : nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse. quod præbebat.Et semper hæc fides in Ecclesia fuit. statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, et vini specie una cum ipsius anima, et divinitate existere etc. » Et conformiter ad hanc doctrinam diffinit can. 4: « Si quis dixerit peracta consecratione in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus, et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante. vel post. et in hostiis. seu particulis consecratis. quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini ; anathema sit. » Confirmatur ex communi Patrum traditione, et fidelium usu,qui hostiam consecratam.sive sumatur, sive non. vocant sanctissimun sacramentum, Eucharistiam, et alia elogia illi deferunt, quæ expedimus disp. præced. cap. 4. § 3.

Fundamentum Concil. Trident.

6. Probatur secundo ratione Theologica insinuata a Concilio, quam possumus ita formare : quoniam tunc Eucharistia est actu sacramentum, quando actu continet vere, et realiter corpus, et sanguinem Christi : sed Eucharistia actu continet vere, et realiter corpus, et sanguinem Christi, ubi primum perficitur consecratio panis, et vini, antecedenter ad ejus sumptionem sive usum : ergo Eucharistia antecedenter ad usum, sive applicationem est actu sacramentum : et consequenter Eucharistia est sacramentum permanens, et in hoc differt ab omnibus aliis sacramentis, quæ in usu, sive applicatione materiæ consistunt. Utraque consequentia legitime infertur ex præmissis. Et major probatur tum ad hominem contra Lutheranos, et alios hæreticos, qui consequenter agunt in negando tam Eucharistiam esse sacramentum ante sumptionem, sive usum, quam Christum esse vere, et realiter in Eucharistia ante prædictum usum, vel sumptionem : ergo consequenter negare nequeunt Eucharistiam esse sacramentum actu, quando actu continet vere, et realiter corpus, et sanguinem Christi. Tum etiam quia eo ipso, quod Eucharistia actu contineat vere, et realiter corpus, et sanguinem Domini est aliquid sensibile continens aliquid sacrum in ordine ad nostram sanctificationem : hoc autem intelligimus nomine sacramenti, ut neque ipsi hæretici negant : ergo Eucharistia tunc actu est sacramentum, quando actu continet vere, et realiter corpus, et sanguinem Christi. Minor etiam late probata est supra disput. præced. cap. 1, et nunc breviter ostenditur : nam Christi corpus, et sanguis continebantur actu in Eucharistia, sive speciebus panis, et vini, ubi Christus protulit, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus :* si enim illud, quod Christus manibus tenebat, atque Apostolis offerebat, non esset vere corpus, et sanguis ejus ; fieret illas propositiones falsas fuisse, et Christum mentitum esse illas proferendo: quod dicere est magna blasphemia : sed Christus eas propositiones dixit, priusquam Apostoli comederent, et biberent Eucharistiam, siquidem illis verbis ipsos excitavit ad comedendum, et bibendum. quod eis porrigebat : Ergo Eucharistia actu continet vere, et realiter corpus, et sanguinem Christi antecedenter ad ejus sumptionem, sive usum.

Aliud motivum.

7. Nec momenti erit, si hæretici dicant

Responsio hæreticorum. Christum protulisse eas propositiones, cum Eucharistia actu susciperetur, ut indicare videtur Matth. 26, dicens : *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accepite, et comedite : hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens : Bibite ex* Evertitur. *hoc omnes : hic est enim sanguis meus novi testamenti.* Quibus verbis non obscure significatur simul concurrisse et prolationem earum propositionum, et actionem manducandi, et bibendi. Id, inquam, nihil valet, et confutatur efficaciter sequenti discursu : quia in Scriptura non semper attenditur materialis ordo verborum, sed multo magis sensus, quem verba exigunt : sed sensus illarum propositionum exigit, ut concipiamus, fateamurque Christum illas protulisse antecedenter ad usum, sive susceptionem sacramenti: ergo ita contigit. Major præterquam quod frequenter asseri- D. Aug. tur a D. Augustino tum aliis locis, tum toto fere tractatu de consensu Evangelistarum, demonstratur in hunc modum : nam si attendamus ad solum materialem verborum ordinem ; sequitur hanc propositionem, *Hic est sanguis meus* prolatam a Christo fuisse, postquam Apostoli biberant ex calice, et sumpserant sacramentum : Marc. 14. Marcus namque cap. 14, sic habet, *Accepto Calice gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes, et ait illis : Hic est sanguis meus :* ubi attento materiali verborum ordine, concedere oporteret Apostolos prius bibisse, et Christum deinde protulisse verba consecratoria. Id vero nemo sanæ mentis concedet : tum quia inde sequeretur talem actionem non fuisse sumptionem sacramenti ; quod esse non potuit, antequam verbis Christi consecraretur : tum quia etiam inferretur talem propositionem demonstrativam fuisse falsam, quippe post sumptionem calicis nihil liquidum erat demonstrabile, de quo Christus diceret esse suum sanguinem : fateri itaque omnino oportet ibidem non attendi ordinem verborum, sed sensum, qui exigit Christum prius dixisse , *Hic est sanguis meus,* et deinde Apostolos illum bibisse. Minor etiam liquet : nam cum Mattheus refert : *Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes : hic est enim sanguis meus novi testamenti,* ponitur particula causalis *enim,* ut indicaret Christum per illud motivum, nempe quia esset sanguis suus, excitare Apostolos ad bibendum : ergo sensus illorum verborum exigit, ut intelligamus, et concedamus adfuisse Christi sanguinem in calice antecedenter ad ejus sumptionem, sive usum. Et idem intelligendum est de existentia corporis Christi sub speciebus panis antecedenter ad comestionem.

§ II.

Dispelluntur objectiones aliquæ co tra præmissas assertiones.

8. Contra primam nostrarum assertionum referri solent aliqui hæretici, Archontici negantes mysterium altaris apud D. Epiphanium hæresi 40. Messaliani negantes illud esse alicujus utilitatis apud Theodoretum lib. 4, hist. cap. 10. Et Albanienses negantes simpliciter Eucharistiam apud Prateolum verbo *Albanienses,* nu. 9, et alii apud Suarium disp. 39. sect. 1. Quamvis Vasquez disp. 167, cap. 1, contendat nullum hæreticorum negasse in specie Eucharistiam sacramentum esse ; quamvis plures prave senserint de reali in illo præsentia Christi. Quod videtur satis probabile, sed quod non multum refert in præsenti. Potest autem contra prædictam assertionem opponi primo : nam de ratione veri sacramenti est significare gratiam: sed Eucharistia non significat gratiam : ergo Eucharistia non est verum sacramentum. Probatur minor: quia Eucharistia significat corpus, et sanguinem Christi, quæ sub ea existunt : hæc autem non sunt gratia, sed aliquid ab illa diversum : ergo Eucharistia non significat gratiam. Nec satisfacit Scotus in 4, dist. 1, quæst. 2, § *De tertio* dicens ad rationem veri sacramenti sufficere, quod significet gratiam, vel gratuitum effectum ; quamvis autem Eucharistia non significet gratiam accidentalem, sive inhærentem, significat tamen gratuitum effectum, nempe Christum sub speciebus existentem, qui pertinet ad nostram salutem, Hoc, inquam, minime satisfacit ; tum quia de ratione sacramenti est significare gratiam, sive rem sacram, qua formaliter sanctificamur, ut statuimus tract. præced. disp. 1, dub. 2, et 3 ; hujusmodi autem gratia non est Christus, sed aliqua forma accidentalis, et inhærens. Tum etiam quia illa Scoti responsio conciliari posse non videtur cum diffinitione

Qui negaverint Eucharistiam esse sacramentum.

Archont. Messal. Alban.

Prima objectio.

Insufficiens Scoti responsio.

diffinitione Concilii Tridentini sess. 7, can. 6, ubi ait : « Si quis dixerit sacramenta « novæ legis non continere gratiam, quam « significant, aut gratiam ipsam non po- « nentibus obicem non conferre, etc. ana- « thema sit. » Gratia autem, quæ non ponentibus obicem confertur, non est ipse Christus, vel quodvis aliud donum gratuitum, sed est determinate gratia accidentalis, interior, atque inhærens, ut ex se liquet. A qua Concilii regula, quamvis indefinita videatur, non licet extrahere Eucharistiam : nam cum sit doctrinalis, et in re dogmatica, æquivalet universali, et præcludit locum his exceptionibus.

Concil. Trident.

Vera solutio.

Respondetur concedendo majorem restrictam etiam ad gratiam accidentalem, et inhærentem, ut recte contra Scotum probatur, et negando minorem. Ad cujus probationem, omissis præmissis, negamus consequentiam, quæ minus recte ab illis deducitur : nam ex eo quod Eucharistia significet Christum, minime impeditur significare etiam gratiam inhærentem : quin potius commune est omnibus nostris sacramentis significare gratiam, Christum, et gloriam, ut diximus tract. præced. disp. 1, num. 31, cum seq. Et si objectio vim faciat in eo, quod principalius, immediatius, aut expressius sacramentorum significatum debet esse gratia sanctificans, ut denotare videtur ipsa sacramenti diffinitio, *signum rei sacræ sanctificantis nos*, utique formaliter: respondendum erit juxta doctrinam traditam loco cit. a num. 45, Eucharistiam, sive species sacramentales continere corpus et sanguinem Christi, non utcumque, sed per modum cibi, et potus spiritualis animam reficientis per gratiam inhærentem, quam producunt, et ad quam tota illa continentia, atque sacramenti institutio, aut dispositio ordinatur. Unde Eucharistia immediate, et principaliter significat tum Christum, tum gratiam; sed magis principaliter istam : quia ad illam ordinatur tam sacramentum tantum, quod est Eucharistia, quam res, et sacramentum simul, quod est Christus in Eucharistia contentus. Quæ responsio desumitur ex D. Thom. in præs. art. 1, ad 2, ubi ait, « quod sicut se habet « virtus Spiritus Sancti ad aquam baptismi, « ita se habet corpus Christi verum ad spe- « cies panis, et vini. Unde species « panis et vini non efficiunt aliquid, « nisi virtute corporis Christi veri. » Quibus verbis significat corpus Christi verum sub speciebus existens comparari per modum virtutis ad producendum in nobis gratiam : quæ proinde se habet per modum termini, et finis, ac subinde principalioris significati respective ad sacramentum : sicut proportionabiliter contingit facta comparatione inter virtutem Spiritus Sancti elevantem aquam baptismi, et gratiam nobis inhærentem, quæ per istud sacramentum producitur. Et licet aliqua possint huic doctrinæ opponi, illa præocupavimus loco cit. quem lector repetere valet.

D. Tho.

9. Opponitur secundo : nam de ratione sacramenti legis gratiæ est efficere, quod significat : sed Eucharistia non efficit, quod significat : ergo Eucharistia non est verum legis gratiæ sacramentum. Major constat : nam sacramenta legis gratiæ sunt signa practica : de horum autem ratione est efficere, quod significant, et in hoc distinguuntur a signis pure speculativis. Minor autem ostenditur : quoniam Eucharistia, sive species panis, et vini determinatæ per verba consecrationis significant Christum ibi præsentem, et sub eisdem latentem : et tamen prædictæ species non efficiunt Christum, ut ex se liquet : ergo Eucharistia non efficit, quod significat.

Secunda objectio.

Respondetur non esse de ratione nostrorum sacramentorum efficere omne, quod adæquate significant : sed sufficere, quod efficiant suum principalius significatum, nempe gratiam, qua formaliter sanctificamur, ut diximus num. præced. in hoc enim eorum virtus, et significatio practica satis explicatur. Unde ex eo, quod Eucharistia Christum significet, et ipsum non efficiat ; minime sequitur illum non esse sacramentum : sufficit enim, quod per sui applicationem efficiat in nobis gratiam sanctificantem, ut vere causat. Quæ responsio fundatur in doctrina D. Thomæ supra quest. 60, art. 3, in corp. ubi ait : « Sacra- « mentum est et signum rememorativum « ejus, quod processit, scilicet passionis « Christi ; et demonstrativum ejus, quod in « nobis efficitur per Christi passionem, sci- « licet gratiæ : et prognosticum, id est « prænuntiativum futuræ gloriæ. » Et tamen certum est sacramentum non efficere passionem Christi præteritam. Quin nec proprie loquendo efficit gloriam : cum hæc

Responsio.

D. Tho.

consistat in operatione a beato elicita ex vi alterius concursus longe diversi.

Replica. Nec hanc responsionem diruit, quod illi opponit N. Cornexo, nempe, quod liceat ejus doctrina teneat in aliis sacramentorum significatis; non tamen in eo, quod significatur tanquam res, et sacramentum simul: id enim debet per ipsum sacramentum effici, ut patet in characteribus baptismi, confirmationis, et ordinis, qui sunt res, et sacramentum simul prædictorum sacramentorum: et per illa non solum significantur, sed etiam efficiuntur. Constat autem rem, et sacramentum simul in sacramento Eucharistiæ esse Christum in eo præsentem: quare oportet dicere, vel Christum per Eucharistiam non solum significari, sed etiam effici; vel Eucharistiam non esse vere, et proprie sacramentum.

Diluitur. Id, inquam, nihil refert: quia non est universaliter verum id, quod habet rationem rei, et sacramenti simul, debere effici per sacramentum, ut liquet in contritione, aut dolore interno, qui est res, et sacramentum simul in sacramento pœnitentiæ; et nihilominus per illud non efficitur proprie loquendo, licet per ipsum significetur. Et quod character, qui est res, et sacramentum simul respectu trium illorum sacramentorum, per illa non solum significetur, sed etiam efficiatur; non procedit ex vi formæ, sed ratione materiæ. Quare ex eo, quod Christus sit res, et sacramentum simul respectu sacramenti Eucharistiæ, minime evincitur Christum debere effici per Eucharistiam, quamvis per illam significetur. Si autem perdoctus ille Auctor contendat contritionem in sacramento pœnitentiæ effici per ipsum sacramentum in ratione rei significatæ, et similiter Christum in sacramento Eucharistiæ; inficias non ibimus: cæterum efficientia illa impropria est, et quæ vix nomen efficientiæ meretur. Sed causalitas, si qua ibi intervenit, magis revocanda est ad genus causæ formalis, quatenus contritio, de se est spiritualis, et latens fit sensibilis per confessionem, aliaque externa doloris signa; et similiter corpus Christi, quod in Eucharistia habet modum essendi spiritualem, atque invisibilem, fit aliquomodo sensibile per externas panis, et vini species: ut tam contritio, quam corpus Christi comparentur sicut res, et sacramentum simul in prædictis sacramentis.

Tertia objectio. 10. Opponitur tertio: quia sacramenta novæ legis componuntur ex rebus, et verbis sicut ex materia, et forma, compositione utique intrinseca in ratione Sacramenti, ut constat ex dictis Tract. præced. disp. 2, dub. 2: sed Eucharistia non ita componitur: ergo non est verum novæ legis sacramentum. Probatur minor: quia impossibile est fieri ullam veram compositionem ex re permanenti, et re transeunti; siquidem, ut ex ipsis terminis liquet, una permanet, et alia transit: sed Eucharistia est quid permanens, ut diximus nu. 4; verba autem consecrationis, quæ possent dici forma sacramenti, transeunt cum ipsa prolatione: unde videmus, quod transactis verbis permanet Eucharistia; ergo Eucharistia nequit componi ex rebus, et verbis sicut ex materia, et forma.

Diruitur. Ad hanc objectionem constat ex dictis loco cit. a. nu. 40, et specialiter nu. 43. Et juxta ibidem dicta diluitur negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est, quod sicut ex eo, quod Eucharistia sit sacramentum permanens, et verba transeant, nequit colligi verba non esse formam prædicti sacramenti (sunt enim vere forma: ut docet Concilium Florentinum, et ibidem ostendimus): sic etiam ex eo principio inferri non debet talia verba non esse partem intrinsecam, sive intrinsece componentem in prædicto Sacramento. Peccat autem hæc probatio, et tota objectio in eo, quod imaginatur Sacramentorum compositionem esse physicam: non enim hujusmodi est, sed mere moralis, ut ibidem ostendimus nu. 26. Juxta quam doctrinam dicendum est, quod licet verba consecrationis transeant physice, perseverant nihilominus moraliter determinando species accidentium ad fignificandum tam Christum per modum spiritualis alimenti, quam gratiam sanctificantem, per quam sicut per formam spiritualiter nutrimur. Nulla itaque est impossibilitas, aut contradictio in eo, quod sacramentum Eucharistiæ componatur moraliter ex re physica permanenti, et re physica transeunti: quia licet physice loquendo ita comparentur, nihilominus in consideratione morali utraque permanet, et sic intrant moralem sacramenti compositionem. Recolat lector locum citatum, ubi hæc magis explicata reperiet.

Quarta objectio. 11. Opponitur quarto: nam si Eucharistia est verum sacramentum, sequitur illam

lam esse, et non esse sacramentum aliis perfectius: quæ est manifesta contradictio. Et assumptum ostenditur: nam Eucharistia, qua parte continet vere et realiter Christum, nequit non esse perfectius cæteris sacramentis, quæ solum continent aliquam virtutem agendi : cæterum si attendamus ad effectum, nequit Eucharistia esse sacramentum aliis perfectius, siquidem non aliud efficit, quam gratiam ejusdem rationis cum alia gratia, quæ per alia sacramenta producitur.

Solvitur. Sed ad objectionem istam satis constat ex dictis Tract. præced. disp. 9, dub. 2, § 2, ubi statuimus Eucharistiam esse sacramentum simpliciter perfectius, quam alia. Et ad id, quod modo opponitur, respondimus ibidem nu. 22, Eucharistiam etiam ex parte effectus esse sacramentum aliis nobilius: quia licet omnia efficiant gratiam sanctificantem ejusdem rationis; nihilominus Eucharistia, cæteris paribus, et stante æquali dispositione ex parte subjectorum suscipientium sacramenta, confert abundantiorem, quam alia, gratiam ex opere operato. Addimus, quod licet omnia sacramenta producant gratiam sanctificantem ejusdem rationis specificæ, tamen singula efficiunt gratias sacramentales specie diversas, ut statuimus eo Tract. disp. 4, dub. 9. Quæ autem ab Eucharistia fit,est admodum nobilis : conservat enim vitam spiritualem animæ, quasi illam nutriendo spirituali dulcedine, illamque vitam continuando usque ad assecutionem gloriæ.

Argumentum contra secundam assertionem. 12. Contra secundam conclusionem nullum reperimus Auctorem, quem referamus. Potest tamen illi opponi : quoniam cum sacramenta causent effectus diversos, ut loco proxime cit. ostendimus, nequeunt duo sacramenta ad eundem effectum ordinari : sed effectum, in quem Eucharistia ordinari posset, præstat confirmatio : ergo non oportet, quod Eucharistia sit sacramentum a confirmatione distinctum. Probatur minor : nam cum Eucharistia per se supponat primam vitam spiritualem animæ per regenerationem baptismi, solum potest ordinari ad majorem vitæ spiritualis perfectionem, sive ad augmentum gratiæ : ad id autem influit confirmatio : ergo effectus, ad quem Eucharistia ordinari posset, a confirmatione præstatur.

Responsio. Respondetur ex dictis tract. præced. disp. 9, nu. 7, quod sicut in vita naturali, et corporali, præter motum generationis introducentis primam vitam, dantur duo alii motus pertinentes ad animalis perfectionem, nempe motus augmentationis introducentis debitam quantitatem;et motus nutritionis, qui per se non ordinatur ad illud quantitatis augmentum, sed ad reparandum partes substantiæ, quæ vi caloris naturalis deperduntur, et ad conservandum animalis vitam : sic etiam in spirituali, ac supernaturali gratiæ vita, præter sacramentum baptismi, quod introducit primam vitam hujusmodi, admittenda sunt duo alia sacramenta conferentia ad prædictæ vitæ perfectionem, videlicet sacramentum confirmationis, quod ordinatur per se ad augmentum talis vitæ, constituendo hominem in debita quantitate virtutis, præsertim ad persistendum contra externas impugnationes inimicorum fidei Christianæ ; et insuper aliud sacramentum, nimirum Eucharistiæ, quod ordinatur ad reparationem virtutis, quæ culpis quotidianis debilitatur, et ad conservandum spiritualem vitam spirituali refectione per modum cibi, et potus. Quare sicut in naturalibus præter generationem, et augmentationem ponitur nutritio ; unde videmus,quod finita generatione, et cessante etiam augmentatione ob assecutam jam debitam quantitatem, perseverat adhuc nutritio, et durat usque ad vitæ finem : sic etiam in his supernaturalibus, præter sacramentum baptismi conferens primam vitam, sive regenerationem ; et præter confirmationis sacramentum præstans augmentationem, sive debitam quantitatem virtutis ; congruum fuit dari aliud sacramentum, nempe Eucharistiam, quod ordinatur ad continuam prædictæ vitæ reparationem, conferendo vires per modum spiritualis alimenti. Cujus signum est,quod cum duo illa priora sacramenta habeant determinatum finem in introductione suorum effectuum, eisque introductis minime iterentur ; nihilominus Eucharistia post illa durat, frequenter repetitur, et continuatur usque ad assecutionem gloriæ : id enim exposcunt et reparatio spiritualium virium, et conditio nutrimenti, sub cujus forma instituta fuit. Unde liquet tum Eucharistiam ordinari in peculiarem effectum, quem confirmatio non præstat ; tum Eucharistiam minime superfluere.

Illustratur responsio ex D. Thom. Quæ doctrina, sive differentiæ ratio desumitur ex D. Thom. in præs. art. 1, ubi

cum sibi eandem difficultatem objecisset, respondit : « Ad primum ergo dicendum, « quod duplex est perfectio. Una est in « ipso homine, ad quam perducitur per « augmentum : et talis perfectio competit « confirmationi. Alia autem est perfectio, « quam homo consequitur ex adjunctione « alicujus extrinseci hominem conservan- « tis, puta ex adjunctione cibi, vel indu- « menti, vel alicujus hujusmodi : et talis « perfectio competit Eucharistiæ, quæ est « spiritualis refectio. » Quæ S. Doctoris verba aliqui valde obscura censuerunt, et illis plura opposuerunt : præsertim vero, quod si D. Thomas sermonem facit de sacramento, utrumque extrinsecum est ; si autem de sacramenti effectu, utriusque effectus, nempe gratia, est intrinsecus animæ : non igitur subsistit disparitas assignata. Unde variæ expositiones ad objectam difficultatem superandam solent adhiberi : et non minus quam tres refert Prado quæst. 73, dub. 2, §. 2 cui ipse quartam addit num. 16.

Mens S. Doctoris.

Sed certe qui hæc comminiscuntur, videntur nodum in scirpo quæsivisse : nam mens S. Doctoris satis clara est, quippe prosequendo analogiam inter augmentationem, et nutritionem merito affirmat perfectionem augmentationis esse intrinsecam, cum fiat ex virtute intrinseca animalis, et relinquat terminum intrinsecum, nempe ipsum augmentum : quod non ita contingit in nutritione, et conservatione animalis, quæ multoties non fit ex virtute intrinseca, sed ab extrinsecis adjunctis fomentis, et indumentis : multoties etiam non relinquit diversam perfectionem intrinsecam, sed solam meram, et quandoque non integram conservationem ejus, quod præexistebat. Diversus autem hic modus perficiendi satis manifestat differentiam inter augmentationem, et nutritionem. Qua supposita, optime D. Thomas satisfacit argumento, quod ex ordinatione Eucharistiæ, et confirmationis ad perficiendum hominem colligebat Eucharistiam, et confirmationem non distingui in ratione Sacramenti. Sicut enim non obstante, quod augmentatio, et nutritio ordinantur ad perficiendum hominem in naturalibus, non sequitur esse eundem motum, quia perficiunt diverso modo : sic etiam in confirmatione, et Eucharistia contingit. Quam analogiam magis explicuit idem S. Doctor supra quæst. 60, art. 1, unde magis elucet ejus intelligentia. « In « vita, *inquit*, corporali dupliciter aliquis « perficitur. Uno modo quantum ad per- « sonam propriam : alio modo per respec- « tum ad totam communitatem, in qua vi- « vit : quia homo est animal sociale. Res- « pectu autem sui ipsius perficitur homo « in vita corporali dupliciter. Uno modo « per se, acquirendo scilicet aliquam vitæ « perfectionem : alio modo per accidens, « scilicet removendo impedimenta vitæ, « puta ægritudines, vel aliquid hujus- « modi. Per se autem perficitur vita cor- « poralis tripliciter, » (idque pertinet ad præsentem considerationem). « Primo qui- « dem per generationem, per quam homo « incipit esse, et vivere. Et loco hujus in « spirituali vita est baptismus, qui est spi- « ritualis generatio, secundum illud ad Ti- « tum 3, per lavacrum regenerationis etc. « Secundo per augmentum, quo aliquis « perducitur ad perfectam quantitatem, et « virtutem. Et loco hujus in spirituali vita « est confirmatio, in qua datur Spiritus « Sanctus ad robur. Unde dicitur discipulis « jam baptizatis Lucæ ult. Sedete in civi- « tate quoadusque induamini virtute ex « alto. Tertio per nutritionem, qua con- « servatur in homine vita, et virtus. Et « loco hujus in vita spirituali est Eucharis- « tia. Unde dicitur Joan. 6 : Nisi manduca- « veritis carnem filii hominis, et biberitis « ejus sanguinem, non habebitis vitam in « vobis. » Hæc omnia S. Doctor : ex quibus satis liquet, quid intenderit, ac significaverit in resp. supra relata.

Qui sentiant contra tertiam conclusionem.

13. Contra ultimam nostrarum assertionum sentiunt hæretici Lutherani, et Calvinistæ : isti, quia negant veram, et realem Christi præsentiam in Eucharistia; unde coguntur eadem de hoc sacramento dicere, ac de aliis : quæ certum est in usu, sive actione consistere, ut liquet in baptismo; illi autem, quia licet veram, et realem Christi præsentiam in Eucharistia admittant, tamen illam non concedunt, nisi in actuali usu, sive sumptione; unde non aliam, nec majorem permanentiam, ac isti, tribuunt Eucharistiæ sacramento. Motiva autem illorum convulsa reliquimus disp. præced. cap. 1, ubi ostendimus peracta consecratione manere Christum in Eucharistia antecedenter, et consequenter ad omnem usum : quare non oportet ea nunc repetere.

Ex

Gabriel. Aureol. Ex catholicis autem possunt contra eandem assertionem referri Gabriel in 4, distinct. 8, quæst. 1, articul. 2, dub. 2, et Aureolus ibidem quæst. 1, articul. 2, non quia negant veram, et realem Christi præsentiam in Eucharistia (in hoc enim catholice, et cum omnibus catholicis sentiunt), sed quia docent ipsum usum, sive susceptionem, aut manducationem Eucharistiæ esse verum sacramentum. Et si illis objiciatur inde fieri, quod Eucharistia non sit unum sacramentum, sed plura : respondet Gabriel concedendo sequelam, quam censet nihil continere absurdi. Quoniam sacramenta, quæ ad idem ordinantur, licet sint in se plura, dicuntur tamen unum unitate aggregationis et coordinationis ad eundem finem proximum, ut patet in ordinibus, qui licet sint plura sacramenta, dicuntur unum sacramentum ordinis ob rationem jam assignatam. Et simili ratione Eucharistia, et ejus sumptio, quamvis sint plura sacramenta, dicuntur nihilominus unum sacramentum, quia ordinantur ad unam spiritualem hominis nutritionem. Porro usum, sive sumptionem Eucharistiæ esse per se sacramentum, probant tum quia est signum sensibile significans gratiam spiritualis refectionis, et hoc est institutione divina. Tum etiam quia illud, quod non ex devotione sive dispositione hominis, sed ex opere operato significat, et efficit gratiam, quam significat, est vere sacramentum : sed ita se habet sumptio, sive manducatio corporis Christi : nec enim significat, aut efficit ex devotione hominis, sed ex opere operato, ut patet in duobus, quorum cum æquali devotione unus celebrat Missam, et alius præcise audiat : nam celebrans, sumensque Eucharistiam recipit majorem sacramenti fructum : ergo prædicta sumptio est vere sacramentum. Tum denique nam quod præstat aliquid circa sacramentum, in quantum significat, est vera pars talis sacramenti et nomen sacramenti participat ; siquidem de ratione sacramenti est efficere, quod significat : sed sumptio præstat aliquid circa sacramentum Eucharistiæ, in quantum significat : ergo talis sumptio est pars prædicti sacramenti, et debet Sacramenti nomen participare. Probatur minor: quia ad sacramentum Eucharistiæ pertinet significare non solum primarium effectum, et rem sacramenti, nempe Christum, sed etiam secundarium effectum, sive fructum, qui est unitas fidelium : sed species sacramentales non habent significare hujusmodi effectum, sive fructum independenter a sumptione, vel manducatione : hæc igitur præstat aliquid circa sacramentum Eucharistiæ, quantum significat.

Singularis horum sententia.

Motiva.

14. Sed prædicta sententia est valde falsa, ne plus dicamus. Primo, quia licet Gabriel non reputet inconveniens concedere plura sacramenta sub conceptu, aut nomine sacramenti Eucharistiæ, sicut conceditur dari plura ordinis sacramenta sub uno conceptu, aut vocabulo sacramenti ordinis : nihilominus grave illud inconveniens reputari debet ob notam satis disparitatem desumptam ex consensu Doctorum, qui sicut communiter affirmant dari plures ordines, et plura ordinis sacramenta, quæ sunt unum unitate coordinationis ad unum finem perfectum, ut insinuavimus tract. præced. disp. 9, n. 12, sic etiam communiter negant dari plura sacramenta sub nomine Eucharistiæ : ergo temerarium apparet dicere, quod præter sacramentum Eucharistiæ, ipsa etiam sacramenti sumptio est verum sacramentum, et ab Eucharistia distinctum, licet ordinatum ad eundem finem. Secundo, et urgentius, quia Concilium Tridentinum locis relatis num. 5, aperte docet, et diffinit Eucharistiam esse sacramentum permanens, et in hoc distingui a cæteris sacramentis : id autem falsum esset, si Eucharistiæ sumptio esset vere sacramentum : tunc enim dicendum esset Eucharistiam, qua parte dicit species, et corpus Christi, esse quid permanens, et qua parte dicit sumptionem, consistere in usu: nec major ratio occurret, ut potius diceretur sacramentum permanens, quam sacramentum in usu consistens : ergo nulla ratione admitti potest sumptionem Eucharistiæ esse sacramentum verum, et ab speciebus diversum. Nec proderit respondere pro illis Auctoribus Concilium loqui determinate de Eucharistia, prout importat species, et corpus Christi sub eis existens. Nam res quidem ita se habet : sed inde efficaciter colligitur nullum aliud sacramentum Eucharistiæ, vel ad Eucharistiam pertinens dari ex sententia Concilii : alias diminute, et ludibrice processisset, nullius alterius sacramenti mentionem faciens, et universaliter diffiniens Eucharistiam esse sacramentum permanens. Tertio, quia sacramentum Eucharistiæ absolute, et adæ-

Refellitur multipliciter.

Concil. Trident.

quate institutum fuit per modum alimenti, sive in ratione cibi, et potus spiritualis : atqui alimentum nullo modo componitur, aut integratur ex manducatione, sive usu, sed habet esse adæquate antecedenter ad illam : ergo sacramentum Eucharistiæ non componitur, integratur, aut constituitur ex manducatione, vel usu, sed habet esse antecedenter, atque independenter ab illis. Quare sicut alimentum, et manducatio alimenti sunt duo quædam adæquate diversa, licet ordinentur ad eandem passivam viventis nutritionem : sic etiam fateri oportet, quod si sumptio Eucharistiæ est vere sacramentum; sumptio Eucharistiæ, et Euchàristia ipsa sunt duo adæquate, et simpliciter sacramenta diversa. Quod minime conciliari posse censemus cum doctrina Concilii Tridentini.

Dissolvuntur illius positionis motiva. Ea vero, quæ illi Auctores opponunt, levia sunt. Et pro evidentiori eorum dilutione observandum est, quod sicut in naturalibus licet usus, sive manducatio non sit pars essentialis, vel integralis alimenti, nec ad ipsum intrinsece pertineat; est nihilominus conditio necessaria per modum applicationis, ut alimentum inducat suum effectum, videlicet passivam viventis nutritionem : sic etiam in his supernaturalibus, quamvis manducatio Eucharistiæ non sit sacramentum, nec pars essentialis, aut integralis, illius, nec denique aliquid intrinsecum ejus, ut satis constat ex dictis; potest tamen esse conditio necessario requisita per modum applicationis, ut Eucharistia causet in nobis proprium effectum ex opere operato. Et ratio est : quoniam Eucharistia instituta est sacramentum per modum alimenti, cujus effectus in nobis est spiritualis nutritio : alimentum autem ut nutriat, debet suscipienti media manducatione applicari. Unde ulterius fit, quod licet manducatio, sive sumptio sit adæquate extra essentiam sacramenti Eucharistiæ; nihilominus ordo ad talem sumptionem, sicut etiam ad nutritionem fit Eucharistiæ intrinsecus, et essentialis : sic enim alimentum in esse alimenti comparatur ad manducationem, et nutritionem passivam, licet ad istam sicut ad effectum, ad illam vero sicut ad conditionem, sine qua non potest prædictum effectum inducere. Quibus suppositis, ad primam probationem respondetur negando sumptionem Eucharistiæ esse signum rei sacræ ex institutione divina: non enim est ipsum signum institutum a Deo ad causandum gratiam cibantem; sed est conditio, ut prædictum signum applicetur, et causet : sicut manducatio non est alimentum, sed conditio, ut alimentum applicetur, et nutriat. Ad secundam respondemus non amplius evincere : nam quod ex illis duobus cum æquali devotione unus suscipiat effectum sacramenti, secus alter, non provenit ex eo, quod sumptio, sive manducatio sit sacramentum, sed ex eo, quod requiritur per modum conditionis, ut sacramentum applicetur, et causet: sicut etiam in naturalibus contingit, ut manducans nutriatur, et non nutriatur, qui non manducat; non quia manducatio sit alimentum, vel causa, sed quia est conditio, ut prosit alimentum. Et eodem modo occurritur ultimæ probationi : nam quod manducatio conducat, ut Eucharistia significet illum effectum, non probat esse causam, aut sacramentum, sed conditionèm, ut sacramentum Eucharistiæ prædictum effectum significet. Nec ad id requiritur manducatio exercita, sed sufficit vel signata et per modum termini terminantis ordinem alimenti spiritualis : nam Eucharistia antecedenter ad manducationem exercitam, sicut habet vim causandi prædictum unitatis effectum, sic et illum significandi.

DUBIUM II.

In quo essentialiter consistat, et pro quo supponat Eucharistiæ sacramentum?

15. Supposito, quod Eucharistia sit vere sacramentum; ad hanc, quam proponimus difficultatem progredi oportet. Secunda autem tituli pars explicat priorem, et totius quæstionis sensum. Pro cujus majori luce recolendum est, quod ut diximus tract. præced. disp. 2, nu. 21, et 38, licet sacramenta (sicut et alia concreta accidentalia, et artefacta,) constent materia, et forma, et utramque significent; nihilominus pro sola materia, sive pro eo, quod materiæ vices gerit, determinate supponunt : unde provenit, quod diffiniantur per materiam, et quod materia de illis in recto prædicetur, sicut D. Augustinus tract. 15, *in Joann.* dixit « baptismum esse tinctionem aquæ, » et similiter dicimus extremam unctionem esse unctionem factam sub præscripta verborum forma, et sic de aliis. In hoc itaque

Sensus dubii. D. Aug.

itaque sensu inquirimus, in quo consistat et pro quo supponat sacramentum Eucharistiæ : referimus enim difficultatem ad materiam, pro qua supponit prædictum sacramentum, sicut in aliis sacramentis contingit: hoc quippe, pro quo supponunt, est, quod de illis in recto prædicatur. Quare licet non dubitemus sacramentum Eucharistiæ constare materia, et forma, sicut in omnibus concretis accidentalibus, et artefactis contingit : nihilominus in præsenti de prædicta forma non agimus, sed quæ ad illam spectant, in propriam sedem referenda sunt, nempe ad disp. 9, dub. 3. Ubi examinabimus, an Eucharistiæ forma sit huic sacramento intrinseca, ipsumque intrinsece constituat in esse talis. Quamvis, et hujus decisio haud obsure constet ex dictis tract. præced. disput. 2, nu. 23, et 40. Exclusa itaque a præsenti consideratione forma, investigamus, quodnam sit illud, in quo tanquam in materia consistit Eucharistiæ sacramentum, et quod in recto de prædicto sacramento prædicatur. Sicut in prædicto sensu dici solet baptismum consistere in ablutione, confirmationem in unctione, aut signatione, et sic de reliquis.

Materia dubii. Quinque autem præcipua sunt ad Eucharistiam pertinentia, de quibus dubitari potest. Primum est consecratio. Secundum usus, sive sumptio Eucharistiæ. Tertium Christus contentus sub speciebus, ita ut Christus importetur in recto, et species connotentur in obliquo. Quartum e contra species continentes corpus Christi, ita quod species importentur in recto connotando corpus Christi in obliquo. Quintum denique compositum, sive aggregatum ex corpore Christi contento, et ex speciebus continentibus, ita ut utrumque simul importetur in recto. Inquirimus igitur in quonam horum sacramentum Eucharistiæ consistat.

Ne autem in æquivoco laboremus, præmittendum est, quod sicut sæpius in tract. præced. et in superioribus insinuavimus, tria solent a Doctoribus distingui, nempe sacramentum tantum, rem sacramenti tantum, et rem, et sacramentum simul. *Sacramentum tantum* dicitur signum, quod ibi non significatur, sed significat. *Res tantum* dicitur id, quod ibi non significat, sed significatur. *Res et sacramentum simul*, dicitur quod ibi significatur ab uno, et significat aliud. Sicut in baptismo v. g., materia, et forma dicuntur *sacramentum tantum*, quia significant gratiam, et characterem, et non significantur : gratia vero dicitur *res tantum*, quia ibi significatur, et non significat : character denique dicitur *res, et sacramentum simul*, quia significatur per sacramentum, et significat gratiam. Et idem contingit in aliis sacramentis, ut ad particularia exempla descendens declarat N. Franciscus tract. 1, cap. 1, dub. 1, num. 14. Quæ distinctio traditur ab Innocentio III, in cap. *Cum Martha, de celebrat. Missarum*, et admittitur communiter a Doctoribus. Cum igitur inquirimus, in quo consistat, et pro quo supponat Eucharistiæ sacramentum, hujus nomine non significamus id, quod in Eucharistia habet esse *rem, et sacramentum simul*, et quod supponimus esse corpus Christi : sed loquimur de eo, quod est *sacramentum tantum*, et absolute dicitur *sacramentum*. Et quia circa hujusmodi difficultatem occurrunt aliquæ sententiæ minores, oportet nos ab eis, quæ hujusmodi sunt, expedire, ut gradum faciamus ad alias celebriores, et magis communes. Et ideo — Punctus difficultatis.

§ I.

Præmittitur aliquarum sententiarum confutatio.

16. Supponendum est primo usum, sive sumptionem Eucharistiæ non esse Eucharistiæ sacramentum, neque ejus partem. Oppositum hujus suppositionis tenent Lutherani, et Calvinistæ, adfaventibus ex Catholicis (licet in sensu longe diverso) Gabriele, et Aureolo, ut vidimus nu. 13, sed quam falsa sit ea sententia, ostendimus num. 5, et 14, quin opus sit nunc addere vel novas confutationes, quibus evertatur, vel novas objectiones, quas superemus. Satis sit habere præ oculis doctrinam Concilii Tridentini sess. 13, cap. 3, et 5, et 6, et can. 4, et 6, et 7, declarantis sacramentum Eucharistiæ esse permanens, conservari in sacrario, portari ad infirmos, deferri personaliter, exponi populo : quæ minime conciliari possunt cum sententia asserente sacramentum Eucharistiæ consistere vel adæquate, vel inadæquate in usu, sive sumptione ; sive asserente (et in idem recidit,) quod usus, sive sumptio est totum sacramentum Eucharistiæ, vel ejus — Excluditur usus a ratione sacramenti Eucharistiæ. — Concil. Trident.

pars, ut facile consideranti constabit. Unde talis sententia communiter refellitur a Theologis hæreticorum quidem ut omnino hæretica; Gabrielis vero, et Aureoli tanquam omnino falsa. Dicere autem pro his duobus usum dici sacramenti Eucharistiæ partem, non quia est velut complementum, et quasi pars integralis, in quæ Eucharistia ordinatur; præterquam quod non est de illorum Auctorum mente, nihil in præsentiarum refert ad punctum, quod versamus. Quare non oportet circa hæc amplius immorari.

Tota essentia hujus sacramenti non consistit in consecratione.

17. Supponendum est secundo, consecrationem non esse totum sacramentum Eucharistiæ, nec partem ejus intrinsecam, vel aliquid ejus, quod importetur in recto a prædicto sacramento. Prima hujus suppositionis pars est adeo certa, et communis inter Theologos, ut neminem viderimus, qui illam neget. Probatur autem satis evidenter : nam consecrationis nomine vel intelliguntur verba, quibus conficitur hoc sacramentum, vel intelligitur actio illud efficiens, et convertens panem, et vinum in corpus, et sanguinem Christi : sed neutro modo accepta potest esse adæquate sacramentum Eucharistiæ : ergo hujusmodi sacramentum non consistit adæquate in consecratione, nec pro illa supponit. Probatur minor quantum ad consecrationem sumptam pro verbis : tum quia prædicta verba sunt forma hujus sacramenti, sicut generaliter contingit cuncta nostra sacramenta constare rebus, et verbis tanquam ex materia, et forma, ut patet ex dictis Tract. præc. disp. 2, dub. 1, et 2 ; sed sacramentum non consistit adæquate in sola forma; cum constet, ac perficiatur materia, et forma, ut docet Concil. Florent. *in decreto fidei* § *Tertium est, et* § *Quinto ecclesiasticorum:* ergo sacramentum Eucharistiæ nequit consistere adæquate in verbis consecrationis. (*Concil. Florent.*) Tum etiam et urgentius (quantum præsens consideratio exposcit,) quia modo non agimus de forma sacramenti Eucharistiæ, sed de materia, in qua consistit, et pro qua supponit, ut observavimus n. 15; generale namque est quod licet sacramenta, et alia concreta accidentalia significent formam, nihilominus pro sola materia supponant, ut ostendimus locis ibidem relatis: ergo licet verba consecrationis sint forma sacramenti Eucharistiæ, et quamvis per modum formæ ipsum intrinsece constituant (de quo inferius disp. 9), nihilominus inde magis infertur tale sacramentum non consistere in hujusmodi verbis, pro ipsis supponere. Deinde probatur eadem minor quantum ad consecrationem sumptam pro actione : quoniam consecratio sic sumpta comparatur in genere causæ efficientis ad terminum, quem efficit : sed tam actio, quam causa efficiens sunt quid extrinsecum respectu ejus, quod producitur, ut inductive potest ostendi : ergo consecratio sumpta pro actione non pertinet intrinsece ad sacramentum Eucharistiæ : atque ideo in consecratione sic sumpta nequit sacramentum Eucharistiæ consistere, nec pro illa supponere. Eo vel maxime, quod sacramentum hujusmodi institutum est per modum spiritualis alimenti: manifestum autem est alimentum non consistere adæquate in actione, qua fit; siquidem alimentum sumimus, et comedimus, non vero actionem alimenti factivam. Denique eadem minor quoad utramque partem probatur ex Concilio Trid. sess. 13, can. 4, ubi diffinit : « Si quis dixerit, peracta « consecratione, in admirabili Eucharistiæ « sacramento, non esse corpus, et sangui- « nem Domini nostri Jesu Christi, ana- « thema sit. » (*Concil. Trident.*) Ubi liquido distinguit inter consecrationem, et sacramentum Eucharistiæ absolute dictum : quod falsum esset, si tale sacramentum consisteret adæquate in consecratione: fateri itaque omnino oportet consecrationem quolibet modo sumatur, sive pro verbis, sive pro actione non esse adæquatum Eucharistiæ sacramentum. Accedit sacramentum hujusmodi esse simpliciter, et formaliter permanens, ut ex eodem Concilio ostendimus n. 5; consecratio autem sumpta sive pro verbis sive pro actione non est formaliter permanens, sed formaliter transit, et ad summum perseverat virtualiter in suo termino.

Consecratio non est pars sacramenti Eucharistiæ.

18 Secunda vero ejusdem assertionis pars non videtur adeo explorata, nec communis: nam consecrationem esse de intrinseca ratione physica Eucharistiæ tanquam aliquid partiale, intrinsecum tamen, et essentiale, hujus sacramenti constitutivum docent N. Cornejo art. 1, disp. 2, dub. 1, § *Dico secundo*, Lugo disp. 1, sect, 6, et Bernal disp. 23, sect. 2, § 4. Sed nullus alius, quem viderimus, id docet, nec allegati in fundamento conveniunt. Nam primus ita docet, quia sentit actionem, et passionem identificari

ficari cum termino, ut colligi videtur ex Aristotele 3 *Phyicor.* [ergo consecratio sumpta vel pro actione, vel pro passione, quibus fit sacramentum Eucharistiæ, identificatur cum suo termino, quod est ipsum sacramentum : atque ideo pertinet intrinsece ad physicam hujus sacramenti constitutionem.

Quid Lugo ?

Secundus movetur, quia Christum contineri sub speciebus pertinet intrinsece ad sacramentum Eucharistiæ : hujusmodi autem denominatio non desumitur ab aliqua unione formali, quæ corpus Christi cum accidentibus copulet ; sed solum ab unione effectiva, quæ in consecratione consistit : hæc igitur intrat, licet inadæquate, ad constituendum intrinsece tale sacramentum.

Quid Bernal ?

Tertius denique movetur eodem fere fundamento, licet aliter proposito : nam Eucharistiæ sacramentum constat essentialiter speciebus, et corpore Christi unitis : pertinet itaque unio ad intrinsecam sacramenti constitutionem : sed actio consecrans est nexus, et unio accidentium cum corpore Christi : quippe sæpe contingit composita physica constitui eadem actione, qua fiunt: ergo consecratio est aliquid intrinsecum in ordine ad constitutionem physicam sacramenti Eucharistiæ.

Nostra suppositio communis.

Sed tamen illam secundam nostræ suppositionis partem, si tres illos Theologos excipiamus, docent unanimiter alii, et tanquam certam, atque perspicuam supponunt, ut videri potest apud Suarium disput. 42, sect, 2, in principio, Pradum quæst. 73, dub. 2, num. 28, Arauxum art. 1, dub. 2, num. 15, Nugnum ibidem, difficul. 2. concl. 1, N. Franciscum cap. 1, dub. 2, num. 12, et alios.

Suarez. Prado. Arauxo. Nugnus. N. Fran.

Probatur autem eisdem fere motivis, quæ expendimus num. præced.

Suadetur multipliciter.

Primo quidem : nam sacramentum Eucharistiæ supponit pro materia, et quatenus pro illa supponit, est absolute, et formaliter permanens : ergo omnia, quæ pertinent intrinsece ad prædictum sacramentum ita acceptum debent esse absolute, et simpliciter permanentia : atqui consecratio, sive sumatur pro actione, sive pro passione, non permanet formaliter, sed transit formaliter, sicut in aliis actionibus factivis sacramentorum contingit : ergo consecratio nullo modo pertinet intrinsece ad physicam sacramenti Eucharistiæ constitutionem. Secundo, nam sacramentum hujusmodi institutum est per modum alimenti spiritualis, subindeque servare debet analogiam, et proportionem ad corporale alimentum : sed actio, qua conficitur alimentum corporale, quomodolibet sumatur, et quæcumque illa sit, non est ipse cibus, nec intrinseca ejus pars ; sed importatur in obliquo tanquam fieri, et via ad cibum sicut ad terminum : ergo pariter consecratio, sive confectio Eucharistiæ, quoquo modo accipiatur, non est sacramentum, nec pars intrinseca sacramenti, sed comparatur per modum fieri, viæ, et tendentiæ in ordtne ad talem terminum : ad quod sufficit connotari in obliquo ; sicut etiam connotatur sumptio, sive manducatio ; quamvis consecratio se habeat antecedenter, usus autem, vel sumptio consequenter. Tertio, quia ita proportionabiliter se habet consecratio panis, et vini ad sacramentum Eucharistiæ, sicut se habet consecratio materiæ ad sacramentum Confirmationis : sed licet ad valorem, et fructum sacramenti Confirmationis requiratur ea materiæ consecratio ; nihilominus talis consecratio non est sacramentum, nec pars sacramenti Confirmationis : ergo pariter licet ad valorem, et effectum sacramenti Eucharistiæ sit necessaria consecratio panis, et vini; tamen hujusmodi consecratio nec est sacramentum Eucharistiæ, nec pars instrinseca illius. Probatur consequentia tum a paritate. Tum ex eo, quod ideo consecratio materiæ Confirmationis non est sacramentum, nec sacramenti pars, quia non ordinatur immediate ad sanctificationem fidelium vel causandam, vel significandam, sed solum remote : talis enim sanctificatio non fit, nec significatur immediate per eam consecrationem, sed per sacramentum factum : atqui eadem proportionabiliter ratio occurrit in consecratione panis, et vini : quippe quæ immediate non efficit, nec significat sanctificationem fidelium, sed causat sacramentum præstans per se ipsum illos effectus: ergo consecratio panis, et vini non est sacramentum Eucharistiæ, nec pars, vel aliquid intrinsecum ejus.

Motiva autem, quibus Adversarii utuntur, debilia sunt.

Evertuntur motiva contraria.

Nam ad primum respondetur, quod licet sapientissimus ille Magister senserit actionem, aut passionem non distingui realiter a termino, sed ipsi identificari : tamen communis Philosophorum sententia docet oppositum, ut tradunt N. Complut. abbrev. lib. 3, *Physic.* disp. 16, q. 3. Cujus veritas satis confirmatur ex eo,

N. Complut.

quod adveniente, et permanente termino, cessat evanescitque modus,cui insunt actio, et passio : quod satis evincit realem inter prædicta distinctionem : quippe repugnat idem realiter permanere,et realiter cessare. Motus etiam, et actio causaliter se habent ad terminum : quod fieri non valet absque reali unius ab altero distinctione. Gratis autem concesso opposito principio, nempe actionem identificari cum termino, et consecrationem cum sacramento; solum inferretur id, quod est identice sacramentum, pertinere intrinsece ad ejus constitutionem; minime vero, quod ad ipsum pertineret consecratio sub proprio, et expresso conceptu consecrationis, vel actionis. Sicut licet in opposita sententia actio eductiva formæ equi sit identice ipsa forma sive terminus; non propterea dicimus equum constitui in esse,et in tali specie per eductionem ut eductionem, sed per formam ut talem. Fundamenta vero Lugonis, et Bernalis multo adhuc infirmiora sunt : nam etsi inter species sacramentales,et Christum detur unio, et ad essentiam sacramenti pertineat continentia corporis Christi sub speciebus ; minime sequitur consecrationem pertinere ut quid intrinsecum ad prædictum sacramentum : quia consecratio non est unio formalis, nec continentia formalis, sed efficit unionem,et continentiam : sicut generatio non est unio formalis inter materiam,et formam,sed eas unit effective: nec se tenet ex parte termini, sive effectus, sed ex parte agentis. Et falsum aliunde est effectum constitui formaliter per actionem, qua producitur. In quo autem consistat unio Christi ad species, sive ipsius continentia sub illo, alienum est a præsenti consideratione, et remittendum ad disput. 6,dub.3. Adde prædictos Juniores procedere ex suppositione falsa, aut saltem incerta, nempe quod Christus sub speciebus existens sit pars, vel quid intrinsecum in recto sacramenti Eucharistiæ. Si enim dicatur solas species connotando Christum in obliquo esse adæquate Eucharistiæ sacramentum ; corruit illorum discursus : idem enim de continentia, vel unione Christi ad species, ac de ipso Christo dicendum est. Sed infra id num. 25,discutiemus.

Hoc sacramentum non consistit adæquate

19. Supponendum est tertio sacramentum Eucharistiæ non consistere adæquate in solis corpore, et sanguine Christi sumptis in recto, et connotando in obliquo species panis,et vini; atque ideo nec supponere pro solis duntaxat corpore Domini. Oppositum hujus suppositionis insinuaverat Sayrus lib. 1, *de sacramentis*, cap. 1, quæst.8, art.6, ad 7, circa finem, et idem absolute, et fusius defendit Lugo disp. 1, *de Eucharistia* sect.3. Quam sententiam esse probabilem dicunt Ovandus in 4, dist.8, proposit. 4, et Alanus lib.1, *de Eucharistia*, cap. 5. Et pro eadem refert etiam Lugo Claudium Saintes, Estium et Sylvium. Hi tamen Doctores hanc sententiam non defendunt, sed aliam longe diversam, num.32 referendam. Illi tamen recenter subscripsit N. Bonæ-spei disp. 1, dub.2, resolut. 4.

te in solis corpore, et sanguine Christi.

Qui docuerint oppositum.

Suppositio nostra communis.

Sed suppositio nostra est communis Theologorum doctrina, ut constabit ex referendis num. 25, et 32. Quin eorum aliqui contrariam censuris percellunt. Nugnus art.1, difficult.2, concl.2, dicit esse *improbabilem*. Vazquez disp. 167, cap. 2, num. 10, eam appellat *a communi abhorrentem*, et num.13, dicit videri *a ratione omnino alienam*. N. Cornejo disp. 2, dub.3, pronuntiat esse *temerariam, et parum consentaneam doctrinæ Ecclesiæ*. Prado quæst. 73, dub.2, § 4, num. 42, dicit illam sententiam *merito ab omnibus aliis Theologis rejici ut omnino falsam*. Et alias ibidem aliorum censuras refert. Sed quidquid de illis sit, probatur nostra suppositio ratione simul, et auctoritate, quæ possunt ad istam formam reduci: nam omne illud, quod per se, et in recto est adæquate verum sacramentum, debet esse per se, et in recto signum sensibile : sed corpus Christi contentum in Eucharistia non est per se, et in recto signum sensibile : ergo corpus Christi in Eucharistia contentum non est adæquate verum sacramentum Eucharistiæ. Major probatur: quia sacramenta constituuntur in genere signi sensibilis, ut constat ex dictis Tract. præced. disp. 1, dub. 1, unde hæc prædicatio, *Sacramentum est signum*, est essentialis : ergo quidquid per se, et in recto est adæquate verum sacramentum, debet in eodem sensu, nempe per se, in recto esse signum sensibile. Quæ doctrina applicata huic etiam determinato Eucharistiæ sacramento, de quo agimus, traditur in Concilio Tridentino sess. 13, cap. 3, ubi dicitur : « Commune hoc « quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum « cæteris sacramentis symbolum esse rei « sacræ, et invisibilis gratiæ formam visi- « bilem » Minor etiam ostenditur : quia corpus

Nugnus

Vazq.

Cornejo.

Prado.

Ostenditur.

Concil. Trident.

corpus Christi contentum in Eucharistia est ibidem modo spirituali, invisibili, atque indivisibili : unde nullo sensu percipitur, sed sola fide: ergo corpus Christi in Eucharistia contentum non est per se, et in recto signum sensibile.

Præcluditur effugium. Nec ulla ratione proderit recursus ad species accidentium connotatas in obliquo, quibus corpus Christi, prout ibi contentum fiat sensibile. Nam ista fuga facile præciditur : tum quia si corpus Christi in Eucharistia contentum habet esse signum sensibile ab speciebus : liquido infertur corpus Christi in Eucharistia contentum non esse per se, et in recto signum sensibile. Tum etiam quia id, quod in recto habet esse signum sensibile, debet importare in recto formam, per quam in esse signi sensibilis constituitur: quippe effectus formalis ex parte recti non distinguitur a forma, per quam constituitur, et est ipsa forma communicata subjecto : ergo si corpus Christi in Eucharistia contentum habet esse signum sensibile ab speciebus : oportet, quod sicut dicitur esse signum sensibile in recto, sic etiam importet in recto species : ergo inconsequenter dicitur corpus Christi esse in recto sacramentum, atque ideo signum sensibile, et importare species solum in obliquo, et de connotato.

Confirmatio. 20. Confirmatur primo : quia sicut Eucharistia convenit univoce cum aliis sacramentis in ratione sacramenti ; sic etiam convenire debet cum illis ratione signi sensibilis, juxta doctrinam traditam tract. præced. disp. 1, dub. 1 et 4, ubi statuimus sacramenta collocari in genere signi, atque in ipso univocari : sed cætera sacramenta sunt ex parte recti aliquid sensibile, ut inductive potest ostendi : ergo sacramentum Eucharistiæ in recto sumptum debet esse aliquid sensibile: atqui corpus Christi in Eucharistia latens non est in recto aliquid sensibile, ut proxime ostendimus : ergo corpus Christi ibidem existens non est in recto, et adæquate sacramentum Eucharistiæ; sive (et in idem recidit,) sacramentum Eucharistiæ adæquate sumptum non consistit adæquate in corpore Christi ibidem contento, connotando species sensibiles in obliquo.

Alia. Confirmatur secundo : quia nihil frequentius in hac materia apud Patres, et Theologos occurrit, quam corpus, et sanguinem Christi contineri in sacramento Eucharistiæ : sed nihil continêtur in se ipso : ergo ex sententia Patrum, et Theologorum corpus, et sanguis Christi non sunt sacramentum Eucharistiæ, saltem adæquate et excludendo a ratione sacramenti ex parte recti species sensibiles. Nec valet respondere corpus Christi dici contineri in sacramento Eucharistiæ per methonimiam, secundum quam nomen contenti solet attribui continenti, aut e contra. Nam hæc responsio evertitur : tum quia inverosimile est Patres, et Theologos tam communiter loqui improprie, et per figuram : nec id nisi læsa eorum reverentia dici posse videtur. Tum etiam, quia si corpus Christi esset per se, et in recto sacramentum Eucharistiæ, ut sustinet hæc sententia ; sensus Patrum, et Theologorum, cum affirmant corpus Christi contineri in Eucharistiæ sacramento, esset sacramentum Eucharistiæ contineri in sacramento Eucharistiæ : quod plane est ridiculum ; nihil enim vel per methonimiam dicitur contineri in se ipso.

Confirmatur tertio : nam id, quod in Eucharistia est res, et sacramentum simul nequit esse adæquate sacramentum tantum : sed corpus Christi in Eucharistia est res, et sacramentum simul : ergo corpus Christi in Eucharistia nequit esse adæquate sacramentum tantum : modo autem loquimur de eo, quod habet rationem sacramenti tantum, et absolute dicitur sacramentum, ut in limine dubii observavimus : ergo nulla ratione dici potest corpus Christi esse in recto sacramentum Eucharistiæ adæquate, connotando in obliquo species. Utraque consequentia cum minori subsumpta constant. Major autem prioris syllogismi liquet ex communi sensu Theologorum distinguentium inter id, quod est sacramentum tantum, et id quod est res, et sacramentum simul. Sed insuper ostenditur sola terminorum explicatione : etenim *sacramentum tantum* dicitur id, quod significat, et non significatur : *res vero, et sacramentum simul* dicitur id, quod non solum significat sed et significatur : nequit autem idem significari, et non significari : ergo id, quod in Eucharistia est res et sacramentum simul, nequit ibidem esse sacramentum tantum. Minor autem constat ex communi sententia Doctorum : nam corpus et sanguinem Christi esse in Eucharistia rem, et sacramentum simul docent Inno- Alia.

Innoc. III. Magister Sent. D. Tho. centius III, in cap. *Cum Marthæ* de celebratione missarum, Magister sententiarum in 4, disp. 10, D. Thomas ibidem, in expositione litteræ, et in hac quæst. art. 6, et Scholastici, et Theologi in eisdem locis.

Prima objectio. 21 Non addimus alia motiva, quia suppositio nostra a fortiori constabit ex dicendis num. 25. Modo autem occurrere oportet his, quæ opponunt Adversarii. Et primo loco repræsentant testimonium N. Waldensis tom. 2 *de sacramentis*, cap. 21, ubi hæc habet : « Est igitur hoc venerabile « sacrificium, quamvis Wicleph detestetur « hoc verbum, verum Christi corpus in « recto sub forma panis quam connotat in « obliquo. » In quibus verbis Lugo, et Bonæ spei putant suam sententiam evidenter contineri.

Waldensis.

Solutio et Waldensis vindicatio. Sed sapientissimum et venerabilem hunc Doctorem ab ipsis non stare, sed pro communi Theologorum sententia, constat: quia cap. 20 illius libri statuit vulgarem sacramenti diffinitionem, *invisibilis gratiæ visibilem formam*, affirmans huic etiam Eucharistiæ sacramento convenire. Deinde cap. 22, expresse affirmat *sacramentum tantum* in Eucharistia esse sensibile extrinsecum, hoc est, species panis, et vini : corpus autem Christi esse *rem et sacramentum simul*. Quæ est ipsa communis sententia. Unde non est una ratione credibile, quod in capite intermedio, nempe 21, adeo fuerit sui oblitus, et tam inconsequenter egerit, ut docuerit oppositum, quod ei illi Recentiores attribuunt. Sensus igitur ejus ab ipsis capitibus, et doctrinæ contextura desumptus, est corpus Christi esse sacramentum, non quidem *sacramentum tantum*, ut modo loquimur, sed *sacramentum, et rem simul*, hoc est, rem potissimam, et principaliorem, quam importat Eucharistia : non quidem principaliorem in esse signi, aut sacramenti, sed simpliciter, et in esse rei. Nam quia agebat contra Wiclephum dicentem potissimum Eucharistiæ esse illud signum externum panis, et vini ; quia negabat sub horum accidentibus contineri verum Christi corpus, sicut et nunc discurrunt moderniores hæretici Calvinistæ : opus habuit Waldensis statuendi oppositum, nempe principaliorem Eucharistiæ rem non esse illas species visibiles, sed esse corpus Christi in recto sub forma panis, quam connotat in obliquo. Ad id tamen minime requiritur, quod corpus Christi sit adæquate *sacramentum tantum*, et absolute dictum in ea proprietate, qua modo loquitur ; sed sufficit esse *rem et sacramentum simul*, sive principalius, et nobilius omnium, quæ importantur in Eucharistia. Et hanc esse Waldensis mentem docuerunt ex eadem ejus, et nostri familia perdocti Magistri Cornejo disp. 2, dup. 8, N. Corn. n. 3 et 4, et Orlandus tract. 7, q. 2, docue- N. Orlan. Vazq. runt etiam ex extraneis Vasquez disp. 167, Prado. c. 2, nu. 11, Prado q. 73, dub. 2 nu. 42 et alii.. Nos autem duximus addendum, quod Waldensis non dixit : « Est igitur hoc vera- « bile sacramentum, quamvis Wicleph « detestetur hoc verbum, verum Christi « corpus in recto sub forma panis, quam « connotat in obliquo, » sed dixit : « Est « igitur hoc venerabile sacrificium, quam- « vis etc. » Utitur itaque vocabulo non sacramenti, sed sacrificii. Quamvis autem in Nota. Eucharistia coincidant quasi identice sacramenti, et sacrificii rationes ; nihilominus formaliter loquendo sunt satis differentes, ut insinuavimus tract. præced. disp. 1, n. 59, et disp. 4, n. 34. Et quod ad rem præsentem attinet, sacramentum pro formali importat significationem ; in sacrificio autem principaliter attenditur res oblata. Quia igitur corpus Christi prout in Eucharistia non est sensibile, nec per se significat : ideo Eucharistiæ sacramentum nequit consistere saltem adæquate in solo corpore Christi in recto, connotando species sensibiles in obliquo. Sed quia res oblata non consistit principaliter in speciebus sed in Christo sub eis contento; propterea et non immerito affirmat Waldensis hoc venerabile sacrificium esse verum Christi corpus in recto sub forma panis, quam connotat in obliquo. Sed quantum ad rationem sacramenti tenet sententiam communem, ut constat ex c. 20 et 22. Et quod asseruit, sufficiebat ad evertendum contrariam hæresim Wiclephi : quidquid fuerit de essentiali *sacramenti tantum* constitutione.

22. Sed replicabis (et est secunda Adver- Secunda sariorum objectio,) nam idem est sacra- objectio. mentum Eucharistiæ, et sacrificium, sive res, quæ incruente immolatur, atque offerter in Missa. Sed hujusmodi sacrificium est corpus, et sanguis Christi sub speciebus, ut proxime indicavimus, et satis aperte docet Concilium Trident. sess. 22, cap. 1, Concil. Trident. ubi agens de isto sacrificio, et Christo ejus auctore inquit : « Corpus, et sanguinem

« suum

« suum sub speciebus panis, et vini Deo « obtulit, ac sub earum rerum symbolis « Apostolis, quos tunc novi Testamenti « Sacerdotes constituebat, ut sumerent, « tradidit, et eisdem, eorumque in Sacer- « dotio successoribus ut offerrent, præce- « pit etc. » Ergo Eucharistiæ sacramentum consistit in corpore Christi sub speciebus contento, connotando in obliquo ipsas species. Confirmatur: nam quod est res, et *sacramentum simul* est etiam *sacramentum tantum*, sive absolute; sicut quod est homo afbus est etiam simpliciter homo: a prædicato enim copulato valet consequentia ad quam libet ejus partem: sed corpus Christi contentum sub speciebus, et illas connotans est *res, et sacramentum simul*, ut diximus n. præced. ergo corpus Christi sub speciebus existens, et illas connotans est etiam *sacramentum tantum*, sive absolute.

Confirmatio.

Occurritur objectioni.

Ad replicam, sive objectionem respondetur juxta proxime dicta, quod licet sacramentum Eucharistiæ, et sacrificium Missæ materialiter coincidant; important nihilominus rationes formaliter diversas: idque vel ex eo liquet, quod ratio sacramenti, sive signi dicitur in ordine ad signatum, quod repræsentat; ratio vero sacrificii sumitur in ordine ad Deum, cui offertur. Unde quia corpus Christi sub speciebus existens est id, quod Deo principaliter immolatur; propterea præcipua ratio sacrificii in Missa oblati est corpus Christi connotando species, sub quibus illa oblatio, et immolatio incruenta fit. Et hoc est, quod desumitur ex doctrina Tridentini, et a nobis conceditur. Cæterum quia corpus Christi sub speciebus existens non est per se signum sensibile: propterea nequit dici sacramentum saltem adæquate: sed ad integram sacramenti constitutionem debent ingredi ipsæ species, utpote per se sensibiles, et corpus Christi in esse sensibilis, (si id ibi habet), constituentes. Ad confirmationem neganda est major tamquam evidenter falsa nam esse aliquid *rem, et sacramentum simul* est additum diminuens: unde ex eo, quod aliquid sit res, et sacramentum simul, nequit colligi esse *sacramentum tantum*, sive absolute; sed colligendum est oppositum, ut ostendimus nu. 20, in secunda confirmatione. Et ratio est: quia in prædicto discursu arguitur a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, sive absolute: quæ est fallacia, et nullius ponderis consequentia.

Solvitur confirmatio.

Quare sicut non valet: « Imago est homo « pictus: ergo est homo absolute, et « Æthiops est albus secundum dentes; ergo « est albus absolute, et character baptismi « est res, et sacramentum simul; ergo est « sacramentum tantum, vel sacramentum « baptismi absolute: » sic etiam et ob eundem defectum non valet, « Corpus « Christi sub speciebus est res, et sacra- « mentum simul: ergo est sacramentum « tantum, sive sacramentum Eucharistiæ « absolute. » Quod vero dicitur de progressu, aut illatione a prædicato ad quamlibet ejus partem, solum tenet, quando prædicatum copulatum quoad utramque partem convenit simpliciter subjecto: quod in presenti minime contingit, ut declaratur exemplis proxime inductis.

23. Tertio, et magis apparenter opponitur nam Patres satis communiter dicunt Eucharistiam esse corpus, et sanguinem Christi: ergo corpus, et sanguis Christi sunt adequate, et in recto sacramentum Eucharistiæ, speciebus se habentibus in obliquo, et de connotato. Probatur consequentia: nam si Eucharistiæ sacramentum adequate sumptum diceret in recto aliquid preter corpus Christi, videlicet species sacramentales: falsum esset Eucharistiam esse corpus Christi: ubi enim aliquid includit plures quasi partes, nequit una tantum de illo prædicari: unde istæ sunt falsæ, *homo est materia*, *homo est anima*: ergo a contrario sensu si verum est quod Patres affirmant, nimirum Eucharistiam esse corpus, et sanguinem Christi; sequitur Eucharistiam in recto nihil aliud importare nisi Christi corpus, et sanguinem, atque ideo in illis adæquate consistere, et pro ipsis supponere. Antecedens vero constat: nam D. Chrysos. 1, *ad Corinth.* 10, ad illa Pauli verba *De uno pane participamus*, inquit: *Quid enim est panis? Corpus Christi.* Et D. Ambros. in lib. *de initiandis* c. 10, ait: *In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi.* Et eodem modo loquuntur D. August. lib. 3, *de Trinit.* c. 4. D. Irænæus lib. 4, c. 34, et lib. 5, c. 2. D. Cyprian. lib. 2, epist. 3, et alii satis communiter. Quin et Concilium Tridentinum sess. 13, c. 8, istud sacramentum vocavit *mysterium corporis, et sanguinis Christi*, nulla facta specierum mentione. Et quod plus est, ipse Christus Dominus sacramentum istud appellavit suam carnem, sive corpus, *Joan.* 6,

Tertia objectio.

D. Chrys.

D. Amb.

D. Aug. D. Iren. D. Cyp.

Concil. Trident.

Joan. 6. Matt. 26. *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Matth. 26, et 1, ad Corinth. 11. *Accipite, et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

Confirmatio. Confirmatur : nam si sacramentum Eucharistiæ præter corpus Christi importaret in recto species accidentium ; non deberet, nec posset adorari adoratione latriæ : consequens est omnino falsum, utpote contrarium Concilio Trident. sess. 13, c. 5, et Concilio Viennensi relato in Clementina unica. de reliquiis, et veneratione sanctorum : ergo sacramentum Eucharistiæ nullo modo importat in recto species accidentium, sed consistit adæquate in solis corpore, et sanguine Christi ibi existentibus, connotando in obliquo prædictas species. Cætera constant. Et sequela ostenditur : quia adoratio latriæ soli Deo debetur, atque exhiberi tantum potest ex motivo eminentiæ increatæ : constat autem species illas quid creatum esse, et infimæ satis conditionis : ergo si sacramentum Eucharistiæ per illas vel inadæquate, sive partialiter in recto constitueretur ; non deberet, nec posset adorari cultu latriæ.

Diluitur objectio. Ad objectionem respondetur, quod quando Patres dicunt vel corpus, et sanguinem Christi esse Eucharistiam, vel Eucharistiam esse corpus, et sanguinem Christi ; non loquuntur de eo, quod habet rationem *Sacramenti tantum,* sed de eo, quod est *res, et sacramentum simul,* ut supra ad testimonium Waldensis dicebamus. Agunt enim de eo, quod cum ad Eucharistiam aliquomodo pertineat, est nobilissimum, et perfectissimum in esse rei comparative ad omnia ibidem occurrentia. Nam ut inquit D. Chrystost. hom. 66, *in Genes. perpetuus est Scripturæ mos* (et perinde Patrum se illi accomodantium) *a magis principali totum significare.* Cum igitur ex omnibus in Eucharistia concurrentibus, nobilissimum simpliciter, atque in esse rei sit res, et sacramentum simul, nempe corpus Christi, quod significatur per species, et gratiam ulterius significat : propterea Patres ubi de Eucharistia agunt, magis attendunt ad corpus Christi, quam ad species, et communius loquuntur de re simul, et sacramento, quam de sacramento tantum, non multum curantes (quia ad eorum intentionem parum referebat), metaphysicam, et intrinsecam sacramenti constitutionem in esse talis. Unde cum de illorum mente constet, necessarium non est singula eorum testimonia, et alia ex allatis in particulari exponere. Et ad consequentiæ probationem, quatenus huic doctrinæ opponi posset, respondetur juxta immediate dicta, quod cum Patres de Eucharistia prædicant corpus Christi, vel de corpore Christi Eucharistiam, non loquuntur de eo, quod est sacramentum tantum, sed de eo, quod est res, et sacramentum simul : in quo sensu verificantur illæ prædicationes, quia vere ita se habet, quod solum corpus, et sanguis Christi est res, et sacramentum simul in Eucharistia, et similiter Eucharistia prout importat rem, et sacramentum simul, est unice corpus, et sanguis Christi in recto. Porro hunc esse Patrum sensum ex eo liquet, quod non minus communiter affirmant corpus, et sanguinem Christi contineri in sacramento Eucharistiæ, quod si corpus, et sanguis Christi essent *Sacramentum tantum,* falsum omnino foret ; cum sacramentum non contineatur in sacramento. Verificatur autem optime, si dicatur corpus, et sanguinem Christi in Eucharistia esse rem, et sacramentum simul : quia quod est *res, et sacramentum simul,* continetur in eo, quod est *sacramentum tantum.* Unde D. Thom. in præs. art. 1 ad 3, recte observavit : « Hæc est differentia « inter Eucharistiam, et alia sacramenta « habentia materiam sensibilem, quod « Eucharistia continet aliquid sacrum ab- « solute, scilicet ipsum Christum. Aqua « vero baptismi continet aliquid sacrum in « ordine ad aliud, scilicet virtutem ad sanc- « tificandum : et eadem ratio est de chris- « mate, et similibus. Et ideo sacramentum « Eucharistiæ perficitur in ipsa consecra- « tione materiæ : alia vero sacramenta per- « ficiuntur in applicatione materiæ ad ho- « minem sanctificandum. Et ex hoc etiam « consequitur alia differentia : nam in sa- « cramento Eucharistiæ id, quod est res, « et sacramentum, est in ipsa materia : id « autem, quod est res tantum est in susci- « piente, scilicet gratia, quæ confertur. In « baptismo autem utrumque est in susci- « piente, scilicet et character, qui est res, « et sacramentum, et gratia remissionis « peccatorum, quæ est res tantum. Et ea- « dem ratio est de aliis sacramentis. » D. Tho.

Solvitur confirmatio. Ad confirmationem respondetur negando sequelam. Et ad ejus probationem dicendum est, quod ut aliquid sit objectum

terminans

terminans adorationem latriæ, non requiritur determinate, quod sit Deus; sed sufficit, quod Deum contineat; quin et sufficit, quod ipsum repræsentet, ut patet in cruce, et imaginibus Christi. Eucharistiæ autem sacramentum licet adæquate, et in recto non consistat in solo corpore Christi, ipsum tamen vere, et realiter continet, ac repræsentat. Et ideo potest, et debet terminare cultum latriæ, ut magis ex professo ostendimus tract. 21, disp. 35. a nu. 73.
Nota. Sed est bene observandum, quod sicut in Eucharistia concurrunt rationes sacramenti, et sacrificii, quæ tamen sunt formaliter diversæ; et ideo Eucharistia ut sacramentum dicit unam rationem in recto, et quatenus sacrificium importat in recto aliam rationem, ut supra insinuavimus; et similiter in eadem Eucharistia concurrunt rationes sacramenti, et instrumenti quæ differunt formaliter; et ideo Eucharistia ut sacramentum importat in recto significationem, ut instrumentum autem importat in recto virtutem agendi: sic etiam in eadem Eucharistia concurrunt rationes sacramenti, et objecti adorabilis, quæ sunt formaliter differentes; et propterea Eucharistia ut sacramentum constituitur in recto per aliquid sensibile significativum; sed in ratione objecti adorabilis constituitur in recto per excellentiam Christi in ea contenti, sicut per objectum *quo* formale, et motivum. Sed de hoc iterum redibit sermo infra num. 33, ubi eadem repræsentabitur difficultas.

24. Ex dictis habemus, quod ex quinque illis, quæ num. 15 proposuimus, in quibus posset essentia sacramenti Eucharistiæ consistere, tria jam relinquantur exclusa: ostendimus enim prædictum sacramentum non consistere in consecratione, nec in sumptione, sive usu, nec denique in corpore, et sanguine Christi sumptis in recto, speciebus se dumtaxat habentibus in obli-
Status controversiæ. quo, et de connotato. Quare totius dubii difficultas reducitur ad alia duo ex ibidem assignatis, nempe vel ad solas species sumptas in recto, et connotando in obliquo corpus, et sanguinem Christi, ita ut sacramentum consistat adæquate in solis speciebus sumptis in recto; vel denique ad easdem species, et corpus, et sanguinem Christi simul sumpta, ita quod sacramentum Eucharistiæ consistat non in solis speciebus in recto, nec in solis corpore, et sanguine Christi in recto; sed consistat adæquate in speciebus, et corpore, et sanguine Domini simul, et in recto sumptis, sive in composito, aut aggregato, quod ex speciebus continentibus, et corpore, et sanguine Christi contentis resultat.

§ II.

Verior D. Thomæ sententia defenditur.

25. Dicendum est sacramentum Eucharistiæ non consistere in speciebus, et corpore, ac sanguine Christi simul, et in recto sumptis, sive in istorum aggregato: sed adæquate consistere in solis speciebus sumptis in recto, et connotantibus corpus, et sanguinem Christi in obliquo. Ita docet D. Thomas, ut statim ostendemus, cui subscribunt communiter discipuli. Sotus in 4, dist. 8, quæst. unica art. 1. Nugnus quæst. 73, art. 1, difficult. 2, concl. 4. Arauxo ibidem dub. 2, in 3 ejus parte, num. 32. Joannes a S. Thoma disp. 26, art. 2, concl. 2. Serra art. 1, dub. unico concl. 2. Prado dub. 2, § 6, n. 58. Gonet disp. 2, art. 1, concl. 3 et 4. Labat disp. 4, dub. 1, concl. 3. Contenson dissert. 2, cap. 1, speculat. 2. N. Cornejo disp. 2, dub. 5. N. Philippus disp. 1, dub. 6. N. Gabriel disp. 1, quæst. 3. N. Franciscus cap. 1, dub. 3 et 4, et alii. Idem etiam tuentur Scotus in 4, dist. 8, quæst. unica, art. 1. Richardus ibidem, art. 1, quæst. 1. Marsilius quæst. 1, art. 1, et quæst. 6, art. 2, Henriquez lib. 8, cap. 6, § 2. Navarrus in Manuali cap. 22, nu. 10. Granados controv. 6, tract. 1, disp. 2, n. 5. Leander disp. 1, q. 2. Caspensis tract. 22, disp. 1, sect. 2, concl. 7. Gaspar Hurtado disp. 1, difficult. 3. Dicastillo disp. 1, dub. 2, nu. 29, et 23, et alii plures, ut merito Alanus infra referendus (licet contrariam sequatur sententiam), dicat hanc nostram assertionem esse fere omnium, et diu fuisse, et nominatim pro illa refert Magistrum sent. Durandum, Glossam, et alios. Pro eadem etiam Arauxo loco cit. n. 32, refert B. Albertum, Alexandrum, Gabrielem, Vincentium, et Ledesmam. Hanc denique assertionem docet Catechismus Pii V, in 2 p. *de sacram. Eucharistiæ*, n. 8.

Conclusio. D. Tho. Sotus. Nugnus. Arauxo. Joan. a S. Tho. Serra. Prado. Gonet. Labat. Contens. N. Corn. N. Phil. N. Gab. N. Fran. Scotus. Richar. Marsil. Henriq. Navarr. Granad. Leand. Hurtad. Dicastil. Catech. Pii V.

Probatur primo ab auctoritate: nam Ecclesia, et Patres condistinguentes corpus Christi in Eucharistia contentum ab speciebus continentibus, satis aperte significant nomen, et rationem sacramenti con-

Fundamentum ab auctoritate.

venire speciebus continentibus, non autem Christo contento: id autem falsum esset, si tam species, quam corpus Christi ingrederentur in recto ad constituendum adæquatam hujus sacramenti rationem: ergo tenendum est adæquatam hujus sacramenti rationem consistere in solis speciebus sumptis in recto, et connotantibus corpus Christi in obliquo. Cætera constant, et major, sive assumptum probatur: nam Ecclesia in Prosa, quam canit in Missa festi Corporis Christi, inquit: *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.* Ubi illud, quod frangitur, appellatur absolute sacramentum, et condistinguitur ab eo, quod tegitur tam toto, quam fragmento. Certum autem est fractionem cadere adæquate super species, tegi vero convenire soli corpori Christi: nomen igitur, et ratio sacramenti Eucharistiæ convenit adæquate solis speciebus continentibus corpus Christi. Præterea Berengarius ex mandato Ecclesiæ, ut hæresim suam abjuraret, confessus fuit in « altari, facta consecra« tione, existere non solum sacramentnm, « sed etiam corpus Christi in eo conten« tum. » Continetur autem in speciebus. Unde satis aperte significavit corpus Christi sacramentum non esse, sed aliquid diversum sicut ab speciebus, ita etiam a sacramento.

Ecclesia.

Concil. Trident.

Deinde Concilium Tridentinum tota fere sess. 13, significat species continentes corpus Christi esse Eucharistiæ sacramentum: nunquam enim corpus Christi sacramentum appellat; cum ipsas species sacramentum vocet, et pro eodem reputet corpus Christi contineri in sacramento, et corpus Christi contineri, et existere in speciebus: quod satis indicat corpus Christi nec inadæquate, et partialiter esse ex sententia Concilii sacramentum. Sic enim cap. 1 illius sess. inscribitur: « De reali præsen« tia Domini nostri Jesu Christi in sanc« tissimo Eucharistiæ Sacramento: » ubi liquet distingui Christum præsentem a Sacramento, in quo est. Et cap. 3, ait: « Commune hoc quidem sanctissimæ Eu« charistiæ cum cæteris sacramentis sym« bolum esse rei sacræ, et invisibilis gra« tiæ formam visibilem: verum illud in « ea excellens, et singulare reperitur, quod « reliqua sacramenta tunc primum vim « sanctificandi habent, cum quis illis utitur: « at in Eucharistia ipse sanctitatis au« thor ante usum est. » Habet itaque hoc sacramentum commune cum aliis esse externum symbolum, et visibilem formam (idque ab speciebus), sed insuper continet ipsum Christum sanctitatis auctorem, can. 1, ait: « Si quis negaverit in sanctissimæ « Eucharistiæ Sacramento contineri vere, « realiter, et substantialiter corpus, et san« guinem etc. anathema sit. can. 3: Si « quis negaverit in venerabili Eucharis« tiæ sacrcmento sub unaquaque specie, et « sub singulis cujusque speciei partibus, « separatione facta totum Christum conti« neri, anathema sit. » In quibus locis, et aliis ejusdem sessionis omnino similibus, nunquam Concilium vocat corpus Christi sacramentum, sed ipsum aperte distinguit a sacramento, hujus nomen, et rationem deferens Eucharistiæ, sive speciebus, in quibus Christus continetur. Et quamvis prædicta testimonia possent utcumque salvari dicendo corpus Christi, et si pertinens in recto ad rationem sacramenti, dici in sacramento contineri, sicut pars continetur in toto: nihilominus sensus a nobis intentus est longe sincerior, et magis retinens sermonis proprietatem: quæ quantum fieri valeat, observanda est in doctrinis Conciliorum. Aliunde vero satis mirabile est, quod Concilium nunquam corpus Christi appellat sacramentum, cum tam sæpe hujus nomen, et rationem attribuat speciebus. Idque haud obscure indicat, quod juxta ejus mentem constat ex speciebus, et corpore Christi sicut ex partibus: sed adæquate consistere in speciebus.

Eandem denique sententiam expresserunt Patres. D. Ambrosius in lib. *de initiandis* cap. 9, affirmat Christum Dominum esse in hoc sacramento. D. August in. trac. 26, *in Joan.* ait: « Nam et nos accipimus « visibilem cibum: sed aliud est sacramen« tum, aliud virtus sacramenti. » Virtus autem hujus sacramenti Christus est sub illo latens, ut statim ex D. Thoma videbimus. D. Algerus qui diligentissime de hoc sacramento scripsit, lib. 1, cap. 5, ait: « Panis, et vini immanentes, et visibiles « qualitates sacramentum tantummodo « vere dici, et esse; substantiam autem « illam invisibilem, quæ ipso sacramento « operta est, vere, et proprie dici corpus « Christi testatur Augustinus. » Idque probat productis ejus testimoniis. Ubi tam ex sua,

Patres.
D. Amb.
D. Aug.
D. Alger.

sua, quam ex D. Augustini sententia distinguit inter sacramentum vere, et proprie dictum, et substantiam contentam, opertamque visibili sacramento : primum autem attribuit solis qualitatibus, sive speciebus immanentibus, et visibilibus, posterius vero corpori Christi ibi latenti.

Confirmatur auctoritate D. Thomæ.

26. Confirmatur specialiter ex D. Thoma qui nostram sententiam evidenter docet : nam in hac q. art. 1 ad 2, ait : « Sicut se « habet virtus Spiritus sancti ad aquam « baptismi : ita se habet corpus Christi « verum ad species panis, et vini. Unde « species panis, et vini non efficiunt ali- « quid, nisi in virtute corporis Christi « veri. » Id autem, quod in sacramentis habet rationem virtutis elevantis, non est ipsum sacramentum, nec pars sacramenti, nec ad ipsum pertinet in recto, ut liquet tam in baptismo, quam in aliis sacramentis : idem itaque sentiebat D. Thom. de corpore Christi in ordine ad sacramentum Eucharistiæ. Sed magis adhuc evidenter in eadem quæst. art. 6, inquit : « In hoc sacra- « mento tria considerare possumus, scilicet « id, quod est sacramentum tantum (de quo procedit præsens difficultas) « quod est pa- « nis, et vinum : et id, quod est res, et sa- « cramentum, scilicet corpus Christi ve- « rum : et quod est res tantum scilicet « effectus hujus sacramenti. » Ubi S. Doctor exacte distinguit rationes in Eucharistia concurrentes, ex quibus sicut rationem *rei, et sacramenti simul* attribuit corpori Christi; sic etiam rationem sacramenti tantum (de qua loquimur), defert solis panis, et vini speciebus : sentiebat igitur corpus Christi nec inadæquate, aut per modum partis pertinere ad hoc sacramentum in recto. Eandem omnino doctrinam habet in 4, dist. 18, in divisione textus, ubi ait : « In prima parte determinat » (nempe Magister) « de « ipso vero corpore Christi, quod est sa- « mentum, et res etc. In secunda de spe- « ciebus panis, et vini, quæ sunt sacramen- « tum tantum. In tertia determinat de « effectu sacramenti, quæ est res tantum. » Et hic etiam sensus occurrit frequentissime in aliis ejus scriptis.

Suarii objectio.

Sed illius nihilominus mentem (ne circa illam iterum disceptemus), obscurare, incertamque nobis facere curavit Suarez opponens S. Doctoris verba in 4, dist. 8, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 1 ad 2, ubi ait : « Se- « cundum quod ex speciebus, et corpore « Christi fit unum sacramentum. » Et quæstiunc. 2 ad 4, addit : « Corpus Christi, « et species habent unitatem, quæ sufficit « ad unitatem hujus sacramenti. Hæc vero ejusmodi sunt, ut sola sincera lectione dispellantur : non enim loquitur D. Thomas de unitate hujus sacramenti desumpta ex speciebus, et corpore Christi sicut ex partibus ; sed de unitate desumpta ex speciebus sicut ex sacramento, et ex corpore Christi sicut ex virtute talis sacramenti. Unde non debuerunt priora verba referri separata ab aliis sibi adjunctis, sed expendendo integrum locum, qui omnem dubietatem, et æquivocationem excludit. « Ad secundum, « *inquit*, dicendum, quod sicut ad species « sensibiles aliorum sacramentorum se ha- « bet virtus, quæ interius inest, quæ sanc- « tificationem acquirit, ex qua sacramen- « tum efficit secundum Hugonem : ita in hoc « sacramento se habet ipsum corpus Christi, « quod per consecrationem sub illis spe- « ciebus fit. Unde sicut in aliis sacramen- « tis materiale elementum non est causa « virtutis, quæ in ipso est, neque alicujus « spiritualis effectus in homine, nisi me- « diante virtute, secundum quod ex ele- « mento, et virtute quasi unum efficitur : ita « in hoc sacramento species non sunt causa « corporis Christi, nec alicujus effectus in « anima spiritualis, nisi mediante torpore « Christi vero, secundum quod ex specie- « bus, et corpore Christi fit unum sacra- « mentum. » Ubi manifestum est D. Thomam non asserere, quod ex speciebus, et corpore Christi fit unum sacramentum sicut ex partibus sacramenti ; sed quod fit unum sicut ex sacramento, et virtute sacramenti, ut in aliis proportionabiliter contingit. Quare sicut in aliis virtus, qua sacramentum elevatur, et agit, non est pars sacramenti, sed virtus, ut ex terminis liquet : sic etiam in sacramento Eucharistiæ corpus Christi, quod comparatur tanquam virtus prædicti sacramenti, non est sacramenti pars, sed ejus virtus. Unde prædictum testimonium nostram sententiam magis confirmat. Et eandem sententiam habet Div. Thomas in secundo testimonio, si integrum referatur. « Ad quartum, *inquit*, « dicendum, quod quamvis species, et cor- « pus Christi non sint unum in genere, vel « specie naturæ ; possunt tamen esse unum « per relationem ad unam operationem. » Sicut instrumentum, et virtus, qua eleva-

Dispellitur.

tur, sunt unum; licet virtus non sit pars materialis instrumenti. Et bene observandum est D. Thomam in eis locis non agere de unitate sacramenti, aut signi in esse talis; sed de unitate ejus in esse causæ: qui tamen conceptus est extra essentiam sacramenti in esse talis: istud quippe non constituitur directe in genere causæ, sed solius signi, ut ostendimus tract. præced. disp. 1, dub. 1, et 3, et 4.

Nota.

Ratio assertionis.

27. Secundo probatur eadem assertio ex prædictis testimoniis desumpta: quoniam ut aliquid in recto, et per modum partis intret constitutionem sacramenti, ipsumque in prædicto sensu constituat, debet vere, et proprie habere rationem signi: sed corpus Christi in Eucharistia non habet rationem signi: ergo corpus Christi in Eucharistia non intrat in recto, et per modum partis constitutivum talis sacramenti: atque ideo nec adæquate, nec inadæquate hoc sacramentum constituit, sed solum importatur in obliquo, et de connotato. Utraque consequentia patet. Et major constat ex dictis locis relatis, ubi ostendimus sacramentum constitui directe, et per se in solo genere signi: inde enim fit, quidquid vere, et proprie, adæquate, vel inadæquate participat rationem sacramenti, participare etiam rationem signi. Minor etiam ostenditur: quia de ratione signi est esse sensibile, sive cognoscibile per sensus, juxta vulgarem ejus diffinitionem desumptam ex D. Augustino: « Quod præter speciem, quam ingerit sen« sibus, aliquid aliud facit in cognitionem « venire: » sed corpus Christi in Eucharistia existens nulla ratione est sensibile, aut per sensus cognoscibile, quippe quod nullam sui speciem sensibus ingerit: habet enim ibi existere modo indivisibili, et spirituali, ut ostendemus disp. 6, dub. 6, ergo corpus Christi in Eucharistia non habet rationem signi.

Adversariorum occursus.

Respondent Adversarii, quod licet de ratione sacramenti adæquate sumpti sit esse signum, et quid sensibile saltem secundum aliquam sui partem; tamen non est de ratione cujuslibet partis sacramenti esse signum, et sensibile per se, sed sufficit, quop fiat sensibile per aliam sui compartem. Quod declarant vulgari exemplo contritionis, quæ est vera pars sacramenti pœnitentiæ, et cum confessione, et absolutione illud in recto constituit: quia etsi talis contritio non sit sensilibis per se, fit tamen sensibilis per confessionem, et ut eo modo manifestata constituit simul cum aliis partibus pœnitentiæ sacramentum. Sic igitur licet sacramentum Eucharistiæ debeat esse aliquod signum sensibile, nihilominus non oportet, quod id habeat secundum omnes, et singulas partes, quibus constat; sed sufficit illud habere secundum aliquam sui partem, nempe species: alia vero pars, scilicet corpus Christi, quamvis prout ibi existens non sit sensibile per se, aut in se, fit tamen sensibile per aliam compartem: cognoscitur enim ut substans speciebus, et in eis contentam.

Confutantur.

Hæc tamen responsio non satisfacit, sed evertitur eisdem principiis, quæ assumit: quoniam id, quod assumitur ad rationem sacramenti, hujusque rationem adæquate, vel inadæquate vere participat, debet esse signum sensibile vel per se, vel per alteram sui compartem: sed corpus Christi in Eucharistia nec per se, nec per species, quibus adjungitur, est aliquod signum sensibile: ergo corpus Christi in Eucharistia non intrat in recto hoc sacramentum, nec adæquate, vel inadæquate veram rationem sacramenti participat. Consequentia patet. Et major constat tum ex ratione nostra, tum ex concessis in responsione, tum exemplo contritionis, quæ fit sensibilis per concessionem, et externa doloris signa. Minor denique ostenditur: nam in primis corpus Christi in Eucharistia non est sensibile per se, et ratione sui; siquidem prout ibi existens habet modum spiritualem, indivisibilem, atque insensibilem. Quod vero non fiat sensibilis per species, liquet ex eo, quod nullus est ordo naturalis inter prædictas species, et corpus Christi: quippe tales specie non sunt species corporis Christi, nec illud ullo modo nobis sensibiliter manifestant, aut nos in ejus cognitionem inducunt: sed potius, quantum est de se, solum substantiam panis, et vini manifestant, juxta illud: *Quod non tangis, quod non vides, animosa firmat fides.* Et Ecclesia in secundo nocturno festi corporis Christi inquit: *Diviso sacramento, sub qualibet divisionis particula integer* (nempe Christus) *perseverat. Accidentia autem sine subjecto in eodem subsistunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur, aliena specie occultatum: et sensus a deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus*

accidentibus judicant sibi notis. Quare Christus in Eucharistia existens nulla cognitione sensibili, vel a sensibus ortum ducente cognosci valet, sed sola, et unica, fide percipitur. Ergo corpus Christi in Eucharistia nec per se, nec per species, quibus adjungitur, est aliquod signum sensibile. Unde liquet manifesta differentiæ ratio inter vulgare illud exemplum nobis objectum et rem præsentem. Nam dolor internus, licet sit spiritualis, vere tamen manifestatur per externa ejusdem signa, utputa per confessionem scelerum, sicut commune est omnibus internis affectibus repræsentari, significarique per externos motus, quos inducunt: splendent enim in illis sicut causa in propriis effectibus. Unde qui videt alium lugere, ac confiteri, et detestari peccata, sensibiliter ducitur in notitiam interni doloris: et si sciat huic dolori adjunctum esse ex Dei ordinatione, quod significet gratiam justificationis infallibiliter dandam; ex hoc ipso cognoscit signum rei sacræ homines sanctificantis. Cæterum corpus Christi in Eucharistia existens nullum naturalem ordinem habet ad species, et istæ e converso nullum ordinem naturalem habent ad ipsum: quare corpus Christi nullo modo sensibili, aut a sensibilibus, et naturalibus ortum ducente repræsentatur per species. Et ideo quantumcumque aliquis omnium sensuum indagine, et omni a sensibus orta cognitione, aut etiam comprehensione utatur, non potest cognoscere corpus Christi ibi existens, et per ipsum duci in notitiam gratiæ sacramentalis.

Nota.

Major impugnatio.

Confirmatur, et declaratur amplius: nam cum de ratione sacramenti sit esse signum, nihil potest habere rationem veri sacramenti adæquate, vel inadæquate, id est, vel per modum totius sacramenti, vel per modum partis sacramenti in recto; nisi sit signum sensibile vel immediate, et per se, vel saltem mediate, et per alteram compartem, sicut in hoc posteriori sensu contritio participat rationem signi, quippe ut manifestata per proprios effectus, externa videlicet doloris signa, exhibet speciem sui, et aliquid aliud facit in notitiam venire ex institutione divina. Atqui corpus Christi in Eucharistia nullo modo vel immediate per se, vel mediate, aut per aliud est signum sensibile. Ergo corpus Christi in Eucharistia nullo modo est sacramentum adæquate, vel inadæquate, id est, nec totum sacramentum, nec vera in recto ejus pars. Cætera constant. Et minor quoad primam partem est omnino certa: quippe corpus Christi in Eucharistia habet esse modo spirituali, et indivisibili: atque ideo nequit esse signum sensibile immediate, atque per se. Posterior etiam ejusdem minoris pars ostenditur: quoniam corpus Christi in Eucharistia existens nullum naturalem ordinem habet ad species, nec per illas ullo modo sensibiliter significatur: ergo in Eucharistia non habet rationem signi sensibilis adhuc mediate, et per aliud: sed in ordine ad rationem signi sensibilis perinde comparatur, ac si ibidem non esset. Ubi notanda est differentia inter substantiam propriam accidentium, et substantiam Christi existentem in Eucharistia: quia licet nulla substantia sit sensibilis immediate, et ut *quo*, quippe quæ se sola nequit sensus immutare: nihilominus quælibet substantia corporea mediantibus propriis accidentibus est sensibilis mediate, et ut *quod*: nam cum talia accidentia sint ejus propria, et conformia ejusdem naturæ, repræsentando se ipsa, repræsentant etiam sensibiliter naturam, et substantiam, cujus sunt: et ideo talis substantia potest mediate, et per propria accidentia esse signum naturale ut *quod* aliud repræsentans, sicut fumus significat ignem. Cæterum cum accidentia, sub quibus Christus existit in Eucharistia, non sint ejus propria, sed sint propria substantiæ panis, et vini; nequit corpus Christi fieri sensibile per ea, adhuc mediate, et ut *quod*: sed in ordine ad hoc munus ita se habet, ac si ibidem non esset. Unde ibidem existens nulla ratione habet esse signum sensibile: et consequenter nullo modo est sacramentum: de essentiali enim hujus conceptu est, quod pro suo materiali sit signum sensibile, quod ex placito Dei ulterius significat aliquid sacrum.

Nota.

Objectio.

28. Sed oppones: quoniam corpus Christi in Eucharistia est *res, et sacramentum simul*, ut omnes affirmant: ergo si de ratione sacramenti est esse signum sensibile, non possumus nisi inconsequenter agendo negare, quod corpus Christi in Eucharistia sit signum saltem mediate, atque ratione specierum: et subinde ex vi prædicti principii non efficaciter excludimus corpus Christi a conceptu essentiali sacramenti in recto saltem per modum partis. Quod amplius declaratur: nam *res, et sacramentum*

simul in sacramentis illud dicitur, quod significatur per unum, et significat aliud, sicut character baptismi significatur per sacramentum baptismi, et rursus significat ulteriorem effectum, nempe gratiam: ergo si corpus Christi in Eucharistia est *res, et sacramentum simul*, debet significari per id, quod vocamus sacramentum, videlicet per species sacramentales : ergo inconsequenter negamus, quod fiat signum sensibile, et cognoscibile per easdem species.

Diruitur. Hæc tamen objectio est merus parallogismus ut jam diximus num. 22, nam cum aliquid dicitur esse *rem, et sacramentum simul*, ly *sacramentum simul* non prædicat veram rationem sacramenti absolute, ac subinde nec signi, quod est genus ad sacramentum proprie dictum; sed est additum diminuens et improprians sacramenti rationem: ut patet in charactere baptismi, qui cum sit *res, et sacramentum simul*, non propterea est sacramentum absolute, nec ejus pars in recto, sed aliquid ab eo connotatum ex parte effectus. Quare sicut non valet, « imago est homo pictus, ergo est homo, et « animal : » sic etiam non valet, « Christus in Eucharistia est res, et sacramentum simul : ergo Christus est sacramentum, vel absolute, atque ideo est signum « sensibile : » committitur enim idem defectus arguendo a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, vel procedendo ab eo, quod solum dicitur sacramentum secundum quid, ad illud, quod est sacramentum simpliciter, et absolute. Licet autem ratio signi sensibilis sit genus ad sacramenta proprie dicta, et de illis essentialiter prædicetur; propterea, quod non est signum sensibile, nequeat esse sacramentum proprie sumptum : tamen prædicta ratio non est genus ad sacramentum dictum secundum quid, et improprie, nec de illo prædicatur: et ideo licet corpus Christi in Eucharistia sit res, et sacramentum simul, quod est esse sacramentum secundum quid, et improprie; non inde sequitur rationem signi sensibilis prædicari de corpore Christi, sed magis infertur oppositum. Et ad explicationem, vel augmentum difficultatis dicendum est id, quod habet rationem *rei, et sacramenti simul*, debere significari per id, quod est *sacramentum tantum*; sed non significatur per illud tanquam per sui signum sensibile, aut naturale; sed per ipsum ut habet esse sacramentum, et significat significatione sacramentali ex placito, et institutione Dei. Quo modo non negamus corpus Christi in Eucharistia significari per species, in quibus sacramentum constitit. Id vero minime sufficit, ut corpus Christi fiat et dicatur signum sensibile adhuc mediate, et per species. Et tamen ad rationem sacramenti tantum, seu vere, et proprie dicti requiritur, quod res ad ejus rationem assumpta sit signum sensibile, saltem mediate, et per alteram sui partem, ut patet in contritione, et in aliis, quæ sunt vel verum sacramentum, vel pars sacramenti in recto. Rursus, licet id quod est *res, et sacramentum simul*, debeat significare ulteriorem effectum, tamen illa significatio non est sensibilis, sed mere spiritualis, et per fidem apprehensa, ut patet in charactere baptismi, qui cum spiritualis omnino sit, nec sensibiliter cognoscitur, nec sensibiliter significat aliud, sed solum spiritualiter, et ut prius per fidem apprehensus. Quare de illo, de corpore Christi in Eucharistia, et de similibus dici non valet, quod præter speciem, quam ingerunt sensibus faciunt aliud in cognitionem venire.

29. Verum enim vero ipsa objectio præstat (et inde evidentior ejus dilutio constabit), tertium pro nostra assertione motivum, quod ita proponitur : corpus Christi in Eucharistia est res, et sacramentum simul : ergo corpus Christi in Eucharistia non est sacramentum tantum, nec pars in recto talis sacramenti. Antecedens docent Innocentius Tertius, Magister sententiarum, Div. Thomas, et communiter omnes Theologi, illi etiam, quos nunc Adversarios habemus. Consequentia vero probatur: quia de ratione ejus, quod habet rationem rei, et sacramenti simul, est significari per illud, quod habet rationem sacramenti tantum : sed nihil potest significari per semetipsum ; cum signum dicat ordinem ad signatum sicut ad regulam, et mensuram, sicut in omnibus hujusmodi potest inductive ostendi : ergo si corpus Christi in Eucharistia est res, et sacramentum simul ; fieri non potest, quod corpus Christi in Eucharistia sit sacramentum tantum, aut pars in recto talis sacramenti. Aliud assertionis fundamentum.

Occurrunt Adversarii, et negant consequentiam : quia generaliter loquendo non repugnat idem esse *rem et sacramentum simul*, et insuper esse partem *sacramenti tantum* :

tantum: idque probant vulgari exemplo contritionis, quæ in pœnitentia est res, et sacramentum simul, et ultra est pars sacramenti tantum. Unde propositum motivum in nos regerunt, et propriam opinionem magis fulciunt: nam contritio est res, et sacramentum simul, et ulterius pars essentialis, atque in recto sacramenti tantum in pœnitentia: ergo pariter non repugnat, quod corpus Christi omnia ista munia obeat in Eucharistia.

Confutatur. 30. Sed hæc illorum vel responsio, vel impugnatio confutatur expendendo amplius propositum motivum: quia licet non repugnet, quod idem secundum diversas rationes sit res, et sacramentum simul, et ulterius pars sacramenti (quod libenter illis concedimus), implicat tamen idem, et secundum eandem rationem esse rem, et sacramentum simul et insuper sacramentum tantum, aut partem ejus. Sed si Corpus Christi in Eucharistia foret pars essentialis, et in recto sacramenti tantum; id haberet secundum eandem rationem, secundum quam est res, et sacramentum simul. Ergo si corpus Christi in Eucharistia est res, et sacramentum simul; fieri non potest quod corpus Christi in Eucharistia sit pars essentialis, et in recto sacramenti tantum. Consequentia patet. Et major quoad secundam partem, in qua poterat esse difficultas ostenditur: quia de ratione sacramenti tantum est significare id, quod comparatur per modum rei, et sacramenti simul: sed signum quatenus tale, distinguitur a signato, illudque per modum objecti, aut termini præsupponit: ergo cum nihil distinguatur a se ipso, nec se ipsum præsupponat; fieri non potest, quod idem secundum idem sit res, et sacramentum simul, et insuper vera pars sacramenti tantum. Alias idem secundum idem distingueretur a se ipso, et esset prius, et posterius: in quo est manifesta contradictio. Minor denique ostenditur: nam corpus Christi non potest esse pars sacramenti tantum, nisi quatenus est cibus spiritualis causans gratiam nutritivam: sed secundum hanc eandem rationem est de facto res, et sacramentum simul: quippe quod significatur ut spiritualis cibus, et insuper significat gratiam nutrientem: ergo si corpus Christi in Eucharistia esset pars sacramenti tantum; fieret quod secundum unam, et eandem rationem esset res, et sacramentum simul, et insuper pars sacramenti tantum. Et quod de hoc conceptu, sive expressione diximus, procedit etiam in omnibus aliis excogitabilibus, sive corpus Christi concipiatur quatenus contentum sub speciebus, vel quatenus significatum per illas, sive quatenus causans gratiam reficientem, et sic de aliis, ut facile consideranti constabit: nam si semel asseritur pars essentialis, et in recto sacramenti tantum; fateri consequenter oportet, quod secundum omnes, et singulas ejusmodi rationes exerceat prædictum munus; et consequenter, quod nequeat secundum rationem aliam diversam esse res, et sacramentum simul.

Confirmatur evertendo simul propositum exemplum, et signando disparitatem: nam ideo contritio in sacramento Pœnitentiæ potest esse res, et sacramentum simul, et insuper pars essentialis sacramenti tantum, quia habet, ut ea munia exerceat formalitates satis differentes: sed istæ, nec aliæ similes possunt assignari respectu corporis Christi in Eucharistia: ergo si corpus Christi est ibidem res, et sacramentum simul, ut supponitur; nequit esse pars essentialis, et in recto sacramenti tantum. Major probatur, et declaratur: nam contritio secundum illud quod ex propria specie, sive natura habet, manifestata per confessionem, aut alia externa doloris signa, est pars essentialis, et in recto *sacramenti tantum:* hanc enim sicut et confessionem, et absolutionem voluit Deus instituere signum practicum remissionis peccatorum, quæ in sacramento Pœnitentiæ contingit. Sed insuper prædicta contritio ex virtute sacramenti participat novum perfectionis modum, ut disponat ad gratiam, non solum habitualem, quod de se habet, sed etiam ad gratiam sacramentalem, quæ aliquid reale supra habitualem addit, ut diximus disp. 1, dub. 9, et insuper prædicta contritio ex virtute sacramenti disponit ad majorem quantitative gratiam, quam sibi ex natura rei debeatur, ut constat ex dictis eadem disput. dub. 1. Et secundum has posteriores rationes exercet munus *rei, et sacramenti simul.* Unde satis liquet contritionem in sacramento Pœnitentiæ secundum unam rationem esse partem essentialem sacramenti tantum; et secundum aliam rationem satis differentem esse rem, et sacramentum simul. Quare ibidem non occurrit inconveniens, quod idem, et secundum

Impugnatur amplius.

idem sit res, et sacramentum simul, et insuper sit sacramentum tantum, aut ejus pars essentialis in recto: atque ideo nec sequitur contradictio, quod idem, et secundum eandem rationem sit signum, et res significata per signum, ut supra expendebamus. Minor denique ostenditur: quia data etiam Adversariis fingendi licentia, nullam in corpore Christi assignabunt rationem, secundum quam sit pars essentialis sacramenti tantum, quæ tamen ratio non se teneat ex parte ejusdem corporis, ut de facto est res, et sacramentum simul: sive talis ratio sit conceptus rei contentæ, sive rei significatæ, sive cibi spiritualis etc. ut discurrenti constabit. Unde liquet objectum illud contritionis exemplum nihil contra nos evincere.

Aliud fundamentum. 31. Ultimo probatur nostra conclusio: nam species sacramentales in recto connotando in obliquo Christi corpus, quod continent, sufficienter constituunt sacramentum Eucharistiæ, quantum ad rem, sive materiam, quæ adjuncta verborum forma (de qua alibi, ut in princip. dub. observavimus) appellatur *sacramentum tantum*: ergo non oportet dicere, quod corpus Christi sit pars essentialis in recto prædicti sacramenti. Consequentia patet: tum quia constitutio rerum debet fieri modo simpliciori, quo possit excludendo non necessaria: tum quia supposito, quod species in recto sufficiant, vanum est addere aliud, et alias difficultates. Antecedens autem ostenditur: quia species prædictæ connotando corpus Christi sunt verum aliquod novæ legis sacramentum: quippe quæ sunt signum rei sacræ nos sanctificantis, nempe corporis Christi ut cibi spiritualis, quod connotant in obliquo, ac perinde gratiæ sanctificantis, qua formaliter pascimur: sed prædictæ species non sunt aliud novæ legis sacramentum, quam sacramentum Eucharistiæ, de quo agimus: ergo species in recto sumptæ, connotando in obliquo corpus Christi, quod continent, sunt sufficientes ad constituendum sacramentum Eucharistiæ secundum illam rationem, qua dicitur *sacramentum tantum*, sive absolute. Cujus discursus efficacia aptius confirmari non potest, quam evacuando motiva, quibus Adversarii ostendere curant necessarium esse, quod corpus Christi intret in recto, et per modum partis essentialis ad constituendum Eucharistiæ sacramentum.

§ III.

Refertur opinio Recentiorum, et diruuntur illorum motiva.

32. Oppositam nostræ assertioni sententiam tuentur Bellarmin. lib. 4, *de Euchar.* cap. 6, Beccanus cap. 15, q. 2, Valencia in hac quæst. punct. 3. Suarez disp. 42, sect. 3. Vazq. disp. 167, ca. 5. Coninckus art. 1. Bernal disp. 24 et repet. 4, cap. 3. Alanus lib. 1, cap. 3. Kelison art. 1, dub. 2, concl. 4. Layman lib. 5, tract. 4, cap. 1. Mascarenhas disp. 1, c. 5, concl. 2 et alii. Solent etiam referri pro hac opinione Capreolus, Cajetanus, Victoria, et Ledesma; sed immerito, quia loquuntur in sensu longe diverso, eo scilicet, quo D. Thomas dixit Eucharistiæ sacramentum constitui ex speciebus, in corpore Christi, non quidem isto ut parte essentiali, sed sicut virtute sacramenti, ut vidimus num. 26. Bellarm. Becanus. Valenc. Suarez. Vazq. Conink. Bernal. Alanus. Kelison. Layman. Mascart.

Arguitur ergo pro hac opinione, et primo ab auctoritate: nam Patres docent sacramentum Eucharistiæ constare, et componi ex duabus rebus, speciebus scilicet, et corpore Christi: omnis autem compositio fit ex partibus: ergo ex Patrum sententia species, et corpus Christi comparantur ad istud sacramentum tanquam ejus partes in recto, et ipsum intrinsece constituentes. Major probatur ex D. Irenæo lib. 4, *contra hæres.* cap. 84, ubi ait: « Qui est « e terra panis, percipiens invocationem « Dei jam non communis panis est, sed « Eucharistia, ex duabus rebus constans, « terrena, et cœlesti, » nimirum speciebus panis, et corpore Christi. Similiter D. Damascen. lib. 4, cap. 14, inquit: « Quia ex « duplici natura compositi atque concreti « sumus, ita compositus cibus necessarius « erat: cibus autem panis ipse vitæ, hoc est, « Dominus noster Jesus Christus, qui de cœlo descendit. » Similiter in cap. *Hoc est, de consecrat.* disp. 2, dicitur sacrificium Ecclesiæ constare, « visibili elementorum « specie, et invisibili Jesus Domini carne. » Quæ verba citat Gratian. ex D. August. Similia proferunt D. Cyprian. vel auctor sermonis de cœna Domini, et alii. Primum argumentum. D. Iren. D. Dam.

Confirmatur primo ex Concilio Florentino in decreto sæpe relato, ubi asserit Eucharistiæ sacramentum esse cibum, et alimoniam animæ. Id autem intellectum, ut intelligi Confirmatio 1

intelligi necessario debet, de cibo sacramentali, claudit corpus Christi, quod est cibus animæ, et species sacramentales, quibus prædictus cibus fit visibilis, et manducabilis. Ergo sacramentum Eucharistiæ complectitur tanquam partes essentiales, et in recto, tam species visibiles quam corpus Christi in eisdem contentum. Et illud loquendi modum, quo utitur Concilium Florentinum, tradiderant communiter Patres et Justinus in apologia 2, dicens : *Hoc alimentum apud nos vocatur Eucharistia.* Tertullian. lib. *de resurrect, carnis*, ait : Caro Justin. Tertull. « corpore, et sanguine Christi vescitur, et Joan. 6. « anima saginatur. » Quin ipse Christus Dominus dixit Joan. 6 : *Panis, quem ego dabo, caro mea est.*

Confirmatio 2. Confirmatur secundo ex Concilio Tridentino sess. 13, cap. 5, ubi docet, quod Eucharistiæ sacramento debetur adoratio latriæ : atqui talis adoratio non debetur solis speciebus in recto sumptis ; siquidem ita acceptæ non important in recto aliquid divinum : ergo sacramentum Eucharistiæ importat in recto corpus Christi, quod propter unionem ad personam Verbi dignum est tali adoratione. Et hanc esse Concil. Trident. mentem Concilii ex eo magis liquet, quod postquam cap. relato dixit Eucharistiam adorandam esse adoratione latriæ, postea can. 6, quasi se explicans addidit Christum in Eucharistia existentem esse adorandum cultu latriæ : quod non obscure denotat Concilium in priori loco Eucharistiæ nomine intellexisse ipsum Christum : ergo Christi corpus si non constituit adæquate Eucharistiæ sacramentum, ut § 1 statuimus, intrat tamen per modum partis in recto essentialem ejus, et adæquatam constitutionem.

Satisfit argumento. 33. Respondetur nec argumentum, nec confirmationes afferre ullum testimonium, quod formaliter asserat Eucharistiæ sacramentum componi sicut ex partibus in recto ex speciebus, et corpore Domini : sed id per varias consequentias ab Adversariis deduci, quæ tamen illegitimæ sunt, ut statim videbimus. Asserunt quidem Patres, et Concilia hanc esse peculiarem dignitatem hujus sacramenti, quod vere, et realiter continet Christum, atque in hoc supereminere cæteris sacramentis, quæ mere symbola sunt. Idque sufficiebat ad intentionem Patrum, et Conciliorum refellentium hæresim contrariam, et asserentem Christum in Eucharistia solum esse repræsentative sicut in symbolo, aut sacramento. Sed quod Christi corpus sit pars essentialis, et in recto constituens sacramentum in esse sacramenti, minime ab illis intendebatur, nec assertum est : ut enim, inquit Arauxo ubi supra, non curarunt de his metaphysicis rerum constitutionibus, sed intenderunt catholicam illam veritatem, quod Christus existit vere, et realiter in Eucharistia. Unde ad argumentum respondetur concedendo majorem, et negando minorem : quia præter compositionem ex partibus essentialibus intrantibus in recto, et constituentibus compositum, dantur plures alii modi compositionis, sive conjunctionis magis, aut minus stricti, utputa ex continenti, et contento, ex re, et virtute, qua agit, et alii similes. Unde ex eo, quod Patres dixerint sacramentum Eucharistiæ constare speciebus, et corpore Christi, minus recte colligitur modus determinatus, quod tale sacramentum illis constet, aut constituatur tanquam partibus essentialibus atque in recto constituentibus sacramentum in esse sacramenti. Et quod id non intendant, nec asserant constat ex dictis § præced. Quinimo allata illorum Patrum testimonia in opponentes sunt regerenda : nam significant, quod sicut Christus constat duabus rebus, cœlesti et humana, nempe persona Verbi, et humanitate, sic etiam Eucharistia constat duabus rebus, cœlesti, et terrestri, nimirum corpore Christi, et speciebus panis. At licet Christus constet, et componatur ex illis, non tamen sicut ex partibus, sed unum importat in recto, et aliud in obliquo, ut constat ex dictis tract. 21, disp. 3, num. 52. Similiter significant, quod sicut nos compositi sumus, ita Eucharistia debet esse composita. Certum autem est non omnem in nobis compositionem esse ex partibus in recto : datur enim compositio ex supposito, et natura ; et concreta substantialia non supponunt in recto pro natura ; sed pro supposito, connotando naturam, seu formam ut diximus in eodem tract. disp. 1, num. 211, et num. 223. Sicut igitur Patres in illis exemplis non supponunt compositionem ex partibus, quæ in recto importentur in toto, ipsumve constituant : sic etiam non intendunt, quod sacramentum Eucharistiæ sit compositum ex corpore, et speciebus sicut ex partibus essentialibus, quæ ipsum in recto constituant.

Retorquetur argumentum. (margin note beside the lines "dictis § præced. … regerenda")

Solvitur 1 confirmatio. Ad primam confirmationem negamus consequentiam : nam aliud est, quod corpus Christi sit cibus spiritualis animæ in sacramento ; et aliud quod sit cibus spiritualis animæ ut sacramentum, vel tanquam pars essentialis, et in recto sacramenti. Primum quidem verum est, et assertum a Conciliis, et Patribus ; sed ex illo inepte colligitur secundum. Nam ad primum sufficit, quod corpus Christi in sacramento existens influat gratiam in anima, et sit præcipua virtus talis sacramenti: quod vere habet, et propterea merito dicitur cibus animæ. Sed ad secundum requirebatur, quod corpus Christi esset signum visibile gratiæ causatæ, et quod haberet visibilitatem saltem ab speciebus : id vero minime habet, ut ostendimus a num. 27, quare nec est sacramentum, nec pars sacramenti in recto. Quod vero corpus Christi dicatur cibus spiritualis animæ, et quod esse cibum spiritualem etiam prædicetur de Eucharistia, licet corpus Christi pars Eucharistiæ non sit, nulla est contradictio: nam vere, et sacramentum Eucharistiæ, et corpus Christi in eo contentum causant gratiam cibantem, et nutrientem : sed tamen aliter, et aliter. Eucharistia ut sacramentum; corpus Christi ut virtus sacramenti : Eucharistia ut instrumentum separatum ; corpus Christi ut instrumentum divinitati conjunctum : Eucharistia ut signum visibile ; corpus Christi ut res latens. Sed tamen quamvis diversis his modis eandem gratiam cibantem efficiunt in anima : et propterea communi vocabulo dicuntur cibus spiritualis.

Diruitur secunda. Ad secundam confirmationem patet ex dictis num. 28, quod ut Eucharistiæ sacramento deferri possit, debeaturque adoratio latriæ, non est necessarium, quod importet in recto corpus Christi tanquam sui partem ; sed sufficit, quod illud realiter includat : sicut ad hoc, quod corpus Christi (nec id negabunt Adversarii) sit adorabile cultu latriæ, non est necessarium quod importet divinitatem in recto, et multo minus, quod illam dicat ut intrinsecam sui partem; sed satis est esse corpus assumptum a Verbo, quod connotet in obliquo, ipsique sit vere unitum. Et idem proportionabiliter contingit in Eucharistia : nam adorando Christum adoramus, et corpus ejus, et Eucharistiam, sive sacramentum, in quo vere est. Quod autem additur in hac confirmatione, non plus evincit : nam Concilium in eo canone assignavit objectum per se adorabile ; et quod est objectum *quo*, sive motivum, ut sacramentum Eucharistiæ adoretur cultu latriæ. Quod quidem est Christus, sive corpus Christi in Eucharistia contentum. Inde vero minime sequitur corpus Christi esse Eucharistiam, aut partem sacramenti; sed sufficit esse rem in sacramento contentam. Sicut enim ex eo, quod corpus Christi sit virtus hujus sacramenti, ut nos nutriat, non sequitur esse ipsum sacramentum, vel partem ejus, sed magis infertur oppositum : sic etiam ex eo, quod corpus Christi sit objectum *quo* motivum, ut sacramentum colamus, non sequitur esse sacramentum, aut ejus partem.

34. Arguitur secundo : nam ita proportionabiliter se habet corpus Christi sub accidentibus panis ad constituendum hoc sacramentum, sicut se habet substantia panis sub eisdem accidentibus ad constituendum alimentum corporale ; siquidem istud sacramentum institutum est per modum alimenti, et cum analogia ad cibum corporalem : sed substantia panis in naturalibus intrat in recto rationem alimenti: ergo corpus Christi sub speciebus intrat etiam in recto rationem sacramenti, sive cibi spiritualis. Secundum argumentum.

Respondetur vel negando majorem, vel ea, et minori concessis, negando consequentiam. Et totum argumentum dilui debet ab Adversariis : nam si quid valet, evincit corpus Christi sub speciebus esse adæquatum Eucharistiæ sacramentum, ita ut species sacramentales vix, aut nullo modo nomen sacramenti vel partialiter mereantur : quod tamen illi minime docent. Id vero ex argumento inferri satis liquet : nam substantia panis est in naturalibus totum alimentum, et quod in substantiam aliti convertitur, depulsis accidentibus, sive in alitum non transeuntibus. Disparitas itaque inter illud alimentum, et rem præsentem assignari ab omnibus debet : et communiter ea assignatur, quod in naturalibus substantia alimenti convertitur in manducantem : sed in hoc sacramento manducans convertitur in cibum spiritualem, qui est Christus, dum trahitur ad ejus imitationem per gratiam. Sed (quod nostra refert,) differentia inter alimentum corporale, et alimentum Eucharistiæ, de quo agimus, stat in eo, quod alimentum Solutio.

mentum corporale institutum est, ut nutriat, ad quod de materiale se habet quod lateat, aut non sub accidentibus. Sed alimentum Eucharistiæ institutum est, ut alimentum sacramentale, de cujus ratione est esse pro sua materia signum sensibile : sicut id etiam est de ratione cujuscumque sacramenti. Et quia species id proprie habent, sunt proprie alimentum, seu cibus animæ per modum sacramenti. Sed corpus Christi licet cibus spiritualis sit, et animam nutriat; quia tamen nec per se, et immediate, nec per species, et mediate, habet esse signum sensibile: propterea nec adæquate, nec inadæquate habet rationem sacramenti, vel alimenti sacramentalis : sed est cibus latens in sacramento. Et hoc tantum probat argumentum ex proportione ad naturalia desumptum : evincit enim corpus Christi ibi existens habere rationem spiritualis alimenti ; non autem alimenti sacramentalis, sive per modum sacramenti, et signi visibilis.

Tertium argumentum. 35. Arguitur tertio: nam ideo corpus Christi in Eucharistia non esset pars essentialis, et in recto hujus sacramenti, quia corpus Christi non est signum sensibile, vel quia corpus est res, et sacramentum simul: sed hæc motiva sunt nulla : ergo corpus Christi in Eucharistia est pars essentialis, et in recto prædicti sacramenti. Probatur minor : quia contritio ex una parte non est signum sensibile, et ex alia parte est res, et sacramentum simul in pœnitentia : quibus non obstantibus, est vera pars essentialis, et in recto prædicti sacramenti : ergo idem dici potest, et debet de corpore Christi respectu sacramenti Eucharistiæ.

Responsio. Respondemus motiva, ob quæ negamus corpus Christi esse partem in recto sacramenti Eucharistiæ, proposita jam esse toto § præced. Juxta quæ, et doctrinam ibi traditam, permissa majori, negamus minorem. Ad cujus probationem, omittendo præmissas, negamus consequentiam. Et ratio disparitatis constat ex dictis loco citato : nam contritio, licet non sit sensibilis immediate, et in se, fit tamen sensibilis manifestata per confessionem sicut per effectum : deinde habet rationes valde differentes, ut secundum unam sit pars sacramenti tantum, et secundum aliam sit res, et sacramentum simul : unde nihil impedit, quod dicatur, et sit vera pars essentialis sacramenti pœnitentiæ. Oppositum autem contingit in corpore Christi : nam prout in Eucharistia existens nec est sensibile per se, et immediate, nec fit sensibile mediate, seu per species : et deinde secundum quamcumque rationem, secundum quam posset concipi pars sacramenti tantum, est de facto res, et sacramentum simul : quocirca nequit esse pars essentialis sacramenti pœnitentiæ. Quare motiva proposita licet non probent ex vi formæ, et habitudinis terminorum ; probant tamen juxta qualitatem præsentis materiæ, cui applicantur. Et in hoc sensu diximus permittendam esse majorem.

36. Arguitur quarto : quia ex speciebus, et corpore Christi fit aliquod compositum sive aggregatum habens ineffabilem quandam unitatem : sed hujusmodi compositum non est aliud, quam Eucharistia, sive sacramentum Eucharistiæ : ergo hujusmodi sacramentum supponit pro illo composito, sive aggregato : atque importat species, et corpus Christi tanquam sui partes essentiales, et in recto. Confirmatur, et declaratur amplius : nam illud compositum, sive aggregatum est signum practicum gratiæ cibantis, et sanctificantis nos : ergo est verum sacramentum. Probatur antecedens : quia nec corpus Christi sine speciebus esset signum ; nec species sine corpore essent signum practicum, sive causativum gratiæ cibantis : e contra vero dum species habent a corpore Christi virtutem causandi, et corpus habet ab speciebus esse sensibile, sive sacramentale ; resultat unum signum practicum causativum gratiæ : ergo prædictum aggregatum est signum practicum gratiæ cibantis. Quartum argumentum. Confirmatio.

Ad argumentum respondetur negando minorem : quia ut illud aggregatum, quod resultat ex speciebus, et corpore Christi, esset sacramentum, deberet resultare, et componi in ratione signi sensibilis; siquidem sacramentum sub hoc genere constituitur. Aliter autem res se habet : nam in eo aggregato solæ species sunt signum sensibile : et propterea illæ solæ in recto habent rationem sacramenti tantum, et istud pro illis supponit. Prædictum autem aggregatum, qualemcumque unitatem habeat, potest dici Eucharistia : quatenus hæc vox complectitur non solum sacramentum tantum, sed etiam rem, et sacramentum simul, quin et rem tantum sacramenti : ma- Solvitur argumentum.

gis enim extenditur nomen Eucharistiæ, quam nomen *sacramenti tantum* in Eucharistia. Potestque totius argumenti debilitas manifestari, si rei simili applicetur in hac forma : In baptismo v. g. ex ablutione, et charactere : sive ex sacramento tantum, et re simul et sacramento resultat aliquod aggregatum, sive compositum : hujusmodi autem compositum , quod resultat, nequit aliud esse, quam sacramentum baptismi : ergo istud sacramentum supponit pro illo composito, et importat characterem tanquam essentialem sui partem in recto. Quod tamen est omnino falsum, et a nemine assertum. Quare recognoscere oportet compositum illud non esse determinate sacramentum tantum, sed aliquid magis extensum, quod ambit et id, quod est sacramentum tantum, et id, quod est res simul, et sacramentum, Idem itaque probat propositum argumentum, et eodem modo diluendum est.

Diruitur confirmatio. Unde etiam patet ad confirmationem : nam illud aggregatum non habet rationem signi practici, nisi secundum species : corpus enim Christi in Eucharistia non habet rationem signi ; siquidem nec per se, nec per species est quid sensibile, quod speciem sensibus ingerat, ut supra ostendimus. Et in hoc sensu negamus antecedens. Ad cujus probationem dicendum est, quod licet species illæ juxta præsentem institutionem non essent signum practicum gratiæ cibantis, nisi ibidem adesset corpus Christi ; non inde sequitur, quod istud in recto, et per modum partis essentialis pertineat ad rationem signi practici, sive sacramenti tantum : sed sufficit, quod species illud connotent in obliquo. Sicut de facto cætera sacramenta nostra non essent signa practica gratiæ singulis correspondentis, nisi haberent virtutem illam producendi : et nihilominus talis virtus non pertinet in recto, et per modum partis essentialis ad intrinsecam signi practici, aut sacramenti tantum constitutionem : sed illam virtutem important sacramenta in obliquo, et de connotato. Et hoc ipsum dicendum est de corpore Christi comparative ad signum practicum, quod est Eucharistia : præsertim cum prædictum corpus se habeat per modum virtutis ad hujusmodi sacramentum, ut *num.* 26, vidimus ex Divo Thoma.

37. Arguitur quinto : nam illud est sacramentum Eucharistiæ, quod fit per verba consecrationis : sed per hujusmodi verba non fit corpus Christi secundum se, nec fiunt species secundum se : siquidem hæc omnia supponuntur facta, et existentia antecedenter ad consecrationem : fit autem compositum, et aggregatum ex corpore Christi, et speciebus : ergo hoc aggregatum, sive compositum est sacramentum Eucharistiæ : atque ideo tam corpus Christi, quam species intrant in recto, et per modum partium hujus sacramenti constitutionem. Confirmatur : quia materia Sacramenti Eucharistiæ est panis, et vinum : atqui panis, et vinum non sunt materia specierum ; bene autem compositi, sive aggregati ex corpore Christi,et speciebus : ergo hujusmodi aggregatum est sacramentum Eucharistiæ.Probatur minor: quia panis, et vinum non convertuntur in species, sed in corpus Christi : ergo non sunt materia Eucharistiæ quantum ad species, sed quantum ad corpus Christi. Quintum argumentum. Confirmatio.

Ad argumentum respondetur concedendo majorem intellectam de eo, quod per consecrationem fit signum sensibile significans gratiam cibantem : sed negari debet, si intelligatur de quocumque, quod per consecrationem fiat, si non sit signum sensibile : quoniam sacramentum debet esse determinate hujusmodi signum. Sed in prædicto sensu minor est falsa, et negari debet : quia per consecrationem licet non fiant species in esse rei ; fiunt tamen in ratione signi sensibilis determinati per verba ad significandum gratiam cibantem. E contra vero quamvis per consecrationem fiat illud aggregatum ex corpore Christi, et speciebus ; nihilominus illud aggregatum non fit signum sensibile adæquate,sive quoad utramque sui partem; aut quasi partem; sed tantum quoad species : corpus enim Christi nec per se, nec per species habet rationem signi sensibilis, ut ostendimus § præced. Unde cum de ratione *sacramenti tantum* sit esse signum sensibile, sequitur in illo aggregato, quod per consecrationem fit, solas species esse sacramentum tantum, secus autem corpus Christi. Juxta quam doctrinam, distinguendo præmissas, neganda est absolute consequentia. Confirmatio, si quid valeret, probaret sacramentum Eucharistiæ nec inadæquate consistere in speciebus, sed unice in solo corpore Christi connotando species; siquidem, ut intendit, Dispelluntur.

dit, panis, et vinum non sunt materia specierum, sed solius corporis Christi : consequens autem falsum est, et a nobis rejectum 1, et non admittitur ab Auctoribus hujus sententiæ. Quare et ipsi debent confirmationem diluere. Nos respondemus negando minorem : quia licet panis,et vinum non sint materia, ex qua species fiant absolute, et in esse entis; sunt tamen materia,ex qua fiunt continentes corpus Christi, et signum repræsentans gratiam cibantem. Quamvis autem ex eisdem pane, et vino fiat corpus Christi ; nihilominus non fit signum sensibile : quod tamen requirebatur, ut esset sacramentum tantum, vel pars ejus. Et hinc satis constat ad minoris probationem.

Sextum argumentum. 38. Arguitur sexto : nam illud, a quo sacramentum Eucharistiæ habet esse unum numero, nequit non pertinere in recto ad talis sacramenti constitutionem ; siquidem unitas consequitur esse rei : sed sacramentum Eucharistiæ habet unitatem numericam a corpore Christi : ergo corpus Christi pertinet in recto ad sacramenti Eucharistiæ constitutionem : et subinde comparari debet saltem per modum partis ad tale sacramentum. Probatur minor ; nam quando aliquis suscipit simul plures hostias, aut particulas consecratas, non suscipit nisi unicum numero sacramentum Eucharistiæ: id autem non aliunde provenire valet, nisi quia tale sacramentum habet unitatem numericam a corpore Christi, quod in omnibus illis particulis est idem numero, licet illæ particulæ plures numero sint : ergo Eucharistiæ sacramentum habet unitatem numericam a corpore Christi.

Evertitur. Ad hoc argumentum constabit ex dicendis *dub.* 4, ubi explicabimus, unde unitas numerica sacramenti Eucharistiæ desumatur. Modo autem retorquetur in opponentes sub eadem fere forma, quæ manifestet unitatem numericam sacramenti Eucharistiæ desumi non a corpore Christi sub speciebus contentam, sed ab ipsis speciebus continentibus : etenim plures fideles in diversis locis, aut temporibus communicantes recipiunt Sacramenta Eucharistiæ numero distincta, ut docet sententia communis : sed prædicta sacramentorum distinctio nequit desumi a corpore Christi; siquidem omnes fideles recipiunt idem numero Christi corpus, quippe quod tam in cœlo, quam in sacramento, et ubilibet est idem numero : e contra vero species sacramentales numero multiplicantur : ergo signum est, quod unitas numerica sacramenti Eucharistiæ non desumitur a corpore Christi, sed ab speciebus : idem enim debet esse principium constitutivum, et distinctivum. Et hoc supposito, ad argumentum respondetur negando minorem. Et ad ejus probationem iterum neganda est minor : quia licet unitas numerica Eucharistiæ desumatur ab speciebus in recto, sicut et essentia, et distinctio; nihilominus non desumitur ab speciebus materialiter sumptis; seb ab eisdem ut constituunt unam, vel plures numero refectiones : ubi autem quis simul sumit plures hostias, istæ licet distinctæ materialiter, et in esse rei, non constituunt nisi unicam refectionem,quippe quæ sumuntur per modum unius : et ideo quamvis fidelis sumat plures hostias, non suscipit plura numero sacramenta Eucharistiæ, sed unum præcise numero. Sicut e converso ubi plures numero hostiæ recipiuntur vel a pluribus, vel in diversis locis, et temporibus; dantur et recipiuntur plura numero Eucharistiæ sacramenta ; quia dantur plura convivia, et plures numero refectiones. Et hinc etiam fit plures hostias existentes in uno sacrario, et per modum unius esse unum numero Eucharistiæ sacramentum : hostias vero existentes in diversis locis esse plura sacramenta Eucharistiæ numero distincta. Quæ doctrina potest explicari exemplo loci, qui quamvis consistat in ultima superficie corporis continentis ; quia tamen non consistit in hac continentia, materialiter accepta, sed quatenus simul importat relationem distantiæ ad polos mundi : propterea ubi retinetur eadem distantia, licet superficies corporis continentis materialiter varientur, et fluant; perseverat formaliter idem locus, ut patet in saxo existente in aquis fluentibus: e converso autem ubi distantia variatur, licet superficies ambiens conservetur, variatur numero locus, ut constat in aqua locata in vase, ubi istud movetur. De quo videri possunt N. Complutenses abbrev. *in Physic.* disp. 19, quest. 2. Ad hunc igitur modum quamvis sacramentum Eucharistiæ consistat in speciebus, ab illisque mutuetur numericam unitatem : fieri potest, quod tales species sint aliquando unum numero sacramentum, et aliquando plura numero sacramenta, ob respectum scilicet jam insinuatum,quem addunt supra se materialiter N. Comp.

acceptas. Sed accuratior hujus rei explicatio remittenda est ad dub. 4.

Diffinitio sacramenti Eucharistiæ. 39. Ex dictis facile colligemus diffinitionem aptam sacramenti Eucharistiæ, si tamen prius recolamus ex dictis *Tract. præced. disput.* 1, *num.*53 *et* 60, *et* 61, quod sacramenta (sicut et alia concreta accidentalia) possunt dupliciter diffiniri : uno modo metaphysice, constituendo scilicet loco generis gradum superiorem, qui est vere genus ad ipsa, et addendo propriam differentiam sub illo genere : altero modo physice, nempe constituendo loco generis materiam, in qua consistunt, et pro qua supponunt, et addendo loco differentiæ formam, vel effectum formalem in obliquo. Sic baptismus, si diffiniatur diffinitione metaphysica, dicitur : *Signum rei sacræ regenerantis nos :* ubi loco generis ponitur signum, quod vere est genus ad omnia sacramenta, ut diximus Tract. præcedent. disput. 1, dub. 1, et 4, et loco differentiæ collocantur aliæ particulæ, per quas ratio generica signi trahitur ad particulare signum, et in ordine ad speciale signatum, quod est gratia regenerans. Si vero diffiniatur diffinitione physica, dicitur: « Ablutio facta sub certa verborum forma, « nempe, Ego te baptizo, etc. » ubi ablutio ponitur loco generis, quia est materia, in qua tale sacramentum consistit, et pro qua supponit:aliæ vero particulæ constituuntur loco differentiæ, quia designant formam, per quam ablutio ultimo determinatur ad significationem sacramentalem.Juxta hanc igitur doctrinam sacramentum Eucharistiæ diffinitur diffinitione metaphysica, *Signum rei sacræ cibantis nos :* ubi signum habet rationem generis ; et ordo ad peculiare illud signatum habet rationem differentiæ. Diffinitur autem diffinitione physica, « Species panis, et vini sub præscripta « verborum forma, nempe, hoc est corpus « meum etc., » ubi species ponuntur loco generis, et designant materiam, in qua consistit sacramentum Eucharistiæ, et pro qua supponit : aliæ autem particulæ adduntur loco differentiæ, quia circumscribunt formam, per quam species determinantur ad significationem sacramentalem continendi corpus Christi, et gratiam cibantem, et ex qua habent esse complete sacramentum. Nec id eget majori explicatione, supposita generali doctrina, quam agentes de sacramentis in genere tradidimus locis relatis.

DUBIUM III.

Utrum sacramentum Eucharistiæ sit unum in specie atoma ?

Unitas consequitur esse rei: et ideo postquam assignavimus essentiam Eucharistiæ, congruum est, ut describamus ejus unitatem. Supponunt autem omnes istud sacramentum esse aliquomodo unum : tum quia ita communiter appellatur : tum quia continet Christum, qui est idem in omnibus Eucharistiæ speciebus: tum quia Eucharistia est unum signum unitatis inter fideles. Sed tamen occurrit difficultas circa modum unitatis, an scilicet sacramentum sit unum unitate specifica infima, an vero sit unum unitate præcise generica, sive specifica subalterna. Et motivum difficultatis est, quod istud sacramentum importat ex una parte species panis, continentes corpus Christi in ratione cibi spiritualis, et ex alia parte species vini, continentes sanguinem Christi per modum spiritualis potus : quæ rationes, et significationes sunt satis differentes, et videntur aptæ ad constituendum diversa specifice sacramenta ; quamvis ex illis resultet unum sacramentum genere. Sed his non obstantibus.

§ I.

Asseritur vera, et communis sententia.

40. Dicendum est sacramentum Eucharistiæ esse unum in specie atoma sacramentum. Ita D. Thom. in hac quæst. art. 2, ubi in fine corporis ait : « Hoc sacra« mentum multa quidem est materialiter, « sed unum formaliter, et perfective. » Et in resp. ad 1, inquit : « Hoc sacramentum « quodammodo est multa, simpliciter au« tem unum, » Et idem docet in 4, dist. 8, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 2. Cum D. Thom. sentiunt communiter omnes Scholastici, et Theologi, ut superfluum appareat eos in particulari referre. Sed quia non infimum hujus assertionis fundamentum est, quod ab isto communi consensu desumitur, aliquos dabimus. Sic ergo sentiunt D. Bonaventura, Alexander, Scotus, Richardus, Durandus, Capreolus, Paludanus, Marsilius, Basolis, Sotus, Ledesma, Valencia, Suarez, Vazquez, Coninckus, Becanus, Pesantius, Conclusio. D. Tho. Plurimi relati a Dicastillo.

Pesantius, Nugnus Pytigianus, Toletus, Bellarminus, Victoria, Reginaldus, Angles, Chamerota, Layman, Bonacina, et Lugos, quos productis eorum locis refert, et sequitur Dicastillo disp. 1, dub. 3, num. 54. Quibus addimus Cajetanum in hoc art. 2. Arauxo ibi, dub. 1, num. 45. Kelisonum dub. 1. Sylvium art. 2. Joannem a S. Thoma disp. 26, art. 3. Innocentium III, lib. 4 *Mysteriorum Missæ cap.* 34. Henaum disp. 2, sect. 1. Pradum quæst. 73, dub. 4. Aversam quæst. 1, sect. 3. Bonæ-Spei disp. 1, dub. 3. N. Cornexum art. 2, disp. 1, dub. 1. N. Philippum disp. 1, dub. 7. N. Gabrielem disp. 2, quæst. 3. N. Franciscum cap. 2, punct. 1. Labat disp. 4, dub. 2. Contensonium dissert. 2, cap. 1, speculat. 2. Estque adeo communis hæc sententia, ut Catechismus Pii V, significaverit habere pro se totius Ecclesiæ aucturitatem; sic enim ait num. 10, de Eucharistia : « Licet « autem duo sint elementa, panis scilicet, « et vinum, ex quibus integrum Eucharis- « tiæ sacramentum conficitur; non tamen « plura sacramenta, sed unum tantum esse, « Ecclesiæ authoritate docti confitemur. »

(Cajet. Arauxo. Kelison. Sylvius. Joan. a S. Tho. Innoc. III. Henao. Prado. Aversa. Bonæ Spei. F. Corn. F. Phil. F. Gab. F. Fran. Labat. Contes. Catechismus Pii V.)

Fundamentum. Probatur primo : quia Ecclesiæ sacramenta sunt septem, et non plura, nec pauciora : sed si sacramentum Eucharistiæ non esset unum in specie infima, darentur plura sacramenta, quam septem : ergo fateri oportet, quod sacramentum Eucharistiæ est unum in specie infima, sive athoma. Minor probatur : quia si sacramentum Eucharistiæ non esset unum unitate specifica atoma; darentur duo sacramenta Eucharistiæ specie diversa, nempe sacramentum in specie panis, et sacramentum in specie vini : quæ duo sacramenta aliis sex adjuncta septenarium numerum plane excederent. Major autem constat ex Concilio Florentino *in decretò Eugenii*, et evidentius adhuc ex Concilio Trident. sess. 7, can. 1, ubi statuit : « Si quis dixe- « rit sacramenta novæ legis non fuisse om- « nia a Jesu Christo domino nostro insti- « tuta ; aut esse plura, aut pauciora, « quam septem, baptismum, confirmatio- « nem, Eucharistiam etc. anathema sit. » De quo videri possunt, quæ diximus tract. præced. disp. 9, dub. 1.

(Concil. Trident.)

Evasio. 41. Nec momenti erit, si dicatur non esse hactenus ab Ecclesia diffinitum, quod septem illa sunt talia in specie infima, et sub se non admittant species inferiores, in quas dividantur, et ex quibus integrentur, ut observavimus loco cit. num. 12. Unde probabile est sacramentum Ordinis non esse unum sacramentum in specie infima, sed integrari ex pluribus sacramentis Ordinis specie diversis. Sic igitur ex eo, quod sacramenta Ecclesiæ sint septem, ut concilia docent; minime colligi potest sacramentum Eucharistiæ esse unum unitate specifica, infima, sive athoma : sed satis est, si dicatur unum unitate specifica subalterna.

Impugnatur. Id, inquam, non satisfacit : quoniam licet non sit immediate de fide sacramenta Ecclesiæ esse septem in specie infima, nec opposita doctrina sit hæresis : nihilominus longe probabilius, et quasi certum est Concilia in recensendo numerum sacramentorum attendisse ad atomas illorum species, sive essentias. Nisi enim id asseramus, vana redditur eorum diffinitio, et quæ nihil certi stabiliat; sed aditum relinquat, ut quis plura, vel pauciora sacramenta Ecclesiæ assignet. Qua enim licentia dicitur sacramentum Eucharistiæ dividi in duo Eucharistiæ sacramenta, quæ tamen dicuntur unum sacramentum, quia sub illo continentur sicut sub genere, aut specie subalterna : quippe quæ ordinantur ad unum adæquatum nutritionis spiritualis finem : eadem etiam licentia dicere poterit non dari in Ecclesia nisi duo sacramenta, unum scilicet mortuorum, et aliud vivorum : et quod sacramentum mortuorum continet sub se baptismum, et pœnitentiam, quæ ordinantur ad finem adæquatum restituendi vitam gratiæ : sacramentum autem vivorum continet sub se alia quinque sacramenta, quæ ordinantur ad finem adæquatum fovendi, et conservandi talem vitam. Præterea, qui affirmat non omnia sacramenta Ecclesiæ esse species infimas, sed eorum aliqua esse species subalternas, obligatur necessario fateri sacramenta Ecclesiæ esse plura, quam septem : ergo evasio illa non bene, nec satis cohæret cum doctrina Concilii. Ulterius, non recte fit specierum dinumeratio, ubi aliquæ sunt infimæ, et aliæ subalternæ, ut si quis diceret hominem, leonem, et piscem esse tria, cum sub pisce sicut sub specie subalterna plures species infimæ contineantur : sed certum est aliquas species a Concilio dinumeratas esse infimas, ut patet in pœnitentia, confirmatione, et matrimonio : ergo minime cen-

sendum est, quod aliqua illa species v. g. Eucharistia sit species præcise subalterna, alias continens sub se : ex opposito enim fieret Concilium satis obscure, et lubrice processisse. Denique, ut admitteremus quod hæc responsio intendit, occurrere oporteret grave aliquod motivum cogens ad prædictam expositionem, atque exceptionem : at nihil hujusmodi occurrit ; cum potius videamus communem Doctorum sententiam esse, quod Eucharistia est unum sacramentum in specie infima, ut constat ex allegatis num. præced. ergo absque fundamento diceretur sacramenta a Concilio assignata non habere unitatem in specie infima : nec id dicere apparet prorsus securum, et immune ab omni temeritate.

Evasionis motivum diruitur. Quod autem dicitur de sacramento Ordinis, nihil refert : nam istud etiam sacramentum est unum in specie infima, et sub se non continet plura sacramenta Ordinis specie infima, et adæquate diversa : omnes enim ordines ordinantur ad unum finem, nempe ad sacrificium ; et solum important diversos gradus magis, et minus perfectos in ordine ad talem finem : sicut etiam in homine dantur diversi gradus perfectionis, qui tamen non constituunt diversas species, sed consummantur statu, et ætate virili. Quare Subdiaconatus, Diaconatus, et Sacerdotium sunt præcise species incompletæ, et inadæquatæ ordinis, quæ se habent de materiali ad constituendum unam simpliciter, et perfecte speciem infimam sacramenti ordinis. Et idem proportionabiliter dicimus de partibus Eucharistiæ. Sic autem discurrendo salvamus cum omni proprietate, et sinceritate diffinitiones Conciliorum, quæ numerum nostrorum sacramentorum assignant : quod minime faciunt alii ad species præcise subalternas recurrentes, ut proxime ostendimus. Unde liquet communem sententiam magnam ab hac parte, et incomparabiliter præ alia majorem auctoritatem habere.

Alia ratio ex D. Thom. 42. Deinde probatur ratione D. Thom. quæ optima est, et simul diluit motiva contraria : nam ideo Eucharistia in specie panis, et Eucharistia in specie vini constituerent duo sacramenta Eucharistiæ in specie infima distincta ; quia important illas diversas species, adjuncta etiam diversitate formarum, seu consecrationum : sed hæc ratio est nulla : ergo sacramentum Eucharistiæ non dividitur in duas species infimas adæquatas, sed est unum adæquatum sacramentum in specie atoma. Probatur minor : quia imaginari non debemus, quod sacramenta habeant unitatem ad modum naturalium, sed ad modum artefactorum ; quippe quæ entia naturalia non sunt, sed quædam artefacta in ratione signi. Ubi autem artefactum ordinatur ad unum finem adæquatum, est in sua linea simpliciter unum ; quamvis constet pluribus partibus in esse rei differentibus : sic enim domus, licet habeat ligna, lapides, et arenam ; et licet constet fundamento, et tecto ; et quamvis in ea sint plures aulæ, atque cubicula, dicitur, et est una simpliciter domus : quia scilicet omnia hæc ut ad domum pertinent, ordinantur ad unum finem adæquatum habitationis. Porro sacramentum Eucharistiæ ordinatur ad spiritualem animæ refectionem, quæ corporali proportionatur, ut sæpe in superioribus diximus. Quare sicut in refectione corporali duo requiruntur, nempe cibus, qui est alimentum siccum, et potus, qui est alimentum humidum, et ex his integratur adæquata corporalis refectio : sic in ista spirituali refectione concurrunt spiritualis cibus, et spiritualis potus in speciebus panis, et vini, juxta illud Christi Domini apud Joan. 6 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus :* et ex prædictis partibus constituitur integra refectio spiritualis. Ergo quod Eucharistia importet illas diversas species, adjuncta etiam diversitate formarum, minime probat Eucharistiam importare duo sacramenta specie distincta : sed tota illa diversitas se habet præsuppositive, et de materiali in ordine ad finem spiritualis refectionis, sicut in partibus domus contingit. Joann. 6.

Confirmatio. Confirmatur primo : quia sacramentum Eucharistiæ institutum est per modum convivii ad refectionem spiritualem, juxta quod canit Ecclesia : *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur* etc. sed convivium est unum in specie infima, licet constet cibo, et potu, ut patet in corporalibus : non enim dicimus, quod ubi adsunt cibus, et potus, dantur plura convivia, sed potius unum solum specie, sed etiam numero, quantum est ex vi hujus : ergo sacramentum Eucharistiæ licet constet specie cibi, et specie potus ; non propterea est multiplex specie sacramentum, sed unum potius

tius in specie infima per modum convivii.

Alia. Confirmatur secundo, et declaratur amplius : nam stat bene aliqua esse materialiter plura, et esse formaliter unum in ordine ad constituendum aliquod tertium per respectum ad determinatum finem : ergo stat bene, quod species panis, et vini sint plura materialiter, sive in esse rei, et quod nihilominus sint formaliter unum in ordine ad constituendum unum sacramentum Eucharistiæ in specie infima per respectum ad proprium hujus sacramenti finem. Antecedens est certum, et patet exemplo supra proposito partium domus, quæ sunt materialiter, et in esse rei valde diversæ, et tamen sunt formaliter unum in constituendo unam domum. Patet etiam in partibus integralibus hominis, capite, manibus, pedibus etc. quæ diversissimas figuras, et dispositiones habent in esse rei, et nihilominus sunt formaliter unum in constituendo unum totum integrale perfectum, et adæquatum in specie infima, nempe hominem. Patet præterea in unitatibus constituentibus numerum v. g. quinarium : differunt enim, et plures sunt in esse rei ; et nihilominus constituunt quinarium, qui est unus numerus in specie atoma. Patet denique vel in ipsis physicis; siquidem anima rationalis, et materia prima plurimum differunt in esse rei, si inter se comparentur · sed tamen illa diversitas de materiali se habet ad constituendum hominem ; cum homo ex illis partibus resultans sit simpliciter unus in specie infima. Fieri itaque potest plura esse materialiter plura, et tamen esse formaliter unum in ordine ad constituendum aliquod tertium, et per respectum ad determinatum finem. Consequentia vero patet a paritate : nam Eucharistia instituta est per modum convivii, et in ordine ad spiritualem refectionem : sed panis, et vinum, sive cibus, et potus, quamvis materialiter sint plura, tamen sunt unum formaliter in esse convivii, atque in ordine ad refectionem : quippe convivium integratur ex cibo, et potu ; atque integra etiam refectio coalescit ex utroque alimento : ergo licet ea, quæ in Eucharistia concurrunt, sint plura materialiter, et in esse rei ; nihilominus sunt formaliter unum ad constituendum integrum Eucharistiæ sacramentum per modum convivii ad spiritualem animæ refectionem. Unde videmus, quod licet Sacerdos sumat unam, et alteram speciem, nihilominus in collecta ad finem Missæ dicit in numero singulari : *Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam* etc. Quibus verbis satis denotat Ecclesia species panis, et vini non constituere plura sacramenta, sed unum integrum, et adæquatum.

43. Sed quamvis assertio nostra sit adeo communis, et certa, aliqua tamen circa ejus legitimam intelligentiam occurrunt, in quibus exponendis non ita convenit inter Theologos. Nam in primis cum tam sæpe dixerimus species panis, et vini esse formaliter unum, et idem integrum Eucharistiæ sacramentum ; dubitari potest, an prædictæ species non solum non constituant diversa sacramenta in specie infima, sed nec formaliter differant specie partiali in esse signi, et sacramenti, sed eorum distinctio etiam inadæquate sumpta sit mere materialis. Quod alii aliis terminis explicant, an scilicet prædictæ species, quæ integrant adæquatum Eucharistiæ sacramentum, sint partes homogeneæ, et ejusdem rationis, sicut partes ligni respectu ligni, an vero sint partres ethereogeneæ, et rationis diversæ, sicut materia, et anima comparantur ad hominem. Et prædictas partes non esse hetereogeneas, nec distingui specie partiali, sed esse homogeneas, et differre præcise materialiter, potest suaderi primo ex D. Thom. in præs. art. 2, ad 2 et 3, ubi aperte docet prædictas species esse materialiter diversas, et formaliter unum sacramentum : ergo ex ejus sententia non differunt specie adhuc partiali, et inadæquata in ratione signi, et sacramenti ; sed tota illorum distinctio, licet specifica, se habet de materiali, et in esse entis. Secundo, quia in una, et altera specie continetur idem Christus : utraque etiam species divisim sumpta causat gratiam ejusdem rationis, nempe cibantem, et per modum refectionis spiritualis : ergo illarum specierum diversitas est mere materialis, et non inducens ullam differentiam specificam adhuc partialem in ratione sacramenti. Quod motivum potest confirmari ex eo, quod D. Augustin. tract. 25, *in Joan.* et *Psalm.* 103, ad illa verba : *Panis cor hominis confirmet* observat, quod in spiritualibus fames, et sitis non distinguuntur, nec

Incidens quæstio.

Aliquorum opinio, et motiva.

D. Tho.

postulant diversas causas, ut extinguantur: nam desiderium animæ per famem, et sitim significatur, et alimentum etiam idem utrique respondet : ergo quod istud conferatur per speciem cibi, vel per speciem potus est omnino per accidens, et de materiali ad rationem alimenti spiritualis. Tertio, nam ea, quæ differunt in esse entis, queunt prorsus univocari in ratione sacramenti : ergo licet species panis, et species vini valde differant in esse rei, possunt ita convenire in ratione sacramenti, quod non differant adhuc vel specie partiali : ad eum plane modum, quo quamvis vinum album, et vinum rubeum differant specie in esse rei, nullo tamen modo differunt formaliter in esse vini consecrabilis. Et hunc dicendi modum amplectuntur Nugnus art. 2, difficult. unica ad 2. N. Cornejo loco cit. dub. 1 et 2, et quidam alii.

Nugnus. N. Corn.

Ejus opinionis corollaria.

44. Cujus sententiæ appendix est tum species panis, et species vini solum materialiter, et individualiter distingui inter se in ratione signi, et sacramenti sicut partes homogeneas. Tum totum Eucharistiæ sacramentum solum materialiter, et quasi extensive distingui a prædictis partibus divisim sumptis : sicut totum homogeneum distinguitur materialiter a partibus, ex quibus constat, ut patet in aqua, et ejus partibus, atque in ligno et ejus partibus : sunt enim hæc omnia ejusdem rationis essentialis, et totum solum distinguitur a qualibet parte materialiter habetque rationem individui magis completi, aut extensive perfecti. Unde ulterius infertur aliud consectarium, nempe quod sicut tota essentia aquæ salvatur essentialiter in qualibet ejus parte seorsim, et divisim accepta ; quia totum, et partes sunt ejusdem essentialis rationis, sicut generaliter in omnibus homogeneis contingit : ita etiam tota, et adæquata essentia sacramenti Eucharistiæ salvatur in qualibet specie vel panis, vel vini seorsim, et divisim sumpta : quia hujusmodi totum, et partes non differunt in ratione signi practici significantis spiritualem animæ refectionem, ut constat ex proxime dictis. Quod præter Auctores relatos tuetur Bellarmim. lib. 4, *de Eucharist.* c. 22. Dicastill. disp. 1, dub. 3, n. 65, et referri etiam solet Joan. Gonzal. in M. S. *de Eucharist.* disput. 2, sect. 1.

Bellarm. Dicastil.

Quod consectarium probari valet : tum quia ex opposito fieret laicos communicantes sub una tantum specie panis non suscipere verum Eucharistiæ sacramentum : consequens est falsum, et contra Concil. Trid. sess. 21, cap. 3, ubi dicitur : « Insuper declarat, quamvis Redemptor noster, « ut antea dictum est, in suprema illa « cœna hoc sacramentum in duabus spe- « ciebus instituerit, et Apostolis tradi- « derit : tamen fatendum esse etiam sub « altera tantum specie totum, atque inte- « grum Christum, verumque sacramen- « tum sumi : » ergo verum sacramentum, tum, quod in speciebus simul sumptis reperitur, adest etiam in qualibet specie seorsim accepta. Tum etiam quia quælibet prædictarum specierum habet rationem integri convivii, et causat integram refectionem spiritualem : nam species v. g. panis continet cibum per se et potum per concomitantiam, et communicat gratiam nutrientem sub utraque ratione: ergo quælibet earum seorsim etiam sumpta est totum essentialiter sacramentum. Tum præterea, quia sicut si una domus dividatur in duas domus, integra domus essentia salvatur in earum qualibet, eo quod unaquæque sufficit ad habitationem, quæ est finis domus : sic etiam licet integra Eucharistia dividatur in duas sui species; earum quælibet sive panis, sive vini est vere, et specifice Eucharistia : siquidem tam simul, quam divisim sunt signum repræsentans Christum præsentem, et præstant spiritualem refectionem, quæ est hujus sacramenti finis. Tum denique, quia nisi ita dicamus, cogimur assignare unam formam totalem totius sacramenti, distinctam ab illis, per quas singulæ species consecrantur : sic enim contingit, ubi totum, et partes, quibus constat, essentialiter distinguuntur : minime tamen talem formam totalem assignabimus quippe quæ non datur præter partiales, per quas sacrantur species.

Aliud pro ea opinione motivum.

Concil. Trident.

Præfertur sententia contraria.

45. Cæterum quamvis non negemus prædictos dicendi modos esse probabiles ; nihilominus longe probabiliores putamus esse contrarias sententias. Unde primo loco statuendum est contra primam : partes, sive species, ex quibus integratur sacramentum Eucharistiæ, differre specie partiali in esse signi, seu sacramenti, atque appellandas simpliciter esse partes hetereogeneas. Sic etiam sentiunt Caietanus in præs. art. 2, Granados, Henriquez, Alanus, Lugo

Cajetan. Granad.

Lugo, Bernal, et alii, quos refert, et sequitur Prado dub. 4, n. 14. Et probatur primo ex D. Tho. in 4, dist. 6, q. 1, art. 1, quæstiunc. 2 ad 2, ubi ait : « Cibatio spiritualis « non significatur perfecte neque per panis « tantum, neque per vini sumptionem, « sed per utrumque simul : sicut est in « significatione nominum compositorum. » In quibus manifestum est, voces simplices componentes nomen compositum esse signa partialia ethereogenea ; et quod tota ratio, sive significatio nominis compositi non salvatur in quolibet nominum simplicium, ex quibus constat, si seorsim accipiatur. Secundo probatur unica ratione fundamentali ex D. Thom. desumpta : quia species, sive essentia sacramenti Eucharistiæ est per modum convivii ordinati ad integram animæ refectionem : sed hujusmodi convivii ratio non salvatur in qualibet specie seorsim sumpta : ergo in qualibet specie seorsim sumpta non salvatur essentia specifica sacramenti Eucharistiæ. Probatur minor : quoniam species panis solum significat quandam partem convivii, nempe cibum, seu corpus Christi, et hoc modo reficit animam : similiter species vini solum significat alteram convivii partem, nimirum potum, sive sanguinem Christi, et prædicto modo reficit animam : ergo in neutra earum salvatur integra ratio convivii in ordine ad refectionem spiritualem. Unde facile colligitur tales partes non esse homogeneas vel inter se, vel cum toto sacramento : nam partes homogeneæ in ea linea, in qua tales sunt, important eandem specificam perfectionem, tam inter se, quam cum toto, ut patet in partibus aquæ, ligni, et similium : sed perfectio specifica sacramenti Eucharistiæ, videlicet per modum convivii non salvatur in specie panis seorsim sumpta, quæ solum habet rationem cibi ; nec salvatur in specie vini seorsim accepta, quæ solum habet rationem potus : et similiter propria ratio specifica speciei panis non salvatur in specie vini, aut e converso ; siquidem una se habet per modum cibi, et alia per modum potus : ergo prædictæ species non comparantur ut partes homogeneæ vel inter se, vel cum toto.

Prado. *D. Tho.* *Resolutionis ratio.*

Evasio. Nec valet dicere quamlibet istarum specierum continere integrum convivium ; siquidem sub specie panis non solum est corpus Christi, sed etiam ejus sanguis : et similiter sub specie vini continetur non solum sanguis Christi, sed ipsius etiam corpus : unde in qualibet earum continetur totus Christus, ut diffinit Concil. Trid. sess. 13, can. 3. Nam contra hoc est, quod licet de facto quælibet illarum specierum sit integrum convivium ex parte rei contentæ ; nihilominus non est integrum convivium in esse signi, et sacramenti. Species enim panis solum significat per se corpus Christi : quod vero contineat etiam ejus sanguinem, contingit per concomitantiam ob naturalem nexum quem de facto habent prædictæ partes in Christo. Et similiter species vini solum significat per se sanguinem Christi : et quod simul contineat ejus corpus, est per concomitantiam ob rationem jam insinuatam. Quocirca si in triduo mortis Christi consecrarentur prædictæ species ; in specie panis solum esset corpus Christi sine ejus sanguine, et in specie vini solum esset sanguis Christi absque ejus corpore. Retinerent autem tunc eandem specificam rationem signi, et sacramenti, quam nunc habent : hæc enim, supposita Christi institutione, est invariabilis. Id vero satis manifestat quamlibet prædictarum specierum seorsim sumptarum non repræsentare integrum convivium, sed quandam ejus partem nempe vel solum cibum, vel solum potum. Ergo in esse signi, et sacramenti non sunt ejusdem specificæ rationis vel inter se, vel cum toto.

Impugnatur.

Major impugnatio. Confirmatur, et explicatur amplius præmissus discursus : quoniam composita, et signa partialia habentia diversas materias, et diversas formas, et diversa significata, et diversos significandi modos, nequeunt non distingui specie partiali in esse signi, et sacramenti : sed ita comparantur species panis, et vini, ex quibus componitur, et integratur sacramentum Eucharistiæ : ergo prædictæ species distinguuntur specie partiali in esse signi, et sacramenti : ac perinde non comparantur inter se tanquam partes homogeneæ, sed ut etherogeneæ, et diversæ rationis specificæ. Cætera constant. Et minor ostenditur : nam in primis certum est tales species esse materias diversas, sicut certum est accidentia panis, et accidentia vini distingui. Deinde constituuntur, et determinantur per diversas formas, ut ex ipsis formarum verbis satis liquet : unde provenit, quod panis nequit consecrari per for-

mam calicis, nec e converso. Rursus licet significatum harum specierum sit eadem entitative gratia tam habitualis, quam sacramentalis : nihilominus per speciem panis significatur gratia quantum ad effectum cibi confirmando, et corroborando ; sed per speciem vini significatur quantum ad effectum potus refrigerando, et lætificando. Denique modi significandi ex parte specierum est diversus ; siquidem una species significat ad instar cibi, et alia per modum potus. Habent igitur omnes differentias in minore assignatas.

Dispelluntur motiva contraria D. Tho. 46. Illa vero, quæ pro contrario dicendi modo expendimus n. 34, non urgent. Nam ad primum respondetur, quod quando D. Thom. asseruit prædictas species distingui non formaliter, sed materialiter, loquebatur de earum differentia in ordine ad constituendum integrum sacramentum per modum convivii, ut liquet ex resp. ad 2, ubi ait : « Dicendum, quod panis, et vinum « materialiter quidem plura signa : forma- « liter vero et perfective unum, in quantum « ex eis perficitur una refectio. » Et ita quidem res se habet : nam convivium perfectum exposcit cibum, et potum : unde diversitas cibi, et potus non præjudicat unitati convivii : sed in ordine ad illam de materiali se habet. Cum quo tamen cohæret quod si species panis, et vini inter se comparentur, differant formaliter, et specie partiali, ut evincunt, quæ num. præced. diximus, et convincitur exemplo quarumcumque diversæ rationis. Sic enim materiæ, et formæ diversitas materialiter se habet in ordine ad unitatem totius compositi v. g. hominis ; quippe quæ non impediunt ejus unitatem specificam : sed tamen prædictæ partes distinguuntur inter se formaliter specie partiali, ut ex se liquet. Sic etiam partes integrales v. g. caput, manus, et pedes solum materialiter differunt in ordine ad constituendum unum integrale perfectum, v. g. hominem : et nihilominus inter se collatæ differunt specie partiali, ut earum diversæ figuræ et dispositiones satis manifestant. Sic denique in artefactis contingit : componuntur enim communiter ex partibus diversæ rationis, quæ licet constituant totum formaliter unum ; distinguuntur specie partiali inter se, ut patet in partibus domus, organi, et similium. Ad secundum constat ex hactenus dictis, quod licet una, et altera species conveniant in continendo de facto totum Christum, et in repræsentando eandem specifice gratiam ; differunt nihilominus in ratione specifica signi partialis : quia species panis solum repræsentat per modum cibi, et per se significat, et continet præcise corpus Christi, non autem sanguinem, uti se ipsa contingeret in triduo mortis Christi : et e converso species vini solum repræsentat per modum potus, et per se solum significat, et continet sanguinem Christi, non vero sanguinem ipsius. Quod autem affertur ex D. Augustino, non opponitur huic doctrinæ : fatemur enim id, quo extinguuntur spiritualis animæ fames, et sitis, esse eandem specie gratiam : sed tamen species panis, et vini, quæ illam significant, habent diversum modum formalem illam significandi, ut explicuimus : idque sufficit, ut tales species differant formaliter, et specifice in ratione signi partialis, sicut proportionabiliter contingit in ipsis sacramentis, quæ licet significent eandem specie gratiam sanctificantem, differunt nihilominus specie in esse sacramenti propter diversum modum significationis. Ad tertium concedimus non repugnare, quod ea, quæ differunt in esse rei, conveniant specifice in ratione sacramenti : et sic species panis, et vini constituunt unum, et idem specifice sacramentum per modum convivii perfecti. Sed tamen si inter se comparentur, habent rationes partiales specie differentes : sicut certum est distingui cibum, et potum, sive alimentum siccum, et fluidum. Et quod dicitur de duobus vinis, differentibus specie in esse rei, non est ad rem : quia eorum species habent eundem modum formalem significandi, nimirum per modum potus : et ideo sunt ejusdem rationis atomæ in ratione signi, et sacramenti. Quod nequit ita contingere in speciebus panis, et vini ob oppositam rationem.

47. Hinc colligimus doctrinam omnino contrariam opinioni relatæ num. 44. Tenendum namque est totum Eucharistiæ sacramentum distingui essentialiter a qualibet vel panis, vel vini specie divisim sumpta : tenendum etiam est totam essentiam specificam sacramenti non salvari in qualibet illarum specierum seorsim, et per se considerata. Sic docent omnes Auctores num. 45 relati, quibus addimus N. Franciscum cap. 2, dub. 1, num. 19, N. Philippum Nostræ resolutionis consectarium.

. Fran. . Phil. edesm. pum disp. 1, dub. 8, et Petrum de Ledesma cap. 1, concl. 12. Ratio hujus corollarii quoad primam ejus partem constat ex hactenus dictis: quoniam totum Eucharistiæ sacramentum est quoddam compositum etereogeneum, sive constans ex partibus diversæ rationis: quæ autem ejusmodi sunt, distinguuntur essentialiter a qualibet sui parte divisim sumpta: sic enim homo distinguitur a sola anima ratione materiæ, quæ ad hominem essentialiter pertinet, et ab anima essentialiter distinguitur; et similiter homo distinguitur a sola materia ob eandem rationem, ut facile consideranti constabit : sic etiam domus distinguitur a fundamento, et a tecto, si hæc seorsim considerentur : ergo pariter totum Eucharistiæ sacramentum distinguitur essentialiter tam ab specie panis, quam ab specie vini, si divisim, aut seorsim accipiantur. Secunda vero consectarii pars constat ex prima : quia si totum sacramentum Eucharistiæ distinguitur essentialiter a qualibet specie seorsim sumpta; impossibile est totam essentiam specificam sacramenti hujusmodi salvari in qualibet illarum specierum divisim accepta: sicut impossibile est totam hominis essentiam salvari vel in sola materia, vel in sola anima. Eo vel maxime, quod sacramentum Eucharistiæ institutum est tanquam integrum, et perfectum spirituale convivium, constans cibo, et potu : hujusmodi autem convivium salvari non valet in specie cibi sive specie potus, nec in specie potus sine specie cibi: sicut in corporalibus non salvatur ratio convivii in pane sine vino, nec in vino sine pane. Quod satis probatum fuit num. 45.

(suade- tur.)

vertun- ur op- posita unda- menta. Ad primum autem ex motivis num. 44 propositis respondemus laicos communicantes sub una tantum specie panis suscipere quidem verum sacramentum Eucharistiæ, non tamen integrum sacramentum Eucharistiæ quantum ad essentiam specificam sacramenti per modum convivii. Nam ad hoc ultimum necessarius est concursus utriusque speciei, atque illarum sumptio. Ad primum autem sufficit, quod recipiant non metaphoricum, sed verum sacramentum, licet inadæquatum, et quod suscipiant totum Christum, qui de facto secundum corpus, et animam in qualibet prædictarum specierum continetur ob naturalem concomitantiam inter prædictas partes: et similiter quod non fraudentur aliqua gratia sibi necessaria. Nec amplius intendit Concilium Tridentinum in verbis relatis, ut satis se declarat subjungendo : « Ac propterea , quod ad fructum attinet, nulla « gratia ad salutem necessaria eos defrau- « dari,qui unam speciem solam accipiunt.» Concil. Trident. An autem Sacerdotes communicantes sub utraque specie majorem gratiam suscipiant, nec ne ; alia quæstio est longe diversa, et in suam sedem remittenda disput. 10, dub. 4. Ad secundum constat ex dictis num. 45, quod etsi quælibet species sit de facto integrum convivium ex parte rei contentæ, quia de facto continet corpus, et sanguinem Christi; nihilominus non est integrum convivium formaliter in ratione signi, et sacramenti: quia species v. g. panis ex vi sua, et verborum, quibus consecratur, solum significat corpus Christi, non autem sanguinem, quem propterea in triduo mortis Christi non contineret. Unde integra, et specifica essentia sacramenti Eucharistiæ in nulla prædictarum specierum divisim sumpta salvatur.

Ad tertium non admittimus eam similitudinem ob satis manifestam disparitatem : nam ubi domus dividitur in duas partes, quarum quælibet est sufficiens ad habitationem ; facta divisione non manent partes, sed earum quælibet est quoddam totum habens materiam, et formam, et integram, atque specificam domus essentiam. Cæterum ubi convivium dividitur in partem cibi, et in partem potus, in neutra solitarie sumpta salvatur integra, et specifica ratio convivii, quod utriusque partis concursum exigit, ut de se liquet. Radix autem prædictæ disparitatis constat ex dictis, quod ubi domus dividitur in diversas domos, fit divisio in partes homogeneas, sive ejusdem rationis cum toto : unde mirum non est, sed potius necessarium, quod essentia specifica totius domus salvetur in qualibet prædictarum partium. Divisio autem Eucharistiæ in species panis, et vini fit in partes ethereogeneas, sive diversæ rationis in esse signi: quare non oportet, quod integra specifica ratio sacramenti Eucharistiæ in earum qualibet salvetur; sed magis infertur oppositum. Aptius autem exemplum, et rei præsenti omnino consentaneum e divisione domus sumeretur, si fieret in partes diversæ rationis, utpute in fundamentum, parietes, et tectum: quippe

in nulla istarum seorsim sumpta salvatur ratio specifica domus, ut ex se liquet. Et idem, atque ob eandem rationem contingit in duabus speciebus Eucharistiæ, si earum quælibet seorsim accipiatur: est enim diversæ rationis a toto sacramento, ut supra explicuimus. Ad quartum, et ultimum negamus sequelam: quia sicut integrum Eucharistiæ sacramentum non est aliqua tertia res distincta ab speciebus; sed importat simul prædictas species, ut constituunt unum morale compositum: sic etiam non exposcit tertiam aliquam formam distinctam a formis partialibus, quibus species sacrantur: sed prædictæ formæ partiales simul sumptæ constituunt unam formam moralem totalem integri convivii. Nec enim in his occurrit intimior constitutio, vel major unitas, quam moralis. Et idem contingit in convivio corporali, cui Eucharistia secundum analogiam respondet: nam integra totius convivii corporalis forma non distinguitur a formis rerum, quæ simul concurrentes constituunt convivium.

§ III.

Convelluntur motiva sententiæ communi assertioni contrariæ.

48. Contra nostram, et communem assertionem sentiunt Gabriel lect. 53, in Can. *Missæ*, et in 4. distin. 8, quæst. 2, art. 2, cond. 2. Major ibidem quæst. 1. Aureolus apud Capreolum eadem dist. quæst. 1, in argumentis contra secundam, et Glossa in can. *Comperimus de consecratione*, dist. 2, qui docent species panis, et vini non esse unum specifice Eucharistiæ sacramentum, sed constituere plura absolute sacramenta specifice diversa, quamvis possint utrumque dici unum sacramentum vel genere proximo, vel per aggregationem, vel alio modo. Quæ sententia potest probari primo ab auctoritate: nam Concilium Tridentin. loco supra cit. ex sess. 21, cap. 3, affirmat « sub vna tantum specie » (v. g. panis, quam recipiunt laici) « contineri totum, « atque integrum Christum, verumque sa- « cramentum sumi. » Verum autem sacramentum constituit unam sacramenti speciem, sive essentiam. Et rursus nequit non esse integrum sacramentum, quod continet totum, et integrum Christum. Ergo ex sententia Concilii, quælibet Eucharistiæ species constituit verum aliquod, et integrum sacramentum: atque ideo duæ species panis, et vini sunt duo sacramenta specie distincta: et consequenter solum dicentur unum Eucharistiæ sacramentum, vel genere, vel aggregatione, vel alio inferiori modo. Confirmatur: nam Ecclesia prædictas species vocat sacramenta, ut patet ex quadam Collecta ad finem Missæ, in qua Sacerdos dicit: *Purificent nos, Domine, sacramenta, quæ sumpsimus*: ergo tales species constituunt duo simpliciter sacramenta.

Gabriel. Major. Aureol. Glossa. — *Primum argumentum. Concil. Trid.* — *Confirmatio.*

Ad fundamentum desumptum ex Concilio Tridentino constat ex dictis num. præced. quid Concilium eo loco intenderit, nempe asserere totum Christum quantum ad corpus, et animam contineri de facto in qualibet specierum consecratarum: quod statuit specialiter contra hæreticos negantens Christum esse in hoc sacramento, nisi quando utraque species applicatur, et sumitur. Inde vero consequenter asserit laicos communicantes sub sola specie panis recipere totum, ac integrum Christum, et suscipere verum sacramentum, sive signum continens totum Christum, et nulla gratia ad salutem necessaria defraudari. Quæ omnia verissima sunt: sed quæ non probant integram rationem sacramenti Eucharistiæ in qualibet illarum specierum salvari: quippe quod institutum est per modum unius convivii, cujus specifica ratio nec in solo signo cibi, nec in solo signo potus, sed in utrisque simul salvari valet, ut supra fusius diximus. Quare licet totus Christus in qualibet specie contineatur, non tamen tanquam in signo perfecto, et quod complete repræsentet integrum convivium. Cum autem dicitur verum sacramentum constituere unam speciem, sive essentiam sacramenti; respondendum est sacramentum verum, et integrum constituere unam, et integram sacramenti speciem, sive essentiam: sed verum sacramentum non integrum solum constituit unam speciem partialem: sicut forma substantialis est vera substantia, et tamen se sola non constituit ullam integram speciem substantiæ, sed præcise partialem, et inadæquatam. Et hoc modo se habet quælibet Eucharistiæ species seorsim sumpta, ut supra explicuimus.

Satisfit argumento.

Confirmationem optime diluit Div. Thomas in præs. art. 2 ad 1, his verbis: « Dicendum, quod in eadem Collecta et plu- « raliter

Solvitur confirmatio.

« raliter dicitur primo, Purificent nos « sacramenta, quæ sumpsimus: et postea « singulariter subditur. Hoc tuum sacra- « mentum non sit nobis reatus ad pœnam: « ad ostendendum, quod hoc sacramentum « quodammodo est multa, simpliciter au- « tem unum. » Est enim multa quantum ad species panis, et vini, quibus constat; sed est simpliciter unum in ratione sacramenti: quia illæ species non constituunt plura convivia, sed unum completum, et integrum, in cujus forma hoc sacramentum institutum est. Addimus illam orationem *in fine Missæ* recitari a sacerdote nomine totius populi, vel plurium, qui in Missa communicare solent: unde cum plura sacramenta, sive formas consecratas suscipiant; sacerdos omnium loco orans gratias agit pro pluribus sacramentis numero distinctis, petitque eis mediantibus diversa beneficia.

49. Arguitur secundo: quia repugnat aliquid esse in genere sacramenti, et participare veram sacramenti rationem, et quod non constituatur in determinata specie sacramenti: sed species v. g. panis est in genere sacramenti, et veram rationem sacramenti participat: ergo species panis constituitur in determinata specie sacramenti: atqui non in alia, quam in ea, quam gerit, et repræsentat, videlicet per modum cibi: ergo talis species panis importat specificam essentiam hujus sacramenti, et simul cum specie vini constituit duas essentias specificas sacramentorum inter se distinctas. Consequentia primi Syllogismi, et minor subsumpta, ac ultima consequentia patent ex præmissis. Major autem est certa: nam conceptus genericus nequit participari in individuo, nisi ad illud contrahatur per aliquam differentiam specificam: quippe inter individuum, et genus mediat gradus specificus: ergo impossibile est aliquid participare genus sacramenti, et sub eo constitui, et quod non participet aliquam specificam sacramenti rationem, Minor etiam constat: tum quia quælibet Eucharistiæ species est verum sacramentum, ut docet Concilium Tridentinum sessione 21, cap. 3. Tum quia sacramentum in genere aliud non est, quam signum rei sacræ nos sanctificantis: quælibet autem Eucharistiæ species est hujusmodi; siquidem continet Christum, et significant gratiam, quam in nobis causat: ergo quælibet Eucharistiæ species constituitur in genere sacramenti.

Confirmatio.

Confirmatur præcludendo tacitam responsionem: nam quælibet Eucharistiæ species est integrum sacramentum Eucharistiæ: alias prædictæ species distinguuntur essentialiter inter se in ratione signi, seu sacramenti, ut diximus num. 45; ergo duæ species panis, et vini important duo sacramenta, quæ sub communi vocabulo, et conceptu sacramenti specifice distinguuntur. Cætera constant. Et major suadetur: nam ex opposito fieret laicum suscipientem præcise speciem panis non suscipere integrum sacramentum, et perinde nec integrum sacramenti effectum; quod apparet absurdum, et sine injuria laicorum, si res ita se habet, introduci non potuit.

Occurritur argumento.

Ad argumentum respondetur, quod sicut quælibet specierum Eucharistiæ seorsim sumptarum est in genere sacramenti, sic etiam est in aliqua sacramenti specie; et e converso. Cæterum nec rationem genericam, nec rationem specificam participat nisi inadæquate, et partialiter: non enim est integrum sacramentum, sed sacramenti Eucharistiæ pars. Juxta quam doctrinam distinguenda est minor primi syllogisimi, et concedenda in hoc sensu, quod quælibet species vel panis, vel vini est in genere sacramenti inadæquate, et partialiter: sed negari debet, si intendat prædictam speciem constitui in tali genere ut quid adæquatum, et totale (oppositum enim satis constat ex supra dictis): et in eodem sensu distinguendum est primum consequens, et neganda, vel concedenda consequentia. Nec amplius evincit subsumptus discursus. Ad minoris autem probationes, quatenus huic doctrinæ possunt opponi, respondetur quamlibet speciem vel panis, vel vini esse verum sacramentum, ut affirmat Concilium, non tamen integrum, et completum, sed inadæquatum, et partiale: sicut etiam anima rationalis est vera substantia, non tamen completa, et totalis, sed per modum partis. Et similiter quælibet illarum specierum est vere signum rei sacræ; at non integrum, sed partiale. Et ratio hujus responsionis constat ex supra dictis, Christum scilicet instituisse sacramentum Eucharistiæ ut quoddam convivium in ordine ad refectionem spiritualem: quod convivium necessario claudit duas species tanquam sui partes: unde neutra earum est integrum sacramentum Eucharistiæ a Christo insti-

tutum, sed illius sacramenti pars. Et sicut in specifica ratione sacramenti non constituitur nisi partialiter, et inadæquate: sic etiam in ratione generica sacramenti, et in omnibus gradibus superioribus. Ad eum plane modum, quo anima est pars non solum hominis, sed etiam animalis, et corporis, et substantiæ: nihil enim horum participat ut quoddam totum, sed ut pars, et inadæquate.

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem respondetur negando antecedens in sensu immediate explicato. Et ad antecedentis probationem dicendum, quod licet laicus communicans sub una tantum specie non recipiat Sacramentum Eucharistiæ integrum in ratione signi, aut Sacramenti; quia in una specie non repræsentatur integra convivii ratio: nihilominus recipit Sacramentum integrum tum ex parte rei contentæ, siquidem in qualibet specierum continetur de facto totus Christus; tum ex parte gratiæ ad salutem necessariæ; cum nullus laicus ita communicando defraudetur ea gratia, quæ ad illius statum, atque salutem requiritur. Ecclesia etiam causas justissimas habuit prohibendi laicis calicis usum, ut dicemus disp. 11, dub. 6, ubi etiam determinabimus, an communicans sub utraque specie recipiat, cæteris paribus, majorem gratiam, quam communicans præcise sub una.

Tertium argumentum. 50. Arguitur tertio: quia diversæ Eucharistiæ species panis, et vini important diversas materias, diversas etiam formas, diversas denique significationes: hæc autem omnia sufficiunt ad constituendum duo sacramenta specifice diversa: ergo species panis, et vini sunt duo Sacramenta Eucharistiæ specifice distincta.

Solutio. Repondetur omnem illam diversitatem, quæ in majore describitur, esse materialem, et inadæquatam in ordine ad integram rationem convivii, ad cujus instar institutum est Eucharistiæ sacramentum: unde non inducit inter species panis, et vini distinctionem formalem, et adæquatam in ratione Sacramenti; sed solum inadæquatam, qualis communiter invenitur inter partes ethereogeneas ejusdem compositi; sic enim fundamentum, parietes, et tectum domus habent diversas materias, formas, figuras, dispositiones, et officia; et nihilominus non sunt plura tota simpliciter, sed constituunt unam simpliciter domum. Et in convivio corporali cibus, et potus satis differunt in esse rei; quo non obstante componunt idem convivium. Unde D. Thom. in hoc articulo 2, objectam difficultatem sic diluit: « Ad secundum dicendum, quod « panis, et vinum materialiter sunt plura « signa: formaliter vero, et perfective « unum, in quantum ex eis perficitur una « refectio. Ad tertium dicendum, quod ex « hoc, quod est duplex consecratio materiæ « hujus sacramenti, non potest plus haberi, « nisi quod hoc sacramentum materialiter « est multa. »

DUBIUM IV.

Quam unitatem numericam habeat sacramentum Eucharistiæ et unde illam desumat?

Post assignatam unitatem specificam hujus sacramenti, recto ordine progredimur ad agendum de illius unitate numerica, quæ inferior est, et post eam succedit. Merito autem supponit dubii titulus sacramentum Eucharistiæ habere de facto talem unitatem: nam quidquid existit a parte rei, singulare quid est, et habet esse in individuo: nec enim a parte rei reperiuntur gradus communes realiter indivisi, ut docent communiter Dialecti, et recte probant N. Complutenses abbreviati *in Logica disputatione* 3, quæstione 3. Quare vel non existit de facto sacramentum Eucharistiæ, quod est contra fidem assertam dubio 1, vel existit in singulari, habetque unitatem numericam. Difficultas autem est, utrum sacramentum Eucharistiæ tantam ejusmodi unitatem habeat, ut non nisi unum numero dicendum sit, an vero e contra numero multiplicetur: et rursus ex quibus principiis habeat unitatem, vel distinctionem numericam. Procedit autem difficultas facta comparatione inter species ejusdem rationis specificæ partialis, ut sunt hostiæ consecratiæ: si enim comparatio fiat inter species panis, et species vini, manifestum est, quod sicut num. 45 diximus tales species distingui specifice partialiter in ratione sacramenti, sic enim consequenter dicendum sit distingui distinctione numerica saltem partiali: nam quæ specifice differunt, opus est numero differre; cum illa sit major longe distinctio, quam ista.

§ I.

§ I.

Decisio dubii quoad priorem ejus partem.

51. Dicendum est primo sacramentum Eucharistiæ non esse idem numero in tota Ecclesia, sed dari plura Eucharistiæ sacramenta numerice distincta, et subinde non omnes species consecratas esse idem numero sacramentum Eucharistiæ. Hanc esse communem Theologorum sententiam testatur Prado quæstione 73, dub. 4, § 4, num. 35, nullum in particulari referens. Videri tamen pro illa possunt Nugnus in præsenti articul. 2, Joannes a S. Thomas disputat. 26, articul. 3, in ultima ejus parte. Noster Cornejo articul. 2, disput. 2, dub. 1, Noster Philippus disput. 1, dub. 9, noster Gabriel disput. 2, quæst. 3, Noster Franciscus cap. 2, dub. 2, numero 33, Gonet disput. 2, articul. 3, Labat disput. 4, dub. 2, conclus. 2, Contenson dissert. 2, cap. 1. speculat. 2, in fine. Vazquez disput. 168, cap. 2, Valencia disput. 6, quæst. 1, puncto 4, Granados tract. 1, disput. 1, num. 8, Bonacina disput. 4, quæst. 1, puncto 4, Castro Palao disput. unica, punct. 2, Bellarminus lib. 4, cap. 22, proposit. 4, Dicastillo disput. 1, dub. 4, conclus. 1, Henao disputatione 2, sectione 2, et alii. Quam sententiam adeo certam censet Cornejo loco cit. ut dicat oppositam suo judicio carere probabilitate.

Probatur primo ratione satis efficaci : quia nullum est principium, unde species v. g. panis, quæ sunt in diversis locis, puta Romæ, et Salmanticæ, sint idem numero sacramentum Eucharistiæ: ergo hoc sacramentum non est idem numero in tota Ecclesia : ergo dantur plura Eucharistiæ sacramenta numero distincta. Utraque consequentia patet. Et antecedens suadetur: nam in primis prædictum principium nequit consistere in ipsis speciebus sacramentalibus : manifestum namque est, quod sicut prædictæ species sunt accidentia numero distincta, sic etiam sunt species numero diversæ. Deinde tale principium nequit esse corpus Christi sub speciebus contentum : nam prædictum corpus non pertinet in recto ad sacramentum Eucharistiæ, ut constat ex dictis dub. præcedenti a numero 25, quare ejus numerica unitas non sufficit inducere numericam unitatem in omnibus speciebus, ut constituant idem numero Eucharistiæ sacramentum. Denique nequit tale principium revocari ad consecrationem specierum, vel ad illarum sumptionem : nam potius e converso constat tam consecrationes, quam sumptiones numero multiplicari : sunt enim actiones numero differentes. Nullum itaque occurrit principium, ut omnes Eucharistiæ species sint idem numero sacramentum.

52 Confirmatur : nam si ob aliquam rationem omnes species v. g. panis essent idem numero Eucharistiæ sacramentum ; maxime quia continent, et significant verum corpus Christi, quod est idem numero in omnibus speciebus: sed hæc ratio est nulla: ergo non omnes species panis sunt idem numero sacramentum. Major videtur manifesta : quoniam si attendamus ad alia capita vel ipsarum specierum, vel consecrationum, vel sumptionum, vel temporum, et locorum, in quibus Eucharistia consecratur, et sumitur ; magis reperiemus radicem distinctionis, et pluritatis, quam unitatis numericæ ; ergo ea tantum ratione omnes prædictæ species possunt dici idem numero sacramentum, quatenus continent, et significant verum Christi corpus, quod in omnibus illis idem numero est. Minor autem ostenditur : tum quia sacramentum Eucharistiæ nec adæquate, nec inadæquate consistit in corpore Christi in recto, sed consistit adæquate in speciebus consecratis, connotando corpus Christi in obliquo, et sub eis contentum ut constat ex dictis dub. præcedenti : ergo pro unitate, vel distinctione numerica prædicti sacramenti magis attendi debet ad species, quam ad corpus Christi : ergo quod corpus Christi sit unum numero, minime probat sacramentum esse unum numero, ubi species numerice multiplicantur. Tum etiam quia permisso, quod corpus Christi pertineret in recto inadæquate ad sacramentum Eucharistiæ, ut Suarez, et alii volunt ; tamen etiam species pertinent in recto ad prædictum sacramentum : sed unitas est de genere boni, pluritas autem mere materialis, et numerica est de genere mali, sive imperfecti : bonum vero debet esse ex integra causa, malum autem, et imperfectum contingit ex quocumque defectu : ergo unitas numerica corporis Christi minime sufficit ad constituendum idem numero Eucharistiæ sacramentum, ubi simul cum corpore Christi concurrunt species numero differentes, quales plane

concurrunt omnes existentes in distinctis altaribus, et temporibus.

Confirmatio 2. Confirmatur secundo, et explicatur amplius: nam cum sacramentum sit in genere signi, ut tradidimus Tractatu præcedenti, disputatione 1, dub. 1, cum sequentibus, ibi oportet esse plura sacramenta, ubi sunt plura signa rei sacræ sanctificantis nos: sed plures species sunt plura numero signa tum Christi contenti, tum gratiæ habitualis sanctificantium nos, non obstante identitate corporis Christi, quod prædictis speciebus significatur: ergo ex eo, quod tales species contineant, et significent idem numero corpus Christi, minime sequitur omnes prædictas species esse idem numero sacramentum; sed potius colligendum est oppositum. Probatur minor: nam stat bene, quod res significata sit una unitate specifica, et quod nihilominus signa illam repræsentantia sint specie differentia, ut liquet in nostris sacramentis: cuncta namque significant gratiam sanctificantem, quæ est ejusdem speciei infimæ, præsertim apud aliquos ex Adversariis negantibus, quod gratia sacramentalis addat aliquid supra gratiam sanctificantem, ut constat ex dictis tract. præced. dis. 4, dub. 9, § 3, et tamen nostra sacramenta specie differunt sub genere signi, et sacramenti, ut negat nemo: ergo pariter stat bene, quod res significata sit una numero, et quod nihilominus signa illam repræsentantia numero distinguantur: et consequenter licet corpus Christi sub speciebus contentum sit idem numero, species illud repræsentantes sunt signa numero diversa. Tum etiam quia nomina synonima significant eandem numero re, et nihilominus sunt plura nomina, et signa, ut patet in his, *Marcus*, *Tullius*, *Cicero*: quin et fieri potest, quod eadem vox significativa, et significans eandem rem multiplicetur realiter in esse nominis, et signi, si diversis temporibus, aut locis proferatur, ut patet in hac voce *Christus*, si dicatur ab uno Romæ, et ab altero Salmanticæ: dantur enim tunc diversa nomina, et signa numero differentia; et tamen res significata est una, et eadem numero: ergo idem dicendum est de diversis speciebus, quæ in diversis temporibus, aut locis continent corpus Christi, nempe esse diversa signa, licet res significata sit eadem. Tum denique (et est ratio prædictorum a priori) quoniam distinctio numerica significationis sicut et signi formaliter in esse signi, quemadmodum et cæterorum omnium accidentium non sumitur ab objectis, seu terminis, sed a materia, aut subjectis: (cum enim distinctio mere numerica non sit formalis, sed materialis; desumi radicaliter debet non ab objecto, aut termino, quæ habent rationem formæ extrinsecæ, sed a materia, aut subjecto): constat autem subjectum significationis sacramentalis esse species significantes; non autem corpus Christi, quod comparatur per modum objecti, vel termini significati: ergo plures species sacramentales sunt plura numero signa, non obstante identitate corporis Christi, quod illis significatur.

53. Probatur secundo eadem conclusio alia ratione non minus efficaci: quoniam impossibile est, quod idem numero sacramentum habeat simul esse, et non esse, sive permanere, et non permanere: sed sacramentum Eucharistiæ secundum diversas species potest habere simul esse, et non esse, sive permanere, et non permanere: ergo sacramentum Eucharistiæ non est idem numero in omnibus speciebus. Major videtur evidens: tum inductive in omnibus aliis rebus; quæ nequeunt simul esse et non esse: tum quia illa prædicata opponuntur contradictoriæ. Minor etiam constat: nam sacramentum Eucharistiæ, quod heri in Missa consecravimus, et consumpsimus, modo non habet esse: sacramentum vero, quod hodie consecramus, et manibus tenemus, habet nunc esse: et idem contingit, ubi ex eodem sacrario sumitur, et consumitur una species, perseverantibus aliis: ergo sacramentum Eucharistiæ secundum diversas species habet simul esse, et non esse, permanere, et non permanere. Declaratur hoc amplius: nam illud, quod cessat, et desinit esse, non est idem numero cum illo, quod manet, et conservat esse: sed sacramentum Eucharistiæ, quod ab uno sumitur, cessat, et desinit esse; sacramentum autem Eucharistiæ, quod relinquitur in sacrario, manet, et conservat esse: ergo sacramentum Eucharistiæ, quod ab uno sumitur, non est idem numero cum sacramento Eucharistiæ, quod in sacrario servatur. Nec proderit dicere, quod idem numero sacramentum Eucharistiæ cessat secundum unas species, et conservatur secundum alias. Nam contra hoc est, quod vim facimus, et argumentum extendimus ad ipsum sacramentum in esse talis: nam fidelis communicans

nicans vere recipit, manducat, et consumit sacramentum Eucharistiæ : aliunde vero sacramentum Eucharistiæ conservatur in sacrario : ergo non solum de speciebus, sed de ipso Eucharistiæ sacramento verificatur, quod habet esse, et non esse, conservari, et non conservari ; id vero impossibile est, nisi dentur distincta numero sacramenta.

Opinio contraria. 54. Contrariam nostræ assertioni opinionem tuentur Suarez disp. 39, sect. 4, Lugo disp. 2, sect. 2, et Arauxo quæst. 73, art. 2, dub. 2, quibus favet Aversa quæst. 1, sect. 3. (Suarez. Lugo. Arauxo. Aversa.) Fundamentum Lugonis est : quia sacramentum Eucharistiæ nec adæquate, nec inadæquate consistit in speciebus in recto ; sed consistit in corpore Christi in recto connotando species : atqui idem numero corpus Christi est sub omnibus speciebus ; ergo similiter est idem numero sacramentum Eucharistiæ, quantumcumque multiplicentur, atque varientur species. (Solvitur primum argumentum.) Sed quamvis prædictus Auctor procedat valde consequenter ; nihilominus principium, cui innititur est æqualiter falsum, illudque evertimus dub. præced. a num.39. Unde prædictum fundamentum diruitur negando majorem.

Secundum argumentum. Fundamentum Suarii est : quoniam licet sacramentum Eucharistiæ adæquate sumptum consistat non in solo corpore Christi, sed etiam in speciebus tanquam in partibus integrantibus idem sacramentum ; nihilominus præcipuum in hoc sacramento est corpus Christi prout unitum speciebus: sed est idem corpus Christi, licet multiplicentur species : ergo pariter est idem numero sacramentum Eucharistiæ non obstante multiplicatione, et varietate specierum. Confirmatio. Confirmatur : quia ita se habet corpus Christi unitum speciebus ad constituendum sacramentum Eucharistiæ, sicut se haberet Verbum divinum unitum humanitati ad constituendum hominem : si autem Verbum assumeret, et sibi uniret humanitates, non darentur plures homines, sed idem numero homo habens plures humanitates: ergo similiter corpus Christi, cui uniuntur plures species, non constituit plura Eucharistiæ sacramenta, sed est idem numero sacramentum habens plures species. Unde ulterius fit (per quod dilui videtur secundum argumentum a nobis factum), quod sicut si Verbum assumeret plures humanitates, posset mori secundum unam, et vivere secundum aliam ; et sic maneret idem numero cum ea varietate ex parte humanitatum assumptarum : sic etiam cum corpus Christi sit unitum pluribus speciebus, potest desinere in aliquibus, et conservari in aliis ; et ita manet idem numero sacramentum, stante illa variatione ex parte specierum assumptarum.

Satisfit argumento. Respondetur ad argumentum negando majorem, et suppositum illius : nam sacramentum Eucharistiæ nec adæquate, nec inadæquate consistit in corpore Christi, sed in solis speciebus in recto connotando corpus Christi in obliquo, ut dub. præced. ex professo ostendimus. Unde pro unitate, vel distinctione numerica hujus sacramenti attendi non debet ad corpus Christi, sed ad species. Quare ex eo, quod corpus Christi sit idem numero, non recte infertur sacramentum Eucharistiæ esse idem numero in omnibus speciebus : sed magis colligitur oppositum. Cum autem dicitur corpus Christi esse præcipuum in hoc sacramento, sermo fit de eo, quod in Eucharistia habet rationem *rei, et sacramenti simul :* et ita profecto contingit. Sed nequit verificari de eo, quod habet rationem *sacramenti tantum :* nam corpus Christi nec adæquate, nec inadæquate illam participat : et in prædicto sensu (qui ad consequentiam necessarius erat), negari debet suppositum. Gratis autem permisso, quod corpus Christi pertineret inadæquate in recto ad sacramentum Eucharistiæ simul cum speciebus, ut Suarius vult ; adhuc ejus consequentia non foret efficax : quia cum unitas sit de genere boni, multiplicatio autem materialis, et numerica de genere mali, sive imperfecti ; aptior incomparabiliter foret distinctio numerica specierum ad constituendum plura sacramenta numero distincta, quam unitas numerica corporis Christi ad inducendum unitatem numericam sacramenti : quare Eucharistiæ sacramentum foret, et diceretur multiplex numero simpliciter ; unum autem numero solum secundum quid, et cum addito, nempe quantum ad corpus Christi.

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem negamus majorem, vel ea, et minori omissis, negamus consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod licet hoc nomen *homo* significet humanitatem, supponit tamen pro supposito : in casu autem, quod Verbum assumeret plures

humanitates, semper esset idem suppositum : et ideo non diceretur plures homines, sed idem homo habens plures humanitates. Accedit terminos numerales applicatos nominibus substantivis appellare tam supra formale, quam supra materiale significatum, et utrumque multiplicare. Et hanc ob causam sicut in divinis non dicimus dari tres Deos, quia licet multiplicentur supposita, non multiplicatur deitas, sive forma significata : sic etiam si una persona haberet tres humanitates, non diceretur tres homines, quoniam etsi multiplicarentur formæ, aut naturæ, non multiplicarentur supposita. Sed magis diceretur, quod sicut in divinis est unus Deus in tribus suppositis, sic esset unus homo in tribus, aut cum tribus humanitatibus, ut late explicuimus tract. 21, disp. 8, dub. 5, § 2. Nihil autem horum habet vel apparentem ullam proportionem in præsenti materia : quippe unio corporis Christi, et specierum non est in ordine ad constituendum aliquod suppositum, vel compositum substantiale ; sed ad constituendum sacramentum, quod sub genere signi collocatur. Quare cum ratio signi vel unice, vel saltem principalissime conveniat speciebus, non autem corpori Christi ; consequens sit multiplicatis speciebus multiplicari signa, et sacramenta , non obstante identitate corporis Christi sub eis signis, aut sacramentis contenti : sicut plures imagines Cæsaris sunt simpliciter plura signa, quamvis Cæsar repræsentatus sit unus : et sicut diversa nomina *Christus* a pluribus, vel ab eodem diversis temporibus prolata sunt plura numero nomina, et signa significantia eundem Christum. Unde ulterius corruit appendix, quo Suarius se declarabat : nam cum ratio sacramenti consistat in speciebus; ubi istæ deficiunt, non est dicendum quod deficit sacramentum præcise quoad illas species, retinendo tamen unitatem numericam in aliis : sed dici debet deficere absolute illud numero sacramentum, quod in talibus speciebus adæquate, aut inadæquate situm erat.

Tertium argumentum. 55. Fundamentum Arauxi est, quod licet sacramentum Eucharistiæ in speciebus consistat, et pro illis supponat, non tamen quocumque modo, sed prout unitis corpori Christi : et propterea unio, et conjunctio hujusmodi pertinet ad formale, et directum significatum hujus nominis *sacramentum Eucharistiæ ;* sed prædicta conjunctio, et unio est una in omnibus speciebus, sicut et corpus Christi illis unitum : ergo in omnibus speciebus non datur nisi unum numero Eucharistiæ sacramentum. Confirmatur primo : quia cum Eucharistia sit quoddam artefactum, ejus unitas explicari debet ad instar aliorum entium artificialium : sed horum unitas numerica non impeditur per pluritatem, et varietatem rerum, in quibus consistunt, ut patet in domo, quæ licet constet rebus diversissimis, est una, et eadem numero : ergo pariter licet species, in quibus consistit Eucharistia multiplicentur, semper tamen manet idem numero sacramentum Eucharistiæ. Confirmatio. Confirmatur secundo : quia non requiritur major unitas in hoc sacramento, quam in loco materiali : sed potest esse idem numero locus materialis, quamvis superficies corporis continentis, in quibus consistit, multiplicentur, et varientur ; si perseverat eadem distantia ad polos mundi : ergo pariter potest esse idem numero Eucharistiæ sacramentum, licet varientur species, in quibus situm est, si conservetur eadem unio, sive respectus ad corpus Christi in eis contentum. Alia.

Respondetur hujus Auctoris sententiam esse præcedentibus inconsequentiorem : nam cum ipse nobiscum sentiat sacramentum Eucharistiæ consistere adæquate in solis speciebus in recto, connotando in obliquo Christi corpus : nulla fere verisimilitudine valet adstruere identitatem numericam sacramenti ex identitate corporis Christi, nec rationabiliter negare distinctionem numericam sacramentorum, ubi illorum rectum, nempe species numero multiplicatur. Quare ad argumentum omittendo majorem, negamus minorem : quoniam unio, sive conjunctio ex parte specierum non minus multiplicatur nnmero, quam ipsæ species: quamvis unio ex parte corporis Christi ad species esset (quod permittimus), una. Quare nec ex hoc capite inferri valet, quod sacramentum Eucharistiæ in omnibus speciebus sit unum numero. Sicut si idem corpus collocaretur in diversis locis, unio ex parte corporis locati esset una, sed esset multiplex numero ex parte locorum : et loca ipsa etiam forent simpliciter plura numero. Ad primam confirmationem negamus minorem universaliter intellectam : nam ubi illa materialia, Responsio ad argumentum. Ad primam confirmationem.

lia, in quibus artefacta consistunt, distant loco, aut tempore, constituuut artefacta numero distincta : unde nemo negabit domum Romæ existentem, et domum existentem Salmanticæ distingui numero, et similiter distingui domum, quæ olim fuit, ab ea, quæ modo existit. Et hoc modo dicimus distingui sacramenta Eucharistiæ consistentia in speciebus, quæ existunt in diversis locis, aut temporibus, vel ab hominibus diversis sumuntur. Secunda confirmatio nihil valet ob satis manifestam disparitatem : quia unitas numerica loci non sumitur ab ultima superficie, nisi ut substat immobilitati, sive distantiæ ad eosdem mundi polos : et ideo ubi hæc immobilitas, et distantia conservatur, idem servatur locus, et locatum dicitur in eodem loco manere. Sed ratio sacramenti est ratio signi, quæ in significatione consistit: possunt autem tam signa, quam significationes numero multiplicari, quamvis signatum sit idem numero : et sic contingit, ubi signa collocantur in distinctis locis, vel ad diversa tempora pertinent, ut supra satis explicuimus. Qua ratione plures species existentes in diversis locis, aut temporibus sunt diversa numero signa, et diversa numero sacramenta. Idemque in loco contingeret (ut illud exemplum magis retundamus) sic cum indistantia ad polos mundi, fieret interruptio temporis, ut si prior locus annihilaretur, et deinde post aliquot annos fieret ultima aliqua superficies cum eadem distantia ad polos : negari namque non posset primum, et secundum locum numero distingui.

Ad secundam.

Quartum argumentum.

56. Fundamentum Aversæ est : quoniam juxta communem loquendi modum apud omnes satis receptum, licet species dicantur plures, tamen sacramentum Eucharistiæ dicitur unum : existimandum autem est hunc communem loquendi modum fundari in naturis rerum, ipsisque congruere : ergo fateri oportet sacramentum Eucharistiæ in omnibus mundi speciebus esse idem numero. Cætera constant. Et major etiam liquet: nam quando plures communicant, dicere non solemus eos suscipere plures Eucharistias, vel plura Eucharistiæ sacramenta ; sed vulgo dicimus illos suscipere Eucharistiam, vel sacramentum. Similiter qui hortatur populum ad frequentem communionem, non dicit, quod suscipiant plura sacramenta, sed quod suscipiant sacramentum Eucharistiæ. E contra autem ubi loquimur de speciebus, communiter illas vocamus plures, aut plures hostias, aut particulas. Ergo juxta communem loquendi modum, quamvis species dicantur plures, sacramentum tamen dicitur unum.

Dispellitur.

Sed hoc fundamentum leve est, atque regerendum in opponentem : quia juxta communem loquendi modum, sacramenta, quæ certum est numero multiplicari, nominari solent in singulari, et tanquam unum sacramentum : sic enim de multis ordinatis dicere solemus suscepisse sacramentum ordinis : et qui hortatur populum ad frequentem confessionem, non dicit, quod plura sacramenta Pœnitentiæ suscipiant, sed quod recipiant sacramentum Pœnitentiæ : ex quo tamen nemo colliget sacramentum ordinis vel sacramentum Pœnitentiæ in diversis hominibus esse idem numero sacramentum. Deinde respondemus ea, quæ numero distinguuntur, si habeant unitatem formalem specificam, satis communiter significari nomine singulari, quod non designet unitatem numericam, et materialem, sed formalem, et specificam, sive eandem rei conditionem, ut cum visa aliqua herba in uno dicimus : *Hæc herba nascitur etiam in horto meo* : per quod non denotamus esse eandem numero plantam, sed esse unam specie, conditione, et virtute. Sic ergo quia omnia Eucharistiæ sacramenta habent unitatem formalem specificam, qualem dub. præced. descripsimus ; propterea ubi de Eucharistia agimus, utimur singulari nomine sacramenti. Præterquam quod nec insolens, nec novum est Eucharistiam significari nominibus satis exprimentibus distinctionem numericam sacramenti, ut cum dicimus Sanctissimum Sacramentum Ecclesiæ S. Petri, et Sanctisssimum Sacramentum Ecclesiæ S. Mariæ. Quin non solum Eucharistiæ pluritatem numericam, sed et particularum unius hostiæ haud obscure insinuat Ecclesia, quando canit sacramentum dividi. *Fracto demum sacramento, ne vacilles, sed memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, etc.*

Quintum argumentum.

57. Fundamentum denique commune pro omnibus illis Auctoribus esse potest ; quoniam Apostolus 1 *ad Corinth.* 10. Eucharistiam appellat unum, et eundem pa-

1 ad Corinth. 10. nem. *Omnes*, inquit, *unum corpus sumus, qui de uno pane participamus* : ergo omnis Eucharistia est idem numero panis cœlestis, sive sacramentum. Nec dici valet Paulum loqui de pane uno, non numero, sed specie. Nam contra est, quod ex unitate panis, quem participamus infert nos esse unum corpus : quæ illatio nulla esset, si de pane uno præcise in specie sermonem faceret. Sicut in naturalibus non bene quis colligeret nos esse unum corpus, quia unum specie alimentum edimus. Confirmatur : nam D. Ambrosius in cap. 10, *ad Hebræos* et refertur in can. (*In Christo de consecratione dist.* 10), ait : *Una est hostia, non multæ. Quomodo una et non multæ? Quia semel oblatus est Christus.* Unde colligit : *Proinde unum est sacrificium.* Et tandem addit : *Sicut enim quod ubique offertur, unum est corpus, et non multa corpora, ita sacrificium est unum.* Constat autem idem esse sacrificium, quod offertur, et sacramentum, quod sumitur. Ergo sacramentum Eucharistiæ est idem numero in omnibus speciebus. Et ratio videtur eadem tam in sacrificio, quam in sacramento, nempe esse idem numero corpus Christi, quod immolatur, et sumitur.

Confirmatio D. Amb.

Occurritur argumento. Ad fundamentum respondemus Apostolum panis nomine non intelligere sacramentum, sed Christum, qui est panis cœlestis, in sacramento contentus : sicut calicis nomine non intelligit calicem materialem, sed Christi sanguinem, qui continetur in eo : loquitur enim per methonymiam usurpans vocabulum continentis pro re contenta. Aliud enim est sacramentum, quod accipitur ab uno ; et aliud est sacramentum, quod accipitur ab alio : sed tamen quotquot communicant idem numero corpus Christi suscipiunt. Et hinc merito colligit Apostolus omnes esse idem numero corpus Christi mysticum ; quia aluntur uno numero mystico alimento ejusdem corporis Christi. Præterquam quod ad salvandum simpliciter et sententiam, et illationem Apostoli, necessarium non erat, quod omnes participaremur de eodem numero pane, sed sufficeret participare eundem vel in specie : sicut multitudo civium constans ex diversis hominibus, qui aluntur diversis panibus : sunt idem corpus politicum. Sed quod uniamur eidem numero corpori Christi sub diversis speciebus, sive sacramentis contento, fuit immensum divinæ largitatis beneficium. Ad confirmationem respondemus, quod sicut sæpius significavimus, licet in Eucharistia rationes sacrificii, et sacramenti coincidant ; sunt tamen formaliter diversæ : unde ex eo, quod sacrificium in omnibus altaribus esset idem numero, ut ad summum colligi posset ex D. Ambrosio ; non inde sequeretur esse idem numero sacramentum. Sed addi potest, quod sicut sunt plures numero Missæ, quæ celebrantur, ita et sacrificia. Quia licet res oblata, nempe Christus, sit eadem numero ; tamen sacrificium non supponit pro re oblata, sed pro actione immolativa, et oblativa : quare cum hujusmodi actio in diversis Missis sit multiplex numero, sic etiam et sacrificium : unde magis confirmatur multitudo numerica sacramenti. Et ad testimonium D. Ambrosii respondetur non loqui de sacrificio formaliter sumpto pro actione immolante, et offerente, sed sumpta præcise pro re oblata. Idque constat tum ex verbis, quibus Ambrosius utitur : tum quia id tantum referebat, sufficiebatque ad salvandum ejus sententiam, et intentionem.

Solvitur confirmatio.

§ II.

Posterior dubii pars expeditur.

58. Dicendum est secundo unitatem, et distinctionem numericam sacramenti Eucharistia desumi ex continuatione, vel discontinuatione physica specierum : atque ideo speciem v. g. panis physice continuam esse actu unum numero sacramentum ; species autem physice discontinuas esse actu plura numero sacramenta. Et dicimus *esse actu unum*, et *esse actu plura* etc. ob generalem rationem, quæ in eis, quæ sunt unum per continuationem, intervenit : dependet namque illorum unitas, vel multitudo ex continuatione, vel divisione : unde quia illud, quod est actu continuum, potest dividi, est unum in actu, et plura in potentia reducenda ad actum per divisionem : et e converso, quia illa, quæ sunt actu divisa, possunt uniri, sunt plura in actu et unum in potentia reducenda ad actum per continuationem. Sic aqua existens in uno vase est actu una numero : si vero dividatur in duo vasa, est actu plura numero. Et similiter aquæ existentes in duobus vasis sunt actu multa numero : si autem

Secunda conclusio.

Explicatur.

tem collocentur in eodem vase, sunt actu eadem numero aqua. Idemque generaliter contingit in homogeneis, quæ habent unitatem per continuationem, ut facile consideranti constabit. Ad hunc igitur modum intelligimus, asserimusque unitatem, et pluralitatem numericam sacramenti Eucharistiæ. Unde species panis continua est unum numero sacramentum in actu: sed si dividatur in duas, vel tres partes, tot erunt sacramenta in actu numero distincta. Et e contra species vini existentes in diversis calicibus sunt plura numero sacramenta in actu: sed si collocentur, et continuentur in eodem calice, fiunt unum numero sacramentum in actu. (Quæ continuatio partium prius divisarum locum forte non habet in speciebus panis, quia ita de facile continuari nequeunt: at si continuarentur, idem de illis deberet intelligi.) Unde in summa idem affirmamus de unitate, vel distinctione numerica sacramenti Eucharistiæ in esse sacramenti, quod dicitur de unitate, vel multitudine numerica specierum phycice sumptarum: atque ideo tot esse numero sacramenta Eucharistiæ, quot sunt species sacramentales physice discontinuæ. Hanc assertionem ex Thomis-

N.Corn. N. Gab. tis docent N. Cornejo in hac quæstione articulo 2, disput. 2, dub. 3, N. Gabriel disputatione 2, quæstione 3, Petrus de Ledesm. Gonzal. Montes. Ledesma, Joannes Gonzalez, Montesinos, et alii, qnos refert Prado quæstione 73, dubio 4, numero 39, et licet ipse oppositam opinionem tueatur, fatetur tamen numero 45, hanc nostram sententiam esse valde probabilem. Eandem etiam defen- Vazquez. Hurtado. Paiaus. dunt Vazquez disputatione 168, cap. 2, numero 13, Gaspar Hurtado disputatione 1, difficult. 3, Castro Palao tomo 4, tractatu Carpens. Ochag. Bernal. 21, disputatione unica, punct, 9, Carpensis tract. 22, disputatione 1, sect. 4, num. 45, Ochagavia in præs. quæstione 3, Bernal disput. 25, sect, 2, § 2, Henriquez, Meratius, et alii plures.

Ratio. Probatur primo ratione: quoniam sacramentum Eucharistiæ consistit in recto, et adæquate in speciebus, et pro illis supponit, ut constat ex dictis dub. 2; ergo hujusmodi sacramentum est unum, vel multa numero juxta unitatem, vel multitudinem numericam specierum: atque ideo ubi species sunt una numero quantitas propter physicam continuationem, ibi est unum numero sacramentum Eucharistiæ; ubi autem species sunt multæ numero quantitates propter physicam divisionem, aut discontinuationem, ibi sunt multa numero Eucharistiæ sacramenta. Cujus discursus magis declaratur: nam sacramentum Eucharistiæ non minus consistit in speciebus, et pro illis supponit, quam sacramentum Baptismi consistit in ablutione, et pro illa supponit: sed tot numero sunt sacramenta Baptismi, quot sunt ablutiones: ergo tot numero sunt sacramenta Eucharistiæ, quot sunt species: atque ideo ubi species propter physicam continuationem sunt una numero quantitas, ibi est unum numero Eucharistiæ sacramentum; et e converso ubi species ob physicam discontinuationem sunt plures numero quantitates, ici oportet esse plura numero sacramenta. Nec valet dicere plures species sæpe consecrari simul, et eadem consecrationis forma: nam contra hoc est, quod etiam plures ablutiones possunt, et solent fieri simul, et eadem baptismi forma: quo non obstante perficiuntur plura numero sacramenta Baptismi; ergo pariter licet plures species simul, et eadem forma consecrentur, sunt plura numero sacramenta Eucharistiæ. Et ratio est communis, quam jam assignavimus, nempe sacramenta consistere in materia, et pro illa supponere: quare si materia est una numero, idem numero est sacramentum; si autem materia multiplicatur numero, eadem etiam numerica pluralitas in sacramento invenietur.

59. Dices: Sacramentum Extremæ-unctionis consistit in unctionibus, et pro illis supponit: et nihilominus licet unctiones multiplicentur numero, utpote factæ in diversis corporis partibus; tamen sacramentum Extremæ-unctionis est idem numero in esse sacramenti: quippe nemo dixit eum, qui Extremam-unctionem recipit, suscipere plura numero sacramenta: ergo pariter ex eo, quod sacramentum Eucharistiæ consistat in speciebus, et pro eis supponat; non bene sequitur, quod si species sunt plures numero, debeant etiam sacramenta Eucharistiæ numero multiplicari. Objectio.

Sed hoc nihil est ob manifestam disparitatem: quia materia adæquata Extremæ-unctionis non est ulla particularis unctio determinata, sed plures unctiones: quippe interior curatio spiritualium vulnerum nequit perfecte significari nisi per apposi- Solvitur

tionem medicinæ, sive unctionis ad diversas externas vulnerum radices : unde sacramentum hujusmodi non multiplicatur numero ad quamlibet unctionem particularem, sed in omnibus unctionibus per modum unius medicamenti perfecti salvatur tam sacramentum, quam ejus numerica unitas, ut optime significavit Div. D. Tho. Thom. in suppl. ad. 3 part. quæst. 29, articul. 2 ad 2, his verbis : « Quamvis « illæ actiones sint plures simpliciter, « tamen uniuntur in una perfecta actione, « quæ est unctio omnium exteriorum sen- « suum, quibus hauritur morbus interior.» Cæterum materia sufficiens, et adæquata sacramenti Eucharistiæ est quælibet species verbi gratia panis : unde seorsim ab omnibus aliis posset consecrari : et per accidens omnino est, quod simul cum aliis panis speciebus consecretur, vel quod in eodem loco, aut vase constituatur. Quare sicut seorsim consecrata, et in separato loco, aut vase existens esset unum numero sacramentum, distinctum numerice ab omnibus aliis Eucharistiæ sacramentis ; sic etiam servat eandem numericam unitatem, licet simul cum aliis consecretur, aut simul cum illis conjungatur : quippe hæc conjunctio vel consecrationis, vel situs est omnino per accidens tam respectu sacramenti, quam respectu materiæ, pro qua supponit. Sicut est per accidens, quod unus tantum seorsim, vel plures simul baptizentur : et propterea non impeditur multitudo numerica sacramentorum baptismi ex ea conjunctione : semper enim dantur materiæ sufficientes, et adæquatæ, pro quibus sacramenta supponunt. Quæ differentia magis dignoscetur, comprehendeturque attendendo unctiones diversorum membrorum esse partes ethereogeneas, sive diversæ rationis, ex quibus integratur totum Extremæ-unctionis sacramentum, ut satis constat ex eo, quod fieri debent in diversis membris, et quod per formas diversas fiunt. Partes autem ethereogeneæ seorsim sumptæ non habent propriam rationem totius compositi, ut constat in partibus integralibus hominis, quorum nulla est homo. Et propterea nulla particularis membri unctio est sacramentum Extremæ-unctionis : et consequenter plures hujusmodi unctiones non sunt multa numero Extremæ-unctionis sacramenta, sed integrant idem numero sacramentum. Plures autem species verbi gratia panis sunt quid homogeneum, et ejusdem omnino rationis ; unde consecrari queunt, et per unam formam ; et per plures repetitas ejusdem rationis formas : quare sicut, concedentibus Adversariis, omnes sunt sacramentum Eucharistiæ, sic etiam plures sunt plura numero sacramenta : sicut proportionabiliter contingit in multis baptismi ablutionibus. Et quod habeant aliquam contiguitatem, vel indistantiam, est pure per accidens : nam eandem omnino rationem vel conjunctim, vel separatim positæ observant.

60. Secundo probatur eadem conclusio alio fundamento, quo magis adhuc convincimur : nam cum sacramentum Eucharistiæ sit aliquando unum numero, et aliquando multiplex numero, ut satis liquet ex dictis §. præcedenti, et cum fateri oporteat, quod sicut hoc sacramentum habet esse permanens a parte rei, sic etiam debet habere numericam unitatem, et distinctionem : necessarium omnino est assignare aliquod certum ; et determinatum principium, et radicem, ex quibus talis unitas, vel distinctio desumatur, ut sic certo scire, et dicere possimus, quando datur unum numero Eucharistiæ sacramentum, et quando dantur plura hujusmodi sacramenta. Nihil autem ad prædictum effectum congruentins assignari valet, quam unitas, vel divisio physica specierum, in quibus sacramentum consistit. Ergo tenendum est unitatem, et distinctionem numericam sacramenti Eucharistíæ desumi ex unitate, et divisione physica specierum : atque ideo hujusmodi sacramentum esse unum numero, quando datur unio, sive continuatio physica ex parte specierum ; esse autem plura numero, quando species sunt physice discontinuæ. Cætera constant. Et minor potest suaderi primo : quia nihil est adeo intrinsecum sacramento Eucharistiæ in esse sacramenti, sicut species; siquidem istæ in recto sunt ipsum sacramentum, ut vidimus dubio 2, ergo pro unitate, vel distinctione sacramenti nihil congruentius assignari valet, quam unitas, vel distinctio, sive (et in idem redit) continuatio, vel divisio physica specierum. Sed probatur secundo, et evidentius eadem minor excludendo alia omnia principia, quæ assignari possent, et solent ad fundandum unitatem, vel distinctionem numericam sacramenti. Secunda assertionis ratio.

Quod

Aliquorum responsio evertitur. Quod enim aliqui dicunt prædictam unitatem fundari in contiguitate, vel indistantia locali specierum, ita quod omnes species existentes in uno loco, vel vase, licet physice discontinuæ, sunt idem numero sacramentum : facile convincitur falsitatis : quoniam fieri valet, quod ex duabus hostiis contiguis, et existentibus in eodem altari, et corporali unus sacerdos consecret aliam hostiam : sed quilibet efficit sacramentum : ergo efficiunt duo sacramenta numero distincta. Quod evidentius apparet, ubi consecratio unius fit post consecrationem alterius. Et tamen fit suppositio, quod prædictæ hostiæ sunt contiguæ, sive loco indistantes. Ergo unitas, et distinctio numerica hujus sacramenti non desumitur ex indistantia, vel distantia locali specierum. Confirmatur : quia impossibile est idem numero permanere, et non permanere, sive retinere esse, et amittere; sicut impossibile est, quod idem numero sit, et non sit : sed ex duabus hostiis existentibus in eodem vase fieri potest, quod una permaneat, et alia non permaneat, ut si una relinquatur, et alia sumatur, vel corrumpatur : in quo casu verificatur sacramentum Eucharistiæ permanere, et non permanere : ergo non est idem numero sacramentum Eucharistiæ : atque ideo localis indistantia, et distantia specierum minime sufficit ad fundandum unitatem, vel distinctionem numericam hujus sacramenti in esse talis.

Alia responsio impugnatur. 61. Quod autem Granados, et quidam alii dixerunt unitatem numericam hujus sacramenti desumi ab unitate consecrationis, distinctionem vero a diversitate consecrationum ; et ita ubi plures hostiæ consecrantur una consecratione, esse unum sacramentum ; ubi autem consecrantur pluribus consecrationibus esse plura sacramenta numero distincta : non majorem firmitatem, veritatemque habet, quam modus dicendi proxime impugnatus. Unde refellitur primo : quia unitas, et distinctio numerica non desumitur ex causa efficienti, quæ est quid extrinsecum, sed ex aliquo principio intrinseco, ut inductive potest ostendi : consecratio autem comparatur per modum causæ efficientis ad hoc sacramentum : quare ex vi illius non possumus dimetiri ejus unitatem, aut multitudinem. Secundo, quia eadem verborum prolatio potest perficere plura sacramenta baptismi numero distincta : ergo similiter eadem verborum prolatio, sive consecratio potest conficere plura sacramenta Eucharistiæ numero diversa : id enim paritatis ratio convincit, ut expendimus numero 58, atque ideo ex unitate consecrationis non bene colligitur unitas numerica sacramenti. Tertio, quia fieri potest, quod consecrationes numero distinctæ efficiant idem numero sacramentum ; et e converso quod una numero consecratio efficiat sacramenta numero distincta : ergo idem quod prius. Antecedens quoad primam partem constat, ubi plures sacerdotes simul proferunt verba consecrationis super eundem panem, sicut in ordinatione sacerdotum contingit : tunc enim dantur plures numero consecrationes, et unum numero sacramentum. Liquet etiam quoad secundam partem in casu, quo sacerdos panes longe inter se distantes, sed ipsi sacerdoti præsentes eisdem verbis consecret : tunc quippe datur eadem numero consecratio, et dantur sacramenta numero distincta, ut satis convincitur ex eorum distantia, et ex eo quod unum potest sumi, aut destrui altero permanente, ut supra arguebamus.

Aliorum solutio refellitur. Quod præterea Villalobos, Bellarminus, et alii significarunt unitatem, et distinctionem numericam hujus sacramenti regulandam fore per respectum ad sumptionem, quippe quod habet rationem convivii; et consequenter omnes species, quæ ab uno, et una sumptione sumuntur, esse idem numero sacramentum ; species autem, quæ sumuntur a multis esse multa numero sacramenta : non magis satisfacit, quam modi dicendi hactenus impugnati. Nam in primis hoc sacramentum non consistit in usu, sed habet esse permanens, et antecedenter ad usum : unde necessarium est, quod antecedenter ad sumptionem sit unum, vel plura numero, sicut contingit in omnibus, quæ existunt in rerum natura : ergo sumptio actualis nequit esse principium, ex quo sacramentum habeat esse unum, vel multa numero. Præterea negari nequit, quod species consecratæ a diversis sacerdotibus, et diversis locis, et temporibus, sunt multa sacramenta numero distincta : et tamen contingens est, quod omnes illæ species conjungantur in eodem vase, et sumantur simul ab eadem persona : ergo stat bene, quod sumptio specierum sit una, et species sumptæ sint multa sacra-

menta : quod satis declarat unitatem, vel distinctionem numericam hujus sacramenti non desumi penes unitatem, vel diversitatem sumptionis. Quod vero ubi species sumuntur a pluribus, sint plura numero sacramenta, verum quidem est : at non provenit ex radice ab his Auctoribus assignata, sed a principio, quo supra statuimus, a discontinuatione videlicet physica specierum. Et liquet ex motivo proxime assignato, nempe contingens esse, quod plura sacramenta eadem sumptione sumantur.

Alius dicendi modus diruitur. 62. Quod ulterius addunt (modum proxime propositum temperantes, et magis explicantes) Joannes a Sancto Thoma, Gonetus, Noster Philippus, et alii multi unitatem, vel distinctionem numericam hujus sacramenti desumi quidem non a sumptione actuali, ad quam supponitur sacramentum, ut immediate ostendimus ; sed ab ordine ad sumptionem : quia licet hoc sacramentum non consistat in usu, importat nihilominus ordinem ad sumptionem, cum institutum fuerit per modum convivii : unde colligunt species consecratas in ordine ad unam sumptionem esse unum numero sacramentum ; consecratas vero in ordine ad plures sumptiones esse plura sacramenta numero distincta. Id, inquam, minime animum quietat, sed affert potius novam caliginem, et impugnandi materiam. Inquirimus namque, utrum ille ordo ad unam, vel multas sumptiones, juxta quem statuunt unitatem, vel multitudinem numericam sacramentorum in speciebus consecratis, sit ex institutione divina, an vero ex sola, et voluntaria sacerdotis consecrantis intentione ? Primum dici non potest : tum quia licet Christus instituerit Eucharistiam in ordine ad sumptionem ; non tamen determinavit ad quas sumptiones : quare ex vi prædictæ ordinationis determinari nequit, quot sint numero Eucharistiæ sacramenta. Tum quia ex opposito fieret, quod sacerdos graviter peccaret ordinando Eucharistiam a se factam ad unam sumptionem, si ex institutione divina deberet ordinari ad plures, aut e converso : quod tamen nullum habet fundamentum, et est contra communem omnium sensum. Oportet igitur eos Auctores loqui de ordine intento ab ipso sacerdote consecrante, quatenus intendit consecrare species ad unius, vel plurium communionem. Et in hoc sensu efficaciter refelluntur. Primo quidem, quia talis ordinatio est prorsus accidentaria, et contingens : unde fieri simpliciter valet, quod sacerdos intendat absolute consecrare, et consecret plures species, abstrahendo ab intentione, sive nullam habendo intentionem communicandi illas uni determinate, nec multis determinate. In quo casu negari nequit dari re ipsa unum numero sacramentum in actu, vel plura numero sacramenta in actu : et tamen nulla tunc adest ordinatio ad unam, vel plures sumptiones. Ergo prædictus dicendi modus est insufficiens ad rem, quam versamus, declarandam. Secundo, quia stat bene, quod sacerdos consecrans ordinet species ad unam sumptionem ; et nihilominus sint plura numero sacramenta, ut contingeret, si post, et contra illam intentionem distribueret illas species pluribus communicantibus : singuli enim reciperent singula sacramenta, et plures plura. Similiter stat bene, quod sacerdos consecrans ordinet species ad plures sumptiones ; et quod hoc non obstante sint unum numero sacramentum, ut accideret, si post, et contra illam intentionem omnes illas species per modum unius conferret uni communicanti : in quo casu juxta prædictos Auctores communicans non recipit nisi unum numero sacramentum. Signum igitur est unitatem, vel multitudinem numericam hujus sacramenti non desumi ex ordinatione sacerdotis consecrantis, aut distribuentis species, nec illi commensurari debere.

Unde uterque immediate præmissus dicendi modus evertitur : quia si unitas, et distinctio numerica hujus sacramenti sumeretur a sumptione ; vel esset a sumptione actuali, vel esset a sumptione aptitudinali, sive (et in idem recidit) ab ordine ad sumptionis actum, et exercitium : neutrum dici potest ; ergo unitas, et distinctio numerica hujus sacramenti non desumitur a sumptione. Minor quantum ad sumptionem actualem videtur manifesta : quoniam sicut hoc sacramentum antecedenter ad sumptionem, sive usum habet esse sacramentum (quippe non consistit in usu ut fides docet), sic etiam habet esse unum sacramentum, vel multa : ergo ejus unitas, et distinctio numerica non desumitur a sumptione actuali. Deinde quantum ad sumptionem aptitudinalem, sive ordinem ad Major impugnatio.

ad sumptionis actum, et exercitium, etiam ostenditur : quoniam licet de essentia hujus sacramenti sit dicere ordinem ad usum, sive sumptionem; cum sit quoddam convivium præparatum : tamen ex sua institutione solum habet respicere sumptionem ut sic, et absolute, sive præscindendo ab eo, quod sit una, vel plures : ergo ex vi hujus nequit esse vel determinate unum numero sacramentum, vel determinate plura numero sacramenta. Et si fiat recursus ad intentionem sacerdotis consecrantis; insufficientiæ, atque falsitatis facile convincetur : tum quia sacerdos potest valide consecrare, non intendendo unam, vel plures sacramenti sumptiones, sed ab hoc præscindendo. Tum quia stante intentione unius sumptionis possunt succedere multæ sumptiones numero; et e converso stante intentione plurium sumptionum potest succedere una numero sumptio. Nihil itaque certum circa unitatem, vel distinctionem numericam hujus sacramenti potest ab hoc capite diffiniri.

Altera explicatio confutatur.

63. Quod denique N. Franciscus (ut extremas in hac parte opiniones conciliet) dicit unitatem, vel distinctionem numericam hujus sacramenti physice consideratam desumi ex physica continuatione, vel discontinuatione specierum : moraliter autem consideratam desumi ex continuatione, vel discontinuatione morali, quatenus species per modum unius, aut plurium proponuntur, aut sumuntur : quia stat bene aliqua esse plura physice, et unum moraliter, ut liquet in duabus voluntatibus Petri circa idem objectum peccaminosum, quæ licet sint duæ physice, reputantur moraliter una numero in ordine ad confessionem. Id, inquam, qua dicitur facilitate, etiam evertitur : non enim dubitamus ea, quæ sunt physice plura, esse posse unum moraliter, quin et physice in ordine ad aliquem finem, sicut plures lapides sunt una domus, et multi homines unus exercitus, et species panis, et vini unum sacramentum. Et in eodem sensu concederemus plures species panis discontinuas esse moraliter unum numero sacramentum, si nobis occurreret, vel ab isto Auctore, et aliis assignaretur principium aliquod, ex quo talis unitas moralis, et moraliter considerata desumeretur. At prædictus Auctor nullam hujusmodi radicem assignat, sed rem in communi statuit, et in confuso reliquit. Quod minime satisfacere potest. Porro omnia capita, ex quibus prædicta unitas moralis, et moraliter considerata desumi posset, jam ab aliis assignata fuerunt, et a nobis impugnata : quippe desumi non valet nisi vel a contiguitate, et coexistentia locali, vel a consecratione, vel a sumptione, vel ab ordine ab sumptionem : quæ omnia, et singula ostendimus insufficientia pro abstruendo unitatem, vel distinctionem numericam hujus sacramenti. Id vero, quod dicitur de pluribus actibus peccaminosis, facile concedimus : possunt enim plures hujusmodi sive interni, sive externi esse idem numero peccatum moraliter, propter subordinationem videlicet ad unam, et eandem intentionem non interruptam, quæ in omnibus illis formaliter, aut virtualiter continuatur. Sed hujusmodi principium, aut quid simile in re, quam versamus, minime reperitur : plures enim species panis physice discontinuæ nullam habent subordinationem vel inter se, vel in ordine ad aliquod tertium, ut supra ostendimus : quare sunt non solum plures species physice, sed multa etiam moraliter sacramenta. Et ideo comparari non debent illis actibus subordinatis, atque ex eadem intentione procedentibus : sed magis debent assimilari pluribus actibus non subordinatis, utputa multis intentionibus diversis, aut interruptis : quos esse plures actus non solum physice, sed moraliter, et plura subinde numero peccata in confessione detegenda, certum est apud omnes.

Reintegratur discursus.

Revocando itaque ad summam hactenus dicta, instauratur propositum fundamentum : quoniam oportet assignare aliquod principium, juxta quod cum majori certitudine, et uniformitate, qua possimus, explicetur unitas, et distinctio numerica sacramenti Eucharistiæ, et unde proveniat, quod species panis sint, aut non sint idem numero sacramentum. Hoc autem salvari non potest recurrendo ad principia illa extrinseca, quæ recensuimus, vel indistantiæ secundum locum, vel consecrationis, vel sumptionis, vel ordinis ad sumptionem, ut constat ex dictis. Ergo aliud principium assignare oportet. Nullum autem vel immediatius, vel magis proprium assignari valet, quam ipsæ species sacramentales, in quibus consistit, et pro quibus supponit sacramentum, consideratæ secundum physicam sui continuationem, aut discontinua-

tionem. Ergo ab hoc capite desumenda est unitas, vel pluralitas numerica hujus sacramenti : ita quod ubi species sunt physice continuæ, ibi sit unum sacramentum; et ubi species sunt discontinuæ, ibi sint

Nota. plura numero sacramenta. Unde ulterius fit, quod quia hæc numerica sacramenti unitas, vel pluritas sequitur modum individuationis continuorum; in quibus unum actu potest fieri plura actu per divisionem, et e converso plura actu possunt fieri unum actu per continuationem : sic etiam species panis, quæ quia continuæ, sunt actu unum sacramentum, possunt fieri plura sacramenta in actu per divisionem; et e converso species vini positæ in duobus calicibus, quæ quia discontinuæ sunt actu plura sacramenta, possunt fieri unum sacramentum in actu per continuationem, si collocentur in eodem vase. Et hæc est major uniformitas, certiorque regula, quam circa unitatem, et pluralitatem numericam hujus sacramenti, attentis omnibus, et post longam considerationem possumus statuere.

§ III.

Refertur opinio secundæ assertioni contraria, et ejus motivis satisfit.

64. Plures Auctores sentiunt Sacramentum Eucharistiæ non habere unitatem, vel multiplicationem numericam secundum unitatem, vel multitudinem physicam specierum, quæ istis convenit ex continuatione, aut divisione physica quantitatis : sed talem sacramenti unitatem, vel distinctionem in esse sacramenti accipiendam esse moraliter, et per respectum ad alia principia : quamvis varient in his assignandis dum alii recurrunt ad consecrationem, et alii ad sumptionem, et alii ad considerationis alias, ut constat ex dictis

Sotus. § præcedenti. Ita Sotus in 4, distinct. 8,

Bellarm. quæstione unica, artic. 2, Bellarminus lib.

Nugnus. Villal. 4, *de Eucharistia* cap. 14, Nugnus in hac quæstione articulo 2, ad 7, Villalobos tomo

Joan. a S. Tho. Valenc. Prado. I, tract. 7, difficult. 4, Joannes a Sancto Thoma disputatione 26, articulo 3, sub titulo *De unitate numerica Eucharistiæ*. Valencia disputatione 6, quæst. I, puncto

Bonacin. 4, Prado quæst. 73, dub. 4, num. 46, Bonacina disputatione 4, quæst. I, puncto 4,

Gonet. Gonet disputatione 2, articulo 3, Noster Philippus disputatione 1, dubio 9, Noster N. Phil. N. Fran.
Franciscus cap. 2, puncto 2, num. 47, et alii plures. Pro qua sententia.

Arguitur primo : nam ea, quæ sunt ali- Primum argumentum.
quid morale, debent morali modo habere suam unitatem, et distinctionem; cum unitas sequatur rei entitatem : sed sacramentum Eucharistiæ est quoddam totum, et compositum morale ; siquidem generaliter loquendo unio inter materiam, et formam in sacramentis non est physica, sed moralis, ut statuimus tract. præced. disput. 2, dub. 2, § 3 ; ergo unitas, et distinctio numerica sacramenti Eucharistiæ morali modo concipi, et statui debet : atque ideo non oportet, quod istud sacramentum sit unum, vel multa numero juxta unitatem, vel distinctionem numericam physicam specierum : sed fieri valet, quod licet species sint plures numero, sacramentum tamen in esse sacramenti sit numerice, et individualiter unum.

Confirmatur : quia istud sacramentum Confirmatio.
institutum fuit per modum convivii : sed ubi plura fercula ordinantur ad unam refectionem, non dicuntur plura numero convivia, sed unum : ergo quando plures species ordinantur ad unam refectionem, non sunt plura sacramenta, sed unum. Probatur minor tum ex communi modo concipiendi : tum quia Genes. 21, dicitur Gen. 21.
Abraham *fecisse grande convivium*, et Da- Dan. 5.
niel 5, Balthasarem *fecisse grande convivium :* quibus locis significatur convivium fuisse unum ; et tamen certum est plura fercula apposita fuisse : ergo ubi plura fercula ordinantur ad unam refectionem, non sunt plura convivia, sed unum.

Ad argumentum respondemus concessa Solvitur argumentum.
majori, minori, et prima consequentia, negando secundam : quoniam licet unitas, vel distinctio compositi moralis debeat fieri morali modo ; nihilominus sæpe contingit, quod hic modus coincidat re ipsa cum physica rerum vel unitate, vel distinctione, in quibus moralitas sita est. Sic enim ubi plures actus peccaminosi circa idem specie objectum nullam habent subordinationem, sed interrumpuntur, et discontinuantur formaliter, et virtualiter; sunt plura numero peccata non solum physice, sive ex parte actuum, sed etiam moraliter, et in esse peccati : quia ubi non occurrit principium aliquod morale, unde unitas moralis desumatur, oportet recurrere ad principia

principia physica, sive ad entitates operationum, quibus moralitas inest. Et idem contingit, ubi plures actus peccaminosi circa idem specie objectum eliciuntur a diversis hominibus, vel ab eodem homine in diversis longe temporibus : sunt enim plures numero non solum in esse physico, sed etiam in esse morali juxta operationum numerum : quippe non stante ex aliis capitibus radice unitatis numericæ moralis, necessarium est fieri multiplicationem moralem secundum numerum subjectorum. Idemque accidit in præsenti materia : nam stante diversitate numerica specierum, sive physica illarum discontinuatione, nullum est assignabile principium, unde sacramentum sit unum numero in esse sacramenti, sive recursus fiat ad indistantiam localem specierum, sive ad consecrationem, sive ad sumptionem, ut § præced. ostendimus. Unde fateri oportet tot esse numero sacramenta, quot numero sunt species. Ubi enim nullum occurrit principium uniendi, et e contra adest principium distinguendi, cujusmodi est subjectum, sive materia (ex qua numerica rerum distinctio communiter sumitur), admittere oportet distinctionem rerum, quæ in tali materia, vel subjecto habent esse, sive illæ sint physicæ, sive morales.

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem respondetur excessive probare, et debere ab objicientibus dilui : nam evincit, si quid valet, quod ubi plures simul fideles suscipiunt sacram communionem, non sit nisi unum numero Eucharistiæ sacramentum : quia juxta arguentium intentionem non datur tunc nisi unum numero convivium : sicut convivium Abrahæ, vel Balthasaris non fuit nisi unum, ut confirmatio repræsentat, quamvis convivæ plures numero fuerint. Id vero quam falsum, et absurdum sit, facile constat : nam quilibet fidelis omnium concurrentium recipit unum numero sacramentum, et quod unus suscipit, non recipitur ab alio : quare ubi plures numero communicantes concurrunt, dantur, et participantur plura numero sacramenta. Nec id negari valet, nisi recurrendo ad sententiam asserentem non dari in Ecclesia nisi unum numero sacramentum Eucharistiæ : quod jam rejectum est § 1, et rejicitur ab Auctoribus, qui modo nobiscum altercantur. Unde liquet objectam ab eis confirmationem nihil evincere. Dicendum itaque est convivii vocabulum esse æquivocum : nam vel sumi potest pro actione præparandi fercula, et comedendi ipsa ; vel sumi valet pro ipsis ferculis præparatis. Et in priori sensu salvari potest unitas numerica convivii, licet fercula plura sint. Sed prædictus sensus adaptari non valet rei præsenti, quam versamus : quoniam sacramentum Eucharistiæ non consistit in ulla actione, sive usu, sed est sacramentum simpliciter permanens, habetque proinde sicut suum esse, ita etiam suam unitatem, vel distinctionem numericam post omnem materiæ præparationem, et antecedenter ad omnem usum, vel sumptionem, ut fides docet. Oportet itaque recurrere ad alium sensum, quo convivium sumitur pro ferculo : et in prædicto sensu ratio convivii, et ratio ferculi omnino coincidunt : unde fateri oportet tot esse numero convivia, quot fercula fuerint. Ferculorum autem numerus non dependet a sumptione, ut ex se liquet. Unde nihil refert sumptionem esse unam, vel simultaneam ad distinctionem numericam ferculorum. Et sic contingit in Eucharistia : tot enim numero sunt fercula, et in prædicto sensu convivia, quot sunt numero species consecratæ. Quare quod plures sumantur ab uno, vel a pluribus simul ad altare concurrentibus, minime probat esse idem numero sacramentum; sed magis probat oppositum. Quod autem dicebatur de convivio Abrahæ, aut Balthasaris nihil evincit contra hanc doctrinam : nam eis locis sumitur convivium pro præparatione ferculorum : id vero minime facit ad rem præsentem ; cum Eucharistia non supponat pro præparatione materiæ, sed pro speciebus, seu ferculis præparatis.

65. Nec refert, si insistas, quod licet sumptio non sit de essentia Eucharistiæ, nec illam in esse sacramenti constituat : nihilominus ad hujus sacramenti essentiam pertinet ordo ad sumptionem : ergo prædicti sacramenti unitas, vel distinctio numerica potest regulari per respectum ad unam, vel plures sumptiones : ergo licet species sint plures numero, possunt esse idem numero sacramentum, si ad unam sumptionem numero referantur. Id, inquam, nihil valet, et convulsum fuit num. 62, quoniam licet Eucharistia ex institutione divina, et specifica sui conditione importet ordinem ad sumptionem ; non tamen ad sumptionem numero unam, vel numero plures ; sed ab Replica. Dispellitur.

hoc præscindit. Unde ex vi hujus principii determinari non valet, an Eucharistia in rerum natura existens sit una, vel plures numero. Recursus autem ad intentionem sacerdotis consecrantis, vel distribuentis nihil prodest: tum quia est omnino extrinseca : tum quia fieri valet, ut sacerdos nullam hujusmodi intentionem habeat : tum quia fieri etiam potest, quod distributio sacramenti minime correspondeat intentioni præhabitæ, ut loco citato magis expendimus.

Secundum argumentum.

66. Arguitur secundo : nam sacerdos celebrans, et perficiens Missæ sacrificium non recipit nisi unum numero sacramentum Eucharistiæ : et tamen recipit plures species physice discontinuas; siquidem hostiam frangit, et dividit in tres partes:ergo sacramentum Eucharistiæ non multiplicatur numero juxta numerum specierum physice discontinuatarum. Et idem argumentum fieri potest, ubi sacerdos suscipit sanguinem pluribus haustibus physice discontinuis. Idem etiam fieri valet, ubi renovat Eucharistiam sacrarii, et consumit successive plures hostias,aut particulas. Idem denique, quando laico dantur plures particulæ per modum unius. Nam in omnibus his casibus non recipitur, nisi unum numero sacramentum Eucharistiæ, quamvis species sint plures numero. Et hæc est communis omnium apprehensio.

Responsio.

Respondetur huic argumento negando majorem : quia licet sacerdos in Missa recipiat unum numero sacramentum, quantum est ex vi illius, quod habet rationem *rei,et sacramenti simul*,quod est idem numero corpus Christi in omnibus speciebus; et similiter ex parte effectus,quia eadem gratia communicatur per unam, vel plures numero species (et ad hæc attendit communis apprehendendi, et loquendi modus): nihilominus recipit plura numero sacramenta, loquendo de eo, quod habet rationem *sacramenti tantum :* quia istud adæquate, et in recto consistit in speciebus : quocirca debet sicut illæ numero multiplicari. Præsertim cum non valeat assignari aliud principium, ex quo unitas, vel multitudo numerica hujus sacramenti desumatur, ut constat ex dictis § præcedenti. Porro nullum esse inconveniens, quod sacerdos in uno, et eodem Missæ sacrificio recipiat plura numero sacramenta, quin potius debere ita contingere; facile ostenditur exemplo specierum panis, et specierum vini: istæ enim cum distinguantur specie partiali in ratione sacramenti, ut diximus num. 45, a fortiori debent etiam distingui numero. Sicut igitur loquendo de his speciebus panis, et vini non est inconveniens sacerdotem recipere plura numero sacramenta: sic loquendo de speciebus panis discontinuis, et de speciebus vini sumptis multiplici haustu, non est inconveniens, quod plura numero sacramenta suscipiat. Et eodem modo respondendum est ad alios casus in argumento propositos.

Tertium argumentum.

67. Sed replicabis (et sit tertium,et difficilius argumentum,) ex præmissa doctrina inferri sacerdotem, aut laicum recipientem duas hostias, aut particulas, recipere cæteris paribus majorem gratiam ex opere operato, quam ille, qui suscipit unam tantum hostiam, vel particulam : id vero est contra communem Ecclesiæ sensum, et dat occasionem suscipiendi plures,et plures hostias contra communem etiam ejusdem Ecclesiæ praxim : ergo prædicta doctrina statuens tot esse sacramenta, quot sunt species physice discontinuæ, est falsa et minime sustinenda. Sequela ostenditur : quia unicuique numero sacramento correspondet distinctus gradus gratiæ ex opere operato : ergo duobus hujusmodi sacramentis correspondent duo gratiæ,gradus,et pluribus plures: sed asserimus sacramenta multiplicari numero juxta multitudinem numericam specierum : ergo sacerdos, vel laicus, qui duas suscipit hostias, vel particulas, recipit cæteris paribus majorem gratiam ex opere operato, quam ille, qui unam tantum hostiam, vel particulam participat. Nec satisfaciet respondens omnes illas hostias sumi una communione.Nam contra est : tum quod communio, sive perceptio non est sacramentum, sed mera sacramenti applicatio : unde sicut unitas sumptionis non impedit, ut affirmamus, multitudinem numericam sacramenti ; sic nec impedit, quod talia sacramenta habeant abundantiorem effectum, quam unum. Tum etiam quia argumentum non revocatur unice ad simultaneam hostiarum sumptionem ; sed fieri, et applicari valet, ubi hostiæ successive sumuntur : in quo casu sicut hostiæ sunt plures numero, sic etiam sumptiones, seu communiones. Nec rursus difficultatem diluet, qui dicat illa sacramenta esse ejusdem rationis,et solo numero differre: quare simul

simul, vel divisim sumpta nequeunt intensiorem effectum producere, ut patet in duobus calefactivis ejusdem intensionis, v. g. ut quatuor : nunquam enim efficient calorem nisi ut quatuor, quamvis simul, aut seorsim applicentur. Nam contra hoc est, quod licet hæc doctrina vera sit in rebus omnino physicis, non tamen in sacramentis : nam certum est eum, qui heri suscepit sacramentum Eucharistiæ, ejusque effectum, si hodie iterum cum eadem dispositione aliud numero Eucharistiæ sacramentum suscipiat, recipere novam, et supra præcedentem majorem gratiam ex opere operato : ergo idem continget, quando illamet sacramenta simul recipit, vel unum immediate post aliud.

Dissolvitur. Ad hanc replicam, sive argumentum respondetur negando sequelam. Cujus probatio, licet videatur contra nostram doctrinam specialiter procedere, re vera tamen attingit communem difficultatem, ab omnibus diluendam, et quæ in opponentes regeri debeat. Nam in primis species panis, et species vini distingui specie partiali, et plusquam numero in ratione sacramenti docet satis communis sententia, ut constat ex dictis num. 45; unde consequens videtur eum, qui recipit ambas panis, et vini species, recipere cæteris paribus majorem gratiam ex opere operato, quam suscipiens præcise species panis : quo non obstante communior sententia negat hujusmodi inæqualitatem ex parte effectus. Ergo pariter licet duæ species panis sint duo sacramenta, non inde sequitur eum, qui duas species suscipit, recipere cæteris paribus majorem gratiam, quam ille, qui tantum recipit unam. Præterea esto, quod duæ panis species non sint duo sacramenta, sed unum, ut Adversarii volunt; nihilominus quælibet species, sive particula habet vim causandi gratiam, et illam, quantum est de se, causat independenter ab alia, ut liquet, quando sumitur seorsim, et per se : et nihilominus non docent Adversarii eum, qui simul, aut successive suscipit plures particulas, recipere cæteris paribus majorem gratiam ex opere operato, quam ille, qui præcise suscipit unam particulam. Sic igitur licet asseramus duas particulas esse duo sacramenta numero distincta, non propterea obligamur concedere suscipientem duas particulas suscipere plus gratiæ, quam suscipiens unam præcise. Quare ad prædictam probationem respondemus, quod licet cuilibet sacramento correspondeat aliquis gradus gratiæ; tamen ubi plura numero sacramenta recipiuntur simul, aut successive, non producuntur diversi, aut plures gradus gratiæ, quam ille, qui unicuique sacramento seorsim sumpto respondet : sicut idem omnino contingit, ubi plures particulæ sumuntur, appellentur, aut non sacramenta. Et ratio est : quoniam licet sacramentum sit causativum gratiæ, et sumptio sacramenti sit sola conditio; nihilominus promissio gratiæ conferendæ non est facta sacramento secundum se sumpto, sed manducationi sacramenti, sive sacramento ut per manducationem applicato, juxta illud Joann. 6 : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ubi autem plures particulæ, aut plura numero sacramenta suscipiuntur vel simul, vel successive, non adest, nisi una numero manducatio, ut liquet in manducatione cibi materialis, licet per aliquod tempus duret. Et ideo cæteris paribus non plus gratiæ producitur per manducationem plurium particularum, aut plurium sacramentorum, quam per manducationem unius tantum particulæ, sive sacramenti. Juxta quam doctrinam approbamus primam responsionem inter arguendum datam. Et ad primam ejus impugnationem constat ex immediate dictis, quod licet manducatio non sit sacramentum, sed conditio; nihilominus gratia non promittitur sacramento, sed ejus manducationi : quare plura numero sacramenta non plus causant, quam unum, ubi sumuntur eadem manducatione. Ad secundam respondemus idem dicendum esse de manducatione successiva plurium particularum, sive sacramentorum, ac de manducatione eorum simultanea, qua conjunctim omnes eædem particulæ suscipiuntur : quia etiam manducatio successiva est una numero, et unus numero motus successsivus, ut in manducatione cibi materialis constat.

Nota. Joan. 6.

Major explicatio. In summa igitur asserendum est, quod ubi plures simul, aut successive particulæ suscipiuntur, non causant cæteris paribus, majorem gratiæ effectum, quam si una tantum susciperetur: ad quod nihil refert, quod sint plura numero sacramenta, et signa practica ejusdem gratiæ, ut affirmamus : quoniam hujus promissio immediatius facta est manducationi, quam sacramento. Quod non tam in naturas rerum, quam in

Christi institutionem revocandum est. Dari vero talem institutionem liquet ex communi consensu, et Ecclesiæ praxi,ut ipsum argumentum supponit, supponereque debet, ne contra se reflectatur. Potest autem res declarari exemplis: nam quilibet ramus ante tabernam pendens est signum vini vendibilis,et plures rami sunt plura signa: et tamen plures rami, pluraque hujusmodi signa non habent majorem, vel diversum effectum, quam unus ramus, vel unum signum. Sigillum etiam regis impressum diplomati est signum voluntatis regiæ, et si plura imprimantur sigilla, erunt plura signa,et eorum quodlibet potens ad effectum: et tamen diploma non plus operabitur, si millies sigillum regium recipiat, et mille signa importet, quam si unum tantum sit. Sic ergo quamvis quælibet species sit signum gratiæ, et illam, quantum est de se, causet, et licet plures species sint plura signa, et plures, quantum est de se, causæ: nihilominus quando una manducatione simultanea, vel successiva sumuntur, non plus operantur, quam quælibet species seorsim acceptæ.

Replica. 68. Sed adhuc insistes: quoniam si ubi sumuntur simul plures species (quæ ut affirmamus, sunt plura numero sacramenta), non causaretur nisi unicus effectus, sicut quando sumitur una tantum; vel talis effectus causaretur ab una præcise specie, vel ab omnibus simul. Primum dici non potest: quia omnes sunt de se causativæ, et non est ratio, quare effectus causetur ab una, et non ab alia. Nec secundum dici valet: quia vel concurrerent ut causæ partiales: et hoc non; cum quælibet habeat virtutem sufficientem, et adæquatam ad talem effectum. Vel concurrerent ut causæ totales: et nec istud dici valet; siquidem impossibile est eundem effectum dependere, et produci a pluribus causis totalibus, et ejusdem ordinis, cujusmodi sunt plures illæ species, et plura illa juxta nostram sententiam sacramenta.

Solvitur. Respondetur hanc replicam non impugnare specialiter sententiam nostram, sed applicari eodem modo posse pluribus numero speciebus (sive dicantur, sive non dicantur plura numero sacramenta), quando simul, vel successive sumuntur, ut facile consideranti constabit. Quam difficultatem fusius versabimus in proprio loco, disp. 10, dub. 2. Nunc breviter dicendum est, quod si plures particulæ successive sumantur,totus effectus sacramentalis producitur in instanti, in quo verum est primam particulam esse sumptam, et ad stomachum trajectam : quia tunc primum adest sacramenti manducatio, cui gratiæ effectus est repromissus : aliæ vero particulæ succedentes non producunt (saltem ubi non adest major dispositio), distinctum effectum, quia proprium sacramenti effectum supponunt, et non connotant distinctam manducationem, ut docent Sotus, Suarez, et alii, quos refert, et sequitur Noster Franciscus in hoc tract. capite 6, puncto 1, numero 7, et Prado quæst. 79, dubio 2, § 4. Et idem dicimus, ubi plures particulæ simul sumuntur : quia communiter loquendo earum una prius applicatur, et trajicitur ad stomachum. Et utramque hanc partem satis expressit Div. Thom. infra quæst. 79, art. 7 ad 3, ubi ait : « Nihil plus virtutis est in multis hostiis consecratis, quam in omnibus, cum sub omnibus,et sub una non sit nisi totus Christus. Unde nec si aliquis in una Missa multas hostias consecratas sumat, participabit majorem effectum sacramenti. » N. Fran. Prado. D. Tho.

Occurritur incidenti difficultati. Si autem casus metaphysicus fingatur, quod omnes particulæ simul sumptæ æque primo, et immediate manducantur, et ad stomachun trajiciuntur; tenendum est omnes, et singulas producere eundem gratiæ effectum, licet non majorem, quam si earum una tantum seorsim sumeretur. Concurrunt autem omnes, et singulæ ad prædictum effectum, ut causæ totales, sive habentes virtutem sufficientem, et adæquatam pro tali effectu, ut contingit etiam in pluribus simul eundem hominem baptizantibus, et in multis sacerdotibus eundem panem consecrantibus : concurrunt enim non ut causæ partiales, sed ut totales, non solum totalitate effectus, sed causæ : quia, et totus effectus a singulis producitur, et singuli sunt causæ sufficientes ad effectus productionem. Et ad hujus partis impugnationem respondendum est, quod licet idem effectus nec simul, nec divisim queat dependere a pluribus causis principalibus ejusdem ordinis, ut recte probant Nostri Complutenses abbrev. in lib. *Physic.* disput. 14, quæst. 3, et 4, nulla tamen est repugnantia in eo, quod dependeat a pluribus causis instrumentalibus. Et ratio est : nam instrumenta non agunt virtute propria N.Comp.

pria, sed virtute agentis principalis : unde licet plurima sint, uniuntur in hac virtute: atque ideo non sequitur, quod effectus dependeat, et non dependeat ab instrumentis; sed quod dependeat a principali agente, sive influat per unum instrumentum, sive per multa. Ut optime significavit Div. Thom. infra quæst. 82, articulo 2, ubi statuit plures sacerdotes posse unam, et eandem hostiam consecrare, et ad propositam difficultatem respondit : « Ad secundum dicendum, quod si quilibet sacerdotum operaretur virtute propria, superfluerent alii celebrantes, uno sufficienter celebrante. Sed quia sacerdos non consecrat nisi in persona Christi, multi autem sunt unum in Christo : ideo non refert, utrum per unum, aut per multos hoc sacramentum consecretur. » Et similia tradit quæst. 69, articul. 6, ubi agens de pluribus hominibus eundem hominem baptizantibus inquit : « Si autem omnino simul ambo verba proferrent, et hominem immergerent, aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, et non de iteratione baptismi : quia uterque intenderet non baptizatum baptizare : et uterque, quantum est in se, baptizaret. Nec traderet aliud, et aliud sacramentum; sed Christus, qui est unus, et interius baptizans, unum sacramentum per utrumque conferret, et ad 1, *respondet*, quod ratio illa locum habet in his, qui agunt propria virtute. Sed homines non baptizant propria virtute, sed virtute Christi, etc. » Et idem dicimus, ubi plures particulæ, aut plura numero Eucharistiæ sacramenta simul, et æqualiter applicantur : causant enim eundem numero effectum gratiæ cibantis : quia agunt ut instrumenta subordinata eidem principali agenti, qui suam virtutem potest diffundere tam per unum, quam per multa instrumenta in ordine ad productionem effectus.

D. Tho.

ARTICULUS III.

Utrum Eucharistia sit de necessitate salutis?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum sit de necessitate salutis. Dicit enim dominus Joan. 6 : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed in hoc sacramento manducatur caro Christi, et bibitur sanguis ejus. Ergo sine hoc sacramento non potest homo habere salutem spiritualis vitæ.

Præterea : hoc sacramentum est quoddam spirituale alimentum. Sed alimentum corporale est de necessitate corporalis salutis : ergo etiam hoc sacramentum est de necessitate spiritualis salutis.

Præterea : sicut baptismus est sacramentum Dominicæ passionis, sine qua non est salus : ita et Eucharistia : dicit enim Apost. 1, Corinth. 11 : Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat : ergo sicut baptismus est de necessitate salutis, ita etiam hoc sacramentum.

Sed contra est quod August. scribit Bonifacio contra Pelagianos: Nec illud cogitetis, parvulos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis, et sanguinis Christi.

Respondeo dicendum, quod in hoc sacramentum duo est considerare, scilicet ipsum sacramentum et rem sacramenti. Dictum est autem, quod res hujus sacramenti est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus: nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam, sicut nec in diluvio absque arca Noe, quæ significabat Ecclesiam : ut habetur 1 Petri 3 : dictum est autem supra quod res alicujus sacramenti haberi potest ante perceptionem sacramenti, ex ipso voto sacramenti percipiendi. Unde ante perceptionem hujus sacramenti, potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc sacramentum : sicut et ante baptismum ex voto baptismi, ut supra dictum est. Est tamen differentia quantum ad duo, primo quidem, quia baptismus est principium spiritualis vitæ, et janua sacramentorum : Eucharistia vero est quasi consummatio spiritualis vitæ, et omnium sacramentorum finis (ut supra dictum est) per sanctificationes enim omnium sacramentorum, fit præparatio ad suscipendam vel consecrandam Eucharistiam. Et ideo perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam : perceptio autem Eucharistiæ est necessaria ad consummandam ipsam : non ad hoc quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut et finis habetur in desiderio et intentione.

Alia differentia est : quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam : et ideo ex hoc ipso quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam, et sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, et per consequens recipiunt rem ipsius. Sed ad baptismum non ordinatur per aliud præcedens sacramentum. Et ideo ante susceptionem baptismi, non habent pueri aliquomodo baptismum in voto, sed soli adulti : unde rem sacramenti non possunt percipere sine perceptione sacramenti. Et ideo sacramentum in hoc modo est de necessitate salutis, sicut baptismus.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Augustin. dicit exponens illud verbum Joan. Hunc cibum et potum, scilicet carnis suæ, et sanguinis, societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum quod est Ecclesia in prædestinatis, et vocatis, et justificatis, et glorificatis sanctis, et fidelibus ejus. Unde sicut ipse dicit in Epistola ad Bonifacium. Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur : nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.

Ad secundum dicendum, quod hæc est differentia inter alimentum corporale, et spirituale, quod alimentum corporale convertitur in substantiam ejus, qui nutritur, et ideo non potest homini valere ad vitæ conservationem alimentum corporale, nisi realiter. Sed alimentum spirituale convertit hominem in se ipsum : secundum illud quod Augustin. dicit in lib. *Confess.* quod quasi audivit vocem Christi dicentis sibi : Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me Potest autem aliquis in Christum mutari, et ei incorporari voto mentis, etiam sine hujus sacramenti perceptione. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod baptismus est sacramentum mortis, et passionis Christi, prout homo regeneratur in Christo virtute passionis ejus : sed Eucharistia est sacramentum passionis Christi, prout homo perficitur in unione ad Christum passum. Unde sicut baptismus dicitur sacramentum fidei, quæ est fundamentum spiritualis vitæ, ita Eucharistia dicitur sacramentum charitatis, quæ est vinculum perfectionis, ut dicitur Col. 3.

Prima conclusio : *Sine eo, quod est res hujus sacramenti, non potest esse salus.*

Secunda conclusio : *Res hujus sacramenti potest haberi sine reali sacramenti susceptione per ejus votum.*

Tertia conclusio : *Hoc sacramentum non est eodem modo de necessitate salutis, sicut baptismus.*

DISPUTATIO III.

De necessitate sacramenti Eucharistiæ ad salutem.

Post assertam existentiam sacramenti Eucharistiæ, explicatamque ejus unitatem specificam, et numericam, succedit, ut exponamus, quam ad salutem necessarium sit? Dupliciter autem possunt aliqua dici necessaria ad salutem : primo necessitate medii, seu finis, secundo necessitate præcepti, ut statim magis explicabimus. Et quod Eucharistia sit necessaria ad salutem saltem necessitate præcepti, ostendit Div. Thom. infra quæst. 80, articulo 11, et cuncti supponunt in præsenti : quia adest præceptum divinum conficiendi, et sumendi istud sacramentum, ut constat ex illo Lucæ 22 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Et quidquid sit de præcepto divino, evidens est dari præceptum Ecclesiasticum suscipiendi, saltem semel in anno, istud sacramentum : quod præceptum extat in cap. *Omnis utriusque sexus, de pœnitentiis, et remissionibus.* Quare prædicta necessitate modo supposita, specialiter videndum est

D. Tho

Lucæ 22

DUBIUM I.

Utrum sacramentum Eucharistiæ sit necessarium necessitate medii ad primam salutem?

Duplex salus distingui solet : alia enim dicitur prima, quæ contingit in justificatione peccatoris : alia vero dicitur secunda, et perfecta, quæ sita est in assecutione gloriæ, sive in perseverantia finali, quæ gratiam justificationis cum gloria conjungit. Et quamvis possemus in communi inquirere (ut alii se gerunt, et processisse videtur D. Thom. in præs. art. 3), an Eucharistia sit necessaria necessitate medii ad salutem, utramque scilicet complectendo : nihilominus majoris claritatis gratia, prius dicemus de prima in præsenti dubio, et deinceps de secunda in sequenti : ad quod denotandum addidimus in titulo ly *ad primam salutem.* Sed antequam ulterius progrediamur.

§ I.

Explicantur termini, et aperitur status quæstionis.

1. Dupliciter, ut ab ipso disputationis limine insinuabamus, dicitur aliquid necessarium ad salutem, nempe vel necessitate medii, vel necessitate præcepti. Quorum primum contingit, ubi aliquid vel ex natura rei, vel ex Dei institutione ita requiritur ad salutem, ut absque illo in eam aliquo modo influente salutem consequi non possimus : uti se habent passio Christi, fides, pœnitentia post lapsum, et alia ejusmodi. Secundum autem contingit, quoties aliquid præcipitur : hoc enim licet nec ex natura rei, nec ex institutione divina habeat tantam cum salute connexionem; nihilominus supposito præcepto, non omittitur absque gravi culpa, quæ obstat saluti : uti comparantur jejunium, auditio sacri in specialibus diebus, et quæ hujusmodi sunt, præsertim ex Ecclesiæ mandato. Adsunt vero inter prædicta necessaria notabiles quædam differentiæ. Prima, quod necessarium necessitate medii influit in aliquo genere positive in salutem estque proinde illius causa. Sed necessarium necessitate præcepti, non habet, nec exigit (quantum ex vi hujus necessitatis), positivum influxum ; sed tantum concurrit negative, et per modum removentis prohibens, nempe quatenus adimplendo præceptum, vitatur peccatum, quod obstaret saluti. Secunda, quod in necessariis necessitate medii non contingit, nec obtineri valet salus absque illis, quantumcumque adsit invincibilis ignorantia : unde dici etiam solent necessaria necessitate finis ; quia absque illis iste non habetur. Quod aliter contingit in necessariis sola neccessitate præcepti : nam si circa ista adsit impotentia, vel ignorantia, eorum omissio salutem non impedit : quia in tali casu omissio non est peccatum, pro quo præcise vitando dicuntur necessaria ad salutem. Tertia, quod necessaria sola necessitate præcepti sunt in nostra potestate cum

Duplex necessitatis modus.

cum gratia Dei. Cæterum necessaria necessitate medii non semper sunt in hominis potestate, ut liquet in baptismo respectu parvulorum, et plurium adultorum, ut sunt innumerabiles infideles negative, qui carent potestate saltem proxima ad hujusmodi media.

Ulterior necessarii divisio.

2. Excluso itaque a præsenti consideratione necessarii sola necessitate præcepti, ut supra jam notavimus, tripliciter contingere potest, quod aliquid sit necessarium necessitate medii. Nam in primis potest esse necessarium in re susceptum : uti baptismus est (excepto martyrii casu) parvulis necessarius : quia sine illo in re suscepto salvari non possunt. Deinde potest esse necessarium cum aliqua majori indifferentia, videlicet per se in re, vel per accidens (ubi non adest res), per illius votum, sive per propositum talis rei : et sic comparatur baptismus ad adultos : quippe ad consequendum salutem debent vel realiter baptizari, vel ubi non adest baptismi copia, habere votum, et propositum illius. Denique potest esse necessarium determinate in solo voto, sive intentione : quo pacto Christi passio erat necessaria antiquis ad salutem : quippe ad illam non concurrebat ut in re existens, nec cum indifferentia existendi in re, vel in voto; siquidem nondum erat a parte rei : sed concurrebat per modum finis uniti in solo voto, aut intentione credentium. Porro votum hujusmodi potest esse duplex, videlicet explicitum, et implicitum. Primum contingit, ubi terminatur ad ipsam rem expresse cognitam. Secundum autem, quando non terminatur ad ipsam rem expresse cognitam, sed terminatur ad aliquid aliud cum tali re connexum, et ad eam ducens, determinans, vel inclinans, ut sæpe accidit in virtuali aliquorum amore.

Duplex hujusmodi votum erga Eucharistiam.

3. Deinde ad præsentem considerationem magis specialiter descendendo observandum est, quod votum Eucharistiæ dupliciter potest illam respicere, sive ad illam consideratam secundum duo diversa munera terminari. Potest enim prædictum votum respicere Eucharistiæ sacramentum, quatenus causat, et ut in exercitio causat per modum specialis instrumenti divinæ virtutis suum peculiarem, et sibi specialiter respondentem effectum gratiæ cibantis : est enim Eucharistia speciale sacramentum, et causans specialem gratiam sacramentalem. Potest præterea tale votum respicere Eucharistiam ut finem communem cæterorum omnium sacramentorum : nam ex speciali dignitate, quam habet inter cætera sacramenta eminentissimam, consequitur ulterius esse illorum finem, ut constat ex dictis Tractatu præcedenti disput. 9, dub. 2, § 2, et magis constabit ex dicendis num. 15. Cum itaque Eucharistiæ sacramentum prædictas perfectiones habeat, et secundum illas considerari queat ex parte objecti; fit consequens, ut votum Eucharistiæ queat ad illam dupliciter comparari, et in ipsam referri, ut explicuimus.

Differentia observanda inter modos attingendi Eucharistiam in voto.

Oritur autem ex prædicta comparatione multiplex distinctio in Eucharistiæ voto : nam ut respicit Eucharistiam, quatenus secundum suam peculiarem rationem causat specialem gratiæ cibantis effectum, condistinctum ab omnibus aliorum sacramentorum effectibus, potest dici *desiderium, et propositum illius* : sic enim vocatur votum relatum ad rem, prout in executione effective causat. Sed quatenus respicit Eucharistiam non secundum particularem illum effectum, sed quatenus est communis sacramentorum finis, aut quasi centrum, in quod propendent, potest appellari *ordo, et intentio* : sic namque appellatur eorum respectus, quæ comparantur ad finem. Deinde votum Eucharistiæ in priori acceptione concurrit quasi per accidens, ob defectum scilicet sumptionis realis Eucharistiæ, quæ influere posset in genere causæ efficientis suum proprium, ac peculiarem effectum. Sed in secunda acceptione non concurrit quasi per accidens, sed per se : quia respicit Eucharistiam ut sacramentorum finem; et proprium est finis influere per se prout in intentione. Præterea votum Eucharistiæ in priori acceptione solum reperitur in adultis; non autem in parvulis : quia soli adulti, et non parvuli sunt capaces desiderandi, et proponendi, et subinde voti sumpti pro desiderio, et proposito. Cæterum in secunda acceptione potest etiam in parvulis reperiri : quia et hi capaces sunt alicujus ordinis, et intentionis in finem, saltem habitualis, qualem importat ipsa eorum habitualis ad Deum conversio per gratiam sanctificantem. Denique per votum in prima acceptione participatur aliquomodo ex opere operantis effectus proprius sacramenti Eucharistiæ

per modum cibi, et potus, quem causat ut peculiare sacramentum ab aliis distinctum; licet non participetur ita perfecte, ac si Eucharistia reciperetur sacramentaliter, et in re. At per votum in secunda acceptione non participatur peculiaris gratia sacramenti Eucharistiæ : sed participatur gratia cæterorum sacramentorum, in quam sacramentum Eucharistiæ influit per modum communis omnium sacramentorum finis. Quod prædictarum differentiarum fundamentum cum aliis ejus appendicibus magis illustrabitur ex dicendis.

Distinguenda in Eucharistia. 4. Denique meminisse oportet, quod sicut sæpius in disputatione præcedenti diximus, in Eucharistia distinguere oportet id, quod est *sacramentum tantum*, et id quod est res sacramenti, diciturque *res, et sacramentum simul.* Sacramentum tantum consistit in speciebus consecratis, et continentibus Christum, ut ibidem ostendimus dub. 2. Res autem sacramenti consistit tum in ipso Christo ibidem realiter existente, tum in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia ex hominibus congregata : non quia homines constituentes Ecclesiam sint hujus sacramenti effectus ; sed quia gratia illos inter se, et cum Christo veniens Eucharistiæ specialiter attribuitur. Primo ratione materiæ : quia ad conficiendum panem plura grana concurrunt, et multæ uvæ, ut fiat unum vinum : quod indicat multos fideles per hoc sacramentum coalescere in unum corpus mysticum, ut frequenter docet D. Augustinus. Secundo ratione conversionis : quia sicut cibus, et potus convertuntur in Christi corpus, et sanguinem : ita per hoc sacramentum fideles transformantur in Christum, fiunt D.Chrys. unum in illo, ut tradit Divus Chrysostomus homilia 45, *in Joan.* et homilia 61, *ad populum Antioch.* Tertio ratione institutionis per modum convivii, in quo multi conveniunt ; non ut quisque partem accipiat, sicut in aliis conviviis accidit ; sed ut singuli accipiant unum, et idem reale, ac naturale corpus Christi : et sic uniantur in eo, sicut in aliquo tertio omnibus communi. Quarto denique nam sicut in Christo sunt duæ naturæ in eadem persona : ita per hoc sacramentum fit, quod multi fideles inter se diversi sint unum unitate spiritus propter participationem ejusdem corporis Christi.

Suppositio communis. Igitur loquendo de re hujus sacramenti, sive sumatur pro corpore Christi, sive pro gratia uniente fideles cum Christo, et inter se, omnes supponunt talem hujus sacramenti rem esse omnibus necessariam ad salutem necessitate tam medii, quam præcepti. Et quod ad Christum attinet, probatur evidentibus Scripturæ testimoniis, Joan. 1 : *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Joan. 1. Et ibidem versu 17 : *Gratia per Jesum Christum facta est.* Actor. 4 : *Non est aliud* Actor. 4. *nomen datum sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri.* In quibus significatur omnem, quam participamus, gratiam descendere ex Christi influxu. Quare et Christus, et unio nostri ad Christum necessario requiruntur ad quamcumque salutem sive inchoatam, sive perfectam, sive consummatam. Quod autem attinet ad corpus Christi mysticum, recte ostenditur a Divo Thoma in præsenti articulo 3, his verbis : D. Tho. « Dicendum, quod in hoc sacramento duo « est considerare, scilicet ipsum sacramen- « tum, et rem sacramenti. Dictum est « autem, quod res hujus sacramenti est « unitas corporis mystici, sine qua non « potest esse salus. Nulli enim patet aditus « salutis extra Ecclesiam : sicut nec in « diluvio absque arca Noe, quæ significabat « Ecclesiam, ut habetur 1 Petri 3. » Unde oportet in præsenti difficultate non æquivocare, nec divertere vel ad Christum, vel ad rem hujus sacramenti, quæ est corpus mysticum, sive unio fidelium. Et plane fateri oportet plurima testimonia, quæ nonnulli afferre solent, ut probent Eucharistiæ necessitatem, referri vel ad Christum, vel ad unitatem mysticam proxime explicatam : atque subinde inefficacia esse, ut evincant (et ad id expenduntur), necessitatem ipsius sacramenti. Limitanda ergo, Punctum difficultatis. atque trahenda quæstio est ad sacramentum ipsum, ut sensus sit, utrum sicut Christum secundum se est causa universalis nostræ salutis ; ita etiam Christus ut sacramentatus, et sacramentum ipsum habeant hujusmodi influxum, ut omnis nostra salus ab eisdem pendeat. Et similiter : An sicut unio mystica est ad salutem nostram necessaria, sic etiam sacramentum Eucharistiæ, in quod illa specialiter refertur, ut peculiaris ejus effectus juxta immediate prænotata. In hoc itaque sensu

§ II.

§ II.

Proponuntur duæ assertiones præambulæ.

Prima conclusio. 5. Dicendum est primo sacramentum Eucharistiæ in re susceptum non esse necessarium ad primam salutem, sive ad hominis justificationem. Sensus hujus conclusionis satis liquet ex prænotatis. Est autem de fide, ut evincunt probationes, quas immediate submittimus. Prima ex Tridentino sess. 21, canone 4, ubi diffinit: « Si quis dixerit parvulis, antequam ad « annos discretionis pervenerint, necessa- « riam esse Eucharistiæ communionem ; « anathema sit. » Quod ad minus verificandum est de communione actuali, sive in re. Secunda ex Evangelio Marci ult. *Qui crederit, et baptizatus fuerit, salvus erit :* nam contingens est, et non semel accidit, ut quis post receptionem baptismi, et priusquam suscipiat Eucharistiam moriatur: ubi fateri oportet eum justificari, et salvari sine Eucharistiæ sacramento in re suscepto. Tertia, quæ ex præcedenti deducitur, quia sacramentum Eucharistiæ in re susceptum supponit sacramentum baptismi, quod est janua ad cætera sacramenta : sed sacramentum baptismi confert gratiam, qua mundamur a peccato originali, et ab aliis ipsum præcedentibus : ergo sacramentum Eucharistiæ in re susceptum non est necessarium, ut consequamur salutem primam, sive gratiam justificationis. Quarta, quoniam tantum abest, ut sacramentum Eucharistiæ in re susceptum sit necessarium ad primam justificationis gratiam, ut potius per se loquendo prædictam gratiam præsupponat : est enim sacramentum vivorum : unde qui conscius est peccati mortalis, tenetur antequam sacramentum Eucharistiæ suscipiat, recipere sacramentum pœnitentiæ, per quod consequitur peccatorum remissionem et justificationis gratiam, ut statuit Concilium Tridentin. sess. 13, cap. 7. Nulla itaque ratione dici potest sacramentum Eucharistiæ in re susceptum esse necessarium ad primam salutem.

Suadetur multipliciter. Concil. Trident. Marci ult.

Sententia opposita. 6. Contrariam hæresim docuerunt quidam hæretici Armeni existimantes realem Eucharistiæ susceptionem esse omnibus hominibus necessariam ad salutem : et hac de causa Eucharistiam simul cum baptismo parvulis conferebant, ut referunt N. Guido Perpinianus, et N. Waldensis tom. 2, *de sacramentis* cap. 91. Nec latet nos Valenciam in præs. disp, 6, quæst, 1, puncto 5, et aliquos Juniores negare prædictum errorem fuisse in illis hæreticis : quia licet erraverint in usu superstitioso Eucharistiæ ; nihilominus non constat id fecisse ex errore circa ejus necessitatem. Sed tamen illorum conjecturas pro hæreticorum patrocinio parvifacimus, magis credentes testimonio nostrorum Doctorum, qui fuerunt longe antiquiores, et rem, quam asserunt, cominus scire potuerunt. Nec Valencia in his scrupulum ponere debuit, si observasset modernos etiam Græcos, Nicolaum Cabasilam orat. 1, *de vita in Christo*, Simeonem Thessalonicensem lib. *de sacramentis*, Hieremiam Philadelphiensem in lib. *de sacramentis*, Hieremiam Constantinopolitanum *in secunda suæ censuræ apologia*, et alios (Ecclesiæ Romanæ sugillandæ gratia) asserere Eucharistiæ usum esse medium ipsis etiam parvulis necessarium ad salutem. Quod reprobavit concilium Trident. loco citato. Si itaque homines recentiores, et acutiores tantum decipiunt ; quid mirum Armenos antiquiores, et rusticiores, in eadem materia offendisse, ut antiqui illi Auctores nostri testantur ? Quin ex eadem radice ortus videtur abusus dandi Eucharistiam mortuis, ut refert et damnat Concilium Carthaginense Tertium, cap. 6. Commune autem illis fundamentum erat : quia sicut de baptismo dicitur Joann. 3 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum cœlorum :* ita de Eucharistia dicitur Joann. 6 : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sed propter priora verba affirmamus baptismum esse sacramentum necessitatis, ita quod parvuli sine illo in re suscepto minime consequantur salutem : ergo pariter Eucharistia est sacramentum necessitatis, et parvuli nequeunt justificari, et salvari, nisi illud re ipsa suscipiant. Et in hoc fundatus esse videtur antiquæ Ecclesiæ mos, quæ parvulis et baptismum, et Eucharistiam conferebat. Cujus consuetudinis mentionem faciunt Clemens Romanus lib. 8, constitut. cap.20, D. Cyprianus in serm. *de lapsis*. Gennadius lib. *de Eccles. dogmatibus*, cap. 52. Alcuinus in lib. *de divinis officiis*, cap. *de Sabbato Sancto*, et

N. Guid. N. Wal. Valenc. Auctor. Græci. Concil. Carth. 3. Argum. Joann. 3 et 6. D. Clem. D. Cyp. Gennad. Alcuin. Concil. Tolet. II. Concil. Matisc.

alii. Ejusdem etiam praxis vestigia extant in Concilio Toletano 11, cap. 11, et in Matisconensi cap. 16. Ecclesia autem minime præbuisset parvulis Eucharistiam, nisi indicasset realem ejus susceptionem esse ipsis necessariam ad salutem.

Confirmatio. Confirmatur auctoritate D. Augustini, qui in ea fuisse sententia convincitur, quod sacramentum Eucharistiæ in re susceptum sit medium adeo necessarium ad salutem, ut nec parvuli sine ea decedentes salvari potuerint. Constat hoc : nam cum existentiam peccati originalis adversus Pelagianos probaret ex illo testimonio, D. Aug. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei :* Pelagiani ut efficaciam tanti argumenti eluderent, distinxerunt inter Dei regnum, et vitam æternam, responderuntque regnum Dei non esse dandum nisi baptizatis; et vitam æternam conferendam esse parvulis etiam baptismo non initiatis. Sed S. Doctor, ut subterfugium istud præcluderet, reposuit nec vitam æternam dandam fore parvulis non baptizatis, idque probavit verbis Christi, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Unde eandem baptismi, et Eucharistiæ necessitatem docuit, nempe quod sicut parvuli non baptizati excluduntur a regno Dei ; sic parvuli non suscipientes Eucharistiam excluduntur a vita æterna. Quod adeo manifeste constat ex concertationibus ejus cum Pelagianis, ut supervacaneum sit peculiarem locum producere. Unde non solum hæretici moderni, et præsertim Calvinistæ Augustinum accusant, quod necessitatem Eucharistiæ in re suscipiendæ omnibus imposuerit : sed etiam (quod admiramur) Joannes Maldonatus Joann. 6, dixerit Augustinum in ea fuisse opinione contra aliorum Patrum sensum. Maldon.

Occurritur argumento. 7. Ad argumentum respondetur admittendo majorem, et proportionem, sive paritatem, quæ in illa repræsentatur. Ad minorem autem dicendum est sacramentum baptismi esse per se loquendo necessarium in re : sed ejus susceptio realis potest suppleri in adultis per votum ipsum suscipiendi, ubi copia realis susceptionis non suppetit : unde sæpe contingit adultos consequi primam salutem, sive justificationis gratiam per baptismum flaminis, sive per actus charitatis cum desiderio sacramenti baptismi in re. Cæterum talis defectus suppleri nequit in parvulis per votum, quippe qui incapaces sunt illud, vel aliud desiderium concipiendi. Quare sacramentum baptismi est determinate prout in re susceptum necessarium ad parvulorum salutem. Intellecta igitur, et admissa minori in prædicto sensu, negamus absolute consequentiam. Et ratio disparitatis est : quia parvuli antecedenter ad realem susceptionem baptismi nihil habent, cujus ratione dicantur ipsum suscipere saltem in voto, ut in adultis contingit : unde pro sua salute indigent determinate baptismo ut in re suscepto. Cæterum iidem parvuli antecedenter ad realem Eucharistiæ susceptionem habent aliquid, quo illam suscipiunt saltem in voto, nempe ipsum baptismi sacramentum in re susceptum, quod importat ordinem ad Eucharistiam sicut ad finem. Quare Eucharistia non est parvulis necessaria ad salutem, prout in re suscepta, sed ad summum prout in voto. Et in hoc stat paritas, quam duo illa testimonia repræsentant, nempe in necessitate utriusque sacramenti ad salutem : sed stat disparitas, et dissimilitudo in modo necessitatis, atque applicationis. Votum enim baptismi, quod quantum est de se, sufficeret ad satisfaciendum prædictæ necessitati, non habet locum in parvulis, quippe qui antecedenter ad baptismum in re susceptum, nihil habent in quo ejus votum præconcipiant : quare dici nequit, quod baptismus in voto pro parvulis sufficiat. Sed tamen parvuli antecedenter ad Eucharistiam in re susceptam, habent aliquid, quod est aliquomodo votum Eucharistiæ, nempe baptismum, et gratiam baptismalem : quocirca pro parvulorum salute non requiritur Eucharistia in re suscepta, sed sufficit vel in voto. Quam diversitatis radicem optime aperuit D. Thomas in præs. art. 3, ubi proposita similitudine inter baptismum, et Eucharistiam, statim subdidit : « Est tamen differentia D. Tho. « quantum ad duo. Primo quidem, quia « baptismus est principium spiritualis vitæ « et janua sacramentorum : Eucharistia « vero est quasi consummatio spiritualis « vitæ, et omnium sacramentorum finis : « per sanctificationes enim omnium sacra- « mentorum fit præparatio ad suscipien- « dam, vel consecrandam Eucharistiam. « Et ideo perceptio baptismi est necessaria « ad inchoandam spiritualem vitam : perceptio

« ceptio autem Eucharistiæ est necessaria « ad consummandam ipsam ; non ad hoc, « quod simpliciter habeatur; sed sufficit eam « habere in voto : sicut et finis habetur in « desiderio, et intentione. Alia differentia « est : quia per baptismum ordinatur « homo ad Eucharistiam : et ideo ex hoc « ipso, quod pueri baptizantur, ordinan- « tur per Ecclesiam ad Eucharistiam : et « sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex « intentione Ecclesiæ desiderant Eucharis- « tiam : et per consequens recipiunt rem « ipsius. Sed ad baptismum non ordi- « nantur per aliud præcedens sacramen- « tum. Et ideo ante susceptionem baptismi « non habent pueri aliquo modo sacra- « mentum in voto, sed soli adulti : unde « rem sacramenti non possunt percipere « sine perceptione sacramenti. Et ideo hoc « sacramentum non hoc modo est de neces- « sitate salutis, sicut baptismus. »

Quod autem præmisso motivo addebatur, minime urget : fatemur namque morem antiquum fuisse conferendi parvulis Eucharistiam, ut præter Auctores relatos tradunt Evagrius lib, 4. *histor.* cap. 35, et Nizephorus lib. 17, cap. 25. Sed ille usus minime inde processit, quod Ecclesia censuerit Eucharistiam in re susceptam esse parvulis necessariam ad salutem. Idque constat tum quia illam non conferebat nisi parvulis baptizatis : qui proinde jam supponebantur assecuti primam salutem, et habere jus ad secundam, si in gratia baptismali decederent. Tum etiam quia Ecclesia solebat conferre parvulis baptizatis non solum Eucharistiam,sed etiam sacramentum confirmationis, quinimo prius confirmationem, quam Eucharistiam : ex quo tamen nemo colliget vel confirmationem in re susceptam esse medium necessarium ad salutem, vel Ecclesiam id aliquando censuisse. Permisit itaque Ecclesia, quod pueris conferretur Eucharistia, sicut et confirmatio : non quia id foret ad salutem necessarium, sed quia conferebat ad majus salutis, sive sanctitatis augmentum. Quia vero postea deprehendit in tanta (ob nostræ religionis extensionem) parvulorum multitudine committi aliquas indecentias contra venerationem divinissimo huic sacramento debitam ; propterea merito illum morem interdixit. Sicut etiam olim Ecclesia permisit omnibus fidelibus usum calicis, sive sumptionem Eucharistiæ sub utraque specie : non quia id censuerit ad eorum salutem necessarium (oppositum enimconstat ejusdem Ecclesiæ diffinitione) : sed vel ad majorem profectum, vel ad communiorem fidelium consolationem. Sed ubi advertit plures circa hoc indecentias intervenire, prædictum usum prohibuit.

8. Ad confirmationem negandum est as- *Diluitur confirmatio.* sumptum.Ad cujus probationem dicendum est D. Augustinum illis quidem testimoniis usum fuisse ad evincendum contra Pelagianos existentiam peccati originalis in parvulis, confutandum hæreticorum effugia, per recursum ad distinctionem inter regnum Dei, et vitam æternam, ut confirmatio recte expendit. Sed cum inde infert Augustinum censuisse eandem esse pro parvulorum salute necessitatem baptismi, et Eucharistiæ, errat toto cœlo. Probavit quidem S. Doctor ex illis Christi verbis, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* etc. necessitatem Eucharistiæ pro omnium parvulorum salute : sed non adstruxit ejus necessitatem in re susceptæ ; seu vel in re, vel in voto. Et quia parvuli nequeunt vel in voto suscipere Eucharistiam, nisi prius suscipiant baptismum (quippe antecedenter ad ipsum nihil in se habent, quod possit prædictum votum fundare) : subtiliter contra Pelagianos, et non minus efficaciter intulit necessitatem baptismi in parvulis non solum ad regnum Dei, quam illi concedebant, sed etiam ad vitam æternam, quam ipsi negabant. Et hanc fuisse S. Doc- *D. Aug.* toris mentem liquet ex ejus epistola *ad Bonifacium,* ut allegat D. Thom, in præs. art. *D. Tho.* 3,ad 1. « Nulli, *inquit,* est aliquatemus « ambigendum tunc unumquemque fide- « lium corporis, sanguinisque Domini « participem fieri, quando in baptismate « membrum corporis Christi efficitur, nec « alienari ab illius panis, calicisque con- « sortio, etiam si antequam panem illum « comedat, et calicem bibat, de hoc sæculo « in unitate corporis Christi constitutus « abscedat. » Ex quibus liquet ipsum minime docuisse necessariam esse susceptionem Eucharistiæ in re pro parvulorum, vel aliorum baptizatorum salute : sed locutum esse de susceptione sacramenti Eucharistiæ in voto, quod eis affert baptismus, quatenus baptizatos inclinat ad escam cœlestem , ipsosque spiritualiter incorporat carni, et sanguini Christi. Et simillima tradit S. Doctor in lib.1, *de peccatorum me-*

ritis, cap. 20 et lib. 3, cap. 4 et tract. 26, *in Joann.* et alibi sæpe.

Vindicatur D. August. Unde mirum est vel hæreticos, vel Catholicorum aliquem oppositum illi attribuisse, reprehendisseque, quod in præmisso sensu, nempe in voto, et quantum ad intentionem unionis cum pane cœlesti dixerit Eucharistiam esse parvulis necessariam. Id enim non tam ipse asseruit, quam Romanus Pontifex Innocentius I (Innocentius I.) diffinierat, ut constat ex eodem Augustino lib. 2, *ad Bonifacium*, cap. 4, ubi ait : « Quid illud, quod idem Papa de hac ipsa « causa etiam Numidiæ rescripsit Episco- « pis : quia de utroque Concilio ei Cartha- « ginensi, et Milevitano scripta suscepe- « rat. Nonne apertissime de parvulis loqui- « tur ? Hæc enim ejus verba sunt : Illud « vero, quod eos vestra fraternitas asserit « prædicare, parvulos æternæ vitæ præ- « mii etiam sine baptismatis gratia posse « donari, perfatuum est. Nisi enim man- « ducaverint carnem filii hominis, et bibe- « rint sanguinem ejus, non habebunt vi- « tam in semetipsis. Qui autem hanc eis « sine regeneratione defendunt, videntur « mihi ipsum baptismum velle cassare, « cum prædicant hoc habere, quod in eos « credimus non nisi baptismate conferen- « dum. » Nempe spiritualem participationem corporis et sanguinis Christi per votum, sive intentionem Eucharistiæ, quæ in ipsa baptismi susceptione implicantur. Unde subjunxit D. Augustin. « Ecce beatæ « memoriæ Innocentius Papa sine bap- « tismo Christi, et sine participatione cor- « poris, et sanguinis Christi vitam non « habere parvulos dixit. » Et eandem sententiam post Augustinum tradiderunt Gelasius Papa (Gelas. Papa.) in epist. *ad Episcopos per Picenum*, D. Prosper (D. Prop.) sententia 341, D. Fulgentius (D. Fulg.) in epist. *ad Ferrandum de baptismo Æthiopis* ca. 11, Lanfrancus (Lanfran.) episto. 33, Div. Thom. (D. Tho.) loco citato, et alii Augustini discipuli. Unde nihil est, quod hac parte alii minus pie criminentur. Deserviet autem hæc circa mentem tanti Doctoris notitia ex dicendis infra a num. 10.

Secunda conclusio. 9. Dicendum est secundo sacramentum Eucharistiæ nec in voto esse necessarium necessitate medii ad primam salutem, sive ad justificationem, si votum referatur ad tale sacramentum, ut in genere causæ efficientis causat suam peculiarem gratiam ab effectibus cæterorum sacramentorum distinctam. Sensus hujus conclusionis satis constat ex dictis numero 3, illamque docent omnes Auctores referendi num. 16, non contradicentibus communiter illis, quos num. 10, dabimus. Probatur primo ex D. Thom. supra quæst. 65, art. 4, ubi inquirit : *Utrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis?* Et observat, quod necessarium ad finem dicitur dupliciter, uno modo simpliciter, sine quo nequit haberi finis, sicut cibus est necessarius ad vitam : alio modo non simpliciter, sed ad melius esse, sine quo finis absolute potest haberi, licet non ita convenienter, sicut equus est necessarius ad iter agendum. Et hoc supposito resolvit, quod primo necessitatis modo *tria tantum sacramenta sunt necessaria ad salutem* : duo pro singulis personis, baptismus pro omnibus, pœnitentia vero pro illis, quæ committunt peccatum mortale post baptismum; et sacramentum Ordinis pro tota Ecclesia. *Sed secundo modo*, nempe ad melius esse, *sunt necessaria alia sacramenta.* Ergo ex ejus sententia sacramentum Eucharistiæ non est necessarium ad salutem eo modo, quo tria illa sacramenta baptismus, pœnitentia, et confirmatio necessaria dicuntur. Sed prædicta tria sacramenta non requiruntur ad salutem tanquam media necessaria in re: plures enim consequuntur salutem, licet sacramentum v. g. pœnitentiæ post peccatum non recipiant: sed dicuntur necessaria saltem in voto, quatenus homo debet habere votum, sive propositum, aut desiderium illa suscipiendi in re, et participandi proprios illorum effectus. Ergo juxta mentem Div. Thomæ sacramentum Eucharistiæ non est medium ad salutem necessarium in prædicto sensu, nempe in voto, quod ipsum respiciat tanquam causam specialem efficientem, atque inducentem proprium gratiæ cibantis effectum.

Secundo probatur ratione ex prædicto D. Thomæ testimonio desumpta : quoniam sacramentum Eucharistiæ secundum suam specialem rationem, qua in genere causæ efficientis causat in nobis gratiam cibantem, est sacramentum vivorum, quod subinde per se loquendo supponit in subjecto vitam spiritualem, et primam salutem per justificationis gratiam: ergo sicut ob hanc rationem prædictum sacramentum non est medium necessarium ad primam salutem prout in re susceptum, sicut in præcedenti assertione

assertione statuimus; ita nec est medium necessarium ut susceptum in voto, si ly *in voto* referatur ad sacramentum, quatenus in genere causæ efficientis, et prout exercite applicatum causat suum peculiarem effectum distinctum ab effectibus cæterorum sacramentorum. Patet consequentia: tum quia votum alicujus sacramenti in ordine ad peculiarem ejus effectum non potest esse magis necessarium ad salutem, quam ipse effectus, propter quem requiritur : ergo si effectus peculiaris sacramenti Eucharistiæ in genere causæ efficientis non requiritur ad primam salutem, sed eam potius in subjecto præsupponit; sequitur votum Eucharistiæ prout causat talem effectum, sive (et in idem recidit) sacramentum Eucharistiæ prout in voto in ordine ad talem effectum, non requiri ad primam salutem. Tum etiam, nam ideo sacramenta confirmationis, et Extremæ-unctionis prout in voto non sunt media necessaria ad salutem hujusmodi ; quia effectus, quos peculiariter causant, non requiruntur ad primam salutem, sed eam potius per se loquendo supponunt: atqui hæc eadem ratio militat in Eucharistia considerata in ratione causæ efficientis, et producentis peculiarem effectum gratiæ cibantis : ergo ad primam salutem minime requiritur, quod quis concipiat votum Eucharistiæ, prout suum peculiarem effectum inducit in genere causæ efficientis : atque ideo sacramentum Eucharistiæ secundum prædictam rationem acceptum non est ad salutem necessarium ut susceptum in voto.

Confirmatur : nam quotiescumque votum alicujus sacramenti est medium necessarium ad salutem, toties etiam adest obligatio suscipiendi prædictum sacramentum, si copia occurrat. Unde qui antecedenter ad baptismum in re susceptum justificatur per ejus votum, tenetur ex præcepto divino suscipere in re sacramentum baptismi, quando potest. Et idem proportionabiliter contingit in sacramento pœnitentiæ ; licet enim quis aliquando justificetur absque illo in re suscepto, sed per ejus votum ; obligatur nihilominus illud in re suscipere, ubi commode possit. Idque præsertim accidit, ubi qui post grave peccatum commissum accedit ad Eucharistiam, non præmissa confessione ob carentiam confessoris : tenetur enim quam primum adsit copia, confiteri, ut statuit Concilium Tridentinum sess. 13, cap. 7. Quæ doctrina generalis est, eamque optime tradit D. Thom. infra quæst. 80, art. 11. Constat autem, quod homo non solum consequitur primam salutem antecedenter ad sacramentum Eucharistiæ in re susceptum, sed etiam quod non obligatur Eucharistiam suscipere, licet facile possit, ut liquet in his, qui baptizantur, et suscipiunt sacramentum pœnitentiæ et hac via justificantur : nemo namque dixit hos teneri præcepto divino Eucharistiam suscipere, quamvis valeant. Et idem a fortiori liquet in moribundo, qui post susceptum Viaticum, et sacramentum Extremæ-unctionis incidit in aliquod peccatum grave : sufficit enim pro illius salute, quod tale peccatum confiteatur, quamvis Eucharistiam iterum non snscipiat, ut docet communis sententia. Ergo signum manifestum est, quod votum suscipiendi Eucharistiam ut peculiare sacramentum est, atque exercite applicatum causat suum specialem gratiæ cibantis effectum, non requiritur ad salutem. Unde liquido ulterius colligitur tale sacramentum adhuc in voto (sic explicato) ad salutem non requiri. Circa quod amplius immorari non oportet : quia hoc ipsum magis confirmabunt dicenda a num. 16. Concil. Trident. D. Tho.

§ III.

Principalis conclusio dubio directe respondens.

10. Dicendum est tertio sacramentum Eucharistiæ esse necessarium necessitate medii ad salutem, saltem ut susceptum in voto, prout votum refertur ad Eucharistiam sicut ad finem cæterorum sacramentorum; sive (et in idem redit) votum Eucharistiæ in ratione finis esse medium ad salutem necessarium: atque ideo sacramentum Eucharistiæ prout in voto esse de necessitate salutis. Termini hujus conclusionis facile innotescunt ex prænotatis § 1, et præsertim num. 3. Secunda vero ejus pars evidenter colligitur ex prima : quia necessarium in voto alicujus rei abstrahit a necessario in voto illius rei in genere causæ finalis, et a necessario in voto illius rei in genere causæ efficientis, aut in aliis generibus, vel considerationibus : sicut animal simpliciter dictum abstrahit ab animali rationali, et ab animali irrationali. Quare sicut ut aliquid dicatur abso- Tertia conclusio.

lute animal, sufficit esse vel rationale, vel irrationale, et in quocumque horum salvatur simpliciter propria ratio divisi, sive animalis ; ita ratio necessarii in voto alicujus rei salvatur in necessario in voto talis rei, sive votum referatur ad rem ut est causa finalis, sive ad rem ut est causa efficiens; et in quolibet istorum participatur propria ratio divisi, nempe necessarii in voto. Atque ideo si sacramentum Eucharistiæ est necessarium necessitate medii ad salutem prout susceptum in voto ejusdem Eucharistiæ, ut ista habet rationem finis; merito possumus absolute dicere sacramentum Eucharistiæ prout in voto esse medium ad salutem necessarium. Et sic respondetur directe difficultati in titulo hujus dubii propositæ. Primam autem assertionis partem docent D. Augustin. et D. Thomas, ut statim ostendemus. Quibus subscribunt communiter Thomistæ; licet non omnes eisdem vocibus utantur: sed quod nos vocamus votum Eucharistiæ non per modum peculiaris causæ efficientis, sed per modum finis, aliqui appellant votum Eucharistiæ non ut recipiendæ sacramentaliter, et exercite, sed ut suscipiendæ mystice, et spiritualiter : sensus tamen, et conceptus idem est, ut constat tam ex se, quam ex motivis, quibus utuntur. Sic itaque docent Petrus de Soto *lect* 8, *de Eucharistia*, Dominicus Sotus in 4, dist. 1, quæst, 6, art. 4, et dist. 8, quæst. unica, art. 3. Viguerus *in institutionibus Theolog.* cap. 16, ver. 19. Cajetanus in præs. art. 3, notab. 1 et 2, et quæst. 79, art. 1, in resp. ad 1, et quæst. 80, art. 11. Nugnus in præs. difficult. 2. concl. 2. Sylvius quæst. 80, art. 11. Joannes a S. Thoma disp. 26, art. 4. Serra in præs. art. 3, dub, unico. Prado dub. 5, § 4. N. Cornejo art. 3, disp. 2, dub. 1 et 2. N. Lezana relatus a Bonæ Spei disp. 1, dub. 4, num. 54. N. Gabriel disp. 3, quæst. 2 et 3. N. Philippus disp. 1, dub. 11. N. Francicus cap. 3, dub. 1, num, 16. Gonet disp. 2, art, 4, concl. 3. Labat disputatione 4, dub. 2, §. 2, concl. 2. Contenson dissert. 2, cap. 1, sub titulo, *Necessitas Eucharistiæ*, Granados tract. 1, disp. 7, et alii plures. Idem etiam tuentur Valencia, Henriquez, et Toletus apud Granados ubi proxime, Fagundez in 3 *præceptum Ecclesiæ* lib. 1, cap. 3, num. 5. Becanus *de sacramentis*. cap. 23, quæst. 4, num. 2. Layman lib. 5, tract. 4. cap. 5. Pitigianus in 4, distinct. 9, quæst. 3. Ribera in cap. 6. *Joannis*, Turrianus lib. 2, *de Eucharistia*, cap. 10. Machado tom. 1, lib. 3, parte 1, tract. 9, doctrina 2, num. 4. Leander tract. 7, disputatione 1, quæst. 14. Aversa quæst. 1, sect. 4, § *Tertio tamen admittendum est*, et sect. 5, § *Fatendum tamen est*, et alii plures. Horum tamen numerum, et auctoritatem observet lector, ut retundat excessivam aliquorum Recentiorum animositatem, quos num. 16 dabimus.

(D. Aug. D. Tho. — Petrus de Soto. Sotus. — Viguer. Cajetan. Nugnus. — Sylvius. Joan. a S. Tho. Serra. Prado. N. Corn. N. Lez. N. Gab. — N. Phil. N. Fran. Gonet. Labat. Contens. — Granad. Fagund. Becan. Layman. Pitigian.)

11. Probatur primo ex Divo Augustino, qui testimonium illud : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, perpetuo exposuit, intellexit, extenditque tam ad parvulos, quam ad adultos. Non potuit autem in parvulis intelligere necessitatem præcepti, quippe qui sunt incapaces illius. Intellexit itaque necessitatem medii ad salutem. At intelligere non potuit, nec intellexit hoc medium esse illis necessarium ut in re susceptum, siquidem plures baptizantur, et subinde salvantur, qui Eucharistiam sacramentaliter non suscipiunt, ut ex eodem Sancto Doctore vidimus numero 8. Ergo intellexit necessitatem hujus sacramenti prout in voto. Parvuli autem non sunt capaces concipiendi votum, quod sit propositum, aut desiderium suscipiendi Eucharistiam, ut est quoddam particulare sacramentum, peculiarem effectum gratiæ cibantis in genere causæ finalis producens. Relinquitur ergo, quod Div. Augustinus docuerit sacramentum istud esse parvulis ad salutem necessarium prout susceptum in voto ejusdem Eucharistiæ per modum finis : hujus namque voti capaces sunt parvuli; cum aliud non sit, quam ordo baptismi in eis suscepti ad Eucharistiam sicut ad finem. Cætera omnia constant. Et assumptum liquet ex testimoniis relatis numero 8, quæ illud evidenter evincunt, et adjunctam etiam habent auctoritatem Innocentii, et Gelasii Pontificum.

Nec momenti est, aut sustineri valet, quod Suarius respondet Div. Augustinum testimonium illud abundantioris doctrinæ gratia ad parvulos extendisse. Nam licet hoc posset utcumque affirmari de his, quæ Sanctus Doctor concionando dixit, ubi frequenter occurrunt locutiones metaphoricæ, aut minus propriæ : admitti tamen nulla ratione debet in his, quæ tam subtiliter, et tam

tam frequenter, et tam ex professo contra Pelagianos scripsit : sic autem scripsit parvulos sine participatione corporis, et sanguinis Domini non salvari. Legatur Sanctus Doctor lib. 1, *de peccatorum meritis* cap. 20, ubi contra Pelagianos inquit : « Dominum audiamus non quidem hoc de « sacramento sacri lavacri dicentem, sed « de sacramento sacræ mensæ suæ, quo « nemo rite nisi baptizatus accedit, Nisi « manducaveritis etc. An vero quispiam « hoc dicere audebit quod ad parvulos hæc « sententia non pertineat, possintque sine « participatione corporis hujus, et sangui- « nis in se habere votum? » Et infra subjungit : « Et ubi est, quod eodem loco de « hac ipsa re Dominus ait : Panis, quem « ego dedero, caro mea est pro sæculi « vita? Secundum hoc enim etiam ad nos « pertinere illud sacramentum intelligi- « mus, qui tunc nondum fuimus, quando « ista dicebat : quia non possumus dicere « ad sæculum nos non pertinere, pro cujus « vita Christus carnem suam dedit. Quis « autem ambigat sæculi nomine homines « significatos esse, qui nascendo in hoc sæ- « culum venimus? Ac etiam pro parvulo- « rum vita caro data est, quæ data est pro sæ- « culi vita : et si non manducaverint car- « nem filii hominis, nec ipsi habere pos- « sunt. » Similia tradit in lib. *de prædest. Sanctor.* capitulo 13. Ex quibus, et aliis locis constat Divum Augustinum sensisse parvulos baptizatos suscipere si non re, voto tamen sacramentum corporis, et sanguinis Domini : et hujusmodi Eucharistiæ susceptionem esse pro illorum salute necessariam.

Objectio. Si autem quis objiciat testimonium, cui innititur tota Divi Augustini sententia, *Nisi manducaveritis*, etc. intelligi non de manducatione sacramentali, sive sacramenti ; sed de manducatione spirituali, quæ per fidem respiciat Christum, qui alias est res, et sacramentum in Eucharistia, juxta superius dicta numero 4. Quare Div. Augustinus in eodem sensu exponendus est : unde non sequitur, quod ex ejus sententia parvuli debeant pro salute sua suscipere saltem in voto Eucharistiæ sacramentum. Si aliquis, inquam, ita opponat, refellendus erit : quia licet Dominus in
Dispellitur. illis verbis, *Nisi quis manducaverit*, etc. locutus fuerit de spirituali Christi manducatione per fidem quod non negamus ; tamen minime exclusit manducationem sacramenti aut in re, aut in voto, sed illam simul eisdem verbis complexus est, ut sæpe contingit in aliis Scripturæ locis habentibus duos, aut plures sensus litterales. Et Div. Augustinus ita, id est, in utroque isto sensu locum intellexit, eoque usus fuit contra Pelagianos, ut liquet ex relatis testimoniis, et magis adhuc liquet ex Divo Thoma supra quæstione 65, articulo 4, qui D. Tho.
hanc fuisse Divi Augustinali sententiam testatur his verbis : « Ad secundum dicen- « dum, quod illud verbum Domini, Nisi « manducaveritis, etc. est intelligendum « de spirituali manducatione, et non de « sola sacramentali, et Augustinus exponit « super Joannem. » Non dixit intelligenda esse non de sacramentali, sed intelligenda esse non de sacramentali, sed intelligenda esse non de sola sacramentali : quia et de sacramentali exponi debent, et etiam de spirituali. Et hoc sentiebat Augustinus. Quin sentit Ecclesia Catholica, quæ ubi de Eucharistia contra Hæreticos agit, ex illis verbis, et ex toto sexto Joannis capite argumenta desumit. Quare ab hoc latere nequit incerta reddi Augustini sententia, nec labefactari fundamentum, quod ab ejus auctoritate desumimus. Videantur Cano in relect, *de pœnitentia*, parte 5 ad Cano. Sotus.
5, Soto in 4, distinctione 8, quæst. unica Vazq.
articulo 3 ad 1, etc. Vasquez disputatione 179, cap. 4, et 5, qui optime demonstrant verba illa Domini intelligenda etiam esse de manducatione sacramenti Eucharistiæ. Idque jam pridem docuerant Noster Cyrillus D. Cyr.
ad locum Joannis, Divus Chrysostomus ho- D. Chry. Gratian.
milia 45, *in Joannem* et alii Patres quos refert Gratianus *de consecrat.* distinctione 2.

12. Probatur secundo ex Divo Thoma, Auctoritas Divi Thom.
qui in præsenti articul. 3, satis aperte docet Eucharistiam in voto, sive votum Eucharistiæ ad primam salutem requiri : distinguit enim inter hoc sacramentum, et rem hujus sacramenti, quæ est unio fidelium tam inter se, quam cum Christo capite. Quo supposito affirmat rem hujus sacramenti esse necessariam ad salutem. Sed ad prædictam rem non requiri actualem Eucharistiæ susceptionem, sed sufficere votum ejus. Ergo sicut certum est rem hujus sacramenti esse ad quamcumque salutem necessariam ; sic etiam ex sententia Divi Thomæ votum Eucharistiæ, per quod illa

res præhabetur, requiritur ad primam salutem : et quemadmodum prior illa necessitas est non solum præcepti, sed medii; sic etiam posterior. Verba Sancti Doctoris sunt : « Dicendum, quod in hoc sacramento « duo est considerare, scilicet ipsum sacra« mentum, et rem sacramenti. Dictum est « autem, quod res hujus sacramenti est « unitas corporis mystici, sine qua non « potest esse salus : nulli enim patet aditus « salutis extra Ecclesiam: sicut nec in dilu« vio absque arca Noe,ut habetur 1,Petri 3. « Dictum est autem supra,quod res alicujus « sacramenti haberi potest ante percep« tionem sacramenti ex ipso voto sacra« menti percipiendi. Unde ante perceptio« nem hujus sacramenti potest homo ha« bere salutem ex voto percipiendi hoc « sacramentum : sicut, et ante baptismum « ex voto baptismi. » Ubi, et motivum, et exemplum, quibus utitur Div. Thom. probant votum Eucharistiæ, sive Eucharistiam in voto requiri simpliciter ad salutem.

Objectio. Nec refert, si opponatur verba, et discursum Divi Thomæ evincere necessitatem voti Eucharistiæ, ut est particulare sacramentum, atque in genere causæ efficientis causat specialem effectum gratiæ cibantis : quod tamen a nobis rejectum est in secunda conclusione : unde in hac ultima solum statuimus necessitatem voti Eucharistiæ relati ad ipsam, ut habet rationem finis

Dissolvitur. cæterorum sacramentorum. Id, inquam, non refert : quoniam licet verba Divi Thomæ primum illud insinuare videantur ; tamen Sanctus Doctor statim magis se declarat statuens necessitatem voti Eucharistiæ in eodem sensu, quo illam proposuimus. Assignata namque necessitate voti baptismi, et voti Eucharistiæ ad salutem, immediate subjunxit : « Est autem diffe« rentia quantum ad duo. Primo quidem, « quia baptismus est principium spiritualis « vitæ, et janua sacramentorum. Eucharis« tia vero est quasi consummatio spiritua« lis vitæ,et omnium sacramentorum finis, « ut supra dictum est quæstione 65, arti« cul. 3; per sanctificationes enim omnium « sacramentorum fit præparatio ad susci« piendam, vel consecrandam Eucharis« tiam. Et ideo perceptio baptismi est ne« cessaria ad inchoandam spiritualem vi« tam : perceptio autem Eucharistiæ est « necessaria ad consummandam ipsam ; « non ad hoc, quod simpliciter habeatur : « sed sufficit eam habere in voto, sicut, et « finis habetur in desiderio, et inten« tione, etc. » Quibus verbis satis expressit votum Eucharistiæ, quod necessarium dixerat ad salutem, non consistere in desiderio, et proposito suscipiendi Eucharistiam, ut est particulare sacramentum, et peculiarem ejus effectum in genere causæ efficientis : sed situm esse in intentione, ordine, et respectu ad illam, quatenus est communis sacramentorum finis.

13. Confirmatur ex eodem D. Thoma infra quæstione 79, articulo 1, ubi opponit : « Hoc sacramentum est nutrimentum « spirituale : nutrimentum autem non datur « nisi viventi. Cum ergo vita spiritualis « fit per gratiam , non competit hoc sacra« mentum nisi habenti gratiam. Non ergo « per hoc sacramentum confertur gratia, « ut primo habeatur » Ubi liquet intentionem argumenti esse quod prima gratia conferatur independenter a sacramento Eucharistiæ. Sed tamen Sanctus Doctor respondet : « Ad primum ergo dicendum, « quod hoc sacramentum ex se ipso vir« tutem habet gratiam conferendi : nec ali« quis habet gratiam ante susceptionem « hujus sacramenti, vel nisi ex aliquo voto « ipsius, vel per se ipsum, sicut adulti, vel « voto Ecclesiæ sicut parvuli, sicut supra « dictum est, » nempe in hac quæst. articulo 3, ut proxime expendimus. Quo nihil expressius pro nostra assertione dici potuit; siquidem aperte affirmat Divus Thomas neminem vel adultorum, vel parvulorum consequi primam gratiam absque Eucharistiæ voto. Nec ulla ratione audiendus est Vazquez dicens sermonem esse de voto adimplendi præcepta: in quo clauditur votum suscipiendi hoc sacramentum, sicut, et votum jejunandi, et exequendi alia, quæ præcipiunt Deus et Ecclesia. Nam absurda hæc, et valde crassa interpretatio refellitur ex verbis, quæ Sanctus Doctor immediate subjungit : « Unde ex efficacia ipsius sacra« menti est, quod etiam ex voto ipsius ali« quis gratiam consequatur, per quam spi« ritualiter vivificetur. » Ubi id non revocat ad præceptum, sed ad naturam ipsius sacramenti : cujus tanta est efficacia, quod vel in voto susceptum causet illammet gratiam, quam efficit sacramentum baptismi : et ab hac radice probat ejus necessitatem quæ proinde non est solius præcepti, sed medii, ut etiam in baptismo contingit.

Continuatur auctoritas Div. Thomæ.

Rejicitur Vazqu.

Confirmatur

Prosequitur auctoritas. Confirmatur amplius ex eodem Sancto Doctore ; nam infra quæst. 80, articulo 11, inquit : « Dicendum, quod duplex est « modus suscipiendi hoc sacramentum, « scilicet spiritualis, et sacramentalis. Ma- « nifestum est autem, quod omnes tenentur « saltem spiritualiter manducare: quia hoc « est Christo incorporari, ut supra dictum « est quæst. 73, articulo 3. Spiritualis « autem manducatio includit votum, seu « desiderium percipiendi hoc sacramentum « ut supra dictum est in eodem loco. Et « ideo sine voto percipiendi hoc sacra- « mentum non potest homini esse salus. » In quibus aperte asserit, quod tam necessarium est ad hominum salutem votum istud, quam incorporatio cum Christo : quam nemo negabit esse necessariam necessitate medij ad salutem. Et non minus perspicue loquitur super Joannem cap. 6, lectione 6, ubi affirmat : « Quidquid est effectus « dominicæ passionis, totum etiam est effe- « ctus hujus sacramenti. » Et iterum: « In « hoc sacramento continetur causa univer- « salis omnium sacramentorum, scilicet « Christus. » Cum ergo certum sit, quod prima salus est effectus passionis Christi sicut causa universalis omnium sacramentorum : sic etiam certum debet esse, quod ex sententia Divi Thomæ sacramentum Eucharistiæ sit ejusdem effectus, sive salutis causa. Cumque non semper causet prout in re susceptum ; debet causare ut susceptum saltem in voto.

Ratio fundamentalis. 14. Tertio probatur conclusio ratione desumpta ex testimoniis utriusque Sancti Doctoris : quoniam sacramentum baptismi susceptum in re, vel in voto est necessarium necessitate medii ad salutem : ergo pariter sacramentum Eucharistiæ saltem in voto est etiam necessarium necessitate medii ad salutem : cumque non sit necessarium in voto respiciente Eucharistiam, ut exercite causat peculiarem suum effectum gratiæ cibantis in genere causæ efficientis, sicut constat ex dictis numero 9, relinquitur esse necessarium in voto importante ordinem, et intentionem ad Eucharistiam sicut ad communem sacramentorum finem, ut magis constabit ex immediate dicendis. Cætera constant præter primam consequentiam, quæ ita ostenditur: nam sacramentum Eucharistiæ est finis omnium sacramentorum, et subinde omnia præcedit ordine dignitatis, et intentionis, ut cum communi Patrum, et Theologorum sententia statuimus Tract. præcedenti disputatione 9, dub. 2, § 2. Sed in volitione eorum, quæ sunt ad finem includitur saltem virtualiter, et implicite intentio, sive votum ejusdem finis : cum manifestum sit medium in esse talis ad suum finem tendere, atque ordinari. Ergo si ad salutem requiritur necessitate medii sacramentum baptismi susceptum in re, vel in voto ; sequitur necessarium etiam esse ad prædictam salutem intentionem, sive votum saltem virtuale, et implicitum sacramenti Eucharistiæ : ergo sacramentum Eucharistiæ saltem in voto est necessarium necessitate medii ad salutem. Qui discursus evincit non solum rem principaliter intentam, videlicet necessitatem Eucharistiæ in voto; sed declarat etiam modum hujus voti, nempe quod respiciat Eucharistiam non prout exercite causat peculiarem suum gratiæ cibantis effectum, distinctum ab effectibus cæterorum sacramentorum ; sed quod respiciat Eucharistiam tanquam communem sacramentorum finem, quæ per modum causæ finalis influit in omnes effectus, quos alia sacramenta in suis generibus peculiariter causant : sicut finis influit in omnia media, et mediorum electiones, atque effectus.

Nec momenti erit, si quis tentet vires prædicti discursus elevare vel negando Eucharistiam esse finem aliorum sacramentorum, ut specialiter apparet in Extremaunctione, quæ ad Eucharistiam non ordinatur, sed illam per se loquendo supponit. Vel dicendo non sacramentum Eucharistiæ esse sacramentorum finem; sed Christum in Eucharistia contentum : unde ex præmisso discursu non sequitur, quod requiratur, et reperiatur votum Eucharistiæ in susceptione, aut voto aliorum sacramentorum; sed quod in his reperiatur, et requiratur intentio ad Christum totius justificationis finem, qui alias continetur in Eucharistia. Vel denique dicendo, quod licet votum medii in esse medii, sive per habitudinem ad finem sit virtuale, et implicitum ejusdem finis, votum ; non tamen oportet, quod votum ejus, quod alias est medium, sit adhuc virtualiter intentio finis ; cum possit illud appeti non ut medium, sed secundum se. Ad primam autem salutem sufficit habere votum baptismi secundum se, sive præcisive a ratione me- Effugia.

dii ordinati ad Eucharistiam. Unde non sequitur, quod votum baptismi sit virtuale, et implicitum Eucharistiæ votum : et subinde nec sequitur, quod Eucharistiæ votum sit ad salutem necessarium.

Præcluduntur. 15. Non, inquam, debilitatur robur præmissi fundamenti his subterfugiis. Primum enim præcludunt dicta loco citato ex Tract. præced. ubi ostendimus Eucharistiam esse sacramentorum finem. Idque breviter, et facile ostenditur : nam certum est sacramenta Ecclesiæ non se habere disparate, sed ordinem aliquem observare tam generationis, quam perfectionis : Eucharistiæ autem sacramentum est cæteris perfectius propter intimam conjunctionem ad Christum in se, realemque ipsius continentiam: unde oportet esse primum sacramentum ordine dignitatis, et perfectionis : quod autem sic ad alia comparatur, habet rationem finis respectu illorum : ergo sacramentum Eucharistiæ est finis omnium aliorum sacramentorum. Quod optime confirmat D. Thomas supra quæst. 65, artic. 3, in arg. *Sed contra* testimonio D. Dionysii cap. 3, *de ecclesiast. hierarch.* asserentis : « Non contingit aliquem perfici perfectione « hierarchica, » (quam sacramenta præstant), « nisi per divinissimam Eucharis- « tiam. » Id vero, quod de Extrema-unctione opponitur, dilutum fuit loco cit. num. 30, tum quia Eucharistia potest recipi, et olim recipiebatur post Extremam-unctionem : tum quia licet Extrema-unctio recipiatur post viaticum, ut nunc est in usu; non propterea amittit respectum ad illam sicut ad finem; sed comparatur ad instar accidentium, vel dispositionum formam substantialem consequentium quæ propter illam sunt, ipsamque ut finem respiciunt. D. Dion.

Secundum etiam dispellitur ex proxime dictis : quia non solus Christus in Eucharistia contentus est melior, quam sacramenta, habetque proinde respectu illorum rationem finis; sed etiam sacramentum Eucharistiæ Christum continens est perfectius, et nobilius cæteris sacramentis; quocirca comparatur per modum finis respectu illorum, ut eandem evasionem præcludentes diximus loco cit. num. 18. Et ideo qui re, vel voto recipit alia sacramenta, eo ipso recipit, et respicit in voto saltem virtuali, et implicito tanquam finem non solum Christum, qui in Eucharistia continetur, sed etiam sacramentum Eucharistiæ: licet intersit discriminis, quod Christus est finis principalior, et ultimatus; sacramentum autem Eucharistiæ est finis solum intermedius : nam et habet rationem medii subordinati Christo secundum se, et habet rationem finis respectu sacramentorum.

Tertium denique evertitur : nam qui re, vel voto rite suscipit sacramentum baptismi, respicit illud prout institutum a Deo, nec ab hujusmodi intentione valet tam explicite, quam implicite præscindere. Deus autem instituit sacramentum baptismi cum ordine ad sacramentum Eucharistiæ sicut ad finem. Quare qui sacramentum baptismi re, aut in voto suscipit, nequit non illud recipere cum ordine ad Eucharistiam sicut ad finem. Quod est respicere, et recipere Eucharistiam in voto saltem virtuali, et implicito. Quam doctrinam optime expressit Catechismus Romanus in tract. de Eucharistia, num. 46, affirmans « Eucharistiam fonti, cætera sacramenta « rivulis comparari. Vere enim, ac neces- « sario fons omnium gratiarum dicenda « est; cum fontem ipsum cœlestium charis- « matum, et donorum, et omnium sacra- « mentorum auctorem Christum in se « contineat : a quo tanquam a fonte ad « alia sacramenta quidquid boni, et per- « fectionis habent, derivatur. » Juxta quam doctrinam addit num. 49 : « Prima « etiam gratia nemini tribuitur, nisi hoc « ipsum sacramentum desiderio, et voto « percipiat : est enim omnium sacramen- « torum finis. » Catechis. Roman.

Differentia observanda inter Baptismum, et Eucharistiam. Perstat itaque propositum fundamentum, quod eadem necessitate, qua ad salutem requiritur sacramentum baptismi in re, vel in voto, etiam requiritur sacramentum Eucharistiæ in voto, quod implicatur in sacramento baptismi re, vel intentione suscepto. Est vero differentia, quod votum sacramenti baptismi respicit illud tanquam peculiare sacramentum, quod est janua cæterorum sacramentorum, et prout exercite causat suam specialem gratiam, quæ aditum aperit aliis sacramentis : unde provenit, quod susceptio baptismi in re requiratur per se : et votum ejus requiratur per accidens, et sufficiat per accidens, ubi non adest copia susceptionis realis : ex quo ulterius fit, quod occurrente copia, teneatur homo ad realem, et exercitam baptismi sumptionem. Cæterum votum

sacramenti

sacramenti Eucharistiæ respicit illud tanquam communem sacramentorum finem, et quatenus per modum finis influit in eorum effectus : proprium est autem finis causare prout in voto, sive intentione : quare prædictum votum Eucharistiæ non per accidens, sive loco alterius, sed concurrit per se, ut Eucharistia in ratione finis influat : et propterea licet adsit copia suscipiendi realiter Eucharistiam, non ideo homo semper obligatur illam recipere ; sed suæ obligationi satisfacit pro qualitate materiæ per votum respiciens Eucharistiam ut finem, idque semper habet, ubi recipit alia sacramenta. Quæ et aliæ differentiæ magis constabunt occurrendo contrariis argumentis.

§ IV.

Opinio præcipuæ assertioni opposita cum suis motivis.

16. Contra ultimam, et magis principalem nostrarum assertionum est opinio plurium asserentium Eucharistiam nec in re, nec in voto esse ad primam salutem necessariam necessitate medii. Ita Alexander 4 parte, quæst. 11, memb. 2, artic. 2, Durandus in 4, dist. 9, quæst. 2, num. 7. Gabriel q. 2, art. 1, et art. 2, concl. 2, Villalobos tract. 8, difficult. 34, num. 3, Vazquez disp. 169, cap. 3, Suarez disp. 40, sect. 1, et 2, Lugo disp. 3, sect. 2, Dicastillo disp. 1, dub. 5, Angles *de Eucharist.* quæst. 2, art. 9, difficult. 1, Bonacina disp. 4, quæst. 1, punct. 3, Castro Palaus disp. unica, punct. 3, Pasqualigus disp. 90, sect. 2, Caramuel *in Theologia fundam.* num. 2004. Kelisonus in præsenti articulo 3, dub. 1, Caspensis disputatione 2, sect. 5, Raynaudus *in Onomastico Eucharistico*, Martianus disputatione 28, sectione 8, Amicus disputatione 10, sectione 2, Bernal disputatione 44, sectione 2, Henao disputatione 3, sectione 1, et alii plures Juniores. Et eidem opinioni ex Thomistis subscripsit Arauxo in præs. art. 3, dub. 2, pro eadem referens Paludanum, Ferraram, et Sylvestrum, sed immerito : quia rem in his propriis terminis non versarunt, et tantum negarunt necessitatem Eucharistiæ in voto relato ad eandem Eucharistiam, prout tanquam speciale sacramentum causat peculiarem effectum in genere causæ efficientis,

[Margin: Alexand. Durand. Gabriel. Villalob. Vazq. Suarez. Lugo. Dicastill. Angles. Bonacin. Palaus. Pasqual. Caram. Kelison. Caspen. Raynaud. Martin. Amicus. Bernal. Arauxo.]

juxta superius dicta num. 9. Adeo vero quibusdam Recentioribus hæc sua opinio arrisit, ut ausi fuerint proferre quosdam excessus. Bernal dixit esse « communem catholicorum sensum : » Caramuel asseruit esse tam certam, « quod oppositum non sit probabile. » Sed prior videtur vel non legisse libros, vel non legentibus libros tam solidum mendacium voluisse impingere : plurimi enim catholici gravissimi, et sapientissimi nostram assertionem docent, ut constat ex relatis num. 10. De secundo autem dignum admiratione est, quod cum capacissimi pectoris fuerit in deglutiendo probabilitatum elephantos, sorbere non potuerit culicem istum. Sed videre potuit amicissimum Dianam 3 part. tract. 6 *miscellan.* resolut. 95, ubi utramque opinionem dicit probabilem. Verum his omissis, quæ parum referunt.

[Margin: Aliquorum censura irridenda.]

Probatur primo hæc opinio ex D. Thoma supra quæst. 65, art. 4, ubi inquirit, « Utrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis? » Et resolvit, quod ex septem sacramentis, solum duo, nempe baptismus, et pœnitentia sunt necessaria, et etiam sacramentum ordinis pro gubernando toto corpore Ecclesiæ : de reliquis autem affirmat solum esse necessaria ad melius esse, sive ad commodius assequendum finem. Manifestum autem est, quod S. Doctor ibi non agit de sola necessitate præcepti : quippe certo constat apud omnes Eucharistiæ sacramentum esse hoc modo necessarium. Ergo sensit, et docuit hujusmodi sacramentum non esse necessarium necessitate medii ad salutem.

[Margin: Primum argumentum.]

Sed ad hoc satis constat ex supra dictis num. 9. Juxta quæ dicendum est D. Thom. in prædicto loco agere de his sacramentis, quæ ad salutem requiruntur per se loquendo prout in re, et secundum exercitam applicationem : cujus defectum aliquando supplet per accidens votum suscipiendi talia sacramenta. Et hoc modo merito asseruit sola illa duo sacramenta baptismi, et pœnitentiæ requiri pro individuis : quia requiruntur per se loquendo prout in re ; licet deficiente copia sufficiat illorum votum. Eucharistia vero non sic requiritur, ut diximus in prima conclusione. Requiritur autem per se loquendo ejus votum : non quidem secundum quod votum est desiderium, aut propositum suscipiendi sacramentum in re ; sed prout votum est

[Margin: Responsio.]

ordo, et intentio respectu finis. Nam fieri non valet, quod quis re, aut voto cætera sacramenta suscipiat, quin velit talia sacramenta cum ordine, quem habent ad Eucharistiam sicut ad communem eorum finem. In quo sensu necessitatem sacramenti Eucharistiæ prout in voto ad hominum salutem docet D. Thom. in testimoniis relatis nu. 12 et 13. Unde omnia consonant.

Secundum argumentum. 17. Arguitur secundo : nam si sacramentum Eucharistiæ prout in voto esset necessarium necessitate medii ad primam hominis salutem ; sequeretur prædictum sacramentum influere in primam justificaticnem, atque in remissionem peccatorum : ex quo ulterius fieret unum ex præcipuis effectibus hujus Sacramenti esse peccatorum remissionem. Consequens est falsum, et reprobatum in Concilio Tridentiono sess. 13, can. 5, ubi dicitur : « Si quis dixerit « vel præcipuum fructum sanctissimæ Eu« charistiæ esse remissionem peccatorum, « vel ex ea non alios effectus provenire ; « anathema sit. » Ergo sacramentum Eucharistiæ nec in re, nec in voto est necessarium necessitate medii ad primam hominis salutem. (Concil. Trident.)

Confirmatio. Confirmatur primo : quia sacramentum baptismi se solo habet virtutem sufficientem ad causandum remissionem peccati originalis mediante gratia regenerativa. Et similiter sacramentum pœnitentiæ habet vim causandi gratiam remissivam peccatorum actualium. Ergo pro causandis hujusmodi effectibus non requiritur sacramentum Eucharistiæ, nec ejus votum.

Alia. Confirmatur secundo : nam cum Eucharistia sit sacramentum vivorum, et per se supponat primam gratiam ; minime potest dici institutum ad talis gratiæ productionem : sed eo ipso non requiritur ejus votum pro tali effectu : ergo Eucharistia nec in voto est necessaria ad primam hominis salutem. Probatur minor : nam quia baptismus, et pœnitentia sunt sacramenta instituta ad conferendam primam gratiam ; propterea ad hujusmodi gratiam requiruntur vel in re ; vel in voto : ergo e converso si sacramentum Eucharistiæ non est institutum ad conferendam primam gratiam, sequitur hujusmodi sacramentum nec in re, nec in voto requiri, aut concurrere ad prædictæ primæ gratiæ collationem.

Diluitur argumentum. Respondetur Adversarios in hoc argumento, et aliis, quæ expendere solent, parallogizare, dum a negatione voti Eucharistiæ influentis in genere causæ efficientis, et per modum specialis sacramenti in executione causantis, tentant concludere negationem voti Eucharistiæ influentis in genere causæ finalis, sive per modum finis communis respectu tam sacramentorum, quam effectuum ab eisdem procedentium. Quæ consequentia non melior est, quam si quis concluderet aliquid non esse causam ex eo, quod causa efficiens non sit. Sicut enim præter causam efficientem datur causa finalis : sic etiam præter votum Eucharistiæ causantis per modum efficientis, potest dari votum Eucharistiæ causantis per modum finis, ut re ipsa contingit, et supra ostendimus. Quare ad argumentum respondetur concedendo sequelam quoad omnes ejus partes, si intelligatur de influxu Eucharistiæ in genere causæ finalis : negari vero debet, si intelligatur de influxu Eucharistiæ in genere causæ efficientis, et prout isto modo causat peculiarem suum peffectum gratiæ cibantis. Ad impugnationem autem sequelæ dicendum est Concilium Tridentinum agere, et loqui de proprio, et speciali effectu Eucharistiæ in genere causæ efficientis : quem, merito negat esse remissionem peccatorum : supponit enim prædictum sacramentum per se loquendo statum gratiæ, ut proprium suum effectum gratiæ cibantis efficiat. Sed id minime impedit, quod prædictum sacramentum pro sua dignitate sit communis finis sacramentorum, et quod per modum finis influat tam in sacramentorum vota, quam effectus, atque in ipsam primam gratiam remmissivam peccati. Nec id negatur a Concilio, nec referebat ad intentionem illius.

Occurritur primæ confirmationi. Unde ad primam confirmationem, concesso antecedenti, negamus consequentiam : quia licet sacramentum baptismi, et sacramentum pœnitentiæ habeant sufficientem virtutem causandi primam gratiam in suo genere, videlicet in genere causæ particularis ; id tamen minime impedit, quod aliquid aliud ab illis concurrat ad eundem effectum in genere causæ finalis. Et hoc modo influit Eucharistia in prædictum effectum : nam cum sit omnium sacramentorum finis ; quidquid ista agunt, agunt utique in ordine ad illam sicut ad finem

finem : et similiter votum sacramentorum ut causarum efficientium, est votum Eucharistiæ ut causa finalis. Eodem modo diluitur secunda confirmatio, omittendo majorem, et negando minorem : habet enim Eucharistia et esse particulare sacramentum influens in genere efficientis peculiarem effectum gratiæ cibantis : secundum quam rationem non influit per se loquendo in primam gratiam, nec ejus sic acceptæ votum ad talem effectum requiritur. Et habet etiam Eucharistia esse communem cæterorum sacramentorum finem : et hoc modo, nimirum per modum finis, influit in omnium sacramentorum effectus. Et quia finis causat prout in intentione, seu voto, propterea votum Eucharistiæ requiritur ad primam justificationis gratiam. Minoris autem probatio nihil evincit : baptismus enim, et pœnitentia concurrunt per se ad primam gratiam in genere causæ efficientis, et secundum suas peculiares rationes : quare in eorum absentia requiritur votum illorum ut causarum efficientium. Quo modo fatemur non requiri votum Eucharistiæ ad talem effectum : quia nec ipsa per se loquendo causat prædictum in tali genere. Sed id minime impedit, quod influat in genere causæ finalis, nec quod votum Eucharistiæ ut finis requiratur ad talem effectum.

Satisfit secundæ.

Tertium argumentum.

18. Arguitur tertio : nam quando votum alicujus sacramenti est necessarium necessitate medii ad salutem, cadit sub præcepto recipere tale sacramentum ubi adest copia illius : quippe frustra esset votum, si non impleretur occurrente opportunitate, ut optime expendit D. Thom. infra quæst. 80, art. 11 ; sed non tenetur homo recipere sacramentum Eucharistiæ, licet adsit copia illius : alias qui post susceptum baptismum non statim susciperet Eucharistiam, cum posset, peccaret graviter ; quod est falsum, et contra omnium sententiam : ergo votum Eucharistiæ non est necessarium necessitate medii ad salutem.

Confirmatio.

Confirmatur : quia si infirmus post susceptum Eucharistiæ viaticum peccat mortaliter, tenetur suscipere sacramentum pœnitentiæ in re, si adsit confessarius, et in voto, si non adsit : et tamen non tenetur suscipere sacramentum Eucharistiæ vel in re, vel in voto : ergo signum est, quod votum Eucharistiæ non requiritur ad salutem. Minor quoad primam partem est certa, et communis inter Theologos. Secunda vero ejusdem minoris pars ostenditur : quia si infirmus in tali casu deberet habere votum Eucharistiæ, teneretur etiam Eucharistiam in re suscipere, ubi commode posset : frustra enim esset votum non afferens executionem, ubi facile fieri potest : consequens autem est falsum, ut immediate dicebamus.

Diluitur argumentum

Ad argumentum respondetur majorem solum verificari, quando sacramentum ut influens in genere causæ efficientis requiritur per se ad salutem ; et quando (quod ex præcedenti sequitur) votum talis sacramenti concurrit per accidens, supplendo scilicet defectum sacramenti, quod abest. Tunc enim frustra esset tale votum, si occurrente copia sacramentum suscipiendi, non revocaretur ad praxim. Ex qua radice provenit, quod qui consequitur primam gratiam ex voto baptismi, vel pœnitentiæ, teneatur prædicta sacramenta in re suscipere, quando potest. Sed hæc doctrina adaptari nequit præsenti materiæ : quia sacramentum Eucharistiæ non influit per se loquendo in primam gratiam in genere causæ efficientis : nec ad prædictam salutem requiritur votum Eucharistiæ quatenus in eo genere causantis suum specialem effectum, ut in secunda assertione statuimus. Quare ex vi hujus minime sequitur hominem justificatum teneri ad susceptionem hujus sacramenti in re, licet adsit copia. Verum enimvero quamvis res ita se habeat attendendo ad genus causæ efficientis ; nihilominus Eucharistia est communis finis omnium sacramentorum, influitque in genere causæ finalis in omnes eorum effectus : quocirca votum baptismi, vel pœnitentiæ, quod supponitur necessarium ad salutem, est etiam votum Eucharistiæ per modum finis. Et cum influxus proprius finis in esse finis non sit in executione, sed in intentione, atque voto : propterea influxus Eucharistiæ ad salutem non petit per se executionem ipsius Eucharistiæ ut in re susceptæ ; sed sufficientissime, et per se salvatur in voto, sive in ordine aliorum sacramentorum ad Eucharistiam sicut ad finem. Unde provenit, quod licet votum Eucharistiæ sit ad salutem necessarium necessitate medii ; non sequatur ex vi hujus hominem teneri ad suscipiendum Eucharistiam in re, quamvis adsit copia

illius. Distinguendo itaque in prædicto sensu præmissas, neganda est consequentia absolute. Et quod argumentum attingit ex D. Thom. loco citato, explicabitur dub. sequenti. Modo insinuare sufficiat S. Doctorem loqui de Eucharistiæ necessitate in ordine ad conservandum vitam spiritualem, et perseverandum longo tempore in gratia : ad quem effectum requiritur per se loquendo Eucharistia in re suscepta, licet per accidens sufficiat votum illius ut causæ efficientis. Unde mirum non est, quod pro prædicto effectu, occurrente copia, teneatur homo ex præcepto ad exercitam Eucharistiæ susceptionem. Sed casus est diversus, exulatque a præsenti consideratione, ut ex se liquet, et dub. seq. magis explicabimus.

D. Tho.

Solvitur confirmatio.

Ad confirmationem negamus minorem quoad secundam ejus partem : nam cum in prædicto casu teneatur infirmus suscipere sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto, ut in majori supponitur ; tenetur similiter habere votum respiciens Eucharistiam ut finem : quippe votum istud non ponit in numero cum alio pœnitentiæ voto ; sed in eo implicatur, et intime imbibitur propter ordinem, quem omnia sacramenta ad Eucharistiam habent sicut ad causam finalem, ut supra explicuimus. Ad probationem autem illius partis neganda est sequela ob ea, quæ argumento respondimus : non enim addit difficultatem, nec aliam doctrinam exposcit.

Quartum argumentum.

19. Sed contra illum replicabis (et sit quartum argumentum) : quoniam nullus intendit finem, nisi propter consecutionem ejus in se : atqui realis consecutio, sive susceptio sacramenti Eucharistiæ in se non est necessaria ad salutem, ut concedimus : ergo nec illius intentio, vel votum requiritur ad salutem necessitate medii. Minor, et consequentia patent. Et major apparet evidens : quia frustra intentio alicujus finis dicetur necessaria, si illius consecutio non esset necessaria, nec exequenda : unde nemo dicet intentionem sanitatis corporalis esse necessariam, si ipsa sanitas in se, ejusque consecutio necessaria non sunt : ergo nullus intendit finem, nisi propter consecutionem ejus in se.

Confirmatio I.

Confirmatur primo : quoniam si Eucharistiæ sacramentum solum requiritur ad salutem ut terminans intentionem, non autem ut in re susceptum : liquido infertur votum Eucharistiæ esse quidem necessarium ad salutem, non autem ipsum Eucharistiæ sacramentum. Hoc autem esse falsum vel ex eo liquet, quod generaliter loquendo magis necessarius est finis, quam ejus intentio ; siquidem intentio non desideratur nisi propter finem.

Secunda.

Confirmatur secundo : quia non alia ratione dicimus Eucharistiam in voto esse ad salutem necessariam necessitate medii, nisi quia in susceptione, aut voto aliorum sacramentorum includitur ordo ad Eucharistiam : sed hoc motivum nullius roboris est : ergo Eucharistia in voto non requiritur necessitate medii ad salutem. Probatur minor : quia etiam in susceptione, aut voto baptismi includitur votum ad omnia, quæ cadunt sub lege Dei : nemo enim justificari potest, quin explicite, vel implicite statuat illa adimplere : et tamen non omnia, quæ cadunt sub præcepto, dicuntur necessaria in voto necessitate medii ad salutem : alias nihil foret necessarium necessitate præcepti, quod simul non esset necessarium necessitate medii : ergo ex eo, quod susceptio, aut votum baptismi, et aliorum sacramentorum dicat ordinem ad Eucharistiam, minime sequitur Eucharistiæ sacramentum prout in voto esse necessarium necessitate medii ad salutem.

Tertia.

Confirmatur tertio : quia non alia via possumus probare reliqua sacramenta, eorumque susceptiones, aut vota ordinari ad Eucharistiam sicut ad finem, nisi quia omnia sacramenta « præparant ad Eucharis-« tiam vel suscipiendam, vel consecran-« dam, » ut loquitur D. Thomas in præs. artic. 3, sed hoc est falsum : ergo alia sacramenta non ordinantur ad Eucharistiam sicut ad finem : atque ideo eo, quod alia sacramenta vel in re, vel in voto sint necessaria ad salutem ; minime sequitur Eucharistiæ votum prout in votis aliorum sacramentorum inclusum esse ad salutem necessarium. Cætera constant. Et minor probatur : nam Extrema-unctio ex sua institutione est ultimum sacramentum, et datur post viaticum : ergo non præparat ad Eucharistiam vel suscipiendam, vel consecrandam. Matrimonium etiam ex natura sua non disponit ad Encharistiam ; cum hæc sine illo æque bene, aut etiam melius suscipi queat. Confirmationis denique nulla est necessitas ad Eucharistiam suscipiendam ; siquidem in non confirmatis solet inveniri eadem dispositio, et devotio.

D. Tho.

Ad

Satisfit argumento. 20. Ad argumentum, sive replicam respondetur votum Eucharistiæ, quod dicimus ad salutem necessarium, non respicere illam ut finem secundum particularem rationem sacramenti causantis effective gratiam cibantem, ut sæpius diximus. Et si secundum hanc rationem illam respiceret ut finem, pariter respiceret, intenderetque gratiæ cibantis effectum : omnis enim intentio est in ordine ad finis confectionem, sive ad finem prout in re, ut bene probat argumentum. Sed prædictum votum respicit Eucharistiam secundum quod est communis sacramentorum finis, propter unionem specialem, quam habet cum Christo auctore gratiæ. Consecutio autem hujus finis non limitatur ad solam gratiam cibantem, quæ est specialis effectus Eucharistiæ in genere causæ efficientis : sed invenitur, et participatur in omnibus aliis sacramentorum effectibus, per quos Christo unimur. Quare qui prædicto modo habent votum Eucharistiæ, non solum respiciunt Eucharistiam ut finem, sed etiam respiciunt, intenduntque illius finis consecutionem Nota. in omnibus effectibus, quos habet. Nec id nos negamus : sed solum excludimus votum Eucharistiæ ut suscipiendæ in re per modum sacramenti ab aliis distincti, et efficientis particularem suum effectum gratiæ cibantis. Potestque id declarari exemplo regis, qui diligi valet tum ut persona particularis, et secundum perfectionem personalem; tum ut rex, sive communis princeps, et principium totius gubernationis. Et qui diligeret regem priori modo, diligeret etiam, atque intenderet ejus præsentiam, et particularem convictum, ut in aliis particularium amicitiis contingit. At qui diligeret illum solum secundo modo, eo ipso intenderet particularem illam præsentiam, et conversationem : sed intenderet consecutionem boni regiminis, et omnes effectus ad istud pertinentes, et assequendo istos consequeretur etiam finem a se intentum re. Hoc itaque proportionali modo distinguere oportet inter intentiones erga Eucharistiam, et effectus illis correspondentes. Et juxta hanc doctrinam respondetur in forma ad argumentum distinguendo minorem in uno, et altero sensu, et negando consequentiam. Videatur Joann. a S. Thom. loco citato in respons. ad 2, ubi fusius et recte hanc difficultatem diluit.

Juxta quam doctrinam respondetur ad primam confirmationem negando sequelam : quia votum Eucharistiæ non requiritur ratione sui, sed ratione rei intentæ, quæ est ipsa Eucharistia : et ideo hæc est ad salutem magis necessaria, quam ejus votum. Cæterum cum votum, quod necessarium dicimus, non respiciat Eucharistiam secundum particularem rationem causæ efficientis specialem suum effectum gratiæ cibantis ; sed secundum communem rationem finis omnium sacramentorum, cujus influxus extenditur ad omnes sacramentorum effectus ; in his effectibus adest consecutio prædicti finis in re : quidquid sit de particulari Eucharistiæ effectu in genere causæ efficientis. Responsio ad 1 confirmationem.

21. Ad secundam respondetur nos probare votum Eucharistiæ esse necessarium ad salutem necessitate medii, quia in susceptione, vel voto aliorum sacramentorum necessario includitur ordo ad Eucharistiam non utcumque, sed sicut ad finem. Et in hoc sensu concedimus majorem, et negamus minorem. Cujus probatio nullius roboris est : quoniam licet votum baptismi sit votum exequendi pertinentia ad legem Dei, nihilominus non omnia hæc respicit ut finem : sed quædam respicit ut necessaria necessitate medii vel ex natura rei, vel ex institutione divina ; quædam vero ut solum necessaria necessitate præcepti : unde non sequitur, quod omnia, quæ cadunt sub præcepto, sint adhuc in voto necessaria necessitate medii. Et hujus signum est, quod non obstante priori illo voto, possunt talia præcepta vel ob impotentiam, vel ob ignorantiam omitti inculpabiliter, et absque præjudicio salutis. Quod non ita accidit in necessariis necessitate medii : nam quolibet modo non adhibeantur, salus impeditur. Et sic accidit in Eucharistia prout terminat votum sui in voto aliorum sacramentorum inclusum : nam illius voti terminus est Eucharistia per modum finis communis, et participati in omnibus sacramentorum effectibus : sine quibus re, vel voto nemo salvatur. Diruitur secunda.

Ad tertiam respondetur pro efficacia nostri discursus sufficere, quod baptismi, et pœnitentiæ sacramenta, quorum votum, vel susceptio requiritur necessitate medii ad salutem, præparent ad Eucharistiam vel suscipiendam, vel consecrandam, illamque respiciant ut finem : inde enim Diruitur tertia.

consequitur votum saltem implicitum Eucharistiæ, sive ordinem ad ipsam sicut ad finem esse ad salutem necessarium necessitate medii. Et sic stat fundamentum nostrum, quidquid sit de Extrema-unctione, matrimonio, et aliis. Sed respondemus absolute concessa majori, negando minorem : nam cum certum sit omnia sacramenta servare inter se aliquem ordinem perfectionis, et sacramentum Eucharistiæ esse omnium perfectissimum : fit consequens cætera sacramenta illud respicere, et comparari ad ipsum per modum finis. Ad minoris autem probationem satis constat ex dictis tract. præced. disp. 9, dub. 2, § 2. Et quidem Extrema-unctio se habet ad instar mediorum, sive dispositionum finem, aut formam consequentium : ordinatur enim ad causandum effectum, qui foveat in ultimo agone Eucharistiæ, et aliorum sacramentorum effectus. Confirmatio autem causat effectum, quo roboramur ad fidem, devotionem, et confessionem Eucharistiæ : et licet in non confirmatis possit reperiri æqualis devotio actualis, non tamen speciale illud robur gratiæ sacramentalis, quam efficit sacramentum confirmationis. Denique matrimonium causat saltem secundario, et indirecte repressionem, et moderationem concupiscentiæ, quæ est congrua dispositio ad Eucharistiam : deinde significando unionem Christi cum Ecclesia, disponit quodammodo unionem animæ cum Christo, quæ excellenter relucet in Eucharistia.

DUBIUM II.

An Eucharistia re, vel voto requiratur ad perseverandum in gratia?

Succedit post infusionem primæ gratiæ perseverantia illius : unde proposita difficultas congruo ordine annectitur præcedenti. Porro perseverantiæ vocabulo non significamus determinate perseverantiam stricte dictam, sive finalem, quæ gratiam viæ cum ultimo fine, sive consecutione gloriæ conjungit : sed laxiori usurpatione significamus receptæ semel gratiæ permanentiam, et continuationem vitæ spiritualis, sive hæc ad suum usque finem pertingat, sive per accidens ex subjecti culpa ab illo excidat. Quæ perseverantia, aut permanentia vel potest esse admodum brevis, quæ nihil fere difficultatis afferat supra primæ gratiæ consecutionem, ut contingit in his, qui post primam justificationem cito moriuntur, aut statim peccant : vel potest esse notabilis, sive per longam temporis durationem. Et quia perseverantia in priori acceptione vix addit supra primam gratiam : quid de necessitate Eucharistiæ ad prædictum effectum dicendum sit, constat ex dub præced. Quare præsens difficultas trahenda est ad perseverantiam in posteriori acceptione, prout scilicet importat notabilem aliquam in gratia accepta permanentiam, et vitæ spiritualis continuationem. In quo sensu

Sensus quæstionis.

§ I.

Deciditur dubium aliquibus assertionibus.

22. Dicendum est primo sacramentum Eucharistiæ esse necessarium necessitate medii ad perseverandum in gratia, et quidem per se loquendo ut susceptum in re, per accidens vero ob defectum copiæ ut susceptum saltem in voto. Omnes termini, quibus in assertione utimur, explicati sunt dub. præced. Et secunda assertionis pars constat tum ex eo, quod aliquando contingit nonnullos perseverare notabili aliquo tempore in gratia absque reali, et sacramentali Eucharistiæ susceptione : tum exemplo aliorum sacramentorum baptismi et pœnitentiæ, quæ licet per se loquendo requirantur ut in re suscepta, per accidens tamen, sive deficiente illorum copia, sufficit eorum votum. Primam vero partem docent D. Thom. ut statim ostendemus, et communiter omnes Auctores relati num. 10, quibus addendi pro ista assertione sunt Claudius Sainctes repetitione 6, cap. 7, Naclantes in tract. *de communione*, theoremate 1, Roffensis lib. 5, contra Œcolampadium, in prooemio, et Spencæus lib. 2, *de adorat. Eucharistiæ*, cap. 12. Videantur specialiter N. Franciscus cap. cit. dub. 2, Labat disp. 4, dub. 2, § 2, vers. *Quod autem hoc sacramentum*, et Aversa quæst. 1, sect. 5, concl. 2. Et quidem D. Thom. ita sensisse constat tum ex 4, dist. 12, quæst. 3, art. 2, quæstiunc. 1, ubi cum sibi opposuisset licere homini abstinere ab his, quæ non sunt de necessitate salutis ; et Eucharistiæ susceptionem non esse ad salutem necessariam, respondit : « Ad primum dicendum

Prima conclusio. D. Tho. Sanctes. Naclant. Roffens. Spenc. N. Fran. Labat. Aversa. Probatur ex D. Thom.

« dicendum, quod hoc sacramentum de sui « institutione prima, quamvis non sit de « necessitate salutis » (intellige primæ, et prout in re susceptum, juxta dicta dub. præced.) « tamen ex institutione Ecclesiæ « necessarium efficitur. Et sine hoc etiam « necessarium esset, non simpliciter ut « sine quo non esset salus » (posset enim homo mori, et salvari immediate post primæ gratiæ infusionem, ut ab initio prænotavimus), « sed ex suppositione finis, « si scilicet homo in vita spirituali firmus « persistere vellet. » Ergo ex sententia S. Doctoris hoc sacramentum ut in re susceptum requiritur per se loquendo, licet non ad primam gratiæ consecutionem, tamen ad notabilem perseverantiam in gratia. Et idem omnino significaverat in corpore illius quæstiunculæ, ubi convenientiam præcepti Ecclesiæ de communione revocat ad propriam naturam sacramenti Eucharistiæ, atque in necessitatem, quam ejus habemus ad perseverandum in gratia. « Institutio, « *inquit*, Ecclesiæ fuit necessaria : quia « enim in quotidiana pugna sumus, vita « spiritualis in nobis evanesceret, nisi « aliquando cibum vitæ sumeremus. » Quam doctrinam continuavit in hac 3 parte : nam in præs. quæst. art. 1, inquit ; « Sicut ad vitam spiritualem oportuit esse « baptismum, qui est spiritualis gene- « ratio : ita oportuit esse sacramentum « Eucharistiæ, quod est spirituale alimen- « tum. » Sicut autem prima salus non contingit sine spirituali generatione : ita vita gratiæ semel genita nequit diu conservari sine spirituali alimento : ergo sicut baptismus requiritur ad primam illam generationem, ita Eucharistia requiritur ad diuturnam perseverantiam in gratia : nemo vero negat sacramentum baptismi prout in re susceptum requiri per se loquendo ad primam salutem. Et quæst. 80, art. 11, ad 2, ait : « Dicendum, quod « hoc sacramentum dicitur non esse neces- « sitatis, sicut baptismus, quantum ad « pueros : quibus potest esse salus sine hoc « sacramento, » (nempe suscepto in re, vel voto respiciente illud ut influit in genere causæ efficientis, juxta dicta. dub. præced.) « non autem sine sacramento « baptismi. Quantum vero ad adultos « utrumque est necessitatis, » nimirum ex suppositione finis, quod perseveraturi sint notabili tempore in gratia, ut loquitur loco citato ex 4 sent. Sentiebat igitur, quod sicut baptismus in re susceptus requiritur per se loquendo, ut adulti consequantur salutem ; sic etiam requiritur Eucharistia, ut in gratia suscepta perseverent.

dem.

Motivum præcipuum.

23. Fundamentum principale hujus assertionis stat in verbis Christi Domini, adjuncta Conciliorum, et Patrum intelligentia : nam Christus Joan. 6, eodem fere modo proposuit necessitatem hujus sacramenti ad habendum, sive conservandum in nobis vitam gratiæ, quo alibi proposuit necessitatem baptismi, et pœnitentiæ ad inchoationem prædictæ vitæ. *Nisi manducaveritis*, inquit, *carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sed ad inchoandum spiritualem vitam gratiæ vel simpliciter, vel post lapsum requiruntur per se loquendo baptismus, et pœnitentia, ut in re suscepta. Ergo ad perseverandum in eadem vita requiritur eodem modo Eucharistia. Et confirmatur : quia Christus prædictam necessitatem non revocavit in suam meram voluntatem, vel in extrinsecum pro sua voluntate præceptum ; sed in naturam ipsius sacramenti, et conditionem cibi, quem proponebat, ut constat ex omnibus fere verbis illius: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere et potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo etc.* Ergo supposita prædicti sacramenti institutione, ejus realis susceptio est per se loquendo necessaria ad continuandum vitam spiritualem, et ad diu perseverandum in illa : sicut proportionabiliter requiritur corporale alimentum ad continuandum, et conservandum corporis vitam.

Roboratur ex Conciliis. Florentinum.

Porro Concilia intellexisse in hoc sensu verba Christi Domini suadetur tum ex Concilio Florentino in decreto fidei pro Armenorum instructione, ubi declarat Sacramentum Eucharistiæ præstare animæ omnes effectus, quos proportionaliter, et in suo ordine communicat corpori cibus corporalis. Manifestum autem est corporalis vitæ conservationem dependere necessitate medii ab applicatione corporalis alimenti. Tum ex Concilio Tridentino sess. 13, cap. 2, ubi agens de motivis, quæ Christus habuit ad instituendum hoc sacramentum, inter alia inquit : « Sumi autem

Tridentinum.

« voluit sacramentum hoc tanquam spiri- « tualem animarum cibum, quo alantur, « et confortentur viventes vita illius, qui « dixit : Qui manducat me; et ipse vivet « propter me : et tanquam antidotum, « quo liberamur a culpis quotidianis, et a « peccatis mortalibus præservamur. » Quibus verbis apertissime significavit necessitatem hujus sacramenti, ut homines confortentur, et conserventur in vita, quam per gratiam Christi consequuntur; atque ut præserventur a peccatis mortalibus, quibus illius vitæ perseverantia impediri posset. Unde idem Concilium sess. 2, cap. 3, declaravit, « Nulla gratia neces- « saria ad salutem defraudari eos, qui « unam solum speciem accipiunt, » plane supponens hujus sacramenti gratiam necessariam esse ad salutem; et quod ea gratia necessaria defraudaretur, qui illud sub nulla specie susciperet. Et eadem sess. cap. 4, declaravit « parvulos usu rationis « carentes nulla obligari necessitate ad « sacramentalem Eucharistiæ communio- « nem. » Et rationem assignavit : « Si- « quidem per baptismi lavacrum regene- « rati, et Christo incorporati, adeptam « jam filiorum Dei gratiam in illa ætate « amittere non possunt. » Quo loco a contrario sensu significavit, quod pro illa ætate, in qua gratiam possunt amittere, et diaboli, ac carnis impugnationibus agitantur, necessitatem habent suscipiendi sacramentalem communionem tanquam cibum, quo confortentur in vita Christiana, et sicut antidotum, quo a mortalibus præserventur, ut loquitur in alio loco proxime relato. Hæc autem omnia non revocat Concilium in aliquod extrinsecum, vel accidentarium præceptum; sed in conditionem alimenti cœlestis necessarii, supposita sui institutione, ad illos, et alios effe-

Fulcitur ex Patribus. ctus. Eandem intelligentiam reperimus etiam frequenter in Patribus, qui in hoc sensu explicant petitionem illam orationis Dominicæ, *Panem nostrum quotidianum da*

Lucæ 11. *nobis hodie*. Lucæ, 11. Intelligunt enim hujus panis nomine cœlestem Eucharistiæ panem, ut satis exprimitur in Evangelio

Matt. 6. Matth. cap. 6 : *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Qui quotidianus dicitur, et quotidie petendus est : quia illius virtute, et robore egemus ad sustentandam vitam gratiæ ob quotidianas tentationes, et pericula, quibus impetimur. Sic S. Clemens lib. 8 *Apostolic. tradit.* cap. 14, Tertullianus lib. *de orat.* cap. 6, D. Cyprianus in tract. *de oratione*, D. Basilius in interrogat. brev. resp. 252, D. Chrysost. hom. 20, in Matth. D. Augustinus epist. 121, cap. 12, Cassianus collatione 9, Theophylactus, Euthymius, D. Thomas, et alii Interpretres ad loca cit. Matthæi, et Lucæ.

Clemen. Roman. Tertull. D. Basi. D. Chry. D. Aug. Cassian. Theoph. D. Tho.

Ratio fundamentalis. 24. Probatur secundo ratione ex eisdem testimoniis desumpta : quoniam sicut homo indiget ad salutem gratia, qua primo justificetur, sic etiam ad salutem indiget gratia, per quam in accepta justitia perseveret : præsertim cum adulti ob impugnationem tentationum sint velut in continuo periculo gratiam amittendi. Et sicut gratia necessaria ad continuandum vitam spiritualem, attenta rei non repugnantia, potest conferri independenter a sacramento : ita etiam gratia requisita ad primam hominis justificationem potuit, attenta rei non repugnantia, independenter a sacramentis communicari. Ergo sicut non obstante illa rei non repugnantia, conveniens fuit Deum instituere sacramenta, quæ sint necessaria necessitate medii ad primam hominis justificationem, videlicet baptismum, et pœnitentiam : sic etiam conveniens fuit Deum instituere aliquod aliud sacramentum, quod sit necessarium necessitate medii ad continuandum vitam spiritualem, et diu perseverandum in gratia. Hoc autem sacramentum est Eucharistia, quæ pro speciali effectu habet præbere robur et augmentum justitiæ in ordine ad vitam spiritualem. Ergo sicut alia duo baptismi, et pœnitentiæ sacramenta per se loquendo ut suscepta in re sunt necessaria necessitate medii ad gratiam, qua justificamur; sic etiam sacramentum Eucharistiæ ut in re susceptum requiritur per se loquendo necessitate medii ad continuandum vitam spiritualem, et perseverandum in gratia.

Confirmatio. Confirmatur primo : quia sacramentum Eucharistiæ institutum est in ratione cibi spiritualis, et præstat animæ illos effectus, quos proportionabiliter corporalis cibus communicat corpori, nempe fovendo, confortando, et reparando vires : sed cibus corporalis est necessarius necessitate medii ad conservationem corporalis vitæ, ita ut hæc notabili tempore perseverare nequeat absque illius sumptione : ergo Eucharistia

est

est necessaria necessitate medii ad conservationem vitæ spiritualis, ita ut homo longo tempore in gratia perseverare non valeat, nisi dependenter ab illa. Datur tamen differentia inter cibum corporalem, et Eucharistiæ sacramentum, quam optime tradidit Div. Thom. in præs. art. 3, ad 2, quod cibus corporeus convertitur in substantiam aliti : unde nec ad nutritionem, nec ad vitæ conservationem prodest, nisi realiter in se sumptus. Cæterum cibus animæ non convertitur in animam, sed hanc potius convertit in se ipsum : quare licet realis ejus sumptio per se loquendo desideretur ; non est tamen indispensabiliter necessaria ; sed prodesse per accidens (deficiente copia) potest vel sumptus in solo voto : quia votum, et desiderium convertit amantem in rem amatam. Nec vim hujus confirmationis, et proportionis diluet, qui assignat aliam differentiam inter cibum corporalem, et Eucharistiam, qua intentio nostra subrui videtur, nempe cibum corporalem esse adæquatum alimentum corporis, utpote sine quo non relinquitur aliud medium ad corporalem sustentationem: Eucharistia autem non est adæquatum, sive unicum alimentum animæ : quippe ultra illam dantur alia sacramenta, et media causantia gratiam, per quam anima formaliter vivit vita spirituali. Id, inquam, non refert : quia hoc ipso, quod Eucharistia sit specialiter instituta per modum cibi spiritualis animæ ; cætera omnia media, sive sacramenta sint, sive auxilia, sive quid aliud, non causant gratiam ut cibantem, et conservantem spiritualem animæ vitam nisi cum subordinatione ad Eucharistiam, et prout important votum illius. Sicut hoc ipso, quod sacramentum baptismi sit per se institutum ad causandum spiritualem regenerationem, et purgandum a peccato originali ; nulla sacramenta, nulla auxilia, nulla denique alia media possunt prædictum effectum conferre, nisi ut subordinata sacramento baptismi, et quatenus important illud in voto.

[...]lia [...]nfir[...]atio. Confirmatur secundo, et explicatur amplius : nam quoties necessitas præcepti alicujus sacramenti oritur ex necessitate effectus proprii talis sacramenti, non est necessitas solius præcepti, sed etiam medii: sic enim quia necessitas præcepti suscipiendi sacramentum pœnitentiæ saltem semel in anno oritur ex necessitate effectus proprii talis sacramenti, non est necessitas meri præcepti, sed etiam medii ad salutem : atqui necessitas præcepti sumendi Eucharistiam oritur ex necessitate effectus proprii hujus sacramenti, qui est nutrire, fovere, roborare, et conservare vitam spiritualem : ergo necessitas sumendi hoc sacramentum non est sola necessitas præcepti, sed etiam medii : atque ideo susceptio hujus sacramenti est necessaria necessitate medii ad continuationem, sive longam perseverantiam vitæ spiritualis. Ad hæc : ubi aliquid est institutum a Deo tanquam medium ad certum finem, et imponitur præceptum de tali medio ; nequit non medium hujusmodi esse medium ad talem finem : et hæc est, quæ vocatur necessitas medii, ut inductive potest ostendi, ne fiat controversia de vocibus. Cum igitur Deus instituerit Eucharistiam tanquam medium ad sustentandum vitam spiritualem, et imposuerit præceptum de suscipiendo tale medium, ut constat ex testimoniis relatis num. præced. sequitur et Eucharistiam esse medium ad sustentationem vitæ spiritualis, et necessitatem Eucharistiæ esse medii necessitatem.

25. Dicendum est secundo votum Eucharistiæ quod diximus sufficere saltem per accidens, et deficiente copia, ad continuandum vitam spiritualem, et perseverandum in gratia, esse votum Eucharistiæ per modum finis. Intelligentia terminorum hujus conclusionis patet ex dictis num. 3. Illam autem a fortiori defendere debent omnes Auctores relati num. 10, et probatur ex ibidem dictis : quoniam continuatio vitæ spiritualis salvari, et perseverare non potest absque usu sacramentorum re, vel voto : sed omnia sacramenta, et eorum vota ordinantur ad Eucharistiam sicut ad communem illorum finem, ut ostendimus loco citato : ergo votum Eucharistiæ, quod deficiente ejus sumptione sufficit ad continuationem vitæ spiritualis, respicit Eucharistiam per modum causæ finalis, et importat ordinem ad illam sicut ad finem. Nihil autem circa hanc assertionem vel addendum, vel diluendum occurrit, cui eo loco operam non dederimus. Secunda conclusio. Ratio.

26. Dicendum est tertio prædictum Eucharistiæ votum respicere Eucharistiam non solum sicut causam finalem, ut proxime diximus, sed etiam ut causam efficientem, et causantem in exercitio peculia- Tertia conclusio.

rem suum effectum gratiæ cibantis. Sic docent Auctores relati num. 22, et probatur ex dictis in prima conclusione : quoniam ad longam vitæ spiritualis continuationem requiritur per se loquendo, et necessitate medii Eucharistia in re suscepta, et causans peculiarem effectum cibandi spiritualiter animam : ergo votum, quod per accidens, sive in defectu realis susceptionis Eucharistiæ, sufficit ad prædictum effectum, debet respicere Eucharistiam tanquam causam efficientem, quæ causet peculiarem effectum gratiæ cibantis. Patet consequentia : nam quoties votum causæ supplet ejus defectum, et influxum, debet respicere causam secundum illam rationem, qua influeret, si in executione adesset, ut patet in voto baptismi, vel pœnitentiæ concurrente ad illorum effectus.

Fundamentum

Roboratur.

Confirmatur, et declaratur assignando rationem disparitatis inter modum, quo votum Eucharistiæ concurrit ad primam salutem; sive gratiæ justificantis infusionem, et modum, quo concurrit ad continuationem, sive perseverantiam prædictæ salutis, et gratiæ : unde simul constabit ad objectionem, quæ in nos formari posset ob minus apparentem in dicendo consequentiam. Etenim Eucharistia, cum sit sacramentum vivorum, supponit per se loquendo gratiæ vitam in subjecto : quocirca non est necessarium, quod in genere causæ efficientis causet primam gratiam, sive salutem : sed si ad illam concurrit (ut concurrere diximus dub. præced.) est in genere causæ finalis, et tanquam finis communis omnium sacramentorum. Et consequenter votum Eucharistiæ, quod ad primam salutem, sive initium vitæ spiritualis requiritur, non respicit illam ut influentem in genere causæ efficientis. Cæterum Eucharistia habet per se, et in genere causæ efficientis influere in gratiam cibantem, qua spiritualiter alimur, ac subinde in passivam gratiæ continuationem, et perseverantiam vitæ spiritualis. Et quando non adest realis copia suscipiendi Eucharistiam, loco ejus subrogatur illius votum : atque ideo tale votum debet respicere Eucharistiam ut influentem in genere causæ efficientis, quo modo influeret, si re ipsa adesset. Ex qua radice ulterius provenit, quod ex vi prioris voti non obligatur homo suscipere realiter Eucharistiam, licet adsit ejus copia; satis enim est pro prima justificatione habere ordinem ad Eucharistiam sicut ad finem : finis namque influit in proprio genere per sui amorem, et intentionem, licet actu non existat, ut sæpius dictum est dub. præced. Cæterum ex vi secundi voti obligatur aliquando homo suscipere realiter Eucharistiam, ubi ejus copia occurrit : quia tale votum respicit Eucharistiam ut medium necessarium ad influendum in genere causæ efficientis in continuationem gratiæ, sive vitæ spiritualis perseverantiam : et tale votum non diceretur absolutum, et in proprio genere efficax, si occurrente opportunitate, illam omitteret, et ad executionem non revocaretur : sicut proportionabiliter contingit in voto suscipiendi sacramenta baptismi, et pœnitentiæ. Quanta vero sit hæc obligatio, et quando urgeat, infra dicemus.

Nota.

§ II.

Occurritur motivis adversantis opinionis.

27. Contra nostras conclusiones, et præsertim contra primam, ad quam aliæ consequuntur sentiunt omnes Auctores relati nu. 16, et specialiter Suarez disp. 2, sect. 2, concl. 3, Vazquez disp. 169, cap. 3, num. 20, et Dicastillo disp. 1, dub. 5, num. 109. Quorum opinio probatur primo ex Concilio Tridentino : nam ubi agit de necessitate suscipiendi Eucharistiam, solum assignat necessitatem præcepti, ut liquet sess. 13, can. 9, ubi ait : « Si quis negaverit omnes, et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ; anathema sit. » E contra vera ubi agit de necessitate sumendi baptismum, et pœnitentiam, non ita restringit, sed majorem necessitatem assignat, ut constat sess. 7, can. 5: « Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit. » Et sess. 14, can. 6: « Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, etc. anathema sit. » Ergo ex sententia Concilii Eucharistia nec ad salutem, nec ad perseverandum in gratia requiritur necessitate medii, sed sola necessitate præcepti. Patet consequentia : nam ex opposito fieret Concilium

Suar. Vaz. Dica.

Prim. argument.

Conc. Trid.

Concilium inconsequenter, et absque ratione aliter loqui de necessitate Eucharistiæ, et aliter de necessitate baptismi, et pœnitentiæ.

Respondetur negando majorem : nam Concilium Tridentinum non solum assignat pro Eucharistia necessitatem præcepti, sed aliam longe majorem, et intimiorem, et utique medii ad diu perseverandum in gratia, ut liquet ex ejus testimoniis, quæ expendimus num. 23. Et plane si Adversarii solum attendant ad illum locum, quem modo objiciunt, non aliam necessitatem Eucharistiæ oportet, recognoscant, quam solius præcepti ecclesiastici : hanc enim solam recenset ibi Concilium, ut constat ex ejus verbis. At Eucharistiæ sumptionem esse necessariam jure, et præcepto divino asserit certissima, et communissima sententia, et nominatim Angelicus Doctor infra quæst. 80, art. 11, his verbis : « Manifestum est, quod homo « tenetur hoc sacramentum sumere, non « solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex man- « dato Domini dicentis Lucæ 22 : Hoc facite « in meam commemorationem. Ex statuto « autem Ecclesiæ determinata sunt tem- « pora exequendi Christi præceptum. » Sicut etiam ex præcepto Ecclesiæ determinata sunt tempora exequendi præceptum divinum circa confessionem sacramentalem. Quare ad allegatum Concilii canonem respondetur ideo Concilium eo loco solum meminisse præcepti ecclesiastici circa communionem, quia ibidem solum intendebat tueri prædictum præceptum contra calumnias hæreticorum ipsum impugnantium, vel parvipendentium : quare solum curavit illud sub anathemate asserere, ac vindicare. Cæterum aliis in locis docet necessitatem Eucharistiæ non tantum ex eo præcepto, sed ex aliis capitibus, ut supra ostendimus. Quod si quis contendat Concilium, attentis omnibus ejus locis, majorem repræsentare necessitatem baptismi, et pœnitentiæ, quam Eucharistiæ, inficias non ibimus. Et ita se gessit Concilium : tum quia licet detur necessitas istorum sacramentorum in ordine ad suos effectus, et fines ; nihilominus necessitas baptismi, et pœnitentiæ certior longe est, et communiter recepta. Tum et præcipue quia sacramenta baptismi, et pœnitentiæ suscepta re, vel voto sunt absolute ad salutem necessaria : nemo quippe vel per breve spatium potest habere salutem nisi dependenter a prædictis sacramentis. Necessitas autem Eucharistiæ, quatenus in genere causæ efficientis concurrit ad peculiarem suum effectum gratiæ cibantis (quo pacto illam in præsenti consideramus), non est necessitas absoluta ; sed solum ex suppositione, et conditione, quod homo diu perseveret in gratia, et continuet vitam spiritualem. Sicut proportionabiliter contingit in cibo corporali, qui non est necessarius absolute, ut homo conservetur in corporali vita per aliquod tempus, puta per horam, aut diem : est tamen simpliciter necessarius ex suppositione, quod homo vitam ducat per longum tempus. Quam doctrinam, et distinctionem aperte tradidit Div. Thom. loco supra cit. ex 4 sent.

28. Arguitur secundo : quia nullum sacramentum dicitur necessarium necessitate medii in ordine ad aliquem finem, nisi producat tanquam unica causa effectum necessarium ad consequendum talem finem : sed Eucharistia non se habet ut causa unica producens effectum necessarium ad continuationem gratiæ,et perseverantiam vitæ spiritualis : ergo Eucharistia non est necessaria necessitate medii in ordine ad talem finem. Probatur minor : quia præter Eucharistiam dantur alia plura media, quæ conferunt ad continuationem gratiæ, et perseverantiam vitæ spiritualis, ut sunt cætera sacramenta, auxilia divina, orationes, jejunia, et reliqua bona opera ex adjutorio Dei : ergo Eucharistia non comparatur tanquam causa unica ad producendum effectum necessarium pro continuatione gratiæ, et perseverantia vitæ spiritualis. Unde etiam excluditur exemplum cibi corporalis, qui propterea est medium necessarium ad corporalis vitæ longam conservationem, quia non reperiuntur alia media corporea communicantia prædictum effectum, et quæ suppleant defectum cibi. Oppositum autem accidit in nostro casu : reperiuntur enim quamplura media proxime insinuata, quæ conducunt ad conservationem vitæ spiritualis, et valent defectum, aut non copiam Eucharistiæ supplere. Secundum argumentum.

Confirmatur primo : quia parvuli perseverant longo tempore in gratia, et consequuntur salutem secundam, sive gloriam : sed ad hujusmodi effectum non requiritur Eucharistia re, vel voto : ergo Confirmatio I.

Eucharistia non est necessaria necessitate medii ad diu perseverandum in gratia. Probatur minor : nam in primis Eucharistiam in re non requiri ad perseverantiam parvulorum vel ex eo liquet, quod parvuli juxta præsentem Ecclesiæ dispositionem non recipiunt sacramentum Eucharistiæ, et nihilominus perseverant. Quod vero nec in voto ad illorum perseverantiam concurrat, ostenditur : quoniam nullum Eucharistiæ votum potest pro parvulis assignari, nisi actualis baptismi susceptio, juxta dicta dub. præced. Baptismus autem non est causa parvulis perseverandi in gratia, et consequendi gloriam; siquidem hæc illorum perseverantia sita est in immatura eorum morte ex beneficio Dei : baptismus autem non influit per se in prædictam mortem, nec illam causat, ut ex se liquet. Confirmatur secundo : quia nec ad perseverantiam adultorum concurrit Eucharistia re, aut voto : ergo Eucharistia nullo modo requiritur necessitate medii ad perseverandum in gratia. Suadetur antecedens : quia perseverantia finalis est speciale donum supra gratiam sanctificantem, et cuncta auxilia gratiæ communis : ergo permisso, quod gratia sanctificans, et gratia cibans habeant specialem aliquam ab Eucharistia dependentiam; non inde sequitur, quod eandem ab ea dependentiam habeat perseverantia finalis : et consequenter Eucharistia nec in re, nec in voto in istam influit.

Secunda.

Satisfit argumento.

Ad argumentum respondetur negando minorem, attenta præsenti Dei providentia, et Christi institutione : nam licet effectus continuationis gratiæ, sive perseverantiæ vitæ spiritualis per longum tempus posset fieri, et obtineri per alias causas; tamen ex suppositione, quod Christus instituerit Eucharistiam tanquam spirituale animæ alimentum in ordine ad vitam spiritualem; conservatio hujus vitæ per longum tempus dependet ab alimento Eucharistiæ. Sicut etiam regeneratio spiritualis consistens in infusione primæ gratiæ, et remissione peccati originalis posset fieri absolute per alias causas, et independenter a baptismo : sed tamen ex suppositione, quod Christus instituerit baptismum tanquam sacramentum regenerationis, nequit spiritualis regenerationis effectus nisi per baptismum contingere. Ad minoris autem probationem respondemus non amplius evincere, quam quod immediate tradidimus, nempe omnia, quæ ibi recensentur, esse quantum est de se, causas in suo genere sufficientes ad inducendum effectum perseverantiæ in vita spirituali per longum tempus; et ad id deservire potuisse in alia providentia cum omnimoda independentia a sacramento Eucharistiæ. Nihilominus ex suppositione præsentis providentiæ, qua Christus instituit sacramentum hujusmodi tanquam spirituale alimentum in ordine ad spiritualis vitæ conservationem, sive gratiæ perseverantiam; nec alia sacramenta, nec auxilia, nec virtutum opera conferre possunt prædictum effectum nisi ut subordinata sacramento Eucharistiæ, et quatenus important votum illius. Sicut etiam in exemplo proposito possent alia sacramenta, et auxilia divina, et opera virtutum, et multo magis ipsa gratia sanctificans conferre effectum regenerationis spiritualis : et tamen de facto, quia Deus instituit baptismum tanquam sacramentum prædictæ generationis; nulla ex relatis conferunt illum spiritualis regenerationis effectum, nisi cum subordinatione ad baptismum, et quatenus important votum ejus, cum deest illius copia.

Diss[...] vun[...] con[...] mat[...] tion[...]

29. Confirmationes nihil valent, quia divertunt a præsentis difficultatis scopo : ut enim in ipso dubii limine observavimus, non loquimur de perseverantia parvulorum, qui alimento spirituali non egent, nec loquimur de perseverantia finali prout importat conjunctionem gratiæ viæ cum morte : sed loquimur de perseverantia adultorum, quatenus dicit continuatam gratiæ conservationem per longum tempus, sive persistat finaliter, sive non : nam in perseverantia prædicto modo accepta occurrit per se specialis difficultas, ob quam eget homo spirituali alimento; quidquid sit de aliis suppositionibus accidentalibus. Unde opus non habemus prædictis confirmationibus respondere. Sed tamen ad primam respondere possumus negando minorem quantum ad perseverantiam parvulorum in gratia per longum tempus. Et ad minoris probationem dicendum est, quod licet parvuli habeant illum effectum sine Eucharistia in re suscepta: non tamen sine Eucharistia in voto : quia ipse baptismus, et gratia baptismalis important votum Eucharistiæ saltem per modum finis, ut diximus dub. præced. quin et per modum cau-

Pri[...]

sæ efficientis; non quidem pro illo statu, sed pro tempore opportuno, si ad illud parvulorum vita porrigeretur. Quod vero dicitur de immatura illorum morte, parum refert : quia licet prædicta mors, ut est mera privatio vitæ naturalis, non sit effectus baptismi in re, nec Eucharistiæ in voto; tamen considerata in ratione doni, et beneficii est effectus utriusque sacramenti cum proportione insinuata : confertur enim a Deo cum respectu ad gratiam acceptam, quæ ab illis sacramentis dependet.

Secunda. Unde ad secundam confirmationem respondemus etiam negando antecedens. Et ad ejus probationem dicendum est, quod licet finalis adultorum perseverantia sit specialissimum Dei auxilium supra omnem gratiam communem; nihilominus conferri potest intuitu sacramentorum, et præsertim Eucharistiæ quæ est omnium finis. Nec id insolens, vel absurdum reputabit, qui advertat Patres satis communiter asserere Eucharistiam esse causam immortalitatis, et adeptionis gloriæ. Unde D. Gregor. Nissenus *in orat. catechet.* cap. 37, inquit : « Per suæ gratiæ dispensationem se per carnem inserit omnibus credentibus, ut unione cum eo, quod est immortale, fiat homo particeps incorruptionis. » Et Rupertus Abbas cant. 5, ad illa verba, *comedi favum* etc. ait : « Corpus meum comedendum, et sanguinem meum bibendum vobis appono, ut quo ordine mors introivit, eodem foras mittatur de animabus, et corporibus vestris. » Sed multo luculentius, et magis theologice D. Thom. infra quæst. 79, art. 2, ad 1, inquit : « Sicut passio Christi, in cujus virtute hoc sacramentum operatur, est quidem causa sufficiens gloriæ; non tamen ita, quod statim per ipsam introducamur in gloriam; sed oportet ut prius simul compatiamur, ut postea simul glorificemur, sicut dicitur ad Roman. 8. Ita hoc sacramentum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis virtutem perveniendi ad gloriam : et ideo viaticum dicitur. In cujus figuram legitur 3 Reg. 19, quod Elias comedit, et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb. »

(Margin notes: D. Niss. — Rupertus. — D. Tho.)

Tertium argumentum. 30. Arguitur tertio (et potest esse replica contra præcedentem doctrinam), quoniam si conservare diu spiritualem gratiæ vitam esset effectus proprius Eucharistiæ; quicunque illam reciperent, assequerentur hunc effectum, quod longo tempore in gratia perseverent : consequens est falsum : ergo et antecedens. Sequela ostenditur : quia sacramentum digne susceptum causat infallibiliter suum proprium effectum. Falsitas autem consequentis etiam liquet tum in D. Petro, qui digne susceperat Eucharistiam, et tamen paulo post graviter peccavit Christum negando : tum in plurimis aliis, qui post digne susceptam Eucharistiam cito excidunt a gratia.

Responsio. Respondetur distinguendo majorem, illamque concedendo, quantum est ex vi sacramenti Eucharistiæ, et gratiæ cibantis, et auxiliorum sufficientium, quæ illis annexa sunt : nam ex vi horum potest homo longo tempore conservare spiritualem gratiæ vitam, et multi de facto hunc effectum consequuntur. Sed neganda est sequela attendendo ad vertibilitatem liberi arbitrii, et defectibilitatem subjecti, quæ perfecte non comprimuntur in hac vita : his enim, atque ideo omnibus attentis, non est infallibile, quod omnis digne suscipiens Eucharistiam perseveret longo tempore in gratia. Unde concessa minori in hoc ultimo sensu, negamus consequentiam : quoniam licet aliqui digne suscipientes Eucharistiam non perseverent in gratia; tamen Eucharistia quantum est de se, causat specialem gratiam sufficientem ad hujusmodi effectum perseverandi. Quod ergo aliqui non perseverent, provenit ex eorum mutabilitate, et defectibilitate : quod autem aliqui perseverent, provenit ex Eucharistia re, vel voto suscepta. Sicut etiam in naturalibus contingit, quod alimentum corporale præstat virtutem ad continuandum corporalem vitam, et quicumque longo tempore vivunt, vitam utique protrahunt in virtute alimenti, quo deficiente cito morerentur. Sed tamen plurimi stante etiam alimenti copia, cito moriuntur ex aliis causis, utputa excessibus, occisione etc. Potestque doctrina hujus responsionis magis explicari, et fulciri exemplo satis opposito sacramenti confirmationis : cujus proprius effectus est conferre speciale robur ad confitendum fidem coram hujus inimicis, ut omnes docent : quo non obstante aliqui post digne susceptum hoc sacramentum, deficiunt in tali confessione : non

quidem ob defectum virtutis, quam dat sacramentum; sed ob vertibilitatem arbitrii, ut simili objectioni occurrens tradit optime D. Thom. infra quæst. 79, art. 6 ad 1, his verbis: « Dicendum quod effectus hujus « sacramenti recipitur in homine secundum hominis conditionem : sicut contingit de qualibet causa activa, quod ejus « effectus recipitur in materia secundum « modum materiæ. Homo autem in statu « viæ est hujus conditionis, quod liberum « arbitrium ejus potest flecti in bonum, et « malum. Unde licet hoc sacramentum, « quantum est de se, habeat virtutem præservativam a peccato : non tamen aufert « homini possibilitatem peccandi. » Videatur etiam in eadem quæst. art. 2, ad 2.

Tho.

Quartum argumentum.

31. Arguitur quarto : quia si sacramentum Eucharistiæ esset necessarium necessitate medii ad perseverandum longo, aut notabili tempore in gratia ; oporteret assignare determinatum tempus, in quo homines susciperent Eucharistiam, ita ut omittentes, vel diu protrahentes communionem peccarent : nihil autem horum potest dici, aut determinari nisi divinando : ergo admittendum non est, quod Eucharistia sit necessaria necessitate medii ad diu perseverandum in gratia. Confirmatur : nam supposita prædicta necessitate, consequenter dicere oportet obligari hominem ad habendum votum Eucharistiæ, ut longo tempore perseveret: hoc autem falsum esse vel ex eo constat, quod homines communiter ignorant hujusmodi obligationem, et tamen perseverant longo tempore in gratia : idque præcipue continget in Auctoribus tuentibus partem contrariam, qui juxta illam probabiliter procedentes nullum committunt peccatum, licet nullum concipiant votum Eucharistiæ suscipiendæ; et tamen conservare diu queunt vitam spiritualem : ergo Eucharistia nec in re, nec in voto est necessaria necessitate medii ad diu perseverandum in gratia.

Confirmatio.

Diluitur argumentum.

Respondetur huic argumento difficultatem in eo propositam communem esse, et ab ipsis opponentibus diluendam, qui licet negent sumptionem Eucharistiæ esse necessariam necessitate medii vel ad salutem, vel ad perseverantiam; communiter tamen concedunt esse necessariam necessitate præcepti, non solum Ecclesiastici, sed etiam divini, ut docet D. Thom. in testimonio relato nu. 23. Quare si ab illis inquiramus, quo determinato tempore præceptum illud divinum obliget, cogentur satisfacere eidem, quam objiciunt, difficultati. Nos respondemus obligationem, sive necessitatem, quam asseruimus, urgere in aliquo tempore : sed non posse illud a nobis pro singulis individuis determinari, cum variæ sint hominum dispositiones, inclinationes, et tentationes. Quare sicut in corporali vita contingit, quod aliqui pro ejus conservatione egent frequentiori, et majori alimento; aliis vero sufficit alimentum rarius, ac levius : sic etiam in vita spirituali accidit, ut aliqui ad permanendum in illa egeant frequentiori Eucharistiæ sumptione, qui scilicet vehementioribus passionibus, vel externis occasionibus ad peccandum provocantur : alii vero non ita egeant sumere frequenter cœlestem cibum, quia pacatioris indolis sunt, nec tot periculis impetuntur. Unde juxta varias has dispositiones tempus obligationis sumendi Eucharistiam inæqualiter, et moraliter determinandum est. Verisimile autem apparet non excedere generaliter loquendo unius anni spatium : quia Ecclesia quasi determinans tempus vel solius divini præcepti, vel necessitatis medii, præcipit fideles semel saltem in anno Eucharistiam sumere. Qui tamen intra brevius spatium magnam debilitatem virium spiritualium sentiret, et cognosceret ab hac lassitudine certum sibi periculum peccandi imminere, teneretur Eucharistiam quam cito posset accipere, et tempus ab Ecclesia præscriptum anticipare. Unde aliter faciendo peccaret : non quidem contra præceptum Ecclesiæ determinans certum tempus, cui communicando intra illud tempus satisfit : sed contra præceptum divinum fundatum in necessitate medii, quam habemus suscipiendi hoc sacramentum ad vitandum langorem, et mortem spiritualem : sicut lege naturali obligamur suscipere corporalem cibum, ut corporalem mortem vitemus. Potestque hujus responsionis doctrina magis confirmari exemplo obligationis, quam post commissum grave peccatum habemus illud confitendi : quia licet ad id non determinetur jure divino certum tempus, et Ecclesia tempus unius anni determinaverit; nihilominus certum est nos ad confessionem teneri jure divino, et talem obligationem posse urgere ante, et intra durationem ab Ecclesia assignatam, utputa

Nota.

utputa si homo recognosceret sibi imminere periculum novi peccati, si non confiteatur antiquum. De quo videri possunt edesm. Petrus de Ledesma cap. 9, *de confessione* eand. conclus. 6, Leander in tract. *de pœnitentia* disp. 3, quæst. 3, et alii quos ipse refert.

olvitur confir-matio. Ad confirmationem respondetur eos, qui cognoscunt necessitatem, quam habent Eucharistiæ ad continuandum vitam spiritualem, obligari ad explicitum ejus votum, sive ad propositum illam suscipiendi temporibus opportunis. Et licet hæc obligatio utpote positiva non obliget semper, et pro semper : nihilominus qui illam comprehendens prædictum propositum omitteret, non facile excusaretur a gravi peccato : qui enim videt aliquid esse sibi necessarium ad salutem, et non statuit illud facere, videtur propositum ejus excludere, et contrariam intentionem habere. Eos autem, qui invincibiliter ignorant hujusmodi sacramenti necessitatem, fatemur non obligari ad explicitum ejus votum, nec ipsum in sensu composito prædictæ ignorantiæ posse concipere. Sed tamen proponendo explicite facere omnia necessaria ad salutem, vel suscipiendo alia sacramenta, ibi habent implicitum votum suscipiendi Eucharistiam. Et idem contingit in his, qui probabiliter defendunt sententiam nobis oppositam : nam probabile dictamen æquivalet inculpabili ignorantiæ partis contrariæ. Et licet isti, dum censent Eucharistiam non esse necessariam necessitate medii ad perseverandum in gratia, videantur excludere, aut etiam excludant explicitum ejus votum : nihilominus ubi proponunt exequi cuncta necessaria ad salutem, ibi suam existimationem virtualiter corrigunt, habentque implicitum votum Eucharistiam suscipiendi. Quod in similibus sæpe contingit, et explicari potest exemplo voti confessionis.

32. In fine hujus disputationis. et priusquam ad sequentem D. Thom. quæstionem progrediamur, animadvertendum est S. Doctorem in aliis tribus hujus quæstionis 73 articulis alias difficultates excitare. Nam in 4, inquirit : « Utrum convenienter « hoc Sacramentum pluribus nominibus « nominetur? » In 5 : « Utrum institutio « hujus sacramenti fuerit conveniens ? » Denique in 6 : « Utrum agnus Paschalis « fuerit præcipua figura hujus sacramenti?» Sed prædictas difficultates jam supra versavimus, et explicuimus disp. 1, procemiali. Primam cap. 4, § 3, ubi egimus de nominibus Eucharistiæ. Secundam cap. 3, quod totum est de institutione Eucharistiæ. Ultimam denique cap. 4, § 2, ubi proposuimus plures veteres Eucharistiæ figuras, asseruimusque agnum Paschalem fuisse omnium excellentiorem. Unde congruum hic duximus articulos D.Thom. non transcribere ; nec aliquid occurrit novum, quod addamus. Aliæ difficultates remissive.

QUÆSTIO LXXIV

De materia Eucharistiæ quantum ad speciem in octo articulos divisa.

Deinde considerandum est de materia hujus sacramenti. Et primo de specie materiæ. Secundo de conversione panis, et vini in corpus Christi. Tertio de modo existendi corpus Christi in hoc sacramento. Quarto de accidentibus panis, et vini, quæ in hoc sacramento remanent. Circa primum quæruntur octo. Primo etc.

ARTICULUS I.

Utrum materia hujus Sacramenti sit panis, et vinum?

Ad primum sic proceditur. Videtur quod materia hujus sacramenti non sit panis, et vinum. Hoc enim sacramentum perfectius debet repræsentare passionem Christi quam sacramenta veteris legis. Sed carnes animalium, quæ erant materiæ sacramentorum veteris legis, expressius repræsentant passionem Christi, quam panis, et vinum. Ergo materia hujus sacramenti magis debet esse carnes animalium, quam panis et vinum

Præterea : Hoc sacramentum est ubique celebrandum. Sed in multis non invenitur panis, et in aliquibus non invenitur vinum. Ergo panis et vinum non sunt conveniens materia hujus sacramenti.

Præterea : Hoc sacramentum competit sanis, et infirmis. Sed vinum nocet quibusdam infirmis. Ergo videtur, quod vinum non debeat esse materia hujus sacramenti.

Sed contra est quod Alexander Papa dicit. In sacramentorum oblationibus panis tantum, et vinum aqua permixtum, in sacrificium offeratur.

Respondeo dicendum, quod circa materiam hujus sacramenti aliqui multipliciter erraverunt. Quidam enim, qui dicuntur Artotyritæ (ut Augustin. dicit in lib. de hæresibus) offerunt panem, et caseum in hoc sacramento : dicentes, a primis hominibus oblationes de fructibus terræ, et

ovium fuisse celebratas. Alii vero, scilicet Cataphrygæ, et Pepuziani, de infantis sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum, vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes. Quidam vero, qui dicuntur Aquarii, aquam solam sub specie sobrietatis in hoc sacramento offerunt. Omnes autem hi errores, et similes excluduntur, per hoc quod Christus hoc sacramentum sub specie panis et vini instituit : ut patet Matth. 26. Unde panis, et vinum sunt materia conveniens hujus sacramenti. Et hoc rationabiliter. Primo quidem quantum ad usum sacramenti, qui est manducatio. Sicut enim aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua : ita panis et vinum, quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc sacramento ad usum spiritualis manducationis. Secundo quantum ad passionem Christi : in qua sanguis est a corpore separatus. Et ideo in hoc sacramento, quod est memoriale Dominicæ passionis, seorsum sumitur panis, ut sacramentum corporis : et vinum, ut sacramentum sanguinis. Tertio, quantum ad effectum consideratum in unoquoque sumentium : quia ut Ambros. dicit super epistolam ad Corinth. hoc sacramentum valet ad tuitionem animæ et corporis. Et ideo corpus Christi sub specie panis pro salute corporis : sanguis vero sub specie vini pro salute animæ affertur : sicut dicitur Levi. 17, quod anima carnis in sanguine est. Quarto, quantum ad effectum respectu totius Ecclesiæ, quæ constituitur ex diversis fidelibus : sicut panis conficitur ex diversis granis, et vinum fluit ex diversis uvis : ut dicit glos. super illud primæ Corint. 10. Multi unum corpus sumus, etc.

Ad primum ergo dicendum, quod licet carnes animalium occisorum expressius repræsentent Christi passionem : tamen minus competunt ad communem usum hujus sacramenti, et ad Ecclesiasticam unitatem significandam.

Ad secundum dicendum, quod licet non in omnibus terris nascatur triticum vel vinum : tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad usum hujus sacramenti. Nec propter defectum alterius est unum tantum sine altero consecrandum : quia non esset perfectum sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod vinum in modica quantitate sumptum, non potest multum ægrotanti nocere. Et tamen si nocumentum timeatur, non est necesse quod omnes accipientes corpus Christi, etiam accipiant sanguinem : ut infra dicetur.

Conclusio *est affirmativa.*

ARTICULUS II.

Utrum requiratur determinata quantitas panis, et vini ad materiam hujus sacramenti ?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod requiratur determinata quantitas panis, et vini ad materiam hujus sacramenti. Effectus enim gratiæ non sunt minus ordinati, quam effectus naturæ. Sed sicut dicitur in secundo de Anima : Omnium natura constantium, positus et terminus et ratio magnitudinis, et augmenti. Ergo multo magis in hoc sacramento (quod dicitur Eucharistia, id est bona gratia) requiritur determinata quantitas panis et vini.

Præterea : Ministris Ecclesiæ non est a Christo data potestas ad ea, quæ pertinent ad irrisionem fidei, et sacramentorum ejus : secundum illud primæ Corinth. 10 : Secundum potestatem, quam dedit nobis Deus in ædificationem, et non in destructionem. Sed hoc esset ad irrisionem sacramenti, si Sacerdos vellet consecrare totum panem, qui venditur in foro, et totum vinum, quod est in cellario. Ergo hoc facere non potest.

Præterea : Si aliquis baptizetur in mari, non tota aqua maris sanctificatur per formam baptismi : sed solum aqua illa, qua corpus baptizati abluitur. Ergo nec in hoc sacramento superflua quantitas panis, et vini consecrari potest.

Sed contra est, quod multum opponitur pauco, et magnum parvo. Sed nulla est ita parva quantitas panis aut vini, quæ non possit consecrari. Ergo etiam nulla est ita magna, quæ consecrari non possit.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt quod Sacerdos non posset consecrare immensam quantitatem panis, aut vini : puta totum panem, qui venditur in foro, aut totum vinum, quod est in dolio. Sed hoc non videtur esse verum : quia in omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem, sicut materia serræ est ferrum, ut sit apta sectioni. Finis autem hujus sacramenti est usus fidelium. Unde oportet quod quantitas materiæ hujus sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium. Non autem potest esse quod determinetur ad usum fidelium, qui nunc occurrunt : alioquin Sacerdos paucos parochianos habens, non posset consecrare multas hostias. Unde relinquitur, quod materia hujus sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium absolute. Numerus autem fidelium est indeterminatus. Unde non potest dici, quod quantitas materiæ hujus sacramenti sit determinata.

Ad primum ergo dicendum, quod cujuslibet rei naturalis materia accipit determinatam quantitatem secundum comparationem ad formam determinatam. Sed numerus fidelium, ad quorum usum determinatur hoc sacramentum, non est determinatus. Unde non est simile.

Ad secundum dicendum, quod potestas ministrorum Ecclesiæ ad duo ordinatur. Primo quidem ad effectum proprium. Secundo, ad finem effectus. Secundum autem non tollit primum. Unde si Sacerdos intendat consecrare corpus Christi propter aliquem malum finem (puta ut irrideat, vel veneficia faciat) propter intentionem mali finis peccat : nihilominus tamen propter potestatem sibi datam perficit sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod baptismi sacramentum perficitur in usu materiæ : et ideo per formam baptismi non plus de aqua sanctificatur, quam quantum venit in usum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ. Et ideo non est simile.

Conclusio *est negativa.*

ARTICULULUS III.

Utrum requiratur ad materiam hujus sacramenti, quod sit panis triticeus ?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non requiratur ad materiam hujus sacramenti quod sit panis triticeus. Hoc enim sacramentum est rememorativum Dominicæ passionis. Sed magis videtur esse consonum Dominicæ passioni panis ordeaceus, qui est asperior, et de quo etiam Christus pavit turbas in monte (ut dicitur Joan. 6.) quam panis triticeus. Ergo panis triticeus non est propria materia hujus sacramenti.

Præterea : Figura est signum speciei in naturalibus rebus. Sed quædam frumenta sunt, quæ habent similem figuram grano tritici, sicut far, et spelta, de qua etiam in quibusdam locis panis conficitur ad usum hujus sacramenti. Ergo panis triticeus non est propria materia hujus sacramenti.

Præterea : Permixtio speciem solvit : sed vix invenitur farina triticea, quæ alterius frumenti permixtionem non habeat, nisi forte de electis granis studiose fiat. Non ergo videtur quod panis triticeus sit propria materia hujus sacramenti.

Præterea : Illud quod est corruptum, videtur esse alterius speciei. Sed aliqui conficiunt ex pane corrupto, qui jam non videtur esse panis triticeus. Ergo videtur quod talis panis non sit propria materia hujus sacramenti.

Sed contra est, quod in hoc sacramento continetur Christus, qui se grano frumenti comparat Joan. 12, dicens : Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet : ergo panis frumenti, sive triciceus, est materia hujus sacramenti.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, ad usum sacramentorum assumitur talis materia, quæ communius apud homines in talem usum venit. Inter alios autem panes communius homines utuntur pane triticeo : nam alii panes

videntur esse introducti in hujus panis defectum. Et ideo Christus creditur in hujus panis specie hoc sacramentum instituisse, qui etiam panis magis confortat hominem, et ita convenientius significat effectum hujus sacramenti. Et ideo propria materia hujus sacramenti est panis triticeus.

Ad primum ergo dicendum, quod panis ordeaceus competit ad significandam duritiem veteris legis, propter duritiem panis, tum etiam, quia ut Augustin. dicit in lib. 83 Quæstionum, ordei medulla, quæ tenacissima palea tegitur, vel ipsam legem significat, quæ ita data erat, ut in ea vitale animæ alimentum corporalibus sacramentis obtegerent, vel ipsum populum nondum expoliatum carnali desiderio, quod tanquam palea cordi ejus inhærebat. Hoc autea sacramentum pertinet ad suave jugum Christi, et ad veritatem jam manifestatam, et ad populum spiritualem. Unde non esset materia conveniens hujus sacramenti, panis ordeaceus.

Ad secundum dicendum, quod generans generat sibi simile in specie. Fit tamen aliqua dissimilitudo generantis ad genitum quantum ad accidentia, vel propter materiam vel propter debilitatem virtutis generativæ. Et ideo si quæ frumenta sunt, quæ ex semine tritici generari possunt (sicut ex grano tritici seminato in malis terris, nascitur siligo) ex tali frumento panis confectus, potest esse materia hujus sacramenti. Quod tamen non videtur habere locum neque in ordeo, neque in spelta, neque etiam in farre, quod inter omnia est grano tritici similius Similitudo autem figuræ in talibus, magis videtur significare propinquitatem, quam identitatem speciei : sicut ex similitudine figuræ manifestatur quod canis, et lupus sunt propinquæ speciei, non autem ejusdem. Unde ex talibus frumentis, quæ nullo modo possunt ex semine tritici generari, non potest confici panis, qui sit debita materia hujus sacramenti.

Ad tertium dicendum, quod modica permixtio non solvit speciem : quia id quod est modicum, quodammodo absumitur a plurimo. Ideo si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia hujus sacramenti. Si vero sit magna permixtio (puta ex æquo vel quasi) talis permixtio speciem mutat. Unde panis exinde confectus, non erit debita materia hujus sacramenti

Ad quartum dicendum, quod aliquando est tanta corruptio panis, quod solvitur species panis : sicut cum continuitas solvitur, et sapor, et color, et alia accidentia mutantur: unde ex tali materia non potest confici corpus Christi. Aliquando vero non est tanta corruptio, quæ speciem solvat, sed est aliqua dispositio ad corruptionem : quod declarat aliqualis immutatio saporis. Et ex tali pane potest confici corpus Christi : sed peccat conficiens propter irreverentiam sacramenti.

Et quia amidum est ex tritico corrupto, non videtur quod panis ex eo confectus, possit fieri corpus Christi : quamvis quidam contrarium dicant.

Conclusio *est affirmativa*

DISPUTATIO IV.

De materia sacramenti Eucharistiæ.

Postquam D. Thomas absolvit eorum considerationem, quæ ad sacramentum Eucharistiæ secundum se, aut in communi sumptum magis pertinere videbantur, ut sunt essentia, unitas, et necessitas ; descendit ad specialiorem notitiam plurium ad idem sacramentum spectantium, ut sunt materia, forma, conversio, et similia, de quibus agit ab hac quæst. 74, per sequentes. Primo autem loco proponit hujus sacramenti materiam : et merito, quia generaliter loquendo materia est prior quam forma ordine generationis, sive procedendo ab imperfectis ad perfectiora. Quare eundem ordinem observantes hanc disputationem aperimus, ut in ea, quæ ad materiam Eucharistiæ pertinent, proponamus.

DUBIUM I.

Quæ sit materia Eucharitiæ quantum ad speciem corporis Chriti ?

Sacramentum Eucharistiæ adæquate sumptum constare duabus speciebus, sive partibus satis constat ex dictis disput. 2, dub. 1, et 3. Una species est cibi, quæ continet per se, et vi verborum corpus Christi : alia species est potus, quæ continet per se, et ex vi verborum Christi sanguinem. De prima dicemus in hoc dubio, et de secunda in sequenti. Meminisse autem oportet sacramenta nostra constare materia, et forma, ut ex professo declaravimus tract. præced. disp. 2, dub. 2. Solet autem duplex materia distingui, alia remota, ex qua conficitur sacramentum, ut aqua comparatur ad baptismum ; et alia proxima, quæ consistit in applicatione, sive usu talis materiæ, sicut ad baptismum comparatur ablutio. Sed ea distinctio locum habet in aliis sacramentis, quæ consistunt in usu, ut sunt cætera præter Eucharistiam. In hac vero, cum sit sacramentum permanens, opus non habemus ita distinguere. Unde materiæ nomine in præsenti intelligimus absolute id, ex quo conficitur sacramentum : in hoc sensu procedit proposita difficultas. Circa quam cum plurima occurrant moralia, sive ad theologiam practicam pertinentia ; curabimus, quantum fieri possit, ea præcise, et breviter attingere, quæ nequeant omitti absque claritatis, aut ordinis dispendio circa Scholastica, nostræ videlicet intentionis, atque attentionis scopum. Quæ autem hujusce generis sunt, per sequentes propositiones trademus.

Hic supponenda

§ I.

Asseritur necessitas panis.

1. Dicendum est primo materiam Eucharistiæ quantum ad speciem corporis esse panem. et non aliam. Hæc conclusio est de fide, quæ fundatur in facto Christi :

Prima conclusio

Probatur multipliciter. nam hoc sacramentum instituens accepit panem, et in illo consecravit speciem sui corporis, ut constat Matth. 26 : *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite, et comedite : hoc est corpus meum.* Et idem referunt Marcus 14, et Paulus 1, *ad Corinth.* 11. Eadem veritas constat ex doctrina, et diffinitionibus Ecclesiæ, in Concilio Bracharensi Tertio, can. 1, Carthaginensi Tertio, can. 24, et can. 32, et 57, Trullano post sextam synodum, Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio, et refertur in cap. *Firmiter de summa Trinit.* Et cap. *cum Marthæ, de celebrat. Missarum*, Concilio Florentino *in decreto Eugenii*, Tridentino sess. 13, et 21, et 22, ex Matisconensi Secundo, cap. 4, Altisiodorensi cap. 8, et aliis. Constat insuper ex perpetua, et firma Ecclesiæ traditione et usu, quæ nobis innotescunt per testimonia Patrum : sic enim referunt Clemens Alexandrinus lib. 2, *pædag.* cap. 2 et lib. *Stomatum*, D. Cyprianus epist. 53, Tertullianus lib. *de præscriptionibus*, cap. 40, Justinus Martyr *in apologia* 2 circa finem, D. Hieronymus in cap. 2 *Amos circa finem.* Div. Ambrosius lib. 4 *de sacramentis*, cap. 3, D. Augustinus lib. 20, *contra Faustum* cap, 3, et lib. *de hæresibus* cap. 28, D. Epiphanius hæresi 49, Theophylactus in cap. 14 *Marci*, et communiter alii, quos prolixum esset referre. Et idem unanimiter docent Scholastici cum Magistro in 4, dist. 9, et Theologi cum Divo Thoma in præsent. quæst. 74.

Matt. 26.

Concil.

Traditio, et Patrum doctrina.

Ratio autem a priori hujus veritatis alia assignari non potest, quam voluntas Dei, qui sicut libere instituit sacramentum Eucharistiæ, sic etiam instituit hoc sacramentum quantum ad speciem corporis in materia panis : de prædicta autem voluntate certo constat per media proxime relata. Et nobiles quædam apud veteres figuræ ita annuntiabant : nam Melchisedech præmonstrans hoc sacramentum obtulit panem, et vinum, ut legitur Genes. 14. Christus autem futurus erat Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ut dicitur Psalm. 109, et ad Hebræos cap. 5 et 6, et ad hunc finem expendunt optime D. Ambros. loc. cit. et D. Cyprianus lib. 2, *ad Cæciliam* in principio. Qui epist. 63, in eodem etiam sensu expendit sapientiam Proverb. 9, proposuisse mensam, et dixisse : *Venite, comedite panem, et bibite vinum, quod miscui vobis.* Rationes autem congruentiæ recte assignantur a D. Thoma: nam cum Eucharistia quantum ad speciem corporis sit cibus spiritualis animarum, decuit eam institui in materia panis, qui est præcipuus, et magis communis hominum cibus. Rursus mirabile hoc sacramentum est signum, et causa unitatis, et pacis inter fideles : quare conveniens fuit institui ex pane, qui unus est, cum ex pluribus granis coalescat.

Antiquæ figuræ.

Rationes congruentiæ

2. Oppositam huic veritati hæresim tenuerunt aliqui hæretici, ut refert D. Thom. in præs. art. 1, his verbis : « Circa « materiam hujus sacramenti aliqui mul- « tipliciter erraverunt. Quidam enim, qu « dicuntur Artotyritæ (ut Augustin. dicit in « lib. de hæres.) offerunt panem, et ca- « seum in hoc sacramento, dicentes a pri- « mis hominibus oblationes de fructibus « terræ, et ovium fuisse celebratas. Alii « vero scilicet Cataphrygæ, et Pepuziani « de infantis sanguine, quem de toto ejus « corpore minutis punctionum vulneribus « extorquent, quasi Eucharistiam suam « conficere perhibentur, miscentes eum « farinæ, panemque inde facientes. » Hæc Div. Thomas. Sed Vasquez omnia illa rejicit disp. 170, cap. 1, per totum, ubi totus est in probando nullam hactenus fuisse hæresim circa materiam consecrationis corporis Christi. Addit in fine illius capitis rem esse certissimum etiam apud Hæreticos, Lutheranos, et Calvinistas. Utitur autem ut plurimum non aliis argumentis, quam negativis, ipsis etiam hæreticis admodum familiaribus : nam licet aliqui Patres, inquit ille, referant nonnullos hæreticos usos fuisse diversis rebus pro materia suarum oblationum, tamen non constat eos tales res adhibuisse pro materia Eucharistiæ, sive (et in idem redit) quod illis rebus applicaverint verba consecrationis. Miramur hic, et alias hominis ingenium, qui eruditionis studium posuerit in purgando Hæreticos ab erroribus, quos illis viri sapientes, et catholici communiter tribuunt, prætuleritque intentatam illorum innocentiam fidelitati istorum in referendo. Nescimus autem, quid gloriæ Deo, quid utilitatis Ecclesiæ, quid existimationis Doctoribus curaverit Vasquez in hujusmodi vindiciis. Sed quod ad Angelicum attinet, impunem abire minime permittemus

Hæresis contraria.

Singularis Vazquii censura.

Refellitur.

mus cristatam Recentioris confidentiam.

Demonstratur oppositum. Igitur et aliquos, ut D. Thomas loquitur, et plurimos circa materiam hujus sacramenti multipliciter erravisse ostenditur : quia erraverunt non præcise offerendo alias indigna, ut Vasquez comminiscitur ; sed in eo ipso, quod Eucharistiam vocabant, illique applicabant verba consecrationis, et quod dicebant corpus Christi. Quo nihil evidentius dici valet, ut præcludantur Recentioris effugia. Constat vero istud procedendo a majori ad minus. Sed pro eo demonstrando obligat nos Vasquez ea proferre spurciloquia, et turpitudinis monstra, quæ D. Thomas pro suo candore angelico, forte subticuit; cum alias exerrationes circa istud mysterium in hoc articulo recensuerit. Igitur D. Epiphanius testis plane exceptione major in lib. *de hæresibus*, hæresi 6, num. 4, sequentia de Gnosticis refert : « Quæ apud ipsos fiunt, turpe est « et dicere. Verum quæ illos facere nihil « pudet, neque me pudebit alloqui, ut qui « fœdissima illorum flagitia audierint, « horrore quodam afficiantur. Etenim per- « acto stupro subinde contumeliosis cœ- « lum vocibus appetentes, utrique maris « profluvium cavis manibus excipiunt, ac « sublatis sursum oculis, fœdum illud, et « abominabile manibus præferentes con- « sistunt, ac preces concipiunt, Militares « quidem, et Gnostici ad universorum, ut « aiunt, parentem : cui et quod manibus « gestant, offerunt cum hoc solemni car- « mine : Hoc tibi munus, nimirum Chris- « ti corpus offerimus. Atque ita tum eo « vescuntur, et impurissimas suas sordes « degustant, itaque dicunt : Hoc est corpus « Christi, et Hoc est Pascha. Idcirco cor- « pora nostra patiuntur, et Christi suppli- « cia confiteri coguntur. Eodem modo « quoties mulier menstruos fluxus patitur, « fœdissimum illum sanguinem collectum « una omnes absorbent. Atque Hic est, « inquiunt, sanguis Christi. » Hic negabit nemo istos voluisse licet stultissima imitatione, et summo sacrilegio celebrare Eucharistiæ nostræ mysterium, ut liquet tum ex distinctione specierum corporis, et sanguinis Christi, tum ex formulis, quas adhibebant : et tamen immensum circa materiam errorem habuisse nullus non recognoscet. Non pœnitus absimilia de Manicheis refert D. Augustin. in lib. *de hæresibus* ad Quodvultdeum, cap. 46, ubi inter alia : « Qua occasione, vel potius « execrabilis superstitionis quadam ne- « cessitate coguntur electi eorum velut « Eucharistiam conspersam cum semine « humano sumere, etc. Puella illa nomine « Margarita istam nefariam turpitudinem « prodidit. Quæ cum esset annorum non- « dum duodecim, propter hoc scelestum « mysterium se dicebat esse violatam. Tunc « Eusebiam quandam Manichæam quasi « sanctimonialem id ipsum propter hoc « ipsum passam vix compulit confiteri « (*nempe Ursus Tribunus*), et totum illud « turpissimum scelus, ubi ad excipiendum, « et commiscendum concubentium semen « farina substernitur, similiter indicavit. « Et recenti tempore nonnulli eorum re- « perti, et ad Ecclesiam ducti, sicut gesta « Episcopalia, quæ nobis misisti, ostendunt, « hoc non sacramentum, sed execramen- « tum sub diligenti interrogatione confessi « sunt. » Qui hæc portentosa circa Eucharistiam, et sacramentum legit, scrupulosus non erit in credendo inferiores alios hæreticorum errores circa Eucharistiæ materiam, ut quod nonnulli adhibuerint caseum, alii panem ex farina, et infantis sanguine, ut D. Thom. refert in hoc articulo. Nec id de suo posuit (quamvis vel sola ejus auctoritas hominibus recte dispositis, satis superque foret) : sed primum retulit ex D. Augustino lib. immediate cit. cap. 28, ubi illud plane scribit. Secundum etiam referunt D. Augustinus lib cit. cap. 26 et 27, D. Epiphanius hæresi 48, in fine, D. Damascenus hæresi 48 et 49, et post illos Patres N. Waldensis tom. 2, *de sacramentis* cap. 19, Bernardus de Luxemburgo lib. 3, verbo *Pepuzitæ*, Marius Victorius, et Erasmus *in scholiis* ad epist. 54 D. Hieronymi, Gravina lib. 4, *de falsis hæreticorum traditionibus*, et alii plures cum antiqui, tum moderni. Quibus par est majorem fidem adhiberi, cum positive affirment, quam Vazquio, qui negando negat. Sed ulterius rem persequamur, et videamus, quam recte ultimo loco censuerit de hæreticis modernioribus. Lutherani late sentiunt de Eucharistiæ materia, nec illam restringere solent ad solum panem : quin dicunt panis nomine omnem cibum apud Hebræos significari. Unde quidam eorum minister, panis buccellis deficientibus, quas porrigeret, distribuit singulis orbicularem particulam farciminis (apud

D. Epip. D. Aug. D. Aug. D. Epip. D. Dam. N. Wal. Marius Victor. Erasm. Gravina.

Hofstad. nos *longaniza*, o *relleno*), ne sacramenti participatione carerent, ut refert Hofstadius serm. 22, *de Eucharistia*. Calvinistæ etiam in eo sunt errore, quod licet fateantur Eucharistiæ materiam esse panem, dicant nihilominus deficiente pane posse omne aliud esculentum subrogari ad conficiendum suam cœnam, sive Eucharistiam, ut relatis eorum ministris Beza, Polano, et Scharpio probat N. Gabriel 2, parte *de sacramento Eucharistiæ*, disp. 5, quæst. 1. Ex his autem evidenter, ut putamus, constat plures fuisse, et esse hæreticorum errores circa materiam Eucharistiæ : ut lector judicet, quam prudenter dixerit Vazquez (testimonio D. Thomæ reluctans) nullam hactenus fuisse hæresim circa materiam consecrationis corporis Christi. N. Gab.

Duæ objectiones. 3. Potest tamen contra conclusionem opponi primo : nam in canone 3, et 4, et 5 Apostolorum permittitur, quod in altari offerantur uvæ, oleum et incensum, et prohibentur aliæ res : ergo materia sacramenti altaris non restringitur ad solum panem. Secundo opponitur : quia sacramentum Eucharistiæ debet perfectius repræsentare passionem Christi, quam sacramenta veteris legis : sed carnes, quæ erant materia sacramentorum veteris legis, perfectius repræsentant passionem Christi, quam panis : ergo non oportuit sacramentum Eucharistiæ institui in materia panis, sed magis in materia carnis.

Dissolvuntur. Ad primum respondetur eos canones non agere de rebus, quæ offerrentur pro materia Eucharistiæ ; sed quæ offerebantur vel ad venerationem Eucharistiæ, vel ad ornatum altaris, vel ad sustentationem sacerdotum, vel ad suscipiendum aliquam benedictionem pro fidelium usu. Et hujusmodi sunt candelæ, oleum, incensum, et similia, de quibus ibi fit sermo. Quibus omnibus applicandum est, quod D.Thomas respondit infra quæst. 83, art. 5, ad 2, ubi hæc habet: « Dicendum, quod thurificatione « non utimur quasi cæremoniali præcepto « legis, sed sicut Ecclesiæ statuto. Unde « non eodem modo utimur, sicut in lege « veteri erat statutum. Pertinet autem ad « duo. Primo quidem ad reverentiam hujus « sacramenti, ut scilicet per odorem depel- « latur, si quid corporaliter pravi odoris « in loco fuerit, quod posset provocare hor- « rorem. Secundo pertinet ad repræsen- « tandum effectum gratiæ, qua sicut bono « odore Christus plenus fuit, etc. » Et ad similes effectus permittebatur in canonibus Apostolorum aliquas res ad altare deferri, et offerri sacerdotibus. Excludebantur autem aliæ, quia non ita decebant, aut repræsentabant. Secundum optime diluit Div. Thom. in præs. art. 1, his verbis : « Ad « primum dicendum, quod licet carnes « animalium occisorum expressius repræ- « sentent Christi passionem : tamen minus « competunt ad communem usum hujus « sacramenti, et ad Ecclesiasticam unita- « tem significandam. » Addit in 4, dist. 11, quæstione 2, articulo 1, quæstiunc. 1 et 2, congruum fuisse, quod Eucharistia institueretur non in materia carnis, sed panis, ut sic ostenderetur cessatio legalium, et quod Christi, et nostri sacerdotium non est secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech, qui panem et vinum obtulit. In summo fatendum est Christum potuisse mysterium istud in carne, et alia materia instituere : et si sic institueret, rationes plane congruentiæ pro sua infinita sapientia haberet ad talem institutionem, atque electionem materiæ. Sed de facto congruentissimas rationes habuit in eligendo panem : tum quia hoc sacramentum institutum est in ratione cibi spiritualis ; panis autem est communior, et sincerior hominum cibus. Tum etiam quia caro de sua ratione non dicit aliquid determinatum ad esse cibum : panis autem hanc determinationem importat, cum non conficiatur ad alium finem. Tum præterea, quia caro cruda horrorem afferret : assa vero, et elixa non posset ea puritate tractari, aut conservari, qua panis : hic enim mundior est aliis, quæ in cibum veniunt. Unde attentis omnibus congruentius fuit hoc sacramentum institui in materia panis, quam carnis, vel aliarum rerum : præsertim cum panis excellentius significet fidelium unitatem, quæ est effectus valde principalis hujus sacramenti. Videatur D. Thomas opusc. 58, a cap. 7, ubi fusius hæc exponit. Tho. Idem.

§ II.

Designatur species panis.

4. Dicendum est secundo panem, quem supra statuimus esse materiam Eucharistiæ quantum ad speciem corporis, debere esse triticeum, et non sufficere aliud genus grani Secunda conclusio.

grani, vel frumenti. Hæc conclusio est communis inter Theologos, paucis exceptis infra referendis. Et licet nullum Concilium ante Florentinum illam diffinierit; in isto tamen satis expresse asseritur; nam Eugenius Quartus *in decreto fidei* post ultimam illius Concilii sessionem tradens Græcis certam de sacramentis doctrinam, diffinivit materiam hujus sacramenti esse *panem triticeum*. Nec ulla ratione audiendus est Cardinalis Alanus lib. 1, *de Eucharistia*, cap. 11, ubi dubietati obnoxium repræsentat, an Pontifex panem triticeum assignaverit tanquam materiam necessariam ex institutione divina, sine qua proinde nequeat confici sacramentum; an vero ut materiam sufficientem, aut necessariam etiam ex præcepto, ita ut sacramentum valide, quamvis non licite conficiatur ex alio pane. Sustineri, inquam, minime potest ea imaginatio : quia nomine materiæ consecrationis absolute intelligitur materia necessaria, sine qua sacramentum non fit, ut inductive potest ostendi discurrendo per omnes alias sacramentorum materias, quas ibi assignavit Papa. Idque magis ex eo constat, quod Pontifex agens de materia calicis non dixit esse vinum aqua mixtum, licet istud necessarium sit necessitate præcepti : sed dixit absolute esse vinum de vite, sine quo scilicet consecratio nec licite, nec valide fit: ubi autem de mixtione aquæ agit, aliam pro ea non necessitatem, sed congruentiam assignavit. Cum igitur diffinivit materiam Eucharistiæ quantum ad speciem corporis esse panem, materiam simpliciter necessariam assignavit. Et hæc est communis omnium intelligentia. Unde in Catechismo Romano part. 2, *de Eucharistia*, num. 13, dicitur : « Nullus panis « nisi triticeus apta ad sacramentum ma- « teria putandus est : hoc enim Apostolica « traditio nos docuit, et Ecclesiæ Catholicæ « authoritas firmavit. » Idque satis erat pro solido hujus communis assertionis fundamento.

Probatio ex Concilio Florent. — Evasio Alani. — Improbatur. — Catech. Roman.

Sed illam insuper probat D. Thom. art. 3, his verbis : « Dicendum, quod sicut dic- « tum est art. 1 hujus quæstionis, et quæst. « 66, art. 3, ad usum sacramentorum as- « sumitur talis materia, quæ communius « apud homines in talem usum venit. « Inter alios autem panes communius ho- « mines utuntur pane triticeo : nam alii « panes videntur esse introducti in hujus « panis defectum. Et ideo Christus creditur « in hujus panis specie hoc sacramentum « instituisse. Qui etiam panis magis con- « fortat hominem : et ita convenientius « significat effectum hujus sacramenti. Et « ideo materia propria hujus sacramenti « est panis triticeus. »

Alia probatio ex D. Tho.

5. Nec refert si cum Gabriele loco *statim allegando* opponas difficile quidem esse, aut forte impossibile, quod Christus in consecratione, et institutione Eucharistiæ usus fuerit pane triticeo. Sed licet permittatur Christum tunc usum fuisse ea specie panis, minime sequitur eam esse materiam necessariam hujus sacramenti : sicut nec ex eo, quod Christus usus fuerit pro specie calicis vino aqua mixto, minime sequitur mixtum ex vino, et aqua esse materiam necessariam Eucharistiæ quantum ad illam speciem. Probabile etiam est dari plures species panis triticei : et tamen colligere non valemus, quod si Christus consecravit in una panis triticei specie, alia panis species nequeat esse hujus sacramenti materia. Idque evidentius apparet : nam certissimum videtur vina specie differre, utputa album, et rubrum, aut nigrum : et tamen in omni vino (licet Christus in uno unius determinatæ speciei sacramentum instituerit), potest consecratio fieri. Quod igitur speciem corporis consecraverit in solo pane triticeo, inefficax fundamentum est, ut dicamus solum panem triticeum esse unicam, et necessariam materiam hujus sacramenti quantum ad speciem corporis.

Objectio.

Id, inquam, non refert : quia nec D. Thomas, nec nos alio pro communi assertione certo, et solido fundamento utimur, quam Ecclesiæ doctrina, et traditione, ut numero præcedenti ostendimus. Præsuppositæ autem veritatis congruentias assignamus : inter quas non infimum locum habet, quod creditur Christum in specie panis triticei hoc sacramentum instituisse. Nec id negabit cordatus Theologus : nam ut docuit Concilium Carthaginense Tertium cap. 24, et refertur cap. *In sacramento, de consecratione*, dist. 2 : « In sacra- « mento nihil aliud offerendum est, quam « quod Christus Dominus tradidit. » Quare sicut quia accepit panem, fateri oportet materiam Eucharistiæ esse panem : ita quia creditur accepisse panem triticeum, concedere etiam oportet, materiam talis sacramenti esse panem triticeum. Quod

Responsio. — Concil. Carthaginense 3.

vero Gabriel primo loco opponit, nihil valet: tum quia panis triticeus erat satis communis apud Hebræos: quare absque fundamento dicitur difficile, aut impossibile fuisse, quod Christus in pane triticeo consecraverit. Tum etiam quia simila, de qua legitur Levit. 24, erat flos albissimæ farinæ tritici: Judæi autem morem habuerunt conficiendi panes azymos ex simila pro solemnitate Paschali, ut recte expendit Soto in 4, dist. 9, quæst. 1, art. 3, post 4 conclusionem: ergo cum Christus instituerit Eucharistiam in pane azymo, ut non obscure constat ex dictis disput. 1, cap. 3, § 3 et 4, et magis constabit ex infra dicendis § 4, sequitur Christum instituisse Eucharistiam in pane triticeo. Tum præterea, quia ex suppositione, quod Christus potuerit assumere pro ea institutione panem triticeum (quod nequit rationabiliter negari), magis congruebat ipsum præ cæteris assumere: et quia communior est, et quia magis confortat, ut recte Div. Thomas expendit. Tum denique quia Divus Hieronymus id expresse affirmat super Isaiam cap. 62, ad illa verba: *Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis*, ubi ait: *Triticum, ex quo panis cœlestis efficitur, illud est, de quo Dominus loquitur, Caro mea vere est cibus*. Nec majoris momenti est, quod secundo loco opponit Gabriel: nam ut proxime ostendimus, si Christus instituit Eucharistiam in pane triticeo, hic est de facto materia necessaria consecrationis: optimo quippe exemplo ducimur ad id asserendum. Ex eo autem, quod Christus consecraverit speciem sanguinis in vino aqua mixto, minime sequitur vel aquam, vel mixtionem esse de necessitate sacramenti. Tum quia materia directe a Christo consecrata fuit solum vinum. Tum quia cum vinum a Christo consecratum fuit, nihil habebat, quod esset formaliter aqua: paracta namque mixtione erat præcise vinum: quod satis declarat solum vinum esse materiam necessariam consecrationis, et per accidens ad ejus valorem esse, quod præcedat, aut non, mixtio. Id vero, quod additur sub tritico contineri plures species, et similiter sub vino, nihil obest: quia ea diversitas, licet admittatur, est mere physica, et in esse rei, non autem in esse materiæ consecrabilis: hæc enim consistit in pane vere triticeo, quicumque ille sit: quemadmodum pro congrua hominum sustentatione non attenditur ea metaphysica tritici differentia. Et idem dicimus de vino, quamvis habeat plures species: et nihil refert, quod Christus consecraverit in vino rubro, vel albo.

Soto. — D. Hier.

6. Contra communem hanc assertionem sentit Gabriel in 4, dist. 11, quæst. 2, articulo 2, concl. 2, et lect. 35, *in canonem Missæ*, dub. 1. Ubi probabiliter sustinet materiam aptam consecrationi Eucharistiæ quantum ad speciem corporis esse omnem panem, dum tamen sit de granis aristarum. Et in eandem sententiam inclinat Machado tomo 1, lib. 3, parte 1, tract. 6, doctr. 2, numero 2. Referri etiam pro illa solent B. Albertus, Thomas Argentina, et Cajetanus: sed immerito, quia non loquuntur de omni pane ex granis aristarum, sed solum de spelta, existimantes sub tritico comprehendi. Et plane Cajetanus evidenter affirmavit panem hordeaceum non esse materiam consecrationis: quia licet hordeum sit frumentum, tamen panis ex eo factus non est simpliciter panis, sed magis pabulum jumentorum. Et ita contra Suarium, et quosdam alios sententiam Gabrielis prædictis Doctoribus, et præsertim Cajetano attribuentes, observarunt Vazquez disput. 170, cap. 2, numero 10, Leander disput. 8, quæst. 3, et Prado quæst. 74, dub. 5, numero 2. Unicum autem fundamentum Gabrielis jam insinuatum est numero præcedenti, et iterum breviter repræsentatur: quia non oportet materiam Eucharistiæ strictius determinare, ac limitare, quam colligatur ex Evangelio referente factum Christi, et hujus sacramenti institutionem: sed ex Evangelio minime colligitur materiam hujusmodi esse dumtaxat panem triticeum: ergo minus recte prædicta materia ad hunc præcise panem coarctatur. Probatur minor: quoniam Evangelium solum refert Christum accepisse, et consecrasse panem: sed panis nomine intelligitur frumentum; et sub hoc continetur non tantum panis triticeus, sed etiam hordeum, ut constat ex Plinio, lib. 1, capitulo 7, et Divo Isidoro lib. 17 Ethimol. cap. 3, ubi affirmat frumenta proprie dici, quæ aristas habent, et denique ex Varrone *de re rustica*, cap. 48, docente frumentum dici, cujus calamus spicam profert: quæ omnia optime adaptantur non soli tritico, sed pluribus aliis granis a tritico diversis: ergo ex Evangelio minime colligitur materiam hujus

Contraria sententia Gabriel. — Machado — Vazq. Leand. Prado. — Plinius. D. Isid. Varro.

hujus sacramenti esse duntaxat panem triticeum.

luitur. Respondetur negando minorem : quia licet Evangelium solum utatur nomine panis; nihilominus panis nomine absolute dicti solum intelligitur triticeus : sive triticum sit species infima, sive subalterna : quare quidquid non est triticum, non est panis absolute, ut optime observavit Cajetanus in præsenti articulo 3, § *Ad quæ quidem* impressionis Lugdunensis anni 1558, ubi dixit : « Alterius siquidem rationis est panis, qui frequenti usu sine « additione aliqua vocatur panis; et alterius « rationis sunt, qui appellantur panes cum « additione, scilicet panis hordaceus, panis « miliaceus, panis castanaceus, et hujusmodi. Isti enim sunt panes cum additione : qui ideo cum additione proferuntur, ut intelligantur non panes, sed panes « tales : sicut etiam vinum ex pomis granatis eadem ratione non dicitur vinum « absolute, sed de malogranatis. Isti, inquam, tales panes non possunt consecrari, quia non sunt vere panes : sed a « similitudine veri panis nomen panis « acceperunt, etc. » Et hinc satis constat ad minoris probationem : unde negandum est panem proprie dictum coincidere, atque converti cum frumento : istud enim latius patet, et comprehendit plura grana, quæ vere panis non sunt, ut satis colligitur ex Authoribus relatis. Addi tamen potest, quod licet aliqui Authores confundant rationem frumenti, illamque extendant ad plura grana; nihilominus in scriptura, ad quam potissimum pro qualitate præsentis materiæ attendere debemus, frumentum coincidit cum tritico, et distinguitur ab hordeo, et aliis granis, ut constat Joelis 1, vers. 11: *Confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinitores super frumento, et hordeo.* Et similiter Genes. 4, et Deuteron. 9, frumentum dividitur contra hordeum. Et quod in præsenti materia tam panis, quam frumentum sic accipi debeant, constat nobis ex Ecclesiæ traditione, et diffinitione Eugenii in Concilio Florentino supra allegatis. Unde amplius circa ista altercari minime expedit, nec quidem licet.

(margin: ...jet. — Joel. 1.)

Corrollarium. 7. Ex dictis sequitur omnem panem ex grano, quod certum est esse triticum, esse materiam sufficientem, et aptam consecrationi Eucharistiæ pro specie corporis : omnem autem panem ex grano, quod certum est non esse triticum, esse materiam insufficientem, et ineptam tali consecrationi : omnem denique panem ex grano, quod dubium est, an sit triticum, esse materiam dubiam pro consecratione hujusmodi. Sic observant communiter Auctores, quos in magno numero allegat Noster Franciscus in hoc tract. cap. 4, punct. 1, et omittendos in re satis clara duximus. Ratio vero corollarii quoad omnes partes constat ex dictis; quoniam materia hujus sacramenti quantum ad speciem corporis est solus panis triticeus : ergo panis, qui est certe triticeus, sive ex tritico, est materia certa : panis autem, qui certe non est triticeus, sed ex alio grano, est determinate materia insufficiens, et inepta : et denique panis dubie triticeus, sive factus ex grano, de quo dubitatur, an vere triticum sit, est materia dubia. Hic vero consequens videbatur, ut de prædictis granis disputaremus, et censeremus. Sed studium istud putamus non ad Theologos pertinere, sed magis ad agricolas, et Philosophos naturales, eos præsertim, qui de rustica scripserunt, ut Plinius, Varro, Columella, et alii. Satis sit in communi dicere omne illud, quod in communi usu appellatur, et reputatur triticum, esse certo triticum, et materiam certam : quamvis aliquam diversitatem, et differentia nomina habeat, ut apud Hispanos *candial, rubion, scanda*, etc. Omne autem granum, quod in communi usu nec dicitur, nec reputatur triticum esse certo non triticum, sed materiam consecrationi ineptam, ut hordeum, avenam, pannitium, millium, maizium, oriziam, et similia. Unde a fortiori panis confectus vel ex radicibus, vel ex leguminibus, ut ex cicere, et fava, vel ex fructibus arborum, ut ex amygdalis, glandibus, et castaneis esse certo non triticum, sed materiam certo, et determinate ineptam. Denique omne granum, de quo dubitant Auctores esse triticum, ut est blata, Hispane *Centeno*, esse dubie triticum, et non triticum, atque ideo materiam pro consecratione dubiam. Videantur Noster Franciscus loco citato, Petrus de Ledesma capitulo 3, *de Eucharistia*, Suarez disputatione 44, sectione 1, Vazquez disputatione 170, cap. 3, et alii communiter.

(margin: N. Fran. — Observatio. — Ledesm. Suarez. Vazq.)

Aliud consectarium. 8. Sequitur præterea panem confectum ex grano tritici, cui alterius generis grana in parva quantitate commixta sunt, esse simpliciter materiam aptam consecrationi.

Et ratio constat : quia adhuc panis ille est simpliciter panis triticeus. Oppositum vero dici debet, et ob oppositam rationem : ubi grana alterius speciei miscentur in æquali, aut valde magna quantitate, quæ tritici speciem dissolvat, aut notabiliter confun-dat. Et ita observat Div. Thomas in præsenti art. 3, ad 2, his verbis : « Dicendum, « quod modica permixtio non solvit spe- « ciem : quia id, quod est modicum quo- « dammodo absumitur a plurimo. Et ideo « si modica admixtio alterius frumenti ad « multo majorem quantitatem tritici; « poterit exinde confici panis, qui est « materia hujus sacramenti. » (Et raro, aut vix invenietur triticum adeo purum, et defæcatum, quod aliquid extraneum vel alterius grani, vel terræ, vel similium non involvat.) « Si vero sit magna permixtio, « puta ex æquo, quasi ; talis permixtio « speciem mutat : unde panis exinde con- « fectus non erit debita materia hujus « sacramenti. » Et idem observant communiter Auctores apud Nostrum Franciscum loco cit. num. 8.

D. Tho.

Altera illatio.

9. Sequitur ultimo Ecclesiam non posse disponere, quod materia Eucharistiæ sit panis ex alio grano, quam ex tritico. Id statuimus contra Pasqualigum disp. 91, sectione 1, ubi asserit materiam hujus sacramenti esse panem usualem : et hunc panem usualem esse de facto ex declaratione Ecclesiæ panem triticeum, et non alium. Sed in concl. 3, addit Ecclesiam ex rationabili causa posse declarare panem ex alio grano, puta ex hordeo esse panem usualem: in quo casu talis panis foret materia, et apta ad consecrationem. Quod probat : quia Christus in quolibet sacramento instituit materiam usualem, relinquendo potestati, et electioni Ecclesiæ declarare, quænam sit illa materia usualis. Unde sicut Concilium Tridentinum de facto declaravit consensum clandestinum non esse materiam sufficientem pro matrimonio; cum tamen prius materia sufficiens fuisset : sic etiam Ecclesia declarare potest panem aliquem, qui modo non est usualis, fore deinceps usualem, et subinde materiam aptam consecrationi Eucharistiæ quantum ad speciem corporis.

Pasqual.

Primum resolutionis fundamentum.

Sed consectarium nostrum est certissimum, ut vix ullam probabilitatis apparentiam videamus in sententia immediate relata. Et probatur primo : quia materia Eucharistiæ non est vage panis usualis hujus, aut illius Provinciæ, non plurium orbis Provinciarum, sed est determinate panis triticeus, ut constat ex hactenus dictis : atqui Ecclesia non habet potestatem mutandi materias sacramentorum, ut ex professo ostendimus tractatu præcedenti disputatione 2, dubio 4: ergo Ecclesia potestatem non habet declarandi, et disponendi, quod panis triticeus non sit materia apta consecrationi, vel quod alius panis non triticeus, sed ex alio grano, puta avenæ, pannitii, vel maizii sit materia ad consecrationem. Unde incidenter, et evidenter excluditur exemplum in contrarium allatum de materia matrimonii : nam Christus instituit omnem legitimum contrahentium consensum esse sufficientem prædicti sacramenti materiam : quod autem contractus sit, vel non legitimus, pendet ex dispositione reipublicæ : unde quod Ecclesia declaraverit contractum clandestinum non esse legitimum, nullam induxit mutationem in materia a Christo instituta pro valore matrimonii : semper enim retinetur consensum legitimum esse materiam sufficientem, secus autem consensum non legitimum, ut magis explicuimus loco cit. § 2. Sed Ecclesia nullam auctoritatem habet, ut variet naturales rerum species, et faciat, quod panis triticeus desinat esse talis; aut quod panis hordeaceus v. g. triticeus sit : quia nec facere valet, quod panis creatus a Deo pro communi hominum usu desinat esse talis; aut quod granum creatum a Deo non pro communi hominum alimento, sed magis pro brutis, ut avena, et hordeum fiat communis, et usualis hominum panis. Et miramur hominem hanc rerum inversionem imaginari potuisse, nisi delirando.

Nota.

Probatur secundo, quia falsum omnimo est Christum non aliam majorem determinationem in materia sacramentorum adhibuisse, quam quod materiæ forent res usuales. Ex opposito enim fieret materiam calicis non esse determinate vinum ex vite : quia in plurimis regionibus potus usualis calicis non est vinum de vite, sed de pomis, de hordeo, et aliis rerum speciebus. Unde consequenter juxta illius Auctoris sententiam dicendum esset Ecclesiam posse efficere, et declarare, quod vinum usuale esset vinum de pomis, et consequenter quod istud foret materia sufficiens pro consecratione quantum ad speciem sanguinis. Id vero

Secundum motivum.

vero nescimus, qualiter dici queat absque insigni temeritate, aut errore etiam in fide. Idemque argumentum fieri valet de oleo, quod non fit de olivis apud omnes nationes, et tamen est usuale apud illas. Probatur tertio, quia cum plurimæ in mundo provinciæ sint, apud quas non nascitur triticum; tamen Ecclesia nunquam hactenus disposuit, aut declaravit, quod Eucharistia apud illas fieret ex pane alterius grani : quod satis manifestat Ecclesiam minime in se recognoscere potestatem hujusmodi. Et sic plane sensit D. Thom. art. I. hujus quæst. ubi ait : « Ad secundum dicendum, « quod licet non in omnibus terris nascatur « triticum, vel vinum : tamen de facili ad « omnes terras deferri potest, quantum suf- « ficit ad usum hujus sacramenti. » Ubi minime pro supplendo tritici aut vini defectu recurrit ad illam imaginatam Ecclesiæ potestatem. Sic etiam apud nos balsamum non solum non est materia usualis; sed de terris longissimis affertur : tamen nemo propterea dicet Ecclesiam posse disponere alium liquorem esse balsamum usuale, et Chrisma posse absque naturali balsamo fieri. Unde Durandus, qui similibus præcipitiis deterreri non solet, relata nihilominus sententia aliquorum asserentium posse ex dispensatione Papæ conferri sacramentum confirmationis absque chrismate benedicto, scripsit in 4, dist. 7, quæst. 3 : « Hæc opi- « nio non videtur solum falsa, sed et fidei, « et Ecclesiæ valde periculosa. » Et idem in hac causa Pasqualigo dictum volumus.

Tertium. D. Tho. Durand.

§ III.

Proponuntur principaliores panis conditiones.

10. Dicendum est tertio panem triticeum, quem diximus hujus sacramenti materiam, debere esse aqua naturali confectum, ac subactum, et igne tostum. Sic docent communiter Theologi, ut constabit ex pluribus infra referendis. Fundamentum est : quoniam materia Eucharistiæ quantum ad speciem corporis debet esse panis usualis, qui communi hominum alimento deservit : hujusmodi autem panis habet conditiones proxime assignatas, ut communi experientia liquet : ergo illas habere debet panis, qui est materia hujus sacramenti. Confirmatur : quia panis, cui aliqua ex prædictis conditionibus deficit, est materia vel determinate inepta, vel saltem dubia : ergo panis, qui est certa hujus sacramenti materia, debet prædictas conditiones habere. Quod magis constabit ex probatione sequentium consectatorium.

Tertia conclusio. Fundamentum.

11. Juxta communem hanc doctrinam infertur primo panem confectum ex aqua artificiali, v. g. rosacea non esse sufficientem materiam. Oppositum docuerunt (aut saltem de hac materia dubitarunt) Cajetanus in hac quæstione articulo 7, ad 3. Alensis, Astensis, Valencia, Saa, et alii, quos refert, et sequitur Pesantius in præsenti disput. 2. Quoniam aqua non est pars essentialis panis, sed deservit ad massam subigendam, et deinde igne resolvitur : ergo ad veram panis rationem nihil refert, quod conficiatur ex aqua naturali, vel artificiali.

Quid de pane ex aqua artificiali ? Cajet. Alensis. Pesant.

Sed consectarium nostrum expresse docet D. Thom. articulo 7, ad 5, his verbis : « Quia vero admixtio aquæ ad farinam « est de necessitate hujus sacramenti utpote « constituens substantiam panis, si farinæ « admisceretur aqua rosacea, vel quicumque « alius liquor, quam vera aqua, non posset « ex eo confici sacramentum: quia non esset « verus panis. » Et S. Doctori subscribunt communiter Auctores, Soto in 4, distinct. 9, quæst. 1, articulo 6, Petrus de Ledesma dub. 6, Prado quæst. 74, dub. 5, § 6, Suarez disp. 44, sect. 2, conclus, 1, Vasquez, Lugo, Coninckus, Bonacina, et alii, quos refert, et sequitur N. Franciscus cap. 4, puncto 1, num. 9 et 10. Et probatur primo ex motivo a D. Thoma proposito, quod potest magis expendi : quoniam panis ex aqua naturali, et panis ex aqua rosacea differunt specie : ergo sicut certum est panem ex aqua naturali esse materiam aptam ; ita certum esse debet panem ex aqua rosacea, vel alia artificialia esse materiam ineptam. Antecedens suadetur : nam illa mixta debent specie differre, quæ constant miscibilibus diversæ speciei : sed manifestum est aquam naturalem, et aquam rosaceam differre specie : unde aqua rosacea nullo modo esse potest materia baptismi : ergo panis confectus ex aqua naturali differt specie a pane, qui conficitur ex aqua rosacea. Probatur secundo destruendo simul oppositum fundamentum : quia si materia apta huic sacramento salvaretur in pane confecto ex aqua rosacea, etiam salvaretur in pane con-

Vera sententia. D. Tho. Sotus. Ledesm. Prado. Suarez. Vazq. N. Fran.

fecto ex lacte, vel vino, vel aliis hujusmodi : consequens est omnino falsum ut ipsimet Adversarii recognoscunt: ergo et antecedens. Sequela ostenditur : nam ideo aqua rosacea non solveret speciem panis naturalis, usualis, et apti consecrationi, quia aqua non est pars essentialis panis, sed solum deservit ad uniendum farinam, ut fiat massa, et deinde per ignem resolvitur : hæc autem ratio etiam militat in lacte, vino et aliis liquoribus, quibus massa subigatur, ut facile consideranti constabit : ergo si panis confectus ex aqua rosacea est materia apta consecrationi; sequitur idem dicendum esse de pane confecto ex lacte, vino, et aliis hujusmodi. Nulla itaque ratione admittendum est panem confectum ex aqua rosacea esse verum panem, aut posse valide consecrationi deservire. Et hæc intelligenda sunt, ubi panis fieret simpliciter ex aqua rosacea, et ubi mixtio hujus aquæ fieret in quantitate notabili. Secus vero dicendum esset, si modicum quid aquæ rosaceæ, vel alterius liquoris extranei admisceretur : quia illa non esset simpliciter mixtio, nec solveret naturalem speciem panis, ut agentes de admixtione alicujus grani extranei diximus num. 9.

Limitatio.

Quid si fiat ex aqua maris.

12. Sed quid dicemus, si panis fiat ex aqua maris? Fagundez in 3 *præcep. Eccl.* libro secundo capite primo, numero 14, sentit esse materiam ineptam ; quia sicut panis ex aqua rosacea, sic etiam panis ex aqua marina non est panis naturalis, et usualis. Sed asserendum est talem panem esse materiam sufficientem. Et probatur destruendo oppositum fundamentum : quia panis confectus ex aqua maris est verus panis : ergo et materia sufficiens. Consequentia patet : quia materia hujus sacramenti consistit in pane vero, quidquid sit de aliquibus ejus accidentibus, quæ rei speciem non solvunt. Antecedens vero suadetur : quia aqua maris est aqua vera, et naturalis : unde cum prædicta aqua fit validum sacramentum baptismi, ut docet Divus Thomas supra quæstione 66, articulo 4, ad 4. Et idem Sanctus Doctor in, 4 distinctione 11, quæstione 2, articulo 2, quæstione 1, ad 2, ait : « Omnis aqua omni aquæ est « eadem in specie secundum Philosoph. 5, « Metaph. et ideo non differt in quacum« que aqua baptismus fiat. » Ubi autem panis fit ex vera farina tritici, et ex vera aqua naturali est panis verus, ut ex termi-

D. Tho.

nis constare videtur. Ergo panis confectus ex aqua maris est verus panis. Confirmatur; quoniam non abhorret a ratione panis communis, quod fiat ex aqua maris. Ut enim testatur Diana parte 9, tractatu 9, *miscellaneo*, resolut. 48, pauperes in Calabria, ut vitent solutionem gabellæ salis, solent suos panes ex aqua maris conficere.

Quid de pane, cui miscetur cinnabrium

Lugo.

13. Quid ulterius dicemus de pane, cui admiscetur cinnabrium, ut contingit in hostiis rubris, quibus solemus epistolas sigillare? Lugo disp. 4, sectione 1, num. 4, judicat esse materiam invalidam. Cui subscribunt Diana parte 7, tractatu 12 *miscellan.* resolut. 10, et Noster Franciscus loco citato num. 16. Et moventur : quia per illam mixtionem alteratur notabiliter panis, et extrahitur a ratione panis usualis. Sed probabilius censemus, quod si cinnabrii mixtio fiat in ea præcise quantitate, quæ sufficit ad inducendum pani colorem, ut communiter in hostiis rubris contingit; panis ita confectus esset materia simpliciter sufficiens ad consecrationem. Et movemur opposito fundamento : quia illa coloris variatio non solvit speciem panis, sed est quoddam ejus accidens, ut contingeret etiam si panis fieret ex aqua naturali, croco tincta. Unde non dubitamus, quod si consecratio fieret in una ex hostiis rubris, quæ pro sigillandis litteris circunferuntur, foret valida. Et subinde aliter ac Lugo loco citato responderemus ad dubium de quodam sacerdote, qui pro fine sacrilego unam illarum voluit consecrare. Foret tamen consecratio illicita propter indecentiam. Et hæc dicimus attendendo ad id, quod per se loquendo requiritur, ut panis habeat colorem cinnabrii. Si autem magna, aut notabilis hujus copia adhiberetur; oppositum assereremus cum Lugone, et aliis : quia fieret notabilis variatio, et solveretur naturalis panis species. Et in hanc resolutionem inclinant Leander disput. 8, quæst. 16, Prado ubi supra num. 63, et Antonius Perez apud Dianam loco cit.

Diana. N. Fran.

Resolutio.

Leand. Prado.

Excluditur massa cruda a ratione materiæ. Major.

14. Infertur secundo massam crudam panis non esse materiam validam. Oppositam docuit Major in 4, distinctione 11, quæstione 2, eo ductus fundamento, quod panis crudus, et panis coctus non differunt specie. Sed nostrum consectarium citra controversiam docent alii Auctores, ut testantur Soto in 4, dist. 11, quæst. 1, art. 3, in fine, et pluribus relatis. Leander ubi proxime,

Soto. Leand.

proxime, quæst. 11. Et ratio est : nam hoc sacramentum institutum fuit sub specie alimenti, et panis : pasta autem incocta nec est alimentum, nec panis, nec cibus humanus : et non modo non nutrit, sed plurimum saluti nocet : ergo massa cruda nullo modo est valida hujus sacramenti materia. Ad fundamentum autem Majoris sunt, qui et admittant, et censeant pastam incoctam, et coctam non differre specie, sicut nec carnes crudæ, et assæ : quia ignis circa hæc nil aliud præstat, quam ipsa exsiccare, et ad debitam proportionem reducere, ut edi queant. Ita Scotus in 4, dist. 11, quæst. 6, et Gabriel in can *missæ* lect. 35. Qui tamen cum communi negant consequentiam, et merito : quia quidquid sit de distinctione specifica, certum est massam crudam non esse panem usualem, aptumque ad hominum sustentationem : materia autem consecrationis debet esse ejusmodi, ut proxime dicebamus. Sed melius respondetur negando assumptum, et statuendo massam crudam distingui specie a pane, qui non est massa cruda, sed cocta. Nam ut optime tradit D. Thom in quæst. seq. art. 6, ad 1: « Nihil prohibet arte fieri aliquid, cujus « forma non est accidens, sed forma subs- « tantialis : sicut arte possunt produci « ranæ, et serpentes : talem enim formam « non producit ars virtute propria, sed vir- « tute naturalium principiorum. Et hoc « modo producit formam substantialem « panis virtute ignis decoquentis materiam « ex farina, et aqua confectam. » Et oppositum exemplum de carne cruda, et assa non probat : quia in carne assa non fit tanta resolutio ut desinat esse caro : sed in massa ex farina, et aqua fit tanta resolutio, quod desinit esse massa, et fit aliud substantiale compositum, ut maxima accidentium differentia satis demonstrat. Et hanc doctrinam tradunt communiter tam Thomistæ, quam alii Theologi, ut testatur Prado dub. 5 cit. num. 68.

[Margin: ncidens quæstio. Scotus. Gabriel. D. Tho.]

Ex eodem corollario fit, quod si dubium sit, an massa sit cruda, vel cocta ; erit materia dubia consecrationis. Quod satis liquet ex præmissis. Si autem absolute cocta sit, sed tamen non bene, ita quod panis per compressionem digitorum quasi in massam redigatur ; materia quidem certa erit, et absolute sufficiens : sed tamen oportebit propter reverentiam illa non uti, ut bene observat Suarez disputatione 44, sectione 2, post. 4, conclus. Idemque continget, quoties panis incipit pati aliquam corruptionem, quam indicat mutatio saporis, et accidentium, ut cum aliis notat Noster Franciscus loco citato num. 13, et tradit D. Thom. num. seq. referendus. Fit præterea ex eodem corollario massam factam ex farina, et aqua, oleo, aut butyro in sartagine frixam non esse materiam consecrationis. Tum quia non est panis assus. Tum quia non est verus, et usualis panis, sed alia species diversa, quam vocamus *tortas* et *bojuelas*. Tum quia ipsa olei, et butyri commixtio notabiliter immutat substantiam panis, et non minus, quam si massa non aqua naturali, sed oleo, et butyro subigeretur, ut ipsa experientia liquet. Et sic docent Bonacina, Filliucius, Granados, Palaus apud N. Franciscum num. 11, Soto, Suarez, Coninckus, Lugo, et alii apud Leandrum disp. 8, quæst. 13.

[Margin: Quid si massa sit semicruda? Suarez. Quid si oleo frixa.]

15. Infertur tertio massam factam ex amido (vulgo *amidon*) licet igne tostam non esse materiam validam. Pro sententia huic consectario opposita referri solent B. Albertus, Major, et Paludanus : illamque expresse docent Enriquez lib. 8, cap. 9, § 1, et Machado lib. 3, parte 1, tract. 6, docum. 2, num. 5. Et ipsi favent Villalobos tract. 6, difficult. 5, num. 3, Serra in præsent. art. 3, concl. 1, coroll. 4, Suarez disp. 44, sect. 2, in fine, et alii, quatenus dicunt esse materiam dubiam. Commune illorum fundamentum est, quod licet amidum in specie, sive forma amidi consecrari non possit; nihilominus cum fiat ex tritico selectissimo, et queat postea in farinam commoliri, et inde panis commassari, et coqui ; nihil illi massæ igne tostæ deficere videtur, ut sit verus, et communis panis, ac subinde materia sufficiens pro consecratione.

[Margin: N. Fran. Leand. Quid de massa facta ex amido? Enriqu. Marhado. Villalob. Serra. Suarez.]

Sed consectarium nostrum docent communiter Theologi. Viginti novem refert Leander disp. 8, quæst. 9, et plures alios possemus addere. Sed pro millibus est D. Thom. in præs. art. 3, ad 4, ubi ait : « Dicendum, quod aliquando est tanta cor- « ruptio panis, quod solvitur species panis, « sicut cum continuitas solvitur, et sapor, et « color, et alia accidentia mutantur : unde « ex tali materia non potest confici corpus « Christi. Aliquando vero est tanta corrup- « tio, quæ speciem non solvat : sed est aliqua « dispositio ad corruptionem : quod decla-

[Margin: Vera et communis sententia. D. Tho.]

« rat aliqua immutatio coloris. Et ex tali « pane potest confici corpus Christi : sed « peccat conficiens propter irreverentiam « sacramenti. Et quia amidum est ex tri- « tico corrupto, non videtur, quod panis « ex eo confectus possit fieri corpus Christi: « quamvis quidam contrarium dicant. » Et similia proponit in 4, dist. 11, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 2, ad 3. Probatur ratione fundamentali desumpta ex D. Thoma in verbis relatis, quam possumus ad hanc formam reducere : quoniam panis aptus consecrationi debet fieri ex farina, quæ sit vera farina tritici, et retineat ejus speciem : sed hujusmodi non est amidum : ergo panis factus ex amido non est materia apta consecrationi. Probatur minor, supponendo amidum fieri ex tritico, quod per dies aliquot est in aqua, deinde atteritur, aut comprimitur, ac denique excolatur ad instar lactis : postea vero coagulatum lac illud, atque exsiccatum potest ad farinam redigi, unde pasta fiat, et coquatur. Quo supposito, sic arguitur : panis in his mutationibus, quæ pro amido requiruntur, corrumpitur substantialiter : ergo farina amidi non est vera farina tritici, nec retinet ejus speciem. Antecedens suadetur tum ex tot adeo diversis mutationibus, quæ in formatione amidi interveniunt, ut proxime insinuavimus : tum etiam ex pessimo odore tritici, et aquæ, in qua madefit, qui fœtor solet esse vehemens indicium corruptionis, ut in aliis rebus contingit : tum denique quia panis ex amido confectus est diversæ omnino virtutis, quam si fieret ex ordinaria farina tritici mola contriti. Consequentia autem videtur manifesta : quia virtute agentium naturalium nequit dari regressus a privatione ad habitum, nec restitui forma substantialis semel corrupta : ergo si panis ut fiat amidum, corrumpitur ; farina ex amido non est vera farina tritici, nec retinet ejus speciem.

Ratio.

Confirmatio. D. Tho.

Et confirmatur : nam propter simile motivum probat D. Thom. art. 5 hujus quæst. ad 2, ex aceto non posse confici sanguinem Christi. « Dicendum, *inquit*, quod « vinum sit acetum per corruptionem : « unde non fit reditus de aceto in vinum, « ut dicitur 8 Metaph. Et ideo sicut de « pane totaliter corrupto non potest confici « hoc sacramentum, ita nec de aceto. « Potest tamen confici ex vino acescenti, « sicut et de pane, qui est in via ad corrup- « tionem : licet peccet conficiens, ut prius « dictum est. » Et ex his satis constat ad fundamentum contrariæ sententiæ. Sed addendum est, ut subterfugia Bernalis, et aliquorum Recentiorum præcidantur, quod nomen, et ratio amidi non attribuuntur nisi pani sustinenti omnes mutationes supra relatas : quas certissimum apparet inducere corruptionem substantialem : et consequenter amidum est panis corruptus, ineptusque subinde consecrationi ; et ita absolute loquendum est, sicut et de aceto loquimur. Sed si triticum incipiat pati aliquam mutationem, et disponi ad esse amidum ; quandiu non corrumpitur substantialiter, sed speciem retinet ; poterit utique esse materia consecrabilis. Cæterum ita acceptum non est, nec dicitur absolute amidum, sed amidum in fieri ; sicut nec vinum acescens est acetum. Unde concesso quod ex amido sic sumpto, quod est tale secundum quid, queat fieri panis aptus consecrationi ; nihil evincitur contra nostram, et communem resolutionem.

Nota.

Observatio erga decentiam.

16. Hic vero notare oportet hactenus dicta procedere attendendo præcise ad consecrationis valorem. Nam si ad decentiam attendamus, haud infrequenter continget peccare ministros, si materia sit minus pura, aut patiatur aliquam corruptionem, ut optime significavit D. Thomas locis relatis. Quod peccatum eo facilius potest esse gravius, quo materia ipsa gravissima est, nempe juxta magnitudinem sacramenti. Unde nulla prætermittenda foret diligentia, ut triticum, ex quo fit panis Eucharisticus, sit electum, purum ab omni mixtione, et undique mundissimum ; ut nihil in eo vile, nihil non probatum inveniatur. Quod pium studium semper fuit quasi communis piorum, et catholicorum tessera. Sic enim jam pridem nempe sub finem sæculi 7, statuerat Concilium Toletanum 16, can. 6. Et Concilium Cojacense in Ovetensi Diœcesi sub Ferdinando Primo et Sancia Regibus, præcepit frumentum pro sacramento esse sanum, id est, electum, et purum. Theodulphus etiam Aurelianensis Episcopus sæculo 9, in epist. *ad suum Clerum* præcepit panem pro Eucharistia parari ab ipsis Sacerdotibus, vel saltem eisdem præsentibus. Præterea Sancta Radegundis suis manibus hostias præparabat, et ad loca sancta mittebat, ut scribit Fortunatus in *ejus*

Concil. Tolet. 16. Concil. Coiacen.

Theodulphus.

Fortunat

ejus vita lib. 1, cap. 7. Denique ut alia exempla omittamus, totus illustrissimus D. Benedicti Ordo in hac pietate maxime
Lanfran. enituit : nam ut refert Lanfrancus in lib. *decretorum pro illo ordine*, cap. 6, tantum studium posuit in parando decenter Eucharistiæ materiam, ut Monachi frumentum granatim eligerent, et in sacculum mundum, et fortem reponerent : deinde famulo honesto ad deferendum in molendinum committerent. Farinam e molendino asportatam sacrista alba indutus, et velato capite cribabat. Constituto autem die sacrista cum aliis adjutoribus fratribus, facie, et manibus lotis, albis indutis, et amictibus velatis, ad elaborandum hostias se accingebat. Dum vero hæc peragebant psalmos, et alias preces pie recitabant, arctissimum tunc ab aliis verbis silentium observantes. Quin et in antiquis Cluniacensium statutis cap. 65, cavebatur ne
Statutum Cluniac. hujusmodi opus post prandium fieret, ne vel saliva, vel ullius flatus ad hostias pertingeret. Hæc redolent summam antiquæ pietatis religionem, atque studiosam industriam, licet debito minorem, in parandis ejusmodi, ex quibus conficitur Eucharistia. Sed heu, hæc hodie apud non paucos parare solent mulierculæ loquaces, et sacristæ ebriosi, qui nec selectam materiam quærunt, nec rem religiose agunt, sed lucrum quærunt, et laborem pro vili pretio commutant.

§ IV.

Quid sentiendum de pane azymo, et fermentato?

Quarta conclusio. 17. Dicendum est quarto panem tam azymum, quam fermentatum esse (suppositis aliis conditionibus supra relatis) materiam aptam consecrationi Eucharistiæ : melius tamen esse consecrare in azymo, ut
Fundamentum ab auctoritate. consecrat Ecclesia Latina. Prima hujus assertionis pars est de fide, et diffinita ab Ecclesia in Concilio Florentino, sess. ult. in
Eug. IV. litteris sanctæ unionis : nam Eugenius IV, cum ibi præmisisset : « In nomine Sanctæ « Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus « Sancti, hoc sacro universali approbante « Florentino Concilio diffinimus etc. » post alia diffinita subjunxit : « Item in « azymo, sive fermentato pane triticeo « corpus Christi veraciter confici, Sacer« dotesque in altero ipsum Domini corpus « conficere debere, unumquemque scilicet « juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentis, sive « Orientis consuetudinem. » Et idem prius diffinierat Leo IX in epistola *contra Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum*, cap. 5, quæ refertur in tom. 4 *Roman. Pontificum*, et a Baronio tomo 11, anno 1054, cap. 10. Unde sic unanimiter docent tam Scholastici cum Magistro in 4, dist. 11, quam Theologi cum D. Thom. in præs. art. 4, ubi hæc habet : « Dicendum, quod circa materiam « hujus sacramenti duo possunt conside« rari, scilicet quid sit necessarium, et quid « conveniens. Necessarium quidem est, ut « sit panis triticeus, sicut dictum est, sine « quo non perficitur sacramentum. Non est « autem de necessitate sacramenti, quod « panis sit azymus, vel fermentatus : quia « in unoquoque confici potest. » Antiquiores autem hanc veritatem potius supponebant, quam disputabant. Illam vero specialiter defenderunt Umbertus Cardinalis, et Apostolicus pro hac causa Legatus in disputatione *adversus Græcos schismaticos de azymo, et fermentato*, D. Anselmus in opusc. de eodem argumento, Rupertus Abbas lib. 2, *de divinis officiis*, cap. 22, Innocentius III, lib. 4, cap. 4. Algerus lib. 6, cap. ult. et alii. Leo IX. Magist. D. Tho. Umbert. D. Ans. Rupert. Inn. III. D. Alge.

Ratio. Probatur primo ratione satis evidenti : quia verus panis naturalis triticeus est materia apta pro hoc sacramento, ut ex supra dictis constat : atqui esse vel azymum, vel fermentatum non tollit rationem veri panis naturalis triticei ; siquidem ad istam solum requiritur, quod conficiatur ex farina triticea, naturali aqua subacta, et quod igne coquatur : et hæc omnia salvantur tam in pane azymo, quam in fermentato : ergo uterque est materia apta pro consecratione hujus sacramenti. Confirmatur
Confirmatio 1. primo : quia panem esse azymum, vel fermentatum accidit pani naturali triticeo, sicut esse album, vel fuscum, melioris, aut deterioris saporis : ergo salvatur vera ratio panis naturalis triticei, sive panis sit azymus, sive fermentatus, atque ideo salvatur vera ratio panis consecrabilis : sicut etiam utraque ratio salvatur in pane albo, vel fusco, sapidiori, vel minus sapido. Confirmatur secundo : nam ideo non
Confirmatio 2. esset valida consecratio in pane azymo, quia Christus consecravit in fermentato ; aut vice versa ideo non esset valida conse-

cratio in pane fermentato, quia Christus consecravit in azymo : sed hoc fundamentum nullius momenti est : ergo unus, et alter panis est materia sufficiens pro consecratione hujus sacramenti. Probatur minor : quia Christus non consecravit sanguinem in vino albo, et in vino rubro simul, sed in alterutro tantum : et tamen utrumque est materia sufficiens pro consecratione Eucharistiæ quantum ad speciem sanguinis ; ita ut licet Christus consecraverit in vino albo, non ideo excludatur rubrum ; et licet consecraverit in rubro, non propterea excludatur album ; nec id negant Græci, sed frequenter ad praxim revocant : ergo idem in nostro casu dicendum est. Patet consequentia tum a paritate. Tum ex eo, quod sicut vino naturali ex vite accidit esse album, vel rubrum, sic etiam naturali ex tritico pani accidit esse azymum, vel fermentatum : et sicut Christus consecravit in vino ex vite, sic etiam consecravit in pane ex tritico.

Aliud motivum. 18. Probatur secundo alio urgentissimo fundamento desumpto ex maxima auctoritate, et perpetua traditione Ecclesiæ Latinæ, quæ a tempore Apostolorum semper usa est pane azymo ad conficiendum hoc sacramentum. Per quod simul excludemus calumniam Calvini lib. 4 institut. cap. 17, § 43, ubi turpiter, et malitiose errat asserendo Ecclesiam solitam fuisse in fermentato consecrare ante tempora Alexandri Romani Episcopi, qui primus azymo delectatus est, magis ut oculos plebis traheret, quam ut animos vera religione imbueret. Sed errat ille toto cœlo, et subdole tacet, quis fuerit ille Alexander, ne mendacii evidenter convinceretur. Igitur antiquissimam, et a primordiis Evangelii esse consuetudinem Ecclesiæ Latinæ consecrandi in azymo constat ex Leone IX, in epist. cit. ad Michaelem Cerularium panis azymi impugnatorem, ubi ait : « Illud « autem quis non stupeat, quod post tot « sanctos, et orthodoxos Patres per mille, « et viginti a Passione Salvatoris, novus « calumniator Ecclesiæ Latinorum emer- « sisti ?» Regnabant autem Leo anno 1054. Deinde Innocentius III loc. cit. inquit : « Ab ipsis ergo Beatis Apostolis Petro, et « Paulo, quos vivos habuit, et defunctos « custodit, hunc sacrificii ritum accepit, « quem hactenus inviolabili cultu serva- « vit.» Et B. Algerus loco cit. ait : « Nulla « riato cogii, ut azymum a Christi sacri- « ficio repellatur. Dignum est, ut quod « Christus instituit, omnis autem Ecclesia « præter Græcam a primordio sui, ex tra- « ditione Principum Ecclesiæ Petri scilicet, « et Pauli celebravit, indesinenter conser- « vet.» Et similia testantur alii. Sed evidentius hujus traditionis argumentum est, quod cum hæc consuetudo ab antiquis temporibus servetur in Ecclesia Latina ; nemo assignare possit ejus auctorem, et initii tempus : quare recurrere necesse est ad Apostolorum tempora, et instituta. Et ita plane corruit Calvini dolosa calumnia.

Retunditur mendacium Calvini. — Leo IX. — Innoc. III. — D. Alger.

Quare non boni consulimus, nec plane approbamus aliquos Scholasticos Scotum scilicet, Durandum, et Richardum opinatos esse, quod Latini aliquando celebraverint in fermentato : aiunt enim Ecclesiam tempore hæresis Ebionitarum, qui Legalia simul cum Evangelio permiscebant, curavisse oppositum : ne illis consentire videretur : atque instinctu Spiritus Sancti tunc disposuisse, ut Eucharistia non in azymo, sed in fermentato conficeretur. At hæresi Ebionitarum extincta inquiunt Romanam Ecclesiam reversam fuisse ad pristinum morem celebrandi in azymo, quem receperat ab Apostolis. Quam antiquiorum Scholasticorum sententiam tuentur re ipsa docti quidam Recentiores Claudius Espencæus lib. 2, *de adoratione Euchar.* c. 4. Latinus Latinius in opusc. *de fermento*. Sirmondus in opusc. de eadem materia, cap. 2. Christianus Lupus in dissertatione *de actis S. Leonis IX.* quæst. 4, et Cardinalis Bona lib. 1 *rerum Liturgicarum*, cap. 12, qui reclamantibus cæteris, ac fere cunctis, demonstrare nititur usum consecrandi in fermentato viguisse in Ecclesia Latina ad nonum usque sæculum. In quam opinionem inducti videntur, quod in vita Melchiadis, et Siricii Summorum Pontificum, et in epist. *Innocentii Primi ad Decentium* cap. 5, legerint usum, et consecrationem panis fermentati.

Aliquorum Scholasticorum circa istum morem sententia. — Espenc. — Latinus. — Sirmon. — Christ. Lupus. — Bona. — Motivum.

Sed persistendum est in resolutione proposita, et satis confirmata, quod Patres Ecclesiæ Latinæ usi nunquam fuerint fermentato pro consecratione Eucharistiæ. Illis autem Theologis antiquioribus (alias perquam doctis) parcendum est ut non admodum historiæ Ecclesiasticæ gnaris. Panis namque fermentatus, cujus mentionem locis relatis repererunt, non pertinebat ad sacrificium,

Refelluntur.

sacrificium, vel Eucharistiam, sed tantum ad Eulogias, sive charitates, sive panes benedictos ; quos diebus Dominicis dari in signum ecclesiasticæ communionis, et distribui inter ministros, et pauperes mos fuit antiquus. [Concil. Laodic.] Unde Concil. Laodicenum can. 4, prohibet Eucharistiam loco Eulogiarum mittere, evidenter distinguens panem Eucharisticum ab Eulogio. Hic autem erat fermentatus, et pro communi usu : et latiori significatione dicebatur *sacrum*, aut *sacramentum*, quod significaret panem Eucharisticum, et concordiam inter fideles. [D. Aug.] De quo loquitur D. August. simul significans illum præcise dari baptizatis, non autem porrigi catechumenis, cum de illis agens, lib. 2, *de peccat. meritis* cap. 26, inquit : « Quod accipiunt, quamvis non sit « corpus Christi, sanctum est tamen, et « sanctius, quam cibi, quibus alimur: quo- « niam sacramentum est. » Porro sic accipienda esse, quæ leguntur locis relatis, liquet ex eo, quod priores illi duo Pontifices prohibent, ne panes illi mittantur ad Presbyteros, nisi prius fuerint ab Episcopo consecrati : id vero minime intelligi valet de pane Eucharistico, quem ipsi presbyteri consecrabant. Et Innocentius præcepit panes illos mitti ad Ecclesias civitatum, non autem ad Ecclesias existentes extra civitates : quod adaptari nequit pani Eucharistico, qui erat apud omnes Ecclesias communis. Unde nihil ocurrit, ut admittamus Ecclesiam Latinam vel tempore Ebionitarum, vel alio usam fuisse pane fermentato pro conficiendo sacramentum Eucharistiæ. Neque Ebionitæ reprehensi sunt a Patribus, quod azymo in Eucharistia uterentur; sed quod in azymorum usu se legem Mosaicam observare profiterentur. Et hanc resolutionem nostram (quæ certe communis sententia est,) docent inter alios Cardi- [Nicol. de Cusa. Baron. Binius. Francis. Macedo Raynau. Cabas. Contens.] nalis Nicolaus de Cusa in epist. ad Bohemos anno 1452. Baronius anno 313, a num. 49. Severinus Binius in notis *ad decretum Melchiadis.* Franciscus Macedo « in disquisitione *de ritu azymi, et fermentati,* cap. 4 et 11. Theophilus Raynaudus *in Candelabro sancto* sect. 4, cap. 2, et *in opere Christus Deus homo* lib. 2, sect. 5, cap. 12, Cabassutius *in notitia Ecclesiastica*, sæculo 2, dissert. 12, Contenson dissert. 2, cap. 2, sub titulo *Convenientia panis azymi*, illatione 2 et alii.

Non latet nos ingeniosa, et singularis aliquorum Recentiorum interpretatio, qui [Aliorum explicatio.] putant vocem *fermenti* in decretis Pontificum supra allegatis, et in aliis antiquitatis monumentis repertam significare vere sacramentum, sive panem Eucharistiæ ; non quod hoc sacramentum in fermento, aut fermentato conficeretur apud Latinos, ut aliqui supra relati voluerunt: sed quia confectum in azymo, ut affirmamus, fermentum tamen mystica quadam ratione dici non immerito potuit. Ita Doctissimus An- [Anton. August. Mabill. Joseph. Maria. Ciamp. Angelus de Nuce.] tonius Augustin. in epist. ad *Latinum Latinium*, tom. 2. Mabillonius in speciali dissertatione *ad Cardinalem Bona*, cap. 10. Josephus Maria Thomasius in speciali etiam dissert. de hac eadem re, § *Tertio fermentum an consecratum fuerit.* Joannes Ciampinus in opere *de azymo, et fermentato* (edito anno 1688) cap. 7, et apud istum Angelus de Nuce. Cumque isti mysticas rationes, ut panis Eucharisticus, licet azymus, dictus fuerit fermentum varie exponant ; illa nobis verosimilior visa est, quam prædictus Angelus his fere verbis proponebat. Nomen *fermenti* Eucharistiæ inditum est ad eludendum curiosas Paganorum interrogationes. Cum enim missitatio fermenti frequens esset inter mulieres panificas, si Acolytus deferens Eucharistiam (ut sæpius opus erat) requisitus fuisset, quid gestaret, facile se expediebat eludendo importunam interrogationem, et dicendo se portare fermentum : quod creditu facile erat propter frequentem illius missitationem. Unde ea responsione vitabatur ulterior inquisitio infidelium, et occultabantur mysteria, ne ludibrio exponerentur. Et quo vulgarior erat fermenti vox, eo securior erat occultatio. Dicta itaque fuit Eucharistia priscis illis temporibus fermentum, non quod ex fermentato pane fieret, sed ob rationem jam assignatam, ad occultandum scilicet mysterium: accedente etiam aliqua similitudine inter azymum, in quo fiebat Eucharistia, et crudam fermenti massam. Hæc, et similia comminiscuntur Recentiores haud penitus contemnenda. Sed tamen longe verior, firmiorque est sententia, sive interpretatio, quam asseruimus.

19. Secundam autem nostræ assertionis [Præfertur usus conficiendi in azymo. Motiva ex D. Thoma.] partem jam ostendimus disp. 1, cap. 3, § 4, et eam optime probat D. Thomas in præs. art. 4, ubi hæc habet : « Consuetudo de « pane azymo celebrandi rationabilior « est. Primo quidem propter institutionem

« Christi, qui hoc sacramenium instituit « prima die azymorum, ut habetur Matth. « 26, et Marci 14, et Lucæ 22, qua die nihil fermatatum in domibus Judæorum « esse debebat, ut habetur Exodi 12. Secundo quia panis est proprie sacramentum « corporis Christi, quod sine corruptione « conceptum est, magis quam divinitatis « ipsius, ut infra patebit. » (Quod dixit, ut tacite occurreret significationi, quam Græci intendunt, et ex Gregorio retulerat illis verbis : « Græcæ Ecclesiæ offerunt fermen- « tatum pro eo, quod Verbum Patris indu- « tum est carne, sicut fermentum miscetur « farinæ. » Sed Doctor Sanctus merito affirmat Eucharistiam proprie magis esse sacramentum corporis Christi, quam divinitatis ipsius.) « Tertio quia hoc magis com- « petit sinceritati fidelium, quæ requiritur « ad usum hujus sacramenti, secundum il- « lud 1, ad Corinth. : 5. Itaque epulemur in « azymis sinceritatis, et veritatis. » Ex quibus motivis primum est principalius : nam si Christus consecravit in azymo, decet nos imitari primam Christi consecrationem in azymo consecrantes. Porro Christum consecrasse in azymo efficaciter ostenditur : nam Eucharistiam instituit die, sive luna decima quarta primi mensis, quæ erat prima dies azymorum, ut ex professo ostendimus disputatione 1, cap. 3, § 2; eo autem tempore, sive diebus non licebat Judæis uti pane fermentato, ut constat ex Scriptura *Exodi* 12.

Respon. Græcor. confutatur.

Nec valet commune effugium Græcorum dicentium Christum prævenisse Pascha comedendo agnum die, sive luna decima tertia : quo die licitum erat comedere panem fermentatum. Id, inquam, nihil valet: tum quia Græci nullum habent fundamentum ut asserant illam anticipationem ; sed oppressi hoc Latinorum argumento illam fingunt, ut ipsum eludant Et prædictam responsionem jam confutavimus loco citato num. 40, ubi lector plura reperiet, quæ aliqui hoc loco expendere solent. Tum etiam quia gratis permissa Græcis illa diei anticipatione, quam fingunt, minime nisi inconsequenter agendo vitari potest, quod Christus in cœna usus fuerit pane azymo, et in illo Eucharistiam instituerit. Sicut enim Christus præveniendo diem Paschæ, prævenit etiam immolationem agni, et esum illius, ita quod omnia hæc fecerit juxta ritum in lege Mosaica præscriptum : sic etiam credendum est, quod comederit agnum cum azymis, et lactucis agrestibus : ubi autem incipiebat usus azymorum, cessabat usus panis fermentati : ergo licet Christus anteverterit pro ea cœna unum diem naturalem, ut Græci volunt, adhuc fateri oportet, quod in ea cœna Eucharistiam instituerit. Sed pro his magis capessendis recolat lector locum citatum.

Judicium aliquorum de Græcorum consuetudine.

20. Huic autem secundæ nostræ assertionis parti adeo hæret Scotus in 4, dist. 11, q. 9, litt. C, in fine, ut dicat : Forte gravi- « ter peccant Græci, qui non se conformant « Ecclesiæ Petri. » Et movetur principaliter motivo immediate proposito, quod Christus Eucharistiam in azymo instituerit. Et idem dicunt Gabriel in can. *Missæ* lect. 34, litt. G, in fine, et Angles verbo *Eucharistia* 1, num. 6.

Improbatur.

Sed prædicta sententia non videtur his temporibus probabilis. Primo, quia Eugenius Quartus *in Concil. Florent.* permisit, quod Græci observarent suæ Ecclesiæ consuetudinem, ut constat ex loco relato n. 17; nullus autem graviter peccat in operando juxta Ecclesiæ permissionem. Et hujus permissionis motivum assignat Leo IX, in epist. supra cit. « Scit enim Romana Eccle- « sia, quia nihil obsunt saluti credentium « diversæ pro loco, et tempore consuetu- « dines, quando una fides per dilectionem « operans bona, quæ potest, uni Deo com- « mendat omnes. » Quod verissimum est supposito sacramenti valore, quem supra numero 17 asseruimus. Secundo, quia impossibile est quem peccare, præsertim graviter in agendo id, quod est conveniens rectæ rationi : sed quod unusquisque observet ritum, et consuetudinem suæ Ecclesiæ, est rectæ rationi consonum : ergo Græcus, qui juxta suæ Ecclesiæ ritum, et consuetudinem celebrat in azymo, non peccat mortaliter, nec peccat ullo modo. Quod motivum attigit D. Thomas in præs. art. 4, dicens : « Non est de necessitate sacramenti, quod « panis sit azymus, vel fermentatus : quia « in unoquoque confici potest. Conveniens « autem est, ut unusquisque servet ritum « suæ Ecclesiæ in sacramenti celebratione. « Super hoc autem sunt diversæ Ecclesiarum consuetudines. Dicit enim B. Gre- « gorius in Registro : Romana Ecclesia offert « azymos panes propterea, quod Dominus « sine ulla commixtione suscepit carnem : « sed Græcæ Ecclesiæ offerunt fermenta-

Leo IX.

D.

« tum pro eo quod Verbum Patris indu- « tum est carne, sicut fermentum misce- « tur farinæ. »

Corollarium observandum.

21. Quare colligendum est contra Scotum (et inde ejus sententia magis evertetur), tantum abesse, ut Græcus peccet mortaliter non se conformando consuetudini Ecclesiæ Romanæ in consecrando azymum; quod potius peccaret, et quidem mortaliter, si (saltem in propria Ecclesia) consecraret in azymo, et non in fermentato. Oppositum hujus consectarii insinuavit, præter Scotum Paludanus in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 4, concl. 6, et in illud inclinat Nugnus in præs. art. 4, concl. 5, significans tale peccatum non fore mortale: quia cum consuetudo Latinorum sit melior, non apparet materia gravis, quod Græcus sequatur, vel non suæ Ecclesiæ consuetudinem. Sed resolutio nostra (quam præter alios tuentur Cajetanus, Serra, et Prado), probatur efficaciter. Tum ex D. Thoma, qui post verba proxime relata, statim subjunxit : « Unde « sicut peccat Presbyter in Ecclesia Latino- « rum celebrans de pane fermentato : ita « peccaret Presbyter Græcus in Ecclesia « Græcorum celebrans de pane azymo, qua- « si pervertens Ecclesiæ suæ ritum. Et ta- « men consuetudo de pane azymo celebrandi « rationabilior est. » Ergo ex sententia S. Doctoris sicut Presbyter Latinus celebrans in Ecclesia Latina in pane fermentato peccaret mortaliter, ut omnes concedunt; sic etiam peccaret mortaliter Græcus, qui in sua Ecclesia consecraret in azymo. Tum etiam quia ex eo, quod Græcus in propria Ecclesia celebraret in azymo, oriretur grave in tali Ecclesia scandalum : atque ideo talis celebratio foret peccatum mortale. Tum præterea (per quod simul evertitur motivum a Nugno insinuatum), quia licet consuetudo Latinorum sit melior, ut supra ostendimus; nihilominus consuetudo Græcorum, etiam est honesta, et rationabilis, atque apud ipsos recepta tanquam graviter obligans: quod satis est, ut re ipsa graviter obliget, et ut ejus violatio sit grave peccatum. Sicut consuetudo, et lex de operibus vitæ activæ graviter obligat religiosos aliquorum Ordinum : quamvis absolute melius sit vacare operibus vitæ contemplativæ. Porro prædictam consuetudinem esse simpliciter honestam, et laudabilem liquet ex eo, quod est materia consilii, et admonitionis, ut evidenter constat ex verbis Leonis Noni in epist. cit. « Ecce, *inquit*, in hac parte Romana « Ecclesia quanto discretior et clementior « vobis est. Siquidem cum intra, et extra Ro- « mam plurima Græcorum reperiantur mo- « nasteria, sive Ecclesiæ, nullus eorum ad- « huc perturbatur, vel prohibetur a paterna « traditione, sive sua consuetudine ; quin « potius suadetur, et admonetur eam ob- « servare. » Tum denique (per quod omnis dubitatio quæ in hac materia olim occurrere potuit, nunc excluditur), quia Sanctissimus Pius Quintus *in sua Constitutione* 12, quæ extat tom. 2 *Bullarii*, et incipit *Providentia Romani Pontificis*, et edita est Romæ anno 1566, statuit : « Quibusvis Presbyte- « ris tam Græcis, quam Latinis in virtute « sanctæ obedientiæ, et sub indignationis « nostræ, ac perpetuæ suspensionis a divinis « pœnis districtius inhibentes, ne deinceps « Presbyteri Græci, præcipue uxorati, La- « tino more, et Latini græco ritu, hujus- « modi licentiarum, et facultatum, aut alio « quovis prætextu, Missas, et alia divina « officia celebrare, vel celebrari facere præ- « sumant. » Manifestum autem est præceptum Pontificis in virtute sanctæ obedientiæ, et sub pœnis gravibus obligare sub culpa mortali : manifestum etiam est præcipuum distinctivum inter Missas Græcorum, et Latinorum consistere in eo, quod celebrent in fermentato, vel in azymo : ergo Græcus celebrans Missam more Latinorum, et consecrans in azymo peccat mortaliter.

Scotus. Palud. Nugnus. D. Tho. Pius V.

Limitatio resolutionis.

22. Diximus, *saltem in propria Ecclesia*, ut in re certissima præscinderemus ab aliis, quæ magis obnoxia sunt controversiæ, ut si Græcus sit extra Ecclesiam suam, et degat apud Latinos, idque dupliciter, videlicet vel transeunter, et per modum hospitis, vel permanenter, atque eligendo domicilium : et rursus vel celebrando in Ecclesia observante ritum Latinum, vel in Ecclesia retinente morem Græcorum, ut contingit in aliquibus Monasteriis, quæ hi habent in Italia. Circa quod plures circumferuntur sententiæ vel negantes, vel concedentes, vel distinguentes, et limitantes, quas recenset Prado quæst. 74, dub. 7, num. 18.

Prado

Nos autem in universum censemus illicitum esse Græcis celebrare more Latinorum, et consecrare in azymo. Quod nobiscum tenent doctissimus N. Thomas a Jesu lib. 6, *de convers. gentium*, part. 2, cap. 8, et Angelus Maria Verricelli tit. 8, *de Apostolicis missionibus*, quæst. 138. Movemur

N. Thomas a Jesu. Verricelli.

primo, et præcipue decreto Pii Quinti proxime relato, in quo generaliter, et absque ulla distinctione existentiæ intra, vel extra Græciam, per modum transeuntis, aut permanentis, in propria, vel aliena Ecclesia, præcipit, nec Græci celebrent more Latinorum : ergo generaliter tenendum est id eis non licere. Secundo, quia ista lex prohibens Græcos celebrare more Latinorum est specialissima, et fundata in peculiaribus motivis pertinentibus ad utramque Ecclesiam, ut ex decretis Leonis Noni, Eugenii Quarti, et Pii Quinti, et ex doctrina supra tradita satis constat : unde minime regulari debet juxta doctrinam generalem de incolis, et peregrinis, ut recte observarunt Basilius Legionensis, Vazquez, Serra, et alii : quocirca nec hic accommodari valet vulgare illud, *Dum Romæ fueris*, etc. Ergo omnia, quæ aliqui Auctores in hac materia comminiscuntur juxta distinctiones proxime insinuatas, tanquam extranea, atque incompetentia refelli debent. Tertio, quia Pontifices relati præcipiunt, ut unusquisque celebret juxta ritum suæ Ecclesiæ, et non minus prohibet Græcum celebrare more Latinorum, quam Latinum more Græcorum : Latinus autem in prædictis casibus celebrare non valet more Græcorum : ergo nec Græcus more Latinorum. Probatur minor: nam anno 1644, quidam Missionarius e Constantinopoli scribens, rogavit sacram Cardinalium Congregationem, ut pro conversione Armenorum, quorum plurimos ad Catholicam Romanæ Ecclesiæ fidem reduxerat, permitteretur sibi in Ecclesiis Armenorum, et Græcorum ritu Armeno, seu Græco, jam a Sede Apostolica approbato, Missas celebrare : sed Sacra Congregatio non solum negavit hanc licentiam, verum etiam Missionarium acriter reprehendit ob intentata, ut testatur Verricelli loco citato. Quod satis declarat Latinum non posse in prædictis eventibus celebrare ritu Græco : et inde facile consequentia trahitur, nec Græcus in eisdem posse celebrare ritu Latino. Unde colligitur turpiter errasse illos, qui Archiepiscopum Trapez, Metropolitam Græcum, in Gallia exulantem coegerunt per multos annos in azymo celebrare, mussitante Roma, et reprobante, quod Parisiis ritus Ecclesiastici non servarentur, ut ex ipsis Gallis notant Gonet disputatione 3, art, 1, numero 15, et alius,

Nota.

Nota.

Gonet Bochard.

qui adhibuit notam marginalem Joanni a S. Thoma disputatione 26, art. 2, et Bochardus, licet alias Hæreticus, erudite propugnans utriusque Ecclesiæ ritum, in opere de animalibus Sacræ Scripturæ.

Quid faciendum in casu gravissimæ necessitatis.

23. Si autem inquiras, an saltem instante morte, vel ad supplendum sacrificium, qui remaneret imperfectum ob defectum panis, liceat Latino consecrare in fermentato, et Græco in azymo, ne scilicet moribundus discedat sine viatico, et sacrificium relinquatur imperfectum? Respondetur in primo casu non licere : quoniam obligatio sumendi, vel ministrandi Eucharistiam non instat, nisi ubi hæc commode exerceri possunt, id est, servatis servandis juxta ritum Ecclesiæ, et reverentiam tanto sacramento debitam : quare sicut in prædicto casu minime liceret celebrare sacerdotem non jejunum, aut sine vestibus sacris; sic etiam, et a fortiori non liceret Latinum consecrare in fermentato, aut Græcum in azymo. Et ita contra Majorem, et paucos alios sentiunt Victoria, Soto, Nugnus, Vazquez, Bonacina, et communiter Theologi, quos refert, et sequitur Prado quæst. 74, dubio 7, § 2, numero 26. In secundo autem casu non solum posset licite sacerdos, sed ad sic consecrandum teneretur ex suppositione, quod non daretur alius panis : quoniam præceptum integritatis sacrificii est divinum, cui cedere debet quodlibet præceptum humanum, et Ecclesiasticum circa conditionem materiæ, quod scilicet panis sit azymus, aut fermentatus. Et sic docent unanimiter Theologi, quin opus sit illos in particulari referre.

Prado.

Sententia Græcorum et hæreticorum.

24. Contra nostram, et communem assertionem, et præsertim contra secundam ejus partem senserunt jam olim aliqui Græci schismatici anno 860. Sed postea anno 1053 Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, et Leo Archiepiscopus Acridanus vehementer Ecclesiam Latinam impugnarunt, et accusarunt, quod in azymo Eucharistiam conficeret. Et plures Græcorum in eo adhuc errore sunt, ut novissime liquet ex Jeremia Patriarcha *in censura confessionis Lutheranæ* capitulo 10. His ex odio ad Ecclesiam Romanam accedunt Calvinistæ cum suo ministello relato numero 18, et Chamiero lib. 6, *de Eucharistia*, capitulo 16. Ubi nobis exprobrat, quod consecrando in azymis venerimus ad non

non

non panem, sed ad folia farinacea : in quo insigniter mentitur : quia verus panis est, qui conficitur ex farina tritici, aqua naturali subacta, et igne cocta, habeat hanc, vel illam figuram, ut supra ostendimus. Fundant autem Græci suum errorem. Primo, quod Christus, quem imitari debemus, consecraverit in pane fermentato. Secundo, quod uti azymis sit cæremonia Judaica. Tertio, quod antiqui Græciæ Patres consecraverint in fermentato. Sed ad hæc, et alia, quæ consulto omittimus, satis constat ex dictis disputatione 1, capit. 3, numero 58. Ubi eadem proposuimus, et diluimus. Quod vero Græci supponunt Christum consecrasse Eucharistiam in fermentato, et ut id tueantur, fingunt Paschæ anticipationem ; res absurdissima est, satis manifestans eorum invidiam, et pervicatiam contra Latinam Ecclesiam : oppositum enim satis evidenter constat ex dictis loco cit. et eodem cap. § 2, per totum. Unde nihil occurrit addendum.

Eorum motiva convulsa.

DUBIUM II.

Quæ sit materia Eucharistiæ quantum ad speciem sanguinis?

Succedit, ut dicamus de materia pertinente ad alteram Eucharistiæ speciem, quæ se habet ad instar potus, et continet per se Christi sanguinem : hæc enim etiam pertinet ad specificam hujus sacramenti rationem, ut diximus disputatione 2, dub. 3. Facile autem, ac breviter a principaliori dubii parte nos expediemus ; sed non pauca dubiola occurrent circa alias difficultates ejus appendices.

§ I.

Stabilitur assertio Catholica.

Conclusio.

25. Dicendum est materiam Eucharistiæ quantum ad speciem sanguinis esse omne, et solum verum vinum de vite. Quid autem sit verum vinum de vite, ipsa experientia liquet, ut alia diffinitione explicari non egeat. Conclusio hæc est de fide. Et probatur primo ex ipsa institutione Christi, qui primus speciem sanguinis in vino consecravit, ut constat Matthæi 26 : *Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem, non bibam amodo de hoc genimine vitis*, etc. Ubi manifestum est tum *Calicis* nomine juxta usum Scripturæ, tum evidentius adhuc vocabulo *geniminis vitis* vinum significari : vinum autem absolute dictum solum stat pro vino vero, sive de vite. Probatur secundo ex diffinitionibus Ecclesiæ sic declarantis, ac decernentis in Concilio Carthaginensi Tertio, capite 24, in Aurelianensi Quarto, capit. 4, in Altisiodorensi capit. 9, in Lateranensi sub Innocentio Tertio, et refertur in capite *Firmiter, de summa Trinit. et fide Catholica*, et in capit. *Sicut, eodem titulo.* In Florentino *in decreto fidei*, ac denique in Tridentino sessione 13, articulo 2. Et idem decernitur in capite *Sacramentum*, cap. *Sic in sanctificando*, cap. *Non oportet*, et aliis de consecratione distinctione 2. Probatur tertio ex perpetuo usu, et communi traditione Ecclesiæ Catholicæ, de quibus constat per doctrinam Patrum, quos supervacaneum esset referre. Videantur tamen Divus Cyprianus libro secundo Epistolarum, Epist. 3, Divus Epiphanius hæresi 30, Divus Augustinus lib. *de hæresibus*, capit. 10, et Divus Chrystostomus, homil. 83, *in Matth.* ad illa verba : *Non bibam amodo.* Ratio autem a priori hujus veritatis assignari non potest, sed sistendum est in voluntate Dei istud sacramentum instituentis : de qua certo nobis constat per media jam assignata. Ratio autem congruentiæ optima fuit, quod hoc sacramentum est spirituale convivium constans cibo, et potu : communior autem cibus, et potus pro conviviis est panis et vinum : ergo sicut oportet Eucharistiam quantum ad speciem cibi, sive corporis institui in pane ; sic etiam decuit quantum ad speciem potus, sive sanguinis institui in vino. Præsertim cum vinum simul sit nutrimentum, et medicamentum, habeatque vim confortandi, et lætificandi cor, ut expendit Clemens Alexandrinus 2 *Pedag.* cap. secundo. Unde aptissime electum est ad causandum hujus sacramenti effectum, qui est spiritualis lætitia, ut recte ponderat D. Thom. in præsenti art. 5, in tertio motivo.

Matth. 26. Concil. Carthaginense. 3 Aurelian. Altisiod. Lateran. Florent. Trident. D. Cyp. D. Epip. D. Aug. D. Chrys. Ratio. Clemens Alex. D. Tho

26. Hic autem impediri non debemus impertinenti plane quæstione ab aliquibus proposita circa distinctionem specificam inter vina : sive enim unum, sive alterum

Incidens dubium.

eligatur, nihil præjudicat veræ, et Catholicæ assertioni. Et plane probabile est vina, licet in pluribus accidentibus differant, et præsertim in colore, nihilominus non distingui specie essentiali, ut a simili in ipsis hominibus constat, et recte tradunt Soto in quartum distinct. 9, quæstione 1, articulo 5. Suarez disputatione 45, sectione 1, in principio, et alii. Si autem vina de vite non differunt specie ; manifestum est quodlibet de vite vinum esse posse materiam Eucharistiæ. Probabile etiam est vina specie differre, ut indicavit Aristoteles 4 *Meteor.* cap. 11, et tuentur Nugnus in præsenti articulo quinto notab. 1, et Aversa quæstione secunda sectione quinta. Sed tamen hæc diversitas physica, licet admittatur, nihil refert in materia Theologica, quam versamus : quoniam omnia vina de vite participant veri, et usualis vini rationem ; atque ideo sunt materia apta consecrationis : sicut idem etiam dicitur de pane triticeo, quamvis admittatur dari grana tritici specie physica differentia, ut supra num. 7, insinuavimus.

Soto. Suarez. Aristot. Nugnus. Aversa.

Aliud dubiolum. Alexand.

Melius dubitari posset, an magis congruat consecrare in vino rubro, quam in albo? Et Alexander 4 part. quæst. 10, memb. 4, articulo primo ita censet : quoniam species vini rubri congruentiores sunt ad repræsentandum sanguinem Christi, quam species vini albi; cum et ipsum vinum rubrum soleat in Scripturis sanguis uvæ appellari Deuteron. 32, et 1 Machab. cap. 6. Sed tamen attentis omnibus, dicendum est aptius consecrari in vino albo : quia licet in rubro magis splendeat ea repræsentatio ; nihilominus puritas, et mundities tanto Sacramento debita, et ad quam maxime attendere oportet, multo melius salvatur in consecratione vini albi, quam rubri, ut ipsa experientia liquet : solent enim calix, et purificatorium vino rubro sic maculari, quod nauseam, et horrorem incutiant. Et ita censuit Vazquez disp. 175, cap. 1, num. 5. Et Ecclesiæ, quæ magis invigilant circa puritatem pertinentium ad altaris sacrificium, non vino rubro utuntur sed albo.

Vazq.

Hæresis assertioni opposita. D. Epip.

27. Contrariam nostræ assertioni hæresim docuerunt Ebionitæ, de quibus S. Epiphanius loco cit. inquit : « Mysteria autem faciunt ad imitationem Sanctorum « in Ecclesia ab anno in annum, per azymos, hoc est non fermentatos panes : et « alteram mysterii partem per aquam solam. » Et idem dicit de Taciana hæresi 46. D. Augustinus hunc etiam errorem tribuit aliis hæreticis, quos vocat Aquarios. Sed distincti non videntur ab his, quos Epiphanius recensuerat. Præterea Centuriatores cent. 3, cap. 6, et 7, affirmant hunc errorem excogitatum, et propugnatum fuisse ab Episcopis Romanis, idque confirmant testimonio D. Cypriani in epist. *ad Cornelium*. Sed mentiuntur, ut solent : quia Cyprianus non meminit Romanorum, aut Latinorum ; sed præcise admonet quosdam tunc fuisse Episcopos, qui ignorantia potius, quam pertinacia hunc sustinebant errorem : contra quos in ea epistola disputat. Nec alios reperimus ex antiquis, aut modernis hæreticis, qui tali hæresi subscripserint. Ea vero est satis stulta, utpote quæ nullum vel apparens habet motivum ab Scriptura, aut ex ratione. Quod enim usus solius aquæ in calice magis vitet intemperantiam, vel quod vinum non reperiatur in omnibus regionibus : ridiculum est, et levi manu dispellitur. Primum quidem : nam cum sumptio Eucharistiæ non sit ad compotationem, sed ad mysterium ; exiguum illi sufficit vinum, in quo nullum sit intemperantiæ periculum. Secundum etiam : nam ut inquit D. Thomas in præs. art. 5, ad 1, « potest « verum ad illas terras deferri, in quibus « vites non crescunt, quantum sufficit ad « hoc sacramentum, » ut ipsa experientia liquet ; deferuntur enim vina ab ultima Hispania in dissitissimos Indos occiduos, et orientales, et non solum pro sacramento, sed pro communi satis usu, et medicina. Nihil vero aliud occurrit, quod possit prædictis hæreticis favere, aut aliam controversiam mereatur.

D. Aug. Mendacium Centuriatorum. D. Tho.

Quare attentio revocari debet ad alia, quæ, supposita nostræ assertionis veritate, queunt aliqualiter in dubium trahi, disquirendo an habeant rationem materiæ consecrabilis pro specie sanguinis. Cum autem plurima sint, de re duximus illa in diversas classes reducere, ut ordo ipse claritatem conciliet, proponendo scilicet, quæ certe, aut fere certe sunt materia inepta ; et deinde, quæ certe, aut fere certe sunt materia apta ; et denique quæ communiter reputantur materia dubia.

Difficultates tractandæ.

§ II.

§ II.

Quæ sint inepta pro consecratione sanguinis?

Vinum non ex uvis. 28. In primis plures liquores, qui communiter dicuntur vinum, non tamen fiunt ex uvis, sed aliis fructibus, ut ex pomis, malogranatis, moris etc. aut etiam ex radicibus, non sunt materia hujus sacramenti. Tum quia non sunt vinum ex vite, quod tamen requiritur : tum quia non sunt simpliciter vinum, sed similitudinarie, et secundum quid. Unde in can. 3 *Apostolorum* prohibetur, ne in calice *sicera*, id est, vinum ex pomis offeratur : et similiter neque de *cervisia* vino scilicet, quod fit ex hordeo. Et D. Thomas in præs. artic. 5, observat optime, quod « ad materiam sacramentorum assumitur, quod proprie, « et communiter habet talem speciem. « Proprie autem vinum dicitur, quod de « vite sumitur: alii vero liquores vinum « dicuntur secundum quandam similitudi- « nem ad vinum vitis. » Et cum sibi objecisset, quod sicut baptismus potest fieri in qualibet aqua, sic etiam Eucharistia in quolibet vino, sive sit pomorum, sive mororum etc. respondit : « Ad primum di- « cendum, quod illi liquores non dicuntur « proprie vinum, sed secundum quandam « similitudinem. » Et idem contingit in materia baptismi : solum enim assumi valet aqua naturalis, non autem aqua artificialis ex herbis, floribus, aut humoribus: quia non est talis proprie, sed secundum quid, et specie tenus. Quod magis firmat communem hanc resolutionem. Juxta quam generaliter statuendum est, quod quidquid non derivatur ex vite, nequit esse materia Eucharistiæ quantum ad speciem sanguinis : unde opus non habemus ad alia divertere. Sed tamen plura adhuc ex vite occurrunt de quibus agere oportet.

Can. 8 Apostol. — D. Tho.

Agresta. 29. Deinde certum est agrestam non esse materiam consecrationis. Sic communiter tradunt Doctores cum D. Thoma in præs. artic. 5 ad 3, ubi ait : Dicendum, quod « agresta est in via generationis : et ideo « nondum habet speciem vini : et propter « hoc de ea non potest confici hoc sacra- « mentum. » Et in 4, dist. 11, quæst. 2, art. 3, quæstiunc. 3, inquit : « Nihil recipit speciem nisi in termino generatio- « nis : agresta autem adhuc est in via ge- « nerationis ad vinum, sicut sanguis, « quando coagulari incipit, in via genera- « tionis ad animal : unde sicut ille sanguis « non est animal, ita, agresta non est vi- « num. Et propter hoc de ipsa non potest « confici sanguis Christi. » Et conformiter ad hanc doctrinam in rubricis Missalis Romani dicitur consecrationem debere iterari, si quis agrestam ad calicis consecrationem adhibeat.

D. Tho.

30. Præterea certum est acetum proprie dictum non esse materiam consecrationis. Oppositum docuit Alexander Alensis sentiens vinum, et acetum solum accidentaliter distingui. Quod confirmari posset auctoritate tum D. Isidori lib. 8 *Ethimolog.* cap. 3, ubi inter species vini recenset acetum : tum Innocentii Tertii libro 4, cap. 31, asserentis vinum acidum, quod appellatur acetum, esse materiam consecrationis. Sed nostra resolutio est communis inter Doctores, ex quibus Suarez disputatione 45, sectione 1, conclus. 4, docet sententiam Alensis intellectam de aceto proprie dicto esse omnino falsam, et improbabilem. Ratio est : quia acetum proprie dictum non est vinum, ut optime tradit D. Thomas in præsenti articulo 5, ad 2, his verbis : « Dicendum, quod vinum fit ace- « tum per corruptionem : unde non fit re- « ditus de aceto in vinum, ut dicitur 8 « Metaph. text. 14. Et ideo sicut de pane « totaliter corrupto non potest confici hoc « sacramentum : ita de aceto. » Itaque acetum non est vinum, sed vini cadaver, ut liquet a posteriori ex eorum proprietatibus: nam cum vinum calidum sit, acetum tamen est *frigorificum*, ut loquitur Gellius libro 17, capitulo 3. Accedit vinum esse potum usualem, et satis communem : acetum vero non est potus, nec istum usum habet: unde Judæi malignitatem suam ostenderunt offerendo Christo acetum, ut expendit Divus Augustinus tractatu 119, *in Joan.* Testimonia autem Divi Isidori, et Innocentii nihil probant : quia non loquuntur de aceto proprie dicto, sed de vino acescenti, quod tendit in corruptionem : de quo est alia ratio, ut infra num. 34, videbimus.

Acetum. — Alensis. — D. Isid. — Innoc. 3. — Suarez. — D. Tho. — Gellius. — D. Aug.

31. Ulterius certum est aquam vitæ (Hispane *agua ardiente*) non esse materiam consecrationis. Sic docent communiter Doctores, quos refert, et sequitur Bonacina disputatione 4, quæstione 2, puncto 2, Aqua vitæ.

Bonacin. num. 3. Et facile ostenditur: tum quia ut liquet ex communi praxi, non censetur potus usualis, sed magis sumitur per modum medicinæ, vel ad alios effectus. Tum quia licet procedat ex vino, fit tamen vehementissima calefactione, et per fistullam ex vaporibus distillatur corrupto, et consumpto vino: eo plane modo, quo per alia artificia acetum solet ex vino fieri: quare prædictus liquor non est vinum, sed aliud quid: unde non appellatur vinum, sed aqua vitæ, vel aqua ardens.

Sapa. Eadem ratione certum est sapam (Hispane arrope) non esse materiam consecrationis, ut cum communi sententia docet Leand. Leander disputatione 8, quæstione 27. Et probatur eisdem fere motivis: tum quia non est potus usualis: neque enim homines illo utuntur tanquam potu, sed per modum esculenti. Tum quia forti ignis decoctione, et longa contractione vini essentiam amittit, ut contingit in aqua ardenti, et magis adhuc sensibiliter in sapa recognoscimus. Aristot. Quibus addendum est Aristotelem 4 *Meteor.* cap. 9, et 10, expresse negare, quod sapa sit simpliciter vinum. Prado. Videantur plures alii apud Prado quæstione 74, dub. 8, num. 33.

Liquor existens intra uvas. 32. Item certum omnino censemus liquorem existentem intra uvas, quandiu ibi manet, non esse materiam consecratio-Richard. nis. Oppositum solet tribui Richardo in 4, distinctione 11, articulo secundo, quæstione 5, ad 3. Sed ibi solum significat id esse probabile: fatetur tamen nostram resolutionem esse probabiliorem. Quæ modo communis Doctorum sententia est, ut cum Cajetano, Soto, Suarez, Vazquez docet Communis sententia. Prado loco proxime citato numero 16. Idem etiam tuentur tanquam rem certissimam Victoria, Sylvester, de Ledesma, Tabiena, Noster Cornejo, Angles, Bonacina, Hurtado, et alii quos referunt, et sequuntur Noster Franciscus capitulo 4, puncto 2, numero 39, et Leander disputatione 8, quæstione 30. Fundamentum majus solidum, et magis commune (omissis nunc aliis moRatio. tivis, quæ videri possunt apud Prado loco citato), est: nam cum Eucharistia quantum ad speciem sanguinis sit instituta per modum potus; materia consecrabilis pro Eucharistia quantum ad illam speciem debet esse potus, et habere modum, et statum potus: sed liquor, vel humor vini, quandiu existit intra uvas non habet modum, et statum potus; sed multo magis habet modum, et statum cibi: unde non dicitur bibi, sed manducari: ergo prædictus humor, sive liquor, quandiu manet, et continetur intra folliculos uvarum non est materia apta consecrationi Eucharistiæ quantum ad speciem sanguinis. Nec momenti est, quod Lugo, (cui etsi amplectenti commu- Lugonis objectio. nem nostram sententiam, communis hæc ratio non arridet), opponit contra illam disputatione 4, sectione 1; nam si fingamus guttam musti uva expressi consecrari, et postea mittatur intra granum, et uva claudatur sicut prius; profecto non amittet consecrationem, licet ibi sit per modum cibi: ergo pariter licet ibi existens habeat modum cibi, non propterea erit inidonea, ut consecretur: quod enim retinet sanguinem Christi, materia est ab initio consecrabilis. Id, inquam, nihil valet, sed dis- Enervatur. pellitur admittendo antecedens, et negando consequentiam: quia in communi omnium sententia plures conditiones requiruntur, ut materia a principio consecretur, quam ut semel consecrata retineat consecrationem: sic enim panis in stomacho existens nequit consecrari; et tamen semel consecratus, et in stomachum missus retinet consecrationem, et præsentiam physicam Christi, donec species corrumpantur activitate caloris naturalis: panis etiam sub terra occultus consecrari non valet; et nihilominus si consecretur, licet sub terra mittatur, servat consecrationem, quandiu species non corrumpuntur. Sic ergo gutta ex uva expressa consecrari potest, et semel consecrata servat consecrationem, illamque servaret, quamvis intra eandem uvam mitteretur, et concluderetur; quia sacramentum semel factum non desinit esse, nisi corrumpantur species. Sed inde non fit liquorem intra uvam existentem posse consecrari: quia sic existens non habet modum, et statum potus: quod tamen pro consecranda specie sanguinis requirebatur. Quæ disparitas magis confirmabitur ex immediate dicendis.

Vinum inclusum in pane. 33. Denique certum putamus vinum inclusum in offa panis, sive quo panis madefit (quamvis vere retineat vini speciem, et a pane expressus posset consecrari), tamen quandiu ibi existit, non esse materiam consecrabilem. Oppositum docuit Raynau- Raynau. dus *in suo candelabro* sect. 2, cap. 2. Sed resolutio nostra est communis, eamque in propriis

propriis terminis docent Molanus, Lugo, Amicus, Leander, Aversa, et Diana, quos refert, et sequitur Prado quæstione 74, dubio 8, numero 25. Noster Cornejo in hac quæstione articulo 5, Noster Franciscus loco citato numero 31, Gonet disputatione 3, articulo 2, numero 26, et alii. Ratio est: quoniam vinum in offa inclusum non habet modum, et statum potus: nec proprie bibitur, sed simul cum pane comeditur: materia autem pro consecratione sanguinis debet esse potus, et habere potus statum: ergo tale vinum non est materia consecrabilis. E contra vero contingeret, si vinum jam consecratum in pane imbiberetur: quia semel consecratum non amittit consecrationem, quandiu conservantur species, et istæ per solam panis madefactionem non corrumpuntur, ut experientia liquet. Et si contra hanc resolutionem opponatur exemplum vini congelati; ad illud constabit ex dicendis num. 39. Hic vero posset assignari haud contemnenda differentiæ ratio, quod vinum congelatum servat simpliciter rationem potus: nec enim transmittitur ad stomachum masticatione; sed facta liquefactione calore oris ad stomachum descendit per modum potus. Vinum autem in pane imbibitum id non habet: sed vere cum pane comeditur, et transmittitur per modum cibi. Ex his autem, quæ diximus esse materiam ineptam pro consecratione calicis, facile quis colliget resolutionem pro similibus casibus, quin opus sit ad eos magis in particulari descendere.

Sententia communis.

Occurritur objectioni.

§ III.

Quæ sint apta ad consecrandum speciem sanguinis.

34. Nunc consequenter ad prænotata dicendum est de aliis, quæ cum aliquali ratione possent videri materia non apta, nihilominus tanquam certo apta communiter recipiuntur. Et in primis hujusmodi censemus esse vinum acidum, quod est in via ad esse acetum, sed tamen adhuc acetum non est. Ita D. Thom. in præs. art. 5, ad 2, ubi postquam statuit hoc sacramentum non posse confici de aceto, statim subjunxit: « Potest tamen confici de vino « acescenti, sicut et de pane, qui est in via « ad corruptionem. » Et idem docent Ledesma, Granados, Coninckus, et Palaus, quos refert, et sequitur N. Franciscus cap. 4, punct. 2, num. 26, Alensis, Suarez, Fagundez, et Hurtado, quos refert, et sequitur Leander disp. 8, quæst, 35, dicens esse sententiam communem. Ratio autem est satis manifesta: quoniam vinum acescens quod non pervenit ad rationem aceti, adhuc retinet speciem veri vini de vite: ergo est materia simpliciter consecrabilis. Observat autem D. Thomas statim post verba relata peccare eum, qui consecrat in vino acido: quia fit aliqua irreverentia sacramento ob minorem materiæ decentiam. Cujus peccati magnitudo regulanda est penes minorem, aut majorem vini corruptionem: potest namque esse ita acidum, ut merito dubitetur, an amiserit vini qualitates: in quo casu manifestum est, quod illud consecrare est peccatum mortale, ut docent Ledesma cap. 4, Bonacina disp. 4, quæst. 2, punct. 2, et alii communiter. Potest etiam illa corruptio esse adeo parva, ut cum vinum incipit habere saporem acidum, quod illud consecrare sit præcise culpa venialis, aut etiam nulla.

Vinum acidum. D. Tho. Sententia communis. An sit peccatum consecrare in vino acido? Ledesm. Bonacin.

35. Secundo certum est mustum, id est, liquorem ex uvis maturis, expressum, sed adhuc non defœcatum, et purificatum esse materiam sufficientem pro consecratione calicis. Ita D. Thomas in præs. art. 5, Victoria, Soto, Ledesma, Tabiena, N. Cornejo, Suarez, Coninckus, Lugo, Vivaldus, Moure, Saa, Enriquez, Valencia, Hurtado, Bonacina, Fagundez, Toletus, Layman, Machado, Gavantus, et alii, quos refert, et sequitur Leander disp. 8, quæst. 32, N. Franciscus loco cit. num. 38, Prado quæst. 74, dub. 8, num. 26, Joannes a S. Thoma disp. 27, art. 2, § Secunda vero pars, et alii communiter. Probatur ratione satis manifesta: quia mustum est vere, substantialiter, et specifice vinum de vite, quamvis minus purum, et decoctum: ergo est materia absolute sufficiens, et consecrabilis. Et confirmatur tum ex usu Scripturæ, apud quam mustum solet vocari vinum, et e converso, ut Act. 2: *Musto pleni sunt isti*. Isaiæ 49: *Quasi musto sanguine suo inebriabuntur*. Tum ex Julio Papa in cap. *Cum omne crimen, de consecrat.* dist. 2, ubi ait: « Si necesse sit, botrus in calice comprimatur, et aqua misceatur. » Ubi supponit liquorum ex botro expressum esse absolute materiam sufficientem pro consecra-

Mustum. Communis sententia. Motiva. Act. 2. Isaiæ 49. Julius Papa. Concil. Brachar.

tione calicis. Et idem statuerat Concilium Brachar. 3, cap. 1.

Peccat consecrans mustum. Sed licet mustum sit materia absolute sufficiens; nihilominus per se loquendo, sive non occurrente gravi necessitate, non est materia decens: et subinde qui absque tali necessitate consecrat in musto, nequit non aliquod peccatum committere, nempe ob materiæ indecentiam, et impuritatem: habet enim mustum plures partes grossas, quæ vere vinum non sunt. Et ita D. Thomas (D. Tho.) loco cit. utramque resolutionis partem amplectens inquit: « Mustum autem jam « habet speciem vini: nam ejus dulcedo « attestatur digestioni, quæ est complectio « a naturali colore, ut dicitur in 4 Meteor. « Et ideo de musto potest confici hoc sa« cramentum. Non tamen debent uvæ in« tegræ huic sacramento misceri: quia « jam ibi esset aliquid præter vinum. Pro« hibetur etiam ne mustum statim expres« sum de uva in calice offeratur: quia est « indecens propter impuritatem musti. « Potest tamen in necessitate fieri, etc. »

Quale peccatum? Martinus a S. Joseph. Et quamvis Martinus a S. Joseph, *de Eucharistia*, tract. 2, num. 13, dicat quod consecrare in musto solum est peccatum veniale; quia consuetudo ita introduxit: minime tamen audiendus est. Communis namque sententia censet id esse peccatum mortale, ut tradunt plurimi, quos referunt et sequuntur Leander loc. cit. quæst. 33, Diana part. 10, tract. 11, resolut. 37, Vericelli *de missionibus* tit. 8, quæst. 139, Suarez disput. 45, sect. 1, coroll. 3, Prado quæst. 74, dub, 8, num. 27. (Leand. Diana. Verrice. Suarez. Prado.) Et probatur primo destruendo oppositum fundamentum: quia consecrare in musto est contra universalem ritum Ecclesiæ in re gravissima: ergo nulla potest allegari consuetudo rationabilis, quæ oppositum introduxerit, illudque purget a culpa gravi. Secundo, quia cum impuritas musti magna sit, consecratio in musto nequit non esse gravis indecentia contra reverentiam debitam sacramento: ergo est etiam grave peccatum. Tertio, quia Concilia prohibent hujusmodi ex musto consecrationem. Unde in Concilio Calcedonensi act. 10, reprehenduntur, qui in sacrificio adhibebant « vinum infectum, « atque lutosum, et tempore, quo fuerat « vindemiatum: » quæ propriissime referuntur ad mustum. (Concil. Calced.) Et similia traduntur in Concilio Bracharensi proxime relato. Et Julius Papa cap. jam citato inquit: « Quod « de expresso botro, id est, de uvarum « granis, populus communicatur, valde « est omnino confusum. » Quæ omnia satis evincunt consecrare in musto esse grave peccatum, nisi occurrat necessitas, et excuset.

Quæ necessitas excuset? Si autem inquiratur, quanta debeat esse hujusmodi necessitas? Respondent Diana, et Verricelli locis relatis, quod si populus vel per longum tempus, vel in die festo privandus esset Missa, nisi consecraretur in musto, quia non reperitur aliud vinum; esset necessitas sufficiens, ne talis consecratio foret peccatum. Quam opinionem cum retulisset Prado loco citato, num. 28, (Prado.) non impugnavit. Et nobis ut probabilis arridet: eo vel maxime, quod Julius papa relatus permittit, si necesse sit, consecrare in musto: quod revocandum non est ad quandam necessitatem metaphysicam, et extraordinariam; sed ad eam quæ per se loquendo contingit ex defectu melioris vini, sive purgati, et alias populus maneret sine sacrificio. Addit Joann. a S. Thoma loco citato sufficientem etiam necessitatem esse (Joann. a S. Thoma.) pro communicando infirmo. Sed id nobis non ita probabile videtur: quia non datur præceptum suscipiendi viaticum, nisi ubi commode fieri potest, servata reverentia debita sacramento: quare non censemus posse Sacerdotem in prædicto casu consecrare in musto, sicut nec potest consecrare in pane fermentato, ut diximus num. 23. Nec comparari debet necessitas, et major consolatio unius particularis personæ cum necessitate totius multitudinis.

Dubium circa consuetudinem consecrandi in musto. Et si rursus inquiras, an sit honesta, et licite servari possit consuetudo Ecclesiæ Majoris Bracharensis, juxta quam sacerdos in die Transfigurationis botra matura exprimit in calice, et mustum consecrat in gratiarum actionem pro anni ubertate, et fructibus? Respondetur Suarium loco citato, coroll. 3, in fine, dubitare de tali (Suarez.) consuetudine: et addere, quod forte, si quid simile fit, est solum per modum cœremoniæ, quatenus sacerdos in calice habente perfectum vinum exprimit aliquas uvas: quod est minus indecens, licet vitari deberet. Et similia tradunt Vasquez, Diana, et alii. Resolutio. Sed tamen videtur dubitari non posse, quod detur talis consuetudo: nam de illius continuatione testantur Moure in *Medulla casuum* part. 3, cap. 4, § 3, num. 6, Fagundez in 3 præceptum, cap. 3,

Moure. Fagund. Tanner. cap. 3, num. 5, Tannerus tom. 4, disp. 5, quæst. 2, dub. 5, et alii. Et hoc supposito (aut saltem permisso), procedit difficultas, quam Suarez magis declinasse videtur, quam resolvisse. Respondemus igitur, attentis omnibus circumstantiis unius tantum Ecclesiæ, et pro uno præcise die, et sacrificio, talem consuetudinem posse laudabiliter sustineri. Quod etiam vel tuentur, vel supponunt Petrus de Ledesma cap. 4, concl. 10, dub. 2, Henriquez lib. 8, cap. 12, § 1, in fine. Prado loco cit. num. 31, Leander disp. 8, quæst. 32, et 33, et alii. Movemur : quia occurrente gravi necessitate licitum est consecrare in musto, ut constat ex supradictis : ergo id etiam licebit stante magna aliqua causa antiquissimæ institutionis, et devotionis publicæ populorum, in qua talis consuetudo fundatur : præsertim cum talis consuetudo derivata fuerit per Antistites Sanctos, et Doctos : atque hactenus a Summis Pontificibus improbata non fuerit. His namque præsuppositis, adest quædam, et non levis necessitas conservandi talem consuetudinem, et subinde consecrandi mustum in prædicta solemnitate : sicut videtur adesse necessitas non reluctandi, et contradicendi populo, qui ægre ferret illum usum aboleri contra antiquissimam, et piam, quam habet, institutionem. Credendum tamen est id cum magna decentia fieri, et interposito velo inter uvas, et calicem, ne fæces simul cum liquore descendant.

Ledesm. Henriq. Prado.

Liquor ex uvis passis. 36. Tertio certum putamus liquorem ex uvis passis, et aqua madefactis expressum esse materiam sufficientem pro consecratione calicis. Negavit id Opatovius *de Eucharist.* 2, quæst. 3, nu. 30, resolvens Æthiopes graviter peccare, quod ex uvis passis eliciunt liquorem ad consecrationem, et celebrationem Missarum. Sed fallitur ille vehementer, dum sic generaliter statuit. Unde cum communi sententia asserendum est oppositum : quoniam verum vinum ex vite est materia certa consecrationis : sed ex uvis passis, si aqua superinfundantur et lentescant, et deinde exprimantur, procedit liquor, qui est non solum verum vinum ex vite, sed etiam vinum satis generosum, ut liquet experientia quantum ad omnes effectus vini, sive in ratione medicinæ : ergo liquor ex uvis passis, et aqua madefactis expressus est materia sufficiens, et certa pro consecratione calicis. Unde minime improbandi, aut reprehendendi sunt Catholici Abyssini, et Æthiopes, qui in defectu alterius vini communiori modo facti, utuntur prædicto liquore, quod etiam est verum vinum, et apud eos usuale, licet modo non ita communi fiat. Et ita præter Dianam, Franciscum de Lugo, Amicum, Verricelli, Fagundez, Bernal, et Gamachæum, quos refert et sequitur Prado quæst. 74, dub. 8, num. 3, docent N. Thomas a Jesu lib. 7, *de convers. gentium*, cap. 7, titulo *de Eucharist.* in fine, et N. Gabriel disp. 5, *de Eucharistia*, quæst. 3, in fine. Et ita melius salvatur (et alias non bene salvaretur) quod tradit D. Thom. in præs. art. 5, nam cum sibi opposuisset in quibusdam terris vites non crescere, ex quibus vinum fiat, respondit D. Thomas in resolut. ad 1: « Potest autem « verum vinum ad terras illas deferri, in « quibus vites non crescunt, quantum suf- « ficit ad hoc sacramentum. » Reperiuntur namque terræ, in quibus non solum vites non crescunt, sed vinum etiam asportatum statim acescit, aut evanescit, ut ex eo fieri consecratio non possit. Cui incommodo non melius occurritur, quam deferendo uvas passas, quæ diutius conservantur, et præmisso proposito jam beneficio deserviunt suo tempore ad reddendum liquorem pro sacrificio. Unde verificatur posse vinum ad omnes terras, in quibus non nascitur, deferri : si non in propria liquoris forma, saltem in substantia uvarum passarum, ex quibus liquor deinde fiat. Observant autem communiter omnes Auctores supra relati uvas passas, ex quibus trahitur ille liquor, debere esse non nimis passas, et aridas, nam si tales sint, censentur jam corruptæ, et quasi cadavericæ : unde liquor ab eis expressus non erit ex veris uvis, et subinde nec verum vinum. Quæ nobis videntur dici cum magna probabilitate, et consequentia. Porro ex dictis facile colliget Lector, quid dicendum sit circa similia, quæ communiter materia certa consecrationis reputantur.

Opatovius. Communis sententia. Prado. N. Tho. a Jesu. N. Gab. D. Tho. Nota.

§ IV.

Quæ sint materia dubia pro sanguinis consecratione?

Mulsum. 37. Pervenimus tandem ad ultimum, quod supra promisimus, ea videlicet, quæ

nec certo sunt materia inepta, nec certo materia apta : quare reputari debent materia dubia. Et primo loco occurrit vinum artificiose coctum, et melle, aut saccharo, et aromatibus conditum, quod generico vocabulo potest appellari mustum: et si fiat ex vino albo, dicitur Hispane *clarea;* si autem ex vino rubro, vocatur Hispane *hipocras*. De hoc itaque vino quidam affirmant esse materiam consecrationis : quia parum decoquitur,et est simpliciter vinum; licet ob magnitudinem pretii non sit ita usuale. Sic sentiunt Tannerus disp. 5, quæst. 2, dub, 5, Bernal disp. 26, sect. 2, Prado quæst. 74, dub. 8, num. 39. Quidam autem negant esse consecrationis materiam: quia propter mixtionem aromatum, et artificiosam decoctionem amittit statum vini : quare vinum usuale communiter non reputatur. Et ita docent Henriquez lib. 8, cap. 12, num 13, Caspensis disp. 2, sect. 3, num. 13, Wigers in præq. art. 5, nu. 41, et Leander alios referens, licet minus recte *arrope* cum *clarea* confundat disp. 8, quæst. 27.

Aliquorum opinio.

Opinio contraria.

Nostra sententia.

Nos censemus prædictum liquorem isto, aut alio nomine appelletur, esse simpliciter materiam dubiam pro consecratione. Et fundamentum desumitur ex opinionibus proxime relatis, quæ profecto probabiles sunt, et neutra certitudinem circa aptitudinem, vel ineptitudinem prædictæ materiæ inducit : quare consequens fit prædictam materiam in communi propositam esse dubiam. Posset autem congruentius judicium de illa fieri, si magis in particulari proponeretur. Nam si supponatur potum illum confici cum mixtione mellis, aut sacchari, et aromatum in magna quantitate, et cum forti decoctione ; pro certo reputamus talem materiam esse ineptam pro consecratione : quia resolvitur species vini, et fit aliud tertium specie distinctum. Si autem conficiatur potus ille ex magna quantitate vini generosi cum exigua mixtione illorum ingredientium, et cum levi decoctione : quasi certum censemus esse materiam simpliciter sufficientem ad consecrationem : quia adhuc perseverat substantialiter, et specifice vinum, licet in quibusdam accidentibus immutatum. Quando autem primum, aut secundum contingat, prudentum judicio relinquendum est, et potest etiam sensuum experientia recognosci. Et ita sentiunt Ledesma loco cit. concl. 14, et N. Franciscus ubi supra, num. 28. Et eadem doctrina applicanda est similibus potibus v. g. vino, cui admiscetur malum citreum, Hispane *limonada*. Hic enim potus diversimode fit : aliquando namque est magna pars vini, cui parum aquæ, et partes aliquæ illius mali adduntur : et tunc censeri debet simpliciter vinum, licet aliqualiter immutatum : atque ideo erit materia certo sufficiens pro consecratione. Aliquando vero est magna quantitas aquæ, cui exigua pars vini cum malo citreo superadditur : et tunc censeri debet simpliciter aqua, et subinde materia inepta. Si vero mixtio fit ex æqualibus, aut quasi æqualibus portionibus vini, et aquæ ; ita ut merito dubitetur, an sit vinum, vel aqua : erit utique mixtum illud materia dubia. Et hæc diximus attendendo præcise ad valorem sacramenti. Nam quod ad usum attinet, omnes supponunt illicitum esse his mixtis uti ad consecrationem sanguinis (saltem extra casum gravissimæ necessitatis, cui aliter subveniri non possit), ob irreverentiam, quæ sacramento fit. Unde jam olim Concilium Altisiodorense can. 8, statuit : « Non liceat in altario divino mellitum, quod mulsum appel« latur, nec ullum aliud poculum extra « vinum cum aqua mixtum offerre. »

Ledesma. N. Fran[ciscus].

Corollarium.

Nota.

Concil. Altisiod.

Lora.

38. Eodem modo censemus dissolvendam esse quæstionem de lora, sive accinaceo, Hispane *aguapie*, aut *vinada*, utrum scilicet sit materia sufficiens pro consecratione calicis. Et Auctores satis communiter docent, aut potius supponunt partem negativam, ut videri potest in N. Francisco cap. 4, puncto 2, num. 24, et Leandro disp. 8, q. 29. Et quidem merito loquendo de prædicto liquore, ut magis communiter fit. Conficitur namque lora non ex solis uvis expressis : sed postquam uvæ expressæ jam sunt, admiscetur illis quàntitas aquæ, ex qua mixtione procedit liquor ille. Et quia magis communiter admiscetur magna quantitas aquæ respectu parvæ, aut nullius substantiæ vini, quæ remanet in uvis jam expressis : ideo si loquamur juxta ea, quæ magis communiter contingunt, prædictus liquor non est vere vinum, nec proinde materia consecrabilis, sed est vere aqua cum nonnullo sapore, et aliquibus accidentibus vini. Sed quia lora variis modis fit, ut refert Plinius lib. 4, cap. 10, ideo putamus non posse in communi diffiniri, an lora sit materia determinate apta, aut determinate

Sententia communis.

Plinius.

terminate inepta pro consecratione. Si enim fiat modo immediate præmisso, absque dubio est materia inepta. Si autem uvæ non fuerint valde expressæ, et quantitas aquæ illis infusæ modica sit; proculdubio liquor ex eis procedens erit verum substantialiter vinum, licet secundarium, et minus nobile, atque ideo erit materia consecrabilis. In quo stare oportet sensuum experientiæ, et peritorum circa ejusmodi judicio. Quare a prædictis differentiis, sive modis abstrahendo, loram reputamus materiam dubiam. Et sic etiam sensisse videtur Suarez disp. 45, sect. 1, § *Hic vero*, dicens quæstionem hanc non posse generaliter diffiniri. Quolibet autem modo lora fiat, peccatum erit illa uti ad consecrationem : quia vel est materia dubia, vel saltem minus pura, et decens, ut num. præced. de vino composito, et aromatico dicebamus.

esolutio. arez.

39. Major difficultas occurrit circa vinum congelatum. Et non procedit, ubi vinum non est congelatum totaliter, sed superficie tenus, et quantum ad aliquam sui partem : nam de vino sic congelato omnes merito affirmant esse materiam sufficientem : congelatio quippe adeo tenuis nec destruit substantiam vini, nec excludit formam potabilis, nec impedit communes illos effectus, quos præstat vinum nullo modo congelatum. Procedit itaque difficultas de vino congelato simpliciter, sive quoad omnes partes : non quidem quia vere transeat in lapidem, aut crystallum, (hæc enim ex vino fieri impossibile non immerito censuit Vazquez): sed quia vinum ita congelatum se habet ad instar lapidis, aut crystalli, cum nullam habere partem liquidam, sive fluidam supponatur. De vino itaque sic sumpto plures sentiunt non esse materiam consecrabilem. Martinus de Ledesma 1, part. *Quarti*, quæst. 15, artic. 5, dub. 1, Nugnus in præs. art. 5, Arauxo artic. 8, dub. 1, Alanus lib. 1, *de Eucharistia*, cap. 11, Henriquez lib. 8, cap. 12, §. 3, num. 7, Armilla verbo *Eucharistia*, num. 19, Ludovicus de S. Joan. quæst. 1, *de Eucharist.* art. 10, difficult. 5, et alii. Quorum fundamentum est : quia materia apta pro consecratione sanguinis debet esse non tantum substantialiter vinum, sed et habere debet potus formam, et statum ;qua de causa licet humor, aut liquor intra uvas existens sit substantialiter vinum, quia tamen prout ibidem non habet modum, et statum potus, nequit esse materia consecrationis, ut cum communi, et vera sententia statuimus num. 32; sed vinum congelatum, quamvis retineat substantiam, et propriam speciem vini; nihilominus non habet formam, et statum potus ; cum sic existens non habeat esse fluidum, ut bibi queat, sed magis esse durum, et solidum, ut masticari valeat : ergo vinum congelatum non est materia apta pro consecratione sanguinis. Nec satisfacit, si dicatur, quod licet vinum congelatum habeat per accidens non esse proxime potabile; semper tamen de se, et radicaliter, atque in virtute est materia potabilis. Nam contra hoc instat exemplum proxime allatum : nam liquor contentus intra uvas est de se, radicaliter, et virtualiter quidam potus, et materia potabilis : et tamen quia per accidens, et prout inclusus in uvis non est proxime potabilis, nequit esse materia consecrabilis : ergo idem de vino congelato dicendum est.

inum congelatum. rima inio. rtin. desm. gnus. uxo. inus. nriq. nilla. dovic. e S. oan.

Opposita autem, et frequentior aliorum opinio est vinum congelatum esse materiam consecrationis. Ita Sylvester verbo *Eucharistia* 2, circa finem, Soto in 4, dist. 9, q. 1, art. 5, N. Cornejo, et Sylvius in hac quæst. art. 5, N. Franciscus cap. 4, punct. 2, n. 33, N. Orlandus disp. 4, num. 32, Bonæ-spei disp. 2, resolut. 4, n. 29, Prado quæst. 74, dub. 8, num. 41, Petrus de Ledesma cap. 4, concl. 15, dub. 3, Joannes de Cruce dub. 1, concl. 3, Angelus, Suarez, Vazquez, Coninckus, Layman, Valentia, Hurtado, Bonacina, Granados, Vivaldus, Sa, Reginaldus, Villalobos, Filliucius, Gavantus, Ochagavia, Lugo, Diana, et alii, quos refert, et sequitur Leander disp. 8, q. 36. Quam opinionem communiter probant : tum quia vinum congelatum retinet propriam vini speciem : tum quia si vinum prius consecretur, et postea congeletur, non ideo desinunt ejus species continere corpus Christi : tum denique quia si vinum congelatum liquefiat, potest absque dubio consecrari. Sed istæ rationes non multum urgent, et earum debilitas declaratur exemplo proxime allato liquoris existentis intra uvas : nam vere est substantialiter vinum : et si exprimeretur ex uvis posset sine dubio consecrari : ac tandem si semel expressus consecraretur, et deinde intra uvas rursus clauderetur, non propterea desineret continere corpus Christi : et nihilominus

Opinio contraria. Sylvest. Soto. N. Corn. N. Fran. N. Orlan. N. Bonæ-spei. Prado. Ledesm. Joannes a Cruce. Leand.

non inde colligitur liquorem illum, quandiu intra uvas existit, esse materiam consecrabilem : ergo nec illis motivis probatur vinum, quandiu est gelu, posse deservire pro consecratione sanguinis. Melius itaque ista opinio probabitur ostendendo vinum congelatum et esse de se potum (quod non negat prior opinio,) et habere simpliciter modum, et conditionem potus (quod illa opinio negat): inde enim sequitur et vinum congelatum esse materiam consecrabilem, et dari manifestam disparitatem inter vinum congelatum, et vinum intra uvas existens, ac perinde corruere principale fundamentum adversæ opinionis. Rem autem ita se habere ostenditur : tum quia vinum congelatum non transmittitur ad stomachum masticatione, sed liquefactione in ore facta : quare ad stomachum descendit per modum non cibi, sed potus. Tum etiam quia supposita communi, et vera sententia, quod potus vini non solvit jejunium ecclesiasticum, nemo dicet, quod sumere vinum congelatum in quantitate notabili violet prædictum jejunium : alias etiam dicet sumentem aquam congelatam in eadem quantitate jejunium frangere ; quod est ridiculum: ergo signum est vinum congelatum non solum esse de se potum, sed conservare etiam potus modum, et conditionem.

Nostra senten-

40. Inter has opiniones nostra est neutram rem demonstrare, sed utramque probabilem esse, et rem sub dubio relinquere: quamvis hæc posterior sicut communior, ita etiam probabilior nobis videatur. Censemus itaque vinum congelatum esse materiam dubiam pro consecratione sanguinis : quia nec prior opinio demonstrat esse materiam certo ineptam, nec secunda ostendit esse materiam certo sufficientem, et aptam. Ultimum enim, et præcipuum motivum, quo illam suadere studuimus, dilui haud obscure potest dicendo, quod licet vinum congelatum descendat ad stomachum per modum potus, et hac ratione non solvat jejunium ecclesiasticum; id tamen non probat esse materiam in eo statu consecrabilem. Quia ad primum sufficit quod in ore liquefiat, et transeat ad rationem potus, ut communiter contingit. Ad secundum vero requiritur, quod habeat actu, dum consecratur, et esse de se potum, et esse per modum potus : quod minime verificatur de vino congelato, super quod actu congelatum proferrentur verba consecrationis. Est itaque materia simpliciter dubia. Et sic etiam sentiunt Serra art.5, in fine. Joannes a S. Thoma disp. 57 art. 2. §. *Dico ultimo*, Gonet disp. 3, art. 2, § *Colligitur quarto*. Machado, et Fagundez apud Leandrum loco cit. Dicastillo disp. 2, dub. 5, num. 85, et alii.

Serra. Joan. a S. Tho. Gonet. Machad. Fagund. Dicastil.

Unde colligitur falsam esse, et impracticabilem sententiam Vazquii disput. 175, cap. 2, num. 18, asserentis, quod vinum congelatum sicut potest valide consecrari, ita et licite. Quod merito refellunt alii. Tum quia vinum congelatum est materia dubia, ut satis constat ex hactenus dictis : conficere autem sacramentum in materia dubia est per se loquendo illicitum. Tum quia consuetudo Ecclesiæ est non consecrare in vino congelato, sed curare, ut prius liquefiat : quæ consuetudo habet vim legis: et agere contra illam esset peccatum. Tum quia consecrare in vino congelato importat indecentiam aliquam contra reverentiam, quæ tanto sacramento debetur. Videantur Aversa quæstione 2, sect. 5, in fine. Leander disputatione 8, quæstione 37, et Prado quæst. 74, dub. 8, nu. 43, ubi testatur omnes alios sententiam Vazquii impugnare.

Rejicitur Vazquii resolutio

Aversa. Leand. Prado.

41. Solet autem hoc loco inquiri, an vinum congelatum, si liquefiat, possit esse materia consecrationis? Ad quod respondendum est per se loquendo posse tam valide, quam licite. Sic docent communiter Auctores præmissarum opinionum, si unum Fagundez excipiamus. Et ratio est : quod ubi vinum congelatum liquefit, datur per se loquendo verum vinum, et habens jam modum, et statum potus : aliunde vero in eo, quod fuerit prius congelatum, nulla occurrit indecentia; cum vinum queat post illam mutationem remanere ita purum, et mundum, sicut prius erat : ergo prædictum vinum, ubi liquefit, potest per se loquendo esse materia tam valida, quam licita consecrationis. Diximus *per se loquendo :* nam si fingatur vinum esse adeo debile, et congelationem esse adeo fortem, et diuturnam, ut species vini solvatur ; tenendum consequenter est, quod sicut per congelationem desinit esse vinum, ita etiam desinit materia consecrationis, ut recte observavit Estius in 4, dist. 8, § 9, fol. 110. Quando autem id contingat, sensuum experimento, et prudentum judicio determinandum est. Ex quibus omnibus satis declaratum, ut putamus, relinquitur, quæ sit materia

Incidentis quæstionis decisio

Estius

teria certo apta, et materia certo inepta, et materia dubia hujus sacramenti quantum ad speciem sanguinis. Alii autem casus, quos excogitare facile est, possunt ex præmissis resolvi.

DUBIUM III.

Utrum vino consecrando admiscenda sit aqua, et quo jure?

Notisssima est consuetudo, quam Ecclesia habet temperandi calicem, sive admiscendi aliquam aquæ partem vino consecrando. Occurrunt tamen circa illam difficultates, quas titulus repræsentat. Et majoris claritatis gratia illas seorsim resolvemus.

§ I.

Decisio dubii quoad priorem partem.

Prima conclusio. 42. Dicendum est primo mixtionem aquæ cum vino consecrando non esse de necessitate, aut essentia sacramenti. Hæc est communis, et vera sententia Scholasticorum cum Magistro in 4, dist. 11, et Theologorum cum D. Thoma in præs. art. 7. Videantur Soto in 4, dist. 9, quæst. 1, art. 6, Suarez disp. 45, sect. 2, Vazquez disp. 177, cap. 2, Prado quæst. 74, dub. 9, num. 4, Bellarminus lib. 4, *de Eucharistia* cap. 10, et plures alii apud Dicastillo disp. 2, dub. 7. Probatur ab auctoritate: nam Concilium Florentinum in decreto Eugenii assignat materiam hujus sacramenti *panem, et vinum de vite*, et postea subjungit: *Cui aqua ante consecrationem misceri debet.* Quo procedendi modo satis significat panem, et vinum esse de necessitate sacramenti: mixtionem autem aquæ faciendam quidem esse; at non de necessitate sacramenti, sed necessitate præcepti. Idque magis perspicue constat ex Concilio Tridentino: nam in sess. 13, tam in doctrina, quam in canonibus statuit materiam Eucharistiæ esse panem, et vinum: et deinde sess. 22, in qua agit de ritibus, et cæremoniis pertinentibus ad sacrificium Missæ, cap. 7, inquit: « Monet deinde Sancta Synodus præceptum « esse ab Ecclesia sacerdotibus ut aquam « vino in calice offerendo miscerent. » Ubi aperte denotat hanc mixtionem non esse sacramento essentialem, sed solum materiam præcepti. Idem constat ex cap. *Cum omne, de consecratione*, dist. 2, ubi Pontifex supponit per hujusmodi mixtionem significari unionem fidelium cum Christo in ejus sanguine, et addit: « Si vinum tantum « quis offerat, sanguis Christi esse incipit « sine nobis. » Denique in Rubricis Missalis Romani, cap. 4, *de defectibus vini*, num. 7, dicitur: « Si sacerdos post conse« crationem calicis advertat non fuisse « appositam aquam, nullo modo apponat: « quia non est de necessitate sacramenti. » Et D. Thomas infra quæst. 83, art. 6, ad 4, inquit: « Si sacerdos post consecrationis « verba perceperit, quod aqua desit; debet « nihilominus procedere: quia impositio « aquæ non est de necessitate sacramenti. « Debet tamen puniri ille, ex cujus negli« gentia hoc contingit. Nullo autem modo « debet aqua vino jam consecrato misceri, « etc. »

[Margin: Magist. — D. Tho. — Soto. — Suarez. — Vazquez — Prado. — Bellarm. — Dicast. — Concil. Florent. — Concil. Trident. — Rubricæ Missalis. — D. Tho.]

Ratio fundamentalis. Ratio vero fundamentalis hujus veritatis non est alia, quam voluntas Christi hoc sacramentum instituentis, qui materiam sufficientem quantum ad speciem sanguinis assignavit vinum de vite, præcisive etiam a mixtione aquæ. De qua voluntate certo nobis constat per doctrinam Ecclesiæ, quam proxime expendimus. Porro congruentiæ ratio, ne aqua miscenda sit materia necessaria, illa est, quam D. Thom. recte assignat in præs. art. 7, nempe aquam misceri ad significandum unionem fidelium cum Christo mediante hoc sacramento: sicut autem ad essentiam hujus sacramenti non pertinet, quod fideles illo utantur; sed habet esse antecedenter ad hunc usum per solam materiæ consecrationem: ita ad essentiam hujus sacramenti non pertinet, quod fideles, aut fidelium unio per ipsum significetur: quocirca nec ad ejus essentiam pertinet aquæ mixtio, per quam fit talis significatio. « Dicendum, *ait S. Doctor*, quod « judicium de signo sumendum est ex eo, « quod significatur. Appositio autem aquæ « ad vinum refertur ad significandam par« ticipationem hujus sacramenti a fideli« bus, quantum ad hoc, quod per aquam « mixtam vino significatur populus adu« natus Christo, ut dictum est art. præced. « Sed et hoc ipsum, quo de latere Christi « pendentis in cruce aqua profluxit, ad « idem refertur: quia per aquam signifi« catur ablutio peccatorum, quæ fiebat per « passionem Christi. Dictum est autem su« pra, quod hoc sacramentum perficitur in

[Margin: Congruentia. — D. Tho.]

« consecratione materiæ; usus autem fide-« lium non est de necessitate sacramenti, « sed est aliquid consequens ad sacramen-« tum. Et ideo consequens est, quod appo-« sitio aquæ non sit de necessitate sacra-« menti. »

Contraria sententia. Armac. 43. Contrariam nostræ assertioni sententiam docuit Armacanus lib. 9, *de quæst. Armenorum*, c. 9, affirmans mixtionem aquæ cum vino consecrando esse de necessitate hujus sacramenti. Et fundamentum est: Argumentum. quoniam Christus hoc sacramentum instituens consecravit in calice temperato, sive in vino aqua mixto, ut plane constabit ex infra dicendis: sed quid sit de necessitate hujus sacramenti, non aptius nobis constare valet quam ex facto Christi, et prima hujus sacramenti institutione: ergo mixtio aquæ cum vino consecrando est de necessitate hujus sacramenti. Confirmatur ex Confirmatio. D. Cyp. D. Cypriano in epist. *ad Cæcilium*, quæ reperitur lib. 2, epist. 3, ubi ait: « Sic « calix Domini non est aqua sola, et vinum « solum, nisi utrumque misceatur, quo-« modo nec corpus Domini potest esse fa-« rina sola, nisi utramque, » scilicet farina, et aqua, « fuerit adunatum. » Sed admixtio aquæ ad farinam est de necessitate hujus sacramenti. Ergo pari ratione admixtio aquæ ad vinum.

Dissolvuntur. Ad fundamentum sunt qui respondeant negando majorem: sentiunt enim Christum Dominum aquam vino consecrando non miscuisse. Ita Rabanus *de sacram. Eucharistiæ* cap. 36, N.V. Doctor Waldensis tom. 3, *de sacramental.* cap. 32, Roffensis *contra Lutherum* art. 16, circa medium, et Torreblanca lib. 2, pract. cap. 7, num. 17, quia Evangelistæ non referunt, quod Christus fecerit eam mixtionem. Et hoc ipsum sub dubio reliquit Durandus in 4, dist. 11, q. 5, n. 5. (Raban. N. Wal. Roffens. Torreb. Durand.) Qua sententia supposita, evanescit omnino objecta difficultas. Sed quia oppositum constabit ex infra dicendis numero 45, aliter prædictum motivum diruendum est, nempe concedendo majorem, et negando minorem, vel omittendo præmissas negando consequentiam: quia non omnia, quæ Christus instituens hoc sacramentum gessit, pertinent ad ejus essentiam: sed aliqua fecit tanquam cæremonias, ritus, vel accidentales conditiones, sine quibus observatis substantialis hujus sacramenti ratio consistit. Sic enim Christus hoc sacramentum instituit in cœna, et tempore noctis: quæ tamen non observamus. Instituit etiam illud in pane azymo, et tamen Græci valide consecrant in fermentato. Et ad hujusmodi circumstantias, et conditiones accidentales pertinet, quod Christus miscuerit aquam consecrando. Rem autem ita se habere constat nobis ex communi sensu, et traditione Ecclesiæ, ut num. præced. expendimus. Confirmationem egregie diluit Div. Thom. in præs. art. 7, ad 1, his ver- D. Tho. bis: « Dicendum, quod verbum illud Cy-« priani est intelligendum, secundum quod « dicitur illud esse non posse, quod conve-« nienter esse non potest. Et sic similitudo « illa attenditur quantum ad id, quod de-« bet fieri: non autem quantum ad neces-« sitatem: nam aqua est de essentia panis, « non autem de essentia vini. »

44. Dicendum est secundo, quod licet Secunda conclusio. aqua non sit de necessitate hujus sacramenti, ut ostendimus, nihilominus debet admisceri vino consecrando. Hæc conclusio Traditio Ecclesiæ est de fide, ut constat ex motivis statim proponendis. Nam in primis usus admiscendi aquam est antiquissima praxis Ecclesiæ, et traditio Apostolica, ut constat ex testimoniis Patrum, quæ expendunt Bel- Bellarm. Coquet. Vazquez larminus lib. 4, *de Eucharistia*, cap. 10, Coquetius in opusc. *de mixtione aquæ in calice eucharistico*, Vazquez disp. 176, cap. 1. Et plura dabimus infra num. 51. Deinde Diffinitiones Ecclesiæ. probatur ex diffinitionibus Ecclesiæ ita præcipientis, in Concilio Carthaginensi Concil. Carth. 3. Tertio, can. 24, Concilio Africano can. 4, African. Aurelianensi Quarto can. 4, Triburiensi Aurel. Tribur. can. 19, Altisiodorensi cap. 3, et Florentino Altisiod. Florent. in decreto fidei post ult. sess. ubi dicitur: « Cum ergo tam Sancta Romana Ecclesia « a Beatissimis Apostolis Petro, et Paulo « edocta, quam reliquæ omnes Latinorum, « Græcorumque Ecclesiæ, in quibus omnis « sanctitatis, et doctrinæ lumina clarue-« runt, ab initio nascentis Ecclesiæ sic ser-« vaverint, et modo servant: inconveniens « admodum videtur, ut alia quævis regio « ab hac universali, et rationabili discre-« pet observantia. Decernimus igitur, ut « etiam ipsi Armeni se cum universo orbe « Christiano conforment, eorumque sacer-« dotes in calicis oblatione paululum aquæ, « prout dictum est, admisceant vino. » Et Concilium Tridentinum, sess. 22, cap. 7, Trident. ait: « Monet deinde Sancta Synodus præcep-« tum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut « aquam vino in calice offerendo misce-« rent.

« rent. » Et can. 9 statuit : « Si quis dixe- « rit aquam non miscendam esse vino in « calice offerendo, eo quod sit contra « Christi institutionem, anathema sit. » Idem etiam statuerant Summi Pontifices Alexander Primus epist. 1, cap. 4, et Julius Primus relatus in can. *Cum omne crimen, de consecratione*, dist. 2.

Alex. 1. Julius 1.

Con-gruentia. Rationes autem congruentiæ hujus universalis consuetudinis adeo commendatæ, et præceptæ optime proponit Div. Thom. in præsenti articulo 6, his verbis : « Di- « cendum, quod vino, quod offertur in hoc « sacramento, debet aqua misceri. Primo « quidem propter institutionem : probabi- « liter enim creditur, quod Dominus hoc « sacramentum instituerit in vino aqua « permixto, secundum morem illius terræ. « Unde Proverb. 9, dicitur : Bibite vinum, « quod miscui vobis. Secundo, quia hoc « convenit repræsentationi Dominicæ Pas- « sionis. Unde dicit Alexander Papa : Non « debet in calice Domini aut vinum solum, « aut aqua sola offerri, sed utrumque per- « mixtum : quia utrumque ex latere ejus « in Passione sua profluxisse legitur. Ter- « tio, quia hoc convenit ad significandum « effectum hujus Sacramenti, qui est unio « populi Christiani ad Christum : quia ut « Julius Papa dicit, videmus in aqua po- « pulum intelligi, in vino vero ostendi san- « guinem Christi : ergo cum in calice vino « aqua miscetur, Christo populus aduna- « tur. Quarto quia hoc competit ad ulti- « mum effectum hujus sacramenti, qui est « introitus ad vitam æternam. Unde Am- « brosius dicit in lib. de sacramentis, Re- « dundat aqua in calice, et salit in vitam « æternam. » Quas rationes, excepta ultima, proposuit, et abbreviavit Concilium Tridentinum cap. 7 cit. ex sess. 22, ubi postquam dixit Ecclesiam præcepisse hujusmodi mixtionem, subjunxit : « Tum « quia Christum Dominum ita fecisse cre- « datur. Tum etiam quia e latere ejus aqua « simul cum sanguine exierit : quod sacra- « mentum hoc mixtione recolitur. Et cum « aquæ in Apocalypsi B Joannis populi « dicantur ; ipsius populi fidelis cum capite « Christo unio repræsentatur. »

Concil. Trident.

Christus consecravit aqua mistum. 45. Ex his autem rationibus prima, quæ desumitur ab exemplo, atque imitatione Christi Domini, omnium optima est : nam decet, quod imitemur factum Christi, et quod Ecclesia hanc imitationem in præcepto habeat. Unde sequitur non bene asseruisse illos Doctoros numero 45 relatos, qui dicunt Christum non miscuisse vino aquam in prima hujus sacramenti institutione. Sequitur etiam deceptos fuisse Roffensem loco citato, et Guillelmum Durantum lib. 4, *Rational.* cap. 30, qui affirmant primum hujus cæremoniæ, sive mixtionis auctorem fuisse Alexandrum I. Utrumque consectarium constat : quia Concilium Tridentinum plane affirmat, quod *creditur* Christum Dominum ita fecisse. Et quidem ita constat ex testimoniis antiquissimis : nam Jacobus Minor *in sua Liturgia* (tomo 6, Biblioth. sacræ) inquit : « Similiter post- « quam cœnavit, accipiens calicem, et « permiscens ex vino, et aqua, et aspiciens « in Cœlum, etc. » Quod testimonium allegat Synodus Trullana Canone 32. Marcus etiam Evangelista *in sua liturgia* inquit : « Similiter et calicem, postquam cœnavit, « accipiens, factaque vini, et aquæ com- « mixtione, etc. » Et idem significatur in antiquissima Liturgia Æthiopum translata per Genebrardum, et in Liturgia D. Basilii, et D. Joannis Chrysostomi. Quod etiam tradunt D. Clemens Roman. lib. 8, *constit. Apost.* cap. 17, Sanctus Justinus *in secunda apologia* prope finem, D. Cyprianus epist. 63, D. Ambrosius lib. 4, *de sacramentis*, cap. 4, et lib. 5, cap. 1, D. Augustinus tract. 120, *in Joan.* Div. Damascenus lib 4, *de fide*, cap. 14, et alii plurimi, quos afferunt Bellarminus, et Vazquez locis relatis.

Roffens. Durant.

Antiquæ liturgiæ.

D. Clem. D. Just. D. Cyp. D. Amb. D. Aug. D. Dam.

Unde posterior hic Auctor non dubitat asserere credulitatem, de qua loquitur Concilium Tridentinum, non esse mere conjecturalem, aut probabilem, sed esse credulitatem fidei Catholicæ : existimat enim id esse ab Ecclesia deffinitum, et certum secundum fidem. Sed huic ejus judicio nos non subscribimus, nec videmus illud aliis arridere : quia nullum producit Vazquez testimonium, ex quo certitudine fidei constet Christum vino consecrando aquam miscuisse. Et V. Doctor N. Waldensis, cujus in his rebus magna est auctoritas, et alii graves Auctores id plane negant, ut vidimus num. 43. Angelicus autem Doctor manifeste significat id solum credi fide probabili, sive humana : nam in præsenti articulo 6, ait : « Probabiliter « creditur, quod Dominus hoc sacramentum « instituerit in vino aqua permixto. » Et in 4, distinctione 11, quæst. 2, articulo 4

Judicium Vazquii refellitur.

D. Tho.

quæstiunc. 1, inquit : « Aqua debet apponi « vino propter institutionem : quia Domi- « nus apposuisse probabiliter creditur ex « more illius patriæ. » Et super 1, *ad Corinth.* cap. 11, lect. 6, ait : « Probabile est, « quod Christus in cœna vinum mixtum « discipulis dederit propter consuetudinem « terræ illius. » Quamvis autem Concilium Tridentinum dixerit, quod hoc *creditur*, non addendo *probabiliter*; tamen nec addidit *certo*, aut *fide divina*, sed propositionem indifinitam, et capacem utriusque sensus reliquit: et rursus hanc partem, quam in doctrina tradiderat, non transtulit ad canones, nec diffinivit. Quare nihil urgens, aut solidum pro resoluta illa Vazquii determinatione videmus : et ideo longe congruentius censemus loqui cum D. Thoma, et imitari ejus temperantiam. Et tamen non propterea nutat fundamentum propositum: quoniam ut servetur consuetudo miscendi vinum, et cadat sub gravi præcepto, satis rationabile motivum est, quod Ecclesia probabiliter credat Christum Dominum ita fecisse.

Error assertioni oppositus. Synod. Trullan. 46. Contrarium nostræ assertioni errorem tenuerunt Armeni, ut refertur in Synodo Trullana can. 32, et eorum error procedebat ab alia deteriori radice : erant enim Euthychiani, et negabant duas naturas in Christo : ne itaque vini, et aqua mixtione viderentur duarum naturarum distinctionem, atque unionem in eodem Christi supposito confiteri, mixtionem prædictam vitabant, ac reprobabant, ut tradit Nicephorus lib. 18 *histor.* cap. 54. Referunt etiam Innocentius Tertius lib. 4, cap. 32, et Noster Guido *in catalago hæresum*, Græcos in hoc eodem errore fuisse. (Niceph. Innoc. III. N. Guid.) Sed Græcorum nomine non intellexerunt Ecclesiam Græcam, aut notabilem aliquam ejus partem : nam Græcos ab initio observasse morem miscendi, et temperandi calicem constat ex eorum Liturgiis, et Doctoribus num. præced. relatis, et multo magis ex testimonio Concilii Florentini coram ipsis Græcis, cujus verba dedimus num. 44. Sed Græcorum vocabulo significaverunt omnes illos, qui in suis ritibus ab Ecclesia Latina recedunt, ut erant Armeni: quamvis nec isti in rigore sint Græci, sed contra Græcos distinguantur in Concilio Florentino. Porro Armenos ultro sequuntur Lutherani, et Calvinistæ, quatenus nullam aquam suo calici miscent, ut constat ex Luthero in formula Missæ pro Ecclesia Witembergensi, ubi stolidos vocat eos, qui aquam calici infundunt, et ex Petro Richero, qui ex suo magistro Calvino refert hæreticos sacrilegos, et blasphemos esse, qui aquam vino miscent in calice consecrando. (Luther. Richer.) Nec mirari multum debemus hunc ad aquam horrorem in hæreticis communiter Septentrionalibus : quia ut lepide dixit Dicastillo disp. 2, dub. 6, num. 98, ad sua sacra, quæ sacramenta vocant, non nisi strenue poti, et merum spirantes, non divino, sed de vino spiritu afflati, solent accedere. (Dicastil.)

Argumenta. Fundamentum Armenorum erat illud jam insinuatum, procedens ab hæresi Euthychiana non distinguente in Christo duas naturas. Sed illud principium et extraneum a præsenti consideratione est, et convulsum a nobis fuit Tract. 21, disput. 3, dub. 1, per totum. Aliter argutant moderniores hæretici. Primo, quia mixtio aquæ cum vino habet pessimam significationem, denotat enim sinceritatem corruptam, ut significatur Isaiæ 1 : *Vinum tuum mixtum est aqua*, et observat Divus Hieronymus ibidem : ergo turpe est, quod in sacro mysterio mixtionem hujusmodi adhibeamus. (Primo.) Secundo, ideo facimus hanc mixtionem, ut denotemus unionem fidelium cum Christo : sed in Eucharistia non debemus commemorare unionem Christi cum Ecclesia, sed Christi passionem : ergo non debemus aquam in calice ponere. (Secund.) Tertio, si esset facienda hujusmodi mixtio, maxime quia de latere Christi sanguis, et aqua profluxerunt : sed hæc, quæ de Christi pectore manarunt, non exierunt mixta, sed divisa ; alioquin non potuisset sanguis ab aqua discerni : ergo miscendo aquam vino agimus contra illud ipsum, quod imitari curamus. (Tertio.) Quarto, quia si vinum, et aqua in calice significant Christum, et fideles ; sequitur, quod Deo in calice offeratur non solum Christus, sed etiam populus: id autem est absurdissimum ; siquidem eo modo populum facimus partem sacrificii, quod pro ipso populo offertur : minime itaque oportet aquam vino miscere in calice consecrando. (Quarto.) Sic opponunt evertendo non solum catholicam assertionem, sed et ipsius motiva a Conciliis, et Pontificibus assignata.

Evertuntur. Sed nihil valent objecta. Ad primum enim respondetur eandem rem secundum

diversas

diversas considerationes posse in bonam, et malam significationem usurpari : sic enim Leo in usu Scripturæ interdum significat Christum, et aliquando diabolum. Sic etiam mixtio vini in cauponibus malam habet significationem ; quod ad summum probat objectio : sed in his, qui eam faciunt temperantiæ gratia, bonam habet significationem : præsertim cum valeat ad sacratiores significationes ordinari, ut in re præsenti contingit, et constat ex supra dictis. Ad secundum dicendum est in Eucharistia fieri certe, et quidem principaliter commemorationem passionis Christi ; sed fieri etiam repræsentationem unionis fidelium cum Christo, et inter se : unde Paulus 1 *ad Corinth.* 10, probat nos unum esse, quia de uno pane, et de uno calice participamus. Et ad significandum hujusmodi unionem deservit optime unio vini, et aquæ. Ad tertium respondemus, quod sicut de latere Christi sanguis, et aqua distincta fluxerunt, et tamen in terra fuerunt permixta : sic etiam in ipsa infusione vinum, et aqua distincta sunt, sed in ipso calice miscentur : ubi manifestum est non infimam similitudinis proportionem observari. Ad quartum, et ultimum respondetur Christum, et populum in calice repræsentari, et Deo offerri : sed Christum ut sacrificium pro nobis : nos autem ut participantes de illo sacrificio. In quo nulla de ordinatio occurrit, sed magna veritas, ut ex se liquet.

Tertia conclusio. 47. Dicendum est tertio sacerdotem sub obligatione peccati mortalis teneri, ut tempore sacrificii ponat aquam in calice consecrando, sive id faciat per se, ut in Missis privatis, sive per ministrum, ut in solemnibus. Hanc conclusionem docent unanimiter omnes Theologi. Et fundamentum constat ex dictis alibi, et pro conclusione præcedenti : quia datur consuetudo, et præceptum obligans ad hujusmodi mixtionem: quæ obligatio est gravis tum ex conditione materiæ, tum ob pœnas, quas jus decernit: præcipitur enim hæc mixtio sub pœna privationis ab officio, et beneficio, ut constat ex capite *Littera*, de celebratione Missarum, et ex capite *Cum omne crimen* de consecratione, distinctione 2. Unde D. Thom. in 4, *ad Anibaldum*, distinctione 11, quæstione unica, articulo 4, inquit : « Vinum sine « aqua potest consecrari : sed consecrans « peccat graviter, si scienter omittat. » Et Catechismus Pii Quinti ait : « Aquæ ad- « miscendæ ita graves rationes sunt, ut « eam sine mortali peccato prætermittere « non liceat. »

Motivum.

D. Tho.

Catechismus.

Objectio. Contra hanc conclusionem, supposita veritate præcedentis, nullum vidimus, qui sentiat. Potest tamen illi opponi : nam quæ de se sunt mortalia, solent fieri venialia ex parvitate materiæ ; sed aqua vino miscenda solet, et debet esse modicissima, ut conclusione sequenti videbimus : ergo prætermittere infusionem aquæ in tam exigua quantitate est præcise peccatum veniale.

Solvitur. Sed hoc nihil valet : nam id, quod in uno ordine, aut secundum unam considerationem est materia exigua, potest in alio ordine, et secundum aliam considerationem esse materia gravis, et magna, et subinde sufficiens ad culpam mortalem : sic enim pomum, quod contra Dei præceptum comederunt primi parentes, erat in se, physice, atque in ordine ad sustentationem quid leve ; tamen in ordine ad finem, ob quem illud interdixerat Deus, erat res magna ; et fuit consequenter materia peccati mortalis. Ad hunc itaque modum gutta aquæ, quæ vino consecrando miscetur, est quiddam modicissimum physice, et in ordine ad extinguendum sitim, et alios usus humanos. Sed si consideretur in ratione signi, et sacræ cæremoniæ sacramentalis, tot, et adeo graves causas habet, quod sit res magni momenti, ut liquet ab ipsis Conciliorum, et Pontificum decretis, et communi Patrum doctrina. Quare voluntaria omissio hujus ritus nequit non esse grave peccatum.

Quarta conclusio. 48. Dicendum est quarto aquam vino admiscendam debere apponi in exigua quantitate. Hæc conclusio est communis inter Theologos. Videantur Soto in 4, distinctione 9, quæstione 1, articulo 6, conclus. 3, Cochetius in opusc. *de mixtione aquæ*, cap. 43, Azor tom. 1, lib. 10, cap. 30, quæst. 3, Prado quæstione 74, dub. 9, § 3, et alii in præsenti. Et probatur satis efficaciter ex decreto Eugenii Quarti post ultimam sessionem Concilii Florentini, ubi præcipit modicissimam aquam debere apponi : ergo ita omnino servandum est. Et D. Thomas in præsenti quæstione articulo 8, inquit : « Et ideo sicut Innocentius Tertius dicit, « aliorum opinio probabilior est, qui dicunt « aquam converti in vinum, et vinum in « sanguinem. Hoc autem fieri non posset, « nisi adeo modicum apponeretur de aqua,

Soto. Cochet. Azor. Prado.

Concil. Florent.

D. Tho.

« quod converteretur in vinum. Et ideo « semper tutius est parum de aqua apponere: et præcipue si vinum sit debile: « quia si tanta fieret appositio aquæ, ut solveretur species vini, non posset perfici « sacramentum. » Ex quibus verbis possumus sequentem rationem formare: quia permisso, et supposito, quod probabile sit aquam, quæ vino in calice consecrando superinfunditur, non converti immediate in sanguinem Christi; nihilominus id certum non est; cum sententia oppositum asserens sit satis probabilis, et communis: et si posterior hæc sententia re ipsa vera est; manifeste sequitur eum, qui vino consecrando infundit magnam aquæ quantitatem, ut puta æqualem, vel majorem, se exponere periculo, quod aqua non convertatur in vinum, et subinde in sanguinem Christi: ex quo ulterius fit, quod se exponat periculo proponendi, ut adoretur, aquam in propria substantia manentem simul cum sanguine Christi. Quod est gravissimum inconveniens. Ne igitur id consequatur vel re ipsa, vel saltem ex modo agendi solum cum opinione probabili, quæ nec certitudinem affert, nec dubium circa factum excludit: curandum omnino est, quod aqua admisceatur vino consecrando in modicissima quantitate. In hoc enim nullum est periculum: quia vel talis convertitur immediate in sanguinem, ut tenet prior ex insinuatis sententiis, vel saltem facile convertitur immediate in vinum, et mediate in sanguinem: et ita cessat inconveniens, ne scilicet aqua in propria substantia exponatur, adoretur, et sumatur a sacerdote simul cum sanguine Christi. Cui motivo innititur usus Ecclesiæ miscendi calicem non immediate ante consecrationem, sed tempore antecedenti, et sufficienti, ut parva illa aquæ pars valeat in vinum converti, ut in Missa fieri videmus. Quin in aliquibus Ecclesiis, et Ordinibus usus est faciendi hanc mixtionem in ipso Missæ principio, vel saltem ante Evangelium, ut scilicet detur locus conversioni peragendæ: et hunc morem observatum olim fuisse in omnibus Galliæ Ecclesiis testatur Cochetius loco citato.

Ratio.

Major determinatio assertionis.

Quanta vero, aut quota debeat esse pars aquæ immiscendæ respectu vini consecrandi, non est facile definire, sed prudentiæ attenta generositate, aut debilitate vini relinquendum est. Nugnus dicit debere esse minorem, quam sexta pars vini. Et idem significat Lugo disputatione 4, numero 38. Coninckus dicit praxim Ecclesiæ esse, quod ad minus octies, vel decies plus vini, quam aquæ ponatur in calice. Et idem docent Diana, et Layman, quos refert, et sequitur Leander disputatione 8, quæstione 48. Et omnes isti dicendi modi videntur nobis probabiles, et securi. Concilium autem Triburiense cap. 19, statuit, « quod « duæ sint partes vini, una aquæ: quia « major est majestas sanguinis Christi Do« mini, quam fragilitas populi, quæ per « aquam designatur. » Quod si vinum esset valde generosum, et daretur competens mixtioni tempus, posset utcumque sustineri. Sed recte observat Vazquez disputatione 177, cap. 2, num. 19, Concilium illud fuisse Provinciale, et non esse ab Ecclesia approbatum. Quare ejus decretis non obligamur; nec oportet, ut eam regulam observemus.

Nugnus. Lugo. Coninck. Leand. Concil. Tribur. Vazq.

§ II.

Posterior dubii pars expeditur.

49. Quinto, et ultimo dicendum est præceptum de præmissa mixtione facienda non esse divinum, sed humanum Ecclesiasticum. Hæc conclusio est longe communior inter Theologos, quam opposita. Sic enim docent Magister in 4, dist. 11, cap. 7, et ex Thomistis Soto in 4, dist. 9, quæst. 1, art. 6, concl. 3, § *colligitur ergo*, Martinus de Ledesma ibidem quæst. 15, art. 5, Nugnus in præs. art. 7, concl. 6, Serra, Sylvius, et N. Cornejo art. 6, Arauxo art. 8, dub. 2, num. 30. Prado dub. 9, num. 13, Joann. a S. Thoma disp. 27, art. 3, in principio. Gonet disp. 3, art. 3, num. 36, Labat disp. 4, dub. 4, § 2, Contenson dissert. 2, cap. 2, fol. 393, et alii communiter. Idem etiam docent Scotus in 4, dist. 11, quæst. 6, in fine, Durandus quæst. 5, Palacios disp. 3. Basilius Poncius *de præconversione aquæ in vinum*, num. 30, Suarez disp. 45, sect. 6, Vazquez disp. 177, cap. 2, Lugo disp. 4, sect. 2, difficult. 2, Dicastillo disp. 2, dub. 8, num. 117, Aversa quæst. 2, sect. 5, Bonacina, Gabriel, Fagundez, Hurtado, Layman, Villalobos, Machado, Torreblanca, Azor, Toledo Ochagavia, et alii, quos refert, et sequitur Leander disp. 8, quæst. 41.

Quinta conclusio. Magist. Soto. Ledesm. Nugnus. Serra. Sylvius. N. Cor. Arauxo. Prado. Joan. a S. Tho. Gonet. Labat. Contens. Scotus. Durand. Palacios. Basilius. Suarez. Vazqu. Lugo. Dicast. Aversa. Leand.

Probatur

Ratio fundamentalis. Probatur ratione fundamentali : nam quod hujusmodi præceptum sit divinum, vel ecclesiasticum, non aliunde, vel aptius constare nobis potest, quam ex ipsis Conciliis, et Pontificibus, quæ agunt de hac mixtione, et præceptum illam faciendi supponunt : atqui Concilia, et Pontifices satis aperte significant præceptum hujusmodi non esse divinum, sed humanum Ecclesiasticum : ergo ita asserendum est. Probatur minor : nam Concilium Tridentinum loco supra cit. ex sess. 22, inquit : « Monet præ« terea Sancta Synodus præceptum esse ab « Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in « calice offerendo miscerent. » Ubi nullius alterius præcepti meminit, quam Ecclesiastici. Præterea Concilium Florentinum Armenos, qui hanc mixtionem omittebant, non reprehendit tanquam transgressores alicujus divini mandati : sed solum quia se non conformabant mandato, et consuetudini universalis Ecclesiæ, ut constabit recolenti testimonium num. 44 relatum. Supponebat itaque Concilium non dari circa hoc ullum divinum præceptum. Ulterius Julius Primus cap. *Cum omne de consecrat.* dist. aperte significat præceptum hujusmodi non descendere a Domino instituente, sed ab hominibus, a majoribus sic practicantibus. « Calix, *inquit*, dominicus « juxta canonum præcepta, vino, et aqua « permixtus debet offerri. » Et infra : « Quia jam plurima, et multiplex majo« rum manavit sententia. » Et inferius : « Juxta antiquorum sententiam Concilio« rum. » Similiter Alexander Primus epist. 1, cas. 4, dicit « se ita a Patribus « accepisse. » Et Honorius Primus in cap. *Perniciosus de celebratione Missarum*, hunc usum revocat « ad rationabilem consue« tudinem Ecclesiæ universalis. » Ergo ex sententia Conciliorum, et Pontificum præceptum hujusmodi non est divinum, sed præcise ecclesiasticum : quippe cum illud non revocent ad Dominum instituentem, sed ad ecclesiam, ejusque consuetudinem, et canones.

Concil. Trident. — Concil. Florent. — Julius Papa. — Alexan. Papa. — Honor. Papa.

Præcluditur effugium. Nec satisfaciet, qui dicat Concilia, et Pontifices asseruisse, expressisseque id, quod omnino certum est, nempe mixtionem hanc esse ab Ecclesia præceptam : omisisse vero, sed minime negasse, quod tale præceptum est a Domino, et divinum : id quippe minus certum est, et ad intentionem Conciliorum, et Pontificum non ita referebat. Nam contra hanc responsionem est primo : quia Concilia, et Pontifices intendebant, quod in Ecclesia omnino servaretur usus miscendi aquam vino consecrando : ad id autem efficacius medium foret præceptum Domini, si adesset : et ita circa alia similia se gessit Concilium Tridentinum sess. 14, cap. 5, et sess. 23, cap, 1; ergo cum Concilia, et Pontifices non recensuerunt præceptum divinum, haud obscure significarunt non dari tale præceptum. Secundo, quia inverisimile est Christum præcepisse, et id non constare Ecclesiæ; siquidem tale præceptum nec certum, nec constans frustraneum esset : sed præceptum divinum de hujusmodi mixtione non certo constat Ecclesiæ, et ideo Ecclesia ejus non meminit, ut in hac responsione dicitur : ergo non est verisimile, quod Christus mixtionem præceperit. Tertio, quia in dubio, utrum præceptum aliquod sit impositum, tale præceptum nec præsumitur, nec obligat, nisi certo probetur, ut tradit communis, et certa Theologorum sententia : ergo pariter in hoc casu non est præsumendum dari præceptum divinum circa mixtionem vini et aquæ, nisi certo constet dari tale præceptum : atqui id non constat, et ideo a Conciliis, et Pontificibus omittitur, ut dicitur in hac responsione : ergo minime præsumendum est dari tale præceptum. Unde liquet Auctores contrarios minus consequenter procedere, qui cum in prædicta solutione recognoscant incertitudinem circa hujus præcepti ex Domino existentiam, illud tamen asserunt, et tuentur.

50. Probatur secundo eadem conclusio destruendo peculiare fundamentum opinionis adversæ : nam ideo mixtio aquæ cum vino consecrando censeri deberet dici a Christo Domino instituente præcepta ; quia Christus consecravit in vino aqua temperato, juxta superius dicta num. 45, sed hæc ratio est nulla : ergo Christus Dominus non præcepit hanc mixtionem. Probatur minor : nam Christus Dominus consecravit in pane azymo, ut tradunt omnes Doctores Latini, et ostendimus disp. 1, cap. 3, § 2 et 4, et in præs. disp. dub. 1, § 4, et tamen non inde sequitur Christum præcepisse, quod in eodem pane azymo consecremus : alias Ecclesia Græca consecrans in fermentato ageret contra divinum præceptum, et subinde peccaret; quod est omnino falsum, Aliud motivum.

ut supra num. 20 ostendimus : ergo quod Christus consecraverit speciem sanguinis in vino mixto, minime probat Christum mixtionem hujusmodi nobis præcepisse.

Præoccupatur evasio. Nec momenti erit, si dicatur Christum peracta calicis consecratione dixisse : *Hoc facite in meam commemorationem*, ubi ly *hoc* referendum est ad omnia, quæ Christus fecit in prædicta consecratione. Id, inquam, nihil valet : tum quia ly *Hoc facite* refertur eodem modo ad consecrationem utriusque speciei : et tamen licet Christus consecraverit speciem corporis in pane azymo, non sequitur dari præceptum divinum in azymo consecrandi : ergo licet Christus speciem sanguinis consecraverit in vino mixto, minime sequitur dari divinum circa hujusmodi mixtionem præceptum. Tum etiam, et præcipue, quia ly *Hoc facite* refertur ad immediata nempe ad consecrationem corporis, et sanguinis; non autem ad mediata, præcedentia, et circumstantia : alias divino præcepto obligaremur celebrare sicut Christus celebravit, utputa nocte, et inter cœnandum ; quod est falsum : ad hujusmodi autem mediata, et præcedentia pertinet, quod panis fuerit azymus, et quod vinum fuerit mixtum : ergo ly *Hoc facite* non induxit præceptum consecrandi in vino mixto : atque ideo ad ita agendum præcepto divino non obligamur.

Confirmatio. Confirmatur : quia ex vi facti Christi, sive ex vi modi, quo sacramentum istud instituit, nullum habemus fundamentum, ut dicamus mixtionem vini cum aqua esse necessariam necessitate præcepti divini, et non dicamus esse necessariam necessitate sacramenti ; siquidem factum Christi non magis determinat ad unum, quam ad aliud: sed ex vi facti, sive modi, quod Christus Eucharistiam instituit, non habemus fundamentum ad dicendum, quod mixtio vini, et aquæ sit de necessitate sacramenti : oppositum enim constat ex dictis num. 42; ergo similiter ex vi, aut modi, quo Christus Eucharistiam instituit, nullum habemus fundamentum, ut dicamus mixtionem prædictam esse de necessitate præcepti divini. Unde tacite præciditur aliquorum fuga, qui dicunt prædictas necessitates esse simpliciter separabiles, atque ideo potuisse Christum præcipere mixtionem aquæ, et tamen nolle, quod esset necessaria necessitate sacramenti. Nam fatemur quidem id non repugnare, sed Christum ita providere potuisse. Sed tamen quod ita fecerit, ac disposuerit, si attendamus ad ejus factum, et modum, minime constat : quia prædictum factum non magis inducit necessitatem præcepti, quam sacramenti : ergo ex eo, quod non det fundamentum ad asserendum necessitatem sacramenti, recte colligitur, quod nec illud præbeat ad inducendum necessitatem divini præcepti. Nec aliud quid colligi valet ex doctrina Ecclesiæ declarantis factum Christi : nam Ecclesia hactenus non docuit præceptum de tali mixtione esse divinum; sed magis significat esse mere Ecclesiasticum, ut constat ex dictis num. præced.

§ III.

Refertur opinio ultimæ assertioni contraria.

51. Contra sententiam § præced. stabilitam est aliquorum opinio, qui docent mixtionem vini cum aqua in calice offerendo esse de jure divino, et præceptam a Christo Domino. Ita Alexander 4 p. quæst 10, memb. 4, art. 1, §, 6, Osius *in confessione catholica*, cap. 40, in principio, Castro verbo *Eucharistia*, hæresi 7, Alanus lib. 1, de *Eucharistia*, cap. 13, Enriquez lib. 8, cap. 12, § 4, Valencia quæst. 3, puncto 2 ante 5, conclus. Granados tract. 2, disp. 3, num. 9, Pasqualigus disp. 91, sect. 6. Cui sententiæ subscribit ex Thomistis Petrus de Ledesma cap. 14, conclus. 16, et in eandem inclinat N. Franciscus cap. 4, punct. 4, num. 64, quatenus dicit rem hanc esse incertam, et unam, et alteram sententiam esse probabilem : unde utramque problematice sustinet. Alexan. Osius. Castro. Alanus. Enriq. Valenc. Granad. Pasqual. Ledesm. N Fran.

Primum ergo, et forte gravius pro hac opinione fundamentum desumitur ab auctoritate S. Cypriani epist. 63, ubi reprehendens illos, qui aquam vino consecrando non miscebant, inquit : « Non hoc faciunt, « quod Jesus Christus Dominus, et Deus « noster, sacrificii hujus author, et doctor « fecit, et docuit. » Et rursus : « Sed « quando aliquid Deo mandante, et inspi- « rante præcipitur: necesse est, Domino « servus fideliter obtemperet. » Et iterum : « Invenimus non observari a nobis, « quod mandatum est, nisi ea, quæ Domi- « nus fecit, nos quoque faciamus, et cali- « cem Domini pari ratione miscentes a « divino magisterio non recedamus. » Et tandem Primum argumentum.

tandem : « A Domino præcipitur, et ab « Apostolo confirmatur. Nec a nobis ob- « servatur, quod mandatum est, nisi illa, « quæ Dominus fecit, faciamus. » In qui-

D. Cyp. bus verbis manifestum est D. Cyprianum adstruere non solum Domini exemplum, doctrinam, et magisterium, sed etiam præceptum, et mandatum, ut ex eisdem verbis satis liquet. Ergo obligamur ad hujusmodi mixtionem ex præcepto divino.

Confirmatio. Confirmatur ex aliis etiam gravibus testimoniis, quæ id ipsum haud obscure significant. Concil. Aurel. Nam Concilium Aurelianense 4, cap. 4, statuit aquam vino miscendam, et rationem assignans addit : « Quia sacrilegium judicamus aliud offerri, quam quod « in mandatis sacratissimis Salvator instituit. » Sentiebat itaque hanc mixtionem fieri de mandato Salvatoris. Concil. Carthaginense 3. Et Concilium Carthaginense 3 (cui interfuit D. Augustinus) ait : « In sacramentis corporis, et san- « guinis Domini nihil aliud offeratur, quam « quod tradidit, hoc est panis, et vinum « aquæ mixtum. » Ergo mixtio hæc fit ex traditione, et jussione Domini. Præterea in Sexta Synod. Sexta Synodo Trullana can. 32, dicitur : « In omni Ecclesia, ubi spiritua- « lia lumina refulserunt, hic ordo divini- « tus traditus servatur, ut scilicet aqua « misceatur vino in sacramento. » Quod igitur ita fiat, est divinus ordo seu Dei

D. Alg: præceptum. Denique D. Algerus, qui magnas laudes promeruit in his, quæ de hoc sacramento scripsit, in lib. 2, cap. 5, ait : « Cui etiam (nempe vino) postmodum per « Apostolos aquam admisceri voluit, » scilicet Christus. Hæc autem voluntas vim habet præcepti. Fateri itaque oportet aquam vino consecrando admisceri ex præcepto divino.

Dissolvuntur. 52 Ad fundamentum responderi solet multipliciter. Primo respondet Vazquez disp. cit. cap. 3, num. 20, concedendo ingenue Div. Cyprianum illam tenuisse opinionem, et esse nobis contrarium. Cujus tamen auctoritate nemo debet opprimi; cum urgentiora habeamus pro nostra assertione motiva, ut § præced. expendimus. Sed ista Vazquii responsione non egemus, quæ minorem præ se ferre videtur erga Div. Cyprianum reverentiam. Secundo respondent aliqui S. Doctorem eo loco agere contra hæreticos aquarios, qui solam aquam apponebant in calice. Contra quos contendit adhibendum esse vinum : quia præceptum Domini est, et servatur ex Christi institutione : quod verissime affirmat, et sæpissime inculcat ; sed ad rem præsentem non facit, ut ex se liquet. An autem aqua apponenda etiam sit, et miscenda vino ; non curat, nec determinat ibi D. Cyprianus : quia nec ad intentionem ejus id referebat. Quæ responsio, sive expositio est probabilis : quamvis non admodum facile sit distinguere, et secernere verba, quibus significat appositionem vini, et verba, quibus denotat mixtionem aquæ, ut ratio præcepti divini huic, vel alteri applicetur. Tertio igitur et melius respondetur Div. Cyprianum docere aquam esse admiscendam ex divino præcepto; non quia præceptum miscendi aquam fuerit a Christo formaliter, aut elicitive, sive quia Christus (et in idem recidit) id resignate præceperit: sed quia illud præceptum est a Christo originaliter, exemplariter, et quantum ad conformitatis, atque imitationis decentiam. Nam licet Christus signate, et specialiter non præceperit nos miscere aquam vino consecrando : quia tamen ipse miscuit, et calicem temperatum consecravit ; ideo Apostoli, et eorum successores optimam habuerunt occasionem id præcipiendi, ut scilicet majorem conformitatem habeamus cum prima Christi consecratione. Idque importat præceptum hujusmodi non esse a Christo elicitive, et formaliter tanquam a præcipiente : esse autem ab illo originaliter, et exemplariter tanquam a dante per suum factum occasionem imitationis, et impositionis præcepti per Ecclesiam. Sic enim plura, quæ Christus fecit, dicuntur ejus mandata, vel præcepta, non quia ab ipso immediate habuerint vim obligandi : sed quia ex facto Christi Ecclesia habuit occasionem, et motivum illa præcipiendi propter majorem ad ipsum conformitatem. Sic plane Christus lavando pedes discipulorum dixit Joan. 13 : *Si ergo ego lavi pedes* Joan. 13. *vestros Dominus, et Magister : et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Et tamen certum est non dari rigorosum, et positivum præceptum divinum, ut lavemus aliorum pedes, sed id esse materiam consilii. Si autem Ecclesia, ut magis imitaretur Christi exemplum, stricte præciperet prælatis, aut aliis hanc pedum lotionem : tale præceptum esset quidem formaliter, et elicitive præceptum

humanum, et ecclesiasticum : posset tamen dici præceptum divinum originaliter, exemplariter, et occasionaliter : quia Ecclesia mota exemplo Christi imponeret præceptum, ut ipsum magis imitaretur, atque exemplum Christi præcepto confirmaret. In hoc itaque sensu loquitur D. Cyprianus, quando præceptum miscendi aquam vocat divinum. Et hæc expositio eo præferri debet, quo magis asserta hujus Doctoris conciliat cum aliis gravioribus testimoniis relatis § præced. quæ oppositum significant. Illa enim negant hoc præceptum esse divinum, nempe immediate, formaliter, et elicitive : Cyprianus autem affirmat esse divinum, videlicet originaliter, et exemplariter. In quo nulla est contradictio, ut ex se liquet. Eodem modo respondemus ad confirmationem : nam cuncta, quæ in ea referuntur testimonia, eodem modo, ac locus D. Cypriani explicanda sunt. Præsertim cum minus expressa sint, minusque, quam illa, significent, ut facile consideranti constabit.

Secundum argumentum.

53. Arguitur secundo (et potest esse replica contra præcedentem doctrinam), quoniam Christus, ut fatemur, miscuit vinum aquæ, et ita demum calicem consecravit : sed peracta consecratione dixit : *Hoc facite in meam commemorationem :* ergo præcepit, quod aquam vino misceremus pro calice consecrando. Probatur consequentia tum quia nulla est ratio, ut illa verba, et mandatum Christi restringamus ad solam consecrationis substantiam: sed magis decet illa extendere ad ritus gravissimos, et mysteriis plenos, cujusmodi plane est aquæ admixtio. Tum quia cum Christus consecrationem peregerit per modum unius, consecrando simul vinum, et aquam, sive illud mixtum : intelligendum est omnia simul per modum unius præcepisse : atque ideo sine fundamento excipitur aquæ mixtio.

Confirmatio.

Confirmatur primo : nam quod Christus instituendo sacramenta egit ut instituens, et legislator, habet vim præcepti saltem directivam : sed Christus instituendo Eucharistiam miscuit vino aquam ut institutor, et legislator : ergo sica gendo imposuit præceptum saltem quantum ad vim directivam, ut illam mistionem consecrantes præmittamus. Confirmatur secundo, et magis declaratur : nam institutio sacramentorum non aliunde habet vim obligandi quoad substantialia, nisi quia Christus ita fecit quoad substantialia : ergo similiter factum Christi quantum ad accidentalia habet similiter vim obligandi ad illa, ut talia, nemque ut accidentalia: et consequenter licet mixtio non sit de substantia sive essentia sacramenti, sed aliquid accidentale; obligamur tamen hoc accidentale exequi ex facto Christi, quod habeat vim præcepti quantum ad vim directivam.

Alia.

Satisfit argumento.

Ad hoc argumentum, et confirmationem satis constabat ex dictis num. 50, sed insuper respondemus argumento. concessis præmissis, negando consequentiam ; cujus debilitas declaratur exemplo panis azymi, in quo Christus consecravit, et post cujus consecrationem dixit : *Hoc facite in meam commemorationem:* quin inde colligatur dari divinum præceptum, ut consecremus in azymo. Idem itaque in nostro casu dicendum est, ut loco citato explicuimus. Et quod Granados, ut vim hujus exempli eluderet, dixit commixtionem fermenti esse juxta naturam panis, et subinde non intelligi exclusam ; commixtionem vero vini, et aquæ esse rerum vade extranearum, et subinde non potuisse ab Ecclesia præcipi, si a Christo præcepta non fuisset; nihil profecto valet: quia tota illa differentia ab hoc Auctore asserta est mere physica, et materialis : et ut Ecclesia præceperit, ut potuit, mixtionem aquæ, satis fuit habuisse exemplum in facto Christi ; quamvis verum, et proprie dictum præceptum ejus non supposuerit. Unde perstat semper vis allati exempli, quod optimum est ad rei præsentis declarationem. Et hinc etiam convelluntur consequentiæ probationes : nam ad primam respondetur illa verba referri ad immediata, et substantialia, nempe ad materiam, et formam, et earum consecrationem : non autem ad mediata, et accidentalia, cujusmodi erant panem esse azymum, et vinum esse mixtum, sacrificium nocte celebrari, et similia. Quæ doctrina voluntaria non est, sed ab ipsis etiam Adversariis admittenda : nam si loquamur de necessitate sacramenti, illa verba *Hoc facite* solum referuntur ad substantialia, videlicet panem, vinum, et consecrationem ; non autem ad accidentalia, utputa ad qualitatem panis, quod sit azymus, et ad conditionem vini, quod sit mixtum aqua: et tamen illa verba *Hoc facite* videntur appellare super totum factum Christi comprehendendo omnia, quæ gesserat. Sicut ergo non important necessitatem

necessitatem sacramenti circa accidentalia, ut ex terminis liquet; sic etiam non important necessitatem præcepti divini circa eadem : nec Adversarii fundamentum habent, ut unam necessitatem excludant, et aliam necessitatem inducant. Per quod etiam patet ad secundam consequentiæ probationem : nam sicut non obstante, quod Christus peregerit consecrationem vini mixti ex vino, et aqua per modum unius, fatendum ab omnibus est vinum esse necessarium necessitate sacramenti, non autem aquam: sic etiam dicimus vinum esse necessitate præcepti divini, secus vero aquæ mixtionem. Et ut sic dicamus, habemus fundamenta § præced. proposita.

Diruuntur confirmationes. Ad primam confirmationem respondetur negando minorem : Christus enim non miscuit aquam vino reduplicative ut legislator, quamvis legislator esset : quia non præcepit hanc cæremoniam, nec id ex Evangelio colligitur, nec ex traditione Ecclesiæ, sed magis oppositum : quippe non præcepit plurima, quæ fecit, et consuluit, ut patet in operibus consilii. Et magis adhuc liquet (quod magis adhuc facit ad rem præsentem), in consecratione panis azymi, cui confirmatio hæc sub eadem omnino forma applicari valet : et tamen certum est consecrationem panis azymi non cadere sub præcepto divino vel quantum ad vim directivam. Ad secundam confirmationen negamus utramque consequentiam. Et ratio disparitatis est satis manifesta : quoniam substantialia, hoc ipso quod substantialia sint, intelliguntur præcepta : vel enim Christus sacramenta instituendo nihil præcepit, quod dicere est absurdum; vel præcepit substantialia. Cæterum accidentalia ejus conditionis sunt, ut licet possint præcipi, tamen non intelliguntur præcepta, nisi de præcepto constet : quod tamen non salvatur in præsenti. Quare sicut hæc confirmatio nequit evincere, quod Christus præceperit consecrationem in pane azymo, sic etiam suadere non valet, quod præceperit consecrationem in vino mixto. Et plane substantialia sunt de necessitate sacramenti, secus vero accidentalia : quod satis declarat diversam oportere haberi de utrisque rationem.

Tertium argumentum. 54. Arguitur tertio : quia non est præsumendum Ecclesiam habere potestatem admiscendi in materiis, et formis sacramentorum aliquid, quod non sit de necessitae sacramenti, vel ex præcepto Christi : sed datur re ipsa præceptum admiscendi aquam vino, quod est materia necessaria ad sacramentum Eucharistiæ : ergo præsumendum est præceptum hujusmodi non esse primo impositum ab Ecclesia, sed a solo Christo Domino. Probatur major : tum quia Ecclesia non habet potestatem mutandi, aut variandi materias, et formas sacramentorum, ut ostendimus Tractatu præcedenti, disputatione 2, dub. 4 ; ergo nec potestatem habet admiscendi sacramentorum materiis, et formis aliquid, quod non sit de necessitate sacramenti. Tum etiam quia licet constet Ecclesiam introduxisse, et præcepisse ritus, et cæremonias circa administrationem sacramentorum pertinentes ad majorem illorum venerationem, et fidelium devotionem ; tamen non legimus, quod Ecclesia in aliis sacramentis, et eorum materiis, et formis aliquid addiderit, vel miscuerit, quod non sit de necessitate sacramenti : ergo præsumendum est Ecclesiam non habere, nec in se recognoscere potestatem ad hujusmodi additamenta circa materias, et formas sacramentorum.

Respondetur negando majorem. Cujus falsitas demonstratur dupliciter; primo nam Christus de facto consecravit in pane azymo, sive absque fermento : et tamen Ecclesia apud Græcos addidit huic materiæ aliquid aliud, nempe fermentum. Secundo, ob generalem doctrinam, quam Concilium Tridentinum sessione 21, cap. 2, tradit his verbis : « Præterea declarat hanc potestatem « perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacra- « mentorum dispensatione, salva illorum « substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ « suscipientium utilitati, seu ipsorum sa- « cramentorum venerationi, pro rerum, « temporum, et locorum varietate magis « expedire judicaret. » Quare cum aliquid possit addi sacramentorum materiis, et formis salva sacramentorum substantia ; dubitandum non est, quod Ecclesia valeat hujusmodi additionem introducere, et præcipere. Idque a fortiori liquet in re, quam versamus : nam cum Christus vino consecrando aquam miscuerit, licet hanc mixtionem præcepto non jusserit; habuit Ecclesia optimum exemplum ad practicandam hanc mixtionem, et sacerdotibus præcipiendam : recognoscit enim ex ipso Christi facto nihil in tali mixtione occurrere indecens, aut sacramento contrarium. Ma-

Solutio.

Concil. Trident.

joris autem probationes nihil valent : nam ad primam jam diximus Ecclesiam posse disponere circa sacramenta, salva tamen illorum substantia juxta institutionem Christi: materiæ autem, et formæ pertinent ad sacramentorum substantiam: unde ex eo, quod Ecclesia nequeat mutare materias, et formas sacramentorum ; minime sequitur, quod nequeat illis aliquid addere, aut miscere non pertinens ad eorum substantiam : sed magis infertur oppositum. Ad secundam jam diximus Ecclesiam apud Græcos addidisse pani, qui est hujus sacramenti materia, circumstantiam fermentati: et arduum non esset ostendere similes additiones in aliquibus sacramentis : ex eadem itaque ratione potuit præcipere, et præcepit, ut vino consecrando admisceretur modicum aquæ.

Corrollarium. 55. Hinc colligunt communiter Theologi Ecclesiam occurrente rationabili causa posse in hoc præcepto miscendi aquam dispensare; quin et Summun Pontificem posse absolute hanc cæremoniam abrogare. Nam cum obligatio hæc exequendi non sit a Christo Domino, sed ab Ecclesia illam præcipiente; potest per eandem Ecclesiam tolli, S. Tho vel in toto, vel in parte. Unde cum D. Thomas in 4, dist. 27, quæst. 3, art. 3, similem difficultatem versaret, et sibi opposuisset neminem posse dispensare in his, quæ sunt de necessitate sacramenti, respondit his verbis : « Ad secundum dicendum, « quod hoc verum est quantum ad ea, quæ « sunt de jure naturali, et quantum ad ea, « quæ sunt de necessitate sacramentorum, « et fidei. Sed in aliis, quæ sunt de institutione Apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc eandem potestatem statuendi, « et destruendi, quam tunc habuit; potest « per eum, qui primatum in Ecclesia tenet, « dispensari. » Vix autem, aut nunquam occurret rationabilis causa hujus dispensationis : tum quia aqua ubilibet reperitur : tum quia ejus applicatio in modicissima quantitate nequit esse suscipienti incommoda, aut sacramento indecens, aut ex alio titulo incongrua. Cujus signum est, quod nunquam hactenus in hoc præcepto dispen-Aliud. satum fuerit. Unde a contrario sensu colligitur neminem posse privata auctoritate in hoc præcepto dispensare, sive celebrare non apponendo aquam in vino consecrando. Tum quia moraliter repugnat occurrere necessitatem celebrandi absque isto ritu, ut proxime ostendimus. Tum quia permisso, quod occurrat ; nihilominus non datur obligatio conficiendi, aut sumendi hoc sacramentum, nisi commode, et decenter juxta præscriptum Ecclesiæ confici, et sumi valeat : unde sicut ob hanc rationem nullus sacerdos Ecclesiæ Latinæ posset propria auctoritate consecrare in pane fermentato, aut non jejunus, aut sine sacris vestibus, ut diximus num. 23, sic etiam non posset celebrare in vino aqua non mixto. Et ita contra Martinum de Ledesma, Martinonum, et alios recentiores docent communiter alii Theologi, Suarez disp. 45, Suarez. sect. 2, § Nihilominus, Villalobos tract. 7, Villalob. Prado. difficult. 7, num. 3, Prado quæst. 74, Vazq. dub. 9, nu. 27, Vasquez disp. 177, cap. 2, Leand. num. 16, Leander disp. 8. quæst. 44. et alii.

DUBIUM IV.

Utrum aqua infusa vino consecrando convertatur immediate in sanguinem Christi?

Res nunc occurit apud antiquos certa, sed a Recentioribus in dubium vocata : pro qua tanta hinc inde dicta occurrunt, ut nova edere, et prolixiorem texere disputationem, non minus supervacaneum censeamus, quam ligna in silvam ferre. Quare magis curabimus fusius ab aliis dicta contrahere, atque in ordinem redigere. In eligendo autem sententiam minime cunctabimur, qui nihil magis in animo habemus, quam vera, et antiqua tueri. Et ideo.

§ I.

Præfertur sententia communis, et auctoritate fulcitur.

56. Dicendum est aquam vino consecrando Conclusio. infusam non converti immediate, in sanguinem Christi, sed tantum mediate, quatenus prius convertitur in vinum, quod transubstantiatur in sanguinem. Hæc est Fundamentum ab auctoritate. vera, antiqua, et communis Theologorum sententia, ut infra dicenda demonstrabunt. Et probatur primo auctoritate Innocentii Tertii in cap. *cum Martha,* de celebratione Innocentius III. Missarum, ubi respondens ad quasdam interrogationes Archiepiscopi Lugdunensis circa mysterium altaris, post quædam alia inquit : « Quæsivisti etiam, utrum aqua « cum vino in sanguinem convertatur.

Super

« Super hoc autem opiniones apud Scho-
« lasticos variantur. Aliquibus enim videtur, quod cum de latere Christi duo præcipua fluxerint sacramenta, redemptionis in sanguine, et regenerationis in aqua : in illa duo vinum, et aqua, quæ commiscentur in calice, divina virtute mutantur : ut in hoc sacramento plena sit veritas, et figura. Alii vero tenent, quod aqua transsubstantiatur in sanguinem, cum in vinum transeat mixta vino : licet Physici contrarium asseverent, qui aquam vino per artificium posse asserunt separari. Præterea potest dici, quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa, ita quod vini saporem assumit : quod inde convincitur, quia si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur : sed accidentibus prioris vini commixtum, corpori, quod sub eis latet, undique circumfunditur etc. Verum inter prædictas opiniones illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari. » Hæc omnia Innocentius. In quibus manifestum est tres circa istud punctum sententias distinxisse : primam, quod aqua infusa calici convertitur, non quidem in Christi sanguinem, sed in aquam, quæ ex Christi latere fluxit : secundam, quod aqua cum vino mixta transeat in vinum, transsubstantiatur in sanguinem; quamvis aliqui Physici negent illud principium conversionis aquæ in vinum : tertiam, quod aqua non convertitur in sanguinem, sed manet in calice accidentibus circumfusa. Ex prædictis autem sententiis inquit Pontifex illam judicari probabiliorem, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari. Hæc autem est secunda sententia asserens aquam converti in sanguinem Christi, cum in vino transeat mixta vino. Ergo Pontifex hanc sententiam ut probabiliorem approbavit : atque ex ejus mente aqua convertitur in sanguinem Christi, non quidem immediate aut per se, sed mediate, et ratione vini, quatenus mixta vino transit in vinum, istudque immediate in Christi sanguinem transmutatur.

Prima Adversariorum responsio. 57. Mirum est, quanta excogitaverint Recentiores ad labefactandum hujus testimonii vires. Coninckus respondet Pontificem approbare secundam sententiam, quantum ad conversionem aquæ in sanguinem: sed hanc sententiam esse bimembrem: nam et continet conversionem mediatam, quam Papa expresse recenset ; et continet conversionem immediatam, quam breviter attingit, quatenus meminit opinionis Physicorum negantium conversionem aquæ in vinum. Unde non sequitur, quod Innocentius magis approbaverit sententiam, quæ docet aquam converti mediate in vinum, aut quod minus approbaverit sententiam, quæ docet aquam converti immediate in sanguinem: sed solum quod commendaverit sententiam, quæ docet aquam in sanguinem converti, abstrahendo a modis, quod conversio fiat mediate, vel immediate. Idque confirmat : tum quia nisi id dicamus, sequitur consultationem Archiepiscopi, et responsionem Pontificis esse impertinentes et nugatorias : sicut enim nemo Catholicorum dubitat vinum converti in sanguinem; sic etiam nemo dubitare potuit aquam conversam in vinum, et factam vinum converti in sanguinem : ergo consultatio, et decisio debuerunt ab hac suppositione præscindere. Tum etiam quia Pontifex illam sententiam magis probavit, quæ erat tunc magis recepta : hæc autem asserebat aquam converti in sanguinem, sive prius conversa fuerit in vinum, sive non, ut constat ex Baronio anno 1188, ubi refert hanc *Baron.* eandem disputationem ex Gaufredo, qui illam proposuit Episcopo Albanensi tunc Vicario Pontificis, et addit Annalista : « Quod autem rescripsit ad petitam consultationem Cardinalis Episcopus Albanensis, non invenimus : sed aliud rescribere non potuisse certum est, quam quod credidit, et custodivit semper Romana Ecclesia, nimirum aquam simul et vinum transsubstantiari in sanguinem Christi. »

Refellitur. Sed hæc responsio longe exulat a mente Pontificis, et falsitatis convincitur : nam Pontifex approbavit sententiam, quam secundo loco proposuerat, ut ipsa responsio admittit : atqui illa sententia non fuit bimembris, aut complectens duas illas partes quæ in hoc effugio recensentur ; sed determinate docuit aquam prius in vinum conversam transsubstantiari in sanguinem Christi : ergo hanc determinate sententiam approbavit Innocentius. Probatur minor primo, quia Pontifex illam sententiam refert per modum unius absque ulla subdivisione, ut constat ex illis verbis, *Alii vero*

tenent, etc. denotans istos idem sentire, non quosdam unum, et quosdam aliud, ut responsio fingit. Secundo, quia prædicti non aliter admittebant conversionem aquæ in sanguinem, nisi sub conditione conversionis aquæ in vinum, ut satis evidenter mafestant illa verba, « Quod aqua transsubs« tantiatur in sanguinem, cum in vinum « transeat mixta vino: » quæ locum omnino præcludunt abstractioni, et subdivisioni in hoc effugio intentatæ, quod transsubstantiatio aquæ in sanguinem contingat aliquando supposita conversione aquæ in vinum, et aliquando independenter ab hac suppositione. Tertio, quia Pontifex addit nihil ad veritatem prædictæ sententiæ referre, quod aliqui Physici, sive Medici senserint aquam in vinum non transmutari : quo additamento opus minime haberet, si ea sententia procederet sub illa abstractione, et disjunctione, quam intendit responsio. Fuit itaque prædicta sententia unica, et simplex, non aliter concedens conversionem aquæ in sanguinem, quam præsupposita aquæ in vinum conversione. Et hanc ex prædictis, et a se relatis opinionibus prætulit Innocentius.

Motiva responsionis evertuntur. Prima vero responsionis confirmatio est omnino contemnenda : quia nec consultatio, nec Pontificis responsio fuit de aqua in vinum conversa; sed Archiepiscopus consuluit in genere, utrum aqua, quæ in calice apponitur, convertatur in sanguinem Christi, et Pontifex respondit in eodem sensu prædictam aquam in sanguinem converti, *cum in vinum transeat mixta vino :* quod non est supponere conversionem aquæ in vinum ex parte hypothesis, sed limitare responsionem, et reddere rationem illius, nempe tunc aquam transire in sanguinem, quando transit in vinum ; et ideo transire in sanguinem, quia per mixtionem vinum fit, et in vinum transmutatur, quod est hujus sacramenti materia. Altera autem ejusdem responsionis confirmatio eadem facilitate dispellitur : nam sententia tempore Innocentii magis recepta erat hæc ipsa, quam defendimus, nempe « aquam « transsubstantiari in sanguinem cum in « vinum transeat mixta vino : » et juxta eam respondit Pontifex, illam cæteris præferendo. Et sic præsumendum etiam est respondisse Episcopum Albanensem consultationi Gaufredi de Claraval, cujus meminit Baronius loco citato. Proposuerat enim ille aliquos sentire, quod vinum mixtum aqua convertitur in sanguinem Christi, sicut panis mixtus ex farina, et aqua convertitur in Christi corpus ; satis aperte significans se loqui de mixtione perfecta vini, et aquæ : sicut farina, et aqua perfecte miscentur, ut fiat panis, qui est materia consecrationis quantum ad speciem corporis. Nec plus aliquid dicit Baronius, ut magis se declarat anno 1192, asserens, quod conversionem sanguinis fieri in vino, cum commixtio intercederet, docuit antiquitas : et contrariam sententiam negantium eo tempore aquam vino mixtam converti in sanguinem vocat *hæresim nuper exortam.* Ubi necessarium est Annalistam loqui de aqua perfecte vino mixta, sive in vinum conversa. Nam de aqua non conversa, sed præcise juxta vinum posita, dicere quod in sanguinem non convertitur ; nulla est vel per imaginationem *hæresis;* sed tunc, et hodie verior, et communior sententia ; nec de hoc dubitare potuit Baronius, aut alius quis, cum res sit facti, et evidenter constet ex ipsis Auctoribus, ut statim ostendemus. Nota. Quod si quis contendat testimonium Baronii magis premere, aut ejus circa hæc auctoritatem ulterius promovere ; nihil magni momenti consequetur, sed coget respondere cum eximio sanctitate, et sapientia Doctore Guillelmo Estio in lib. *Orationum Theolog.* orat. 17, quam (sicut et 15, et 16,) de hoc eodem argumento scripsit : « Possemus sine Estio. « injuria dicere optimum Baronium Histo« riæ totum intentum intimam dogmatum « Theologicorum notitiam non habuisse. « Veruntamen illud magis placet virum « doctissimum multa lectione, ac scriptione « occupatum, et semper ad alia properan« tem, non satis considerasse sensum « quæstionis. »

58. Aliter prædictæ Decretali occurrit Angelus Manriquius in suis Annalibus, anno 1202, cap. 2, numero 6, dicens Innocentium ultra tres a se narratas opiniones addidisse quartam, et ultimam de immediata aquæ in sanguinem conversione, licet prius non transisset in sanguinem. Quam Pontifex prætulit illis verbis : *Verum inter prædictas opiniones illa probabilior judicatur etc.* Nam hæc verba referri optime potuerunt ad sententiam statim, et de novo proponendam. Illamque Innocentius tam breviter confirmavit : quia consulens statum quæstionis tunc in Gallia acriter agitatæ Secunda responsio. Manriq.

tatæ recte cognoscebat, et in eam partem, quam Pontifex prætulit, inclinabat, Quod magis confirmat Bernal disputatione 28, sectione 4, § 1, late contendens Pontificem quatuor retulisse sententias, et ultimo loco illam, quam prætulit, de immediata aquæ conversione in sanguinem Christi. Nam Pontifex (arguit Bernal) referre debuit omnes circa istud punctum sententias excogitabiles : quare non potuit, nec debuit illam omittere, quæ jam ante annos decem multis placebat, ut constat ex Gaufredo illam significante, atque in ipsam propendenti in consultatione supra relata ad Episcopum Albanensem.

Bernal.

Confutatur. Hæc tamen commenta sunt liberi ingenii, nullum habentia fundamentum in prædicta Decretali, sed illi vim inferentia. Quod enim primo loco dicitur, sola, et sincera textus lectione dispellitur : nam illa verba *Verum inter prædictas opiniones etc.* non introducunt novam, et distinctam a relatis opinionem, sed declarant quam existimationem de illis jam relatis habuerit Pontifex, earum aliquam præferendo. Manifestum namque est ly *inter prædictas* non significare aliud, quam sententias prius dictas, et immediate relatas. Quare attribuere Pontificis prælationem alteri non prius dictæ, nec relatæ sententiæ, mentem judicantis deturbat, evertitque totius responsionis contexturam. Bernalis confirmatio est mera violentia : quia Pontifex opus non habuit referre omnes sententias excogitabiles circa istud punctum ; alias referre debuisse somnia, et deliria. Sed retulit tres illas principaliores, quarum tamen nulla dicebat aquam manentem in propria substantia, et cum vino confusam converti in sanguinem Christi. Secunda vero dicebat aquam, cum in vinum transeat mixta vino, in eum sanguinem transsubstantiari: et hanc approbavit Pontifex. Nec motivum illius Auctoris aliquid valet: nam sententia a Gaufredo proposita, et quæ multis placebat, non erat aquam converti immediate in sanguinem, sed aquam in calice positam converti in sanguinem. Et hanc sententiam prætulit Pontifex, cum modificatione tamen, et sub conditione, quod aqua *in vinum transeat mixta vino:* sicut asserebat tertia *inter prædictas opiniones* ut ipse loquitur.

Tertia responsio. 59. Tertio respondet Lugo disput. 4, sect. 2, quod quamvis Pontifex, cum retulit secundam opinionem, nempe aquam converti in sanguinem, retulerit etiam eam rationem, quod aqua transit in vinum : nihilominus postea, quando ex propria mente loquitur, prædicta ratione non utitur : sed absolute docet aquam in sanguinem converti, et assignat rationem diversam, ut constat ex sequentibus verbis: « Ut « expressius eluceat proprietas sacramenti. « Nam cum aquæ multæ sint populi multi, « juxta quod alibi legitur, Beati, qui se- « minatis super omnes aquas: ideo vino « aqua unitur, ut Christo populus adune- « tur, etc. » Ad hoc autem magis confert, quod aqua, et vinum existentia in propriis substantiis in Christi sanguinem immediate convertantur. Lugo.

Evertitur. Cæterum hoc effugium relabitur in præcedentia jam confutata. Nam juxta illud opus est dicere, quod Pontifex ab illis verbis : *Verum inter* etc. proposuerit quartam, novam, et distinctam opinionem ab omnibus a se relatis : siquidem nulla ex præcedentibus affirmabat aquam converti immediate in sanguinem Christi. Unde fit impropriari totam illam Pontificis censuram. *Verum inter prædictas* (id est, jam dictas, et immediate relatas) *opiniones illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari.* Quippe sententia, quam Lugo comminiscitur, minime recenseri valet *inter prædictas opiniones:* sed est alia longe diversa. Unde ejus responsio eisdem subditur impugnationibus, quibus superiores. Quod vero ipse addit, facile excluditur : nam Pontifex opus non habuit referre iterum secundam sententiam cum omnibus conditionibus, et modificationibus, quas proxime recensuerat : sed satis consultationi fecit talem sententiam a se relatam approbando, et præferendo. Nec Pontifex secundam sententiam referendo fundamentum (ut ille imaginatur) proposuit in illis verbis : *Cum in vinum transeat mixta vino,* sed expressit conditionem omnino necessariam, ut aqua convertatur in sanguinem. Unde convenienter postea adhibuit rationem congruentiæ in relatis verbis expressæ. Ad quam tamen minime requiritur, quod aqua, et vinum maneant in propriis substantiis , quando convertuntur: sed satis est distingui, et copulari quando conjunguntur, et offeruntur. Sicut etiam sacramentum hoc significat unionem fidelium ;

quia species corporis fit ex multis granis, et species sanguinis ex multis uvis : et nihilominus grana prius convertuntur in panem, et uvæ in vinum; nec aliter valent in Christi corpus, et sanguinem transmutari.

60. Ista sunt principaliora effugia, quibus Recentiores utuntur ad declinandum auctoritatem oppositæ Decretalis : quare eis convulsis, opus est ruere alias minoris momenti ab aliis excogitatas: quas proinde consulto omittimus. Sed ut evidentius constet de mente Innocentii in prædicta Decretali, et illa, aliaque subterfugia præcludantur, duobus mediis magis compendiosis utemur, quibus convincendum intellectum recte dispositum non dubitamus. Et primum desumitur ex ipso Innocentio, quo nemo melius potuit propriam sententiam intelligere, aut se interpretari. Igitur sapientissimus hic Pontifex scripsit opus de sacrificio Missæ; et quod ipsum non juvenis, sed Pontifex jam factus absolverit, atque ediderit, constat ex his, quæ scribit ad fidem libri 6, ubi ait: « Præsertim cum « ex officio tot causarum sim impeditus « incursibus, tot negotiorum nexibus irre- « titus. » In prædicto itaque opere libro 4, cap, 31, hanc eandem, quam tractamus, quæstionem versans inquit : « Qui- « busdam vero non absurdum videtur, « quod aqua cum vino transit in sangui- « nem, ea videlicet ratione, quod aqua per « admixtionem transit in vinum, et vinum « per consecrationem transit in sangui- « nem. Qui enim ambigat aquam in vinum « transire, cum multo vino modicum « infunditur aquæ? » Hæc omnia Innocentius. Et istam sententiam ipse simpliciter sequitur. Ergo de hac ipsa loquebatur, cum dixit : « Verum inter prædictas opi- « niones illa probabilior judicatur, quæ « asserit aquam cum vino in sanguinem « transmutari : » nemo enim facile credet Innocentium ut Pontificem ad consulta respondentem vel rejecisse, vel non magis probasse sententiam illam, quam amplectebatur ut peculiaris Doctor, et tam evidenter asseruerat in illo opere. Ubi observet lector Adversarios magnam vim ponere in illis Decretalis verbis, *Quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari*, quasi Pontifex significaverit duo illa ut distincta, et in propriis substantiis permanentia transire immediate in sanguinem Christi, ut specialiter, et late expendit Lugo loco citato. Sed hic illorum conatus manifeste contunditur verbis relatis ex alio opere, ubi Innocentius eadem phrasi utitur, *Quod aqua cum vino transit in sanguinem*, et tamen eam propositionem statim declarat in sensu a nobis intento, et communiter recepto, immediate subdens, « Ea videlicet « ratione, quod aqua per admixtionem « transit in vinum, et vinum per conse- « crationem transit in sanguinem. » Quo nihil expressius dici potuit, nihilque Innocentii mentem magis declarans in utroque testimonio. Observet etiam lector principium illud ab aliquibus Recentioribus assumptum, et quod promovere maxime curant, nempe aquam non posse converti in vinum, evidenter sperni, atque refelli ab Innocentio illis verbis. « Quis enim « ambigat aquam in vinum transire, cum « multo vino multum infunditur aquæ? » Notet denique incidenter nihil a Junioribus excogitari, quod antiquiores, et sapientiores sub oculis non habuerint.

Vehemens confirmatio circa mentem Pontificis.

Notabile contra Adversarios.

61. Secundum, et non minus evidens medium ad evincendum non aliam fuisse Pontificis mentem in ea Decretali, quam a nobis assertam, desumitur a communi Scriptorum consensu. Etenim omnes Canonistæ, et Theologi, qui post Innocentium scripserunt, prædictam Decretalem ita intellexerunt usque ad præsens sæculum, aut finem præcedentis, in quo aliqui moderni illam aliter exponere, et detorquere ad proprios sensus conati sunt. Nemo vero prudens judicabit commune Doctorum agmen deceptum fuisse; aut paucis modernis deferet melioris interpretationis adoream : præsertim si auctoritatem cum auctoritate conferat. Assumptum autem demonstratur, atque in primis in genere loquendo ex Catechismo Tridentino edito jussus Pii Quinti cap. 4, § 17, et Sacerdotalis Romani 1 parte tract. 10, cap. 2, quæ habent magnam in Ecclesia authoritatem. Catechismus enim assignans rationem, cur aqua in modicissima quantitate debet apponi, inquit : « Nam Ecclesiasticorum « Scriptorum sententia, et judicio aqua illa « in vinum convertitur. » Sacerdotale vero ait : « Aqua, quæ in calice vino ad- « miscetur, debet esse in modica quanti- « tate : quia eam in vinum converti « oportet. » Et Gravina tom. 3 *Catholicarum præscript.* controv. 1, *de Patrum sensu,*

Urgens alia confirmatio circa mentem Innocentii.

Catech. Pii V. Sacerdotale Rom.

Gravina

sensu, quæstione 1, articulo 8 ad 29, exponens aliquos Doctores, testatus est de Indice correctorio Romano in hunc modum: « Si de immediata conversione loquantur, « ut etiam aqua convertatur in sanguinem, « caute legendi sunt, ut correctorius Index « Romanus advertit. »

(*Communis Theologorum sententia. D. Tho.*) Sed descendamus magis specialiter ad Theologos, et agmen ducat eorum Princeps Divus Thomas, qui in præsenti quæstione articulo 8 relatis, et rejectis aliquibus opinionibus, quas Innocentius in ea Decretali recenset, ait : « Et ideo, sicut « ipse dicit, aliorum opinio probabilior « est, qui dicunt aquam converti in vi- « num, et vinum in sanguinem. Hoc au- « tem fieri non posset, nisi adeo modicum « apponeretur de aqua, quod converteretur « in vinum. » Et in 4, distinctione 11, quæstione 2, articulo 4, quæstiunc. 1, in secundo sed contra ait : « Oportet, quod « aqua consumatur a vino ad hoc, quod ex « parte sanguinis sit tantum una species, « sicut ex parte corporis : sed non posset « consumi, si aqua in magna quantitate po- « neretur : ergo non debet in magna quanti- « tate poni. » Et super 1 *ad Corinth.* capitulo 11, lectione 6, in fine inquit : « Et ideo « dicendum est, quod aqua convertitur in « vinum : et sic totum convertitur in san- « guinem Christi. Propter quod mos est « modicum de aqua apponere, et præcipue « si vinum sit debile, quod non potest nisi « modicum aquæ in se ipsum convertere. » Et in 4, *ad Anibaldum*, distinctione 11, quæstione unica, articulo 4 ad 4, relata illorum opinione, qui negant aquam posse in vinum converti, subdidit : « Sed hæc « positio et contra naturam est, per quam « videmus parvam aquam a multo vino « absumi. » Idem tradit in plurimis aliis locis quæ refert Prado in hac quæstione dub. 10, § 2, a numero 7. Angelicum Doctorem sequuntur unanimiter omnes Thomistæ, (*Paludan. Soto. Sylvest. Tabiena. Armilla. Javellus. Viguer. Nugnus. Serra. Arauxo. Joan. a S. Tho.*) Paludanus in 4, distinctione 11, quæstione 1, in fine, Soto ibidem distinctione 9, quæstione 1, articulo 6, conclusione 3, Sylvester verbo *Eucharistia*, quæstione 2, Tabiena, et Armilla in eodem verbo, Javellus in 5, parte *Philosophiæ Christianæ* tractatu 4, capite 3, dubio 5, Viguerius *in Institutionibus*, capite 16, § 3, vers. 1, Nugnus, Sylvius, et Serra in præsenti articulo 7, et 8, ubi Arauxo dub. 2, Joannes a Sancto Thoma disput. 27, articulo 3, Prado loco cit. Gonet disput. 3, artic. 4, Labat disput. 4, dub. 4, § 2, Contenson dissert. 2, cap. 2, quæsito 1, Coquetius in integro opusc. *de mixtione aquæ in calice Eucharistico*, Hiacinthus Petronius in alio integro opusc. de eadem materia. Joannes a Cruce *in Direct. consc.* part. 2, *de Eucharist.* quæst. 1, dub. 3, Cardinalis Capisuccus in suis selectis quæst. *An aqua sacri calicis* etc. Noster Cornejo artic. 8. Noster Philippus disput. 2, dub. 4. Noster Franciscus plurimos referens cap. 4, punct. 4. Et denique neminem Thomistarum vidimus, qui oppositum doceat. Solent tamen Adversarii pro se referre Petrum de Soto, sed fide non bona : nam venerabilis hic Auctor lect. 14, *de Eucharistia*, § *Circa vinum* hæc tradit : « Ubi etiam B. Thomas « articulo 8 ejusdem quæstionis docet « aquam in tam parva quantitate appo- « nendam, ut convertatur in vinum, nec e « contra aqua vinum convertat in se, aut « corrumpat : deesset enim vera materia. « Nec opus est scrupulose quærere, ubi « aqua apposita maneat ? Totum enim, « quod in calice est, vinum est : et id con- « vertitur in sanguinem Christi. »

(*Prado. Gonet. Labat. Contens. Coquet. Petron. Joann. a Cruce. Capisuc. N. Corn. N. Phil. N. Fran. Petrus de Soto.*)

62. Idem etiam docent communiter gravissimi Scholastici B. Albertus in 4, dist. 12, artic. 9, ubi ait : « Dicendum aquam « non misceri ut materiam, sed ut signum « unionis populi, et absorbendam a vino : « unde non est mixtio ; sed transmutatio « aquæ in vinum, ex Philosopho 1 de ge- « nerat. capite ultimo. Scotus in 4, distin- « ctione 11, quæstione 7, ubi inquit : Aqua, « quæ admixta est, non vertitur in san- « guinem, nisi prius sit conversa in vi- « num : et ita modica apponenda est : et « sic tempestive, quod possit consecratio- « nis tempore versa esse in vinum. » Abulensis *Parad.* 2, capit. 33, ait : « In calice « solum vinum est, quod consecratur, « aqua in vinum prorsus mutata. » Similia omnino tradunt Alensis 4, parte quæstione 10, membro 4, articulo 1, § 5. Vincentius Bellovacensis libro 8 *Speculi histor.* capitulo 29. Altisiodorensis *in summa* libro 4, tractatu 5, capite 2. Div. Bonaventura in 4, distinctione 11, artic. 2, quæstione 3. Durandus quæstione 5. Noster Joannes Bachon. distinctione 8, quæstione 4. Noster Michael de Bononia ibi quæstione 3, articulo 3. Argentinas distinctione 11, in 2 parte, quæstione 1, articulo 1. Gabriel dis-

(*Scholastici. B. Alb. Scotus. Abulens. Alensis. Bellov. Altisiod. D. Bon. Durand. N. Bach. N. Bon. Argent. Gabriel.*)

Major. Bassolis. Pitigian. tinctione 11, quæstione 2, dub. 3, et lectione 35, in can. Missæ. Major distinctione 11, quæstione 2. Bassolis distinctione 8, quæstione 1, articulo 1, circa finem. Pitigianus distinctione 11, quæstione 7, dub. 2. Tartaretus, et omnes Scotistæ, ut testatur Prado loco cit. num. 13.

Recentiores. Valenc. Suarez. Vazqu. Azor. Henriq. Turrian. Reginal. Granad. Hurtado Tanner. Palaus. Filliuc. Fagund. Amicus. Conimb. Masch. Quantum vero attinet ad moderniores Scriptores, hoc ipsum ex Jesuitis docent Valencia quæstione 2, disput. 7, punct. 1, disput. 45, sect. 4, Suarez disput. 45, sect. 4, Vazquez disput. 177, cap. 3, Azor tom. 1, lib. 10, cap. 30, quæst. 3, Henriquez lib. 8, cap. 12, num. 4, Turrianus in selectis, centur. 3, dub. 37, Reginaldus 1, parte lib. 29, num. 26, Granados tract. 2, disp. 4, per quinque sectiones, Gaspar Hurtado disput. 2, difficult. 14, Tannerus disput. 2, dub. 6, Castro Palaus tract. 21, disput. unica, punct. 5, Filliucius tract. 4, cap. 3, quæst. 10, Fagundez præcepto 3, lib. 2, cap. 4, Amicus disp. 10, sect. 5, Conimbricenses lib. 1, de Generat. cap. 10, quæst. 1, artic. 2, Mascarenhas tractatu 4, disputatione 2, capite 7, numero 74, et alii.

Estius. Basilius Bonacin. Homob. Villalob. Aversa. Grassius. Perez. Tapia. Heredia Aguirre. Gavant. Machad. Ochagav. Leand. N. Orl. N. Lez. N. Aug. Trullen. Ex cæteris autem sic etiam docent Guilelmus Estius orat. 15 et 16, et 17. Basilius Pontius in speciali opusculo, quod majori ex parte suis scriptis inseruit Arauxo loco citato. Bonacina quæst. 2, punct. 4, proposit. 5. Homobonus *de examine Eccles.* part. 1, tract. 4, cap. 10, quæst. 86. Willalobos tom. 1, tractatu 7, difficult. 7, num 5. Aversa quæst. 2, sect. 7. Grassius tom. 1, lib. 3, conclus. 8, num. 29. Sebastianus Perez in præsenti quæstione artic. 5, in quæst. *de aqua vino miscenda* num. 3. Didacus Tapia *de Eucharist.* quæst. 2, artic. 10. Heredia in repet. *de Eucharistia* part. 3, dubio 1, numero 10. Cardinalis Aguirre in lib. *de Generat.* disput. 62, section. 2, numero 8, in fine. Kelisonus in præsenti artic. 8, dub. unico. Gavantus 3 par. tit. 4. in fine. Machado tom. 1, lib. 3, par. 1, tract. 6, docum. 3. Ochagavia tract. 1, *de Eucharist.* quæst. 11, nu. 4. Leander disp. 8, quæst. 52. Herinx disp. 2. Nostri Orlandus, Lezana, et Augustinus a Virgine apud Bonæspei disput. 2, dub. 2, resolut. 2, num. 56. Trullench lib. 2, cap. 1, dub. 3, et alii plures.

Aliquorum censuræ. 63. Ex his satis demonstrari existimamus assumptum num. 61 propositum. Porro ex Auctoribus relatis aliqui non solum assertionem communem tuentur, sed ejus certitudinem exaggerant, et oppositæ aliquam censuram (a qua nos abstinemus), videntur inurere. Azor, et alii plurimi observant nostram esse « commune placitum « Theologorum. » Gabriel affirmat esse « sententiam indubitatam. » Henriquez, et Pitigianus dicunt « oppositum esse teme- « rarium, et contra torrentem Doctorum. » Gravina post verba supra relata addit : « Quare mirandum est, quod post corre- « ctionem Romanam Coninck hanc sen- « tentiam sequi voluerit. » Aversa notat, quod opposita nobis sententia « ab initio « non satis bene audiebat, sed modo jam « permittitur. » (Plurima tamen permittuntur, quæ non approbantur.) Herinx observat talem sententiam « tempore Inno- « centii non fuisse notam, vel saltem non « fuisse dignam relatu. » Bonæ-Spei (licet utramque problematice sustineat), fatetur nostram fuisse « communem Tho- « mistarum, Scotistarum, et Theologorum « ante Alanum. » Quin Alanus ipse loco infra referendo ait : « Omnium Ecclesias- « ticorum judicio defenditur aquam me- « dice infusam in vini substantiam prorsus « desinere. » Suarez affirmat « antiquorum « omnium sensum, et quasi indubitatam « sententiam fuisse, aquam vel manere in « sua substantia, vel converti in vinum. « Quod argumentum in materia sacramen- « torum est valde efficax. » Ochagavia dicit oppositum « non videri probabile. » Arauxo, vel potius Basilius Pontius apud ipsum, relata nostra sententia, subjungit : « Est « communiter a Theologis recepta, et ideo « a nobis statuitur pro conclusione in eo « gradu certitudinis, ut oppositum sine « gravi nota defendi non possit, ut aliqui « putant : aut etiam sine temeritate, ut « aliis placet : aut saltem tenenda est ut « certissima, ut vult Suarius : et ut magis « conformis Concilio Tridentino, ut nobis « placet. »

§ II.

Rationes theologicæ pro eadem assertione.

64. Probatur secundo eadem conclusio ratione : nam id, quod immediate convertitur in sanguinem Christi, est materia sacramenti Eucharistiæ : sed aqua non est materia sacramenti Eucharistiæ : ergo aqua non convertitur immediate in sanguinem Christi : Prima ratio.

Christi : atque ideo eatenus aqua vino superinfusa in sanguinem Christi convertitur, quatenus transit in vinum, quod deinde transsubstantiatur in sanguinem. Utraque consequentia patet. Et major est evidens pro qualitate rei, quam versamus: tum quia materiæ nomine respectu sacramenti Eucharistiæ non aliud intelligunt Theologi, nisi quod immediate convertitur in corpus, et sanguinem Christi: tum quia hac de causa panis, et vinum dicuntur ab omnibus hujus sacramenti materia, quoniam in corpus, et sanguinem Christi immediate convertuntur: ergo id, quod immediate convertitur in sanguinem Christi, est materia sacramenti Eucharistiæ. Minor autem probatur primo ex decreto Eugenii IV In Concilio Florentino, ubi agens de numero, materia, et forma sacramentorum inquit: « Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia panis triticeus, et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quia juxta testimonia Sanctorum Patrum creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum. » Quibus verbis Pontifex distincte dixit, et aperte diffinivit materiam Eucharistiæ quoad utramque speciem esse panem triticeum, et vinum vitigineum. Aquam autem non dixit esse materiam, sed dixit admisceri debere vino, quod prius materiam asseruerat. Nec dixit aquam debere vino admisceri, quia sit materia sacramenti, vel pars illius; sed quia creditur Dominum ita fecisse. Et denique dixit aquam debere opponi in modicissima quantitate: quod impertinens foret, si aqua esset hujus sacramenti materia. Ergo juxta doctrinam, et diffinitionem Pontificis aqua non est materia sacramenti Eucharistiæ. Probatur secundo ex Concilio Tridentino, quod ubicumque agit de materia hujus sacramenti, semper assignat solum panem, et vinum, aquæ vero nullatenus meminit. Unde sess. 13, cap. 3, docet « verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, et specie, una cum ipsius anima, et divinitate existere : sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub specie vini ex vi verborum. » Et can. 2 : « Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis, et vini una cum corpore, et sanguine Domini nostri Jesu Christi ; negaveritque mirabilem, et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, et vini etc. anathema sit. » Et cap. 4, ejusdem sessionis : « Sancta hæc Synodus declarat per consecrationem panis, et vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiæ vini substantiam sanguinis ejus. » Et similia sæpe repetit sess. 21, et 22, nullam aliam hujus sacramenti materiam assignans, quam panem, et vinum. Ex ejus itaque sententia aqua non est hujus sacramenti materia. Probatur tertio ex Julio Primo relato in cap. *cum omne de consecrat.* dist. 2, et Concilio Carthaginensi Tertio, cap. 24, et Concilio Altisiodorensi, cap. 8 ; nam cum assignant materiam hujus sacramenti panem, et vinum, minime recensent aquam. Probatur quarto, et ultimo, quia nullum Concilium proferent Adversarii, quod dixerit, docuerit, aut insinuaverit aquam esse materiam sacramenti Eucharistiæ. Ergo aqua non est hujus sacramenti materia.

Concil. Florent. — Concil. Trident. — Julius I. — Concil. Carth. 3. — Concil. Altisiod.

65. Duplici via conati sunt Adversarii vim hujus motivi, quod plane est gravissimum, elevare. Nam quidam respondent duplicem materiam distingui debere in hoc sacramento: aliam necessariam, sine qua tale sacramentum quoad speciem sanguinis confici non valet; et hanc recognoscunt esse vinum de vite : aliam vero liberam (sic loquuntur), in qua, si adhibeatur, et vino conjungatur, sacramentum quantum ad illam speciem fieri potest; et istam dicunt esse aquam vino mixtam. Concilia ergo (subjungunt illi) solum agunt de materia Eucharistiæ necessaria, quare merito solum vinum assignant. Sed inde non sequitur, quod aqua conjuncta vino nequeat esse materia libera talis sacramenti, quæ immediate in Christi sanguinem convertatur. Idque declarant exemplo peccatorum venialium, quæ licet non sint materia necessaria sacramenti pœnitentiæ, possunt tamen esse materia libera. Alii respondent Concilia asserere materiam sacramenti esse vinum, utique usuale, et commune : hujusmodi autem est vinum limphatum, sive aqua temperatum. Unde non est contra doctrinam Conciliorum asserere, quod

Aliquorum responsio. — Aliorum solutio.

aqua vino infusa, et simul cum vino consistens sit hujus sacramenti materia, quæ immediate in sanguinem convertatur: comprehenditur enim hujusmodi aqua appellatione vini usualis, et communis, quod, nemo negat esse hujus sacramenti materiam.

Impugnatio prioris responsionis.

Sed neutra harum responsionum satisfacit. Et prima refellitur tum ad hominem, et ex concessis: quoniam quæ sit sacramentorum materia, constat nobis ex doctrina, et diffinitionibus Conciliorum: sed in Conciliis non reperimus aliam materiam Eucharistiæ quantum ad speciem sanguinis, nisi vinum de vite, quod est materia necessaria: ergo qui docent dari aliam materiam liberam, nempe aquam, voluntarie procedunt in re gravissima, et absque ullo fundamento in doctrina Conciliorum. Quare ab illis inquirendum est, si Concilia non assignant aliam materiam, nisi necessariam, nempe vinum; quo fundamento ipsi tentent introducere aliam materiam liberam, scilicet aquam in propria specie manentem? Tum etiam quia si aqua esset materia libera hujus sacramenti, nihil ad ipsum referret illam adhibere in magna, vel modicissima quantitate: id vero est contra doctrinam Eugenii in decreto relato, et contra praxim universalis Ecclesiæ: ergo aqua non est materia libera, ex qua istud sacramentum conficiatur. Tum præterea, quia illa dicitur materia libera, quæ absente aut deficiente necessaria sufficit ad sacramenti valorem, ut patet in peccatis venialibus respectu sacramenti pœnitentiæ: dicuntur enim materia non necessaria, sed libera, quia licet necessarium non sit illa confiteri; nihilominus, etsi nulla mortalia occurrant, possumus ea confiteri, illisque absolutionis forma valide applicari valet: atqui absurdissimum, et hæreticum foret dicere solam aquam, deficiente vino, esse materiam sufficientem, quæ consecrari valeat, et in sanguinem Christi converti: ergo aqua non est materia libera, nec ita appellari valet respectu sacramenti Eucharistiæ. Unde refellitur illud exemplum,

Nota.

quo se Adversarii explicant, peccatorum venialium: omnia enim peccata actualia sunt ex institutione Christi materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ; sed mortalia dicuntur materia necessaria, quia eorum confessio re, aut voto est necessaria ad salutem: venialia vero dicuntur materia libera, quia illorum confessio non est ita necessaria, sed liberum unicuique est illa confiteri, vel non: at ubi absolutioni subjiciuntur sunt materia certe sufficiens juxta Christi institutionem, ita quod mortalium vel simul, vel divisim à venialibus confessio necessaria absolute non est ad sacramenti valorem. Cæterum hæc doctrina nec per imaginationem applicari valet vino, et aquæ respectu sacramenti Eucharistiæ; quia vinum est materia ita necessaria, ut absque illo Eucharistia quantum ad speciem sanguinis nullo modo confici possit: aqua vero est materia ita insufficiens, ut non solum non requiratur, sed nec in absentia vini consecrari queat: ergo nulla ratione dici valet materia libera ad instar peccatorum venialium.

Continuatio impugnationis.

Confirmatur: quia Ecclesia nec potestatem, nec auctoritatem habet introducendi materias necessarias, vel liberas sacramentorum, ut constat ex dictis tract. præced. disp. 2, dub. 4; sed quod aqua apponatur in calice, et misceatur vino consecrando, solum est ex præcepto Ecclesiæ, ut constat ex dictis dub. præced. à num. 49; ergo ex eo, quod admisceatur vino in calice, non fit materia libera consecrationis. Quæ confirmatio aliter explicatur: quia nihil est materia sacramenti, nisi ex institutione Christi, qui est unicus, et immediatus institutor sacramentorum novæ legis, ut patet ex dictis tract. præced. disp. 6, dub. 1; sed Christus non instituit, quod sacramentum Eucharistiæ quantum ad speciem sanguinis conficeretur in aqua, nec in vino aqua diluto: (unde præceptum miscendi modicam aquam vino consecrando non est divinum, sed mere Ecclesiasticum, ut ostendimus loco citato:) ergo aqua, quandiu manet aqua, sive quandiu per conversionem non fit vinum, non est materia necessaria, vel libera sacramenti Eucharistiæ. Nec momenti erit, si dicatur, quod,

Præciditur fuga.

licet Christus non præceperit mixtionem aquæ cum vino consecrando, ipse tamen illam miscuit, et primus in vino aqua temperato consecravit: quod satis est, ut Ecclesia potuerit hanc partialem, et liberam materiam assignare. Nam contra hoc est: tum quod licet Christus vinum aqua miscuerit; nihilominus non instituit: nec præcepit pro isto sacramento talem mixtionem: alias mixtio hujusmodi foret ex institutione divina, et non ex solo præcepto Ecclesiæ:

Ecclesiæ: quod esse falsum ostendimus loco citato, et docet communis sententia. Tum etiam, et præcipue, quia licet Christus instituerit, et primus consecraverit hoc sacramentum in vino aqua mixto; tamen non consecravit in aqua manente in propria specie, sed in ea, quæ in vinum conversa erat: nec Adversarii possunt oppositum ostendere. Nos vero, quæ dicimus, confirmamus ex ipsa traditione, et praxi Ecclesiæ adhibentis modicissimam aquam, et expectantis tempus sufficiens, ut convertatur in vinum. Quare ex facto Christi minime probari potest, quod aqua in propria specie manens sit materia libera hujus sacramenti.

Posterior solutio confutatur.

66. Secunda etiam aliorum responsio eisdem fere principiis evertitur: fatemur enim materiam hujus sacramenti quantum ad speciem sanguinis esse vinum usuale, et commune: fatemur etiam vinum non exuere conditionem vini usualis, et communis ex eo, quod ei aliqua pars aquæ misceatur. Sed inde solum sequitur vinum, cui admiscetur aliquid aquæ, esse materiam hujus sacramenti, et subinde converti immediate in sanguinem Christi; minime vero, quod aqua illi vino mixta, quandiu in propria specie, aut substantia perseverat, sit hujus sacramenti materia, vel in sanguinem convertatur. Sunt enim toto cœlo distantia, quod vinum per admixtam sibi aquam non desinat esse sacramenti materia; et quod aqua per admixtionem, sive conjunctionem ad vinum incipiat esse materia sacramenti, in sanguinem proxime convertibilis: et primum illud minime infert hoc secundum. Quod exemplis in hac materia notissimis declaratur: etenim materia hujus sacramenti quantum ad speciem corporis est panis triticeus usualis, ut supra vidimus dub. 1, qui panis triticeus non desinat esse uusalis ex eo, quod habeat granum salis, aut particulam pulveris, aut minimam paleam: ex quo tamen solum sequitur panem, cui prædicta admiscentur, esse adhuc materiam Eucharistiæ, et converti posse in corpus Christi; minime vero, quod sal, terra, et palea pani permixta, quandiu propriam speciem retinent, sint materia sacramenti, aut in corpus Christi convertantur. Similiter materia baptismi est aqua naturalis usualis, quæ has conditiones non amittit ex eo, quod habeat sibi admixtam modicissimam partem vini: et tamen inde solum fit aquam, cui admiscetur illa portio vini, esse materiam baptismi; non autem, quod pars vini aquæ mixti, quandiu retinet speciem vini, sit materia prædicti sacramenti, vel assumatur, aut elevetur ad causandum ejus effectum. Idem continget si oleo, quod est materia sacramenti, immisceatur aliqua gusta adipis, aut sepi, ut facile quis considerare, atque expendere magis valet. Et ut proximius ad rem ipsam accedamus, plane si magnæ quantitati vini nigri immisceatur una gutta sanguinis agni, aut alterius animalis, non propterea desinit esse vinum usuale, et materia consecrationis: ex quo tamen non fit sanguinem illum existentem in propria specie esse materiam consecrationis, aut posse converti in sanguinem Christi: et consequenter nec fit totum illud aggregatum, sive mixtum, ex vino nigro, et sanguine bruti existentibus in propria substantia esse materiam consecrationis proxime convertibilem: sed solum fit vinum illud retinere adhuc propriam rationem materiæ, et posse converti; licet sanguis ei admixtus minime convertatur. Ad rem igitur: vinum, cui admiscetur modicum aquæ, vinum quidem usuale est, et potest esse materia consecrationis: sed inde non sequitur aquam ei mixtam, et propriam speciem aquæ retinentem, esse sacramenti materiam, aut posse converti immediate in sanguinem Christi. Et profecto qui hæc exempla recte expendat, inveniet naturam aquæ non minus extraneam esse naturæ vini, quam natura salis, pulveris, et paleæ respectu naturæ panis; aut naturæ adipis, et sepi respectu olei; aut natura sanguinis respectu vini. Quare sicut quia de fide est Christum instituisse sacramenta Baptismi, Extremæ-unctionis, et Eucharistiæ in naturalibus speciebus aquæ, olei, et vini usualium; recte concluditur muscam, vel paleam, licet illis materiis permixta, non esse materiam prædictorum sacramentorum: sic etiam quia de fide est Christum instituisse sacramentum Eucharistiæ in naturali specie vini usualis; recte colligitur, et evincitur aquam, licet vino mixtam, quandiu propriam speciem conservat, non esse materiam Eucharistiæ. Et nisi huic rigori, et rerum proprietati firmiter stemus; latissimus aditus paratur, ut Recentiores sexcentas alias materias pro suo libito introducant.

Nota.

Prosequitur impugnatio. Adde primo aquam non posse ulla ratione esse materiam sacramenti Eucharistiæ, nisi ex institutione Christi: Ecclesia namque non habet auctoritatem instituendi materias sacramentorum, ut diximus locis relatis num. præced. sed aqua non est materia sacramenti ex institutione Christi : ergo aqua manens aqua nullo modo est materia sacramenti Eucharistiæ. Probatur minor : quia aqua manens aqua non alia ratione potest esse hujus sacramenti materia, nisi quatenus vino commiscetur : sed quod vino admisceatur, non est ex institutione Christi, sed ex solo Ecclesiæ præcepto, ut supra diximus a num. 40 ; ergo aqua manens aqua non habet esse materiam Eucharistiæ ex institutione Christi. Adde secundo, quod si aqua vino admixta, sed propriam speciem retinens esset materia sacramenti, quia moraliter, et secundum communem usum, et apparentiam est vinum : fieret talem aquam independenter tam ab institutione Christi, quam a dispositione, et præcepto Ecclesiæ, sed pro arbitrio cujuslibet particularis esse materiam sacramenti : quod est absolute falsum, et contra sacramentorum dignitatem. Sequela ostenditur : nam supposito, quod Christus instituerit vinum esse materiam hujus sacramenti quantum ad speciem sanguinis, quilibet particularis independenter ab alia vel Christi institutione, vel Ecclesiæ dispositione, efficere potest, quod aqua sit vinum moraliter, et secundum usum, et apparentem; siquidem potest aquam miscere vino, unde habet illas conditiones: sed aqua, quæ moraliter, et secundum usum, atque apparentiam est vinum, habet juxta Adversarios esse hujus sacramenti materiam : ergo ex eorum sententia sequitur quemlibet particularem posse propria industria, et auctoritate efficere, quod aqua manens substantialiter aqua sit materia proxima hujus sacramenti. Adde tertio, quod si ad materiam proximam hujus sacramenti sufficit illud mixtum ex vino, et aqua, quod moraliter, et juxta communem usum appelletur vinum ; vana profecto erit cura admiscendi modicissimam aquam vino consecrando; sed liberum erit addere tertiam, aut dimidiam partem aquæ. Quippe juxta communem usum præsertim apud religiosos, et sobrios vinum ea proportione limphatum adhuc reputatur vinum. Consequens autem hoc est contra praxim Ecclesiæ curantis, ac præcipientis, ut aqua in calice ponenda sit modicum quid respectu vini consecrandi.

67. Tertium nostræ, et communis sententiæ fundamentum est : quia in sacramento Eucharistiæ manent illa accidentia, quorum substantia convertitur immediate in corpus, aut sanguinem Christi: unde certum est in Eucharistia manere accidentia panis, quia panis substantia convertitur immediate in Christi corpus ; et similiter manere accidentia vini, quia vini substantia convertitur immediate in Christi sanguinem : sed in sacramento Eucharistiæ non remanent accidentia aquæ, quæ admiscetur vino consecrando : ergo prædicta aqua non convertitur immediate in sanguinem Christi. Cætera constant. Et minor probatur ex Concilio Tridentino sess. 13, can. 2, ubi diffinit : « Si quis « negaverit mirabilem illam, et singularem « conversionem totius substantiæ panis in « corpus, et totius substantiæ vini in sangui- « nem, manentibus dumtaxat accidentibus « panis, et vini, quam quidem conversionem « Catholica Ecclesia aptissime transsubstan- « tiationem appellat; anathema sit. » Ergo juxta sententiam Concilii ex tota materia convertenda in Christi corpus, et sanguinem *manent dnmtaxat accidentia panis, et vini.* Atqui accidentia aquæ non sunt accidentia panis, et vini, ut ex terminis constat. Ergo ex sententia Concilii accidentia aquæ, quæ admiscetur vino consecrando, non remanent in sacramento Eucharistiæ. Aliud pro assertione motivum. Concil. Trident.

Præcluditur effugium. Nec satisfacit primo, si dicatur Concilium in eo canone agere contra hæreticos Lutheranos, qui dicebant substantiam panis, et vini permanere simul cum Christo in Eucharistia. Unde illæ particulæ exclusivæ *manentibus dumtaxat etc.*, excludunt præcise substantiam, non autem aquæ accidentia. Nam contra hanc responsionem est, quod licet Concilium eum canonem ediderit ex intentione damnandi specialiter prædictum errorem ; nihilominus re ipsa, et incidenter statuit non remanere, nisi dumtaxat accidentia panis, et vini : cum qua propositione minime cohæret, quod remaneant accidentia aquæ : atque ideo non videtur, qualiter possit horum permanentia asseri absque oppositione ad doctrinam Concilii, et sine periculo fidei. Sicut communiter docent Auctores non posse affirmari

affirmari permanentiam existentiæ substantiæ panis, et vini : quia etsi error hæreticorum non fuerit circa existentiæ modum, sed circa ipsam substantiam, et prædictum errorem intenderit Concilium specialiter condemnare ; nihilominus illis verbis usum fuit, quæ aperte significant nihil aliud in sacramento manere, nisi tantum accidentia panis, et vini. Quæ doctrina falsificatur et asserendo remanere panis, et vini existentiam, et asserendo remanere aliud quid præter accidentia panis, et vini. Nec satisfacit secundo, si dicatur Concilium vocabulo *accidentium vini* significasse etiam, et comprehendisse species, sive accidentia aquæ, quæ vino consecrando miscetur : quippe talis aqua, licet non sit physice vinum, est tamen vinum denominative, et moraliter, et quantum ad communem usum, eo quod totum illud mixtum pro vino reputatur. Nam contra istud effugium procedunt, quæ num. præced. expendimus evertentes eam distinctionem vini physice sumpti, et vini moraliter, aut denominative accepti. Eo vel maxime, quod quando Concilia agunt de materiis sacramentorum, loquuntur proprie,et significant res in rigore physico: unde nomine aquæ significant aquam non denominative, aut moraliter, sed physice talem : et similiter nomine panis, nomine olei etc. ut supra magis expendimus. Ergo pariter nomine accidentium vini in Concilio Tridentino non significantur accidentia aquæ : hæc enim licet possit utcumque improprie, moraliter, et denominative dici vinum ; nihilominus vinum non est proprie, et physice loquendo.

Alia evasio confutatur.

Confirmatio.

68. Confirmatur urgenter: nam si in Eucharistia remanerent accidentia, sive species vini, et accidentia, sive species aquæ; Christi sanguis contineretur sub speciebus vini, et sub speciebus aquæ : consequens est falsum : ergo in Eucharistia non remanent species,sive accidentia aquæ. Sequela est manifesta: quia Christi sanguis continetur sub illis speciebus, sive accidentibus, quorum substantia conversa est in sanguinem Christi, et permanent in Eucharistia,ut manifeste liquet exemplo accidentium panis, et vini : ergo si substantia aquæ convertitur immediate in sanguinem Christi, et accidentia aquæ permanent in sacramento, ut Adversarii affirmant; manifeste sequitur sanguinem Christi contineri sub accidentibus aquæ. Falsitas autem consequentis ostenditur deducendo ad aliud absurdum : nam separatis, aut divisis speciebus adhuc Christus manet sub illis, et earum partibus, usque dum ipsæ species corrumpantur : et ideo licet species panis dividantur ab speciebus vini, et rursus quamvis ipsæ species panis, et vini dividantur in plures particulas,adhuc Christus sub illis continetur. Quod diffinit Concilium Tridentinum sess. cit. can. 3, his verbis : « Si quis negaverit in venerabili « sacramento Eucharistiæ sub unaquaque « specie, et sub singulis cujusque speciei « partibus, separatione facta, totum Chris- « tum contineri ; anathema sit. » Supposita autem Adversariorum doctrina, quod accidentia vini, et aquæ manent in sacramento Eucharistiæ, et quod sanguis Christi in utrisque continetur, fieri simpliciter valet, quod accidentia aquæ separentur ab accidentibus vini vel per miraculum, ut si Deus illas divideret ; vel per naturam ut si species vini corrumperentur, non corruptis speciebus aquæ; vel denique per artem, quæ sicut potest extrahere aquam a vino, sic etiam accidentia aquæ ab accidentibus vini. Sequitur ergo sanguinem Christi conservari sub solis accidentibus aquæ separatis ab accidentibus tam vini, quam panis : ita quod designata aqua secundum speciem, aut designatis accidentibus aquæ, possimus vere dicere : *Hic est sanguis Christi.*

Concil. Trident.

Quidam ausi sunt concedere istud consectarium, et quidem valde consequenter ad sua principia : nam ex eis, quantum capimus, deducitur evidenter, ut proxime expendimus,et magis constabit ex dicendis numero sequenti. Sed cum consequens absurdissinum sit ; manifestat eorum principiorum falsitatem, minimeque sufficere, quod aqua sit vino consecrando mixta, conjuncta, aut confusa, ut in sanguinem Christi convertatur. Pari namque ratione admittendum erit farinam fabæ, v. g. aut particulas terræ pani triticeo mixtas converti in Christi corpus, et subinde (porrigendo easdem consequentias)corpus Christi posse existere sub solis accidentibus fabæ, aut terræ, nullis existentibus speciebus panis, et vini. Id vero quis non videat adversari doctrinæ Conciliorum asserentium peracta consecratione solum remanere accidentia panis, et vini, et Christi corpus, et

Aliquorum responsio quam absurda.

sanguinem sub panis, et vini speciebus contineri ? Deinde hoc sacramentum et fit, et conservatur per modum cibi, et potus : terra autem, præsertim si separetur a pane, nullo modo habet rationem cibi, aut potus: ergo hoc sacramentum nullo modo conservari valet in solis accidentibus terræ, ergo nec Christus sub prædictis accidentibus potest conservari. Denique si hoc sacramentum salvari valeret, et similiter realis Christi præsentia in solis accidentibus aquæ separatis ab omnibus accidentibus panis, et vini; nulla efficax ratio assignari posset, quare aqua sola, ac separata a pane, et vino nequeat consecrari, et converti in sanguinem Christi : consecratur enim, ac convertitur materia, ut significet, et contineat sanguinem Christi : atque ideo si sola accidentia aquæ separata ab accidentibus panis, et vini sunt apta, ut continuata conservatione significent, et contineant Christi sanguinem ; pari ratione aqua separata a pane, et vino erit materia apta, ut consecretur, et immediate convertatur in sanguinem Christi. Quod dicere foret hæresis manifesta.

Responsio Lugonis 69. Propterea Lugo recognoscens eam sanguinis Christi continentiam sub solis accidentibus aquæ minime cohærere cum doctrina Conciliorum negat sequelam : et ad probationem respondet, quod licet accidentia aquæ per solam discisionem, aut separationem localem non corrumpantur physice, corrumpuntur tamen moraliter, et in ratione specierum sacramentalium: quia ea separatione amittunt quandam conditionem essentialiter requisitam, ut sanguinem Christi contineant, nempe esse conjuncta accidentibus vini, et reputari moraliter per modum unius. Cum enim aqua non sit materia per se sacramenti : sed solum per accidens ex conjunctione ad vinum : ubi accidentia aquæ ab accidentibus vini separantur, perinde mortaliter se habent, ac si physice corrumperentur : et ideo facta ea separatione, quam intendimus, desinunt continere sanguinem Christi.

Refellitur multipliciter. Hæc quidem facile excogitantur, sed eadem facilitate, et urgentioribus fundamentis refelluntur. Primo, quia principium commune, et solemne apud Theologos est tandiu manere Christum sub accidentibus, quandiu maneret sub eisdem substantia, quæ in ipsum conversa fuit : idque satis manifeste docet Concilium Tridentinum in locis supra relatis : sed substantia aquæ maneret sub suis accidentibus, licet talis aqua cum suis accidentibus separaretur a vino, ut ex se liquet ; ergo si substantia aquæ conversa est in Christum, sequitur Christum manere sub accidentibus aquæ, licet separentur ab accidentibus vini : et oppositum dici non valet, nisi inconsequenter agendo, atque deserendo principia tam propria, quam communia. Secundo, quia stat bene, quod aliquid sit requisitum per modum conditionis ad primam materiæ consecrationem, et conversionem, et quod nihilominus facta semel consecratione, minime requiratur ad conservandum ibi realem Christi præsentiam sub accidentibus (sic plures ut supra vidimus num. 39, probabiliter opinantur vinum, ut convertatur in sanguinem Christi, debere esse liquidum, atque in statu potus ; unde censent vinum congelatum non esse materiam hujus sacramenti : et tamen affirmant, et quidem merito, quod si accidentia vini post consecrationem congelentur, non propterea desinunt continere corpus Christi ; siquidem nec ipsa substantia vini, si ibidem esset, per solam congelationem corrumperetur) : ergo pariter, quamvis aqua, ut convertatur in corpus Christi debeat esse conjuncta vino, sive esse vinum moraliter, ut Adversarii discurrunt ; tamen facta consecratione accidentia aquæ continent Christi corpus, etsi separentur ab accidentibus vini. Et ratio est eadem, nempe quod substantia aquæ, si ibidem esset, non corrumperetur ex hoc, quod ab accidentibus vini separaretur.

Tertio, quia illa distinctio corruptionis physicæ, vel moralis specierum est mere conficta ad eludendum difficultatem objectam, sed quæ gignit alias difficultates non superandas. Si enim Christi corpus desinit esse sub accidentibus aquæ et nihilominus illa accidentia physice perseverant : inquirimus, an contineant aliquam substantiam, vel non ? Hoc ultimum dici non valet: quia accidentia per se subsistentia, sive nulli substantiæ inhærentia solum reperiuntur in Eucharistiæ mysterio : prædicta vero accidentia, sicut desinunt continere corpus Christi, sic etiam desinunt pertinere ad mysterium Eucharistiæ : quare fateri oportet talia accidentia incipere continere aliquam aliam substantiam, eique inhæ-

rere. Et tunc ulterius inquirimus quæ sit hæc substantia? Si dicatur esse illam, quæ in corpus Christi conversa fuerat, sequitur corpus Christi desinere, atque ideo reconverti in illammet substantiam, quæ prius fuerat conversa in ipsum: quod dicere apparet stultissimum. Sequitur etiam requiri insigne miraculum reproductionis substantiæ prius destructæ. Si autem dicatur esse aliam substantiam; nulla assignabitur ratio, quare sit hæc potius, quam altera: et rursus fiet accidentia inhærere alienæ substantiæ, et transmigrare de subjecto in subjecto: aliaque similia consequentur, quæ in vera Philosophia reprobantur. Et hæc omnia procedunt ex absurda illa, et conficta distinctione, quod accidentia aquæ desinunt moraliter, et in ratione specierum sacramentalium, et quantum ad continentiam corporis Christi; et quod non corrumpuntur physice, et in esse rei. Tenendum itaque omnino est oppositum principium, et apud Theologos sanctum, quod accidentia continentia corpus Christi, non desinunt in ratione specierum sacramentalium, sivé ut continentium corpus Christi, nisi physice corrumpantur. Et tunc procedit inconveniens num. præced. propositum.

§ III.

Consectarium nostræ assertionis cum dubiolis incidentibus.

Quid fiat de aqua non conversa in vinum? 70. Ex dictis liquido infertur aquam, quæ vino consecrando infunditur, si tempore consecrationis non sit conversa in vinum, minime converti in sanguinem Christi; sed simul cum prædicto sanguine in eodem calice permanere. Prior corollarii pars patet evidenter ex dictis: statuimus enim aquam in propria substantia manentem, licet vino permixtam, aut conjunctam non esse materiam consecrationis, aut conversionis: ergo si tempore consecrationis non sit conversa in vinum, minime potest in sanguinem Christi converti. De secunda autem corollarii parte videtur dubitare Soto loco supra relato, significans, quod peracta consecratione aqua non remanet in calice. et movetur ab inconvenientibus statim repræsentandis. At non explicat, quid de illa aqua fiat, quæ supponitur nec immediate in vinum, nec mediate in sanguinem conversa Sed Joannes Andreas in cap. *Cum Marthæ* dicit illam divinitus destrui. Meratius disp. 5, sect. 5, dicit converti subito miraculo in vinum, et ita in sanguinem. Sed hæc communiter refelluntur: quia miracula præsumi non debent, nisi auctoritate, vel urgenti ratione probentur. Unde communiter omnes nostræ assertionis patroni secundam illam corollarii partem tuentur; nempe talem aquam remanere in calice simul cum sanguine Christi. Et ratio est manifesta: quia illa aqua supponitur posita in calice: alias per conversionem vini in sanguinem Christi non annihilatur, nec corrumpitur, nec alio asportatur miraculose: cum nullum habeamus fundamentum ad id asserendum: ergo talis aqua manet simul cum sanguine in calice.

Soto. Joan. Andreas Merat. Resolutio et ratio.

71. Solent autem contra hanc resolutionem opponi aliqua inconvenientia. Primum nos debere adorare adoratione latriæ quod post consecrationem continetur in calice: ergo si ibi contineretur aqua secundum propriam substantiam, sive inconversa; populus adoraret aquam adoratione latriæ: quod est omnino superstitiosum. Quare sicut Sacerdos, qui offerret adorandas hostias non consecratas mixtas consecratis, esset de se causa populo idololatriæ: sic etiam se haberet Sacerdos, qui offerret adorandum populo calicem, in quo simul cum sanguine Christi continetur aliquid aquæ. Secundum Sacerdotem, qui talem calicem, in quo pars aquæ continetur, susciperet, non manere jejunum, atque ideo post unam Missam non posse aliam celebrare, ut fieri solet in die Natalis Domini, et quando Parochus habet duas Ecclesias: nam sumptio aquæ solvit jejunium naturate pro communione requisitum. Tertium (per quod præcluduntur responsiones, quæ objectis inconvenientibus adhiberi possent) Sacerdotem non posse certum, et securum esse, quando, et ubi aqua in calice posita convertatur in vinum, ut sic queat in sanguinem Christi per consecrationem transsubstantiari. Quare se exponet periculo offerendi populo aquam adorandam, et similiter sumendi aquam ante celebrationem alterius Missæ, ut proxime insinuavimus.

Prima objectio. Secunda. Tertia.

Sed hæc parum movere debent. Et in primis supponimus Sacerdoti curandum esse, quod tam modica aqua misceatur vino, et tam congruum tempus perficiendæ mixtioni detur, ut certum moraliter sit

Dissolvitur prima.

aquam conversam esse in vinum antecedenter ad consecrationem : hoc autem præmisso, nulli periculo, aut irreverentiæ se exponit Sacerdos, sed moraliter agit. Unde ad primum inconveniens respondemus fideles non adorare quidquid continetur in calice ; potest enim contingere, et quandoque accidit, quod ibi simul cum sanguine Christi contineatur musca, vel palea, vel aliud quid : sicut etiam in hostia sunt aliquando vel pilus, vel filum, vel particula terræ. Intendunt itaque fideles adorare, et adorant Christum in sacramento, et sacramentum Christum continens, sive species consecratas : atque ideo non colunt alia extranea, si quæ alia per accidens in calice continentur. Unde Sacerdos proponens populo adorandum calicem, non inducit ipsum ad aliquam adorationem superstitiosam adhuc pro materiali : offert verum sacramentum continens Christum, cui per accidens, præter intentionem adjungitur particula aquæ non conversæ, sicut adjungi valet musca, vel pulvis. Contrarium autem accidit in Sacerdote, qui scienter, atque ex industria proponit populo adorandam hostiam non consecratam, sive seorsim, sive simul cum consecratis : hic enim, quantum est ex vi modi ita se gerendi, inducit populum ad idololatriam, sive adorationem sacrilegam, ut latius expendimus tract. præced. disp. 7, dub. 5, a num. 98. Sed observandum est D. Thomam quæst. 75, seq. art. 2, inter alia motiva, quibus probat peracta consecratione non manere substantiam panis, et vini, illud tertio loco expendere : « Quia contrariatur venerationi « hujus sacramenti, si aliqua substantia « creata esset ibi, quæ non posset adorari « adoratione latriæ. » Quod motivum optimum est juxta conditionem materiæ : quia si substantia panis, et vini non transsubstantiaretur in corpus, et sanguinem Christi, ibi per se maneret : atque ideo nunquam possemus totum, quod esset in sacramento, latriæ adoratione colere. Sed locum, et vim non habet in præsenti materia: quia aqua, quæ vino consecrando admiscetur, quantum est ex intentione Ecclesiæ, et ex modo, quo agit, convertitur per se loquendo in sanguinem Christi : quod vero aliquando ibi maneat, est omnino per accidens, ut contingit etiam in aliis exemplis proxime allatis. Et quod in calice adorando contineatur per accidens aliquid non dignum adoratione, nullum est inconveniens, ut patet ex eisdem exemplis.

Nota

D. Tho.

Replica.

Nec refert, si insistas, quod Sacerdos, ubi paulo ante consecrationem advertit aquam non fuisse a principio infusam (sic enim aliquando incuria, aut oblivione contingit), debet aquam miscere, et illud mixtum consecrare : in quo eventu certum moraliter est aquam non posse in vinum converti ob tam brevem temporis moram : ergo nisi dicatur (quod nos negamus), aquam converti immediate in sanguinem Christi ; sequitur Sacerdotem offerre per se, et cum advertentia populo aliquid adorandum, quod non est dignum adoratione. Non, inquam, id refert : tum quia etiam in prædicto casu debet Sacerdos expectare illud tempus, quod congruum conversioni aquæ in vinum prudenter censeatur (licet nec circa hoc debeat nimis scrupulose procedere) : quia nec præceptum Ecclesiæ, nec consuetudo obligans occurrit, ut Sacerdos repente, aut immediate post aquam infusam calicem consecret : sed magis stare oportet regulis generalibus. Tum etiam, quia permisso, quod non daretur tempus sufficiens pro conversione aquæ in vinum, adhuc non inferretur objectum inconveniens : quia quod aqua tunc non convertatur in sanguinem, sed maneat in calice, est omnino per accidens : unde nec adoratio populi ad aquam dirigitur, sed solum ad species consecratas : nec Sacerdos per se proponit adorandum aliquod non dignum adoratione, sed solum proponit adorandum sacramentum, cui per accidens conjungitur aliquid extraneum. Sicut etiam Sacerdos paulo ante consecrationem solet advertere esse aliquid in calice, quod consecrari non potest, utputa pilum, flocculum, aut quid simile, in quibus extrahendis non debet esse nimis scrupulosus : et tamen ex eo, quod ita consecret, et calicem offerat adorandum, minime inducit populum ad superstitiosam adorationem : hujus enim cultus dirigitur ad id, quod est per se in calice, nempe ad sacramentum ; non autem ad illa, quæ ibi continentur per accidens.

Occurritur secundæ objectioni.

72. Ad secundum inconveniens neganda est sequela : quia ubi Sacerdos certo moraliter censet aquam esse in vinum conversam, pariter certo moraliter judicat se post sumptionem calicis esse jejunum ; atque ideo

ideo licite potest alteram Missam celebrare in casibus propositis. Quod si contingat aquam non fuisse conversam immediate in vinum, et mediate in sanguinem ; id erit omnino per accidens, et præter notitiam, atque intentionem Sacerdotis : et consequenter minime impedit, quod Sacerdos queat alteram Missam celebrare, prout tenetur, aut sua refert. Eo vel maxime, quod præceptum miscendi aquam, et præceptum de statu jejunii ante celebrationem sunt Ecclesiastica, et unum non debet impediri per aliud. De quo videri potest Vazquez disp. cit. num. 26. Ad tertium inconveniens negamus etiam sequelam : quia Sacerdos non est incertus de conversione immediata aquæ in vinum, et mediata in sanguinem, si sequatur legem positivam Ecclesiæ miscendi solum modicissimam aquam : sic enim certum moraliter est aquam facile converti in vinum, et subinde in sanguinem. Et stultum foret de hoc ambigere. Ut enim inquit Innocentius Tertius relatus num. 60: « Quis enim ambigat « aquam in vinum transire, cum multo « vino modicum infunditur aquæ ? » Quod si sacerdos eam legem non observet, sed mensuram ab Ecclesia positam transgrediatur ; mirum non erit, si incertus, et dubius sit circa conversionem aquæ. Id autem ejus vitio vertendum est, qui in his peccet, et imprudenter se gerat.

Satisfit ultimæ.

Incidentis dubii decisio.

73. Si autem inquiras, an illa pars aquæ, quæ tempore consecrationis non erat in vinum conversa, et subinde nec in sanguinem conversa fuit ; possit post consecrationem converti in vinum, et deinde in sanguinem transmutetur ? Respondetur affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundam. Ratio prioris est satis manifesta : quia sicut si in accidentibus vini consecrati infundatur de novo gutta aquæ, potest talis aqua in vinum converti, sic etiam et illa aqua, quæ a principio fuerat vino conjuncta, et tempore consecrationis non fuerat in vinum conversa. Motivum autem est generale, nempe quod licet in specie sanguinis non maneat substantia vini, manent tamen ejus accidentia, et virtutes cum eadem efficacia, quam prius habebant transmutandi modicam aquam, atque inducendi propriam, ac substantialem vini formam : quare sicut si ibidem existeret substantialiter vinum, aqua vel prius posita, vel postea infusa posset in vinum converti ; sic etiam in proposito casu, et similibus dicendum est. Quam doctrinam tradit optime D. Thom. infra quæst. 77, art. 3, his verbis : « Dicen- « dum, quod quia unumquoque agit, in « quantum est ens actu ; consequens est, « quod unumquodque sicut se habet ad « esse, ita se habeat ad agere. Quia igitur « secundum prædicta speciebus sacramen- « talibus datum est divina virtute, ut re- « maneant in suo esse, quod habebant « substantia panis, et vini existente ; con- « sequens est, quod etiam remaneant in « suo agere. Et ideo omnem actionem, « quam poterant agere substantia panis, et « vini existente, possunt etiam agere subs- « tantia panis et vini transeunte in corpus, « et sanguinem Christi. Unde non est du- « bium, quod possunt immutare exteriora « corpora. » Ut profecto est modica aqua aut prius posita, aut denuo infusa. Et in resp. ad 3, addit : « Dicendum, quod com- « mutatio, quæ est ad formam substantia- « lem, non fit a forma substantiali im- « mediate, sed mediantibus qualitatibus « activis, et passivis, quæ agunt in virtute « formæ substantialis. Hæc autem virtus « instrumentalis conservatur in speciebus « sacramentalibus divina virtute, sicut et « prius erat. Et ideo possunt agere ad « formam substantialem instrumentaliter. « Per quem modum aliquid potest agere « ultra suam speciem : non quasi virtute « propria, sed virtute principalis agentis. » Ex quibus satis patet guttam aquæ, quæ tempore consecrationis non erat conversa in vinum, posse post consecrationem in vinum converti, idque verisimile est non semel contingere.

D. Tho.

Idem.

Secunda etiam resolutionis pars facile ostenditur : quia illa sola materia convertitur in sanguinem Christi, cui applicantur verba, seu forma consecrationis calicis : quippe certum est transsubstantiationem non fieri, nisi per verba, et in vi verborum formæ. Sed hæc verba non fuerunt applicata aquæ, quæ post consecrationem in vinum conversa est ; siquidem tempore consecrationis non erat materia, quippe quæ non erat vinum, ut supponitur. Ergo illa aqua, quæ post consecrationem convertitur in vinum, ut proxime diximus, non transsubstantiatur in sanguinem Christi, sed remanet in propria vini specie, in quam transmutata fuit. Et confirmatur : quia

non est major ratio, ut prædicta aqua post consecrationem in vinum conversa transeat in sanguinem Christi, quam ut aqua de novo infusa, et in vinum conversa, transsubstantietur in prædictum sanguinem, et quam ut gutta vini super vinum consecratum addita in sanguinem transeat : sed aqua denuo infusa, et vinum de novo additum non convertuntur in sanguinem Christi : ergo idem de aqua a principio posita, et post consecrationem in vinum conversa dicendum. Quare cum speciebus sacramentalibus vini consecrati erit simul permixta illa portio vini de novo geniti, sive facti per conversionem aquæ in vinum. Sicut etiam contingit, ubi speciebus sacramentalibus calicis infunduntur aqua, vinum, oleum, aut similia : manerent enim hæc permixta, aut confusa, donec species sacramentales sumantur, aut corrumpantur.

Difficilior quæstio. 74. Majus negotium facessere potest, et solet alius casus contingens : quippe accidere valet, quod aqua, quæ ante consecrationem nec in ipso initio consecrationis non erat in vinum conversa, convertatur in illud tempore, quo verba consecrationis proferuntur. Inquiritur ergo, an tunc aqua in vinum conversa convertatur in sanguinem Christi? Ad quam difficultatem negative respondent Suarez disputatione 45, sectione 4, in fine. Bonacina disputatione 4, quæstione 3, puncto 4. Aversa quæstione 2, sectione 7. Noster Philippus disp. 2, dub. 4. Trullench lib. 3, capite 1, dub. 3, num. 8, et alii, quos refert, et sequitur Leander disput. 8, quæst. 53. Et moventur : quia verba sacramentalia, sive formæ sacramentorum non operantur, nisi ab initio cadant super materiam aptam, illique a principio applicentur : ergo facta suppositione, quod aqua in principio prolationis verborum consecrationis non erat materia apta : siquidem tunc nondum erat conversa in vinum, sed manebat in propria substantia; impossibile est, quod in sanguinem convertatur : quippe secundum nostram, et communem sententiam non aliter est materia sacramenti, sive in sanguinem immediate convertibilis, nisi quatenus supponitur in vinum conversa. Confirmatur : quia ut aqua convertatur in sanguinem, non minus requiritur materiæ aptitudo ab initio prolationis verborum, quam physica materiæ præsentia coram Sacerdote : sed si ab initio non fuisset præsens, licet postea fieret præsens inter proferendum verba consecrationis, non converteretur in sanguinem Christi : ergo pariter si a principio consecrationis non est materia apta, quamvis inter consecrandum apta fiat, non poterit in sanguinem Christi converti. Idque amplius declaratur exemplo aliorum sacramentorum : nam si minister inciperet baptizare, vel ungere hominem mortuum, qui postea miraculose inter perficiendum illas actiones sacramentales resurgeret ; non propterea essent valida illa sacramenta baptismi, confirmationis, aut Extremæ unctionis : ergo similiter, si incipiat proferre verba consecrationis super materiam tunc ineptam, licet inter consecrandum fiat apta per conversionem in vinum ; nihilominus non ideo talis materia valide consecrabitur, aut convertetur in sanguinem.

(Margin: Quædam opinio. Suarez. Bonac. Aversa. N. Phil. Trullen. Leand. — Motivum. — Fulcitur.)

Alii vero censent oppositum, nempe aquam, quæ inter proferendum verba consecrationis fit vinum, in sanguinem Christi converti. Ita Nugnus, et Sylvius in præsenti articulo 8. Prado dub. 11, num. 6. Vazquez disp. 178, cap. ultimo, et disputatione 201, numero 42, atque in eandem sententiam inclinant Diana, Trullench, Tannerus, Ochagavia, et Montesinos apud Pradum loco citato num. 2. Quibus subscribimus hoc unico ducti fundamento : quod verba consecrationis habent significationem practicam, et operantur in ultimo instanti sui terminativo, juxta generalem doctrinam de causalitate sacramentorum, quam tradidimus Tractatu præcedenti disputatione 4, dub. 5 ; sed in casu proposito fit suppositio, quod in ultimo instanti terminativo verborum consecrationis totum, quod continetur in calice est vinum ; idque habet esse materiam aptam consecrationis : ergo totum, quod continetur in calice, convertitur in sanguinem Christi : sed ibi continetur aqua conversa in vinum, sive vinum illud, quod ex aqua fit : ergo quamvis aqua in principio consecrationis non esset conversa in vinum, si tamen convertitur inter consecrandum, sive ante ultimum instans terminativum consecrationis, pariter cum alio vino convertitur in sanguinem Christi. Confirmatur : quia nulla est ratio, quare ex illo vino, quod in ultimo instanti consecrationis continetur in calice, aliqua pars convertatur in sanguinem Christi,

(Margin: Opinio contraria. Nugnus. Sylvius. Prado. Vazquez — Præfertur et probatur. — Confirmatur.)

Christi, et alia pars non convertatur; siquidem omnes sunt ejusdem rationis, et constituunt idem numero vinum per consecrationem : sed certum omnino est, et ab Auctoribus contrariis conceditur aliquam vini partem in tali casu converti in sanguinem Christi : ergo idem dicendum est de toto vino, et de omnibus ejus partibus atque ideo et de illa portione, quæ portioni aquæ in ipsum conversæ respondet.

onvel- untur posita. 75. Quæ autem pro parte contraria expenduntur, rem non evincunt. Nam ad argumentum respondetur materiam aptam, super quam a prolationis principio, cadunt verba consecrationis, esse vinum, quod in prolationis fine convertitur in sanguinem Christi : et quia pars aquæ inter proferendum consecrationis verba convertitur in vinum, et in fine prolationis est ipsum vinum convertendum; propterea et ipsa pars aquæ convertitur mediate in Christi sanguinem. Quare prædicta pars aquæ potest vel ab ipso consecrationis initio dici materia apta, non quidem per se, et immediate, sed solum mediate, et ratione vini, in quod tempore prolationis transmutatur, et quod de se est a principio materia apta, cui verba consecrationis applicantur. Unde ad confirmationem respondemus talem aquam ab initio fieri physice præsentem, non per se, aut immediate, sed ratione vini tunc præsentis, in quod supponitur convertenda ante ultimum instans prolationis verborum. Quare consequenter dicendum est, quod licet illa pars aquæ non esset ab initio physice præsens, et in calice posita, si tamen tempore, quo proferuntur verba, infunderetur vino, et converteretur in ipsum; consequenter, et mediate converteretur in sanguinem Christi : quia totum vinum, quod immediate ad ultimum instans terminativum verborum reperitur in calice, transsubstantiatur in tali instanti in Christi sanguinem : est enim quoddam totum, et unum numero; et non est ratio, quare una ejus pars convertatur, et non alia.

Nota.

Disparitas ad alia sacramenta. Ad explicationem, sive augmentum difficultatis, omisso antecedenti, negamus consequentiam : quia in cæteris sacramentis non reperitur, quod materia possit fieri præsens per aliud, in quod ipsa convertatur, et quod sit ipsa materia apta in fine prolationis verborum : unde si ab initio non sit materia apta præsens formaliter, et in se, non conficitur sacramentum: et idem dicendum est de subjectis. Cæterum materia apta consecrationis est solum vinum, quod ab initio consecrationis supponitur præsens : et hoc sufficit, ut aqua in ipsum convertenda dicatur præsens ratione vini, et quod tempore, quo proferentur verba, fiat vinum : sic enim aqua vinum facta transsubstantiatur cum toto vino in sanguinem Christi in ultimo instanti terminativo prolationis. Addimus tamen nec in aliorum sacramentorum classe deficere exemplum, ut quid simile contingere declaremus : nam ad materiam proximam sacramenti pœnitentiæ pertinet dolor contritionis, vel attritionis : et si pœnitens hunc dolorem non habeat antecedenter ad absolutionem, vel ejus initium, illum tamen eliciat tempore, quo absolutionis verba proferuntur, sive antecedenter ad ultimum instans prolationis verborum terminativum; probabile est perfici verum sacramentum : quia verba absolutionis important significationem practicam, et operantur in ultimo instanti sui terminativo : in eo autem instanti reperiunt subjectum dispositum, et cadunt super materiam aptam.

§ IV.

Diruuntur fundamenta contrariæ opinionis.

76. Contrariam nobis sententiam, quæ asserit aquam vino consecrando infusam converti immediate in sanguinem Christi, et consequenter nunquam contingere, quod talis aqua relinquatur inconversa, et permixta cum Christi sanguine, tuentur Alanus lib. 1, de sacrament. capite 13. Paulus Aresius in peculiari opusc. de hac materia, sectione 7. Toletus in summa lib. 2, cap. 25. Coninckus tom. 1, quæstione 74, articulo 8. Pesantius ibidem disputatione 2. Laymen lib. 5, tractatu 3, cap. 2. Salmeron tom. 6, *in Evangel.* tractatu 14, § *Ad hæc.* Scortia *de sacrificio Missæ* lib. 4, cap. 1. Diana parte 3, tractatu 4, resolut. 39, et parte 5, tractatu 5, resolut. 56. Lugo disput. 4, sect. 3. Dicastillo disput. 2, dub. 9. Caspensis disput. 2, sect. 5. Bernal disput. 28, sect. 4. Raynaudus *in Onomastico Eucharistico*, verbo *Mixtum*, Henao disputatione 4, sectione 4, et alii. Quam probant primo ab auctoritate Innocentii Tertii in

Alanus. Aresius. Tolet. Coninck. Pesant. Layman. Salmer. Scortia. Diana. Lugo. Dicastil. Capsens. Bernal. Raynau. Henao.

Primum argumentum. testimonio relato nu. 56; nam Pontifex consultus, an aqua calici infusa convertatur in sanguinem Christi, relatis diversis opinionibus, respondit : « Verum inter « prædictas opiniones illa probabilior judi- « catur, quæ asserit aquam cum vino in san- « guinem transmutari. » Per hæc enim satis expresse significavit aquam, et vinum in propriis substantiis manentia, atque ut duo, sive ut distincta in sanguinem Christi converti : Cum dictio enim importat distinctionem. Unde Pater Noster Cyrillus in lib. *de Incarnatione* cap. 26, observavit quod talis dictio, « Si in significatione uni- « tatis, quæ est per completionem, ponatur, « duo omnino cogit intelligi. » Et in lege Titiæ 36, § *Nihil distat* ff. *de legatis* 1, dicitur : « Nihil distat, utrum legatur Titio, « et Mevio ; an ita, Titio, cum Mevio : « utrobique enim conjunctum legatum vi- « detur. » Quare prædicta Pontificis responsio non posset cum proprietate salvari, si aqua ut converteretur in sanguinem Christi, deberet prius in vinum converti : sic enim non salvaretur aqua cum vino, sive (quod idem est) aqua, et vinum.

N. Cyr.

Confirmatio. Confirmatur : quia Patres satis frequenter docent aquam offerri, benedici, consecrari, et converti in sanguinem Christi : hæc autem nequeunt verificari, si prius debeat aqua in vinum converti, ut affirmamus : sic enim solum vinum, quod præexisteret, et terminaret transmutationem aquæ, consecraretur, et in sanguinem Christi converteretur : ergo ut aqua in calice posita convertatur in sanguinem Christi, non requiritur, quod prius convertatur in vinum, sed potest immediate in sanguinem Christi transsubstantiari. Cætera constant. Et major ostenditur : nam D. Ambros. lib 4, *de sacram.* cap. 4, inquit : « Ante verba Christi calix est vini, et aquæ « plenus : ubi verba Christi operata fue- « rint, ibi sanguis efficitur. » D. Hieronymus in cap. 14, Marci : « Formavit sangui- « nem suum in calice vino, et aqua mixtis.» D. Damascenus lib. 4, *de fide*, cap. 4: «Pa- « nis, vinumque, et aqua per invocatio- « nem, et adventum Spiritus Sancti super- « naturaliter transmutantur in corpus, et « sanguinem Christi. » B. Algerus lib. 1, cap. 16 : « Cum vinum pro Christo, aqua « sacrificetur pro populo, et utrumque unus « sanguis fiat. » Martinus Bracharensis in lib. *Capitulorum ex Græcis Synodis collectorum* : « Non oportet aliud offerri præter « panem, vinum, et aquam, quæ in typo « Christi benedicuntur. » Paschasius Corbejensis in lib. *de corpore et sanguine Domini* cap. 1 : « Non dubium, quin in hoc « mysterio illam bibamus aquam, de qua « Dominus. Propterea non inconvenienter « etiam ad hoc idem aqua consecratur : « non quod aqua permaneat, sed quod con- « vertatur in sanguinem Christi. » Similia occurrunt in Justino apologia 2, D. Iræneo lib. 2, cap. 57. Theodoreto dialogo 1, circa medium, Nicolao Methonensi in hom. *de Eucharistia*. Samona Episcopo Gazenzi in disceptatione cum Hamet Saraceno, Petro Blesensi tract. *de Eucharistia*, cap. 14, et in Gaufredo in epist. cit. *ad Episcopum Albanensem*, in qua refert hæc verba D. Augustini : « Aqua mittitur in calicem, et fit san- « guis consecratione verbi cœlestis. »

D. Amb. D. Hier. D. Dam. B. Alg. Martin. Brachar. Pascha[sius] Justin. Irenæu[s] Theod. Nicolai Methon[ensis] Petro. Blesen. Gaufre[dus]

Solvitur argumentum. 77. Ad argumentum desumptum ex responsione Innocentii Tertii satis constat ex dictis toto § 1, Pontificem nostram approbasse sententiam. Constat etiam hanc, quam prædicti Auctores tuentur, non potuisse a Pontifice illis verbis vel significari, vel commendari : tres namque expenderat opiniones, quarum nulla affirmabat aquam vino consecrando infusam converti immediate in sanguinem Christi, sed aliter rem declarabant, ut ex textu liquet : unde cum Pontifex unam ex illis tribus sententiis approbaverit, ut constat ex illis verbis: « Inter prædictas opiniones illa probabilior « judicatur, » etc. Sequitur prædictam Recentiorum opinionem de immediata aquæ in sanguinem Christi conversione, nec retulisse, nec approbasse, ut magis expendimus loco citato. Quod autem modo opponitur Pontificem dixisse, *Aquam cum vino in sanguinem transmutari*, quasi Pontifex significaverit aquam, et vinum ut res distinctas atque ideo immediate in sanguinem Christi converti; minime urget. Tum quia prædicta verba : *Aqua cum vino* nullum habent mysterium ; sed Innocentius illis in ea forma usus est, quia eisdem verbis, et forma, facta sibi fuerat consultatio, an scilicet aqua cum vino transsubstantiaretur in Christi sanguinem ? Tum quia ut aqua, et vinum ut distincta convertantur in sanguinem Christi ; sufficit, quod offerantur ut distincta, et concurrant a principio ut distincta, et importantia diversas significationes

cationes mysticas ; licet aqua debeat converti in vinum, antequam in sanguinem convertatur : nec amplius evincunt testimonia, quæ pro ea distinctione ex vi dictionis *Cum* afferuntur. Tum denique quia Innocentius illo loquendi modo : *Aquam cum vino in sanguinem transmutari* intendit significare aquam non aliter transmutari, quam cum vino, sive per vinum, et ratione vini : quia non convertitur in sanguinem Christi nisi prius in vinum conversa. Loquitur enim Pontifex conformiter ad secundam sententiam a se propositam et approbatam,et quæ ita se explicabat. *Aqua transsubstantiatur in sanguinem, cum in vinum transeat mixta vino.* Quæ ex ipsissima sententia, quam ipse Innocentius docet loco relato numero 60, et proponit his verbis : *Aqua cum vino transit in sanguinem, ea videlicet ratione, quod aqua per admixtionem transit in vinum, et vinum per conversionem transit in sanguinem.* Quo nihil expressius dici potuit, ut Innocentius se, et vim illius formulæ *aquam cum vino* pro sua, et communi sententia evidenter declararet.

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem respondemus majorem esse verissimam, sed minorem omnino falsam. Concedimus enim Patres frequenter dicere panem, et vinum, et aquam offerri, benedici, consecrari, et converti in corpus, et sanguinem Christi : idque, quod non negamus, et quod ab Adversariis probatur, possemus pluribus aliis Conciliorum. et Patrum testimoniis promovere, et non pauca dedimus num. præced. Sed curandum est illis, ut exhibeant testimonia, in quibus Patres affirmant aquam in propria substantia converti *immediate* in sanguinem Christi : in hoc namque vertitur difficultatis cardo. At nullum ejusmodi proferunt, nec edere valent : quare nihil ab hoc latere evincere queunt. Nos autem positive probamus aquam in propria substantia manentem non converti immediate in sanguinem Christi : quia aqua in propria substantia manens non est materia sacramenti, ut testimoniis Conciliorum Florentini, et Tridentini satis ostendimus § 2. Quare licet aliquid vel obscurum, vel Adversariis favens occurreret in Patrum testimoniis, deberet per sequentia illa, et eis testimoniis graviora Concilia corrigi, et ad sensum legitimum trahi. Sed re vera non occurrit: nam quod dicant vinum, et aquam offerri, consecrari, et converti, optime salvatur per hoc, quod aqua et vinum simul offerantur, et aqua cum vino, sive in vinum transmutata convertatur in sanguinem, ut proxime vidimus ex Pontifice Innocentio. Cum autem instant et pulsant hoc modo solum vinum converti: respondendum ita quidem esse loquendo de conversione immediata ; nec id Patres unquam negasse : sed tamen et aqua convertitur in sanguinem, quia mixta vino fit vinum,et istud in sanguinem transmutatur Unde, et non improbanda ratione vinum terminans aquæ transmutationem potest aqua appellari,juxta vulgarem usum Scripturæ,quo res facta ex alio solet hujus nomen retinere, sicut Joan. 2 dicitur : *Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam,* quia illud factum fuerat per aquæ conversionem in vinum. Et Exodi 7 : *Devoravit virga Aaron virgas eorum*, quia coluber factus erat per conversionem virgæ in ipsum. Et juxta satis communem loquendi modum dicimus alimentum, v. g. carnem, et panem converti in sanguinem, et substantiam animalis : non quod convertatur immediate (id enim repugnat), sed tantum mediate : convertitur enim alimentum per varias transmutationes in chilum aut quid simile, quod postea in sanguinem, et substantiam animalis immediate transmutatur: et id quod ita immediate in sanguinem animalis convertitur, retinet nomen alimenti, ex quo fit. Sic itaque vinum, in quod aqua convertitur, dici valet et vinum et aqua: consequenter, quod aqua et vinum in sanguinem Christi transsubstantiantur: idque ad summum docent Patres. Et notandum est plures ex Adversariis non negare, quod aqua vino infusa convertatur in vinum, et sic tandem transmutetur in Christi sanguinem ; quamvis dicant eam præconversionem minime requiri. Sicut igitur in casu, quo aqua prius in vinum convertitur, adhuc verificantur Patrum locutiones, nempe aquam, et vinum offerri, consecrari, atque in sanguinem converti : sic etiam verificantur, licet semper aqua convertatur in vinum, et non possit aliter in sanguinem Christi transsubstantiari.

Joan. 2. Exod. 7. Nota.

Secundum argumentum. 78. Arguitur secundo : quia ita præsumendum est aquam vino consecrando a sacerdotibus infusam converti in sanguinem Christi, sicut aqua a Christo in calice posita in eundem sanguinem conversa fuit, juxta

doctrinam Concilii Tridentini sess.22,cap. 3 ; sed aqua a Christo infusa non prius in vinum conversa est, quam in sanguinem : ergo licet aqua, quam sacerdotes vino infundimus, non convertatur in vinum, convertitur nihilominus in sanguinem Christi : atque ideo convertitur immediate. Cætera constant. Et minor probatur supponendo duo, quæ apparent satis certa: primum, quod Christus miscuit vinum infundendo aquam non in modicissima illa quantitate, quam nos solemus apponere, sed in alia notabili, et longe majori : tum quia miscuit vinum propter observantiam, et exemplum temperantiæ, ut tradit Hugo Etherianus lib. 2, *contra Græcos* cap. 16, tum quia id fecit secundum consuetudinem illius terræ ad temperandum vini fortitudinem, ut docet D. Thomas in 4, dist.11, quæst.2, art. 4, quæstiunc. 1 ; ridiculum autem foret pro his finibus infundere modicissimam aquam, unam scilicet, aut alteram guttam, ut nos solemus : apposuit itaque aquam in majori, et notabili quantitate. Secundum, quod Christus statim ac calicem temperavit, consecravit illud mixtum ex vino, et aqua, illudque in suum sanguinem convertit, ut satis perspicue colligitur ex Evangelistis significantibus Christum accepisse calicem, et immediate consecrasse, ac discipulis porrexisse. Præmissis autem his principiis facile constat veritas minoris : nam incredibile apparet tantam quantitatem aquæ in tam brevi duratione conversam in vinum fuisse : ergo aqua, quam Christus posuit in calice, non prius conversa fuit in vinum, sed immediate transsubstantiata est in sanguinem Christi.

Hugo Ether. D. Tho.

Confirmatio. Confirmatur: nam olim in Ecclesia usus, et ritus erat apponendi majorem, et satis notabilem quantitatem aquæ respectu vini consecrandi, ut patet ex Concilio Triburiense cap. 19, ubi statuit : « Duæ sint « partes vini, una aquæ ; quia major est « majestas sanguinis Christi Domini, quam « fragilitas populi, quæ per aquam desi« gnatur. » Sed tanta quantitas aquæ non poterat converti in vinum. Ergo vel concedendum est juxta prædictum usum aquam non converti in sanguinem Christi, sed simul eum eo manere in propria substantia, quod est absurdum : vel fateri oportet, quod talis aqua in sanguinem Christi immediate convertebatur.

Concil. Tribur.

79. Ad argumentum respondetur negando minorem. Ad cujus probationem permissis illis principiis, negamus aquam, quam Christus posuit in calice, non fuisse conversam in vinum : nam licet Christus adhibuerit majorem quantitatem aquæ, quam nos ; et minus quam nos suspenderit illus mixti consecrationem : nihilominus pro sui infinita sapientia cognovit comprehensive, et evidenter proportionem tam quantitatis aquæ, quam temporis requisiti, ut illa aqua converteretur in vinum : et supposita hac conversione, sic demum processit ad consecrationem calicis : unde non sequitur, quod talis aqua conversa immediate fuerit in ejus sanguinem. Nos autem, qui eam evidentiam, et comprehensionem non habemus, prudenter agimus apponendo aquam in modica quantitate, et expectando congruum conversionis tempus : atque ita Ecclesia præcipit, et practicat. Diximus : *Præmissis illis principiis*, non autem concessis : quia re vera incerta sunt. Quod enim ad primum attinet, exploratum non est Christum pro calice consecrando infudisse magnam, aut notabilem quantitatem aquæ : quia esti pro communi usu biberit vinum limphatum in magno temperamento; aquam tamen vino consecrando miscuit non temperantiæ causa, vel ad temperate modo usuali bibendum ; sed eam infudit mysterii gratia, et ad mysticam significationem: quare potius præsumendum est infudisse quantitatem modicam aquæ. Unde quod Hugo Etherianus dixit adhibuisse aquam propter temperantiam, communiter non admittitur: finis namque specialis prædictæ mixtionis non fuit temperantia, sed mysterium significandum. Secundum etiam rem valde incertam assumit : nam Christus durante cœna consecravit panem, ut constat Matth. 26: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit etc.* Ad consecrandum autem calicem expectavit finem cœnæ, ut constat ex Paulo 1, ad Corinth. 11: *Similiter et calicem postquam cœnavit dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine etc.* Unde sufficiens tempus dedit, ac expectavit, ut aqua vino admixta convertetur in vinum.

Satisfit argumento

Nota 1.

Nota 2.

Nec refert, si præmissæ doctrinæ quis apponat Christum consecrasse vinum usuale : hujusmodi autem est vinum limphatum, et multa aqua dilutum : ergo Christus consecravit vinum, cui multa aqua fuerat infusa

Præoccupatur objectio.

infusa, et quæ subinde non potuit in vinum eo tempore transmigrare. Id, inquam, non refert: quia vinum limphatum non est vere vinum usuale, nisi aqua ita apponatur, quod convertatur in vinum. Si enim ita mixtio fiat, ut aqua in vinum non transeat, sed aliud tertium ex vino, et aqua resultet: tale mixtum non est vinum usuale, quia vere non est vinum, sed erit alius potus, qui usualis dici queat. Nam ut recte observavit Gonet disp. cit. num. 61, aliud est potus usualis, et aliud vinum usuale: quippe usualis potus potest esse ex vino, et aqua in magna quantitate, aut etiam ex aliis liquoribus, licet vera species vini non retineatur: vinum autem usuale non est, nisi vinum sit, et speciem vini servet. Ad quod plane requiritur, ut aqua in ea quantitatis proportione misceatur, quod non solvat speciem vini, nec aliud tertium mixtum constituat, sed in vini transeat naturam. Porro Christus in vino ita limphato, et juxta prædictum sensum usuali, atque propriam speciem vini retinenti consecravit, ut vel eo liquet, quod facta consecratione calicis dixit totum illud, quod consecraverat, esse de vitæ, quia vere vinum fuerat. Sic enim legitur Marci 14: *Et accepto calice, gratias agens dedit eis: et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum etc.*

Gonet. Marc. 14.

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem negamus majorem: quia Ecclesia catholica nunquam in usu habuit infundere vino consecrando magnam quantitatem aquæ, sed illam præcise, quæ facile in vinum converti posset. Quod autem affertur ex Concilio Triburiensi, nullius momenti est: quia Concilium illud fuit Provinciale, et ab Ecclesia non approbatum, ut jam supra diximus num. 48. Quin expresse correctum est per Eugenium Quartum in Concilio Florentino *in decreto fidei*, ubi agens de sacramentis, et eorum materia dixit: « Tertium est Eucharistia, « cujus materia panis triticeus, et vinum « de vite, cui ante consecrationem aqua « modicissima admisceri debet. » Et idem constat ex ipsa Ecclesiæ praxi.

Tertium argumentum. 80. Arguitur tertio, et potest esse replica contra præcedentem doctrinam: nam ideo aqua vino consecrando infusa non converteretur immediate in sanguinem Christi, quia Concilia dicunt vinum esse materima consecrationis: sed hæc ratio nihil probat: ergo aqua vino consecrando infusa convertitur immediate in sanguinem Christi. Probatur minor: quia Concilia non solum dicunt materiam consecrationis quantum ad speciem sanguinis esse vinum, sed affirmant esse vinum de vite, ut liquet ex verbis relatis Concilii Florentini: sed aliquid, quod non est vinum de vite, convertitur immediate in sanguinem Christi: affirmamus enim aquam converti in vinum, quod immediate convertitur in sanguinem Christi: prædictum autem vinum, quod illam conversionem terminat, non est vinum procedens ex vite, sed factum ex aqua, ut ex se liquet: ergo licet Concilia dicant materiam consecrationis esse vinum, potest aliquid, quod non est vinum, nempe aqua vino infusa, immediate converti in sanguinem Christi.

Confirmatur: quia verba consecrationis totum illum potum in sanguinem Christi determinate convertunt, quem positum in calice determinate significant: sed verba consecrationis determinate significant totum illum potum, qui in calice continetur: quippe hanc vim habet pronomen *Hic*, cum dicitur: *Hic est sanguis meus*, aut, *Hic est calix sanguinis mei*: ergo totum illum potum determinate convertunt in sanguinem Christi: sed contingit totum illum potum continere et vinum, et aquam in propriis substantiis manentia: ergo totus ille potus, ut utramque partem complectens, convertitur in sanguinem Christi: ex quo evidenter infertur aquam in sanguinem Christi immediate converti. Confirmatio.

Ad argumentum concessa majori, neganda est minor: nemo namque catholicorum negabit materias sacramentorum congruentissime nobis innotescere per Conciliorum doctrinam. Hoc autem ipso, quod aliquid pro materia alicujus sacramenti designent, ibi excludunt alia a ratione talis materiæ: sicut determinando materiam baptismi esse aquam, excluduntur alii liquores, utputa, vinum, oleum, lac, et similia, ne possint esse baptismi materia. Cum igitur Concilium Florentinum non dixerit aquam esse materiam Eucharistiæ; sed dixerit materiam Eucharistiæ esse vinum, cui ante consecrationem modicissima aqua admiscetur: satis efficaciter concluditur aquam non esse materiam Eucharistiæ, atque ideo nec converti immediate in san- Solvitur argumentum.

guinem Christi. Ad minoris autem probationem iterum neganda est minor, quam minime evincit inserta eidem probatio : nam cum Concilia docent materiam Eucharistiæ esse vinum de vite, solum significant vinum essentialiter, atque specifice vitigineum,ut distinguitur ab aliis,quæ improprie,et cum additio dicuntur vina, sicut vinum pomorum, malorum granatorum, mororum,et similia,quæ nequeunt esse materia hujus sacramenti, ut recte observavit D. Thomas, in hac quæstione art. 5 ad 1. Porro ut vinum sit essentialiter,atque specifice vitigineum, et ab aliis improprie vinis diversum, de materiali,et per accidens se habet, quod actu generetur de vite, vel fiat per creationem, vel producatur per conversionem in ipsum : semper enim retinet eandem speciem : sicut potest idem homo fieri per generationem ex alio, et per creationem, et per resurrectionem. Unde dubitari non debet, quod vinum factum per miraculum ex conversione aquæ in nuptiis Cana Galileæ fuerit aptum consecrationi, non minus quam si ex uvis factum fuisset. Et in historiis ecclesiasticis legimus aliquando vinum per miraculum productum deservisse. Unde Ecclesia in
Nota. festo S. P. N. Simonis Stochii in 6 lectione inquit : « Aquam crucis signo in vinum « convertit, superans dæmonis astutiam, « qui sacra facienti vinum in urceolis pa- « ratum abstulerat. » Cum igitur vinum illud, in quod aqua vino consecrando infusa convertitur, sit verum vinum vitigineum et ejusdem rationis, et speciei cum præexistente ; liquido comprehenditur sub doctrina Concilii Florentini, sive Eugenii declarantis materiam Eucharistiæ esse panem triticeum, et vinum de vite. Hinc vero nec per imaginationem trahi valet paritas ad aquam vino mixtam, si in propria substantia existat tempore consecrationis, et conversionis.

Diruitur confirmatio. Ad confirmationem respondemus excessive probare : probat enim, si quid valet, sub eadem terminorum dispositione quemlibet alium liquorem, puta oleum, lac, aquam rosaceam etc. si tempore prolationis verborum reperiantur in calice vino mixta, converti in sanguinem Christi, ut expendenti formam, et vim confirmationis satis constabit : consequens autem est evidenter falsum, et contra communem omnium sententiam. Quare dicendum est verba consecrationis determinate significare, et determinate convertere in sanguinem Christi totum illum potum, qui reperitur in calice, si sit materia proxime consecrabilis,et convertibilis in Christi sanguinem; secus autem si hujusmodi non sit. Aqua autem in propria substantia existens non est materia proxime consecrabilis, et convertibilis ; siquidem materia hujus sacramenti non est, ut supra ostendimus. Et ideo licet in calice sit, et totum potum intret, non significatur determinate ut materia immediate convertenda in sanguinem Christi : sed perinde quantum ad hanc immediatam conversionem discurrendum est, ac de aliis liquoribus proxime relatis, cum vino consecrando confusis. Nec magis evincit inserta illa probatio de pronomine *Hic:* istud enim solum applicatur materiæ aptæ, et sub accidentibus contentæ, quæ in ultimo prolationis verborum consecrationis est vere sanguis Christi. Distinguendo itaque in prædicto sensu præmissas, negandæ sunt cæteræ consequentiæ.

81. Arguitur quarto : quia juxta nostram sententiam non alia via potest salvari aquam in calice positam, et subinde totum potum in calice contentum converti saltem per se loquendo in sanguinem Christi, ac perinde non remanere per se loquendo aquam simul cum sanguine Christi ; nisi quia prædicta aqua convertitur in vinum, et istud transsubstantiatur in sanguinem Christi : sed hæc collectio est inepta, et ita discurrendo non parum erramus ; ergo prædicta sententia sustineri non debet, sed magis asserendum est aquam converti immediate in Christi sanguinem. Probatur minor : nam id, quod certius est, non debet in sua veritate, et certitudine dependere ab eo, quod est incertum, aut minus certum : sed aquam vino consecrando mixtam,sive totum in calice contentum converti (saltem per se loquendo) in sanguinem Christi, est omnino certum, sic communiter asserentibus Patribus, et Theologis : aquam autem in calice positam converti in vinum est incertum, et saltem minus certum ; cum plures non improbabiliter id negent : ergo inepte colligimus, et non parum erramus, quando asserimus aquam in calice positam converti in sanguinem Christi, quia convertitur in vinum, quod in prædictum sanguinem transsubstantiatur — Quartum argumentum.

Respondetur negando minorem : illa enim

Responsio. enim consecutio, sive illatio est prorsus evidens, supposito principio omnino certo, atque diffinito in Conciliis, nempe materiam Eucharistiæ quantum ad speciem sanguinis esse vinum : ex eo enim manifeste deducitur aquam posse converti mediate in sanguinem Christi, quia converti valet in vinum, quod transsubstantiatur in talem sanguinem : sicut non minus evidenter colligitur aquam non posse converti immediate in sanguinem Christi, quia non est vinum, quod solum est materia hujus sacramenti quantum ad illam speciem. Unde magis decipiuntur, qui hæc non percipiunt, et eisdem cedunt. Ad minoris autem probationem respondetur primo cum Prado, Gonet, et aliis communiter negando majorem : quia nullum est inconveniens, nec recto discursui obstat, quod consequens sit magis certum, quam antecedens : non quidem quatenus ab eo deducitur, et importat ab eo dependentiam ; sed alias, et ex aliis causis, maxime vero ex communi Ecclesiæ acceptatione. Sic enim ista propositio: *Humanitas Christi existit absque propria, et creata subsistentia* colligitur, et dependet ab hac : *Humanitas, et quælibet natura creata distinguitur realiter a propria subsistentia* : ita quod si hæc posterior esset falsa, prior illa non posset esse vera : et tamen illa est certior, quam ista : non quidem quatenus ab illa deducitur, sed quia alias cadit sub testimonio Dei, et pertinet ad fidem Theologicam. Ad hunc ergo modum hæc propositio : *Aqua in calice posita convertitur per se loquendo in sanguinem Christi* colligitur, et dependet ab ista: *Aqua in calice posita prius convertitur in vinum* : ita quod si ista esset falsa, illa non esset vera, ut satis a nobis ostensum est : et nihilominus prior illa est certior, non quidem quatenus ab hac ultima dependet, sed alias, et ex aliis causis, nempe quia ita communiter recipitur in Ecclesia.

Alia responsio. Respondemus secundo ad prædictam probationem omittendo majorem, et negando minorem : nam magis certum non est aquam in calice positam converti per se loquendo in sanguinem, quam prædictam aquam per se loquendo in vinum prius transmutari. Quippe nec certum, nec infallibile est aquam in calice positam converti semper in Christi sanguinem : sed non semel contingere potest, quod in sanguinem non transsubstantietur, ut constat ex dictis a num. 70. Tantumque abest, quod contrarium doceat Ecclesia, ut id, quod modo affirmamus, sit communis, antiqua, et vera sententia Theologorum (reclamantibus paucis in numero, atque inferioribus in auctoritate), ut lector facile judicabit, si relatos num. 76, conferat cum relatis num. 61. Quod igitur aquam in calice positam converti in Christi sanguinem certum communiter reputetur, provenit ex eo, quod communiter etiam certum reputatur aquam in calice positam converti per se loquendo in vinum. Unde quotquot affirmant aquæ præconversionem in vinum requiri, ut convertatur in sanguinem, ubi certo cognoscunt aquam non fuisse in vinum conversam, certo etiam cognoscunt aquam non esse conversam in sanguinem ; et ubi prudenter dubitant de conversione aquæ in vinum, prudenter etiam dubitant de conversione aquæ in sanguinem. Indeque satis liquet veritatem, certitudinem, et incertitudinem prædictarum propositionum inter se commensurari : et consequenter certius non esse aquam converti in sanguinem, quam aquam converti in vinum. Recentiores autem, qui oppositam communi sententiæ opinionem prosequuntur, majorem illam confingunt certitudinem, ut suo serviat judicio : sed dum sic discurrunt, petunt principium, quod a nobis negatur, et alia via oportet ab ipsis probari. Nos autem eo libentius hac responsione utimur, quo magis directe eorum intentioni repugnat.

82. Sed replicabis (et sit quintum, ac ultimum argumentem); quoniam aqua vino mixta nequit converti in vinum : ergo vel nunquam convertitur in sanguinem Christi, quod est omnino falsum, et contra id, quod in hoc dubio supponitur ; vel in sanguinem Christi convertitur immediate. Consequentia est evidens. Et antecedens probatur primo auctoritate Plinii, plurium Medicorum, et omnium fere Chymicorum, qui affirmant conversionem aquæ in vinum esse impossibilem. Secundo, quia post infusam vino aquam, et post diuturnam mixtionis moram solet talis aqua extrahi, et separari a vino per medullam junci, et alios modos, quos ars excogitavit ; ergo signum manifestum est, quod aqua nunquam in vinum convertitur. Tertio, quia si vinum aquam in se converteret, per admixtionem aquæ redderetur fortius : sicut Quintum argumentum.

ignis convertens in se ligna fit fortior, et idem contingit in aliis corporibus simplicibus, cum aliquid in se convertunt; consequens est manifeste falsum, utpote contrarium experientiæ; ergo vinum aquam sibi mixtam non convertit in se.

Confirmatio. Confirmatur: quia vinum nequit in se convertere aquam, et suam vini formam in ejus materia introducere, nisi possit corumpere aquam excludendo formam illius: sed hoc ultimum non potest: ergo nec illud primum. Probatur minor: nam in primis vinum nequit aquam corrumpere per qualitates Symbolas, sive similes, scilicet per humiditatem, et frigiditatem: quippe simile non agit in simile. Rursus nequit illam corrumpere qualitatibus dissymbolis, aut dissimilibus, v. g. calore: quoniam calor vini non est formalis, sed virtualis, sicut calor piperis: calor autem virtualis non agit nisi excitatus a subjecto, in quod agit, ut eodem exemplo piperis liquet: porro aqua nequit excitare, et irritare calorem virtualem vini, cum ipsa de se careat omni calore formali. Sequitur ergo, quod vinum nequeat corrumpere aquam.

Occurritur argumento. 83. Respondetur hoc argumentum de illorum genere esse, quæ agunt contra communes animorum conceptiones, et subinde convincuntur falsum concludere. Quod enim modicissima pars aquæ infusa multo, et generoso vino possit in illud transmutari, est commune sapientum judicium, ut statim magis ponderabimus. Unde non omnes Auctores num. 76 relati utuntur hoc argumento: facile enim recognoscunt aquam vino consecrando infusam multoties converti in vinum, et sic tandem mediate in sanguinem transmutari: et tantum intendunt non requiri universaliter istam aquæ præconversionem, sed fieri posse, quod aqua illa in sanguinem Christi immediate convertatur. At animosiores alii plus intendunt, nempe prædictam aquam semper converti immediate in sanguinem: quia aqua nec prius, nec unquam transit substantialiter in vinum: et horum est propositum argumentum. Ad quod respondetur negando antecedens. Et ut illius probationibus magis perspicue occurramus, observandum est, quod mixtio est duplex: alia

Distinguendæ duæ mixtiones. specialiter dicta, quæ diffiniri solet *Miscibilium alteratorum unio*, in qua miscibilia concurrentia destruuntur, et ex illis resultat aliud tertium ab eis specifice distinctum, in quo prædicta manent virtualiter, sive quantum ad virtutes, licet modificatas, et refractas: sicut contingit, quando ex elementis generatur aliquod mixtum, ut vulgo tradi solet cum Aristotele lib. 1, *de generat.* cap. 10, et lib. 2, cap. 7, et 8. Aristot. Modo autem non loquimur de hac mixtione: quia si vinum, et aqua ita miscerentur, quod ex eis resultaret aliquod mixtum, quod nec esset formaliter vinum, nec formaliter aqua, sed aliquod tertium ab eis specifice diversum; eo ipso tolleretur de medio materia consecrationis, de qua agimus, ut ex se liquet, et omnes concedunt. Est itaque alia mixtio magis communiter, et minus proprie dicta, quando videlicet aliqui liquores ita antecedenter permiscentur, et confunduntur, ut unus simpliciter prævaleat, alterumque corrumpat, et ejus materiam trahat ad propriæ formæ participationem: ubi manifestum est talem mixtionem esse veram generationem, non quidem alterius tertii ab extremis distincti, sed novæ cujusdam partis, quæ liquori prævalenti aggignitur. Et de hac mixtione loquimur, cum tam sæpe dicimus modicam aquam vino consecrando infusam converti per mixtionem in vinum.

Mixtio per aggenerationem possibilis. Hunc autem mixtionis modum esse possibilem evidenter docuit Philosophus lib. 1, *de generat.* cap. ult. textu 88, ubi ait: « Inter agentia porro, et patibilia, quæ « facile dividi possunt, » (ut plane sunt liquores,) « multa cum pauxillis, magna « cum pusillis collocata, nullam reddere « possunt mixtionem » (nempe priorem illam, et specialiter dictam, quam præmisimus,) « id tamen, quod imperat amplifi- « cant: alterum enim ad id, quod imperat, « recedit, ut gutta vini, quæ quidem mille « aquæ pateris non admiscetur: species « enim difflatur, et in universam conver- « titur aquam. » Quem textum alii cum majori claritate sic vertunt; « Multa qui- « dem paucis, et magna parvis composita, « non faciunt mixtionem, sed augmentatio- « nem dominantis: mutatur enim alterum « in dominans. Ideo gutta vini decem mil- « libus congiis aquæ non miscetur: solvitur « enim forma, et mutatur in universam « aquam. » Ratio autem physica ab Aristotele insinuata id etiam probat: quoniam omnia corpora habent terminum versus parvitatem: Aristot.

parvitatem : unde possunt ita dividi in minutissimas partes, ut eo ipso corrumpantur, ut cum D. Thoma infra quæst. 77, art. 4 et in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 3, et communi Philosophorum sententia docent N. Complut. abbreviati in *Phys.* disp. 25, quæst. 2. Sed minima pars unius liquoris magnæ quantitati alterius liquoris infusa difflatur, et dividitur in minutissimas partes, ut ad sensum liquet. Ergo potest ita dividi, et commisceri, ut eo ipso corrumpatur. Congruit autem, ut ejus materia adquirat formam liquoris dominantis; siquidem ab isto alterari, ac disponi cœperat, præsertim ubi major liquor habet, ut sæpe solet, aliquas qualitates occultas minori liquori contrarias. Ergo in prædicto casu minor liquor convertitur substantialiter in majorem liquorem : sicut proportionabiliter, cum alimentum convertitur in substantiam aliti. Hac itaque ratione dicimus possibilem esse conversionem unius guttæ, aut modicissimæ partis aquæ in majorem notabiliter vini quantitatem : quemadmodum Philosophus dicit possibilem esse unius guttæ vini in magnam quantitatem aquæ : occurrit enim idem motivum, nempe divisibilitatem, et intersecationem in partes minimas, sub quibus forma substantialis corporum conservari nequit: præsertim accedente aliqua contrarietate manifesta, vel occulta liquoris majoris, et dominantis.

D. Tho. N. Comp.

Convelluntur omnes probationes.

84. His præmissis ad primam antecedentis probationem respondetur nos nihil eorum auctoritate, qui in ea recensentur, morari : habemus enim pro nostra, et communi sententia Aristotelem loco proxime relato, de cujus mente testatur D. Thomas infra quæst. 77, art. 8, dicens : « Gutta aquæ « multo vino permixta transit in speciem « vini, ut dicitur in 1, de generat. » Habemus Innocentium Tertium, qui loco relato num. 60, inquit : « Quis ambigat aquam « in vinum transire, cum multo vino « parum infunditur aquæ? » Habemus Angelicum Doctorem, qui pro millibus est, in præs. art. 8, id evidenter supponentem, et affirmantem. Habemus nobilissimos Theologos, et Philosophos, B. Albertum, D. Bonaventuram, Alensem, Scotum, Durandum, Abulensem, Sotum, Estium, Suarium, et alios innumeros, quibus pudet Medicos, et Chymicos comparare. Ad secundam probationem dicendum est illam experientiam non habere locum, ubi modicissima pars aquæ infunditur magnæ quantitati vini, ut temperantes calicem facimus. Sed edendum est illud, quod ex vino ita mixto per artem chymicam extrahitur, non esse veram aquam, ut vel ex eo liquet, quod a vino puro simile quid per eandem artem extrahi solet, ut optime observavit D. Thomas in 4, dist. 10, in expositione litteræ. Est itaque id, quod separatur, quidem humor aqueus, et talis dicitur, non quod sit vera aqua, vel quod vinum substantialiter non sit : sed quia importat partes impuriores vini, et minus coctas. Ad tertiam negamus sequelam, et similitudinem cum corporibus simplicibus. Et ratio differentiæ est, quod ignis, et alia corpora simplicia agunt per virtutem elementorum, quæ est eorum naturalis proprietas : unde licet agendo aliquomodo patiantur, tamen acquisita super contrarium victoria, statim restituuntur per naturalem resultantiam ad pristinum statum, ac vigorem ; quin et ob acquisitionem pluris materiæ magis extensive fortificantur. Quæ ratio non militat in corporibus mixtis, ut est vinum : hæc enim important determinatum temperamentum, et contrariis magis expositum : unde si vires amittant, non ita facile illas denuo consequuntur. Quæ de causa sicut vinum solet independenter a mixtione aquæ languescere, et debilitari, atque ad corruptionem disponi ; sic etiam patitur, et vires aliquomodo diminuit, quando aquam in se convertit ; tantumque in convertendo pati valet, ut ejus species solvatur, ut fit addendo majorem, et majorem aquæ quantitatem.

D. Tho. Aristot. Innoc. III.

D. Tho.

Respondetur confirmationi.

Ad confirmationem negamus minorem. Ad cujus probationem constat ex dictis num. præced. ubi ex Philosopho vidimus, quomodo unus liquor valeat alium corrumpere, et trahere ad propriam speciem. Et plane non major repugnantia occurrit in eo, quod magna quantitas vini possit in se convertere unam guttam aquæ, quam in eo, quod magna quantitas aquæ valeat in se convertere unam guttam vini : concurrit enim eadem tam ex parte qualitatum, quam ex parte divisionis partium proportio : et Philosophus hoc ultimum evidenter affirmat. Dicendum itaque est, quod ut vinum in notabili quantitate corrumpat modicissimam partem aquæ sibi infusæ, concurrit in primis summa aquæ divagatio, atque

divitio in minutissimas partes, unde ita debilitatur, quod ejus forma consistere physice nequeat : quia pervenit ad terminos suæ parvitatis. Concurrunt etiam qualitates dyssimbolæ vini agentes in aquam; ejusque materiam præparantes ad formam vini. Et id, quod contra hanc partem objicitur, minime urget : tum quia falsum est calorem virtualem non excitari, et irritari ad agendum, nisi provocatus calore formali subjecti, in quod agit : oppositum enim evidenti experientia constat in calce, quæ sola aqua adhibita statim fervet. Tum etiam, et præcipue, quia calor virtualis ignis fundatur in alia virtute formali occulta : omne enim virtualiter tale debet fundamentum habere in alio formaliter tali : prædicta autem qualitas agit in aquam, similem qualitatem imprimendo : quæ cum contraria sit aquæ conditioni, illam debilitat, atque in propria natura indisponit : ad quod tandem (concurrente minimarum partium aquæ debilitate in resistendo) sequitur substantialis aquæ corruptio. Videatur D. Thom. infra quæst. 77, articulo 8, tam in corpore, quam in resp. ad. 1, ubi refert quandam Innocentii Tertii sententiam, nempe, « Si aqua fuerit apposita » (intellige post consecrationem) « vini saporem assumit : contingit « igitur accidentia mutare subjectum sicut « et contingit subjectum accidentia permu- « tare. » Sed Sanctus Doctor statim subdit : « Hoc tamen non est ita intelligendum, « quasi idem numero accidens, quod prius « fuit in vino ante consecrationem, post- « modum fiat in apposito : sed talis per- « mutatio fit per actionem. Nam accidentia « vini remanentia retinent actionem subs- « tantiæ : et ita immutando afficiunt li- « quorem appositum. » Quod pariter, atque a fortiori dicendum est de accidentibus vini in propria substantia existentis.

D. Tho.

DUBIUM V.

Utrum una species possit sine altera consecrari ?

85. Constat ex hactenus dictis Eucharistiam duabus speciebus constare, nempe panis, et vini : institutum namque fuit istud sacramentum per modum convivii, et integræ refectionis complectentis cibum, et potum. Nunc videndum est, an possit una species absque altera consecrari ? Ubi ly *possit* (sicut in similibus difficultatibus contingit), referri valet vel ad valorem consecrationis, vel ad licitum ejus exercitium : plura namque sunt simpliciter possibilia, quæ tamen licite fieri non valent. Et in priori sensu pars affirmativa certa, et communis est apud Theologos cum Divo Thoma in 4, distinct. 8, quæst. 2, articulo 4, quæstiunc. 1, et distinct. 11, quæst. 2, articulo 1, quæstiunct. 1, ad 4, et in hac 3 part. quæst. 78, articulo 6, ubi hæc habet, quæ istam suppositionem evincunt, quin opus sit illis addere : « Respondeo dicen- « dum, quod quidam antiqui Doctores « dixerunt, quod hæ duæ formæ, scilicet « consecrationis panis, et vini se invicem « expectant in agendo : ita scilicet, quod « prima non consequitur suum effectum, « antequam proferatur secunda. Sed hoc « stare non potest : quia sicut dictum est, « ad veritatem hujus locutionis, Hoc est « corpus meum, requiritur propter ver- « bum præsentis temporis, quod res signi- « ficata simul sit cum ipsa significatione « locutionis. Alioquin si in futurum expec- « taretur res significata, apponeretur ver- « bum futuri temporis, non autem ver- « bum præsentis : ita scilicet, quod non « diceretur, Hoc est corpus meum, sed, « Hoc erit corpus meum. Significatio autem « hujus locutionis completur statim com- « pleta locutione horum verborum : et ideo « oportet rem significatam statim adesse : « quæ quidem est effectus hujus sacra- « menti : alioquin locutio non esset vera. « Est etiam hæc positio contra ritum « Ecclesiæ, quæ statim post prolationem « verborum corpus Christi adorat. Unde « dicendum est, quod prima forma non « expectat secundam in agendo : sed sta- « tim habet suum effectum. » Et in argumento *Sed contra*, dixerat : « Statim dictis « verbis consecrationis panis, hostia con- « secrata proponitur populo adoranda. « Quod non fieret, si non esset ibi corpus « Christi : quia sic ad idololatriam perti- « neret. Ergo verba consecrationis panis « suum effectum consequuntur, antequam « proferantur verba consecrationis vini. » Et idem etiam contingeret, si prius proferretur forma sanguinis, quam forma corporis. (Quod tamen foret gravissimum peccatum, ut recte observavit Nugnus ad prædictum articulum, propter oppositionem ad consuetudinem Ecclesiæ fundatam in traditione

Suppositio communis.

D. Tho.

Nugnus.

tione Apostolica, et insinuatam satis evidenter in Evangelio.) Si autem consecratio unius speciei fit, effectumque sortitur antecedenter ad alterius speciei consecrationem ; manifeste sequitur posse unam speciem sine altera valide consecrari : quia fieri potest, ut peracta consecratione unius speciei, non subsequatur consecratio alterius, vel propter subitam mortem sacerdotis, vel propter ejus malitiam, vel propter defectum materiæ, vel ob alias causas, quæ occurrere valent.

Difficultas ab aliquibus proposita, et eorum placitum. Nec hoc loco nos implicari oportet difficultate, quam proposuit uterque Lugo, Joannes, disp. 19, *de Eucharistia*, sect. 8, et Franciscus lib. 4, *de sacramentis*, cap. 1, quæst. 2, nempe an si sacerdos haberet intentionem consecrandi unam tantum speciem, non vero aliam, valide illam, quam intenderet, consecraret ? Ad quam ipsi negative respondent : quoniam ad valorem consecrationis requiritur intentio saltem implicita sacrificandi, sive perficiendi sasacrificium ; sunt enim hæc duo inseparabilia ex institutione Christi : sed qui habet intentionem consecrandi unam tantum speciem, non vero aliam, non habet intentionem sacrificandi ; quippe sacrificium istud essentialiter complectitur corpus, et sanguinem, quorum separationem repræsentat : ergo qui vellet consecrare unam solam speciem, et non aliam, nec ejus, quam vellet, consecrationem efficeret. Non, inquam, egemus ista theologia : quia casus hic est specialis, ultra quem possunt plures alii dari, in quibus teneat consecratio unius speciei, quamvis, alterius consecratio non succedat, ut evidenter probant exempla supra proposita : unde quidquid in peculiari illo casu ab eis Auctoribus inducto in oppositum contingeret ; communi, ac veræ nostræ suppositioni minime præjudicat.

Rejiciuntur. Aliunde vero illorum vel in illo casu resolutio incertissima est, et ab eorum sociis impugnari solet, ut videri potest apud Dicastillum disp. 1, dub. 12, num. 236. *(Dicastillo.)* Et quidem non immerito : quoniam sicut integrum sacrificium complectitur oblationem corporis, et sanguinis, sic integrum sacramentum complectitur speciem cibi, et speciem potus : institutum namque est per modum convivii, quod si integrum su, ex illis partibus constat, ut satis constat ex dictis disp. 2, dub. 3. Ergo sicut recte intelligitur, quod quis possit intendere consecrare inadæquate sacramentum, consecrando unam speciem, et non aliam ; in quo eventu facit verum sacramentum licet non integrum, et perfectum, sed aptum ut perficiatur : sic etiam recte intelligitur, quod quis possit intendere offerre inadæquate sacrificium, immolando unam ejus partem, et non alteram ; in quo eventu offerret sacrificium, quamvis non integrum, et completum, sed quod possit compleri. Porro in intentione consecrandi istud sacramentum adæquatum vel inadæquatum clauditur intentio saltem implicita offerendi sacrificium eodem modo, nempe integrum, vel non integrum. Quare non multum soliditatis in ea Lugonum subtilitate videmus.

Præmissa itaque communi, et certa suppositione quantum ad valorem, nempe posse unam speciem sine alia valide consecrari, dubii difficultas revocatur ad licitum, nimirum an liceat unam consecrare sine altera. *(Species hujus dubii difficultates.)* Circa quod tria principaliter occurrunt difficultati obnoxia : primum, an detur præceptum interdicens hujusmodi inadæquatam consecrationem : secundum, an tale præceptum sit ecclesiasticum, vel divinum : tertium, an Pontifex queat in hac materia dispensare. Quæ quia sunt connexa, sub eodem dubio comprehendimus : sed tamen majoris claritatis gratia seorsim distinctis assertionibus resolvemus, subjiciendo immediate tam sententias, quam difficultates eis refragantes. Nec enim ista diffusiorem tractatationem exposcunt.

§ I.

Proponitur prima, et communis conclusio.

86. Dicendum est primo dari præceptum aliquod prohibens, ne una species consecretur sine alia : atque ideo illicitum esse, saltem per se loquendo, et seclusa dispensatione unam speciem absque altera consecrare. *(Assertio.)* Ita D. Thomas in hac quæst. 74, art. 1 ad 2, ubi recte observat « quod licet « non in omnibus terris nascatur triticum, « vel vinum ; tamen de facili ad omnes « terras deferri potest, quantum sufficit ad « usum hujus sacramenti. » *(D. Tho.)* Sed tamen addit : « Nec propter defectum alterius est « unum tantum sine altero consecrandum : « quia non esset perfectum sacramentum. » Et in hoc tantum, aut præcipue casu pos-

semus imaginari licitam esse consecrationem unius solius speciei propter carentiam alterius. Et infra quæst. 80, art. 12 ad 3, docet repræsentationem Dominicæ passionis agi ipsa Eucharistiæ consecratione : et ideo non debere corpus sine sanguine consecrari. Et in 4, dist. 11, quæst. 2, art. 1, quæstiunc. 1 ad 4, affirmat esse « contra « morem Ecclesiæ consecrationem unius « sine altera. » Unde talis consecratio est saltem ab isto capite illicita. Idemque unanimiter docent omnes Theologi et Thomistæ, et extranei, nullo excepto, quem legerimus. Videri ex illis possunt Soto in 4, dist. 9, quæst. 1, artic. 1, Caietanus ad locum cit. ex quæst. 80, Sylvester verbo *Eucharistia* 1, quæst. 5, Arauxo quæst. 74, art. 1, dub. ult. num. 8, et Prado ibidem dub. 2. Ex aliis autem videri possunt Adrianus quæst, 6, *de Eucharistia*. Alanus lib. 2, cap. 20. Sainctes repetit. 10, cap. 3, Hosius in sua confessione cap. 48, Navarrus *in manuali*, cap. 25, et Suarez disp. 43.

Soto. Cajet. Sylvest. Arauxo. Prado. Adrian. Alanus. Sainct. Hosius. Navarr. Suarez

Fundamentum [ab auctoritate.

Probatur primo ab auctoritate urgentissima, quæ ex variis testimoniis desumitur. Et in primis ex Concilio Tridentino sess. 22, cap. 1, ubi manifeste supponitur Christum Dominum præcepisse sacerdotibus, ut sacrificium Eucharistiæ sub una, et altera specie offerrent. Si enim ait : « Sacerdotem « secundum ordinem Melchisedech se in « æternum constitutum declarans, corpus, et « sanguinem suum sub speciebus panis, et « vini Deo Patri obtulit : ac sub earum « rerum symbolis, Apostolis, quos tunc « novi Testamenti sacerdotes constituebat, « ut sumerent, tradidit: et eisdem, eorum- « que in sacerdotio successoribus, ut offer- « rent, præcepit per hæc verba : Hoc facite « in meam commemorationem, uti semper « catholica Ecclesia intellexit, et docuit. » Et conformiter ad hanc doctrinam diffinivit can. 2, ejusdem sess. « Si quis dixerit « illis verbis, Hoc facite in meam comme- « morationem Christum non instituisse A- « postolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut « ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus, et « sanguinem suum, anathema, sit. » In quibus verbis comprehenditur non sola institutio sacerdotum, sed etiam modus offerendi sacrificium quantum ad utramque sacramenti speciem, corpus scilicet, et sanguinem. Unde idem Concilium sess. 21, cap. 1, docuit « nullo divino præcepto « laicos, et clericos non conficientes obli- « gari ad Eucharistiæ sacramentum sub « utraque specie sumendum. » Quod diffinivit can. 1, et 2. Illis autem verbis *Clericos non conficientes*, manifeste significavit aliam omnino rationem habendam esse de clericis conficientibus sive celebrantibus, nempe hos obligari ad utriusque speciei consecrationem, et sumptionem. Quod jam pridem declaraverant antiquiora Concilia, Toletanum 7, cap. 2, et Toletanum 11, cap. 14, quæ referuntur in cap. *Illud*, et cap. *Nihil* 7, quæst. 1, ubi providetur, ut in omni eventu consecratio utriusque speciei integre perficiatur, etiam si opus sit, quod unus sacerdos perficiat, quod alter inchoavit, et morte, vel alio casu impeditus perficere non potuit. Et in cap. *Comperimus*, *de consecrat*. dist. 4, dicitur : « Non potest absque « gravi sacrilegio dividi hoc Mysterium. » Et idem decernunt plures alii canones. Idemque constat ex perpetua, et communi Ecclesiæ praxi, cujus meminit D. Thom. loco supra cit. ex 4 sentent. Ergo fateri omnino oportet consecrationem utriusque speciei esse necessariam necessitate præcepti : atque ideo per se loquendo, et seclusa dispensatione (de quo infra) illicitum esse unam speciem sine altera consecrare.

Concil. Trident.

Concil. Tolet. 7. Concil. Tolet. 11.

87. Secundo probatur ratione D. Thomæ in testimoniis supra relatis, quam ita formare possumus : hoc sacramentum institutum est a Christo ad modum convivii materialis ; quod proinde exigit suapte natura atque institutione integrari ex utraque specie cibi, et potus, sicut in convivio materiali contingit : unde provenit, quod hoc sacramentum, quatenus unam, et alteram speciem complectitur, sit unum unitate specifica, et atoma, ut ostendimus disp. 2, dub. 3. Ergo non potest confici sacramentum integrum, et perfectum, nisi conficiatur sub una, et altera specie. Atqui sacerdos tenetur conficere sacramentum integrum et nequit illud imperfectum, et quasi mutilum ex intentione relinquere, nisi committendo grave sacrilegium ob notabilem ad sacramentum irreverentiam, et propter oppositionem ad modum suæ institutionis. Ergo datur aliquod præceptum, quo sacerdotes obligantur conficere hoc sacramentum sub utraque specie, sive (et in idem redit) debent non consecrare unam speciem sine altera. Confirmatur, et declaratur alia via: nam cum in hoc sacramento concurrat ratio sacrificii, ut plane significat Concilium Tridentinum

Ratio D. Tho.

Confirmatio.

dentinum in verbis supra relatis; sacerdos, qui sacramentum istud consecrat, Deo sacrificium offert, nempe illudmet, quod Christus de se obtulit in cruce, licet cum modo diverso. Sed ratio naturalis dictat, quod Deo offeratur sacrificium integrum, et perfectum, reprobatque oblationem sacrificii imperfecti, et mutili. Ergo sacerdos debet vel non sacrificare, vel offerre Deo sacrificium integrum, et perfectum. Manifestum autem estsacrificium istud integrum et perfectum non esse, nisi offeratur Deo corpus, et sanguis Christi, et repræsentetur unius ab altero separatio : quod fieri non valet, nisi concurrentibus speciebus corporis, et sanguinis. Ergo sacerdos, qui ex intentione unam speciem consecrat, et offert, prætermittendo alterius speciei consecrationem, et oblationem, nequit non peccare contra institutionem, et modum tam sacramenti, quam sacrificii. Atque ideo per se loquendo, et seclusa dispensatione illicitum est unam speciem sine altera consecrare.

Prima objectio.

88. Contra catholicam hanc assertionem nullum, ut diximus, reperimus Auctorem, quem referamus. Occurrunt tamen aliqua diluenda. Et primo objicitur : nam cum conservatio sit continuata rei productio ; ita se habet unumquodque ad primum sui fieri, sicut ad existere, et conservari : sed licitum est, quod sacerdos conservet Eucharistiam in una tantum specie, ut patet ex communi usu Ecclesiæ conservantis Eucharistiam in sacrariis sub una tantum specie panis: ergo pariter licitum est, quod sacerdos consecret, et faciat Eucharistiam sub una tantum specie. Confirmatur primo : quia licitum est laicos, et clericos non celebrantes accipere unam tantum speciem ut patet ex Concilio Tridentino supra relato : ergo licitum etiam est sacerdotes celebrantes sumere unam tantum speciem : atque ideo et Eucharistiam sub una tantum specie conficere. Confirmatur secundo: nam quia character Diaconatus potest conservari sine charactere sacerdotii ; licite confertur sacramentum Ordinis quantum ad Diaconatum, licet non conferatur quantum ad sacerdotium : sed una species Eucharistiæ potest sine alia consecrari, ut in objectione ostenditur ; ergo licitum etiam est consecrare una speciem non consecrando aliam. Confirmatur tertio destruendo motivum nostræ assertionis desumptum ex analogia ad convivium corporale : nam licet istud, ubi integrum, et perfectum est, constet cibo, et potu ; nihilominus nulla culpa vel inordinatio est parare, et conficere cibum corporalem, nullum parando, aut conficiendo potum : ergo servata eadem analogia, quamvis integrum, et perfectum convivium Eucharisticum constet specie cibi et specie potus; tamen nullum peccatum est conficere sacramentum in specie cibi, non consecrando illud quantum ad speciem potus.

Confirmatio I. — Confirmatio 2 — Confirmatio 3.

Fit satis objectioni.

Sed hæc omnia parum urgent. Nam ad objectionem respondemus majorem nec in physicis esse universaliter veram, nisi facta comparatione effectus ad primam universalissimam causam, influentem sub communi ratione entis, a qua sicut effectus dependet in fieri, sic etiam in conservari. Sed falsa vel in physicis est per respectum ad causas particulares : frequenter namque contingit effectum in suo produci dependere ab aliquibus, a quibus tamen postea in sua conservatione non pendet, ut patet in generatione viventium : filius enim ut generetur, indiget concursu parentum, a quibus tamen non dependet, ut conservetur. Et quod ad rem præsentem magis facit, licet major sit vera in physicis, non tamen in moralibus, et quoad licitum : plura quippe solent requiri, ut aliquid a principio licite fiat, quæ tamen minime desiderantur, ut conservetur : sic enim, ut a præsenti materia non recedamus, ad celebrationem, et consecrationem licitam Eucharistiæ requiruntur vestes sacræ, et status jejunii naturalis in ministro, et alia similia; quæ tamen necessaria non sunt ad licitam Eucharistiæ conservationem. Similiter ad licitam receptionem cujuscumque characteris sacramentalis requiritur status gratiæ : qui tamen non requiritur ad licitam ejusdem conservationem, sive ad specialiter contra sacramentum ordinis non peccandum in retinendo characterem. Hac itaque de causa vel distinguenda est major in præmisso sensu ; vel illa omissa, et concessa minori, neganda estconsequentia. Et ratio disparitatis constat ex dictis : nam Eucharistia instituta est per modum convivii; et ideo ubi primo fit, et exhibetur, debet constare partibus convivii, nempe specie cibi, et specie potus : et contra hanc institutionem peccat sacerdos, si consecret unam speciem sine altera. Cæterum sicut

post instructum, et paratum integrum convivium solet aliqua ejus pars separari, et reservari pro absentibus, aut pro alio fine : sic etiam nulla inordinatio est, quod post paratum integrum Eucharistiæ convivium, seu sacramentum, reservetur aliqua ejus pars, videlicet species cibi pro infirmis, absentibus, et pro aliis finibus, ad quos in hac praxi attendit Ecclesia.

Solvitur prima confirmatio. 89. Juxta quam doctrinam diluitur prima confirmatio concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et disparitas est tum quod Ecclesia prohibet laicos, et clericos non celebrantes communicare sub utraque specie : unde quod unam tantum recipiant, nullum est peccatum, sed actus obedientiæ. E contra vero Ecclesia præcipit, ut sacerdotes celebrantes conficiant sacramentum in utraque specie, ut constat ex juribus supra allegatis : quare quod celebrans consecret unam speciem sine altera, nequit non esse peccatum saltem inobedientiæ contra præceptum ecclesiæ. Tum etiam (per quod assignatur ratio disparis jam præmissæ ab Ecclesia dispositionis), quoniam cum sacramentum Eucharistiæ non consistat in usu, sed sit aliquid permanens, ut satis liquet ex dictis disp. 2, dub. 2, sumptio Eucharistiæ non pertinet ad ejus essentiam, vel integritatem : unde nulla irreverentia est, quod non sacrificans sumat illud inadæquate, et quantum ad unam tantum speciem; præsertim cum in qualibet specie suscipiat integrum corpus, et sanguinem Christi, ac nulla fraudetur gratia ad salutem necessaria : quæ motiva attendens Ecclesia, et principaliter curans vitare irreverentias, quæ ex vulgari utriusque speciei sumptione consequebantur, rationabiliter eam interdixit laicis, et clericis non celebrantibus, ut constat ex loco citato Trident. sess. 21. Cæterum ad essentialem, et specificam integritatem hujus sacramenti pertinet utraque species, cum institutum fuerit per modum convivii perfecti, ut fusius explicuimus disp. 2, dub. 3, et insuper ejus confectio sit re ipsa immolatio sacrificii importantis corpus, et sanguinem victimæ, et mysticam utriusque separationem. Quare sacerdos celebrans, et sacrificans tenetur illud in utraque specie consecrare : quia nisi ita agat relinquit ex modo agendi convivium imperfectum, et sacrificium mutilum : in quo ipso committit gravem contra illud irreverentiam.

Diluitur secunda. Ad secundam omittendo præmissas negando consequentiam. Et disparitas liquet ex dictis : tum quia Ecclesia non prohibet collationem unius ordinis sine alio; prohibet autem consecrationem unius speciei sine altera. Tum etiam quia ordines Diaconatus, et Sacerdotii habent ex divina institutione, quod valeant gradatim conferri: et nullum habemus fundamentum, ut dicamus eos ordines debere simul communicari; sed magis ad oppositum; cum ipsa Sacerdotis dignitas exposcat hujusmodi graduationem, et probatam ministri experientiam. Sed Eucharistia tam in ratione sacramenti, quam in ratione sacrificii postulat pro sui specifica perfectione consecrationem utriusque speciei, ut supra expendimus. Et ideo irreverentia, atque peccatum est illam non consecrare in una, et altera specie. Ad ultimam dicendum est, quod licet in naturalibus ille, qui parat convivium, et non parat potum, non committat culpam moralem, deficit tamen politice, et quantum ad id, quod integra convivii ratio communiter exposcit : unde tanquam miser, aut rusticus reprehendi posset. Quæ transferendo ad hæc supernaturalia, et moralia, dicendum est sacerdotem, qui convivium Eucharisticum revocat ad consecrationem unius tantum speciei, v. g. cibi, non consecrando, et parando speciem potus, peccare mortaliter, et agere contra propriam rationem sacramenti prout a Christo instituti. Addimus, quod licet principalis Auctor convivii possit de illo disponere, prout sibi placuerit parando plura, aut pauciora : nihilominus minister debet agere juxta præceptum, et institutionem principalis Auctoris. Christus autem, qui est principalis hujus convivii spiritualis Auctor, illud instituit sub utraque specie. Sacerdos vero est minister Christi in ejus consecratione, et præparatione. Et ideo nisi consecret, et præparet convivium in utraque specie, peccat agendo contra institutionem Christi principalis Auctoris. (Occurritur ultimæ.)

Secunda objectio. 90. Secundo objicitur : nam in casu, quo opus sit conficere Eucharistam ad communicandum moribundum, et quod non reperiatur nisi materia panis, licitum est hanc consecrare, omittendo consecrationem speciei vini : ergo sacerdos licite aliquando potest consecrare unam speciem sine alia. Probatur antecedens : nam permisso, quod detur

detur præceptum consecrandi per se loquendo utramque speciem, vel non unam sine alia; nihilominus in eo casu occurrit aliud præceptum de sumendo Eucharistiam in articulo mortis : hoc autem ultimum est magis urgens, atque ideo prævalens : quia istud est de æterna animæ salute;illud vero est de integritate sacramenti, quod propter salutem animæ tanquam propter finem institutum est : ergo præceptum de consecrando Eucharistiam in utraque specie debet cedere præcepto sumendi Eucharistiam in articulo mortis : atque ideo in tali casu licitum est prætermittere præceptum consecrandi Eucharistiam in utraque specie, et agere conformiter ad præceptum sumendi Eucharistiam in mortis articulo; et subinde consecrare in una tantum specie.

Communis solutio. Nec momenti erit vulgaris responsio, quod præceptum sumendi Eucharistiam solum currit, et obligat servata forma a Christo, vel Ecclesia præscripta conficiendi sacramentum, ad quam pertinet, quod utraque species consecretur. Id enim spectat ad sacramenti reverentiam, quæ ob utilitatem privatæ personæ omitti non debet. Quare in prædicto casu non deberet sacerdos consecrare in una tantum specie ad moribundum communicandum : sed ligaretur præcepto magis urgente non conficiendi sacramentum nisi perfectum, et concurrentibus ambabus speciebus. Id, inquam, non valet, sed refellitur similibus exemplis in hac materia sacramentali. Tum quia integritas confessionis pertinet ad sacramentum confessionis, et obligat jure divino : quo non obstante potest aliquando prætermitti, v. g. cum ex manifestatione unius peccati sequerentur gravissima damna vel pœnitentis, vel alterius innocentis : ergo pariter licet utraque species pertineat ad integritatem sacramenti Eucharistiæ, et consecratio earum cadat sub præcepto; potest nihilominus prætermitti, ubi gravis necessitas occurrit subveniendi per sacram communionem proximo constituto in articulo mortis. Tum etiam quia satisfactio est de integritate sacramenti pœnitentiæ, et divinitus præcipitur: et tamen in aliquo casu licitum est confessario non injungere pœnitentiam, illamque ex intentione prætermittere, v. g. quando videt moribundum in eo statu, quod satisfactionem nec physice, nec moraliter potest implere : ergo licet consecratio utriusque speciei pertineat ad integritatem sacramenti Eucharistiæ, et cadat sub præcepto per se loquendo; potest tamen aliquando prætermitti ob similem necessitatem, quando nimirum decedet infirmus absque viatico, nisi una saltem species consecretur. Tum denique quia confessio sacramentalis præmitti debet ad sumptionem Eucharistiæ, quando præcessit peccatum mortale : quæ obligatio est de jure divino, et proponitur ab Apostolo illis verbis: *Probet autem se ipsum homo :* sed hoc non obstante tale præceptum non obligat in omni eventu, sed solum quando commode impleri potest : ergo idem dicendum est de præcepto obligante ad consecrandum in utraque specie : quod proinde cum commode impleri non possit instante hominis morte, non obligabit, sed locum relinquet, ut una tantum species consecretur pro viatico.

Impugnatur.

Defenditur data responsio. Respondetur ad hanc objectionem negando antecedens. Ad cujus probationem dicendum est nec moribundum obligari ad suscipiendum Eucharistiam, nec sacerdotem teneri ad illam conficiendam, et ministrandam, nisi ubi Eucharistiæ consecratio, administratio, et sumptio commode, id est, cum debita erga sacramentum reverentia exerceri possunt. Ubi autem id non concurrit, cessat, aut non instat ex parte utriusque obligatio. Unde sicut in prædicto casu non posset sacerdos accedere ad conficiendum Eucharistiam sine vestibus sacris, aut non jejunus; et sicut illam non posset conficere in pane fermentato, ut supra diximus nu. 28, ita multo minus posset consecrare in una tantum specie : quia illa requiruntur ut accidentalia, et cæremonialia; concursus autem utriusque speciei pertinet ad essentialem, et specificam sacramenti integritatem. Et quod in hac responsione dicitur de necessitate hujus sacramenti ad æternam salutem moribundi, nihil valet : quia istud sacramentum non est necessarium ad salutem determinate prout in re susceptum, sed requiritur vel in re, vel in voto juxta doctrinam superius traditam disp. 3, dub. 1. Unde sufficeret infirmo illud tunc suscipere in voto, ubi nec commode, nec decenter posset fieri, aut exhiberi, et recipi in re; sicut manifeste liquet, ubi infirmus patitur vomitum. Et rursus infirmo subveniri valet aliis remediis, utputa sacramento pœnitentiæ, et sacramento

Extremæ-unctionis, quæ implicite claudunt ejusdem Eucharistiæ votum, ut latius explicuimus loco citato. Unde nulla ratione dici valet, quod præceptum conferendi infirmo Eucharistiam prævaleat contra præceptum non conficiendi Eucharistiam nisi in utraque specie. Et ita responsio inter arguendum data sicut communis, sic etiam et optima est, quin valeat ullis exemplis contra illam inductis labefactari.

Convelluntur impugnationes. Ad primum enim omittendo præmissas negamus consequentiam : nam in confessione duæ integritates distinguuntur, alia formalis, et quantum est ex proposito confitentis ; alia vero materialis nimirum quantum ad numerum peccatorum, ut re ipsa cuncta dicantur. Quamvis autem præceptum divinum, et Ecclesiasticum obligent ad integritatem formalem confessionis; non tamen ad materialem, nisi ubi commode fieri valet : consistit namque verum pœnitentiæ sacramentum absque hujusmodi materiali integritate, ut liquet quando pœnitens ex oblivione, aut ignorantia inculpabili omittit confiteri aliqua peccata. Cæterum utraque species pertinet ad integritatem formalem, et essentialem sacramenti Eucharistiæ, ut supra diximus. Unde sacerdos nequit in ullo casu consecrare ex intentione in una tantum specie, quin agat contra integritatem formalem talis sacramenti relinquendo illud imperfectum, atque ideo peccando contra reverentiam eidem debitam. Ad secundum respondetur eodem modo omittendo præmissas,et negando consequentiam ob satis notam disparitatem : quia satisfactio non est ita de integritate sacramenti pœnitentiæ, sicut utraque species est de integritate sacramenti Eucharistiæ. Nam ad integritatem formalem sacramenti pœnitentiæ sufficit satisfactio in voto, nempe cum pœnitens illam re exequi non valet : unde tunc minister potest ex æquitate judicii illam non injungere. Sed ad integritatem formalem sacramenti Eucharistiæ pertinent una, et altera species in re; siquidem nec in ratione convivii, nec in ratione sacrificii salvatur integra ejus ratio absque utriusque concursu, ut supra explicuimus : quare sacerdos, si semel consecrat Eucharistiam, nequit non absque peccato in una tantum specie consecrare : quippe qui ita agendo relinqueret sacramentum formaliter imperfectum et dimidiatum. Tertium facilius adhuc dispellitur : quoniam præceptum illud præmittendi confessionem ante susceptionem Eucharistiæ, licet divinum sit, non obligat absolute, sed facta suppositione, et quasi sub conditione, nempe quod homo habeat conscientiam peccati gravis, et copiam confessoris. Sed ubi non adest confessarius, et instat necessitas vel suscipiendi Eucharistiam, vel celebrandi pro populo, non obligat illud præceptum, satisque est elicere contritionem, et habere pœnitentiæ sacramentum in voto.

§ II.

Altera assertio pro dubii decisione.

Secunda conclusio. 91. Dicendum est secundo præceptum consecrandi Eucharistiam in utraque specie, sive non consecrandi unam speciem sine alia, esse divinum, et non mere ecclesiasticum. Sic aperte significat, et supponit D. Thom. in præs. art. 1 ad 2, ubi D. Tho. præmittit veritatem satis certam, nempe, « quod licet non in omnibus terris nascatur triticum, vel vinum, tamen de facili « ad omnes terras deferri potest. » Sed tamen vel facta contraria suppositione subjungit : « Nec propter defectum alterius « est unum tantum sine altero consecran« dum : quia non esset perfectum sacra« mentum. » Ubi obligationem consecrandi in utraque specie non revocat in aliquod Ecclesiæ præceptum, sed in ipsius sacramenti institutionem, et naturam. Et similiter infra quæst. 80,artic. 12 ad 3, inquit: « Dicendum,quod repræsentatio Dominicæ « passionis agitur in ipsa consecratione « hujus sacramenti : in qua non debet « corpus sine sanguine consecrari. » In quibus verbis prima propositio fundat veritatem secundæ, illam reducens non ad aliquid ecclesiasticum præceptum, sed ad ipsam Dominicæ passionis repræsentationem, quæ in consecratione hujus sacramenti fit. Unde sic docent omnes Thomistæ, Paludanus in 4, dist. 11, quæst. 1, Palud. art. 1, Soto dist. 6, quæst. 1, art. 1, Cajetanus loco cit. ex quest. 80, Arauxo in Soto. Cajet. Arauxo. præs. dub. ult. Joan. a S. Thom. disp. 27, Joan. a S. Tho. artic. 1, Gonet disput. 3, art. 6, conclus. 1, Gonet. N. Cornejo disp. 1, dub. 3, N. Philippus N. Corn. N. Phil. disp. 2, dub. 6, N. Gabriel disp. 1,quæst.6, N. Gab. N. Fran. N. Franciscus cap. 4, punct. 3, Sylvester Sylvest. verbo *Eucharistia* 1,quæst. 5,et alii plures.

Idem

Marsil. Argent. Gabriel Hosius. Suarez. Vazq. Lugo. Granad. Idem etiam communiter tuentur cæteri Theologi Marsilius, et Argentinas in 4, dist. 9, quæst. 6, art. 1, Gabriel in can. lect. 10, litt. D. Hosius *in confessione Polon.* cap. 4, Suarez disput. 43, sect. 3, Vazquez disp. 223, cap. 3, Lugo disput. 19, sect. 8, Granados tract. 2, disp. 5, et alii.

Fundamentum ab auctoritate. Fundamenta hujus assertionis sunt illamet, quæ pro præcedenti expendimus, si paulo amplius, et aliter expendantur. Et primum desumitur ab auctoritate : nam testimonia proposita num. 86, etsi manifeste evincant dari ecclesiasticum præceptum consecrandi utramque speciem : nihilominus satis evidenter supponunt dari etiam divinum Christi præceptum, illudque colligunt ex ipsius Christi facto, et institutione : quæ sufficientia sunt ad inducendum divinum jus, ut circa materiam, et formam tam hujus, quam cæterorum sacramentorum satis liquet. Sed præcipuo loco expendi debet doctrina Concilii Tridentini sess. 22, cap. 1, asserentis, quod Christus, « ut Ecclesiæ relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur etc. corpus et sanguinem suum sub speciebus panis, et vini Deo Patri obtulit ; ac sub eisdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit: et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem. » Ex quibus verbis duo constant : primum, quod Christus instituerit Eucharistiam per modum sacrificii constantis ex specie corporis, et specie sanguinis ad repræsentandum cruentum crucis sacrificium, in quo suum corpus suumque sanguinem ab eo fluentem Deo Patri obtulit : secundum, quod Christus Apostolis, aliisque sacerdotibus præceperit, ut illud sacrificium a se institutum offerrent. Unde veritas nostræ assertionis evincitur in hunc modum : sacerdotes consecrantes Eucharistiam efficiunt eo ipso sacrificium repræsentans sacrificium crucis ; ad idque jure divino, sive ex peculiari Christi præcepto tenentur : sed ea repræsentatio fit consecrando utramque speciem tam corporis, quam sanguinis, ut patet ex ipsamet Christi institutione : ergo sacerdotes conficientes Eucharistiam obligantur jure divino ad utriusque speciei consecrationem : atque ideo præceptum interdicens, ne una species absque altera consecretur, non est mere ecclesiasticum, sed etiam divinum.

Concil. Trident. (margin)

92. Nec momenti est, quod aliqui vel opponendo, vel vim hujus motivi labefactando, dicunt repræsentationem sacrificii cruenti crucis posse sufficienter fieri per unius tantum speciei consecrationem : quippe eo ipso, quod corpus ponatur ex vi verborum absque sanguine, aut e converso sanguis ex vi verborum absque corpore ; ibi sufficienter significatur sanguinem a corpore effusum, et separatum in cruce fuisse. Id, inquam, nihil valet. Tum quia hæc vel objectio vel fuga solum salvat potuisse rem hanc divinitus ita disponi ; minime vero, quod Christus ita instituerit, atque præceperit : oppositum enim constat ex testimonio relato, nempe Christum repræsentasse peragendum cruentum crucis sacrificium unius, et alterius speciei consecratione, et præcepisse Apostolis, et aliis sacerdotibus, quod sacrificium illud commemorativum, a se institutum offerrent : ergo licet sacerdotes in alia rerum dispositione possent consecratione unius speciei repræsentare sacrificium crucis, et sacrificium subinde commemorativum offerre ; nihilominus de facto juxta divinum Christi præceptum obligantur sacrificium Eucharistiæ consecratione utriusque speciei efficere, atque offerre. Tum etiam (per quod assignatur ratio congruentiæ, ut Christus ita voluerit, et instituerit), quoniam etsi repræsentatio sacrificii crucis potest utcumque fieri consecratione unius tantum speciei, quæ significaret vel corpus sine sanguine, vel sanguinem sine corpore ; nihilominus talis repræsentatio foret minus clara, et perfecta : posito namque solo corpore sub accidentibus panis ex vi verborum, non significaretur expresse mors illius corporis per effusionem sanguinis : quippe quod posset aliter mori, et carere sanguine, utputa per consumptionem sanguinis in se ipso. E contra vero ubi constituitur corpus in una specie sine sanguine ex vi verborum ; et similiter constituitur sanguis in alia specie sine corpore ex vi verborum : ibi expresse, et perfectissime significatur separatio sanguinis a corpore, et quod corpus in cruce mortuum fuerit sanguinis effusione : et quod cruentum crucis sacrificium hoc modo peractum fuerit. Decuit autem Christum hanc perfectam repræsenta-

Objectio (margin) Convellitur. (margin)

tionem in consecratione Eucharistiæ intendisse, instituisse, et præcepisse : sic enim congruebat tam ob excellentiam auctoris, quam ob dignitatem sacramenti, et sacrificii legis gratiæ. Cum igitur Christus ita instituerit, ac jusserit, fit sacerdotes nostros suo muneri minime satisfacere consecrando Eucharistiam in una tantum specie, repræsentandoque imperfecte sacrificium crucis; sed jure divino obligari ad consecrationem utriusque, sive ad perfectam illam sacrificii crucis repræsentationem, quam Christus instituit, atque præcepit. Sicut quia Christus voluit, quod in sacramento Baptismi fieret perfecta significatio divinarum personarum, non sufficit quælibet earum repræsentatio minus clara, ut si dicamus : *Ego te baptizo in nomine Trinitatis :* sed jure divino, sive juxta Christi institutionem debemus dicere clare, et expresse : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Quemadmodum enim Christus dixit : *Baptizantes eos in nomine Patris etc.* Sic etiam dixit : *Hoc facite in meam commemorationem,* id est, *Facite in mei, meæque passionis memoriam hoc ipsum, quod ego facio.*

Ratio ex D. Tho. 93. Probatur secundo eadem assertio ratione Theologica satis efficaci insinuata a D. Thoma locis supra relatis : quoniam obligatio consurgens ex vi institutionis Eucharistiæ, et independenter a præcepto ecclesiastico est obligatio juris divini : sed hujusmodi est obligatio consecrandi Eucharistiam in utraque specie, sive non consecrandi unam speciem sine alia : ergo talis obligatio est juris divini. Consequentia est evidens. Et major constat ipsis terminis : tum quia sicut institutio Eucharistiæ non est ab Ecclesia, sed a Christo Deo ; sic obligatio consurgens ex vi solius institutionis Eucharistiæ non est ab Ecclesia, sed a Deo, atque subinde divina. Tum quia ubi adest obligatio, et non dependet a præcepto Ecclesiæ, opus est, quod procedat a jure divino. Minor denique ostenditur attendendo ad duas rationes cum sacramenti, tum sacrificii, secundum quas certum est Christum Eucharistiam instituisse. Etenim si ad priorem attendamus, manifestum est sacramentum Eucharistiæ institutum esse tanquam spirituale convivium, quod pro sua specifica integritate exposcit unam speciem per modum cibi, et aliam speciem per modum potus ; atque ideo in neutra specie solitarie sumpta salvatur convivium integrum, et perfectum : sacerdos autem obligatur sacramentum perficere, sive illud non relinquere imperfectum, et mutilum, ut supra ostendimus num 86, et 87 ; ergo obligatio consecrandi utramque speciem consequitur immediate naturam, atque institutionem sacramenti Eucharistiæ antecedenter ad omne præceptum ecclesiasticum. Si vero attendamus ad aliam sacrificii rationem, id ipsum non minus perspicue demonstratur : quoniam sacrificium Eucharistiæ est expressa, et perfecta commemoratio sacrificii cruenti crucis ; atque ideo repræsentare debet tam corpus, quam sanguinem Christi, et utriusque separationem: quod fieri juxta Christi institutionem non valet, nisi concurrentibus corporis, et sanguinis speciebus, ut constat ex dictis num. præced. Ergo obligatio consecrandi unam, et alteram speciem consequitur immediate institutionem Eucharistiæ in ratione sacrificii, præcisive, et independenter ab alio Ecclesiæ præcepto. Eo vel maxime quod sacerdotium Christi, a quo nostrum derivatur, est sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, ut probat Apostolus ad Hebr. 6, et declarat Concilium Tridentinum sess. 22, cap. 1. Ordo autem sacerdotii Melchisedech fuit in oblatione panis, et vini, sicut Genes. 14 legitur, quod *Melchisedech, rex Salem, protulit panem, et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi.* Quare vel sacerdotes nostri non consecrabunt juxta sacerdotium Christi, quod nulla ratione dici valet, vel obligantur juxta sacerdotium Christi agendo atque ideo ex Christi institutione, et divino jure consecrare in pane, et vino, et perficere sacramentum quantum ad utramque speciem. Ad Heb. 6. Gen. 14.

94. Contrariam nostræ assertioni sententiam, nempe præceptum non consecrandi unam speciem sine alia, non esse divinum, sed præcise Ecclesiasticum docent Alensis, quem refert, et sequitur Adrianus quæst. 6, *de Eucharistia*, Major in 4, dist. 9, quæst. 3, ad 3, Summa Tabiena verbo *Eucharistia* 1, num. 20, Pisana eodem verbo 2, § 12, Sainctes repet. 10, cap. 3 et alii. In quam etiam inclinat Navarrus cap. 25, num. 91. Eandem etiam (inquit Suarez sectione 3, in principio) indicat D. Thomas in 4, dist. 11, quæst. 2, art. 1, quæstiunc. 1, ad 4, ubi negat consecrandam esse alteram speciem Sententia assertioni opposita. Alensis. Adrian. Major. Tabien. Sainctes. Vindicatur Div Tho.

ciem solam « tantum, quia est contra mo« rem Ecclesiæ. » Sed Suarium minus sincere, et fideliter hæc ex S. Doctore retulisse, jam observavit post alios Gonet loco citato num. 93; nam D. Thomas non habet illa verba, quæ minusculis litteris notavit ille Auctor. Affirmat equidem S. Doctor eum, qui habet unam tantum speciem, debere potius desistere a consecratione « quam « conficere præter morem Ecclesiæ in una « tantum specie. » In quo nihil occurrit, quod huic sententiæ faveat, aut illam insinuet. Non enim excludit jus divinum, sed repræsentat tanquam sufficiens non admittendi dimidiatam consecrationem motivum *morem Ecclesiæ* : et ita res se habet. Cæterum consuetudo hujusmodi non est mera consuetudo sed supponit jus divinum ex præcepto Christi, unde inducta est. Quare nullum habet hæc sententia in S. Doctore patrocinium.

Primum argumentum. Arguitur tamen pro ea : quia si daretur præceptum divinum consecrandi utramque speciem, aut non consecrandi unam sine alia ; illud utique foret ex Christo Domino sacramentum istud instituente, ut nos fundando nostram assertionem expendimus : sed hujusmodi præceptum non fuit a Christo impositum : ergo non datur præceptum divinum, consecrandi utramque speciem, sive non consecrandi unam speciem sine alia. Major et consequentia patent. Minor autem suadetur : nam quod Christus præceperit consecrationem utriusque speciei, nequit efficaciter colligi nisi vel ex facto Christi, quatenus ipse consecravit utramque speciem ; vel ex verbis Christi quatenus ipse dixit : *Hoc facite in meam commemorationem.* Porro nec ex illo facto, nec ex istis verbis colligi præceptum, ut nos consecremus utramque speciem, ostenditur. Nam quod ad factum attinet, plura Christus instituendo Eucharistiam gessit, quæ tamen a nobis peragi non præcepit, et ad quæ proinde divino jure non obligamur : sic enim consecravit nocte, et dedit sacramentum non jejunis : et tamen nos ad hæc non obligamur, cum potius juxta morem Ecclesiæ celebremus mane, et non nisi jejuni. Quin ipse Christus non consecravit simul utramque speciem, sed panem inter cœnandum, et vinum post cœnam, ut plane colligitur ex verbis Scripturæ : *Cœnantibus illis accepit Jesus panem, et similiter postquam cœnavit, accepit calicem, etc.* Attendendo itaque ad Christi factum, minime colligitur præceptum consecrandi unam sine alia. Jam vero si attendamus ad Christi verba, non magis præceptum hujusmodi colligitur : sicut enim Christus dixit : *Hoc facite in meam commemorationem*, sic etiam dixit: *Bibite ex eo omnes :* sed hæc ultima verba non continent præceptum, ut omnes sumant utramque speciem, ut patet ex more Ecclesiæ interdicentis non celebrantibus calicem: ergo nec priora continent præceptum consecrandi Eucharistiam in utraque specie. Et ratio generalis tam respectu facti, quam respectu verborum Christi, ne præceptum inducant, ea facile assignatur, quod Christus plura tunc gesserit, ac dixerit, quæ non sunt de necessitate sacramenti, sed pertinent præcise ad majorem ejus integritatem, et decentiam.

Confirmatur : quia Christus Dominus cœnans cum duobus discipulis in castello Emmaus consecravit Eucharistiam in specie panis, illamque ipsis distribuit, ut affir- Patres, quos dedimus tract. præced. disp.3, num. 91, et tamen tunc non consecravit illam in specie vini, ut plane colligitur ex Luca 24 : siquidem ibi dicitur, quod discipuli cognoverunt eum in fractione panis, et ipse statim evanuit ab oculis eorum : ergo si ad exemplar, et factum Christi attendamus, necessarium non est consecrare Eucharistiam in utraque specie : atque ideo obligatio ita consecrandi non est ex jure divino, sed solum ex Ecclesiæ præcepto. Confirmatio.

95. Ad argumentum respondetur negando minorem. Ad cujus probationem iterum neganda est minor quoad utramque partem : quia licet ex nudo, et simplici Christi facto non colligatur præceptum, ut consecremus Eucharistiam in utraque specie ; bene tamen colligitur ex prædicto facto, adjuncto præcepto conficiendi Eucharistiam, sicut ipse celebravit, et sic exponente tale mandatum Ecclesia in Concilio Tridentino, ut supra magis expendimus : nam argumentum ab illo facto simul cum præcepto sumptum satis efficaciter probat, quod teneamur jure divino, sive ex Christi institutione Eucharistiam in utraque specie conficere. Præsertim cum Eucharistia tam in ratione sacramenti, quam in ratione sacrificii utramque speciem importet : deficiente namque earum qualibet, utraque ratio mutila, et imperfecta relin- Diluitur argumentum.

quitur. Ea vero, quæ contra unam, et alteram partem opponuntur, corruunt ex dictis : nam quod ad factum attinet, fatemur præceptum non colligi nisi adjuncto simul mandato, *Hoc facite* etc. quod quidem non appellavit super circumstantias, sed super substantiam operis, *Sacramenti*, et *Sacrificij*, quod Christus tunc egit : quippe Christus non dixit, Hoc facite his circumstantijs, quales in argumento expenduntur, sed *Hoc facite*, id est, sacramentum, et sacrificium : ad cujus essentialem integritatem pertinent ambæ species. Unde quamvis circumstantiæ non fuerint præceptæ, ut recte probat argumentum ; substantia tamen conficiendi integrum sacramentum, et sacrificium præcepta est. Idque satis constat ex Ecclesiæ traditione, et doctrina, quæ nunquam intellexit eas cirumstantias cadere sub præcepto Christi ; bene autem integritatem sacramenti , et sacrificii. Quod vero ad verba Christi pertinet, præceptum plane continent, ut exposuitConcilium Tridentinum supra relatum. Et ad instantiam, quæ contra hoc fit, respondetur Christum non præcepisse omnibus, quod sumerent utramque speciem ; sed solum Sacerdotibus, quos tunc ordinavit, et præsentes habuit. Quippe ad eosdem dixit, *Bibite ex eo omnes*, et *Hoc facite in meam commemorationem:* certum autem secundum fidem est hæc posteriora verba dicta non fuisse omnibus hominibus, aut fidelibus, sed solis sacerdotibus : ad hos enim tantum pertinet conficere, et offerre hoc sacrificium, ut docet Concilium Trident. loco cit. Porro sacerdotes celebrantes tenentur jure divino ex præmisso Christi præcepto non solum consecrare, sed etiam utramque speciem suscipere. Unde prædicta instantia non labefactat vim præmissi fundamenti, sed magis confirmat.

Solvitur coufirmatio. Ad confirmationem respondetur omittendo præmissas , et negando utramque consequentiam intellectam de facto , et exemplo Christi in ultima cœna, quando Eucharistiam primo consecravit, ejusque celebrationem Apostolis, aliisque sacerdotibus præcepit. Nam quod Christus tunc consecraverit in utraque specie, liquet ex Scriptura : et quod præceperit nobis eam in utraque etiam specie conficere, constat ex doctrina Concilii Tridentini, et ex aliis motivis,quæ supra expendimus. Quod vero ipse in Castello Emmaus Eucharistiam in una tantum panis specie consecravit ; prædictæ veritati minime præjudicat : potuit enim id efficere, si fecit, potestate suprema, quam habet super sacramenta, et eorum substantiam. Ecclesia autem, et a fortiori particulares sacerdotes non habent hujusmodi auctoritatem mutandi, aut variandi pertinentia ad substantiam sacramentorum, sed stare debent Christi institutioni, et præcepto, ut magis constabit ex dicendis § sequenti. Unde ex eo, quod Christus aliquando consecraverit in sola specie panis ; non sequitur vel sacerdotes id posse efficere, vel Christum non instituisse, aque præcepisse oppositum. Et diximus *omittendas esse præmissas*, quia re vera incertissimæ sunt : tum quia non constat Christum tunc consecrasse Eucharistiam , plures enim id negant, ut expendimus loco citato: tum quia licet illam consecraverit, nullum occurrit efficax argumentum, ut consecraverit præcise panis speciem : potuit enim utramque consecrare, et sumere, dando discipulis solam speciem panis, atque statim ab eorum oculis evanescendo.

96. Arguitur secundo : quia sacramentum Eucharistiæ ex natura sua non petit confici sub utraque specie : ergo obligatio non consecrandi unam speciem sine alia non fundatur in natura hujus sacramenti : atque ideo ex vi hujus minime colligi potest talem obligationem esse ex jure divino. Antecedens suadetur : tum quia natura sacramenti salvatur in qualibet specie seorsim sumpta ; cum quælibet sit signum gratiæ reficientis : et ex opposito fieret laicos sumentes unam solam speciem non recipere verum Eucharistiæ sacramentum. Tum etiam quia nulla inordinatio, aut indecentia occurrit in eo, quod una species consecretur sine altera : sicut nec occurrit in eo, quod unus ordo conferatur sine alio. Tum præterea, quia sæpe contingit, quod sit necessarium unam tantum speciem consecrare, ut si sacerdos post consecrationem advertat in vino calicis esse venenum, et aliud vinum non reperiatur : non enim tenetur illud vinum consecrare, cum ipsum non possit, aut debeat sumere. Et idem contingeret, si tyrannus minaretur sacerdoti mortem ob consecrationem calicis : videtur enim, quod tunc sacerdos non teneretur cum tanto sui dispendio adimplere præceptum positivum consecrandi in utraque specie. Tum denique nam cum hoc sacramentum

Secundum argumentum.

sacramentum institutum sit ad spiritualem fidelium refectionem ac profectum ; et plures reperiantur insulæ, et provinciæ, in quibus vinum non reperitur ; conforme ejus institutioni est, quod in hujusmodi terris fiat consecratio in sola specie panis, ne scilicet fideles pœnitus tanto sacramento priventur : præsertim accedente dispensatione summi Pontificis, quæ casum talis necessitatis declaret, ut aliquando contigisse legimus.

Responsio. Respondetur negando antecedens : oppositum enim satis constat ex supra dictis, sive Eucharistiam in ratione sacramenti, sive in ratione sacrificii consideremus. Ad primam autem antecedentis probationem dicendum est, quod licet quælibet species Eucharistiæ seorsim sumpta sit verum sacramentum, aut signum practicum gratiæ, ut probatio recte evincit ; nihilominus non est integrum, et perfectum sacramentum Eucharistiæ : hoc enim in sua specifica, et atoma ratione complectitur utramque speciem, ut ostendimus disp. 2, dub. 3, ubi fusius huic probationi occurrimus. Unde juxta naturam Eucharistiæ est, quod conficiatur in utraque specie : aliter enim non fit integrum sacramentum, sed imperfectum, et mutilum. Quare sacerdos juxta naturam talis sacramenti agens debet ipsum in utraque specie perficere. Ad secundam patet ex immediate dictis committi gravem indecentiam, si hoc sacramentum non integrum, et perfectum, ut ipsum de se postulat, consecretur. Et ad exemplum sacramentum ordinis patet ex supra dictis num. 89, in secunda confirmatione,quin opus sit alia addere. Ad tertiam respondetur, quod sicut in superioribus diximus, præsens difficultas procedit de consecratione unius tantum speciei facta ex proposito, sivi intentione consecrantis : secus vero ubi dimidiata sacramenti consecratio non prævidetur, sed præter intentionem supervenit ob impotentiam physicam, vel moralem consecrandi alteram speciem : tunc enim cum sacerdos illam alteram speciem consecrare non possit, ad id minime tenetur. Et sic contingeret, ubi sacerdos post consecrationem panis adverteret nullum adesse vinum, non venenatum : et similiter ubi post consecrationem panis obligaretur a tyranno calicem non consecrare. Et diximus semel, et iterum *post consecrationem panis :* quia si ante hujus consecrationem ista prævideat, tenetur potius nullo modo (quicumque illi incutiatur metus), celebrare, quam se exponere periculo, aut potius necessitati consecrandi Eucharistiam in una tantum specie. Quartam, et ultimam optime diluit Div.Thomas art. 1, ad 2, illis verbis : « Dicendum, quod licet non in omnibus terris nascatur triticum, vel vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad usum hujus sacramenti. Nec propter defectum alterius est unum tantum sine altero consecrandum: quia non esset perfectum sacramentum.» Id vero, quod in hac probatione additur de dispensatione summi Pontificis, § sequenti discutietur. Sed observare oportet, quod licet concedatur, aut supponatur Summum Pontificem posse dispensare in præcepto prohibente, ne una species sine altera consecretur ; minime inde fieret præceptum hujusmodi esse mere Ecclesiasticum : potest enim Papa dispensare vel in his, quæ obligant jure divino,ut patet in votis. Unde multi, qui opinantur Papam posse dispensare in hoc præcepto, simul tamen fatentur illud esse divinum. Quare prædicta probatio non militat contra nostram assertionem. Nota.

97. Ex dictis sequitur falsam omnino esse sententiam Alexandri Alensis apud Adrianum, et Majorem locis supra relatis, qui affirmat hoc sacramentum potius debere relinqui mutilum, sive in una tantum specie consecratum, quam sumi a non jejuno. Unde consulit, quod in casu non semel contingenti, quod sacerdos post sumptionem calicis intelligit liquorem a se sumptum esse aquam, ne iterum consecret vinum, hujusque speciem recipiat : quia ita se gerendo non jejunus susciperet sacramentum.Sed prædicta sententia rejicienda, ut diximus, est tanquam valde absurda : quoniam præceptum, ut sacerdos celebrans consecret, et suscipiat utramque speciem est divinum, ut hactenus ostendimus ; præceptum vero, ut sacramentum non suscipiatur nisi a jejunis, est mere Ecclesiasticum, ut omnes concedunt : sed concurrentibus uno præcepto divino, et altero præcepto Ecclesiastico, quæ simul observari non possunt, oportet Ecclesiasticum cedere divino ; et sic semper contingit, ut inductive potest ostendi : ergo in prædicto casu debet sacerdos licet non jejunus consecrare, Rejicitur absurda quædam Alexandri sententia.

et suscipere speciem sanguinis : et potius curare debet, ne sacramentum, et sacrificium relinquat mutilum, quam quod præceptum jejunii naturalis observet.

Nota. Quinimo licet permitteremus præceptum consecrandi, et suscipiendi utramque speciem non esse divinum, sed mere Ecclesiasticum ; adhuc tamen oporteret idem dici : quoniam præceptum consecrandi, et suscipiendi utramque speciem est longe gravius, et magis urgens, quam præceptum jejunii ad suscipiendum communionem : illud enim respicit substantialem integritatem, ac perfectionem Eucharistiæ in ratione tam sacramenti, quam sacrificii, ut satis constat ex supra dictis ; istud vero solum attendi ad quandam majoris reverentiæ circumstantiam, ut ex se liquet : ergo ubi utrumque simul observari non posset : magis oportet servare primum, quam secundum : atque ideo sacerdos licet non jejunus deberet perficere sacramentum, et sacrificium consecrando iterum speciem sanguinis, illamque suscipiendo. Et ita plane statuerunt Concilia Toletana relata num. 86. Quin et in Rubricis generalibus Missalis Romani, titulo *de defectibus* præscribitur, ut sacerdos, qui ex inadvertentia aquam pro vino consecravit, et sumpsit, apponat iterum vinum, et consecret, atque consumat, non obstante præcepto de non sumenda Eucharistia, nisi a jejunis. Quæ omnia optime tradidit Angelicus Doctor infra quæst. 83, articulo 6, ad 2, ubi ait : « Dicendum, quod ubi difficultas occurrit, « semper est accipiendum illud, quod ha- « bet minus de periculo. Maxime autem « periculosum circa hoc sacramentum est, « quod est contra perfectionem hujus sacra- « menti : quia hoc est immane sacrilegium. « Minus autem est illud, quod pertinet ad « qualitatem sumentis : et ideo si sacerdos « post consecrationem incœptam recorde- « tur se aliquid comedisse, vel bibisse, ni- « hilominus debet perficere sacrificium, et « sumere sacramentum. » Et in resp. ad 4, versans casum, de quo agimus, ait : « Sa- « cerdos debet in fine iterum sumere san- « guinem, non obstante etiam, si prius « sumpserit aquam, quæ erat in calice : « quia præceptum de perfectione sacra- « menti majoris est ponderis, quam præ- « ceptum, quod hoc sacramentum a jejunis « sumatur, ut supra dictum est. » Ex quibus omnibus liquet sententiam Alensis non esse hoc tempore probabilem, nec posse ad praxim reduci.

(Rubricæ Missalis.) (D. Tho.)

§ III.

Alia conclusio dubium ultimo resolvens.

98. Dicendum est tertio Summum Pontificem dispensare non posse, ut sacerdos consecret Eucharistiam in una tantum specie. Sic docent communiter Thomistæ, Cajetanus, Sotus, Arauxo, Sylvester, N. Cornejo, N. Philippus, et Gonet, quos refert, et sequitur N. Franciscus loco supra cit. num. 44. Nugnus in præs. dub. 2, concl. 3, dicens esse D. Thom. et omnium fere Thomistarum, et magis communem inter alios Doctores Scholasticos. Joannes a S. Thoma disp. 27, art. 1, § *Dicendum nihilominus* affirmans se sentire, quod oppositum est practice improbabile. Idem etiam tuentur alii plures Theologi, Valencia in præs. Suarez disp. 43, sect. 4, Vazquez disp. 224, cap. 3, Granados tract. 2, disp. 5, Herinx disp. 2, quæst. 7, Lugo disp. 19, sect. 8, Armilla verbo *Eucharistia* numero 10, in fine.

(Assertio.) (N. Fran. Nugnus. Joan. a S. Tho. Valenc. Suarez. Vazq. Granad. Herinx. Lugo. Armilla.)

Probatur ratione : quia in Ecclesia non datur potestas mutandi ea, quæ pertinent ad substantiam sacramentorum, ut ipsa Ecclesia expresse profitetur in concilio Tridentino sess. 21, cap. 2, his verbis : « Præterea declarat hanc potestatem per- « petuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramen- « torum dispensatione, salva illorum subs- « tantia, ea statueret, vel mutaret, quæ « suscipientium utilitati, seu ipsorum « sacramentorum venerationi, pro rerum, « temporum, et locorum varietate, magis « expedire judicaret. » In quo testimonio illa verba, *Salva illorum substantia*, important expressam exceptionem limitantem potestatem Ecclesiæ, ne disponat mutationem ullam circa substantiam sacramentorum. Atqui quod sacramentum Eucharistiæ consecretur in utraque specie, pertinet ad hujus sacramenti substantiam. Ergo nec Ecclesia, nec Summus Pontifex dispensare potest, ut sacerdos consecret in una tantum specie. Major, et consequentia patent. Minor autem probatur ex hactenus dictis in hoc dubio : quoniam sive Eucharistia sumatur in ratione sacramenti, sive in ratione sacrificii, essentialiter pro sua substantiali integritate importat utramque speciem : quippe

(Ratio fundamentalis.) (Concil. Trident.)

quippe nec ratio spiritualis convivii, quod hoc sacramentum importat, salvatur absque specie cibi, et specie potus simul concurrentibus : nec rursus ratio sacrificii salvatur sine specie corporis, et specie sanguinis, quæ repræsentent cruentum Christi sacrificium in cruce, sive mortem ejus per separationem inter corpus, et sanguinem : ergo consecratio utriusque speciei pertinet ab substantiam sacramenti Eucharistiæ.

Considoratio notanda. Declaratur amplius vis hujus fundamenti præcludendo tacitam evasionem : etenim licet permittamus, (quod plures negant,) posse Pontificem dispensare in his, quæ sunt de jure divino; tamen circa hujusmodi jus, et potestatem oportet sobrie distinguere, ne ista in universum permittendo erremus. Datur itaque unum jus divinum absolutum, et immediatum, quod nimirum unice fundatur in Dei dispositione, et adæquate derivatur ab ejus arbitrio : ut est jus obligans ad non mentiendum, ad conficiendum sacramenta cum materia, et forma, quas Deus præscripsit. Et Pontifex circa hæc nullo modo dispensare, et mutare potest : tum quia prædicta sunt immediate ex Deo, et non subduntur auctoritati alicujus inferioris : tum quia ex opposito fieret Pontificem posse mutare materias, et formas sacramentorum, et cætera cuncta, quæ Deus instituit; id vero est plane absurdum a Catholicorum nemine concedendum. Datur præterea aliud jus divinum, non quidem omnino absolutum, sed quasi conditionatum : quia non descendit immediate a Deo, nisi facta suppositione alicujus actus, vel contractus humani, unde immediatius oritur : uti se habet jus obligans ad servandum vota, et similia. Et in his quidem potest Pontifex dispensare : non quidem immediate auferendo obligationem jure divino ortam; sed mediate, et indirecte, tollendo scilicet, cassando, aut variando fundamentum talis obligationis, nempe actus humanos voti, contractus, et similium. Quod (ut quidam recte observant) non est proprie loquendo dispensare in jure divino, et in lege superioris; quod nunquam inferior valet : sed est auferre fundamentum illius juris. Non enim Pontifex efficit, quod votum perseverans non obliget : hæc enim obligatio est juris divini, et superioris, quod dictat vota debere impleri. Sed aufert, aut irritat ipsum votum fundans eam obligationem : votum enim non est actus superioris, nec ipsum jus divinum : sed est actus humanus, et effectus voluntatis creatæ, circa quam, et ejus operationis potest Pontifex disponere, ut docet Div. Thom. 2, 2, quæst. 88, art. 10, ad. 2. Ad rem igitur : Pontifex non potest dispensare in his, quæ sunt juris divini absolute, et immediate, ut constat ex prænotatis : sed consecratio Eucharistiæ in utraque specie est de jure divino, ut § præced. ostendimus : et prædictum jus est absolutum, et immediatum : siquidem non fundatur in aliquo actu humano; sed derivatur a Christo instituente Eucharistiam in una, et altera specie, et præcipiente sacerdotibus offerre idem sacrificium, ut magis expendimus num. 91, et 92; ergo Pontifex nequit dispensare in hujusmodi jure, et disponere, quod sacerdos celebret consecrando unam tantum speciem. D. Tho.

99. Nec momenti erit, si dicatur, quod licet Pontifex non possit dispensare in his, quæ sunt de jure divino absolute, et immediate, potest tamen interpretari prædictum jus, declarando, an in isto, aut illo casu obliget præceptum, quod ejusmodi juris est. Sicut etiam residentia Episcoporum præcipitur jure divino absoluto, ut docent communiter Theologi : et nihilominus Ecclesia in Concilio Tridentino sess. 13, cap. 10, de reformatione declaravit præceptum residendi non obligare in quibusdam casibus. Id, inquam, nihil valet, sed evertitur efficaciter : quia declaratio, aut interpretatio juris divini per Summum Pontificem, vel Ecclesiam tunc locum habet, quando tale jus est obscurum, vel dubitatur, utrum ad istum, vel illum casum se extendat; secus vero ubi tale jus est certum, clarum, et manifestum : in præsenti autem jus divinum de consecrando in ambabus speciebus non est dubium, aut obscurum, sed omnino clarum, et manifestum ex ipsa institutione Christi, et ex præcepto ab eodem imposito, quod sacerdotes offeramus idem sacrificium, quod ipse obtulit, et necessario complectitur unam, et alteram speciem, ut § præcedenti ostendimus : ergo in præsenti materia non relinquitur locus interpretationi Pontificis : et talis interpretatio, si in oppositam partem adhiberetur, non esset legitima declaratio, sed violenta ejusdem juris eversio. Aliter autem omnino contingit in interpretatione præcepti juris divini circa residentiam Effugium Præcluditur.

pastorum : nam manifestum est tale jus non obligare ad residentiam physicam continuam; sed ad illam residentiam continuam moraliter juxta æstimationem prudentum, quæ censetur necessaria ad gubernandum, et pascendum spiritualiter oves. Quare in hoc præcepto locus relictus fuit prudenti Ecclesiæ judicio, ut declaraverit modum residentiæ pro qualitate locorum, temporum, et personarum, sicut explicuit in Concilio Tridentino : quemadmodum quia datur præceptum divinum suscipiendi Eucharistiam, et tale præceptum non determinat tempus susceptionis, Ecclesia habuit occasionem, et locum interprætandi, ne ultra annum differretur. Cæterum ubi evidenter ex Scriptura constat Christum instituisse Eucharistiæ sacramentum per modum convivii spiritualis in specie panis, et vini; ac similiter obtulisse Eucharistiæ sacrificium sub speciebus corporis, et sanguinis; ac rursus præcepisse sacerdotibus, quod sic consecrarent sacramentum, et offerrent sacrificium : non relinquitur locus alteri interpretationi, sed hæc tanquam inutilis, vel contraria relegari debet.

Roboratur idem motivum. Confirmatur primo : quia si Summus Pontifex vel dispensando, vel interpretando posset disponere, quod sacerdos celebraret consecrando unam tantum speciem; pariter vel dispensando, vel interpretando posset disponere, quod sacerdos celebraret consecrando aliam materiam a Christo non institutam, utputa vinum malorum, et similia : posset etiam alia divina præcepta, atque instituta per viam dispensationis, aut interpretationis relaxare : consequens est omnino falsum, utpote derogans stabilitati Ecclesiæ a Christo fundatæ : ergo minime concedendum est Pontificem vel dispensando, vel interpretando posse disponere, quod sacerdos celebret consecrando unam tantum speciem. Sequela ostenditur: quia non minus perspicuum est Christum instituisse Eucharistiam in utraque specie, quam instituisse Eucharistiam quantum ad rationem potus in specie vini de vite; et rursus sicut in quibusdam provinciis, ubi non datur vinum vitigineum, apparet congruum consecrari in solo pane, sic etiam apparet congruum consecrare calicem in alio liquore, et prædicto modo interpretari hujus sacramenti per Christum institutionem: ergo si Summus Pontifex vel dispensando, vel interpretando posset disponere, quod sacerdos celebraret consecrando unam tantum speciem; pariter vel interpretando, vel dispensando posset efficere, quod sacerdos celebraret consecrando aliquam materiam a Christo non institutam, v. g. vinum malorum, vel aquam. Et eadem probatio facile porrigitur ad alias sacramentorum materias, atque divina præcepta, utputa, quod ubi deficit oleum, ungatur infirmus vino : et quod si quis consummavit matrimonium cum sterili, ducat ea relicta fœcundam : et alia similia excogitari valent. Semel namque ruptis per viam vel dispensationis, vel interpretationis repagulis institutionis divinæ, et superiorum circa ista præcepta sacramentorum apertissimus paratur aditus, ut Pontifex nihil non possit efficere, atque mutare circa omnia, quæ Deus instituit : motiva enim gravissimæ necessitatis, aut convenientiæ, ut aliter circa hæc disponatur, facillime occurrent, et excogitari valebunt.

Fulcitur amplius. 100. Confirmatur secundo : quia Summus Pontifex, si dispensando, aut interpretando posset disponere, quod Eucharistia consecretur in una tantum specie, vel esset ob utilitatem unius particularis personæ, vel propter communem utilitatem alicujus regni, aut provinciæ, ubi non reperitur altera species v. g. vini : sed neutrum dici potest: ergo Pontifex nullo modo potest ad oppositum dispensare, aut interpretari. Minor quoad utilitatem unius particularis personæ videtur evidens : tum quia particularis hæc utilitas debet omnino cedere reverentiæ erga sacramentum, quod integritatem ex utraque specie importat : quare sicut propter hanc particularem utilitatem nunquam est dispensatum, ut hoc sacramentum fiat absque vasis, et vestibus sacris; sic etiam multo minus dispensari debet, aut potest ut conficiatur in una tantum specie. Tum etiam quia nullus tenetur necessitate medii suscipere hoc sacramentum in re, sed sufficit illud suscipere in voto, ut constat ex dictis disputatione 3, dub. 1 ; ergo ad satisfaciendum prædictæ obligationi nec requiritur, nec expedit consecrare Eucharistiam in una tantum specie : atque ideo nequit occurrere rationabile motivum, ut Pontifex queat ad oppositum dispensare, aut interpretari.

Deinde eadem minor quoad utilitatem communem regni, aut provinciæ etiam ostenditur : Primo quidem ex motivo immediate

immediate proposito. Nam cum Eucharistia nulli particulari sit necessaria necessitate medii prout in re suscepta, sed prout in voto; idem profecto dicendum est de Eucharistia comparative ad omnes, et singulos alicujus provinciæ homines : quare cessat necessitas consecrandi illam in una tantum specie, et magis attendi debet reverentia erga ipsum sacramentum integre, et quoad suas partes essentiales consecrandum. Secundo : nam ita abest, quod ex dispensatione, vel interpretatione Pontificis, ut in aliqua provincia consecraretur in una tantum specie, afferretur eidem provinciæ utilitas; quod potius id afferret gravissimum damnum, et detrimentum spirituale : quippe consecratio, et oblatio unius tantum speciei non esset illudmet verum sacrificium a Christo oblatum, quod essentialiter claudit speciem corporis, et speciem sanguinis, ut sit commemorativum cruenti in Cruce sacrificii, sicut expendimus num. 92; condescendendo itaque Pontifex in hac parte cum hominibus alicujus provinciæ ad celebrandum in una tantum specie, gravissimum illis incommodum induceret: quod non foret dispensare, aut interpretari, sed plane destruere; cum tamen id malum posset facile vitari, ut statim dicemus. Tertio, quia nulla est necessitas, ac perinde nec legitima causa hujus dispensationis, aut interpretationis : ut enim optime vidit Div. Thom. in præs. art. 1, ad 2, « licet « non in omnibus terris nascatur triticum, « vel vinum, tamen de facili ad omnes « terras deferri potest, quantum sufficit « ad usum hujus sacramenti. » Et ita evidenti experienita compertum est in Philippinis, Japonio, et nostris Indiis Occiduis, cum enim in pluribus hujusmodi terris non gignatur triticum, nec vinum; tamen in omnibus reperitur navigatione delatum quantum pro celebratione Missæ, et communione fidelium requiritur. Nec difficilius est, quod ad nos transferatur piper pro culina, quam quod ad illos deferatur vinum pro mysterio. Rebus autem ita se habentibus, nulla ratio occurrere valeat, ut Pontifex queat licite, aut valide dispensare pro mutila, et imperfecta hujus sacramenti consecratione.

D. Tho.

Sententia contraria.

101. Oppositam nostræ assertioni opinionem tuentur omnes Auctores num. 94 relati : cum enim sentiant præceptum consecrandi in utraque specie non esse divinum, sed mere ecclesiasticum, consequenter docent Ecclesiam, et summum Pontificem in eo dispensare posse, ut scilicet sacerdos consecret in una tantum specie. Tuentur etiam D. Albertus in lib. *de corpore Domini*, Gabriel lect. 53, in can. dub. 3, Angelus verbo *Eucharistia* 1, nu. 20, Alanus lib. 2, cap. 20, Azor tom. 1, lib. 10, cap. 19, quæst. 2, Henriquez lib. 8, cap. 13, Fagundez præcepto 1, lib. 3, cap. 5, et probabilem censent Sanchez *de matrimonio* lib. 8, disp. 6, num. 6, Diana parte 8, tract. 1, *de potestate Pontificis*, resolut. 23, N. Gabriel loco supra cit. cum aliis. Pro qua sententia arguitur primo : nam de facto aliqui Summi Pontifices dispensarunt, ut Eucharistiæ consecratio fieret in una specie : ergo possunt dispensare. Consequentia videtur evidens. Et antecedens probatur ex Raphaele Volaterrano lib. 7 *Geographiæ* cap. 4, quod est de Saxonibus, ubi affirmat « Norvegiæ Innocentii Octavi « concessione permissum sine vino calicem « sacrificare, quod ob immensa frigora « vinum in ea regione importatum acescat : cujus rei gratia legatio missa. » Et idem refert Onuphrius Panvinus *in Chronico* sub anno 1490. Præterea cum eisdem eodem modo dispensasse Innocentium Quartum refert Claudius Sainctes repet. 10, cap. 3.

B. Alb. Gabriel. Angelus. Alanus. Azor. Henriq. Fagund. Sanchez Diana. N. Gab.

Primum argumentum.

Volaterranus.

Onuph. Sainctes.

Huic argumento respondere quis posset omittendo antecedens, et negando consequentiam : nam cum probabile (ut quidam volunt,) sit Pontificem posse in hac materia dispensare; fieri non repugnavit, quod Pontifices relati innitentes prædictæ opinioni sic, ut refertur, dispensaverint. Ex quo non infertur, quod possint dispensare absolute, et quod factum tenuerit coram Deo : sed solum quod potuerint dispensare secundum eam opinionem, et quod factum tenuerit in foro externo, quin, et quantum ad licitum dispensationis usum. Sicut etiam aliqui referunt aliquos Pontifices dispensasse cum religiosis solemniter professis ad contrahendum matrimonium : quod tamen licet certum foret, non probat Pontificem posse cum hujusmodi dispensare absolute, sed solum quod possit dispensare secundum opinionem probabilem : nec probat factum tenuisse, sed reputatum fuisse validum in foro externo, ut late expendimus tract. 20, disp. 1, dub. 7.

Prima solutio.

Sed quia de facili admitti non debet,

Melior responsio. quod Summus Pontifex erret adhuc materialiter circa extensionem potestatis, qua in dispensando utitur ; melius respondetur negando autecedens. Ad cujus probationem dicendum est historiam illam, quam refert Volaterranus, falsam esse, et fide indignam. Primo quod dicat vinum in Norvegia conservari non posse, quod præ nimio frigore acescat : nam præsentis temporis experientia probat oppositum : et ut recte observavit Vazquez, quo frigidiores sunt regiones, eo aptius vinum in eis conservatur. Secundo quia ante tempora Innocentii Octavi, et confictam eam dispensationem sacrificium Missæ non celebrabatur apud illas gentes sine vino, et consecratione calicis : ergo eodem modo, et cum conformitate ad ritum universalis Ecclesiæ tunc celebrari potuit, quin opus fuerit recursu ad Pontificem pro prædicta dispensatione. Tertio quia Volaterranus non dicit Pontificem indulsisse, ut panis consecraretur sine vino, sed ut calix sine vino sacrificaretur : per quod aperte significat Pontificem concessisse, ut consecrarent, et offerrent calicem cum aqua, aut alio liquore : id vero continet errorem intolerabilem, cum Pontifex nequeat mutare, aut introducere materias sacramentorum, ut statuimus Tract. præced. disp, 2, dub. 4, et Armilla relatus num. 98, testatur Romæ tempore Alexandri Sexti declaratum fuisse Summum Pontificem non posse dispensare, Nota. ut calix sine vino offeratur. (Qua declaratione opus tunc forte fuit propter nostros Indos occiduos eo tempore innotescentes, apud quos vinum de vite non inveniebatur.) Sicut ergo Volaterranus erravit in hoc referendo, sic etiam in tota relatione, et præsertim quantum ad id, quod argumentum intendit. Nec refert, quod Onuphrius mutans Volaterrani verba non dixerit Pontificem dispensasse, quod calix sine vino sacrificaretur; sed solum, quod absolute sine vino sacrificaretur, denotans concessisse, quod consecraretur, sola panis species : nam id ex industria fecit Onuphrius, ut errorem Volaterrani vel dissimularet, vel removeret. Sed tamen cum ex eo historiam hauserit, illamque apud nullum Volaterrano antiquiorem viderit : consequens est utriusque relationem eandem esse, et eodem modo nutare, et nullam fidem mereri. Nec ulterius refert aliquos notare Pontificem non concessisse positive, nec dispensasse, sed solum permisisse; et plura solent permitti licet absurda : quoniam licet Onuphrius cum majori cautela usus præcise fuerit verbo *Permissionis*, tamen Volaterranus primus historiæ Auctor non solam permissionem, sed concessionem etiam adhibuit, ut liquet ex ejus verbis supra relatis. Nulla itaque ratione historia illa admittenda est. Quod vero similem concessionem ab Innocentio Quarto referat Sainctes, non majorem fidem meretur : sed fuit satis nota prædicti Auctoris deceptio, qui pro Innocentio VIII, de quo legerat in Volaterrano, et Onuphrio, scripsit Innocentium IV, quem tamen antiquiores Claudio, et ipso Volaterrano quod concessisset, nec leviter insinuarunt.

102. Arguitur secundo : nam ideo Pontifex non posset in hac materia dispensare, quia obligatio conficiendi Eucharistiam in utraque specie est de jure divino, et introducta in ipsa Eucharistiæ institutione per Christum, quatenus utraque species pertinet ad sacramenti instituti integritatem : sed hæc ratio est nulla : ergo Pontifex potest dispensare in hac materia. Probatur minor : quia Pontifex ex potestate sibi a Christo commissa potest dispensare in aliis, quæ sunt de jure divino : sic enim dispensat in voto, in juramento, in matrimonio rato non consummato, et residentia Episcoporum, in integritate sacramenti Pœnitentiæ per satisfactionem, quatenus hanc relaxat, in collatione sacramenti Confirmationis, ut non fiat per Episcopum, sed per simplicem sacerdotem in casu necessitatis, et denique in multis aliis, ut ipsa praxi dispensandi constat : ergo quod consecratio utriusque speciei sit de jure divino, pertineatque ad integritatem sacramenti Eucharistiæ, minime probat Pontificem non posse in casu gravis necessitatis circa illam dispensare. Secundum argumentum.

Confirmatur : nam quod sacerdos celebrans sumat utramque speciem non minus est de jure divino, et pertinet ad integritatem sacrificii Missæ, quam quod sacerdos celebrans consecret utramque speciem, est de jure divino, et pertinet ad integritatem sacramenti : sed Ecclesia potest dispensare, ut sacerdos celebrans non sumat utramque speciem : ergo pariter dispensare potest, ut sacerdos celebrans non consecret ambas species, sed unam tantum. Major, et consequentia patent. Minor autem probatur Confirmatio.

probatur primo: quia Ecclesia in die Parasceves propter repræsentationem mortis Christi disponit, et dispensat, ut sacerdos celebrans non sumat speciem vini, sed solam speciem panis. Secundo, nam illi, qui ordinantur, celebrant simul cum Episcopo ordinante sacrificium Missæ; et tamen non sumunt calicem, sed solam panis speciem. Ergo Ecclesia dispensare potest, ut sacerdos celebrans utramque speciem non sumat.

Satisfit argumento. Ad argumentum respondetur concedendo majorem intellectam de obligatione juris divini absolute, et immediate, atque de integritate substantiali tam sacramenti, quam sacrificii, ut fundando nostram assertionem expendimus: atque in eodem sensu negamus minorem. Cujus probatio in præmisso sensu non urget: nam quod attinet ad votum, juramentum, et matrimonium ratum, licet obligatio inde orta sit juris divini; nihilominus non est juris divini absolute, et immediate, sed solum mediate, et quasi conditionate: quia illud jus non derivatur immediate a Deo: sed fundatur in actibus humanis voventis, jurantis, et contrahentis. Unde cum Pontifex habeat potestatem in hujusmodi actus potest saltem indirecte excludere vim obligationis juris divini ex eisdem actibus ortæ, quatenus prædictos actus annullare, relaxare, aut non admittere valet. Sed obligatio celebrandi in utraque specie est juris divini absolute, et immediate: quia descendit unice a Christo Domino instituente sacramentum in utraque specie, et præcipiente utriusque consecrationem. Unde Pontifex, qui est inferior, nequit circa tale jus dispensare, ut supra jam diximus num. 98. Quod vero spectat ad residentiam Episcoporum, ea, quæ obligat jure divino, non est physice continua, sed moralis, et prudentialis: cujus proinde determinatio pro majori ovium commodo pertinet ad judicium Ecclesiæ, ut explicuimus num. 99. Præterea, quod pertinet ad satisfactionem sacramentalem, ea non est de integritate sacramenti Pœnitentiæ, sicut consecratio utriusque speciei est de integritate sacramenti Eucharistiæ: quia ad integritatem substantialem Pœnitentiæ non requiritur determinate satisfactio in re, sed sufficit satisfactio in voto. Sed sacramentum Eucharistiæ non est integrum, nisi utraque species in re concurrat. Magis autem species Eucharistiæ comparari debent aliis partibus omnino substantialibus sacramenti Pœnitentiæ, nempe dolori, et confessioni, sine quibus concurrentibus nequit effici Pœnitentiæ sacramentum; nec Pontifex valet ad oppositum dispensare: quod magis confirmat Pontificem non posse dispensare, ut Eucharistia conficiatur in una specie. Nec verum est, quod in hoc exemplo insinuatur, nempe Ecclesiam tollere obligationem satisfactionis sacramentalis: non enim illam aufert, sed satisfactionem commutat in indulgentiam per applicationem satisfactionis Christi, et sanctorum, ex ipso Ecclesiæ thesauro. Recolantur supra dicta num. 90. Denique ad id, quod additur de administratione sacramenti Confirmationis, dicendum est ordinarium prædicti sacramenti ministrum ex institutione Christi esse Episcopum consecratum. Sed tamen ex eadem Christi institutione sacerdos est extraordinarius ejusdem sacramenti minister, qui ad id habet potestatem remotam ex vi suæ ordinationis, proximam autem ex commissione Pontificis in casu necessitatis: sic enim Christus potuit instituere, instituitque. Unde minime sequitur, quod Pontifex eam potestatem sacerdoti committens in aliquo jure divino dispenset, sed magis quod agat juxta Christi institutionem. De quo videri potest N. Franciscus tract. 3. cap. 4, punct. 1, cum multis aliis, quos affert.

Ad confirmationem neganda est minor. Ad cujus primam probationem respondetur sacerdotem in die Parasceves nec celebrare Missam, nec conficere sacrificium: sed speciem panis ex alia die relictam accipere, ut potest extra sacrificium, et Missam. Unde Innocentius Primus in cap. *Sabbato*, *de consecratione*, distinctione 3, palam affirmat nulla sacramenta in die Parasceves celebrari. Quare non sequitur, quod sacerdos consecrans Eucharistiam, aut celebrans sacrificium Missæ accipiat unam tantum speciem, sed negandum est suppositum. Ad secundam dicendum est obligationem suscipiendi utramque speciem solum pertinere ad sacerdotem principaliter celebrantem, et consecrantem. In ordinatione autem sacerdotum principaliter consecrans, et celebrans est solus Episcopus ordinans: sacerdotes autem recenter ordinati sunt concelebrantes, qui intentionem suam referunt ad verba Episcopi, ut per ea fiat con-

Occurritur confirmationi.

Innoc. I

secratio, licet ipsi propria verba in eodem momento, (quod raro contingit,) non finiant. Unde cum ipsi non sint per se celebrantes, et Eucharistiam conficientes, sed detur alius principaliter celebrans, et conficiens; obligatio suscipiendi utramque speciem non ad ipsos pertinet, sed ad solum Episcopum.

Tertium argumentum. 103. Arguitur tertio : nam Ecclesia potest mutare, et dispensare circa ea, quæ pertinent ad sacramenta, salva illorum substantia, ut aperte profitetur Concilium Tridentinum sessione 21, cap. 2, qua potestate utens Ecclesia aliquando permisit laicis sumere Eucharistiam in utraque specie ; postea vero præcepit eos sub una tantum specie communicare. Sed quod Eucharistia fiat in una tantum specie, vel fiat in utraque, non pertinet ad substantiam sacramenti. Ergo Ecclesia dispensare potest, quod Eucharistia consecretur in una tantum specie. Probatur minor : tum quia vera ratio, et substantia sacramenti Eucharistiæ salvatur in qualibet specie : tum quia ex opposito fieret sæculares communicantes sub una tantum specie non recipere sacramentum Eucharistiæ secundum substantiam ; et Ecclesiam injuste illos privare sanguinis specie.

Solvitur. Respondetur hoc argumentum magis firmare assertionem nostram : utraque enim species pertinet ad integritatem substantialem Eucharistiæ in ratione tam sacramenti, quam sacrificii, ut expendimus num. 98. Unde concessa majori, negamus minorem. Ad cujus primam probationem dicendum est, quod licet in qualibet specie seorsim sumpta salvetur ratio, et substantia sacramenti : ad hoc enim sufficit quamlibet speciem esse signum practicum gratiæ conficientis : nihilominus non salvatur integra ratio, et tota substantia vel sacramenti, vel sacrificii : quia neutra species seorsim sumpta repræsentat integrum convivium, nec significat perfecte cruentum sacrificium crucis, ut supra ponderavimus. Sacerdos autem jure divino obligatur conficere integrum sacramentum, et sacrificium, faciendo scilicet idipsum, quod Christus fecit, et per sacerdotes fieri mandavit. Unde nisi istud sacramentum, et sacrificium ita fiat, nequit non agi contra prædictum jus, et naturam, atque institutionem talis sacramenti. Ad secundam respondemus, quod ad sæculares non pertinet consecrare sacramentum istud, nec efficere, vel offerre sacrificium ; sed de sacramento, et sacrificio a sacerdotibus facto participare. Porro sufficienter illud participant communicando in una, et sola specie panis : quia licet talis species ex parte significationis non importet totum integrum sacramentum, et sacrificium ; nihilominus ex parte rei contentæ importat totum corpus, et sanguinem Christi adæquate, et insuper causat gratiam reficientem, quæ ad salutem, et perfectionem uniuscujusque sæcularis est necessaria. Qua de causa, et quia sæculares in usu calicis plures irreverentias committebant ; non injuste, sed merito, ac rationabiliter Ecclesia præcepit, ut sæculares in una tantum specie panis sacramentum istud susciperent, ut jam supra diximus disput. 2, dub. 3, num. 47, et fusius dicemus disp. 11, dub. 6.

DUBIUM VI.

Utrum materia consecranda debeat esse præsens consecranti, et ejus intentione determinari?

Succedit, ut de quibusdam aliis conditionibus ex parte materiæ pro valida Eucharistiæ consecratione requisitis disseramus : et primo occurrunt illæ, quæ titulo recensentur, materiæ scilicet præsentia, et determinatio. Quas ideo conjunximus, quia mutuo se inferunt, ut ex dicendis constabit. Sed tamen ut procedamus cum majori claritate, quam distinctio conciliare solet

§ I.

Expeditur dubium quoad priorem partem.

103. Dicendum est primo ad valorem consecrationis requiri, quod materia consecranda sit sensibiliter præsens consecranti. Ita D. Thomas in 4, dist. 11, quæst. 2, artic. 1, quæstiunc. 3, ad 1, ubi ait : « Ipsa forma « pronomine demonstrativo utens ostendit, quod materia consecranda debet esse « coram sacerdote. Unde sacerdos existens « in domo sua non posset consecrare panem, qui est in altari. » Quare sic docent omnes Thomistæ, Paludanus eadem dist. quæst. 1, art. 3, Soto dist. 9, quæst. 1, art. 2, Martinus de Ledesma quæst. 15, art. 2, Prima conclusio. D. Tho. Palud. Soto. Mart de Ledesm.

Victor. Nugnus. Arauxo. Gonet. N. Fran. Durand. Major. Gabriel. Suarez. Vazq.

art. 2, Victoria *in Summa*, num. 58, Nugnus in præs. artic. 2, dub. 4, concl. 2, dicens oppositum esse temerarium, et errori proximum. Arauxo in hac quæst. dub. 2, Gonet disp. 3, art. 5, concl. 1, N. Francis. cap. 4, punct. 6, et alii. Idem etiam tuentur cæteri Theologi Durandus in 4. dist. 2, q. 6, n. 6, Major quæst. 2, Gabriel lect. 35, in can. Suarez disp. 43, lect. 5, pro eadem referens omnes Summistas. Vasquez disp. 171, cap. 4, dicens esse veram, et communem sententiam. Et propterea superfluum censemus plures pro illa referre, cum possimus omnes.

Ratio ex D. Thom.

Probatur ratione a priori proposita a D. Thom. in verbis relatis: quoniam pronomina *Hoc* et *Hic*, quibus utitur sacerdos in consecrando, significant rem consecranti præsentem: atqui non significant solam præsentiam intellectualem, et secundum mentis apprehensionem, sed præsentiam etiam sensibilem: ergo ad valorem consecrationis requiritur, quod materia consecranda sit sensibiliter præsens consecranti. Consequentia patet: quia verba, quibus utitur sacerdos in consecrando, non se habent materialiter, et per modum recitationis, sed comparantur formaliter, et significative, significando, quod faciunt, et faciendo, quod significant: ergo si significant materiam sensibiliter præsentem, ut in præmissis dicitur, consequens est materiam debere esse sensibiliter præsentem, ut salvetur veritas verborum, et teneat consecratio. Major autem est certa: quia pronomina *Hoc*, et *Hic* in proprietate sermonis non accomodantur rebus absentibus, aut distantibus, sed solum rebus præsentibus. Minor denique ostenditur: nam cum formæ consecrationis sint forma, et pars sacramenti, quod est signum sensibile; oportet, quod significent rem præsentem non solum intellectualiter, aut secundum mentis apprehensionem, sed etiam sensibiliter, sive quantum ad proportionatam distantiam, ut per sensus, quantum est ex parte distantiæ, et situationis, cognosci queat. Qui discursus fundatur etiam in ipsa institutione Christi hoc sacramentum consecrantis, qui materiam sibi sensibiliter præsentem habuit: fundatur præterea in traditione, et usu universalis Ecclesiæ, apud quam non fit consecratio, nisi materia adsit coram sacerdote, et sit consecranti præsens.

Confirmatur motivo insinuato a D. Thoma in ultima illorum parte: quia nisi ita dicamus, admittere consequenter cogemur, quod sacerdos in domo existens queat consecrare panem existentem in Ecclesia; et quod Salmanticæ manens possit consecrare panem manentem apud Indos: possumus enim licet valde distantia facere nobis præsentia intentionaliter, et secundum mentis apprehensionem: consequens est absurdum, et a nemine sanæ mentis admittendum: ergo fateri oportet materiam consecrandam debere esse consecranti sensibiliter præsentem. Confirmatio.

104. Possunt tamen non pauca communi huic assertioni opponi: sed satis erit subjicere principaliora. Primo ergo objicitur: nam si aliqua ratione colligeretur hæc præsentia sensibilis, quam adstruimus maxime propter propriam significationem illius termini demonstrativi *Hoc*: sed inde non recte colligitur: ergo absque fundamento asseritur talis præsentia. Probatur minor: tum quia hoc pronomen *Tu* non minus est terminus demonstrativus, quam pronomen *Hoc*: et tamen pronomen *Tu* non determinat ad præsentiam sensibilem rei, de qua agimus, vel personæ, quam alloquimur, ut patet in sacramento Matrimonii, quod potest celebrari inter absentes, dicendo per epistolam, aut nuntium, *Accipio te in uxorem. Accipio te in maritum* ergo ex proprietate illius termini *Hoc* non recte colligitur præsentia sensibilis materiæ consecrandæ. Tum etiam quia prædictum pronomen potest significare præsentiam rei ad intellectum, quamvis sensibiliter, et physice distet, ut cum loquentes de Roma dicimus, *Hæc civitas*, aut agentes de Fœnice dicimus, *Hæc avis*: ergo pariter in præsenti materia nom est ratio, quare determinet ad præsentiam sensibilem. Tum denique quia prædictum nomen, et tota forma accipiuntur recitative, ut patet ex omnibus verbis præcedentibus, in quibus significatur Christum accepisse panem, et dixisse: *Hoc est corpus meum*: ad hujusmodi autem recitationem nihil refert, quod res, quæ in recitatione nominatur, sit, vel non sit sensibiliter præsens. Prima objectio.

Objicitur secundo: nam stat bene, quod consecratio sit valida, et nihilominus materia non sit sensibiliter præsens: ergo hujusmodi sensibilis præsentia non requiritur ad valorem consecrationis. Probatur Secunda objectio.

antecedens: quia particulæ, sive formæ in vase clauso contentæ possunt valide consecrari, et designari dicendo, *Hoc est corpus meum*: et tamen prædictæ particulæ non sunt sensibiliter præsentes; siquidem nullo sensu percipiuntur; sed perinde se habent, ac si essent post parietem, vel post tergum consecrantis: ergo stat bene consecrationem esse validam, et materiam non esse sensibiliter præsentem. Confirmatur: quia materia posita coram cœco perinde se habet respectu illius, ac si nullo modo esset præsens: et tamen cœcus potest talem materiam valide consecrare: ergo ad valorem consecrationis non requiritur sensibilis præsentia materiæ. Minor suadetur: quia Soto loco cit. testatur se in Concilio Tridentino cognovisse Episcopum cœcum, cum quo dispensatum erat, ut celebraret: quod minime fieret, nisi cœcus posset materiam valide consecrare.

Confirmatur.

Tertia objectio.

Objicitur tertio: quia si pro valore consecrationis requireretur sensibilis materiæ præsentia; illa utique debere esse certa aliqua, ac determinata materiæ præsentia, sive distantia: quippe ad id necessaria dicitur, ut simus certi de valore consecrationis, quam exequimur: atqui nihil certum, et determinatum circa hæc assignari valet: ergo talis sensibilis præsentia minime desideratur. Probatur minor: tum quia nulla certa distantia materiæ assignari valet: nam si dicamus esse v. g. centum passuum, potest assignari minor; et si dicamus esse duorum passuum, potest esse major. Tum etiam quia si materia sit consecranti præsens non secundum se totam, sed secundum aliquam sui partem; ex uno capite videtur totam materiam consecrari posse, ut patet in consecratione totius vini existentis in dolio, aut vase satis magno: ex alio autem capite videtur consecrari non posse, quia plures partes sunt sensibiliter distantes; et quia ex opposito fieret posse consecrari totum flumen vini, licet defluentes ejus partes forent ultra leucam a consecrante distantes; quod apparet absurdum.

Observanda pro diluendis objectionibus.

105. Hæ tamen, licet difficilia communem assertionem non evertunt; sed obligant legitimum ejus sensum exponere, qui ex illarum dilutione magis constabit. Primo autem loco observandum est præcipuum ipsius fundamentum stare in institutione Christi, qui materiam habuit sensibiliter præsentem, et suo exemplo nos docuit modum consecrandi: concurrente etiam traditione, et praxi Ecclesiæ catholicæ, quæ curat, ut sacerdotes habeant materiam consecrandam coram se, ut illam sensibiliter queant designare: ex quibus satis efficaciter colligitur necessitas hujus conditionis pro consecrationis valore. Secundo hujusmodi præsentiam ad id præcipue desiderari, ut simus de valore consecrationis humano modo certi: quod non assequeremur, nisi haberemus certam, et præsentem ejus materiam, ut exemplo cæterorum sacramentorum satis confirmari valet. Tertio talem præsentiam debere esse sensibilem, sive sensu perceptibilem (quamvis actu per accidens non semper sentiatur), tum quia omnis cognitio, et subinde cognitionis certitudo incipit a sensibus: tum et præcipue quia totum negotium sacramentorum consistit in signis sensibilibus. Quarto, (quod ex præcedentibus sequitur). rem hanc tractandam esse non omnino metaphysice, sed magis moraliter, hoc est, humano modo, et juxta æstimationem prudentem: ordinatur enim hujusmodi materiæ præsentia ad inducendum moralem, et humano modo consequibilem certitudinem circa consecrationis valorem. His, quæ juxta qualitatem materiæ sunt satis nota, præmissis,

Occurritur primæ objectioni.

Ad primam objectionem concessa majori, negamus minorem. Ad cujus primam probationem dicendum est pronomen *Tu* etiam esse demonstrativum, atque in sacramentis (quæ sunt signa sensibilia, et practica), sensibiliter demonstrare: quare in sacramentis necessarium est quod subjectum significatum pronomine *Tu* sit sensibiliter præsens ministro, ut cum dicimus: *Ego te baptizo*, *Ego te absolvo*, *Signo te*, *etc.* Hujus autem generalis regulæ occurrit exceptio in solo matrimonio: nam cum hoc sacramentum sit pro materiali contractus civilis, sequitur ejus conditionem, et inter absentes celebrari valet. Unde magis firmatur nostra, et communis assertio retorquendo similem probationem: quoniam pronomen *Hoc* præsertim substantive dictum.non est minus demonstrativum,quam pronomen *Tu*: sed pronomen *Tu* in omnibus sacramentis (si matrimonium excipiamus), significat subjectum sensibiliter præsens; quia ipsa sacramenta signa sensibilia sunt: ergo pariter pronomen *Hoc* in sacramento

mento Eucharistiæ significat materiam sensibiliter præsentem: et consequenter sicut alia sacramenta sunt invalida, nisi subjectum sit sensibiliter præsens; sic etiam Eucharistiæ consecratio non valet, si non detur sensibilis materiæ præsentia. Ad secundam probationem concedimus pronomen *Hoc* posse demonstrare præsentiam ad solum intellectum, maxime cum sumitur adjective, et determinatur per substantivum, sive rem ipsam, de qua loquimur. Sed in præsenti materia debet demonstrare sensibiliter: et quia sumitur substantive: et quia est pars formæ constituentis sacramentum sensibile, sive sensibiliter significantis, sicut communiter contingit in sacramentis circa pronomen *Tu*, ut proxime diximus. Ultima nihil evincit: quia verba sacerdotis in peragendo consecrationem non procedunt mere recitative, sed significative, et practice operando circa rem præsentem: sic enim referimus, quod Christus fecit, ut nihilominus idem et nos faciamus: quare debemus habere aliquid præsens, quod demonstremus dicendo *Hoc est*, etc.

Diluitur secunda. 106. Ad secundam objectionem negamus antecedens, quam probatio minime evincit: nam formæ contentæ in vase clauso, posito coram sacerdote, sunt ipsi sensibiliter præsentes juxta prudentem omnium existimationem: et sacerdos de illis potest certissime dicere *Hoc est*, etc. Quare omni dubio procul, potest esse certa talis materiæ consecratio. Exempla autem, quæ in oppositum afferuntur, nihil valent: quoniam licet Joannes Major dixerit hostiam existentem post parietem posse consecrari (quod si verum foret, nihil probaret illud exemplum) tamen ea sententia communiter rejicitur, ut videri potest apud Suarium loco citato § *Prima igitur*. Refellitur Major. Nostrum Philippum, Bonacinam, Layman, et alios, quos refert, et sequitur Noster Franciscus loco citato num. 116. Et quidem merito: tum quia id, quod existit post parietem, non est sensibiliter moraliter præsens: tum quia paries non se habet per modum continentis, atque ideo designantis materiam: sed magis per modum separantis, et removentis a physico, et sensibili rei prospectu. Et idem proportionabiliter dicendum est de materia existente simpliciter post tergum sacerdotis, ita ut nullo (quod sæpe contingit), sensu significetur, aut percipiatur: talis namque materia non est magis sensibiliter præsens, aut demonstrabilis, quam si existeret post parietem. Et sic contra eundem Majorem sentiunt communiter Theologi, Arauxo, Suarez, Dicastillo, Coninckus, et plures alii apud Nostrum Franciscum ubi supra, num. 111, et Bonacinam disput. 4, quæstione 2, punct. 6. Diximus ita sentiendum esse de materia existente simpliciter a tergo sacerdotis: quia si ita collocetur, quod sacerdos faciem vertens illam videat, vel manu apprehendat, et vel digito designet; satis probabile est posse illam valide consecrare: quia prædicto modo fit sensibiliter præsens, et demonstrari valet. Et ita sentiunt Arauxo, Bonacina, Suarez, et alii plures. Nota.

Ad confirmationem respondet Nugnus loco citato in solut. ad 2, non posse fieri dispensationem, ut sacerdos cœcus celebret. Occurritur confirmationi. Et quidem præcisive a valore sacramenti, et attendendo ad ejus decentiam, id non improbabile nobis apparet: sunt enim innumeræ irreverentiæ, quibus committendis se exponit cœcus, cum aggreditur celebrare. Sed prædicta via non diluitur confirmationis vis, quæ circa valorem consecrationis procedit: quia non dubitamus sacerdotem cœcum posse valide consecrare: habet enim ad id potestatem ordinis, et habere potest materiam sensibiliter præsentem, ut cum manu apprehendit hostiam, aut calicem. Quare ad prædictam confirmationem neganda est major: quoniam materia nullo modo præsens, nullo modo demonstrari, aut significari potest pronomine *Hoc*; unde nec cœcus, nec videns potest illam consecrare. Sed materia coram cœco posita, licet ab eo non videatur, potest tamen sensibiliter ab illo percipi aliis sensibus, v. g. tactu, gustu, olfactu: et sic potest ab illo sensibiliter demonstrari. An cœcus possit consecrare? Quin etiam plures affirmant posse sacerdotem cœcum consecrare materiam coram se positam, quam nullo modo sentiat, si tamen de ejus præsentia aliorum relatione, et testimonio certificetur. Ita Soto, Henriquez, Præpositus, Bernal, N. Gabriel, et alii, quos refert, et sequitur Noster Franciscus loco supra citato num. 120. Quod tamen nobis pœnitus non arridet, sed incertissimum apparet: quoniam præsentia materiæ pro valore sacramenti requisita debet esse sensibilis: quæ autem ex solo extrinseco aliorum testimonio in-

notescit, non videtur sensibilis, sed magis ad solum intellectum pertinere. Concedi nihilominus posset cœcum valere consecrare materiam, quam nec tangeret, nec alio sensu actualiter perciperet, si ita coram illo poneretur, ut facile, si vellet, eam sentiret, et quam mente concipit esse sibi præsentem, et posse sensibiliter demonstrari : quia his suppositis, potest vere, significative, et practice dicere *Hoc est*, etc.

Satisfit tertiæ objectioni. 107. Ad tertiam objectionem quidam respondent concedendo majorem: existimant enim præsentiæ materiæ ad valorem consecrationis desideratæ assignari posse, et debere certam distantiam localem, quamvis in ejus designatione varient. Viguerius namque censet eam præsentiam debere esse ejus propinquitatis, et talis conditionis, ut verba formæ, aut potius earum prolatio queat ad materiam consecrandam pervenire, illamque contingere. Paludanus autem non multum a prædicta sententia recedens, judicat, quod licet actualis materiæ tactus non desideretur, debet tamen esse in ea distantia, ut tangi valeat. Sed Viguerii sententia falsitatis convincitur : tum quod formæ sive hostiæ clausæ in aliquo vase consecrari queunt: et similiter vinum positum in calice, licet aliquo linteo cooperiatur, ut docet communis sententia relata num. præced. et tamen in prædicto casu verborum forma, aut prolatio nequit materiam physice contingere. Tum quia talis contactus nequit ostendi necessarius vel ex vi significationis verborum, vel ob efficientiam sacramenti, vel ob simile aliud motivum: cuncta enim quæ hic occurrunt, possunt salvari independenter ab illa adeo intima, et physica attingentia. Tum denique quia prædictus dicendi modus gignit plures scrupulos satis fatuos circa valorem consecrationis, ut plane juxta illum consurgerent, si sacerdos submisse loqueretur, vel si materia existeret aliquantulum distans, v. g. per duos passus. Quæ omnia sunt absurda, et contra communem usum, et apprehensionem fidelium. Et eodem fere modo rejicienda est sententia Paludani; quoniam nullum firmum principium occurrit, ut necessarium sit materiam consecrandam esse in ea distantia, ut tangi possit: ergo sine fundamento asseritur talis distantia. Eo vel maxime, quod ea præsentia materiæ requiritur, quæ sufficit, ut sensibiliter demonstrari possit pronomine *Hoc*, manifestum autem est posse aliquid in ea distantia coram aliquo collocari, quod licet non attingi, nihilominus sensibiliter demonstrari valeat, ut si aliquid in prospectu consecrantis sit ad tres, vel quatuor passus. Idque amplius declaratur exemplo absolutionis, quæ cum pœnitentem debeat habere præsentem; nihilominus non requirit eam presentiam, ut absolvens possit illum attingere.

Excluduntur falsæ aliquorum sententiæ.

Vera, et communis doctrina. Relictis itaque his dicendi modis, tenendum est præsentiam, de qua agimus, importare determinatam, et certam materiæ distantiam, non quidem metaphycice, aut mathematice, sed moraliter, et in ordine ad æstimationem prudentem, nimirum quanta sufficit, ut rem sensibiliter demonstrare possimus; sic enim hæc moralia decet accipere. Et in hoc sensu concessa majori, negamus minorem. Ad cujus primam probationem respondemus omnem illam distantiam, quæ non impedit moralem certitudinem, ut res dicatur præsens, et sensibiliter demonstretur, esse certam, et determinatam pro qualitate materiæ, sive in ordine ad valorem consecrationis. Unde quod talis distantia sit parva, sive magna, sive major, de materiali se habet in ordine ad præsentiam pro valore consecrationis requisitam. Lugo autem, et quidam alii docent distantiam 50 passuum esse ad valorem dubiam; 40 passuum probabilem, et 20 passuum certam. Sed res his limitibus non est metaphysice dimetienda, sed moraliter, atque in ordine ad prudentem æstimationem : et raro, aut nunquam ad hujusmodi angustias redigitur; sed major ut in plurimum adest præsentia, quam in rigore necessaria sit, ut recte vidit Suarez sect. cit. in fine. Quin regula ab illis Auctoribus tradita nequit generaliter verificari, aut applicari : nam quo materia consecranda est minor, eo exposcit minorem distantiam, ut fiat sensibiliter præsens: quanto autem est major, tanto facilius, et evidentius præsens fiet, ut ipsa experientia liquet; unde distantia, quæ respectu materiæ minime impedit præsentiam, eam non impediet respectu maximæ quantitatis. Tanta vero potest esse distantia, ut quamvis res videatur, impediat valorem consecrationis, quatenus impedit sensibilem ejus præsentiam in ordine ad prudentem æstimationem: ut plane contingeret si ingens panis videretur ad spatium

Lugo.

tium unius leucæ: quia talis panis non esset moraliter præsens, sed distans; nec proprie loquendo demonstraretur dicendo *Hoc;* sed magis signaretur dicendo *Illud.* Sunt itaque ista moralia moraliter accipienda, et in ordine ad prudentem æstimationem.

Vazquii opinio. 108. Ad secundam ejusdem minoris probationem respondet Vazquez loco citato num. 25, concedendo, quod quando materia consecranda est continua, sufficit habere præsentes aliquas ejus partes, licet aliæ distent a sensibus, ut tota illa materia poscit valide consecrari secundum omnes partes: quia tota censetur moraliter præsens, et potest demonstrari pronomine *Hoc:* sicut de aere dicere postumus, *Hic aer pertingit usque ad cœlum,* licet non omnes ejus partes videamus, aut in se demonstrare possimus.

Refellitur. Sed hæc sententia communiter rejicitur, ut videri potest apud Nugnum *in Comment.* hujus art. Suarium sect. cit. § *Secundo quæret aliquis,* Arauxo dub. cit. nu. 35. Ledesmam, Leandrum, Cornejo, et alios, quos refert, et sequitur N. Franciscus loco cit. num. 105. Et ratio constat ex dictis: quoniam ut materia valide consecretur, debet esse sensibiliter consecranti præsens secundum moralem, et prudentem æstimationem, ut supra ostendimus: ergo si materia consecranda sit corpus adeo magnum, ut aliquæ illius partes non sint sensibiliter, et moraliter præsentes respectu consecrantis; partes ita distantes, et latentes non possunt valide consecrari: atque ideo consecratio tenebit quantum ad eas illius corporis partes, quæ sunt consecranti sensibiliter præsentes; secus autem quantum ad alias, quæ non habent hujusmodi præsentiam, sed tales partes in ordine ad consecrationem perinde comparabuntur, ac si non essent in illo corpore. Confirmatur, et declaratur amplius destruendo Vazquii motivum: quia licet aer, qui est nobis hoc loco præsens, continuetur usque ad cœlum, et usque ad alterum hemispherium nobis oppositum; nemo tamen sanæ mentis dicet totum aerem adæquate sumptum esse nobis sensibiliter præsentem; cum manifestum sit partes in alio hemispherio existentes latere nos, esseque a nobis longissime distantes, non minus quam si panis constitueretur post parietem immensæ magnitudinis. Quare partes adeo dissitas, et subinde corpus quantum ad illas partes non possumus sensibiliter demonstrare pronomine *Hoc:* quod tamen ad validam materiæ adæquate sumptæ consecrationem requirebatur. Unde cum totum ærem designamus pronomine *Hic,* non fit demonstratio ad sensum, sed solum secundum apprehensionem intellectus concipientis totum illud corpus: quam demonstrationem non sufficere pro consecrationis valore jam supra ostendimus; alias Salmanticæ manentes possemus consecrare panem existentem apud Indos. Ex quibus patet primo ad oppositum fundamentum. Constat secundo, quod si quis intenderet consecrare fluvium vini præterlabentis; in illis tantum fluvii partibus teneret consecratio, quæ forent consecranti sensibiliter præsentes; non autem in eis, quæ ob distantiam sensibilem fugerent consecrantis notitiam. Resolutio.

109. Nec refert, si opponas totum vinum existens in magno aliquo dolio esse sufficienter sensibiliter præsens, ut valide consecretur secundum omnes suas partes: et tamen non omnes prædictæ partes videntur, aut sensibiliter percipiuntur, ut patet in existentibus in medio, et profundo dolii; sed solum videntur, et sentiuntur partes existentes in superficie: ergo ut tota aliqua materia licet valde magna consecretur adæquate, sive quantum ad omnes suas partes, necessarium non est, quod sit sensibiliter consecranti præsens secundum omnes prædictas partes, sed sufficit esse præsentem secundum aliquas: et consequenter in casu a nobis proxime repræsentato totus fluvius vini maneret consecratus. Et confirmatur: nam vinum inclusum in calice potest designato calice valide consecrari, licet tale vinum non videatur, nec sentiatur: designando enim calicem designamus methonimice vinum in eo contentum: ergo pariter consecrando vinum præsens consecramus valide omnes ejus partes, quamvis sint valde distantes, et sensibiliter non percipiantur a consecrante. Probatur consequentia: quia majorem connexionem, et unitatem habent partes vini præsentes, et distantes, quam calix, et vinum in eo contentum; siquidem ex omnibus partibus vini continuis fit unum ens per se, nempe unum numero vinum: ex calice autem, et vino in eo contento non fit unum ens per se, cum sint duo sim- Replica. Confirmatio.

pliciter tota specie, et numero differentia.

Dispellitur replica. Id, inquam, non refert : nam ad objectionem respondetur concedendo præmissas, et negando utramque consequentiam. Ratio autem disparitatis est : quoniam totum vinum existens in dolio (supponimus esse dolium vulgare) est moraliter præsens ministro consecranti; cum adæquate sumptum sit intra sphæram activitatis cognitionis sensitivæ illius: quippe nihil continetur in dolio, quod actu per se non possit sentiri. Quod vero aliquæ vini partes existant in medio, vel in profundo, et quod actu in se non sentiantur, est per accidens respectu indistantiæ, et præsentiæ moralis : sufficit enim, quod ex vi distantiæ sentiri queant, et quod sentiatur actu saltem per partes immediatas, et proximiores. Cæterum ubi partes tam magnæ quantitatis depinguntur; partes ejus remotæ nullo modo continentur intra activitatem sphæræ potentiæ visivæ, vel alterius sensus : quia in ea distantia non solum non sentiuntur actus sed nec possunt sentiri : atque ideo non sunt moraliter præsentes, sed simpliciter absentes, et distantes : et consequenter nec demonstrari, nec consecrari possunt. Et diximus in hac reponsione sermonem esse *de dolio vulgari :* nam si fingatur aliud insignis alicujus, et extraordinariæ magnitudinis ad instar profundi putei; idem ac de flumine diceremus: nam posset habere partes adeo distantes, quod activitatem sensitivam consecrantis subterfugerent : in qua suppositione non demonstrari, ac perinde consecrari valerent.

Solvitur confirmatio. Ad confirmationem respondemus eodem modo concedendo antecedens, et negando consequentiam. Ad cujus probationem dicendum est, quod licet calix, et vinum in eo contentum habeant majorem distantiam, et minorem unitatem, quam partes fluminis, vel alterius magni corporis, physice loquendo; non tamen moraliter, atque in ordine ad prudentem æstimationem juxta qualitatem materiæ, quam versamus : hæc autem moralia moraliter tractari, ac diffiniri oportet. Et ratio disparitatis constat ex immediate dictis : nam vinum in calice positum continetur intra activitatem sensuum consecrantis, et sentiri in se valet, atque actu sentitur mediante calice : unde habet moraliter, et secundum prudentem æstimationem, quidquid ex parte indistantiæ, sive præsentiæ requiritur pro valore consecrationis; nihil ad hoc referente discontinuatione, aut non unione physica inter calicem, et vinum. Sed partes ejusdem fluminis, vel alterius magni corporis, quamvis physice continuæ, et habentes physicam unitatem, possunt moraliter esse simpliciter distantes, et absentes, ut patet in partibus aeris existentis in alio hemispherio, si ad nostram cognitionem sensitivam comparentur : unde ita moraliter se habent, ac si ibidem nullo modo existerent : et propterea non possunt vel demonstrari, vel consecrari.

§ II.

Posterior dubii pars explicatur.

Secunda conclusio. 110. Dicendum est secundo materiam consecrandam debere determinari per consecrantis intentionem, ut valida sit consecratio. Ita D. Thom. in 4, dist. 11, quæst. 2, art. 1, et communiter Doctores. Videantur Arauxo in præs. dub. 2, concl. 2, Suarez disp. 43, sect. 6, N. Franciscus cap. 4. punct. 7, et plures alios referens Bonacina disput. 4, quæst. 2, punct. 5. (D. Tho. Suarez. N. Fran. Bonacin.) Probatur ratione desumpta ex dictis § præcedenti : quoniam ideo materia consecranda debet esse præsens consecranti, quia debet significative, et practice demonstrari ex vi formæ per pronomen *Hoc*, aut *Hic :* sed hæc eadem ratio probat talem materiam debere determinari, et definiri intentione sacerdotis : ergo ita asserendum est. Probatur minor : quia ex una parte pronomen *Hoc*, vel *Hic*, cum sit demonstrativum in singulari, et ad sensum, nequit applicari materiæ vage, in communi, aut in confuso sumptæ; sed soli materiæ determinatæ, certæ, et definitæ : ex alia vero parte cum materia non habeat ex se hujusmodi determinationem, oportet quod determinetur intentione sacerdotis, qui immediate conficit sacramentum : sicut enim ad sacerdotem pertinet, quod intendat secramentum conficere juxta generalem doctrinam traditam tractatu præced. disp. 7, dub. 3, sic etiam pertinet, quod intendat conficere sacramentum in determinata materia, ac subinde et istam sua intentione determinare. (Ratio fundamentalis.)

Confirmatio. Confirmatur primo : quia operationes practicæ sunt in singulari, et circa singularia : sed consecratio est operatio practica: ergo

ergo versari debet circa singularem, et determinatam materiam: quod minime haberet, nisi consecrans sua intentione determinaret materiam consecrandam.

Alia. Confirmatur secundo, et declaratur amplius exemplo cæterorum sacramentorum: nam si quis intendat baptizare, aut absolvere hominem, nullum determinando, non conficit sacramentnm baptismi, et pœnitentiæ: et similiter si aliquis intendat ducere fœminam in uxorem, nullam determinando non celebrat, nec contrahit matrimonium: ergo idem dicendum est de sacerdote intendente consecrare materiam, et non intendente consecrare hanc, aut illam determinate: ergo ut consecratio sit valida, debet sacerdos determinatam, et certam materiam definire, atque in eam dirigere suam intentionem.

Primum assertionis corollarium. 111. Ex hoc principio deducunt Moralistæ plurima consectaria: sed sufficiet attingere principaliora, ex quibus derivari queat doctrina ad alios casus particulares. Infertur ergo primo sacerdotem qui ex decem hostiis præsentibus vult solum consecrare quatuor, et illa sua intentione non designat, nullam consecrare. Ratio patet ex dictis: quia intentio consecrantis debet dirigi ad materiam non in confuso, sed certam, et determinatam: quod in casu proposito non contingeret: cum quatuor ex decem non essent assignatæ, et determinatæ. Eo vel maxime, quod in tali suppositione non omnes decem hostiæ manerent consecratæ; cum sacerdos intenderet consecrare solas quatuor: nec quatuor consecrarentur; siquidem non est ratio, quare potius ex decem sint istæ quatuor, quam aliæ quatuor: supponitur enim sacerdotem nullas quatuor designasse, aut determinasse. Et ita præter Auctores relatos resolvunt Durandus in 4, dist. 11, quæst. 7, et Richardus dist. 10, art. 7, quæst. 2. (Durand. Richard.) Idemque consequenter asserendum est, quamvis sacerdos intendat consecrare ex decem hostiis illas quatuor, quas Deus velit, et designet: nisi Dei voluntas, et designatio sit consecranti nota. Nam cum ad sacerdotem pertineat immediate proferre formam, *Hoc est*, etc. quæ est practica, et demonstrativa determinatæ materiæ; parum refert, quod Deus apud se velit, et designet quatuor hostias determinate, si harum determinatio latet sacerdotem quia demonstrare nequit talem materiam dicendo significative, et practice, *Hoc est*, etc. Et sic tradunt communiter Doctores apud N. Franciscum loco cit. num. 124. (N. Fran.)

Objectio. Sed oppones: nam valida est applicatio sacrificii, aut satisfactionis pro illa anima Purgatorii, quam Deus voluerit, et apud se assignaverit; quamvis plures sint in Purgatorio animæ, et illa, quam Deus vult, applicantem lateat: ergo pariter concurrentibus pluribus hostiis, valida erit intentio sacerdotis consecrantis præcise quatuor, quas Deus apud se voluerit, et assignaverit, quamvis sacerdos ignoret illarum quatuor determinationem.

Rejicitur Vazq. Respondet Vazquez negando antecedens, eodem modo in utroque casu discurrens. Sed refellitur communiter, et merito: tum ad hominem, siquidem ipse fatetur validam esse applicationem satisfactionis, vel sacrificii pro anima Purgatorii magis indigenti; licet applicans hanc animam magis indigentem non cognoscat in particulari: ergo similiter valida est prædicta applicatio pro anima Purgatorii, quam Deus magis voluerit. Id enim paritatis ratio convincere videtur: nam sicut anima, pro qua Deus vult, et acceptat applicationem, latet applicantem; sic etiam anima magis indigens: et sicut coram Deo datur aliqua determinate anima magis indigens; sic etiam coram Deo datur determinate aliqua anima, pro qua Deus magis vult, et acceptat applicationem: nec enim divina voluntas potest manere circa ullum objectum suspensa: ergo applicatio sacrificii, et satisfactionis debet esse valida in utroque casu, vel in neutro. Tum etiam quia non est assignabilis ratio, nec Vazquius eam assignavit, ob quam sacrificium, vel satisfactio non possit applicari pro anima, quam Deus voluerit: et in humanis videmus oppositum, cum quis v. g. valeat regi, aut judici offerre pecuniam, ut ex existentibus in carcere pro debito pecuniario liberet hunc, aut illum ad arbitrium suum, et juxta solutionis quantitatem. Quare rejecta ea doctrina respondetur ad objectionem concedendo antecedens, et negando consequentiam. (Legitima objectionis solutio.) Ratio autem disparitatis constat ex dictis: quia de essentia sacrificii, vel satisfactionis non est demonstratio determinatæ personæ, pro qua fiat: cum hujus determinatio possit remitti ad arbitrium alterius. Sed de essentia formæ Eucharistiæ est, quod consecrans de-

monstret materiam, ut liquet ex verbis, quibus utitur, *Hoc est*, et *Hic est :* unde consecrans debet cognoscere materiam certam, et determinatam, nec id committere valet alterius voluntati, quam ignorat, nisi impropriando terminos, et deficiendo in significatione practica illorum verborum, *Hoc est*, et *Hic est*. Accedit remittentem immediate pœnam pro sacrificio, et satisfactione oblatis esse Deum; ad quem proinde pertinet cognitio personæ determinatæ, cui fiat remissio. Sed conficiens immediate sacramentum Eucharistiæ est sacerdos consecrans ; qui idcirco debet cognoscere certam, et determinatam materiam, de qua dicit, *Hoc est :* atque ideo debet illam sua intentione statuere, ac definire.

Secundum corollarium. Infertur secundo, quod si cum particulis consecratis existentibus in aliquo vase misceatur, et confundatur aliqua particula non consecrata, ita quod a consecrante dignosci et demonstrari nequeat; tunc sacerdos nequeat eam absolute consecrare. Ratio patet ex dictis : nam sacerdos debet materiam consecrandam demonstrare:quod in tali casu nequit absolute facere : ergo absolute nequit consecrare talem particulam. Et diximus, *absolute :* quia in tali casu posset sacerdos habere intentionen quasi conditionatam consecrandi quidquid est in pyxide, si non sit consecratum, vel intentionem consecrandi totam materiam ibi contentam, et non consecratam. Quo pacto sufficienter determinaretur, et demonstraretur materia, licet sub aliqua confusione: et ideo teneret simpliciter consecratio. An autem licita esset, et consuli posset; non convenit inter omnes. Nam Lugo disp. 4, sect. 7, num. 137, negat: quoniam indecens apparet materiam certò consecratam in vase contentam subjicere consecrationi etiam sub conditione, aut alio modo jam insinuato. Sed affirmant Diana, Dicastillo, Leander, et alii loco supra cit. n. 129. Quod magis probamus : quia nisi ita fiat nequeunt vitari plurima inconvenientia, quæ colliguntur ex eo, quod una hostia non consecrata sit inter plures consecratas. Cum enim talis hostia non dignoscatur, periculum esset adorandi, et sumendi hostiam non consecratam pro consecrata; et e converso rejiciendi, et parvipendendi hostiam consecratam pro non consecrata : unde ulterius fieret impediri omnino cultum, et usum talis materiæ. Quod inconveniens, et periculum vitari non valet, nisi consecrando modo possibili hostiam non consecratam ibi existentem. Unde quod modo insinuato, vel alio possibili consecraretur, nulla indecentia foret, sed magis procederet ex reverentia erga sacramentum.

(Marginal notes: Limitatur. — Nota contra Lugonem.)

Tertium corollarium. 112. Infertur tertio, quod si formulæ pro communicandis fidelibus deferri solitæ inscio sacerdote in altari, aut etiam corporali ponantur, et sacerdos id non cognosceret ; minime consecrarentur. Sic docent omnes, et merito : quoniam ad valorem consecrationis requiritur intentio sacerdotis determinantis materiam, ut supra statuimus : in prædicto autem casu deficeret simpliciter, id est, tam formaliter, quam virtualiter hujusmodi intentio : implicat enim intentio, et quodlibet voluntarium absque cognitione : ergo in prædicto casu tales particulæ relinquerentur inconsecratæ.

Limitatio. Oppositum colligi debet, quando formulæ deferuntur ab ipso sacerdote, vel ab alio ex ejus consensu, et notitia; quamquam sacerdos tempore consecrationis ad eas non attendat, vel illarum sit oblitus : nam quamvis intentionem præcedentem non habeat formaliter; habet tamen virtualiter, cum ipsam non retractaverit : et quælibet hujusmodi intentio sufficit ad valorem consecrationis, ut liquet tum in aliis sacramentis, et statuimus tract. præced. disp. 7, dub. 2, tum in ipsa consecratione hostiæ principalis, sive majoris, quam sacerdos ex fragilitate humana consecrare solet absque intentione, et attentione formalibus, aut in se existentibus. Sufficit enim in hujusmodi agere ex intentione virtuali, nimirum ex intentione præcedenti non retractata, sed potius continuata et perseveranti in ipsis actionibus sacerdotalibus, quibus sacrificium peragitur. Unde D. Thomas supra quæst. 64, art. 8, in resp. ad 3, agens de distractionibus, sive mentis evagationibus, quas ministri sacramentorum in eorum exercitio pati solent, et cum quibus intentio componi posse non videtur, optime statuit: « Dicendum, quod licet ille, « qui aliud cogitat, non habeat actualem « intentionem »(nempe formalem,et in se) « habet tamen intentionem habitualem » (sic appelare solet intentionem virtualem, quatenus ab actuali formali distinguitur : quamvis et hoc loco alia lectio expresse *virtualem* recitat,) « quæ sufficit ad perfectionem

(Marginal note: D. Tho.)

« nem sacramenti, puta cum sacerdos ac-« cedens ad baptizandum, intendit facere « circa baptizandum, quod facit Ecclesia. « Unde si postea in ipso exercitio actus « cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute « primæ intentionis perficitur sacramen-« tum. Quamvis studiose curare debeat « sacramenti minister, ut etiam intentio-« nem actualem adhibeat. Sed hoc non « est totaliter positum in hominis potes-« tate : quia præter intentionem, cum « homo vult multum intendere, incipit « alia cogitare secundum illud Ps. 139 : « *Cor meum dereliquit me.* » Et sic profecto contingeret in suppositione præmissa, quod formulæ fuerint ad altare delatæ vel per ipsum sacerdotem, vel per alium ministrum ejus notitia, et consensu: voluit enim sacerdos eas consecrare, quamvis illarum in actuali consecratione obliviscatur.

Extensio doctrinæ contra Suarium. Idemque censemus dicendum, quamvis prædictæ formulæ tempore consecrationis non existant supra aram, aut in corporali, sed solum juxta hæc, et supra mensam. In quo casu Suarez, disp. cit. sect. 6, putavit sacerdotem non consecrare prædictas formas : quia præsumi non debet voluisse illas indebite, et illicite consecrare, ut plane contingeret, si vellet illas consecrare extra aram. Et Suario subscribunt Candidus, Gavantus, et alii. Sed præferri debet insinuata resolutio : quoniam sacerdos a principio voluit absolute illas formulas consecrare : et rursus illas tempore consecrationis habuit sibi simpliciter præsentes absque variatione intentionis : ergo valida est earum consecratio. Patet consequentia: quia concurrente ministro legitimo, ejus intentione, materia apta, et hujus præsentia, dubitari non debet de valore consecrationis. Quod vero minister peccet consecrando particulas extra aram, sacramenti valori minime præjudicat. Et forte nec in hoc sacerdos peccat : quia vel nullo modo advertit situm, in quo sunt illæ particulæ; vel probaliter judicat esse intra aram, cum extra illam sint, sicut in collocando calicem non semel contingit. Unde patet ad Suarii motivum. Videantur Præpositus in hac quæst. art. 2, dub. 3, et Gaspar Hurtado disp. 2, difficult. 16, qui nostram resolutionem tuentur. Præpos. Hurtad.

Quartum corollarium. 113. Infertur quarto sacerdotem, qui ex inadvertentia assumit duas hostias, putans unam tantum deferre, quam consecret, utramque re ipsa consecrare. Sic statuimus per se loquendo, et attenta communi consecrantium intentione, contra aliquos, qui scrupulose dicunt sacerdotem in tali casu solum consecrare illam hostiam, quam ante oculos propositam habet, non vero illam, quæ existit ab hujus tergo. Sed nostrum consectarium docet communis sententia, ut videri potest apud Navarrum cap. 25, num. 91, Suarium disp. cit. sect. 7, Bonacinam disp. 4, quæst. 2, punct. 1, N. Franciscum cap. cit. puncto 7, num. 128. Navarr. Suarez. Bonacin. N. Fran. Fundamentum est satis perspicuum : quoniam sacerdos consecrans speciem panis habet per se, et communiter loquendo intentionem consecrandi illam materiam, quam manibus sumit, et tenet; sed in casu proposito sumit, et tenet unam, et alteram hostiam : ergo utramque valide consecrat. Et quod putat esse unam tantum, est error materialis, qui corrigitur per intentionem consecrandi quod in manibus habet : in hac enim intentione comprehenditur re ipsa utraque hostia. Sicut etiam contingit, quando sacerdos vult absolute consecrare omnes formulas, quas in pyxide præsentes habet : et putat esse pauciores, cum re ipsa plures sint, ut si censeat esse duodecim, et sunt viginti. Diximus, « per se loquendo, « et attenta communi consecrantium in-« tentione : » quia si quis expresse suam intentionem limitaret ad consecrandum præcise hostiam, quam oculis immediate videt : eam tantum consecraret, et non aliam existentem a tergo : quoniam consecratio operatur juxta intentionem consecrantis determinantis materiam ob ea, quæ supra diximus. Sed prædictus modus intendendi, aut potius limitandi intentionem non est communis : sed potius nobis videtur scrupulosus, fatuus, et subinde minime consulendus. Nota.

114. Infertur quinto guttas vini existentes in parte exteriori calicis non consecrari. Sic docent communiter Theologi : quoniam sacerdos non consecrat nisi illam materiam quam consecrare intendit : nemo autem intendit consecrare illas vini guttas, quæ solent cadere, et existere in pede, et aliis extoribus calicis partibus : ergo quamvis ibi sint tales guttæ tempore consecrationis, minime propterea consecrantur. Sed si sacerdos eas consecrare intenderet, eas profecto consecraret. Cæterum ageret sa- Quintum corrolarium.

crilege, et peccaret gravissime contra usum Ecclesiæ, et reverentiam debitam sacramento, quod ex consecratione illarum guttarum pluribus indecentiis committeretur, ut facile consideranti constabit.

Eadem resolutio extendi debet ad illas etiam vini guttas, quæ in interiori calicis parte hærere solent separatæ a toto vino consecrando. Et ratio est : quoniam intentio consecrantium per se, et communiter refertur (et sic dirigi oportet) ad illud vinum, quod per modum totius, et unius continui intra Calicem continentur : illæ autem guttæ non pertinet ad prædictum totum, unum, et continuum, ut ex se liquet : ergo prædictæ guttulæ non consecrantur. Et sic contra Bonacinam docent communiter Auctores, quos refert, et sequitur Leander disp. 8, quæst. 76. Si vero sacerdos illas consecrare intenderet ; plane consecraret, cum sint materia apta, et præsens : sed sic agens non esset (ut putamus) immunis a peccato : quia se exponeret aliquibus indecentiis erga sacramentum, ut puta non sumendi illas guttas, sed eas extergendi linteolo : quod omnino vitari debet. Quare falsam etiam censemus sententiam Palai disp. unica, puncto 6, num. 4, limitantis hanc resolutionem ad solas guttas distantes notabiliter a toto vino : nam de aliis proximioribus, quæ levi calicis motione vino misceri valent, putat consecratas manere. Sed persistendum est in proposita resolutione : quoniam tales guttulæ, sive parum, sive multum distent a toto vino, nihilominus non pertinent ad totum illud vinum, et continuum : sed intentio, quam per se, et communiter loquendo habent, habereque debent sacerdotes, est consecrandi totum illud vinum, quod per modum unius continui in calice continetur : ergo guttæ illæ non sunt, nec reputari debent consecratæ, quamvis ita vino proximæ sint, ut levi calicis motione vino uniri, et commisceri queant. Damus autem Palao, quod intendere consecrare tales guttas simul cum toto non esset peccatum, vel foret leve : quia hoc ipso, quod facile queant aliis partibus consecratis uniri, vitantur indecentiæ proxime insinuatæ, ut consideranti constabit. Sed tamen longe melius est intendere consecrare illud præcise vini, quod habet esse in calice per modum unius continui, exclusis guttulis ad illud totum non pertinentibus : hæc enim est communior, ac rationabilior consecrantium intentio, et sane inconvenientibus minus exposita. Et ista satis sint de his practicis, ex quibus proclive est colligere resolutionem ad alia.

Leand.

Refellit. Palaus.

Nota.

DUBIUM VII.

Utrum materia Eucharistiæ consecrari possit in qualibet quantitate ?

Hoc dubium affine est præcedenti, continuat enim considerationem aliquarum conditionum, quæ pro consecrationis valore desiderantur : pendet etiam magna ex parte ab illis, quæ in præced. dub. statuimus. Ad cujus resolutionem præsupponendum est omnia corpora tam viventia, quam non viventia habere terminos tam intrinsecos, quam extrinsecos suæ quantitatis tam penes magnitudinem, quam penes parvitatem, ut cum S. Doctore docent communiter Thomistæ, et plures alii, quos referunt N. Complutenses abbrevi. in libr. *Physic.* disp. 25, quæst. 1, et 2. Cum enim quodlibet corpus constituatur per formam substantialem finitam, et determinatam in suo esse, cui proportionari debeant corporis accidentia, inter quæ computatur quantitas : consequens est omne corpus exigere ex natura sua determinatum terminum suæ extensionis tam in magnitudine, quam in parvitate. Solet autem distingui duplex terminus magnitudinis : alius intrinsecus, et vocatur *maximum quod sic* ; quia est maxima quantitatum, sub quibus res conservari potest : alius extrinsecus, qui vocatur *minimum quod non* ; nam ex quantitatibus magnis, aut majoribus, sub quibus res conservari non valet illa est minima. Similiter distingui solet inter terminos parvitatis : quoniam alius est intrinsecus, sub quo res conservari valet, sed non sub alio minori : et dicitur *minimum quod sic* : quia est minima quantitatum, sub quibus res conservari valet : alius autem est extrinsecus, sub quo res conservari nequit, et vocatur *maximum quod non* : quia ex quantitatibus parvis, sub quibus res esse non valet, illa est maxima. Juxta præmissam itaque distinctionem quamvis proposita in titulo difficultas videatur una, duas tamen partes principaliter continet : nam quantitas rei consecrandæ potest considerari penes magnitudinem, et penes parvitatem

Observanda pro dubii decisione.

N. Comp.

tatem : unde dubitari potest, an consecrari queat, licet magna sit ; et similiter quamvis parva sit, atque exigua. Quas difficultates majoris claritatis gratia distinctis assertionibus decidemus. Ne autem implicemur circa non necessaria, et alias falsa, et sæpius convulsa, supponimus nullum continuum componi ex solis indivisibilibus, quippe quæ nullam queunt inducere extensionem, cum nullum ultra aliud porrigatur : sed constare ex partibus, atque indivisibilibus tam continuativis, quam terminativis. Quæ (si Joannem Hus hæreticum, et paucos recentes excipiamus), est communis Doctorum philosophia apud N. Complutenses loco cit. disp. 23, quæst. 2.

Nota. Porro partes continui aliæ sunt aliquotæ, sive certæ magnitudinis, atque ideo determinatæ, et designabiles : aliæ autem vocantur proportionales, quæ sub aliis communicant, et possunt in infinitum multiplicari: quippe quælibet valet in ulteriores, et minores sine termino dividi : quare tales partes nec sunt certæ, et determinatæ, nec designari exercite possunt. Quæ quia sunt mere philosophica, hic attigisse, et in memoriam revocasse sufficit pro terminorum intelligentia. Videantur Complutenses ultimo loco cit. quæst. 3.

§ I.

Decisio difficultatis quantum ad terminum magnitudinis.

Conclusio. 115. Dicendum est primo materiam Eucharistiæ, ut consecrari possit, nullum, quantum est de se, sive ex parte aptitudinis, præfigere terminum : sed posse, quantum est de se, consecrari in majori, et majori quantitate sine ullo termino intrinseco, vel extrinseco. Explicatur conclusio : etenim aptitudo materiæ, ut consecretur, potest attendi vel præcise ex parte ipsius materiæ, quantum est de se ; vel ex parte aliarum conditionum, quæ vel ad esse naturale talis materiæ, vel ad valorem consecrationis ex aliis capitibus requiruntur. Et plane quod materia consecranda debeat alias habere terminum intrinsecum, et extrinsecum suæ magnitudinis, liquet ex prænotatis in limine, et hoc loco præsupponi debet. Similiter ad valorem consecrationis requiri sensibilem, et moralem materiæ præsentiam, ut demonstrari a consecrante possit, ejusque certa intentione determinari, constat ex dictis dub. præced. Quare attendendo ad hæc omnia, sive his omnibus consideratis, nequit materia in qualibet magnitudine consecrari : quia vel non datur naturaliter materia in qualibet magnitudine ; vel si daretur, non posset respectu consecrantis fieri adæquate sensibiliter, et moraliter præsens. In alio itaque sensu longe diverso procedit nostra resolutio, nempe prout in ipsa significavimus, quantum est ex parte materiæ : quia hæc, ut valide consecretur, nullam determinat magnitudinem ; sed licet magna, et major sit, minime ex magnitudine impeditur, ut consecretur. Quod amplius declarari potest *Sensus.* suppositione conditionali, et non repugnanti, nempe si Deus conservaret panem in termino, vel ultra terminum suæ magnitudinis naturalis, illumque faceret sufficienter præsentem sacerdoti, posset ab eo valide consecrari ; vel si dicatur sacerdotem nunquam tantum panem consecrare, ut non possit, quantum est ex parte suæ potestatis, consecrare alium, et alium majorem sine termino. In hoc ergo sensu procedit nostra conclusio, quam docet D. Thomas in hac quæst. art. 2, ubi concludit: *D. Tho.* « Non potest dici, quod quantitas materiæ « hujus sacramenti sit determinata. » Et similiter resolvit in 4, dist. 11, quæst. 2, art. 1, quæstiunc. 3. Idemque communiter docent alii Auctores (exceptis paucis infra *Durand. Capreol.* referendis): tam Thomistæ, quam extra- *Soto.* nei. Magister, Durandus, Capreolus, et Ga- *Ledesm. Sylvest.* briel dist. cit. Soto dist. 9, quæst. unica articulo 2, Martinus de Ledesma quæst. 11, articulo 2, Sylvester verbo *Eucharistia* 2, *Arauxo.* quæst. 4, Arauxo dub. 1 numero 23, Nug- *Nugnus.* nus difficult. 9, Gonet disp. 3, articulo 5, *Gonet. Contens.* concl. 2, Contenson dissert. 2, cap. 2, *Suarez. Vazquez* § *Quæres tertio*, Suarez disp. 43, sect. 8, *Lugo.* concl. 1, Vasquez disp. 171, cap. 3, dicens *Bernal* esse sententiam communem. Lugo disp. 4, sect. 6, num. 120, Bernal disp. 29, sect. 3, et alii plures.

116. Probatur primo ratione D. Thomæ *Fundamentum D. Thomæ.* in præs. articulo 2. « In omnibus habentibus materiam ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem : sicut « materia serræ est ferrum, ut sit apta sectioni. Finis autem hujus sacramenti est « usus fidelium. Unde oportet, quod quantitas materiæ hujus sacramenti determinetur per comparationem ad usum fide-

« lium. Non autem potest esse, quod determinetur per comparationem ad usum « fidelium, qui nunc occurrunt : alioquin « sacerdos paucos parochianos habens non « posset consecrare multas hostias. Unde « relinquitur, quod materia hujus sacra- « menti determinetur per comparationem « ad usum fidelium absolute. Numerus « autem fidelium est indeterminatus. Unde « non potest dici, quod quantitas materiæ « hujus sacramenti sit determinata. » Ex quibus liquet, quod licet materia rerum naturalium importet determinationem ad certam quantitatem, non tamen materia hujus sacramenti : nam ut optime tradit idem Sanctus Doctor in resp. ad 1, « cujus- « libet rei naturalis materia accipit deter- « minatam quantitatem secundum compa- « rationem ad formam determinatam. Sed « numerus fidelium, ad quorum usum or- « dinatur hoc sacramentum, non est deter- « minatus. Unde non est simile. » Itaque quod materia in naturalibus importet certam, et determinatam quantitatem, ita quod naturaliter nequeat habere majorem sine termino, ut in limine dubii observavimus, provenit ex eo, quod materia debet coaptari, et proportionari formæ substantiali, cui unitur ad constituendum compositum substantiale : talis autem forma sicut est determinata in suo esse, et specie, sic etiam naturaliter postulat determinata accidentia, inter quæ quantitas primo loco computatur : quocirca materia in naturalibus nequit naturaliter habere majorem, et majorem quantitatem sine termino, sed naturaliter exigit quantitatem determinatam. Cæterum materia consecranda non habet determinationem ex ordine ad aliquod compositum, vel ejus formam ; sed illam præcise habere posset per comparationem ad usum fidelium, in quam ex institutione sua ordinatur. Ab hac autem parte nullam determinationem habere potest : tum quia fideles, quibus dari potest sacramentum, sunt plures, et plures sine termino, aut determinatione ad numerum : tum quia ex opposito fieret, quod ubi actu non concurrerent nisi centum fideles, non posset sacerdos consecrare centum, et quinquaginta formulas ; quod est falsum, et hæreticum. Sequitur igitur materiam hujus sacramenti nullam habere ex se determinationem secundum quantitatem, ut valide consecretur.

Objectiones. 1. Nec fundamentum istud evertet, qui contra illud opponat primo usum fidelium esse accidentale, et extrinsecum respectu hujus sacramenti; quippe quod non consistit in usu, sed est sacramentum permanens, ut diximus disp. 2, dub. 2, § 1; ab eo autem, quod est rei extrinsecum, et accidentale, sicut non sumitur talis rei determinatio, ita nec ejus determinatio quantum ad magnitudinem, et alia accidentia : ergo ex eo, quod multitudo fidelium, qui hoc sacramento uti possunt, sit indeterminata ; non recte probatur ejus materiam esse indeterminatam secundum magnitudinem. Secundo, quoniam permisso etiam, quod 2. usus fidelium sit finis per se intentus in Eucharistia ; nihilominus prædictus usus, et cuncta ad ipsum pertinentia debent proportionari cultui, et reverenti sumptioni talis sacramenti : his autem accommodari non potest materia in maxima quantitate ; siquidem eo ipso, quod materia valde magna consecretur, pluribus indecentiis in ejus applicatione, et conservatione subjicitur : ergo ex eo, quod Eucharistia ordinetur ad usum fidelium, et horum numerus sit indeterminatus ; minime sequitur, quod materia Eucharistiæ nullam determinet magnitudinem, sed possit in qualibet consecrari. Tertio, quia ex eo, quod numerus 3. fidelium sit indeterminatus, sive major et major sine termino; solum sequitur sacerdotem posse consecrare plures, et plures hostias sine termino, ita quod nunquam consecret tantas, quin possit plures alias consecrare: sic enim salvatur proportio inter usum fidelium, et materiam pro tali usu consecrandam ; idque ad summum evincit discursus D. Thomæ : sed minime ex eo principio probatur posse sacerdotem consecrare materiam in qualibet quantitate magna continua, sive quod materia consecranda non debeat habere certam, et determinatam magnitudinem ; et hoc ultimum necessarium erat ad salvandum veritatem nostræ assertionis.

Diluitur prima. Istæ, inquam, objectiones non referunt. Nam ad primam respondetur, quod licet usus actualis hujus sacramenti sit eidem extrinsecus, et accidentalis ; nihilominus ordo ad prædictum usum convenit illi ab intrinseco, et per se ex propria institutione, sive natura ; quidquid fuerit de alia intentione consecrantis. Et hoc posterius sufficit, ut materia talis sacramenti nullam habet determinationem :

determinationem:siquidem ejus consecratio ordinatur ad usum, qui nullam habet determinationem : sicut e converso in naturalibus quia materia ordinatur ad formam, quæ est determinata secundum esse, petit quantitatem determinatam.

Dispellitur secunda. Ad secundam respondetur negando minorem : quia possent res ita disponi, quod fideles colerent, adorarent, et revererentur sacramentum Eucharistiæ licet consecratum in magna quantitate : quippe posset illa quantitas religiose dividi in partes minores, tam conservationi, quam sumptioni aptas. Sed addimus, quod quamvis materia hujus sacramenti vel propter magnitudinem, vel ob alias improportiones non esset apta adorationi, et sumptioni ; adhuc nihilominus valide consecraretur (quod in præsenti solum intendimus), quamvis illicite, ut alias sæpe ob similes incongruitates contingit. Unde Divus Thomas eidem difficultati occurrens optime respondit his verbis : « Ad secundum dicendum, quod « potestas ministrorum Ecclesiæ ad duo « ordinatur. Primo quidem ad effectum « proprium : secundo ad finem effectus. « Secundum autem non tollit primum. « Unde si sacerdos intendat consecrare cor« pus Christi propter aliquem malum finem « (puta, ut irrideat, vel veneficia faciat,) « propter intentionem mali finis peccat : « nihilominus tamen propter potestatem « sibi datam perficit sacramentum. » Et idem contingeret ubi consecraret tantam quantitatem, quæ vel irrisioni, vel non aptæ conservationi, et sumptioni exponeretur.

Fit satis ultimæ. Ad tertiam negamus antecedens, sive assumptum : sicut enim ex numero indeterminato fidelium sequitur potestatem sacerdotis non alligari ad unam quantitatem discretam determinatam : sic etiam sequitur non alligari ad consecrationem alicujus quantitatis continuæ determinatæ. Quemadmodum enim data qualibet discreta quantitate, potest sacerdos consecrare majorem, et majorem absque alligatione ad aliquam hostiarum determinationem, vel numerum : ita similiter data qualibet quantitate continua potest sacerdos consecrare majorem, et majorem sine alligatione ad certum terminum magnitudinis. Eo vel maxime quod sicut numerus hostiarum ordinatur ad usum fidelium, quorum numerus non est determinatus : sic etiam magnitudo panis consecrandi, et in particulas pro usu fidelium dividendi, ordinatur ad prædictum usum fidelium, qui, ut supponitur, non magis determinatus est pro quantitate continua, quam pro discreta.

117. Secundo probatur ratione a priori : nam Christus dedit sacerdotibus potestatem consecrandi absolute panem, et vinum : sed nulla ratio occurrit, ut prædicta potestas alligetur determinatæ quantitati panis, et vini : ergo sacerdotes possunt absolute consecrare materiam hujus sacramenti in qualibet magnitudine, sive quantitate tam discreta, quam continua. Consequentia videtur evidens : quia sicut ubi lex non distinguit, aut limitat ; nos non possumus distinguere, aut limitare : ita etiam ubi potestas conceditur absolute, et nullum adest motivum eam limitandi; nos illam limitare minime debemus, aut possumus. Major autem est certa : nam Christus instituendo Eucharistiam, et dando Apostolis, et sacerdotibus potestatem illam consecrandi per illa verba. *Hoc facite* etc. nullam adhibuit determinationem, aut limitationem : ergo dedit illis potestatem consecrandi absolute panem et vinum. Minor denique ostenditur : quia non est assignabile caput, unde illa potestas limitari debeat ad determinatam materiæ quantitatem. Si enim ad usum fidelium in quem Eucharistia ordinatur, attendamus; magis ex hac parte colligitur illimitatio, et indeterminatio materiæ, ut patet ex fundamento D. Thomæ, quod expendimus num. præcedenti. Præterea si ad Scripturam animum revocemus ; nullum plane occurrit testimonium hanc determinationem indicans ; vel proferatur ab Adversariis. Item si virtutem consecrativam consideremus ; hæc in principali agente est simpliciter infinita, ex qua proinde nequit desumi limitatio materiæ: in agente autem instrumentali est quidem finita in actu ; sed tamen est infinita synchategorematice, siquidem nunquam consecrabit tantam materiam in actu, quod non possit consecrare aliam, et aliam sine termino, sicut de virtute intellectus ad cognoscendum objecta dici solet. Porro talis limitatio desumi non valet ex substantia corporis, et sanguinis Christi, in quam materia convertitur : quia prædicta Christi substantia est in hoc sacramento modo supernaturali, et indivisibili : unde sicut ob hanc rationem non

Aliud assertionis motivum.

extenditur per quantitatem specierum ; ita etiam nihil refert, quod sit in parva, vel in magna, vel in maxima quantitate : atque ideo quælibet materia sive parva, sive magna in prædictam substantiam converti potest. Denique si fiat recursus ad præsentiam sensibilem, et moralem, quæ respectu consecrantis impediri valet ob ingentem materiæ consecrandæ magnitudinem ; fatemur quidem ita contingere posse juxta superius dicta dub. præced. numero 108 ; sed modo non loquimur de hac præsentiæ conditione, ut numero 115,explicando nostram assertionem præmisimus : comparamus autem virtutem sacerdotis, et quantitatem materiæ, et affirmamus illam per se loquendo sufficere ad istam in qualibet magnitudine.Præterquam quod posset Deus efficere, quod sacerdos videret, præsentemque moraliter haberet materiam in majori quantitate, quam naturaliter queat: utputa vel elevando visivam sacerdotis potentiam ad acutiorem intuitum, vel penetrando inter se corporis maximi partes, ut in minori mole repræsentaretur. Posset etiam Deus disponere, quod multi sacerdotes consecrarent in diversis sitibus, et per diversas partes corpus licet maximum, v.g. flumen vini : in qua suppositione, secluso alio miraculo, sed ex propria institutione materia consecraretur in maxima quantitate : et posset etiam consecrari in majori, et majori absque (quantum est ex parte institutionis, et capacitatis,) ad ullum certum terminum alligatione.

Confirmatio. Confirmatur : quia materia hujus sacramenti potest converti in corpus, et sanguinem Christi: sed materia hujus sacramenti non desinit esse talis ex eo, quod sit major, et major absque alligatione ad certum terminum : ergo materia hujus sacramenti potest converti in corpus, et sanguinem Christi in qualibet magnitudine. Probatur minor : quia materia hujus sacramenti est verus panis,et verum vinum:sed panis non desinit esse verus panis ex eo, quod sit magnus: quippe tam verus est panis magnus, quam parvus: et idem contingit in vino: ergo materia hujus sacramenti non desinit esse talis ex eo, quod sit major, et major sine alligatione ad quantitatem determinatam.

Opposita sententia. Alensis. D. Bon. Major. 118. Contrariam nostræ assertioni sententiam docuerunt Alensis 3, p. quæst. 34, memb. 1, D. Bonaventura in 4, dist, 10, quæst. 4, art. 2, Major ibidem dist. 11, quæst. 1, Angelus verbo *Eucharistia* 1, § 25, et alii. Angelus. Quam sententiam probabilem censuit Div. Thom. opusc. 59, cap. 5, licet postea in hac 3 parte nostram absolute docuerit. Motiva autem hujus opinionis majori ex parte convulsa relinquuntur ex fundamentis, quibus propriam munire curavimus. Sed nihilominus arguitur primo : nam virtus, qua agit sacerdos est actu et intrinsece finita : ergo effectus tali virtuti respondens debet etiam esse actu finitus, et determinatus : ergo materia hujus sacramenti nequit consecrari, et converti in qualibet magna quantitate. Primum argumentum. Hæc secunda consequentia patet ex prima, quæ ex antecedenti probatur : nam ideo viventia in suo augmento habent terminum,ultra quem progredi non valent, quia tale augmentum fit per virtutem augmentativam viventium, quæ finita est in agendo, et terminum habet : sed consecratio fit virtute sacerdotis : ergo si hæc finita est, et terminum habet, idem dicere oportet de materia consecranda. Antecedens autem est certum : nam cum virtus sacerdotis sit aliquid creatum, debet esse aliquid actu finitum, juxta communem philosophiam, quam tradunt N. Complutenses in lib. *Phys.* disp. 18, quæst. 1, cum seq.

Quædam responsio impugnatur. Si autem dicatur effectum consecrationis, et materiam consecrandam non ita debere proportionari virtuti instrumenti, sive sacerdotis ; sed magis virtuti principalis agentis, nempe Dei : quæ cum sit infinita, nullum determinat terminum in materia consecranda. Contra hoc est, quod si agens infinitæ virtutis operetur per instrumentum virtutis limitatæ : effectus non proportionatur virtuti principalis agentis, sed virtuti instrumenti; et propterea debet esse finitus, et limitatus. Qua de causa licet Deus se solo agens possit creare, sive rem ex nihilo producere, ad quod requiritur virtus infinita ; nihilominus ex suppositione, quod utatur creatura tanquam instrumento, non potest tali instrumento uti ad producendum aliquid per creationem, nimirum quia tale instrumentum est finitum, et limitat virtutem Dei ut per ipsum influentis, sicut communiter docent Thomistæ cum S. Doctore 1 parte quæstione 45. Ergo pariter licet virtus Dei, quia est infinita, possit convertere materiam in qualibet quantitate: tamen id efficere non valet per sacerdotem, quippe cum ejus virtus

tus finita sit, et subinde ad certum, et limitatum effectum determinet.

Solvitur argumentum. Huic argumento respondetur ex eo, quod virtus consecrativa sacerdotis sit finita in actu, solum inferri, quod consecret materiam finitam in actu : et ita semper res se habet: sed minime colligi, quod non possit consecrare majorem et majorem materiam asbque alligatione ad aliquem terminum. Tum quia stat bene, quod illa virtus sit finita cathegorematice, et in actu; et tamen sit infinita syncathegorematice, atque in potentia convertendi plura, et plura : sicut contingit in virtute cognoscendi, quam habet intellectus creatus. Tum quia non requiritur major virtus ad consecrandum magnam quantitatem, quam parvam : quippe perfectio virtutis regulari non debet penes materiam destruendam, quæ comparatur tanquam terminus *a quo*, sed penes terminum *qui*, nempe substantiam corporis, et sanguinis Christi, quæ semper est eadem, sive fiat ex parva materia, sive ex magna. Unde ex eo quod virtus sacerdotis sit finita in actu, minime sequitur, quod non possit convertere materiam, in qualibet magnitudine actu occurrat. Contra quam doctrinam non urget exemplum virtutis augmentativæ viventium : primo, quia hæc virtus impugnatione contrariorum continuo debilitatur, et tandem corruit ; unde nequit continuo, et magis augere : quod non ita contingit in virtute consecrativa sacerdotis, quæ est character indelebilis, et invariabilis, juxta doctrinam traditam Tract. præced. disp. 5, dub. 3, unde potest semper præsentem sibi materiam consecrare, atque convertere. Secundo quia ad majus augmentum viventium requiritur major virtus; cum augmentum se habeat per modum termini qui : sed ad conversionem majoris materiæ hujus sacramenti non requiritur major virtus : quia talis materia solum comparatur ut terminus *a quo;* terminus autem *qui* est substantia Christi facta ex illa materia ; et talis substantia est eadem, ex qualibet materia magna, vel parva fiat.

Impugnata responsio defenditur. Responsio etiam inter arguendum data sustineri debet : nam quantitas, et perfectio effectus non debet commensuari instrumento, aut ejus virtuti, sed perfectioni principalis agentis : quippe cum instrumentum non agat nisi ut agenti principali subordinatum : unde ex prædicta subordinatione potest influxum ad ejus usque effectum porrigere, ut inductione in miraculis. et effectibus supernaturalibus satis liquet, et Tract. præced. disp. 4, dub. 3, et 4, fusius ostendimus. Quare sicut virtus Dei potest quamlibet materiam convertere; sic etiam virtus sacerdotis ut subordinata virtuti Dei. Quod vero creatura nequeat adhuc per modum instrumenti creare, non provenit ex magnitudine, aut perfectione effectus : (satis namque exiguam perfectionem importat musca, quæ creatione fiat): sed provenit ex modo agendi, nempe ex nullo præsupposito subjecto, quod actioni creatæ repugnat. Id vero minime requiritur ad influxum instrumentarium in perfectiorem effectum, ut ex se liquet.

119. Arguitur secundo : nam Christus dedit sacerdotibus potestatem consecrandi illam tantum materiam, quam designare sensibiliter possint pronominibus *Hoc*, et *Hic*, ut constat ex dictis dub. præced. sed materia hujusmodi importat certam, et determinatam magnitudinem; quippe si major sit, demonstrari sensibiliter illis pronominibus non valebit : ergo materia hujus sacramenti consecrari non potest in qualibet quantitate. Confirmatur præcludendo tacitam evasionem : nam materiæ hujus sacramenti per se convenit, quod sit sensibiliter præsens consecranti : sed eo ipso debet importare certam, et determinatam quantitatem, ut videri, et demonstrari sensibiliter queat : ergo materia hujus sacramenti debet habere certam quantitatem : atque ideo si majorem habeat, consecrari non valebit. Minor, et utraque consequentia patent. Major autem suadetur : nam sicut generaliter verum est materiam debere habere capacitatem recipiendi formam ; ita materiæ hujus sacramenti per se convenit habere capacitatem recipiendi verba demonstrativa consecrationis, quibus significatur sensibiliter præsens, atque in suo genere informatur. Secundum argumentum. Confirmatio.

Dissolvuntur. Ad hoc argumentum constat ex supra dictis, et præsertim in explicatione assertionis, quod quando dicimus sacerdotem posse quamlibet materiam majorem, et majorem sine certa determinatione consecrare ; sermo est formalis, et attendendo ad potestatem sacerdotis, et ad capacitatem materiæ, sive præcisive ab aliis conditionibus accidentalibus respectu hujus comparationis inter virtutem sacerdotis, et mate-

riam consecrandam. Ubi autem attenditur ad actualem consecrationem, attendere oportet ad omnes conditiones undequaque requisitas : inter quas computatur sensibilis, ac demonstrabilis materiæ præsentia. Unde argumentum ad summum evincit sacerdotem in actu exercito semper consecrare materiam certam, et determinatam, illam scilicet, quam præsentem habet : sed minime probat, quod nequeat consecrare aliam, et aliam majorem si illi fiat sensibiliter præsens : et tamen hoc posterius requirebatur, ut verificaretur virtutem consecrativam sacerdotis alligari ad certam, et determinatam materiæ consecrandæ magnitudinem. Eodemque modo diluenda est confirmatio : nam ad summum evincit materiam consecrandam debere esse determinatæ magnitudinis attenta conditione præsentiæ sensibilis; non autem facta præcisiva comparatione inter virtutem consecrantis, et capacitatem materiæ consecrandæ. Sed addendum est, quod ut supra jam significavimus. quælibet materia, licet maximæ magnitudinis infra infinitum in actu, potest fieri sensibiliter præsens si non uni tantum consecranti, tamen pluribus simul concurrentibus in diversa situatione : in quo casu infinita illa moles maneret adæquate consecrata : quod satis manifestat materiam consecrandam nullum sibi præfigere terminum, ut valide consecretur. Quin totius illius magni corporis partes possunt penetrari, et ad certum situm redigi cum respectu præsentiæ sensibilis ad consecrantem, atque ideo valide consecrari : quod etiam manifeste declarat materiam in quacumque quantitate esse de se aptam consecrationi, supposita alias conditione præsentiæ sensibilis.

Major argumenti eversio.

§ II.

Resolvitur dubium quantum ad terminum parvitatis.

Secunda conclusio.

120. Dicendum est secundo quamlibet materiam, licet parva sit, dummodo sensibilis sit, posse valide consecrari. Addimus in hac assertione, *Dummodo sensibilis sit* : quia si aliqua materia ratione summæ parvitatis, ullo sensu percipi nequeat, erit utique sensibiliter indemonstrabilis, atque ideo proxime inconsecrabilis, licet de se habeat capacitatem, ut cum sensibilis fiat per conjunctionem ad alias partes, possit consecrari. Assertionem ergo ita expositam, supponit, et docet Div. Thomas in præs. art. 2, in *Sed contra* his verbis : « Multum « opponitur pauco, et magnum parvo : sed « nulla est ita parva quantitas panis, aut « vini, quæ non possit consecrari : ergo « etiam nulla est ita magna, quæ consecrari « non possit. » Sentit autem S. Doctor absolute quamlibet quantitatem panis, licet magnam, posse consecrari, ut constat ex corpore art. et expendimus § præc. ergo sentit etiam absolute quamlibet panis quantitatem, licet exiguam, consecrari valere. Et sic etiam docent communiter Thomistæ, et alii Auctores. Nugnus articulo cit. difficult. 1, Arauxo dub. 1, part. 2, nu. 30, Gonet disp. 3, art. 5, concl. 3, Suarez disp. 43, sectione 8, § *Ad rationem autem*. Vazquez disp. 171, cap. 2, num. 11, Lugo disp. 4, sect. 6, nu. 89, Bernal disp. 29, sect. 4, num. 24, Bonacina, N. Cornejo, N. Philippus, N. Gabriel, Leander et alii apud N. Franciscum cap. 4, punct. 5, num. 90.

D. Tho. Nugnus. Arauxo. Gonet. Suarez. Vazq. Lugo. Bernal. N. Fran.

Probatio

Fundamentum est illudmet, quo supra ostendimus quamlibet materiam quantumcumque magnam posse consecrari, et in substantiam Christi converti : nam Christus dedit sacerdotibus potestatem ad consecrandum panem, et vinum absolute : sed nulla est ratio, quare hanc potestatem limitemus ad certam quantitatem versus parvitatem; sicut nec datur, ut ipsam restringamus ad determinatam quantitatem versus magnitudinem : ergo sicut hoc motivo probatur quamlibet panis, et vini materiam, licet magnam, posse consecrari; sic etiam ostenditur quamlibet etiam materiam, licet parvam, consecrari valere. Unde incidenter constat differentia inter materiam hujus sacramenti, et materiam aliorum sacramentorum, puta baptismi, et extremæ-unctionis : nam cum aqua, quæ est materia baptismi, concurrat lavando, et oleum, quod est materia extremæ-unctionis concurrat ungendo, atque ablutio, et unctio fieri nequeant qualibet parte aquæ, vel olei : consequens est baptismum, et extremam-unctionem non posse fieri qualibet aquæ, vel olei portione. Cæterum materia hujus sacramenti concurrit ut convertenda in substantiam Christi loco ipsius succedentem sub eadem quantitate : unde cum substantia Christi queat esse sub qualibet quantitate

Nota.

quantitate, sub qua fuerat substantia panis; sequitur quamlibet materiam panis et vini, licet parvam, posse consecrari, et in corpus Christi converti.

Occurritur cuidam objectioni. 121. Nec refert, si opponas materiam hujus sacramenti ordinari ad usum fidelium, ut illud sumant per modum cibi, et potus, juxta doctrinam Divi Thomæ supra traditam numer. 116; sed non quælibet materia, licet parva, potest sumi per modum cibi, aut potus: ergo non quælibet materia parva potest consecrari. Et si dicatur sacramentum istud sumi per modum cibi, aut potus spiritualis: ad quod sufficit quælibet quantitas licet exigua. Contra hoc est: nam licet hoc sacramentum sit refectio spiritualis, tamen sumi debet sumptione corporali: ad hanc autem non sufficit quælibet pars valde parva, sed requiritur major aliqua, et certa quantitas: ergo non quælibet materia etsi parva potest valide consecrari. Id, inquam, non refert: quoniam quælibet materia, et materiæ pars, licet parva, si sensibilis est, potest absolute sumi, et deglutiri sumptione corporali, ut satis ex se liquet: atque ideo ex sua parvitate minime impeditur, ut possit ordinari ad usum fidelium. Idque magis contingens recognoscetur, si supponatur sacerdotem una, vel pluribus consecrationibus consecrare plurimas materias parvas separatas sibi præsentes, v. g. plures guttas vini, aut micas panis: istæ enim possunt conjungi, et in unum totum coire, quod propriissime manducetur, aut bibatur. Et quod non ita fiat, et una tantum exigua pars consecretur, est per accidens respectu ejus, quod sacramento convenit ex vi suæ institutionis.

Dubium incidens I. 122. Adversus nostram assertionem cum moderatione, qua illam explicuimus, non reperimus sententiam, quam referamus. Occurrunt tamen circa illam aliqua dubia, in quibus non ita convenit apud Auctores. Et primo dubitari potest, an particulæ consecratæ in toto, et cum toto, si ab illo separentur in exigua adeo quantitate, quod non maneant sensibiles, retineant adhuc substantiam corporis Christi, et maneant consecratæ. Ad quod Joannes Major in 4, distinct. 11, quæstione 2, negative respondet eo ductus motivo, quod si particula separata est ita parva, quod sentiri non potest, non remanebit utique in ratione sacramenti: de hujus namque ratione est esse signum visibile, seu sensibile: si autem non remanet in ratione sacramenti, nec retinebit consecrationem, nec præsentiam Christi, quod habebat in suo toto constituta. Idque magis ex eo confirmat, quod prædictæ particulæ ita separatæ non essent aptæ communioni, aut usui fidelium: in quem finem sacramentum ordinatur. Addit tamen Major, quod si illæ particulæ iterum unirentur, et continuarentur, iterum continerent corpus Christi absque alia nova consecratione: quia nequeunt esse eadem numero species, quæ prius continebant Christi corpus, et quod illud nunc non contineant.

Opinio Majoris.

Evertitur. Sed prædicta sententia est valde falsa, illamque merito refellunt communiter alii Auctores, ut videri potest apud Suarium loco cit. § *Solum superest*, et Arauxo loco cit. num. 25. Quoniam substantia corporis Christi succedit loco substantiæ panis, et vini, et tandiu sub horum accidentibus conservatur quandiu sub illis eorum substantia conservaretur: ergo quæcumque pars panis, vel vini, quæ separata a toto, quamvis exigua sit, et reddatur non sensibilis, conservaret substantiam panis, et vini, conservat etiam substantiam corporis Christi, et retinet antiquam consecrationem. Et sic videtur diffinitum ab Ecclesia in Concilio Florentino in decreto Eugenii, et in Concilio Tridentino sess. 13, can. 3, et 4, quibus locis statuit totum Christum manere sub singulis partibus specierum, facta separatione. Quam doctrinam, cum absoluta, et generalis sit, non licet restringere ad partes majores, vel minores; sed accipi universaliter debet de qualibet parte conservante esse speciem panis, vel vini.

Suarez. Arauxo. Concil. Florent. Concil. Trident.

Eliduntur contraria motiva. Motivum autem Majoris nihil evincit: quia licet de ratione sacramenti, et ejus, quod sacramentum consecratur sit esse signum visibile: et consequenter pars panis, quæ ob exiguitatem non est sensibilis, consecrari non possit; nihilominus pars, de qua loquimur, erat sensibilis in toto, et simul cum aliis partibus: quare in eo, et cum illis consecrari potuit, et subinde continere corpus Christi, ut certum est apud omnes. Ubi autem id acquisivit, illud etiam retinet, quamvis separetur: quia quandiu conservat esse speciem panis, conservat etiam in se substantiam Christi: ista namque cum loco substantiæ panis subrogetur, tandiu sub speciebus contineretur, quandiu ibi esset substantia panis, quæ in

corpus Christi conversa fuit, ut communis est catholicorum doctrina. Potestque præmissa responsio magis explicari exemplo animæ rationalis, quæ si separata sit a corpore, nequit in prædicto statu consecrari (ut sic loquamur), recipiendo characterem baptismi, vel ordinis : sed tamen conjuncta corpori illum recipit : et quamvis a corpore postea separetur, ipsum conservat : plura namque solent desiderari, ut res primo fiat, quam ut semel facta conservetur. Quod autem prædictus Auctor ultimo loco addebat, est plane absurdum : quoniam si sub illis particulis separatis desinit esse substantia corporis Christi; erit utique aliqua alia substantia : atque ideo si ubi iterum uniuntur, incipit esse sub illis, et in toto corpus Christi; id fiet per novam transubstantiationem talis substantiæ in Christi corpus : quod minime sustineri valet : cum nova transubstantiatio non contingat absque nova actione consecrativa illam perficiente.

Nota. Diximus autem nón semel substantiam corporis Christi conservari in qualibet particula separata materiæ consecratæ, licet valde exigua sit, « si sub illa sic separata « substantia panis conservaretur : » quia si fiat suppositio, quod panis ita in pulveres, aut minutissimas partes divideretur, quod in eis non remaneret propria substantia, sed ejus solveretur natura, et gigneretur aliud tertium, v. g. vapor, aut quid simile; tunc si fieret eadem specierum panis divisio, non maneret substantia corporis Christi ; sed desineret ibi esse per talem divisionem : est namque prædicta substantia sub accidentibus panis, quandiu sub eisdem conservaretur substantia propria, si ibidem fuisset. Quam doctrinam tradit, et simul possibilitatem casus supponit D. Thomas infra quæst. 77, art. 4, ubi loquens de immutatione specierum inquit : « Si vero fiat tanta immutatio, « quod fuisset corrupta substantia panis, « aut vini, non remaneret corpus, et « sanguis Christi sub hoc sacramento : et « hoc sive ex parte qualitatum, sicut cum « ita immutatur color, et sapor, et aliæ « qualitates panis, et vini, quod nullo « modo possent compati naturam panis, « aut vini. Sive etiam ex parte quantitatis : « puta si pulverizetur panis, vel vinum in « tam minutas partes dividatur, ut jam « non remaneat species panis, vel vini. » D. Tho.

In qua tantum suppositione posset procedere, et deberet admitti sententia Majoris. Sed quod ultimo addit, quod si minutissimæ illæ partes iterum venirentur in toto, rediret iterum substantia corporis Christi ; omnibus modis refellendum est tanquam penitus absurdum, ut supra ostendimus.

123. Secundo dubitari solet, an si daretur minima pars panis separata, quæ vere retineret speciem, et substantiam panis, sed tamen ob summam parvitatem non esset sensibilis, nec sensu demonstrabilis, posset valide consecrari, et in corpus Christi converti ? Affirmat Soto in 4, dist. 9, quæst. unica, art. 1, cui quidam alii subscribunt. Et præcipuum eorum motivum est : nam ea species est apta consecrari, et in corpus Christi converti, quæ est apta ad conservandum panis substantiam ; siquidem cum substantia corporis Christi succedat loco substantiæ panis ; nulla verior, aut universalior regula circa id assignari valet, nec aliam assignant Concilia, ut supra impugnantes Majorem arguebamus : sed fit suppositio, qnod talis particula separata retineret vere naturam, et substantiam panis : ergo quamvis ob parvitatem non foret visibilis, aut sensu perceptibilis, adhuc tamen sic separata consecrari valeret. Et confirmatur : quia ad rationem materiæ consecrabilis sufficit, quod ex natura sua sit sensibilis, licet per accidens non sentiatur : et hac ratione panis coopertus linteo, vel positus in vase clauso consecrari potest, ut supra diximus num. 106, sed illa pars separata, licet per accidens ob suam exiguitatem nequeat visu, vel alio sensu percipi, nihilominus ex natura sua est materia sensibilis, siquidem retinet naturam panis : ergo talis particula sic separata posset valide consecrari. Dubium secundum. Opinio Soti.

Sed probabilior, et communior est sententia negans, quam tuentur Nugnus in hoc art. 2, difficult. 1, concl. 3, Arauxo ubi supra num. 30, Major, Suarez, Vazquez, Palaus, N. Cornejo, Bonacina, Leander, et alii, quos refert, et sequitur N. Franciscus cap. 4, punct. 5. Et probatur : quia materia hujus sacramenti nequit valide consecrari, nisi sit sensibiliter præsens sacerdoti, ita quod ab illo demonstrari queat pronomine *Hoc*, aut *Hic* : sed prædicta pars separata non ita se haberet : ergo non posset valide consecrari. Major constat ex supra dictis dub. præced. § 1. Minor Verior sententia. Nugnus. Arauxo. N. Fran. Ratio

Minor etiam liquet ex ipsa suppositione, in qua loquimur : supponitur enim illam particulam separatam ob suam summam parvitatem non esse visibilem, aut alio sensu perceptibilem ; unde talis particula, quamvis esset indistans a sacerdote secundum locum, tamen non foret illi præsens secundum sensum. Consequentia denique legitime infertur ex præmissis. Eo vel maxime, quod ut aliquid sit proxime, et exercite consecrabile, non sufficit habere potentiam obedientialem, et capacitatem remotam ad hujusmodi consecrationem ; sed insuper connotare debet, et multo magis non excludere illas conditiones, quæ ad exercitam consecrationem requiruntur, uti se habet sensibilitas materiæ, et quod fiat ita consecranti præsens, ut demonstretur per formam consecrationis : id vero minime haberet particula, quæ ob summam sui parvitatem sentiri non posset.

Confirmatio. Confirmatur : nam materiam consecrari est fieri sacramentum, atque ideo signum sensibile ; sed supponitur particulam illam non esse signum sensibile ; siquidem dicitur adeo tenuis, ut sentiri non valeat : ergo talis particula consecrari non posset. Nec hoc loco impediri debemus instantia, sive exemplo particulæ, quæ consecrata in toto, si postea separetur, adhuc manet consecrata, et continet corpus Christi, licet separetur in tam parva quantitate, quod invisibilis fiat, ut num. præcedenti contra Majorem statuimus. Ad id namque constat ex ibidem dictis plura desiderari ad primum fieri, et esse rei, quam ad ejus conservationem. Unde si semel particula consecretur, consecrationem non amittit, quamvis separetur in parva quantitate, et fiat invisibilis. Fit enim suppositio, quod adhuc in tali parte conservaretur substantia panis : et regula generalis est tandiu Christum contineri sub specie sacramentali, et qualibet ejus parte, quandiu ibi conservaretur substantia panis, si consecrata non fuisset. Si autem fiat contraria suppositio, oppositum etiam consequens colligendum est, ut eodem loco cum D. Thoma observavimus.

Evertuntur fundamenta contraria. 124. Ad fundamentum autem contrariæ sententiæ respondetur solum evincere, quod particula illa sit remote consecrabilis, quia adhuc retinet naturam panis : non autem quod proxime, et exercite consecrari possit : nam ad hoc ultimum, præter illam remotam aptitudinem, requiritur : quod materia sit moraliter præsens consecranti, et possit ab eo sensibiliter demonstrari : quod nec haberet nec habere posset particula, quæ ob summam exiguitatem nullo sensu dignosceretur. Et eodem modo respondetur ad confirmationem : nam licet talis particula esset per se sensibilis sensibilitate remota, et quantum est ex parte naturæ panis, quam retinet ; nihilominus non foret per se sensibilis sensibilitate proxima, et reducenda ad actum ; siquidem supponitur esse adeo parvam, quod sentiri non valeat. Aliter autem omnino se habet panis linteo coopertus, aut vase inclusus ; hic enim est de se sensibilis remote, et proxime : quin et sentitur saltem mediate : unde potest habere illam moralem præsentiam, quæ requiritur, ut sensibiliter demonstretur, et consecretur.

Nota circa eundem casum. Hic autem observare oportet, quod non obstante naturali invisibilitate prædictæ particulæ, posset sacerdos miraculose elevari ad illam cognoscendam ita, quod foret illi moraliter præsens : et facta hac suppositione, dubitari potest, utrum sacerdos illam consecrare valeret? Ad quod sub distinctione respondendum est : nan posset sacerdos elevari, ut per visum corporalem, vel alium sensum cognosceret sibi præsentem talem particulam, ut si Deus augeret virtutem, et acumen potentiæ visivæ : vel posset elevari ad hoc ipsum cognoscendum cognitione intellectuali, utputa vel clara per communicationem speciei infusæ, vel obscura, et per fidem innitendo Dei testimonio. Et in primo casu tenendum est sacerdotem posse absque alio miraculo, aut dispositione, sed ex vi suæ consecrationis talem particulam consecrare : quoniam ex suppositione, quod illam sensibiliter cognoscat sibi præsentem, potest eam sensibiliter demonstrare dicendo, *Hoc est* etc. quo (suppositis aliis conditionibus capacitatis materiæ, virtutis sacerdotalis, atque intentionis,) nihil amplius requiritur ad consecrationis valorem. Sed contrarium dicendum est in secundo casu : quia cum demonstratio, quæ fit pronomine *Hoc* debeat esse sensibilis, debet utique inniti sensibili cognitioni : unde non sufficeret, quod sacerdos sola cognitione intellectiva recognosceret illam particulam exiguam esse sibi præsentem, ut illam valide consecraret alias eadem cognitione utens valeret

consecrare particulam existentem in alio hemispherio, quod nemo admittet. Nec est eadem ratio de sacerdote cæco, qui testimonio socii ipsum adjuvantis cognoscit materiam sibi præsentem, illamque valide consecrat : nam hoc admisso dicendum est sacerdotem cœcum non uti præcise testimonio socii, sed habere etiam cognitionem sensitivam vel tactus, vel olfactus, quo facile, et proxime recognoscere possit materiam ; quocirca illam sensibiliter, et moraliter præsentem habet. Si autem fiat suppositio contraria, quod nullo sensu queat eam cognoscere; minime admittendum est, quod illam consecrare valeat. Et ratio constat ex dictis, nempe facta tali suppositione non posse consecrantem demonstrare sensibiliter materiam pronomine *Hoc*.

Dubium tertium. 125. Tertio dubitari potest,utrum partes minores minimi naturalis panis, et vini, (quæ sint istæ, jam explicuimus in dubii exordio,) queant seorsim, et per se consecrari, quandiu sunt in toto? Et dicimus *seorsim, et per se;* nam quod consecrentur simul cum toto, manifestum est : consecrato namque toto per se, omnes ejus partes consecrantur;ita quod substantia Christi est tam in toto, quam in omnibus, et singulis ejus partibus. Et addimus, *quandiu sunt in toto :* quoniam partes minores minimi naturalis separatæ nec conservari naturaliter, nec sentiri valent : unde consequens est, ut consecrari non possint juxta resolutionem traditam n. 123. Denique sermo est *de partibus minoribus minimi naturalis :* si enim sermo fieret de partibus aliquotis, determinatis, et certæ magnitudinis, manifesta foret pars affirmativa : nemo namque dubitat sacerdotem posse valide consecrare dimidiam, vel quartam, vel octavam partem panis, quam ipse intendat, et intentione designet, non consecrando alias partes. In hoc itaque sensu procedit proposita difficultas. Ad quam aliqui recentiores Thomistæ (quos suppresso nomine refert Arauxo loco cit. num. 28), affirmative respondent, nempe medietatem minimi alteri medietati conjunctam posse valide consecrari; alia medietate non consecrata manente. Et moventur : nam in quacumque parte, in qua est substantia panis, potest consecratione constitui substantia corporis Christi ; sed in parte minore minimi naturalis panis, est substantia panis, ut ex terminis liquet : ergo in tali parte minore minimi naturalis potest consecratione constitui substantia corporis Christi : et consequenter talis pars minor minimi potest valide consecrari. Minor, et utraque consequentia patent. Et major probatur ex generali doctrina Conciliorum asserentium materiam hujus sacramenti esse panem, et vinum : et similiter substantiam corporis Christi subrogari loco substantiæ panis, et constitui, et conservari sub ejus accidentibus : ergo in omnibus, et singulis partibus, in quibus est substantia panis, potest consecratione constitui substantia corporis Christi.

(Aliquorum opinio, et motiva.)

Negari tamen debet, quod talis pars minor minimi queat valide consecrari. Ita Arauxo loco citato recte observans Sotum, Martinum de Ledesma, Suarium, et Vazquium nostram hanc resolutionem docere, vel supponere: pauci enim sunt, qui rem ex professo discutiant. Probatur primo : quia illa sola materia est consecrabilis, quæ est sensibiliter demonstrabilis : sed pars minor minimi naturalis non est per se sensibiliter demonstrabilis : ergo talis pars non est per se materia consecrabilis : quocirca licet simul cum aliis partibus, et ratione totius consecrari queat, non tamen per se, sive aliis partibus, et toto exclusis, aut non consecratis. Cætera constant. Et minor suadetur : quia vix, aut nullo modo cognoscere possumus, quod sit minimum naturale substantiæ panis : ergo multo minus possumus sensibiliter demonstrare partem minorem minimo naturali : atque ideo talis pars non est sensibiliter demonstrabilis. Secundo : quia illa sola materia potest consecrari, in cujus quantitate, et speciebus conservari valet substantia corporis Christi : sed in parte minore minimi naturalis nequit conservari substantia corporis Christi : ergo talis pars consecrari non potest. Probatur minor : nam cum substantia corporis Christi succedat loco substantiæ panis, in illa tantum parte conservari potest, in qua potest conservari substantia panis : sed hæc conservari nequit in parte minore minimi naturalis ; siquidem propterea minimum naturale appellatur, quia sub illo conservari valet substantia panis, non autem sub minori : ergo pariter substantia corporis Christi conservari nequit sub parte minori minimi naturalis. Et notandum est (ut tacitum effugium præcludatur), quod pars quantitatis

(Verior sententia. Arauxo.)

(Nota.)

quantitatis consecratæ separatur ab alia parte quantitatis non consecratæ, et fiunt reipsa duæ numero quantitates non minus, quam si per divisionem separentur. In neutra autem parte separata conservaretur substantia panis : et sic procedit, remque evincit præmissa probatio. Tertio : quia si in parte minore minimi valide fieret consecratio, pariter fieri posset in partibus proportionalibus minoribus, et minoribus sine termino, ut si quis vellet consecrare partem ultimam hostiæ versus calicem : consequens est falsum, et ridiculum ; siquidem talis pars ultima non est demonstrabilis ; quippe qualibet assignata, potest alia ultimior assignari : est enim quantitas divisibilis sine termino : ergo idem de parte minori minimo dicendum est.

Satisfit motivo contrario. Ex quibus motivis patet ad fundamentum contrariæ sententiæ : negandum namque est omnes, et singulas partes, in quibus est substantia panis, posse per se consecrari, et in corpus Christi converti ; nisi tales partes habeant adjunctas alias conditiones, videlicet quod sint per se sensibiliter demonstrabiles, et quod per se, et separatæ queant conservare substantiam panis. Nec Concilia excludunt has conditiones, sed potius docent, aut supponunt, cum affirmant materiam consecrari forma demonstrativa, *Hoc est*, et tandiu substantiam corporis Christi conservari sub speciebus, quandiu sub illis conservaretur propria panis substantia. Quare cum pars minor minimi naturalis non sit hujusmodi, quippe quæ nec potest per se demonstrari, nec valet per se conservare substantiam panis : sequitur talem partem non esse consecrabilem per se, id est, non consecrato toto, et aliis partibus ; sed solum posse valide consecrari simul cum illis, et dependenter ab eis. In reliquis hujus quæstionis articulis a 4, usque ad 8 inclusive, easdem difficultates tractat D. Thom. quas proposuimus in præcedentibus dubiis, ut conferenti articulorum titulos cum titulis dubiorum liquido constabit. Et ideo litteram prædictorum articulorum non transcribimus : sed ultra progrediendo nobis occurrit. Observatio.

QUÆSTIO LXXV.

De conversione panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi in octo articulos divisa.

Deinde considerandum est de conversione panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi. Et circa hoc quæruntur octo. Primo, etc.

ARTICULUS I.

Utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem ?

Ad primum sic proceditur, videtur, quod in sacramento non sit corpus Christi secundum veritatem, sed solum secundum figuram, vel sicut in signo. Dicitur enim Joann. 6, quod cum Dominus dixisset : Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, etc. multi ex discipulis ejus audientes, dixerunt : Durus est hic sermo : quibus ipse dixit, Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam : quasi diceret secundum expositionem Aug. super Psal. 98 : Spiritualiter intelligite, quæ locutus sum, non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent : sacramentum autem quod vobis commendavit spiritualiter intellectum, vivificabit vos, caro autem non prodest quicquam.

Præterea : Dominus dicit Matth. ult. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi : quod exponens Aug. dicit, donec sæculum finiatur, sursum est Dominus : sed tamen nobiscum est veritas Domini : corpus enim in quo resurrexit, in uno loco oportet esse ; veritas autem ejus ubique diffusa est : non ergo secundum veritatem est corpus Christi in hoc sacramento, sed solum sicut in signo.

Præterea : Nullum corpus potest esse simul in pluribus locis, cum nec Angelo hoc conveniat : tali enim ratione posset esse ubique : sed corpus Christi est verum corpus, et est in cœlo : ergo videtur quod non sit secundum veritatem in sacramento altaris, sed solum sicut in signo.

Præterea : Sacramenta Ecclesiæ ad utilitatem fidelium ordinantur : sed secundum Greg. in quadam homil. regulus reprehenditur, quod quærebat corporalem Christi præsentiam, Apostoli etiam impediebantur recipere Spiritum Sanctum, propter hoc quod affecti erant ad ejus præsentiam corporalem, ut Aug. dicit super illud Joann. 16 : Si non abiero, paraclitus non veniet ad vos : non ergo Christus secundum præsentiam corporalem est in sacramento altaris.

Sed contra est, quod Hilar dicit in 8, de Trin. de veritate carnis et sanguinis Christi, non est relictus ambigendi locus : nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra caro ejus vere est cibus, et sanguis ejus vere est potus ; et Ambros. dicit 6 de sacramentis : sicut verus Dei filius est Dominus Jesus-Christus, ita vera Christi caro est, quam accipimus, et verus sanguis ejus est potus.

Respondeo : Dicendum, quod verum corpus Christi et sanguinem esse in hoc sacramento, sensu deprehendi non potest : sed sola fide, quæ auctoritati divinæ innititur : unde super illud Luc 22 : Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, dicit Cyrillus, non dubites, an hoc verum sit, sed potius suscipe verba Salvatoris in fide

cum enim sit veritas, non mentitur : hoc autem conveniens est, primo quidem perfectioni novæ legis. Sacramenta enim veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura, secundum illud Hebr. 10: Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem : et ideo oportuit, ut aliquid plus haberet sacramentum novæ legis a Christo institutum : ut scilicet contineret ipsum Christum passum, non solum in significatione vel figura, sed etiam in rei veritate : et ideo hoc sacramentum, quod ipsum Christum realiter continet (ut Dionys. dicit 4. Cœl. Hierar.) est perfectivum omnium aliorum sacramentorum, in quibus virtus Christi participatur. Secundo hoc competit charitati Christi, ex qua pro salute nostra corpus verum nostræ naturæ assumpsit : et quia maxime proprium amicitiæ est convivere amicis (ut Phil. dicit 9 Eth.) sui præsentiam corporalem nobis repromittit in præmium, dicens Matth. 24 : Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ. Interim tamen nec sua præsentia corporali nos in hac peregrinatione destituit, sed per veritatem corporis, et sanguinis sui, nos sibi conjungit in hoc sacramento. Unde ipse dicit Joann. 6 : Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. Unde hoc sacramentum est maximæ charitatis signum, et nostræ spei sublevamentum ex tam familiari conjunctione Christi ad nos. Tertio, hoc competit perfectioni fidei, quæ sicut est de divinitate Christi, ita est de ejus humanitate, secundum illud Joan. 14 : Creditis in Deum, et in me credite. Et quia fides est invisibilium, sicut divinitatem suam nobis exhibet Christus invisibiliter : ita et in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo: quæ quidam non attendentes, posuerunt corpus, et sanguinem Christi non esse in hoc sacramento, nisi sicut in signo, quod est tanquam hæreticum abjiciendum, utpote verbis Christi contrarium : unde et Berengarius, qui primus hujus erroris auctor fuerat, postea coactus est suum errorem revocare, et veritatem fidei confiteri.

Ad primum ergo dicendum, quod ex hac auctoritate prædicti hæretici occasionem errandi sumpserunt, male verba Augustini intelligentes. Cum enim Augustinus dicit: Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, non intendit excludere veritatem corporis Christi : sed quod non erat manducandum in hac specie, in qua ab eis videbatur. Per hoc autem, quod subdit, sacramentum, quod vobis commendavi spiritualiter intellectum, vivificabit vos, non intendit, quod corpus Christi sit in hoc sacramento solum secundum mysticam significationem, sed spiritualiter dici, id est, invisibiliter, et per virtutem Spiritus Sancti : unde super Joann. exponens id, quod dicitur : Caro non prodest quicquam, dicit: sed quomodo illi intellexerunt, carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur, accedat spiritus ad carnem, et prodest plurimum : nam si caro nihil prodesset, verbum caro non fieret, ut habitaret in nobis.

Ad secundum dicendum, quod verbum illud Aug. et omnia similia sunt intelligenda de corpore Christi, secundum quod videtur in propria specie, secundum quod etiam ipse Dominus dicit Matth. 26: Me autem non semper habebitis, invisibiliter tamen sub speciebus hujus sacramenti est; ubicumque hoc sacramentum perficitur.

Ad tertium dicendum, quod corpus Christi non est eo modo in hoc sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur : sed quodam speciali modo, qui est proprius huic sacramento : unde dicimus, quod corpus Christi est in diversis altaribus, non sicut in diversis locis, sed sicut in sacramento : per quod non intelligimus, quod Christus sit ibi solum sicut in signo, licet sacramentum sit in genere signi : sed intelligimus corpus Christi hic esse, sicut dictum est, secundum modum proprium huic sacramento.

Ad quartum dicendum, quod ratio illa procedit de præsentia corporis Christi, prout est præsens per modum corporis, id est, prout est in sua specie visibili : non autem prout est spiritualiter, id est, invisibiliter, modo et virtute spiritus. Unde Augustin. dicit super Joannem : Si intellexisti spiritualiter verba Christi de carne sua, spiritus, et vita tibi sunt : si intellexisti carnaliter, etiam sic spiritus, et vita sunt, sed tibi non sunt.

Conclusio *est affirmativa.*

ARTICULUS II.

Utrum in hoc sacramento maneat substantia panis, et vini post consecrationem?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod in hoc sacramento remaneat substantia panis, et vini post consecrationem. Dicit enim Dam. in 4 lib. Quia consuetudo est hominibus comedere panem, et vinum bibere, conjugavit eis divinitatem, et fecit ea corpus, et sanguinem suum, et ita panis communicationis non panis simplex est, sed unitus divinitati : sed conjugatio est rerum actu existentium : ergo panis et vinum simul sunt in hoc sacramento cum corpore et sanguine Christi.

Præterea : Inter Ecclesiæ sacramenta debet esse conformitas : sed in aliis sacramentis substantia materiæ manet, sicut in baptismo substantia aquæ, et in confirmatione substantia chrismatis : ergo et in hoc sacramento substantia panis, et vini manet.

Præterea : Panis, et vinum assumuntur in hoc sacramento, in quantum significant ecclesiasticam unitatem : prout unus panis fit ex multis granis, et unum vinum ex multis racemis, ut Aug. dicit in lib. de symbolo : sed hoc pertinet ad ipsam substantiam panis, et vini : ergo substantia panis, et vini remanet in hoc sacramento.

Sed contra est, quod Ambr. dicit in lib. de sacramentis, Licet figura panis, et vini videatur, tamen nihil aliud, quam caro Christi, et sanguis post consecrationem credenda sunt.

Respondeo dicendum, quod quidam posuerunt post consecrationem substantiam panis, et vini in hoc sacramento remanere : sed hæc positio stare non potest. Primo quidem, quia per hanc positionem tollitur veritas hujus sacramenti ad quam pertinet, ut verum corpus Christi in hoc sacramento existat, quod quidem ibi non est ante consecrationem : non autem aliquid potest esse alicubi, ubi prius non erat, nisi per loci mutationem, vel per alterius conversionem in ipsum : sicut in domo aliqua de novo incipit esse ignis, aut quia illuc defertur, aut ibi generatur : manifestum est autem, quod corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem. Primo quidem, quia sequeretur, quod desineret esse in cœlo : non enim quod localiter movetur pervenit de novo ad aliquem locum, nisi deserat priorem. Secundo, quia omne corpus localiter motum, pertransit omnia media, quod hic dici non potest. Tertio, quia impossibile est, quod unus motus ejusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diversa loca : cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento simul esse incipiat : et ideo relinquitur, quod non possit aliter corpus Christi incipere esse de novo in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum : quod autem convertitur in aliquid, facta conversione non manet : unde relinquitur, quod salva veritate hujus sacramenti substantia panis post consecrationem remanere non possit. Secundo, quia hæc positio contrariatur formæ hujus sacramenti in qua dicitur, hoc est corpus meum, quod non esset verum, si substantia panis ibi remaneret : nunquam enim substantia panis est corpus Christi: sed potius esset dicendum, hic est corpus meum. Tertio, quia contrariatur venerationi hujus sacramenti, si aliqua substantia creata esset ibi, quæ non posset adoratione latriæ adorari. Quarto, quia contrariatur ritui ecclesiæ, secundum quem post corporalem cibum non licet sumere corpus Christi : cum tamen post unam hostiam consecratam liceat sumere aliam : unde hæc positio vitanda est tanquam hæretica.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus conjugavit divinitatem suam, id est, divinam virtutem, pani, et vino, non ut remaneant in hoc sacramento, sed ut faciat inde corpus et sanguinem suum.

Ad secundum dicendum, quod in aliis sacramentis non est ipse Christus realiter, sicut in hoc sacramento : et ideo in aliis sacramentis manet substantia materiæ, non autem in isto.

Ad tertium dicendum, quod species quæ remanent in

hoc sacramento, ut infra dicetur, sufficiunt ad significationem hujus sacramenti : nam per accidentia cognoscitur ratio substantiæ.

Conclusio *est negativa.*

Conclusiones a D. Thoma in his duobus articulis assertæ sunt immediate de fide, et ab Ecclesia specialiter diffinitæ. Sed in earum veritate suadenda non est hic immorandum : quia illas ex professo ostendimus : primam disput. 1, cap. 1, et secundam ibidem, cap. 2 ; oportebat enim ipsas præmittere tanquam fundamentum omnium dicendorum in hoc tractatu, et præsertim in disp. sequenti.

ARTICULUS III.

Utrum substantia panis, vel vini post consecrationem hujus sacramenti annihilentur ?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod substantia panis post consecrationem hujus sacramenti, annihiletur, aut in pristinam materiam resolvatur. Quod enim est aliquid corporale, oportet alicubi esse : sed substantia panis, quæ est quiddam corporale, non manet in hoc sacramento, ut dictum est, nec etiam est dare aliquem locum ubi sit : ergo non est aliquid post consecrationem. Igitur aut est annihilata, aut in præjacentem materiam resoluta.

Præterea : Illud quod est terminus a quo in qualibet mutatione non remanet, nisi forte in potentia materiæ : sicut cum ex aere fit ignis, forma aeris non manet, nisi in potentia materiæ : et similiter quando ex albo fit nigrum ; sed in hoc sacramento substantia panis aut vini se habet sicut terminus a quo, corpus autem vel sanguis Christi, sicut terminus ad quem : dicit enim Ambros. in lib. de officiis, ante benedictionem illa species nominatur, post benedictionem corpus significatur ; ergo facta consecratione, substantia panis vel vini non manet, nisi forte resoluta in suam materiam.

Præterea : Oportet alterum contradictorium esse verum : sed hæc est falsa. Facta consecratione, substantia panis, vel vini est aliquid : ergo hæc est vera, substantia panis, vel vini est nihil.

Sed contra est, quod August. dicit in libro 83 quæst. Deus non est causa tendendi in non esse : sed hoc sacramentum divina virtute perficitur : ergo in hoc sacramento non annihilatur substantia panis aut vini.

Respondeo : Dicendum, quod quia substantia panis, vel vini non manet in sacramento, quidam impossibile reputantes, quod substantia panis, vel vini in corpus, vel sanguinem Christi convertatur, posuerunt, quod per consecrationem substantia panis, vel vini, vel resolvitur in præjacentem materiam, vel quod annihiletur. Præjacens autem materia, in quam corpora mixta resolvi possunt, sunt quatuor elementa : non enim potest resolutio fieri in materiam primam, ita quod sine forma esse non potest. Cum autem post consecrationem, nihil sub speciebus sacramenti remaneat, nisi corpus, et sanguis Christi, oportebat dicere, quod elementa, in quæ resoluta est substantia panis, et vini, inde discedat per motum localem, quod sensu perciperetur. Similiter etiam substantia panis, vel vini manet usque ad ultimum instans consecrationis. In ultimo autem instanti consecrationis jam est ibi substantia corporis, vel sanguinis Christi : sicut in ultimo instanti generationis, jam inest forma : unde non erit dare aliquod instans, in quo sit ibi præjacens materia : non enim potest dici, quod paulatim substantia panis, vel vini résolvatur in præjacentem materiam, vel successive egrediatur de loco specierum : quia si hoc inciperet fieri in ultimo instanti suæ consecrationis, simul sub aliqua parte hostiæ esset corpus Christi cum substantis panis, quod est contra prædicta : si vero hoc incipiat fieri ante consecrationem, erit dare aliquod tempus, in quo sub aliqua parte hostiæ neque erit substantia panis, neque erit corpus Christi, quod est inconveniens Et hoc ipsimet perpendisse videntur, unde posuerunt aliud sub disjunctione, scilicet vel quod annihiletur vel quod in præjacentem materiam resolvatur : sed nec hoc potest esse, quia non est dare aliquem modum, quo corpus Christi verum esse incipiat in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum, quæ quidem conversio tollitur posita vel annihilatione substantiæ panis, vel resolutione in præjacentem materiam : similiter etiam non est dare, unde talis resolutio, vel annihilatio in hoc sacramento causetur, cum effectus sacramenti significetur per formam : neutrum autem horum, significatur per hæc verba formæ, hoc est corpus meum. Unde patet prædictam positionem esse falsam.

Ad primum ergo dicendum, quod substantia panis, aut vini facta consecratione, neque sub speciebus sacramenti manet neque alibi ; non tamen sequitur, quod annihiletur, convertitur enim in corpus Christi : sicut non sequitur, si aer ex quo generatus est ignis, non sit ibi, vel alibi, quod sit annihilatus.

Ad secundum dicendum, quod forma, quæ est terminus a quo, non convertitur in aliam formam, sed una forma succedit alteri in subjecto, et ideo prima forma non remanet nisi in potentia materiæ : sed hic, substantia panis convertitur in corpus Christi, ut supra dictum est ; unde ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quod licet post consecrationem hæc sit falsa : Substantia panis est aliquid, id tamen in quod substantia est conversa, est aliquid : et ideo substantia panis non est annihilata.

Conclusio *est negativa.*

Quamvis post considerationem materiæ sacramenti, quam præmisit D. Thomas in quæst. immediate præcedenti, rectus ordo postulare videbatur, ut immediate ageret de forma prædicti sacramenti : nihilominus hanc considerationem remisit ad quæst. 78. Nec ita se gessit absque necessitate, et optima ratione : quia circa hujus sacramenti materiam plurima occurrunt, quæ exposcunt speciales controversias, utputa, quid fiat de tali materia ; qua ratione ejus accidentia remaneant, patiantur, et operentur ; quo modo Christus sub eis accidentibus existat, et similia : pro quibus dilucidandis opus habuit S. Doctor proponere quæst. 75 et 76 et 77, priusquam ageret de Eucharistiæ forma. Quam methodum eadem necessitate obligati curabimus observare. Et ideo sit

Ordo D. Thomæ.

DISPUTATIO V.

De conversione panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi.

Non ad id disputationem hanc aperimus, ut ostendamus substantiam panis, et vini converti in corpus, et sanguinem Christi,

ita quod talis substantia, vel aliquid ejus substantiale non maneat sub accidentibus, sive speciebus Eucharistiæ, sed solus Christus : nec ut ostendamus talem conversionem (quam Ecclesia transsubstantiationem appellat efficaciter colligi ex verbis formæ : nam hæc omnia satis constant ex dictis disp. 1, cap. 2. Sed his veritatibus suppositis, ad id disputatio deserviet, ut explicet modum, conditiones, et terminum talis conversionis. Pro cujus luce primo loco discutiendum est.

DUBIUM I.

Utrum substantia panis, et vini in hoc sacramento desinat esse per annihilationem?

Quia conversio panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi, sive mirabilis, quæ in Eucharistia contingit transsubstantiatio, importat duos terminos, unum scilicet, qui destruitur, nempe substantiam panis, et vini; et alterum, qui acquiritur sive de novo præsens fit, videlicet corpus, et sanguinem Christi : et quia ordine generationis prior est terminus, qui destruitur, quam terminus, qui de novo acquiritur, sive producitur : propterea prius investigamus modum, quo substantia panis, et vini desinat esse in hoc sacramento. Revocaturque præcipua difficultas ad modum annihilationis. Est autem annihilatio mutatio, sive transitus rei de esse ad non esse simpliciter : sicut enim creatio est transitus rei de non esse simpliciter, sive de nihilo sui ad esse ; ita viceversa annihilatio, quæ est mutatio creationi opposita, importat transitum de esse ad non esse simpliciter, sive ad nullo modo esse. Et id sufficit rudi Minerva nunc supponere : quia exactior annihilationis notio ex ipsis dicendis magis constabit.

§ I.

Præfertur vera, et communis Divi Thomæ sententia.

Assertio 1. Dicendum est substantiam panis, et vini in Eucharistia non desinere esse per annihilationem : sive, et in idem redit, desitionem panis, et vini, quæ in hoc sacramento contingit, annihilationem non esse. Sic aperte resolvit D. Thom. in præsenti art. 3, et lib. 4, *sentent.* dist. 11, D. Tho.
quæst. 1, art. 2. in corp. et ad 3, et 4. Cui subscribunt unanimiter discipuli, Capreolus, et Paludanus dist. cit. Soto dist. 9, quæst. 2, art. 4, Cajetanus in præs. art. 3, ubi etiam Nugnus difficult. unica, Arauxo dub. unico, Gonet disp. 4, art. 4, Contenson dissert. 1, cap. 2, speculat. 3, § *Respondeo inter Theologos*, et alii Thomistæ. Idem etiam docent Hugo Victorinus lib. 2, *de sacramentis*, parte 8, cap. 9, Innocentius Tertius lib. 4, *de Missa* cap. 20, Altisiodorensis lib. 4 *summæ*, tract. 5, cap. 2, Alensis 3 parte, quæst. 38, memb. 3, Henricus quodlib. 9, quæst. 9, et quodlib. 11, quæst. 4, B. Albertus, D. Bonaventura, et Richardus in 4, dist. 11, ubi id ipsum docet Magister, Becanus, cap. 18, quæst. 5, Suarez disp. 50, sect. 7, Vasquez disp. 183, cap. 2, Gaspar Hurtado disp. 4, difficult. 12, Lugo disp. 7, sect. 12, Trullench. lib. 3, cap. 4, dub. 1, num. 7, et alii plurimi.

Capreol. Palud. Soto. Cajet. Nugnus. Arauxo. Gonet. Contens. Hugo. Victor. Innoc. III. Altisiod. Alensis. Henr. c. D. Alb. D. Bon. Richard. Becanus. Suarez. Vazquez. Lugo. Hurtad. Trullen.

Prima ratio. Probatur primo ratione D. Thomæ in arg. *Sed contra* : quia, ut affirmat D. Augustin. lib. 83 quæstionum, quæst. 21, Deus non est causa tendendi in non esse : sed hoc sacramentum est opus divinæ virtutis : ergo in illo substantia panis, et vini non annihilatur. Quod amplius declaratur, et fulcitur : quia Deus de facto nullam rem annihilavit in ordine vel naturæ, vel gratiæ : ergo dicendum non est, quod substantia panis, et vini in hoc sacramento desinant esse per annihilationem. Consequentia probatur : nam cum simus in quæstione facti circa modum, quo substantia panis, et vini desinit esse in hoc sacramento : congruum rationi est, ut attendamus ad modum, quo cæteræ hujus mundi res desinunt esse : quare si constat Deum nullam aliam rem hactenus annihilasse ; oportet quod ab hac regula non excipiamus hujus sacramenti materiam, attribuendo illi eum desitionis modum, quem Deus hactenus in nullis aliis rebus exercuit. Antecedens autem suadetur : tum quia Adversarii nequeunt ullam rem assignare, quam Deus per annihilationem destruxerit : ergo ita res se habet. Tum etiam quia ex rebus ordinis naturalis aliquæ sunt immateriales, ut Angeli : et manifestum est istas in suo primo esse persistere. Aliæ sunt materiales, sed incorruptibiles, ut corpora cœlestia : et istæ etiam in suo esse permanent. Aliæ vero sunt corruptibiles, ut corpora sublunaria : et istæ quidem aliquando destruuntu

tur saltem secundum partes ; sed tamen remanet illarum materia : atque ideo non rediguntur in nihil, nec desinunt esse per annihilationem, sed per corruptionem, aut resolutionem ad primum subjectum. Porro ea, quæ pertinent ad supernaturalem ordinem, sunt præcise accidentia, vel ad summum aliqui modi substantiales ; (repugnat enim dari substantiam, sive naturam entitative supernaturalem:) accidentia autem, et modi non desinunt esse per annihilationem, sed per resolutionem ad subjectum, ex cujus potentia educuntur : sicut ob eandem rationem talia accidentia, et modi non fiunt per creationem, sed per eductionem a subjecto, cui insunt. Ex omnibus itaque rebus ordinis, vel naturæ, vel gratiæ nulla hactenus destructa est per annihilationem. Tum denique suadetur idem antecedens

D. Tho. generali motivo, quod proposuit D. Thom. 1 p. quæst. 104, art. 4, his verbis : « Redigere aliquid in nihilum, non pertinet ad « gratiæ manifestationem : cum magis per « hoc divina potentia, et bonitas ostendatur, « quod res in esse conservet : unde simpliciter dicendum est, quod nihil omnino « in nihilum redigitur. » Intendit namque Deus sua providentia, et rerum gubernatione manifestare suam omnipotentiam, et magnificentiam ; istæ autem manifestantur per esse, et conservationem creaturarum : unde si Deus aliquid annihilaret, (ut quidem potest,) suæ intentioni, quam de facto habet, aliquomodo contradiceret.

Fulcitur. Declaratur ulterius vis præmissi fundamenti ; quoniam si substantia panis, et vini in Eucharistia desineret per annihilationem, ut Adversarii affirmant ; plures etiam aliæ res desinerent per annihilationem : consequens est falsum, ut constat ex immediate dictis: ergo dici non debet substantiam panis, et vini desinere per annihilationem in hoc sacramento. Probatur sequela : nam Adversarii ideo dicunt substantiam panis, et vini in hoc sacramento annihilari, quia ita destruitur, quod nihil ejus manet : sed plura sunt, quæ ita desinunt esse, ut nihil eorum maneat: sic enim cum gratia sanctificans destruitur, nihil ejus relinquitur et cum aliqui actus intellectus, et voluntatis cessant, nihil illorum manet : ergo si substantia panis, et vini in hoc sacramento desinunt esse per annihilationem, sequitur plures alias res annihilari, sive in nihilum redigi.

2. Secundo probatur ratione D. Thomæ in corp. art. quoniam substantia panis, et vini per consecrationem convertitur, sive transsubstantiatur in corpus, et sanguinem Christi : ergo substantia panis, et vini per conversionem non annihilatur. Antecedens est de fide, et diffinitum ab Ecclesia, ut constabit ex dicendis dub. seq. Consequentia autem probatur : nam de ratione annihilationis est, quod terminetur ad nihil, sive ad non esse simpliciter ; de ratione autem conversionis est, quod terminetur ad esse aliquid positivum : sed implicat eandem rei desitionem terminari ad nihil, sive non esse simpliciter, et simul terminari ad aliquid positivum, cum inter hujusmodi terminos inveniatur formalis, aut virtualis contradictio : ergo si substantia panis, et vini per consecrationem convertitur in corpus, et sanguinem Christi ; impossibile est substantiam panis, et vini per consecrationem annihilari. Ratio secunda.

Confirmatur, et explicatur primo : quia si substantia panis, et vini annihilaretur per consecrationem ; talis substantia non converteretur in corpus, et sanguinem Christi : consequens est contra fidem : ergo antecedens est omnino falsum. Sequela ostenditur: nam quod annihilatur, desinit in purum nihil; et quod convertitur in aliud, non desinit in purum nihil, sed desinit in aliquid positivum, illud scilicet, in quod convertitur, ut ex ipsis terminis liquet: impossibile autem est illud, quod desinit in purum nihil, desinere in aliquid positivum; siquidem manifestum est purum nihil non esse aliquid positivum : ergo si substantia panis, et vini per conversionem annihilaretur, talis substantia per consecrationem non converteretur in corpus, et sanguinem Christi. Confirmatur secundo, et declaratur amplius : nam quod ita desinit, ut transeat ab esse unum ad esse aliud, non desinit per annihilationem ; quippe annihilatio est transitus ab esse simpliciter ad non esse simpliciter ; sicut e converso creatio est transitus a non esse simpliciter ad esse simpliciter ; sed substantia panis in hoc sacramento ita desinit, quod transit ab esse unum ad esse aliud : siquidem desinit per hoc quod convertitur in corpus, et sanguinem Christi : ergo substantia panis, et vini ita in hoc sacramento desinit esse, quod tamen non annihilatur. Confirmatio. Alia.

3. Communis Adversariorum responsio Effugium.

est in consecratione, atque conversione, de quibus loquimur, distinguendas esse duas mutationes : quarum una est transitus de non esse corpus Christi sub speciebus ad esse corpus Christi præsens sub speciebus: altera vero est transitus substantiæ panis, et vini ab esse simpliciter ad non esse simpliciter. Ex quibus hæc posterior mutatio est annihilatio prædictæ substantiæ ; cum nihil ejus relinquat in rerum natura. Sed nihilominus conversio datur, et dicitur actio positiva : quia complectitur priorem mutationem, quæ ad corpus Christi terminatur : et sic adæquate sumpta est transitus de uno termino positivo in alium, nempe ab esse substantiæ panis ad esse substantiæ corporis Christi.

Confutatur. Sed prædicta responsio minime satisfacit. Primo quidem, nam licet in generatione, et corruptione substantiali dentur duæ mutationes reales, et quatuor termini ; occurrit enim et transitus de non esse formæ uniendæ ad esse illius, et transitus de esse formæ præexistentis ad non esse illius : eo quod esse formæ compositi corrumpendi non conducit per se ad esse formæ genitæ, sed potius est impedimentum, ut introducatur : quocirca exclusio formæ præexistentis, et mutatio ad id requisita, nempe corruptio, debent præcedere in genere causæ materialis introductionem formæ genitæ, sive generationem totius: et consequenter necessarium sit admittere ibidem duas mutationes realiter diversas. Nihilominus in mirabili conversione panis in corpus Christi res aliter omnino se habet : non enim oportet admittere in illa duas mutationes realiter distinctas, sed sufficit ut mutatio una realiter formaliter, licet virtualiter, aut æquivalenter sit duplex. Et ratio est: nam cum panis ex divina ordinatione deserviat, et ordinetur ad corpus Christi sicut ad terminum, in quem convertatur ; eadem mutatio, quæ primario et formaliter terminatur ad corpus Christi, secundario, et ex consequenti terminatur ad non esse panis in se : et ideo una simplex realiter mutatio procedit a termino *quo* positivo in terminum *qui* positivum : nempe a pane in corpus Christi. Si autem res ita se habet, nulla occurrit mutatio, quæ habeat pro termino primario non esse panis; et subinde nulla est, quæ appellari valeat annihilatio. Quam doctrinam fusius expendit Nugnus loco cit. in respons. ad 5.

Impugnatur amplius. Sed evertitur evidentius eadem responsio secundo : quoniam licet in conversione panis in corpus Christi dentur duæ mutationes reales, ut in ea solutione significatur ; nihilominus mutatio negativa ab esse panis ad non esse panis habet per se connexionem cum mutatione positiva a non esse corporis Christi sub speciebus ad esse corporis Christi sub speciebus : sed eo ipso prior mutatio non est annihilatio : ergo substantia panis in hoc sacramento non desinit per annihilationem. Consequentia patet. Et major est certa : quia mutationes non habentes connexionem inter se nequeunt constituere unam conversionem, sed pure disparate se habent tam inter se, quam comparative ad illam : sed prædictæ duæ mutationes constituunt unam conversionem, ut in hac ipsa responsione supponitur, et necessario dicendum est : ergo mutatio negativa, sive transitus de esse panis ad non esse panis habet per se connexionem cum mutatione positiva, sive cum transitu de non esse corpus Christi ad esse corpus Christi sub speciebus. Minor denique ostenditur : quoniam annihilatio nullam habet connexionem vel cum termino positivo, vel cum actione inducente terminum positivum ; siquidem annihilatio est mera, ac simplex rei desitio, quæ terminatur ad non esse simpliciter : ergo si desitio panis ita terminatur ad non esse panis, quod nihilominus habet per se connexionem cum actione, et mutatione positivis, per quas corpus Christi sub speciebus constituitur ; plane sequitur desitionem panis non esse annihilationem Quæ doctrina explicari, et roborari valet exemplo corruptionis formæ præexistentis : nam licet talis corruptio sit quædam mutatio ad non esse talis formæ, non propterea est annihilatio : quoniam ita terminatur ad non esse, ut simul habeat per se connexionem cum mutatione positiva terminata ad esse formæ genitæ : et talis connexio aliena prorsus est ab annihilatione, quæ cum sit mera rei desitio, ad solum, et purum non esse rei terminatur.

Continuatur impugnatio. Confirmatur manifestando inconsequentiam prædictæ responsionis : quoniam si desitio panis esset annihilatio ; ex desitione panis, et positione corporis Christi sub accidentibus non consurgeret una actio conversiva, sive una conversio totalis panis in corpus Christi : sed datur talis actio, et conversio,

et conversio, ut prædicta responsio concedit: ergo vel talis responsio sibi non constat, vel fateri oportet desitionem panis non esse annihilationem. Probatur sequela: nam mutationes pertinentes ad unam actionem, et ad conversionem totalem debent habere connexionem, ita quod una alteram inferat, vel ad ipsam sequatur, ut patet in mutationibus corruptionis, et generationis pertinentibus ad unam actionem generativam, qua compositum fit: sed si desitio panis esset annihilatio, nullam haberet connexionem cum positione corporis Christi sub speciebus: quippe posset prædicta substantia simpliciter annihilari, quamvis corpus Christi sub speciebus non constitueretur, nec ulla ibi vel productio, vel conversio interveniret: ergo si desitio panis est annihilatio; sequitur ex desitione panis, et positione corporis Christi sub speciebus non consurgere unam actionem conversivam, sive unam conversionem totalem. Unde conciliari posse non videtur, quod panis annihiletur, ut docent Adversarii, et quod per consecrationem convertatur in corpus Christi, ut docet fides.

Tertium pro assertione motivum. 4. Ultimo probatur conclusio alia ratione D. Thomæ in fine corporis: nam sicut generale est, quod effectus sacramentorum significentur per horum formas; sic quod fit, et contingit in hoc Eucharistiæ sacramento, debet per ejus formam significari: sed panem annihilari non significatur per formam hujus sacramenti, *Hoc est corpus meum*: ergo panis per consecrationem non annihilatur; nec in hujus sacramenti forma habemus fundamentum id asserendi.

Præciditur fuga. Nec refert, si dicatur, quod in forma hujus sacramenti non significatur desitio panis, aut ejus conversio: et tamen affirmamus panem desinere per conversionem in corpus Christi. Id, inquam non refert: quoniam conversio panis in corpus Christi satis evidenter significatur in prædictæ formæ verbis, atque ex eisdem efficaciter colligitur, ut ostendimus disp. 1, cap. 2, et constat ex Concilio Tridentino sess. 13, cap. 4, ubi ait: « Quoniam Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit: ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo hæc sancta Synodus declarat per consecrationem panis, et vini conversionem fieri totius panis in substantiam corporis Domini nostri etc. » Et ratio est: quoniam veritas, et proprietas verborum formæ, *Hoc est corpus meum* salvari nequit, nisi substantia panis in corpus Christi convertatur, et transeat: quippe pronomen *Hoc* significat contentum sub illis numero accidentibus, quod ante consecrationem non est corpus Christi, esse corpus Christi in fine prolationis verborum, ut enim optime tradit Divus Thomas infra quæst. 78, art. 5, in prædicta propositione: «Non præsupponitur ex parte subjecti illud, quod est terminus conversionis, scilicet quod corpus Christi sit corpus Christi; neque etiam illud, quod fuit ante conversionem, scilicet panis: sed id, quod communiter se habet quantum ad utrumque, scilicet contentum in generali sub istis speciebus. Non enim faciunt hæc verba, quod corpus Christi sit corpus Christi; neque quod panis sit corpus Christi: sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi. » In hoc autem sensu satis aperte significatur panem transubstantiari, sive converti in corpus Christi: minime autem significatur, quod annihiletur, sed magis significatur oppositum: quippe minime cohærent panem annihilari, et panem in corpus Christi converti, ut supra arguebamus. Unde venerabilis Doctor N. Waldensis tomo 2, cap. 68, refert hæreticos impugnantes mirabilem hanc conversionem eo præsertim familiari argumento contra Catholicos uti, quod substantia panis, et vini (ut nos concedimus) desinit totaliter; ac perinde (subinferunt illi), annihilatur: quod autem annihilatur, nequit vere in aliud converti.

Concil. Trident. D. Tho. N. Wal.

§ II.

Convelluntur motiva sententiæ contrariæ.

5. Oppositam sententiam tuentur Scotus in 4, disp. 11, quæst. 4, circa medium, et omnes ejus discipuli, ut testatur Arauxo ubi supra numero 7, Ochamus ibidem quæst. 6, dub. 7, Major quæst. 1, Gabriel quæst. 1, et in can. lect. 40, Angelus verbo *Eucharistia*, numero 31, et alii. Præcipuum eorum fundamentum est: nam quod ita desinit esse, quod nihil ejus maneat, annihilatur: sed substantia panis, et vini sic per consecrationem desinit esse, quod nihil ejus manet: ergo substantia panis, et vini

Scotus. Ochamus. Major. Gabriel. Angelus.

Primum argumentum. per consecrationem annihilatur. Probatur major : nam quod desinit, et transit in nihil, annihilatur; siquidem proprius terminus annihilationis est nihil : sed illud, quod ita desinit esse, quod nihil ejus maneat, desinit, et transit in nihil, ut ex ipsis terminis constat : ergo illud, quod ita desinit esse, quod nihil ejus manet, annihilatur.

Confirmatio. Confirmatur : nam annihilatio per hoc contingit, quod Deus suspendat concursum, quo prius rem in suo esse conservabat; sed substantia panis, et vini desinit esse in hoc sacramento per suspensionem divini concursus illam prius conservantis : ergo prædicta substantia desinit in hoc sacramento per annihilationem. Minor constat : nam posita materiæ consecratione, Deus desinit conservare prædictam substantiam : ergo suspendit concursum conservativum illius.

Aliquorum responsio. Ad hoc argumentum sunt, qui respondeant concedendo majorem, et negando minorem : quia censent substantiam panis, et vini ita per consecrationem destrui, quod nihilominus aliquid ejus remanet. Unde non sequitur, quod annihiletur : sed magis infertur oppositum retorquendo argumentum : nam quod ita destruitur, ut tamen aliquid ejus maneat, non annihilatur. In declarando autem, quid prædictæ substantiæ remaneat, variant hujus responsionis patroni. Et quidem Durandus affirmat manere materiam primam panis, et vini informatam anima rationali Christi, et unitam ipsius corpori : subjungitque, quod si nihil substantiæ panis maneret, talis substantia desineret proprie per annihilationem : in quo saltem sub conditione sententiæ Scoti subscribit. Godofredus autem asseruit manere subsistentiam panis, et vini : ex qua horum accidentia habent esse per se. Alii vero, quorum sententiam Banez aliquando, censuit probabilem. dixerunt remanere existentiam prædictæ substantiæ : nam opinantur accidentia non habere aliam existentiam, quam subjecti, vel substantiæ, cui insunt : unde cum accidentia eucharistica existant, fateri oportet, quod retinent existentiam substantiæ. Denique omnes confitemur, et ad sensum recognoscimus, quod remanent accidentia propria panis, et vini. Et hinc aliqui probant substantiam panis, et vini non annihilari, siquidem manet aliquid ejus. Ita Martinus de Ledesma in 1, parte 4, quæst. 16, art. 4, cui postea subscripsit Suarez ubi supra. Quorum sententia, et responsio suaderi potest : nam D. Thomas loco supra cit. 1 part. in resp. ad 3, affirmat accidentia, quando desinunt in subjecto, non annihilari, non quia remaneat aliqua eorum pars, sed quia remanet aliquid eorum, nempe subjectum, et quia manent in potentia materiæ : sed quando destruitur per consecrationem substantia panis, et vini, licet non remaneat aliqua ejus pars aut modus intrinsecus : remanet tamen aliquid ejus, nempe accidentia, in quibus quasi virtualiter existit : ergo hac via optime salvatur, quod desitio panis, et vini per consecrationem non est annihilatio. D. Tho.

6. Sed prædicta responsio est insufficiens, et quod attinet ad sententiam Durandi, Godofredi, et aliquorum apud Banez, evertitur unico, sed satis efficaci motivo : nam Concilium Tridentiuum sess. 13, cap. 4, et can, 2, statuit in Eucharistia fieri conversionem totius substantiæ panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi, remanentibus dumtaxat speciebus, sive accidentibus panis, et vini : ergo quidquid est substantiale, et contra prædictas species, sive accidentia distinguitur, desinit esse per consecrationem : sed manifestum est materiam primam, subsistentiam, et existentiam substantiæ esse aliquid substantiale, et distingui ab accidentibus panis, et vini : ergo nulla ratione dici valet, quod vel materia, vel subsistentia, vel existentia panis, et vini maneat in Eucharistia post consecrationem : atque ideo prædicta via salvari non valet, quod maneat aliquid substantiæ panis, et vini ; et quod subinde non cadat in nihilum, nec annihiletur : quod tamen hæc responsio vitare curabat. Accedit omnes illos dicendi modos esse in singulari falsos ob specialia motiva. Nam si materia panis, et vini, destructa horum forma, informatur anima rationali Christi, et unitur ejusdem corpori, ut comminiscitur Durandus ; plane sequitur, quod per consecrationem substantia panis, et vini non transsubstantietur, aut convertatur in corpus, et sanguinem Christi ; sed ibi detur generatio, vel aggeneratio substantialis : sicut cum materia alimenti unitur alito per nutritionem : id vero est contra doctrinam Ecclesiæ confitentis, et prædicantis mirabilem in hoc sacramento transsubstantiationem, sive conversionem totalem Refellitur ea responsio. Concil. Trident.

totalem. Quod vero attinet ad subsistentiam; hæc est actus metaphysicus naturæ substantialis, quam terminat: unde nequit sine illa reperiri saltem naturaliter, et citra miraculum: nulla autem occurrit necessitas istud introducendi: ergo destructa substantia panis, et vini, non relinquitur eorum subsistentia. Eo vel maxime quod subsistentia præstat perseitatem positivam, quæ excludit inhærentiam tam actualem quam aptitudinalem: accidentia autem sunt incapacia hujus perseitatis: quare species sacramentales non subsistunt per se positive, sed tantum negative et cum aptitudine ad inhærendum: unde pro eorum conservatione minime desideratur, nec servire valet subsistentia ex pane, et vino relicta. Per quod etiam excluditur, quod dicebatur de existentia substantiæ: nam substantia, et accidens habent diversas realiter existentias, utpote cum illas respiciant tanquam actus proprios, et ad eosdem ordines cum ipsis pertinentes: unde licet accidentia eucharistica existant, non tamen per existentiam substantiæ, quæ re ipsa est quidam actus substantialis; sed per existentiam sibi propriam, quam habebant in toto, et quæ est quidam actus accidentalis.

Refellitur amplius. Verosimilior apparebat ultimus dicendi modus: sed tamen et ille ruinosus est, et corruit omnino. Tum quia accidentia non solum distinguuntur a substantia panis, et vini, sed sunt eidem prorsus quid extrinsecum, utpote cum nec partes, nec modi ejus sint: ergo quod perseverent talia accidentia, minime sufficit ad vitandum, quod prædicta substantia, si tota, et adæquate desinit esse, in nihilum redigatur. Quare sicut homo vestitus posset annihilari, licet manerent ejus vestes; quia istæ distinguuntur ab homine, et sunt quid extrinsecum respectu illius: sic etiam substantia potest annihilari, quamvis maneant ejus accidentia. Tum etiam quia quod desinit esse per solam, et unicam suspensionem divini concursus, absque ulla actione positiva, desinit per annihilationem, et vere annihilatur: sed substantia panis, et vini posset desinere esse per solam, et unicam suspensionem divini concursus absque ulla actione positiva; licet ejus accidentia remanerent: ergo in tali casu annihilaretur, manentibus ejus accidentibus: ergo quod prædicta accidentia de facto maneant, minime vitat, quin destructio panis, et vini sit annihilatio. Tum denique quia si Deus, (ut quidem potest) totam substantiam panis, et vini produceret sub accidentibus eucharisticis; productio talis substantiæ foret creatio, siquidem esset productio substantiæ ex nihilo, sive ex nullo subjecto præsupposito: ergo licet maneant accidentia, si tota substantia destruitur usque ad primum subjectum, sive nihilo remanente, talis destructio erit annihilatio: ista namque ita proportionabiliter contingit sicut illa: atque ideo quod accidentia panis, et vini maneant, non probat destructionem talis substantiæ non esse annihilationem.

Id vero, quo prædicta responsio fulciebatur, illi non favet ob satis manifestam disparitatem: quoniam sicut ad creationem requiritur, quod res fiat ex nullo præsupposito subjecto; sic etiam ad annihilationem desideratur, quod res non resolvatur in aliquod subjectum remanens. Sicut enim quod fit ex subjecto præsupposito, non fit ex nihilo sui, sed ex se ipso prout prius existente in potentia subjecti; sic etiam quod resolvitur in subjectum manens, non cadit in nihilum, sed in se ipsum prout contentum in potentia subjecti: unde sicut prior mutatio non est creatio, sed generatio, vel eductio; sic posterior mutatio non est annihilatio, sed corruptio, et resolutio. Quare ubi accidentia desinunt esse in subjecto, sive relinquendo suum non esse in subjecto, non annihilantur, sed corrumpuntur, ut merito affirmat D. Thom. loco cit. Sed cum substantia destruitur usque ad primum subjectum, sive nullum subjectum relinquendo, parum, vel nihil refert, quod maneant substantiæ accidentia, ne illa dicatur annihilari; siquidem vel accidentibus permanentibus verum est talem substantiam non manere in se, nec in subjecto, sed nec in actu, nec in aliqua potentia reali: atque ideo abire in nihilum. Et quod accidentia sint effectus substantiæ, in quibus ipsa quasi virtualiter perseverat, minime refert: alias pater, qui genuit filium, in quo ipse quasi virtualiter manet, non posset vivente filio annihilari: et homo, ex quo decisum est semen, non posset, manente semine, annihilatione destrui: quod est evidenter falsum. Et ratio generalis est accidentia, filium, et semen esse simpliciter quid extrinsecum

respectu substantiæ, et panis, et generantis: atque ideo illorum conservatio minime vitat, quod ista destruantur secundum omnia sua, et dicantur simpliciter in nihilum abire.

Legitima argumenti solutio. 7. Rejecta itaque prædicta responsione, aliter argumentum diluendum est fatendo plane nihil manere substantiæ panis, et vini, quæ in corpus, et sanguinem Christi convertitur. Respondemus ergo distinguendo propositionem, quæ in majori assumitur : « Quod ita desinit esse, ut nihil « ejus maneat, annihilatur, » si desitio terminetur ad purum nihil, concedimus : si desitio terminetur ad aliquid positivum, negamus : et deinde concessa minori, negamus absolute consequentiam. Et ad probationem majoris dicendum est terminum primarium desitionis substantiæ panis, et vini non esse merum nihil ejusdem substantiæ; sed esse substantiam corporis, et sanguinis Christi, in quam prior illa convertitur. Unde minime sequitur desitionem substantiæ panis, et vini, quamvis nihil ejus maneat, esse annihilationem. Cujus responsionis doctrina, et motiva constant ex his, quæ proposuimus in secundo fundamento nostræ assertionis, quin opus sit

D. Tho. alia adjicere. Illam autem docet D. Thom. in præs. artic. 3, ad 1, illis verbis : « Dicendum, quod substantia panis, vel vini « facta consecratione neque sub speciebus « sacramenti manet, neque alibi. Non ta« men sequitur, quod annihiletur : con« vertitur enim in corpus Christi. » Et ad 3 : « Licet post consecrationem hæc sit « falsa : substantia panis est aliquid : id « tamen, in quod substantia panis est con« versa, est aliquid. Et ideo substantia « panis non est annihilata. » Et loco supra cit. ex 4 sent. in resp. ad 3, inquit : « Quamvis panis non sit aliquid, tamen « illud in quod conversus est panis, est « aliquid, conversione facta : et ideo non « sequitur, quod panis sit annihilatus. » Et ad 4 : « Quamvis non maneat panis ne« que in se, neque in alio : manet tamen « corpus Christi, in quod conversus est « panis : et ideo non sequitur, quod sit an« nihilatus. »

Diluitur confirmatio. Unde ad confirmationem respondemus annihilationem esse quidem suspensionem divini concursus puram, et nudam; non autem suspensionem, quæ inducat terminum positivum, sive quæ ita destruit unum terminum *a quo*, ut subroget alium terminum positivum *ad quem :* quippe ut proxime dicebamus terminus proprius annihilationis non est aliquid positivum, sed merum nihil rei præexistentis. Cum autem substantia panis, et vini desinat per conversionem ejus in corpus, et sanguinem Christi, ut fides docet : et conversio vel sit una simplex mutatio positiva a pane in corpus Christi : vel saltem sit una actio cum duabus mutationibus inter se connexis, quarum præcipua ad Christi corpus terminatur, ut supra in secundo nostræ assertionis motivo declaravimus: sequitur, quod licet in consecratione interveniat suspensio divini concursus conservantis panem, nihilominus hujus desitio non sit annihilatio Sicut etiam ubi forma corrumpitur, suspendit Deus concursum conservativum illius : et tamen talis formæ destructio non est annihilatio : quia ex vi actionis, qua forma desinit esse, aliquid positivum, et ea actione præcipue intentum inducitur.

8. Arguitur secundo : nam cum annihilatio creationi opponatur, illique correspondeat ; bene sequitur, quod sicut productio entis ex nullo præsupposito subjecto est creatio, sic etiam desitio rei nullo ejus subjecto manente sit annihilatio : atqui substantia panis, et vini sic per consecrationem desinit esse, quod nullum ejus subjectum relinquatur, sed fiat destructio usque ad materiam primam inclusive : ergo desitio panis per consecrationem est annihilatio. Secundum argumentum.

Confirmatur : quia si nunc reproduceretur eadem numero substantia panis, et vini, quæ conversa fuit in corpus, et sanguinem Christi ; talis productio foret creatio, siquidem prædicta substantia fieret ex nihilo sui : ergo destructio talis substantiæ fuit annihilatio. Patet consequentia : nam creatio, et annihilatio sic opponuntur, ut nihilominus sibi correspondeant, et se inferant in modis incipiendi, et desinendi. Confirmatur.

Sed ad hæc facile constat ex hactenus dictis. Unde argumento respondetur majorem quantum ad secundam partem solum verificari, quando desitio rei nullo ejus subjecto manente tendit, et sistit in puro nihilo ; secus autem ubi tendit, et sistit in aliquo positivo. Substantia autem panis, et vini sic destruitur usque ad primum subjectum inclusive, quod nihilominus terminatur Evertuntur.

natur

natur non ad purum nihilum, sed ad corpus Christi factum ex eadem substantia per conversionem. Unde non sequitur, quod destructio substantiæ panis sit annihilatio. Et hinc ad confirmationem dicendum est substantiam panis in corpus Christi conversam posse divinitus dupliciter produci : uno modo per reproductionem, et reconversionem corporis Christi in eandem panis substantiam : alio modo sine hac reconversione, et sine omni alio termino *a quo* positivo : sed simpliciter ex nihilo. Si itaque hoc ultimo modo fieret substantiæ panis reproductio, admittimus fore creationem : secus autem, si fieret priori modo ; quippe in tali casu non fieret ex nihilo simpliciter, quod ad creationem requiritur, sed fieret ex aliquo positivo, nempe ex corpore Christi, vel ex alio. Unde liquet nullam esse hujus confirmationis consequentiam, ejusque probationem : quia desitio panis in consecratione contingens non est comparanda reproductioni panis, quæ foret ex nihilo, sed reproductioni panis, quæ fieret ex corpore Christi : quippe ita se habet conversio panis in corpus Christi, sicut conversio corporis Christi in panem : quare sicut reproductio, aut reconversio a corpore Christi in panem non esset creatio, quia foret a termino positivo *a quo ;* sic etiam conversio panis in corpus Christi non est annihilatio, quia fit ad terminum positivum *ad quem :* non minus autem opponitur annihilationi terminari ad aliquid positivum, quam creationi procedere ab aliquo positivo.

ncidens quæstiuncula.

9. Solent aliqui hoc loco inquirere, an præmissa de annihilatione substantiæ panis, et vini sententia mereatur aliquam censuram ? Ad quod Suarez ubi supra respondet sententiam hujusmodi esse quidem falsam ; sed tamen nulla majori censura dignam : tum quia nititur probabilibus fundamentis : tum quia Innocentius Tertius relatus num. 1, illam appellavit probabilem. Sed aliud est aliorum Doctorum judicium : nam Sotus loco cit. dicit prædictam de annihilatione panis, et vini sententiam « non posse absque errore in fide « sustineri. » Vazquez loco cit. affirmat talem sententiam « favere hæreticis, illis« que arma ministrare » ad destruendum mirabilem conversionem panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi. In quo alludit, ad id, quod ex Venerabili Waldensi dicebamus num. 4. Nugnus loco cit. statuit prædictam sententiam « esse prorsus im« probabilem. » Arauxo loco cit. dicit esse « suo judicio periculosam, » quia sine periculo errandi circa conversionem, quæ fit in hoc sacramento, sustineri non potest. Alii alia proferunt. Sed nos ab his præscindimus tantum asserentes nostram sententiam esse omnino consonam doctrinæ Ecclesiæ circa conversionem substantialem, quæ in hoc sacramento contingit, ut evidentius constabit ex dicendis dub. sequenti. Motiva autem, quibus Suarius confirmavit proprium dictamen, sunt plane levia : nam fundamenta nobis opposita facillime evertuntur, ut constat ex dictis. Et quod Innocentius Tertius eam sententiam vocaverit probabilem, partum refert : quia fuit dictum cujusdam privati Doctoris, cujus auctoritate non magis impedimur, quam Suarii.

Resolutio.

DUBIUM II.

Utrum substantia corporis, et sanguinis Christi fiat realiter præsens in hoc sacramento per veram conversionem panis, et vini in ipsam : et talis conversio sit vera actio?

Vidimus dub. præced. quod panis, et vinum non annihilentur : videndum nunc succedit, quomodo substantia corporis, et sanguinis Christi incipiat esse realiter præsens accidentibus panis, et vini : inde enim pendet perfecta cognitio modi, quo substantia panis, et vini in substantiam corporis, et sanguinis Christi mirabiliter transmutatur. Vocatur autem hic transitus conversio. Unde duo magis principalia occurrunt discutienda : primum an ille transitus, sive successio substantiæ corporis, et sanguinis Christi loco substantiæ panis, et vini, (quam successionem, sive permutationem dari supponimus ex dictis disput. 1, cap. 2), sit vere, et proprie conversio, et rursus an talis conversio sit vere, et proprie actio.

Quid conversionis voce significetur.

10. Pro cujus luce supponendum est, quod in genere loquendo conversio rerum non est aliud, quam transitus unius rei in aliam : idque constat tum ex ipsis terminis, tum ex communi apprehendendi modo. Assignantur autem aliquæ conversionis conditiones. Prima, quod versetur

inter duos terminos positivos, nempe inter rem, quæ sit terminus *a quo*, et rem quæ sit terminus *qui*, vel *ad quem* : nequit enim aliter intelligi transitus rei in aliam : et negatio, vel privatio, cum nihil sit, nequit in aliud transire. Secunda, quod terminus *a quo*, desinat aliquomodo esse, et terminus *ad quem* incipiat aliquomodo esse : si enim omnino se habeant sicut prius, nullum aderit fundamentum, et unum dicatur converti in aliud ; et similiter ut dicatur unam rem fieri ex alia. Tertia, quod detur connexio inter desitionem termini *a quo*, et inceptionem termini *ad quem*, et e converso : quia ut unum dicatur converti in aliud, minime sufficit, quod unum per accidens, et fortuito succedat loco alterius : si enim in eodem instanti, et loco, in quo Deus annihilaret Petrum, produceret Paulum, non propterea diceretur Petrus in Paulum converti, nempe ob defectum connexionis inter mutationes hujusmodi. Solet addi quarta conditio, quod detur aliquod tertium commune utrique extremo, vel per modum subjecti, vel per modum continentis. Sed prædicta conditio non requiritur essentialiter : nam licet in conversione formarum, et accidentium detur subjectum commune ; et licet in conversione Eucharistica detur continens commune, nempe quantitas, sub qua fuit substantia panis, et vini, et deinde est substantia corporis, et sanguinis Christi : nihilominus non implicat, quod tota aliqua substantia adæquate sumpta, id est tam secundum substantialia, quam secundum accidentalia, convertatur in aliam : in quo eventu nihil utrique termino daretur commune vel per modum subjecti, vel per modum continentis, vel alia ratione, ut consideranti constabit. Quo pacto putamus aquam in nuptiis Cana Galilææ conversam in vinum fuisse.

Multiplex conversio. Dividitur autem conversio in substantialem, et accidentalem. Substantialis dicitur, in qua fit transitus ad extremum substantiale, ut cum vinum fit ex aqua : accidentalis autem vocatur, in qua fit transitus ad extremum accidentale, ut quando ex frigido fit calidum. Dividitur deinde conversio in formalem, et totalem. Conversio formalis contingit, quando unum extremum ita transit in aliud, quod remanet idem subjectum utrique extremo commune, et solum fit transitus ab una forma in aliam : sicut quando ex aere fit ignis, et ex frigido fit calidum, ut contingit in omnibus conversionibus naturalibus. Conversio autem totalis contingit, quando unum extremum ita transit in aliud, quod non remanet subjectum utrique extremo commune ; sed totum, quod est in extremo converso tam ex parte formæ, quam ex parte materiæ, transit in aliud, sicut aqua conversa est in vinum in nuptiis Cana Galilææ. Et hæc totalis conversio subterfugit causalitatem cujuscumque agentis naturalis, et fieri tantum potest virtute omnipotentiæ divinæ, sicut proportionabiliter contingit in creatione. Influxus namque cujuscumque agentis naturalis præsupponit subjectum propriæ operationis, et tendit in effectum sub aliqua determinata entis ratione : in conversione autem totali non præsupponitur subjectum actionis nec ista tendit in effectum sub aliqua ratione determinata, sed sub communissima ratione entis utrique extremo, (licet sint inter se dissimilia, et contraria), communis : unde prædicta conversio nequit fieri virtute principalis agentis particularis, sed solius Dei omnipotentis, qui agit independenter a subjecto, et respicit universalissimam entis rationem. His suppositis circa aliqualem conversionis notitiam

§ I.

Resolvitur prima ex propositis difficultatibus.

11. Dicendum est primo substantiam corporis, et sanguinis Christi fieri realiter præsentem in hoc sacramento per conversionem veram sive proprie dictam substantiæ panis, et vini in prædictam Christi substantiam. Hæc conclusio quantum ad illam partem, quæ asserit substantiam corporis, et sanguinis Christi fieri, et esse realiter præsentem in hoc sacramento, est immediate de fide, ut contra Calvinum, et alios hæreticos prædictam præsentiam negantes ex professo ostendimus disp. 1, cap. 1. Et quantum ad illam partem, quæ asserit substantiam corporis, et sanguinis Christi fieri in hoc sacramento realiter præsentem per conversionem, sive transitum substantiæ panis et vini in prædictam Christi substantiam, est etiam immediate de fide, ut contra Lutherum, et asseclas, (qui concedentes Christum esse realiter in Eucharistia Prima conclusio.

ristia

ristia præsentem, negant id contingere per conversionem substantiæ panis, et vini, sed contendunt hanc simul consistere cum substantia corporis et sanguinis Christi), ex professo etiam ostendimus disp. cit. cap. 2. Unde hoc loco solum nobis incumbit probare partem principaliter intentam, (quæ est communis inter Theologos, licet diversimode illam explicent, ut ex dicendis constabit), nempe mutationem, transusbstantiationem vel conversionem substantiæ panis, et vini in substantiam corporis, et sanguinis Christi esse conversionem veram, et proprie dictam.

Primum fundamentum. Et probatur efficaciter ab auctoritate : nam in primis Berengarius (de quo plura diximus locis proxime relatis) in Concil. Romano sub Gregorio Septimo, errorem, quo transsubstantiationem negaverat jussu Concilii retractavit his verbis : « Corde « credo, et ore confiteor panem, et vinum, « quæ ponuntur in altari, per mysterium « sacræ orationis, et verba nostri Redemp- « toris substantialiter converti in veram, « ac propriam, et vivificam carnem Jesu « Christi, etc. » Et in Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio diffinitum est « pa- « nem et vinum transsubstantiari in corpus, « et sanguinem Christi. » Deinde Concilium Tridentinum expressius adhuc propter exortas hæreses rem hanc declaravit sess. 13, cap. 4, ubi hæc habet : « Quoniam au- « tem Christus Redemptor noster corpus « suum id, quod sub specie panis offerebat, « vere esse dixit : ideo persuasum semper « in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo « sancta hæc synodus declarat per conse- « crationem panis, et vini conversionem « fieri totius substantiæ panis in substan- « tiam corporis Christi Domini nostri, et « totius substantiæ vini in substantiam san- « guinis ejus : quæ conversio convenienter, « et proprie a sancta catholica Ecclesia « transsubstantiatio est appellata. » Et can. 2 ejusdem sess. diffinivit : « Si quis dixe- « rit in sacrosancto Eucharistiæ sacra- « mento remanere substantiam panis, et « vini una cum corpore Domini nostri Jesu « Christi : negaveritque mirabilem illam, « et singularem conversionem totius subs- « tantiæ panis in corpus, et totius substan- « tiæ vini in sanguinem, manentibus « dumtaxat speciebus panis, et vini : quam « quidem conversionem catholica Ecclesia « aptissime transsubstantiationem appellat; « anathema sit. » Unde arguitur : nam verba Conciliorum explicantium, ac diffinientium veritates fidei accipienda sunt in sensu vero, formali, et proprio : sed Concilia relata diffiniunt substantiam panis, et vini converti in substantiam corporis, et sanguinis Christi : ergo hujusmodi conversio est conversio vera, et proprie dicta. Eo vel maxime quia Concilia pro eodem accipiunt in præsenti materia conversionem, et transsubstantiationem : et Concilium Tridentinum expresse docet, ac diffinit talem mutationem panis, et vini in corpus, et sanguinem Cristi *convenienter*, *proprie*, *et aptissime* transsubstantiationem appellari: est igitur talis mutatio transsubstantiatio vere, et proprie, et subinde vere, et proprie conversio.

Concil. Roman. — Concil. Lateran. — Concil. Trident.

Idque amplius confirmari potest doctrina Patrum : horum namque testimonia accipienda sunt in sensu vero, et proprio ; alioquin si relicta eorum proprietate liceret confugere ad tropos, et figuras, nihil firmum ab eorum auctoritate haberemus. Patres autem disserte asserunt panem, et vinum converti in Christi corpus, et sanguinem, sive (et in idem redit), corpus, et sanguinem Christi in Eucharistia fieri ex pane, et vino : sic enim loquuntur D. Ambrosius lib. 4, *de sacramentis*, cap. 5, D. Chrysost. hom. 43, *in Matth.* Eusebius Emisenus hom. 5, *de Paschate*, D. Gaudentius Brixiensis tractat. 2, *in Exodum*, D. Anselmus epist. *de corpore, et sanguine Domini*, Fulbertus Carnotensis epist. *ad Berengarium*, et alii, qnos dabimus num. 15. Transitus igitur, sive mutatio panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi est conversio vera, et proprie dicta. Confirmatio

D. Amb. — D. Chry. — Emisen. — D. Gaud. — D. Ans. — Fulbert.

12. Secundo probatur ratione : nam illa mutatio est conversio vera, et proprie dicta, quæ observat conditiones conversionis : sicut illa vere, et proprie est generatio, quæ observat conditiones generationis : sed mutatio hæc, sive transitus, quo panis et vinum desinunt esse, et substantia corporis, et sanguinis Christi incipit esse realiter præsens sub eorum accidentibus, servat omnes conditiones conversionis, quas supra assignavimus num. 10 ; ergo prædicta mutatio sive transitus est conversio vera, et proprie dicta. Probatur minor : nam in primis observat primam conditionem ; versatur enim inter terminos positivos, videlicet inter substantiam Secundum fundamentum.

panis, et vini, et substantiam corporis, et sanguinis Christi. Deinde servat secundam : nam substantia panis, et vini desinit simpliciter esse, et substantia corporis, et sanguinis Christi incipit esse aliquomodo nempe sub accidentibus, et ut facta denuo ex pane, et vino. Præterea tertiam observat : quoniam substantia panis, et vini desinit esse ex vi verborum consecrationis ad salvandum eorum veritatem, et ut substantia corporis, et sanguinis Christi (quod illa significant), fiat sub illis panis, et vini visibilibus speciebus realiter substantialiter præsens : quæ nequeunt salvari absque aliqua connexione inter desitionem substantiæ panis, et vini, ac novam præsentiam substantiæ corporis, et sanguinis Domini. Tandem servat quartam conditionem (quamvis non essentialiter necessariam, ut supra diximus), quia vere datur aliquod tertium commune utrique extremo : eadem enim quantitas, sub qua prius erat substantia panis, et vini, continet post consecrationem substantiam corporis et sanguinis Christi. Observat igitur hujusmodi transitus omnes conditiones, quæ pro vera conversione desiderantur.

Confirmatio. Confirmatur : nam cum Christus incipiat esse præsens realiter vere, et proprie sub speciebus panis, et vini, sub quibus prius non erat, oportet, quod aliquo modo, vel transitu vere, et proprie tali acquirat hanc novam præsentiam : sed non datur alius modus, vel transitus, quam conversio panis, et vini in ipsum : ergo hujusmodi transitus est conversio vera, et proprie dicta. Probatur minor : nam in primis Christus non incipit esse ibi per creationem ; siquidem creatio est transitus rei a non esse simpliciter ; et Christus præsupponitur esse simpliciter. Deinde non incipit esse per generationem ob idem fere motivum : et etiam quia generatio est a non esse formæ in materia, et habet commune subjectum : quorum nihil intervenit in hoc mysterio. Præterea non fit præsens per motum localem : quia sic acquireret præsentiam localem, et non esset simul in cœlo, et in sacramento : quorum utrumque est falsum. Ergo non relinquitur modus, aut transitus, per quem Christus incipiat esse realiter præsens speciebus, nisi conversio substantiæ panis, et vini in substantiam corporis, et sanguinis

D. Tho. Christi. Quo discursu utitur D. Thomas in hac quæst. art. 4, et lib. 4 sent. dist. 11, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 1, lib. 4, *contra gentes*, cap. 63, et alibi sæpe. An autem prædictus discursus probet etiam per respectum ad potentiam Dei absolutam, difficultas est in præsenti non necessaria. Sufficit enim si vel probet per respectum ad providentiam Dei magis connaturalem, ut plane probat : quoniam ad constituendum corpus, et sanguinem Christi sub accidentibus panis, et vini per motum localem, vel per creationem, vel generationem, et ad conservandum substantiam panis, et vini simul cum substantia corporis, et sanguinis Christi multo plura, et majora miracula concurrerent, quam in simplici (licet mirabili) conversione substantiæ panis, et vini in substantiam corporis, et sanguinis Domini sub eisdem accidentibus, ut satis ex se liquet. Deus autem connaturaliter agens sicut in ordine gratiæ vitat, quæ vitari queunt, et utitur majori, quo potest, miraculorum compendio, non multiplicans plura, aut majora miracula, ubi pauciora, et non ita magna sufficiunt. Et hac providentia utens quando in deserto pavit quinque millia hominum, non creavit de novo panes, et pisces, ut quidem absolute potuisset : sed ex quinque panibus, et duobus piscibus alios produxit et multiplicavit. Ergo quidquid fuerit, an de potentia Dei absoluta Christus potuerit sub accidentibus eucharisticis constitui per motum localem, vel per creationem, vel alio modo : tamen attenta magis connaturali providentia constituitur de facto per conversionem substantiæ panis, et vini in substantiam ipsius. Observatio notanda.

13. Contra nostram conclusionem sentiunt Lutherus, et ejus sequaces : nam cum dicant substantiam panis, et vini conservari in sacramento Eucharistiæ, consequenter negant mirabilem ejus in substantiam corporis, et sanguinis Christi conversionem : unde plura tam ab auctoritate, quam a ratione contra illam opponunt, et simul contra nomen transsubstantiationis, quo Ecclesia utitur ad eam conversionem significandam. Sed hæc omnia diluimus disp. 1, cap. 2, § 2. Adhuc tamen opponi potest : nam si ob aliquam rationem admitti deberet hæc conversio, maxime ad salvandum veritatem verborum consecrationis : sed ad id non requiritur : ergo sine fundamento asseritur. Probatur minor : quia si substantia Error oppositus. Argumentum I.

si substantia panis, et vini separaretur, et abstraheretur a suis accidentibus vel per motum localem, vel alia via; et simul substantia corporis et sanguinis Christi constitueretur per motum localem, vel creationem, vel per aliam actionem, quæ non esset conversio; vere diceretur in persona, et nomine Christi, *Hoc est corpus meum*, nempe contentum sub his accidentibus est corpus meum : ergo ad salvandum veritatem verborum consecrationis necessaria non est conversio substantiæ panis, et vini in substantiam corporis, et sanguinis Christi.

Responsio. Respondetur negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est veritatem verborum consecrationis non esse solum speculativam, quasi præcise annuntient rem, sicut est, sed esse practicam, significando scilicet, quod efficiunt, et efficiendo, quod significant. Ad quod opus est, quod re ipsa efficaciter, et practice constituant corpus, et sanguinem Christi sub accidentibus panis, et vini, sicut adesse enuntiant. Manifestum autem est, quod prædicta verba non afferunt Christum de loco in locum, et similiter, quod illum non creant, nec producunt simpliciter de novo. Unde relinquitur, quod convertant substantiam panis, et vini in substantiam corporis, et sanguinis Christi, efficiendo videlicet, ut illud, quod sub his accidentibus prius erat panis, et vinum, modo per consecrationem sit corpus, et sanguis Christi. Quæ responsio (fundata alias in sincera intelligentia, et constanti intelligentia Ecclesiæ catholicæ, ut ostendimus cap. citato) fulciri amplius potest ex dictis numero præcedenti : oportet enim verificari verba consecrationis modo magis connaturali, et quo vitentur plura miracula : nullus autem aptior ad id invenitur, quam prædicta conversio : quolibet enim alio modo præsentia Christi in hoc sacramento asseratur, et explicetur, necessarium est introducere plura, et majora miracula, ut facile consideranti constabit.

Secundum argumentum. 14. Opponitur secundo : nam si in hoc mysterio fieret vera, et propria conversio substantiæ panis et vini in substantiam corporis, et sanguinis Christi; Christus in Eucharistia acquireret aliquod esse substantiale, et substantialiter mutaretur : consequens est falsum : ergo et antecedens. Sequela est manifesta : nam vera, et propria conversio unius substantiæ in aliam est vera, et propria mutatio substantialis, quæ proinde debet inducere aliquod novum esse substantiale ; siquidem terminus mutationis substantialis debet per illam substantialiter incipere, ut inductione facta in omnibus mutationibus potest ostendi. Falsitas autem consequentis etiam demonstratur : quoniam Christus habet esse substantialiter, et simpliciter ante hujusmodi conversionem : ergo per talem conversionem nequit substantialiter immutari, ut incipiat substantialiter esse. Confirmatur : quia vera conversio est vera actio, efficientia, et productio : ergo si vera conversio substantialis terminaretur ad Christum, sequeretur Christum in hoc sacramento vere fieri, et produci : hoc autem esse falsum vel ex eo liquet, quod Christus ante consecrationem hujus sacramenti supponitur productus, et existens simpliciter in rerum natura : quod vero ita se habet nequit reproduci, vel denuo fieri. Confirmatio.

Ad objectionem respondetur concedendo sequelam, et negando minorem. Cujus probatio nullius momenti est : nam ex eo, quod Christus ante consecrationem, et hujusmodi conversionem habeat esse substantialiter, et simpliciter, solum sequitur quod per hanc conversionem non incipiat esse substantialiter simpliciter, sicut in creatione, aut in generatione contingeret ; minime vero sequitur, quod non incipiat esse substantialiter cum addito, nempe vel quatenus terminus factus ex pane, et vino, vel secundum aliquem modum substantialem, quem de novo acquirat, et per cujus receptionem substantialiter immutetur : quod enim hac ultima tantum ratione immutatur, et incipit esse, non incipit esse substantialiter simpliciter : et sic vitatur inconveniens objectum. Utro autem modo ex insinuatis terminet conversionem, constabit ex dicendis dub. seq. Et eodem modo diluenda est confirmatio : nam ex eo, quod conversio sit actio, et productio termini ad quem, non sequitur Christum in hoc sacramento fieri simpliciter, sed solum fieri cum addito, sive aliquo modo : nam et actio, et productio non debent efficere determinate terminum simpliciter, sed vel sic, vel aliquo modo. Tangit tamen confirmatio difficultatem, quam immediate decidemus. Dissolvuntur.

§ II.

Posterior difficultas dubii explicatur.

Assertio secunda. 15. Dicendum est secundo conversionem, qua Christus fit præsens speciebus, esse actionem realem veram, et proprie dictam. Ita docent communiter Theologi cum D. Thoma in locis num. 19 referendis. Capreolus in 4, dist. 11, quæst, 9, art. 3, ad secundum Durandi, Paludanus ibidem quæst. 2, art. 1, Richardus art. 1, quæst. 1, Gabriel quæst. 1, art. 3, dub. 2, et in Canone lect. 4, Ferrara 4, *contra gentes* cap. 63, Nugnus iu præs. art. 3, difficult. unica § *Legitimus ergo modus*, et art. 4, in secunda parte conclusionis, Arauxo dub. 2, num. 24, Gonet disp. 4, art. 2, concl. ult. Joanna S. Thoma disp. 28, art. 2, Suarez disp. 50, sect. 3, Coninckus, Arriaga, Petrus Hurtado, quos refert, et sequitur Bernal disp. 35, sect. 2, § 1, et alii plures.

(D. Tho. Capreol. Palud. Richard. Gabriel. Ferrara. Nugnus. Arauxo. Gonet. Joan. a S. Tho. Suarez. Bernal.)

Fundamentum ab auctoritate. Probatur primo ab auctoritate : nam Sancti Patres satis perspicue, et communiter dicunt conversionem hujusmodi esse efficientiam, et productionem, et similiter Christum in hoc sacramento fieri, et produci : cum igitur verba Patrum debeant intelligi in sensu vero, et proprio ; sequitur, quod ex eorum sententia conversio hujusmodi sit actio realis vera, et proprie dicta. Antecedens liquet ex eorum testimoniis: nam D. Ambros. lib. 4, *de sacramentis* cap. 4, inquit : *Panis iste panis communis est ante verba sacramentorum : ubi advenerit consecratio, de pane fit corpus Christi*, Et rursus: *Ergo didicisti, quod ex pane fiat corpus Christi*. D. Hieronymus in epist. *ad Heliodorum* loquens de sacerdotibus ait : *Christi corpus proprio ore conficiunt*. Et in epist. *ad Evagrium* inquit : *Ad sacerdotum preces Christi corpus sanguisque conficitur*. D Damascenus lib. 4, cap. 4, *de Christo agens* inquit : *Panem, et sanguinem suum fecit*. D. Augustin. lib. *de baptismo*, et relatus in cap. *Utrum sub figura*, dist. 2, ait : *Vinum fit sanguis Christi consecratione verbi cœlestis*. Et eidem D. Augustino, vel D. Gregorio attribuitur illa sententia : *O magna sacerdotum dignitas, in quorum manibus velut in utero Virginis Christus quotidie incarnatur !* S. Gaudentius Brixiensis tract. 2, *in Exodum* affirmat *de pane effici corpus Christi*. Et similia occurrunt in Patribus.

(D. Amb. D. Hier. D. Dam. D. Aug. D. Gaud)

Id ipsum aliter ex eisdem Patribus ostenditur : quia omnis mutatio, sive motus prout ab alio, est vera actio : Patres autem dicunt in hoc mysterio mutari panem, et vinum in corpus, et sanguinem Christi : sentiunt itaque in hac conversione intervenire veram actionem. Sic D. Cyprianus in serm. *de oœna Domini* inquit : *Panis in corpus, et vinum in sanguinem mutatur*. Et iterum : *Panis iste non effigie, sed natura mutatus omnipotentia Dei factus est caro*. S. Fulbertus Carnotensis in epist. *ad Adeodatum* inquit : « Dubitari nefas est, ad « cujus nutum cuncta ex nihilo subito « substiterunt, si pari potentia in spiri« tualibus sacramentis terrena materies « naturæ, et generis sui meritum trans« cendens in Christi substantiam commu« tetur, cum ipse dicat : Hoc est corpus « meum, et Hic est sanguis meus. » D. Damascenus lib. 4, cap. 14 : « Quemadmo« dum naturaliter panis per manducatio« nem, et vinum, et aqua in comedentis, « et bibentis corpus, et sanguinem immu« tantur : sic panis, et vinum, quæ propo« nuntur in altari, per Sancti Spiritus « invocationem, et adventum mirabili « modo in Christi corpus, et sanguinem « vertuntur. » Omittimus plura alia testimonia ejusdem sententiæ, quorum aliqua recolere potest lector disp. 1, num. 23, cum sequentib. Sed omittere non oportet verba quibus Ecclesia catholica apertissime significat hanc ipsam veritatem, nempe hujusmodi conversionem esse efficientiam, actionem, mutationem, et productionem. Nam in hymno de hoc mysterio canit : *Verbum caro panem verum verbo carnem efficit*. Et in seq. *Missæ* : *In carnem transit panis, et vinum in sanguinem*. Et in *canone Missæ* ita de Christo in Eucharistia posito Deum alloquitur : *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, et præstas nobis*. Ubi ly *creare*, et *vivificare* sive renovare satis aperte significat efficientiam. Et ad hæc Canonis verba non obscure alludit D. Cyprianus serm. cit. dicens : *Usque hodie verissimum, et sanctissimum corpus suum creat, et sanctificat, et benedicit, et pie sumentibus dividit*.

(Roboratur. D. Cyp. Fulbertus. D. Dam.)

Ratio. 16. Secundo probatur ratione : quia panem converti in corpus, et vinum in sanguinem

guinem Christi, est aliquis effectus realis de novo positus iu rerum natura, et qui prius non erat : sed ad omnem hujusmodi effectum requiritur actio realis, et vera, per quam talis effectus ponatur extra suas causas : ergo conversio panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi est aliqua actio realis, et vera. Probatur minor : quia nullus effectus se constituit extra causas per se ipsum, et ratione sui, sed influxu, et causalitate alicujus agentis : qui influxus, sive causalitas est actio realis, et vera.

Confirmatio. Confirmatur, et declaratur : quoniam omnis conversio substantialis estproductio, sive efficientia, aut actio : sed conversio, qua Christus fit præsens huic sacramento est conversio substantialis panis, et vini in ipsum Christum, utconstat ex § præcedenti: ergo talis conversio est vera, et substantialis productio, efficientia, et actio. Cætera constant, et major probatur : tum quia conversio, creatio, generatio, et eductio conveniunt in communi conceptu actionis, aut productionis : ergo sicut de creatione, et generatione, et eductione prædicatur verus conceptus actionis, et productionis, sic etiam de conversione : atque ideo conversio substantialis est vera, et substantialis productio, sive actio. Tum etiam quia communicatio, et influxus alicujus esse substantialis est vera productio, et actio : sed conversio substantialis unius in aliud est vera communicatio, et influxus alicujus esse substantialis, quod communicatur termino ad quem : ergo omnis conversio substantialis est vera, ac substantialis productio, efficientia, et actio. Unde videmus, quod vinum, in quod aqua conversa fuit in nuptiis Cana Galilææ, appellatur *factum* Joan. 2, per quod satis significatur prædictam conversionem fuisse factionem, actionem, aut productionem talis vini. Idem itaque dici debet de aliis substantialibus conversionibus.

Adversariorum responsio. 17. Nec satisfaciet, qui dicat conversionem substantialem non aliud necessario importare, quam ordinem successionis unius termini post alium, et denominationem extrinsecam, sive rationis, a qua terminus *a quo* dicatur conversus, et terminus *ad quem* dicatur terminans conversionem. Pro his autem non requiritur, quod conversio sit actio, aut productio : sed sufficit, quod unus terminus, nempe *a quo* cesset, aut excludatur; et quod alter terminus, nimirum *ad quem* loco ejus subrogetur, et fiat de novo præsens.

Id, inquam, non refert multipliciter. Impugnatur. Primo quidem, nam esto, Christum esse terminum, in quem convertitur panis, sit sola denominatio extrinseca, et solum addat merum, et purum respectum rationis ; tamen impossibile est dari hujusmodi denominationem rationis absque aliqua actione, quæ immutet aliquod ex extremis : quippe rebus nunc stantibus sicut prius, nullum datur fundamentum novæ illius extrinsecæ denominationis, et relationis rationis : ergo necessaria est nova actio, ut Christus dicatur terminus conversionis ex pane, et importet respectum rationis ad panem, sicut ad terminum a quo. Et si dicatur prædictam mutationem sitam esse in destructione panis; contra hoc est, quod panis non desinit per meram cessationem concursus conservativi, quæ est annihilatio, ut ostendimus dub. præced. ergo cessat ex vi alicujus actionis, sive productionis positivæ : hæc autem non alia congruentius assignari potest, quam conversio panis in Christum : ergo hujusmodi conversio est aliqua nova actio, sive productio.

Secundo quia falsum omnino est ad veram conversionem sufficere, quod unum Alia impugnatio. destruatur, et aliud in loco ejus subrogetur; alias si loco Petri, quem Deus destrueret, crearet Paulum, hic diceretur fieri per conversionem veram, et propriam : quod est falsum ; siquidem Paulus fieret per creationem, ut supponitur, et creatio est mutatio distincta essentialiter a conversione. Requiritur ergo ad veram conversionem, quod terminus *a quo*, et terminus *ad quem* habeant inter se incompossibilitatem, quatenus unus fit ex alio. Id vero minime intelligi potest absque nova, et vera actione, quæ unum ex alio producat, vel ejus loco substituat. Nec proderit dicerehanc propræsenti materia illorum terminorum incompossibilitatem sufficienter fundari in veritate verborum consecrationis, quæ nequeunt aliter verificari, nisi destruatur panis, et fiat præsens corpus Christi. Nam contra hoc est; quod licet ad veritatem verborum necessarium sit rem ita contingere ; nihilominus verba illam non causant immediate, formaliter, et per se ipsa; sed ad eam incompossibilitatem se habent extrinsece, mediate, et

causaliter, quatenus scilicet efficiunt terminum *ad quem* incompossibilem cum termino *a quo:* unde oportet, quod inter hos terminos non detur sola successio, sed etiam aliqua repugnantia.

Alia. 18. Tertio, quia nequit ista conversio contingere absque aliqua mutatione ; siquidem panis, qui erat, desinit esse, et corpus Christi,quod prius non erat præsens, incipit esse præsens sub speciebus. Inquirimus ergo, an in tali conversione detur duplex mutatio realis, una panis de esse ad non esse ; altera vero corporis Christi de non esse præsens ad esse præsens: an autem detur una sola realiter mutatio positiva, licet virtualiter,aut æquivalenter duplex nempe de esse panem ad esse corpus Christi ? Quam difficultatem jam attigimus supra n. 3. Si eligatur prima pars : sequitur dari veram mutationem positivam, qua corpus Christi transit de non esse præsens ad esse præsens sub speciebus, et de non esse terminum conversionis ex pane ad esse terminum illius ; sed omnis mutatio positiva prout ab agente est vera actio, ut inductive potest ostendi ; nec aliud nomine actionis intelligitur : ergo si vera est illa pars, sequitur conversionem hujusmodi, quatenus illam mutationem importat, esse veram actionem. Si autem eligatur secunda dilemmatis pars, non minus evidenter id ipsum colligitur : tum quia totus ille transitus a pane in corpus Christi est una simplex mutatio positiva ; quæ prout ab agente nequit non esse actio : tum quia talis mutatio, cum sit positiva, nequit ordinari per se primo ad non esse panis, sed ad esse corporis Christi, illud sub speciebus constituendo. Per quod magis evertitur, quod supra dicebatur hanc conversionem præcise importare ordinem successionis inter esse panis, quod cessat, et esse corporis Christi, quod de novo ponitur : nam si tota conversio est una mutatio, per se concernit utrumque terminum, unum a *quo*, et alterum *ad quem:* inter quos ut tales necessario datur aliqua repugnantia, et incompossibilitas.

Alia. Quarto quia si hæc conversio non aliud importaret, quam ordinem successionis inter hæc duo, quod substantia panis cesset, et quod ejus loco substantia Christi fiat præsens ; sequeretur non aliud ad hujusmodi conversionem desiderari, quam collocationem unius substantiæ vice alterius, ut ex terminis constare videtur. Id autem esse falsum ostenditur : nam collocatio unius loco alterius non est transsubstantiatio ; sed magis translocatio : Concilia autem nunquam mirabilem hanc conversionem appellarunt translocationem, sed transsubstantiationem ; ergo non potest dici, quod ad hujusmodi conversionem non aliud desideratur, quam collocatio unius substantiæ vice alterius. Et plane si res ita se haberet, omnes conversiones miraculosæ, quæ referuntur in Scriptura, possent explicari absque reali transitu unius rei in aliam, sed per solam collocationem unius rei alio extractæ vel adductæ vice alterius. Et sic opus non foret fateri uxorem Loth mutatam secundum substantiam in statuam salis : sed sufficeret dicere statuam salis ex alio loco adductam, fuisse loco mulieris, ea evanescente, collocatam. Et similiter non oporteret dicere aquam in nuptiis Galilææ vere transivisse in substantiam vini : sed sufficeret dicere vinum fuisse positum loco aquæ. Hæc autem sunt absurda, et contra communem sensum fidelium, qui intelligunt eas conversiones fuisse substantiales, et totales per verum transitum unius termini in alium : et in hoc consistit propria ratio talium miraculorum. Unde D. Augustinus lib. 18, *de* D. Aug. *Civitate*, cap. 18, in hoc distinguit veras, ac miraculosas Dei conversiones a falsis, et apparentibus Dœmonis, et Magorum conversionibus, quod illæ fiunt per realem transmutationem unius ad aliud ; istæ vero per solam ablationem unius, et subrogationem alterius. Cum igitur conversio, de qua loquimur, non sit minus vera, nec sit opus minus proprium Dei ; fateri omnino oportet propriam ejus rationem non sitam præcise esse in successione unius termini post alium, sive in eo quod panis desinat esse, et corpus incipiat esse sub accidentibus : sed sitam principaliter esse in transmutatione, qua panis fit corpus Christi. Omnis autem mutatio prout ab agente actio quædam est.

Confirmatur, et explicatur amplus : quia Confirmatio. non implicat, quod Deus dicat, *Nolo, quod substantia panis convertatur in substantiam v. g. Petri ; volo tamen, quod substantia panis desinat esse sub suis accidentibus, et quod substantia Petri sub eisdem collocetur.* At in hoc casu daretur ordo successionis inter duos terminos, quorum unus desineret

ret esse, et alius inciperet esse : et tamen non daretur conversio unius in alium, siquidem supponitur Deum nolle hujusmodi conversionem. Ergo per hoc, quod detur ordo successionis inter duos terminos, unum, qui incipit, et alterum, qui desinit, minime salvatur vera conversio unius in alterum. Atque ideo si in præsenti materia non datur aliud, quam ordo successionis inter panem, et corpus Christi ; sequitur non dari veram conversionem : cujus oppositum ostendimus § præced. et nequit salva fide negari. Tenendum itaque est præter illam successionem dari verum transitum,et realem transmutationem totalem panis in corpus Christi. Nec potest dici decretum illud a nobis propositum esse complicatorium, et repugnare : quia ordo successionis unius loco alterius est re ipsa conversio unius in aliud : unde non posset Deus velle illum ordinem, et nolle conversionem. Hoc, inquam, effugium nihil valet : nam in primis cum non sit necessaria conversio panis in Petrum ; posset Deus illam nolle : rursus panis potest sine accidentibus annihilari, et subinde posset Deus velle desitionem panis per annihilationem : tandem non implicat Petrum creari sub accidentibus panis ; atque ideo posset Deus velle productionem, et existentiam Petri sub illis accidentibus. Nulla igitur est contradictio in partibus illius complexi, nec ulla complicatio in eo adæquate accepto. Et tunc procedit facta impugnatio : nam concurrerent omnia, quæ juxta oppositam nobis sententiam concurrunt in materia,quam versamus : et tamen tunc non daretur vera conversio : ergo nec datur in materia præsenti. Quod quam sit falsum, constat ex dictis.

Præciditur fuga.

§ III.

Refertur sententia secundæ asssertioni contraria, et evertuntur ejus motiva.

Vazq. Lugo.

19. Gabriel Vazquez in præs. disp 181, cap. 11, et 1 p. disp. 176, cap. 6, negat conversionem panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi esse veram actionem : sed dicit esse quandam denominationem extrinsecam, et habitudinem rationis, qua panis dicitur conversus, et corpus Christi dicitur pani succedere : et simile est de vino, et sanguine Christi. Cui sententiæ subscripsit Lugo in præs. disp.6, per totam. Quam probant primo, illam attribuendo Angelico Doctori in 4, dist. 11, quæst. 1, art. 3, quæstiunc. 1, ad 1, et art. 4, quæstiunc. 1, in quibus locis, et aliis similibus affirmat hanc conversionem esse relationem ordinis, et successionis, secundum quam unum alteri succedit, et non esse motum : ergo ex ejus sententia conversio hujusmodi non est actio, sed denominatio extrinseca, vel respectus rationis inter terminos, ut unus dicatur conversus, et alius dicatur determinare conversionem.

Primum argumentum.

Sed S. Doctor violenter trahitur in illam opinationem, a qua longissime exulat, ut evidenter constat ex ejus testimoniis, quæ propterea dum statueremus assertionem, ad hunc locum remisimus. Nam in præs.artic.4, expresse pro hac conversione exigit actionem agentis infinitæ virtutis. Unde in resp. ad 3, ait : « Dicendum,quod « virtute agentis finiti non potest forma in « formam mutari, nec materia in mate- « riam. Sed virtute agentis infiniti, quod « habet actionem in totum ens, potest ta- « lis conversio fieri : quia utrique formæ, « et utrique materiæ est communis natura « entis : et id, quod est entitatis in una, « potest auctor entis convertere in id, « quod est entitatis in altera, sublato eo, « per quod ab illa distinguebatur. » Manifestum autem est in his ponere actionem, sive influxum effectivum infinitæ virtutis. Deinde in artic. 8 sequenti hujus quæstionis sedulo expendit plures conditiones, in quibus hæc conversio partim convenit cum creatione, aliisque mutationibus substantialibus, et partim distinguitur ab illis : et tamen nec minimum verbum profert, quo insinuet creationem, et alias mutationes esse actiones, secus autem hanc conversionem : quod satis evincit ipsum minime sensisse, quod hæc conversio non sit vera actio, sed potius oppositum supposuisse. Denique infra quæst. 78, art. 4, expresse docet verba consecrationis concurrere instrumentaliter ad convertendum materiam hujus sacramenti in corpus, et sanguinem Christi : et hujus actionem conversivam, ad quam verba instrumentaliter concurrunt, non consistere in aliqua actione naturali aut sensibili, sed in alia operatione insensibili, et diviniori. Sic enim habet in corp. art. « Cum hoc sacramentum sit præ

Diluitur vindicando D. Thom.

« ceteris dignius, consequens est, quod in « verbis formalibus hujus sacramenti sit « quædam virtus creata ad conversionem « hujus sacramenti faciendam, instrumen- « talis sicut et in aliis sacramentis, sicut « supra dictum est. Cum enim hæc verba « ex persona Christi proferantur, ex ejus « mandato consequuntur virtutem instru- « mentalem a Christo : sicut et cætera ejus « facta, vel dicta habent instrumentaliter « salutiferam virtutem. » Unde liquet ex ejus sententia verba consecrationis concurrere effective instrumentaliter ad convertendum : atque ideo conversionem (sumptam ex parte Dei, et instrumenti : in quo sensu de illa loquimur, non vero de conversione passiva, sicut in omnibus aliis effectibus contingit,) esse actionem quandam, per quam materia hujus sacramenti transsubstantiatur in corpus, et sanguinem Christi. Et in resp. ad 2, ait : « Dicendum, « quod opera miraculosa nulla creatura « potest facere quasi agens principale : po- « test tamen ea facere instrumentaliter : « sicut ipse tactus manus Christi sanavit « leprosum. Et per hunc modum verba « Christi convertunt panem in corpus Chris- « ti. » Et in resp. ad 3, ait : « Prædicta « verba, quibu fit consecratio, sacramenta- « liter operantur.» Idque in argumento *Sed contra* confirmat testimonio D. Ambrosii dicentis : « Si tanta vis est in sermone « Domini Jesu, ut inciperet esse, quod non « erat, quanto magis operatorius est, ut « sint, quæ erant, et in aliud commuten- « tur? Et sic quod erat panis ante conse- « crationem, jam corpus Christi est post « consecrationem, quia sermo Christi crea- « turam mutat.» Quæ omnia evidenter demonstrant, quod ex mente D. Thomæ conversio est quædam efficientia, productio, causalitas agentis, et actio.

Mens D. Thomæ. Quæ vero ex lib. 4 *sent.* expendit Vazquez, minime urgent : tum quia licet illa essent obscura, dubia, aut contraria, exponi, et trahi deberent ad ultimam sententiam, quam S. Doctor habet *in Summa.* Tum etiam quia in eis locis non negat conversionem esse actionem absolute : sed negat esse actionem supponentem subjectum, vel habentem subjectum utrique termino commune : et in hoc distinguit conversionem ab omnibus actionibus naturalibus. Et cum explicuit conversionem per successionem, aut ordinem inter terminum *a quo*, et *ad quem*, declaravit conversionem activam, sive actionem convertendi per suum effectum, sive conversionem passivam, quæ prædictum ordinem, aut successionem importat : sed non negavit, quod convertere sit agere, et conversio quædam actio. Quin S. Doctor in eisdem locis conversionem istam vocat actionem, et exercitium virtutis activæ, ut patet ex priori loco quæstiunc. 3, ubi ait : « Illa mutatio, « quæ ad ipsam materiam attingit, est dif- « ficilior, et majoris virtutis ostensiva, « quam quæcumque alia transmutatio ex « parte ejus, quod transmutatur. Et quia « creatio, et hæc conversio pertingunt us- « que ad essentiam materiæ, ut ex prædic- « tis patet : constat has mutationes esse « majoris virtutis ostensivas quibuscum- « que aliis, in quibus mutatur vel forma « substantialis, vel accidentalis, vel locus « exterior. Sed inter has duas videtur « creatio simpliciter loquendo præcellere : « quia per ipsam materia producitur : ex « quo consequitur, quod a producente per « hanc conversionem possit in alterum « transmutari. » Et in resp. ad 2, ait : « Dicendum, quod in aliqua actione potest « esse resistentia dupliciter, » et distinctione explicata, concludit « creationem « esse difficiliorem hac conversione. » Ex quibus satis constat S. Doctorem in eisdem locis, quæ nobis objiciuntur, supponere, asserereque conversionem istam esse aliquam actionem.

20. Argitur secundo: nam ad salvandum passivam transsubstantiationem panis in corpus Christi, et realem Christi præsentiam in hoc sacramento non requiritur, quod conversio sit actio, sive productio : ergo absque fundamento asserimus prædictam conversionem esse actionem. Antecedens probatur primo : nam illud sufficit ad passivam conversionem, et præsentiam Christi in sacramento, quod sufficit ad salvandum veritatem verborum consecrationis : sed ad hoc non requiritur conversionem esse actionem, vel productionem : quippe supposito, quod panis sub illis accidentibus non sit, et quod corpus Christi sub illis accidentibus sit, vere dicitur in persona Christi, *Hoc est corpus meum :* ergo ad salvandum passivam conversionem, et præsentiam Christi in sacramento non requiritur, quod conversio sit actio, vel productio. Secundo probatur idem antecedens: quia Secundum argumentum.

quia idem sufficit ad primam illam conversionem passivam, et ad constituendum Christum sub sacramento, quod sufficit ad conservationem prædictorum; siquidem idem est, quod incipit esse, et quod postea conservatur : sed ut Christus conservetur sub accidentibus, non requiritur aliqua actio distincta ab illa, qua in cœlo, et secundum se conservatur, connotando unionem sui ad accidentia : ergo ut fiat passiva conversio, et Christus sub speciebus constituatur, non requiritur actio nova; sed sufficit desitio panis, et quod Christus ejus loco accidentibus uniatur.

Diruitur. Respondetur negando antecedens : jam enim supra ostendimus motiva, propter quæ necessarium sit dicere, quod conversio panis in corpus Christi est quædam actio. Ad primam autem probationem constat ex dictis veritatem verborum consecrationis non esse mere speculativam, sed practicam, atque ideo verba debent efficere, quod significant, concurrendo scilicet effective instrumentaliter. Id vero minime salvari potest, nisi ipsa conversio sit quædam efficientia, et actio. Præsertim cum sola successio, et ordo inter terminos salvari queant absque omni vera conversione unius in alium, ut num. 18 ostendimus, Et tamen salva fide negari nequit, quod in hoc mysterio interveniat vera conversio. Si itaque sub accidentibus non esset substantia panis, et esset corpus Christi; verum utcumque foret dicere Christi nomine, *Hoc est corpus meum :* sed non esset verum ex vi alicujus conversionis, sive virtute, atque efficientia verborum consecrationis, et sic non daretur mysterium, quod modo est. Ad secundam probationem neganda est major : tum quia sæpe contingit desiderari aliquam actionem ad primum esse, sive fieri rei, quæ tamen ad ejus conservationem non requiritur, ut patet in generatione filii ex parentibus : unde licet ad conservandum Christum sub accidentibus non requiratur actio distincta ab illa, per quam secundum se conservatur, tamen ad constituendum Christum sub accidentibus, et loco substantiæ aliqua actio necessaria est. Tum etiam quia Christus constituitur sub accidentibus ex vi verborum consecrationis : hæc autem licet postea cessent, et non influant, tamen a principio concurrunt effective instrumentaliter : quod absque aliqua actione nequit contingere. Tum præterea quia Christum collocari sub accidentibus est aliquis effectus de novo : qui subinde petit novum influxum, vel actionem. Tum denique quia Christus incipit esse ad desitionem substantiæ panis: hæc autem desitio non est mera annihilatio, sed importat transitum positivum panis in corpus Christi : et hic transitus, sive mutatio prout ab agente est quædam actio. Quæ omnia satis constant ex supra dictis,

21. Arguitur tertio : nam repugnat conversionem panis in corpus Christi esse actionem : ergo talis conversio non est actio. Antecedens probatur : quia impossibilis est actio, cujus non est assignabile subjectum: sed non est assignabile subjectum hujus conversionis : quippe tale subjectum non est panis, qui in instanti conversionis non habet esse : nec est corpus Christi, siquidem istud manet immutatum, ut frequenter affirmat D. Thom. et præsertim in locis alleg. ex 4 sent. nec denique aliud subjectum assignari valet : ergo repugnat conversionem panis in corpus Christi esse actionem. Tertium argumentum.

Confirmatur primo : quia si conversio esset actio, sicut conversio terminatur ad corpus Christi, ita etiam talis actio : consequens repugnat : ergo et antecedens. Probatur minor : quia Christus Dominus est principium, et causa talis conversionis: sed implicat esse principium suæ productionis, aut conservationis; siquidem inter causam, et effectum debet dari realis distinctio : unde implicat aliquid fieri, aut conservari a se ipso : ergo repugnat actionem, in qua constituimus conversionem, terminari ad corpus Christi. Confirmatio 1.

Confirmatur secundo : nam repugnat eundem effectum a duabus causis totalibus, et per actiones adæquatas provenire, ut ex communi Thomistarum philosophia docent N. Complut. abbrev. in lib. *Physic.* disp. 15, quæst. 3, et 4 ; sed hoc contingeret, si conversio panis in corpus Christi esset vera actio : ergo repugnat conversionem hujusmodi esse veram actionem. Probatur minor : quia corpus Christi extra Eucharistiam fieret, et conservaretur a Deo per unam actionem totalem, et naturalis ordinis : et deinde Christus intra Eucharistiam fieret, et conservaretur a Deo per aliam actionem totalem, et ordinis superioris. Confirmatio 2. N. Comp.

Ad argumentum negatur antecedens. In

Satisfit argumento. cujus probatione occurrit communis difficultas, an Deus agat ad extra per actiones formaliter transeuntes, an vero per actiones formaliter in ipso manentes, et virtualiter, sive quoad effectum, et efficientiam transeuntes. Priorem partem tuetur Suarez cum sociis. Et juxta hanc sententiam fatendum est actionem conversivam, sive conversionem activam recipi in corpore Christi: quod (quantum est ex vi receptionis, et immutationis corporis Christi) nullum esse inconveniens statim constabit. Sed posteriorem partem tuentur communiter Thomistæ cum S. Præceptore 1 p. q. 14, art 8, et quæst. 19, art. 4, et quæst. 25, art. 1, et alibi sæpe. Et quidem merito: tum quia sicut Deus, eo quod est actus purus, indentificat sibi ultimam actualitatem in linea essendi, nempe existentiam, qua existit: sic etiam identificat sibi ultimam actualitatem in linea causandi, nimirum actionem, qua agit. Tum quia ex opposito fieret aliquid creatum, nimirum actionem Dei ad extra, esse complementum, et ultimam actualitatem divinæ virtutis: sic enim comparatur actio ad principium: consequens autem est aperte falsum, ut fuse ostendi solet locis relatis. Et secundum hanc sententiam facile diluitur objecta difficultas: nam dicendum est subjectum, aut quasi subjectum virtuale prædictæ actionis, qua Deus panem convertit in corpus Christi, esse ipsum Deum: unde non sequitur insinuatum inconveniens, quod corpus Christi in Eucharistia immutetur. Sed revera tamen adhuc persistit difficultas:

Nota. nam sicut quando Deus concurrit cum causis secundis, distinguenda est duplex actio, alia Dei, quæ manet in ipso; et alia causæ secundæ, quæ existit ad extra, et recipi debet in aliquo subjecto: sic etiam in præsenti distinguere oportet: quia Deus operatur mirabilem hanc conversionem non se solo, sed cum causa secunda instrumentali, nempe vel sacerdote consecrante, vel verbis consecrationis, ut num. 19 vidimus ex D. Thoma, et omnes in præsenti supponunt. Et sic opus habemus assignare subjectum actionis conversivæ. Respondendum itaque est subjectum talis actionis esse corpus Christi factum ex pane, sive terminans ipsam conversionem: sicut enim nullum inconveniens apparet, quod prædictum Christi corpus immutetur acquirendo novam præsentiam sacramentalem, sive respectum ad species: sic etiam non est aliquod invonveniens, quod recipiat actionem, quæ fit ex pane. Et plane vel in cœlo existens, cum movetur localiter, recipit de novo talem motum, et novum *ubi* saltem partiale, quod eo motu acquiritur. Quando autem D. Thomas docet corpus Christi per conversionem, aut in Eucharistia non immutari, loquitur vel de mutatione locali per se; vel de mutatione corruptiva, qua deperditur aliquod esse; vel de mutatione physica, qua aliquid transit de non esse simpliciter ad esse simpliciter: tale enim mutationis genus non habet locum in corpore Christi glorioso. Sed non negat, quod subsit alicui mutationi, vel actioni, illi præsertim, qua acquirit novam præsentiam ad species sacramentales, ut magis explicabimus dub. seq.

Diluitur prima confirmatio. Ad primam confirmationem, omittendo majorem, negamus minorem, quam inserta probatio non evincit: quia licet idem, et secundum eandem rationem nequeat esse principium, et terminus ejusdem actionis; tamen non repugnat, quod idem secundum unam rationem sit principium, et secundum aliam sit terminus: hoc namque modo salvari valet sufficiens distinctio, et ordo inter principium, et terminum, ut declarari valet exemplo augmentationis, cujus principium est vivens, et tamen idem vivens illam terminat. Est enim principium ratione virtutis augmentativæ; et est terminus secundum illam portionem materiæ, et quantitatis, qua fit majus. Et idem proportionabiliter contingit in præsenti materia: nam Christus est principium actionis conversivæ per suam virtutem, quam in se habet: et est terminus ejusdem actionis secundum aliquem modum, quem ea actione producit, sive quatenus acquirit diversum modum essendi secundum præsentiam sacramentalem, ut dub. seq. dicemus. Et hinc etiam patet ad secundam

Occurritur secundæ. confirmationem: nam cum Christus ut factus ex pane distinguatur aliquo modo a se ipso considerato secundum se, et prout in cœlo, non sequitur inconveniens in hac confirmatione insinuatum, nempe eundem effectum dependere a duplici actione totali in suo fieri, et conservari: non enim hic adest idem simpliciter effectus, sed præcise idem materialiter, cum diversa tamen ratione formali terminandi jam insinuata. Quare sicut non implicat, quod homo fiat simpliciter

simpliciter per unam actionem, nempe generativam, et quod fiat major per aliam actionem, nimirum augmentativam: ita non repugnat quod idem Christus Dominus, qui supponitur productus per unam actionem, fiat præsens in Eucharistia, et producatur secundum aliquem modum per aliam actionem diversam.

Quartum argumentum. 22. Arguitur quarto: nam si hæc conversio esset vera actio, produceret aliquem terminum: sed non est assignabilis terminus, quem efficiat: ergo talis conversio non est vera actio. Major constat: quia omnis vera actio est vera efficientia, et productio: atque ideo suum terminum denominat factum, et productum: quod salvari nequit, quin efficiat aliquem terminum. Minor suadetur: quia dici nequit talem terminum esse corpus Christi secundum se: hoc enim jam supponitur esse simpliciter in rerum natura. Nec dici valet esse præsentiam sacramentalem: hæc enim est aliquod accidens; cum tamen prædicta conversio, quæ est mutatio substantialis, si aliquem terminum efficeret, deberet producere aliquem terminum substantialem. Nec talis terminus est corpus Christi ut diverso, et novo modo conservatum: quia ubi non adest nova productio, non requiritur nova conservatio: hæc enim non est aliud, quam productio rei continuata. Nec denique est corpus Christi ut factum ex pane, sive ut terminans conversionem: nam cum in ea quæstione simus, an conversio sit actio, sive productio; idem plane est dicere, quod corpus Christi sit factum, et quod conversio est actio, sive productio: unde si id diceretur, committeretur circulus vitiosus, et manifesta petitio principii: qui enim negaverit conversionem esse actionem, negabit etiam et consequenter Christi corpus fieri per conversionem ex pane. Solutio adhibenda. Hoc præcipue argumento convictus fuit Vazquez ad tuendum prædictam sententiam. Cui ut magis perspicue occurramus, sit

DUBIUM III.

Quis sit terminus actionis convertentis panem, et vinum in corpus, et sanguinem Christi.

Cum dub. præcedenti dixerimus conversionem esse actionem, consequenter obligamur aliquem illi terminum assignare: nulla quippe est actio, cui terminus aliquis non respondeat. Et quia actio mutuatur speciem a termino, et modo ipsum attingendi; ab hac ipsa radice dependet, quod congruenter designemus conditionem hujus actionis, an scilicet sit mera adductio corporis Christi, an specialis conservatio, an vero efficientia, et productio, quod magis ad actionem pertinere videtur. Et quamvis circa hoc punctum plures occurrant sententiæ, per quarum refutationem, et exclusionem possemus ad propriam accedere; hoc tamen nunc omisso studio, quod infra adhibebimus,

§ I.

Eligitur verior, et communior sententia.

23. Dicendum est terminum ad quem hujus conversionis vel actionis esse corpus, et sanguinem Christi cum novo quodam modo substantiali, quem non habet in cœlo, sed per ipsam consecrationem acquirit. Sic docent Paludanus in 4, dist. 11, quæst. 3, art. 2, Capreolus ibidem art. 3 ad 1 et 3, Scoti contra primam. Palacios ibidem disp. 1, Sotus dist. 9, quæst. 2, et 4, Alanus lib. 1, cap. 34, Sainctes repet. 4, cap. 4, et repet. 7, cap. 6, Valencia disp. 6, quæst 3, puncto 3, et alii recentiores, quos refert, et sequitur Arauxo in præs. art. 4, dub. 3, concl. ultima. Conclusio. Palud. Capreol. Palac. Soto. Alanus. Sainctes. Valenc. Arauxo. Et antequam probetur conclusio, supponendum est Christum in Eucharistia habere modum aliquem substantialem supernaturalem, ratione cujus existit ibi ad instar substantiæ spiritualis, nempe indivisibiliter, atque impassibiliter totus in tota quantitate, et totus in qualibet ejus parte: quem modum non habet in cœlo, sed est extensus in ordine ad locum, sicut aliæ substantiæ corporeæ. Porro talem modum esse supernaturalem constat, quia transcendit modum snbstantiæ corporeæ, et est quædam immensitatis participatio: et esse substantialem etiam constat, quia pertinet ad modum existentiæ substantiæ: quare sicut existentia substantiæ est substantialis, ita et hic modus. Et quamvis contra illum plura possent opponi: ab illis tamen referendis, et nunc diluendis supersedemus: quia de hac re dicemus suo loco, nempe disp. 6, dub. 1, et 2. Quare hic satis est præmittere per modum suppo-

sitionis veritatem ibi ex professo asserendam, et explicandam. Et hoc supposito,

Fundamentum. Probatur conclusio ratione: nam cum arduum sit assignare terminum hujus mirabilis conversionis, sive actionis conversivæ ob difficultates insinuatas num. præced. et alias, quæ repræsentari possunt; illa sententia in hac parte præferri simpliciter debet, quæ magis perspicue rem declarat superando prædictas difficultates: et hoc est peculiare Theologi officium in rebus hujusmodi difficilibus: sed id consequimur dicendo terminum actionis conversivæ esse corpus, et sanguinem Christi cum novo modo substantiali, quem non habet in cœlo, sed per conversionem, et ex vi consecrationis acquirit: ergo ita asserendum est. Major, et consequentia patent. Minor autem probatur discurrendo per singula, quæ in hac materia occurrunt: nam in primis cum Christus sit principium non solum morale, sed etiam physicum hujus conversionis juxta doctrinam generalem, quam tradidimus tract. præced. disp. 4, dub. 3, et 4, ægre, aut nullo modo intelligitur, quomodo possit esse terminus productus per talem actionem: necessarium enim est causam distingui realiter ab effectu, et principium actionis ab ejus termino, et quod effectum, sive terminum præcedat ordine, sive prioritate naturæ: quæ sine distinctione reali salvari non valent. Hæc autem difficultas haud obscure superatur, et explicatur juxta nostram assertionem: quia Christus est principium conversionis secundum se, vel existens in cœlo secundum modum naturalem, quem in se habet: est autem terminus prædictæ conversionis non secundum se, aut secundum modum naturalem, quem in se in cœlo habet, sed secundum modum novum substantialem, quem habet in sacramento, et qui per conversionem producitur, et concretive ad talem modum. Manifestum autem est, quod Christus secundum se, et prout modo connaturali in cœlo existens, distinguitur realiter a se ipso, quatenus concernit, et dicit modum illum substantialem, quem habet in sacramento: et similiter quod Christus secundum se præcedit ordine naturæ se ipsum ut affectum modo illo novo, quem per consecrationem acquirit. Unde sicut actio nutritiva, vel augmentativa procedit a viventi; et terminatur ad idem vivens absque contradictione: quia procedit a viventi ut agente per suam virtutem, et terminatur ad vivens ut factum majus per partem materiæ, vel quantitatis illis motibus acquisitam: sic etiam Christus absque ulla contradictione potest esse principium, et terminus conversionis modo præmisso. Et hæc erat potissima præsentis materiæ difficultas.

24. Deinde non recte intelligitur illud, quod est et supponitur adæquate productum, iterum reproduci absque ulla immutatione, vel additione: quod enim supponitur adæquate productum, habet esse simpliciter extra causas; et quod reproducitur absque mutatione, vel additione, incipit esse simpliciter extra causas: in quo datur virtualis contradictio. Quod inconveniens vitatur dicendo Christum in hac mirabili conversione non produci secundum se, aut independenter ab omni additione: sed produci secundum novum modum substantialem, et concretive ad illum. Sicut vivens per augmentationem non fit absolute, et secundum se, quia supponitur productum: fit tamen majus, aut secundum portionem materiæ, vel quantitatis, quam augmentatione acquirit. Et ut aliquod concretum dicatur de novo fieri, non est necessarium quamlibet ejus partem seorsim, aut divisim fieri, sed satis est fieri concretive, et secundum aliquem modum: sicut cum homo generatur, non fit anima per generationem; sed fit unita, et ut constituens totum. Quo pacto etiam Christus in hoc sacramento dicitur fieri per conversionem; non quidem seorsim, aut secundum se, quomodo supponitur adæquate productus; sed producitur quantum ad prædictum modum substantialem, et ratione ejus fit existens, et præsens in sacramento.

Denique conversio hæc est mutatio substantialis; siquidem Concilia illam vocant transsubstantiationem: est etiam supernaturalis, ut omnes concedunt, et ex eo liquet, quod omnem facultatem, atque exigentiam naturæ superat. Omnis autem mutatio habet speciem a termino ad quem. Unde oportet terminum ad quem hujus conversionis esse aliquid substantiale, et supernaturale. Quod nequit congruentius salvari, quam dicendo talem terminum esse corpus Christi secundum modum substantialem, quem de novo habet in hoc sacramento: quia totum hoc concretum substantiale est, et ille modus est supernaturalis

ralis. Quod minime salvaretur, si terminus hujus conversionis vel esset solum corpus Christi præcisive a tali modo, quippe corpus sic acceptum est substantia mere naturalis : vel esset sola præsentia, vel ubi sacramentale, siquidem ista non sunt substantia, sed accidens, ut ex infra dicendis magis constabit.

Confirmato.

25. Potest autem præmissus discursus urgenter confirmari manifestando omnes alios dicendi modos, quibus alii declarant terminum ad quem hujus conversionis, esse insufficientes ad explicandum præmissas difficultates, et deficere in aliis pluribus, quæ in hac materia salvari debent : inde enim a sufficienti partium enumeratione constabit nostræ assertionis veritas. Cum enim juxta communem, et veram sententiam dub. præced. propositam conversio hæc sit vera actio, oportet aliquem terminum illi assignare. Et quamvis possemus plurimos circa hoc dicendi modos recensere, præsertim a Junioribus excogitatos ; tamen solum referemus principaliores, qui sunt quasi aliorum radices, quibus proinde convulsis cæteri corruunt.

Modus dicendi Scoti repellitur.

Igitur, quod Scotus, et alii dixerunt terminum hujus conversionis esse præsentiam Christi ad species sacramentales, unde consequenter asseruerunt talem actionem non tam esse productivam, quam adductivam ; refellitur primo : quia terminus mutationis substantialis debet esse quid substantiale : sed præsentia Christi ad species, concedentibus Scoto, et qui illum in hac parte sequuntur, non est aliquid substantiale, sed accidentale. sive dicatur ubi, sive relatio : ergo terminus ad quem hujus conversinois non est præsentia Christi ad species sacramentales. Nec sufficit dicere ad hujusmodi conversionem substantialem non requiri, quod aliquid substantiale, vel accidentale per eam producatnr, sed sufficere, quod una substantia succedat loco alterius. Nam hoc jam rejectum est dub. præced. § 2, et destruit veram rationem conversionis, ut ibidem ostendimus. Nec iterum sufficit dicere conversionem denominari a termino *a quo*, qui converti dicitur : unde cum terminus a quo hujus conversionis sit substantia, merito talis conversio substantialis vocatur, licet terminetur ad præsentiam illam, quæ est accidens. Nam hæc responsio non cohæret cum doctrina Concilii Tridentini loco relato num. 11, asserentis ideo hanc conversionem merito appellari transsubstantiationem, quia est a substantia in substantiam, ut testimonium illud recolenti et expendenti constabit : ergo si hæc conversio non terminatur ad aliquid substantiale, ut hæc responsio concedit, nequit ipsa substantialis appellari. Eo vel maxime, quod species, et denominatio cujuscumque actionis, et mutationis non desumitur a termino *a quo*, qui excluditur, sed a termino *ad quem*, qui per se intenditur, et acquiritur, ut inductive potest ostendi. Nec tandem satisfaciet, qui dicat terminum hujus conversionis non esse præsentiam in abstracto, sed præsentiam in concreto Christi ad species : quo pacto jam importat aliquid substantiale, nempe Christum, et subinde potest conversionem substantialem denominare. Nam si hæc responsio verum contineret, nec calefactio, nec dealbatio, nec denique ulla actio appellaretur accidentalis, sed substantialis; siquidem nulla actio terminatur ad formam in abstracto, et præcisive a subjecto, sed ad formam concernendo subjectum : consequens autem est evidenter falsum, et contra communem apprehensionem, et modum loquendi. Deinde cum dicitur Christum ingredi terminum hujus conversionis ; vel ingreditur ut res per consecrationem rroducta, vel solum ut subjectum rei productæ? si primum ; ipsa substantia Christi erit terminus hujus actionis potiori jure, quam præsentia accidentalis. Si secundum; illud minime sufficit, ut actio, vel conversio dicatur substantialis, ut liquet in omnibus actionibus, quæ producunt formas accidentales in substantia tanquam in subjecto, quin propterea substantiales appellentur.

Major ejusdem eversio

26. Refellitur eadem sententia : quia terminus *ad quem* conversionis, sive transubstantiationis unius in aliud debet esse incompossibilis cum termino *a quo* : tum quia sic contingit in omnibus mutationibus : tum quia ex opposito fieret terminum *a quo* conversionis posse consistere cum termino *ad quem* ; quod est complicatorium, et ipsam conversionem evertit. Sed præsentia Christi ad species sacramentales non est incompossibilis cum substantia panis, quæ est terminus *a quo* hujus conversionis. Ergo talis præsentia non est terminus *ad quem* hujus conversionis. Probatur minor: quia talis præsentia consistit in eo, quod

Christus ibi sit modo indivisibili, et ad instar substantiæ spiritualis : sed cum tali præsentia minime pugnat existentia, et conservatio panis sub eisdem accidentibus : unde si Angelus ibidem constitueretur, non destrueretur panis substantia : ergo præsentia Christi ad species sacramentales non est incompossibilis cum substantia panis, quæ est terminus *a quo* hujus conversionis. Et si dicatur hanc incompossibilitatem esse ex intentione Dei volentis destruere substantiam panis ad præsentiam corporis Christi; nihil plane dicitur : quoniam extrinseca Dei voluntas solum potest constituere incompossibilitatem effective, non autem formaliter : ad conversionem autem requiritur aliqua formalis, sive intrinseca oppositio inter terminos, ut in omni alia mutatione contingit. Si autem dicatur vim hujus impugnationis militare etiam contra nos, qui asseruimus terminum hujus conversionis importare modum substantialem existendi indivisibiliter ad instar substantiæ spiritualis ; respondemus nihil minus inferri posse : quia nos non asseruimus terminum *ad quem* hujus conversionis esse prædictnm modum, sed substantiam corporis Christi cum tali modo : et non utcumque, sed factam ex substantia panis : quo pacto necesse est, habeat incompossibilitatem cum tali substantia, quæ in illam transit. Id vero minime dicere possunt hujus sententiæ Auctores, si consequenter agant : nam propterea dicunt hanc conversionem esse actionem non productivam; sed adductivam, ut scilicet vitent corpus Christi per eam fieri in hoc sacramento, et solam ejus præsentiam inducant. Seclusa autem productione, et conversione ex pane, sola præsentia Christi nullam habet incompossibilitatem cum illo, ut ostensum est.

Continuatur impugnatio. Unde magis evertitur eorum sententia : quoniam (præterquam quod in Conciliis, et Patribus non invenimus vocabulum actionis adductivæ, sed *conversionem, transubstantiationem, transmutationem, productionem*, et similia,) actio adductiva corporis, non est aliud, quam motus localis corporis, quod adducitur. Conversio, de qua agimus non importat hujusmodi motum : iste namque repugnat, nisi unus locus deseratur, et alter adquiratur : unde si Christus adduceretur ad Eucharistiam, deberet cœlum deserere, ut in sacramento constitueretur quod est falsum, et omnino absurdum. Immerito itaque hæc mirabilis conversio, et transsubstantiatio vocatur actio adductiva.

Recensetur, et excluditur aliorum sententia. 27. Quod autem Henriquez, et quidam alii dixerunt terminum *ad quem* hujus conversionis, esse unionem Christi ad species, aut modum, quo illas sustentat loco substantiæ panis; refellitur in primis motivo contra Scotum proposito : nam terminus hujus conversionis debet esse aliquid substantiale, sicut transsubstantiatio plane exposcit : unio autem Christi ad species, vel modus, aut influxus, quo illas sustentat, non est aliquid substantiale : sicut nec talis unio, modus, aut influxus esset substantiale respectu panis, si ibidem esset : ergo talis unio, aut sustentatio non est terminus *ad quem* hujus conversionis. Sed insuper rejicitur prædicta sententia : quia prius cum fundamento in re intelligimus terminum hujus conversionis, quam intelligamus corpus Christi uniri speciebus, vel illas sustentare : ergo terminus hujus conversionis non est unio Christi ad species, nec illarum sustentatio. Consequentia patet. Et antecedens ostenditur : nam prius ordine naturæ est corpus Christi esse sub accidentibus panis, quam eisdem uniri, vel illa sustentare : sicut idem proportionabiliter contingit in substantia panis, cujus loco Christi corpus subrogatur : sed corpus Christi nec est, nec intelligitur esse sub illis accidentibus, priusquam sit, et intelligatur esse terminus conversionis ; siquidem ex vi consecrationis, et conversionis : siquidem est ibidem ex vi consecrationis, et conversionis : ergo prius cum fundamento in re intelligimus terminum hujus conversionis, quam intelligamus corpus Christi uniri accidentibus panis, vel illa sustentare.

Ad hæc : vel terminus hujus conversionis est præcise ista unio ad accidentia, sive modus illa sustentandi; vel est corpus Christi simul cum ista unione, et modo? Si eligatur hoc ultimum, immerito dicitur terminum prædictæ conversionis esse illam unionem, aut modum; cum verius dici queat esse ipsum corpus Christi connotando talem unionem, aut modum : est enim corpus quid substantiale, et magis principale. (Quamvis qui sequeretur istam partem, et impugnari posset ex non congrua connotatione : quippe illa unio, aut modus jam supponit Christum præsentem,

et

et terminasse conversionem.) Si autem eligatur primum, pejus quid asseritur : nam si terminus conversionis non est corpus Christi, sed illa unio, vel modus; fateri oportet Christum constitui sub accidentibus per actionem adductivam, ut asserebat Scotus supra impugnatus. Impossibile namque est aliquid ibi constitui, ubi prius non erat, nisi vel ibi producatur, vel alibi existens adducatur : sed corpus Christi incipit esse sub accidentibus, sub quibus prius non erat : et juxta hanc dilemmatis partem non producitur ibi; siquidem non est terminus conversionis : ergo opus est, quod corpus Christi alibi existens adducatur ad accidentia : et sic tota conversio, sive transsubstantiatio reducatur ad actionem adductivam.

Suarii sententio rejicitur.

28. Præterea, quod Gabriel, et Suarius dicunt terminum hujus conversionis esse substantiam corporis Christi, non quidem ut productam, sed ut conservatam; et consequenter conversionem non esse actionem producentem, sed conservantem corpus Christi sub accidentibus Eucharisticis; potest efficaciter confutari præsupponendo, quod Gabriel sentit hanc conservationem esse illam eandem, qua Christus conservatur in cœlo : Suarez vero sentit esse novam, et supernaturalem conservationem, Sed Gabriel refellitur : tum quia actio, qua Christus conservatur in cœlo, est actio mere naturalis, sicut et quælibet alia actio, qua conservantur aliæ substantiæ : actio autem, qua Christus conservatur in Eucharistia, est actio supernaturalis, ut plane convincitur ex modo supernaturali, quem Christus habet in sacramento : sed una, et eadem actio nequit esse naturalis, et supernaturalis : ergo Christus non conservatur in Eucharistia eadem actione conservativa, qua conservatur in cœlo. Tum etiam quia actio conservans Christum in cœlo terminatur ad totam substantiam Christi adæquate, et respicit per se ultimam ejus rationem, v. g. esse hominem viventem : sed actio quæ Christum conservat in Eucharistia, et re ipsa est juxta Gabrielem consecratio, de qua agimus, non terminatur per se ad solum corpus Christi adæquate, nec illam sic sumptam conservat: sed terminatur per se ad solum corpus Christi secundum gradum corporis humani abstrahentis a vivo, et mortuo : unde consecratio in triduo mortis Christi non poneret, aut conservaret corpus Christi vivum, et tamen esset ejusdem rationis cum consecratione præsenti : ergo fieri non valet, quod conversio de qua agimus, et quæ a Gabriele dicitur conservatio, sit eadem actio, et conservatio, qua Christus conservatur in cœlo.

Suarius etiam confutatur, et inconsequentiæ convincitur. Primo quidem, nam ipse late, et bene probat conversionem esse veram, et novam actionem, quia juxta modum loquendi Ecclesiæ, et Patrum corpus Christi in hoc sacramento fit, producitur, et transsubstantiationem terminat : hoc autem fundamentum plane corruit dicendo terminum hujus conversionis esse substantiam corporis Christi, non ut de novo productam, sed ut de novo conservatam; et subinde conversionem non esse actionem producentem, sed conservantem: quippe manifestum est longissime distare ista duo, aliquid fit, et aliquid novo modo conservatur. Secundo quia cum conservari sit continuatum fieri: oportet ibi dari distinctam productionem, ubi datur distincta conservatio : ergo si conservatio, qua Christus conservatur in Eucharistia, est distincta ab illa, qua conservatur in cœlo, ut Suarez concedit; oportet, quod Christus in Eucharistia terminet distinctam actionem, et productionem. Tertio, quia prius cum fundamento in re intelligimus aliquid fieri, et esse, quam conservari : ergo prius debemus intelligere, quod Christus est in Eucharistia, quam quod conservetur in Eucharistia : sed non aliter est, quam terminando conversionem : ergo terminus hujus conversionis non est Christus ut de novo conservatus in Eucharistia, sed est Christus secundum aliam distinctam rationem, quæ conservationem præcedit.

Urgentior confutatio.

Sed quod caput est contra utrumque Auctorem, sicut impossibile est, quod idem sit principium et terminus productionis; sic etiam repugnat, quod idem sit principium, et terminus conservationis : sed Christus est principium conservationis sui in sacramento : ergo nequit esse terminus talis conservationis, nisi addatur aliquid, per quod tale principium, et talis terminus realiter distinguantur : at nihil hujusmodi additur, vel explicatur per hoc, quod dicitur terminum hujus conversionis esse Christum ut de novo conservatur; si-

cut nec adderetur, nec explicaretur dicendo terminum hujus conversionis esse Christum, ut de novo productum : ergo prædictus dicendi modus tanquam insufficiens rejici debet. Cætera constant. Et primum antecedens ostenditur: tum quia actio consecrativa est de se productiva : ergo sicut implicat, quod aliquid se ipsum efficiat; sic etiam implicat, quod se ipsum conservet. Tum etiam quia cum terminus dependeat ab actione in genere causæ efficientis, repugnat actionem in genere causæ efficientis dependere a termino; alias daretur mutua duorum dependentia in eodem genere causæ; quod est impossibile : hoc autem contingeret, si idem esset principium, et terminus actionis conservativæ, sive, et in idem redit, si aliquid se ipsum effective conservaret: ergo sicut repugnat aliquid esse principium, et terminum ejusdem productionis, sic etiam repugnat, quod idem sit principium, et terminus ejusdem conservationis.

Explicatio Vincentii confutatur.

29. Porro quod Joannes Vincentius, et quidam alii significarunt terminum hujus conversionis esse substantiam corporis Christi, non quidem ut productam actu, siquidem producta supponitur; sed ut producibilis ; quia conversio, cum sit actio, illam produceret, si productam non invenisset : sicut proportionabiliter contingit in absolutione sacramentali, quæ si reperiat gratiam in subjecto, illam non producit; sed respicit ut producibilem, quia quantum est de se, illam efficeret. Id, inquam, minime satisfacit, nec difficultates repræsentatas evacuat. Nam in præsenti non disputamus de termino, quem hæc conversio, sive transsubstantiatio posset habere, sed de illo, quem actu habet : ergo si de facto non producit corpus Christi in Eucharistia ; sequitur, quod de facto corpus Christi non est terminus *ad quem* hujus actionis : et vanum est dicere, quod posset alias illam terminare, si non supponeretur productum. Confirmatur : nam eo ipso, quod aliqua actio non producat actu aliquem terminum, non est productiva illius : sed hæc conversio, sive transsubstantiatio non producit actu substantiam corporis Christi, ut fatetur Vincentius : ergo talis conversio non est actio productiva prædicti termini. Probatur major : quia actio non est actus primus, nec virtus productiva, sed est actuale exercitium, et communicatio, sive influxus in terminum : ergo de actione nequit dici, quod potest producere, nisi quod de facto producit : sicut de relatione ob eandem proportionabiliter rationem non dicitur, quod possit respicere nisi terminum, quem actu respicit : ergo eo ipso, quod aliqua actio non producat actu terminum, non est productiva illius. Et ita in universum verum est loquendo de actione in ordine ad terminum primarium, sine quo nequit consistere : sicut plane contingeret in materia, quam versamus.

Accedit conversionem istam immerito vocari actionem productivam corporis Christi, si semel ex parte termini *ad quem* non aliud assignatur, quam corpus Christi: nam cum prædicta actio procedat a Christo sicut a principio efficiente, et nulla actio queat efficere suum principium; talis actio non solum non producit Christum, sed nec illum producere potest : atque ideo non est actio ejus productiva. Exemplum autem, quo ista sententia se declarabat, non est ad rem : quia verba absolutionis non sunt ipsa actio, sed sunt instrumentum, quod elevatur, et assumitur ad producendum gratiam, sicut generaliter in sacramentis contingit : tale autem instrumentum est gratiæ productivum, et si eam non supponat, illam producit; si vero supponat, non producit primam gratiam, sed ejus augmentum : nec exercite excludit peccatum, sed excluderet, si illud in subjecto reperisset. Quæ omnia in principio, et causa facile intelliguntur : sed locum non habent in actione, quæ essentialiter est actualis productio effectus.

Communior etiam explicatio evertitur.

30. Veniamus jam ad celebriorem post præcedentes dicendi modum ob patronorum auctoritatem, inter quos eminet Cajetanus, suffragantibus non paucis Thomistis. Affirmat autem terminum hujus conversionis non esse aliud, quam corpus Christi, ut est id, in quod convertitur panis, absque alia ex parte termini additione modi, vel realitatis. Sed prædictam sententiam (quamvis eam ab extrinseco revereamur ob defensores quos habet,) minime intelligimus : ea est et nostri intellectus debilitas, atque ingeniorum varietas. Nam in primis cum inquirimus, quis sit terminus hujus conversionis; et respondetur esse corpus Christi ut terminans conversionem, vel quatenus est id, in quod fit conversio : non

non aliud nobis responderi videtur, quam idem per idem; et terminum conversionis non aliter explicari, quam per esse terminum conversionis, aut per conversionem ipsam; cum tamen terminus cujuscumque actionis debeat illam præcedere in genere causæ formalis extrinsecæ.

Major autem hujus sententiæ impugnatio est illamet, qua aliquas ex præcedentibus sententiis evertimus, et potest proponi inquirendo, an corpus Christi esse id, in quod convertitur panis, addat aliquid reale supra Christum in se, vel nihil addat? Si primum dicatur : oportet assignare, quid sit illud intrinsecum de novo additum : unde vel sistendum est in una ex opinionibus jam relatis, et impugnatis, vel admitti debet nostra conclusio. Si autem eligatur secundum, evidenter sequitur, quod idem sit principium, et terminus hujus actionis; siquidem idem Christus, qui est ejus principium, dicitur illius terminus absque ulla additione, vel mutatione, in se. Id vero esse impossibile constat ex dictis: nam necessarium est dari distinctionem realem inter principium effectivum cujuscumque mutationis, et quod causa præcedat terminum, sive effectum. Nec vim hujus impugnationis elevant, qui dicunt Christum sub una ratione esse principium, et sub alia terminum : sicut idem homo potest terminare diversas actiones, si consideretur sub diversis rationibus : sub una enim fieret per creationem, et sub alia per generationem, et sub alia per conversionem. Nam hæc responsio nec satisfacit, nec est ad rem : non enim vim facimus, aut ponimus in rationibus *sub quibus*, sed in rationibus *quæ :* nam impossibile reputamus, quod id ipsum, quod est principium actionis producentis, sit ejus terminus, et effectus, sub quacumque ratione *sub qua* vel influat in actionem, vel illam terminet : quippe præcisive ab omni ratione *sub qua* objectiva, et formali, oportet terminum distingui realiter a suo principio, et effectum supponere realiter ordine naturæ suam causam.

31. Declaratur hoc amplius : nam conversio hæc panis in corpus Christi vel aliquid facit, vel nihil facit? Si nihil facit : ergo talis conversio non est factio, nec actio; nec corpus Christi fit ex pane. Id vero est falsum, utpote contra sententiam Patrum, ac Theologorum, et destruens verum conversionis conceptum, solamque inducens successionem unius termini post alium : quæ omnia rejecta a nobis sunt dub. præced. et refelluntur communiter ab hujus sententiæ patronis. Oportet itaque fateri hanc conversionem esse actionem, et productionem, et quod denominet suum terminum factum, et productum ex pane : et consequenter quod aliquid faciat. Cum autem terminus hujus conversionis sit substantia corporis, et sanguinis Christi; rursus inquirimus, quid actio conversiva faciat in hoc termino, vel circa illum? Et plane non potest dici, quod faciat prædictam substantiam simpliciter : quia supponitur simpliciter producta, et sic non potest extrahi de non esse ad esse simpliciter. Ergo necessarium est, quod talis actio faciat illam substantiam secundum aliquem modum diversum, quem prius non habebat. Atque ideo terminus prædictæ conversionis debet esse substantia corporis, et sanguinis Christi, non præcise quatenus est id, in quod convertitur panis, et vinum, nulla facta additione, vel immutatione in prædicta substantia; sed quatenus importat aliquid reale novum, et sibi additum, quod per talem conversionem acquirit.

(Major confutatio.)

Confirmatur : quia prædictus dicendi modus, cum alias sit satis obscurus, non ad aliud videtur inventus, quam ad vitandum, quod Christus per hanc conversionem immutetur. Hoc autem motivum non esse alicujus ponderis liquet ex eo, quod nullum est inconveniens, sed potius veritas ab omnibus concedenda Christum, qui est terminus hujus conversionis, aliquomodo immutari per illam. Tum quia recipit ipsam actionem conversivam, ut diximus num. 21. Tum quia incipit habere præsentiam sacramentalem ad species : sive talis præsentia sit sola relatio, sive modus unionis, sive aliquis influxus, quo accidentia conservat. Tum quia hoc ipso, quod fit terminus actionis conversivæ, debet importare specialem habitudinem ad principium talis actionis. Tum et præcipue quia juxta evidentem sententiam D. Thomæ terminus veræ conversionis debet immutari. Unde supra quæst. 2, art. 1, referens sententiam aliquorum dicentium unionem Incarnationis factam fuisse per conversionem naturæ humanæ in divinam, statim subdidit: « Sed hoc non potest esse. Primo « quidem, quia natura divina est omnino « immutabilis; ut in 1 parte dictum est :

(Continuatur.) (D. Tho.)

« unde nec ipsa potest converti in aliud, « cum sit incorruptibilis; nec aliud in « ipsam, cum ipsa sit ingenerabilis. » Ubi aperte supponit esse de ratione termini, in quem aliud convertitur, quod sit mutabilis, et mutationi subdatur. Cum igitur nullum sit inconveniens, sed veritas concedenda Christum in hoc sacramento aliquomodo immutari : necessarium non est procedere cum tanta ejus sententiæ præcisione (profecto non satis intelligibili), ut dicatur terminum hujus conversionis non esse aliud, quam Christum, ut est id, in quod convertitur panis, nulla facta ex parte hujus termini mutatione, vel additione.

Reintegratur discursus.

32. Colligendo itaque; hactenus dicta, ac propositiones satis certas, et communes, instauratur propositum a nobis fundamentum : nam cum conversio panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi non sit mera successio, et ordo unius loco alterius, sed vera actio, et efficientia, ut dub. præced. ostendimus : oportet assignare aliquem terminum, qui non solum succedat loco panis, et vini, sed aliquo modo per talem actionem conversivam fiat de novo sub speciebus. Hic autem terminus est substantia corporis, et sanguinis Christi, ut ipsum nomen transsubstantiationis evincit. Porro talis substantia non terminat actionem conversivam secundum modum, quem habet in se, sive prout in cœlo existens : sic enim potius est principium actionis : ergo terminat illam secundum alium modum : quod absque aliqua immutatione, et additione intelligi non valet. Id vero, quod substantiæ corporis, et sanguinis additur, ut terminet conversionem, sive ut fiat terminus per eam productus, et novo modo existens, nequit esse sola unio, vel præsentia ad species, vel in has influxus : quippe omnia hæc supponunt substantiam Christi terminantem productionem; et cum accidentia sint nequeunt constituere terminum in aliqua ratione substantiali, secundum quam possit transsubstantiationem, sive actionem substantialem terminare. Unde a sufficienti aliarum partium dinumeratione, et exclusione sequitur terminum hujus actionis esse substantiam corporis, et sanguinis Christi, non utcumque, sed cum novo modo substantiali, et concretive ad ipsum : sicut terminus generationis substantialis non est substantia utcumque, sed simul cum existentia per generationem producta vel communicata : et sicut terminus nutritionis est vivens non secundum se sumptum, sed quatenus importat novam portionem substantiæ, nutritione acquisitam.

§ II.

Referuntur sententiæ contrariæ, et specialia illorum motiva.

33. Contra nostram assertionem plures sunt sententiæ. Et quamvis omnes conveniant in ejus impugnatione, ad idque utantur communibus argumentis; tamen aliis specialibus motivis earum singulæ solent positive suaderi. Quare majoris claritatis gratia prædictas sententias prius referemus, ac propria uniuscujusque argumenta diluemus : et deinde illis, quæ communia sunt, et nostram assertionem oppugnant, satisfacere curabimus. Prima ergo sententia docet terminum hujus conversionis esse Christum non secundum esse substantiale, sed quatenus præsens speciebus sacramentalibus : unde consequenter affirmat terminum formalem hujus conversionis esse præsentiam accidentalem, et quasi localem Christi ad species : et similiter docet conversionem esse actionem non tam productivam, quam adductivam. Ita Scotus quodlib. 10, quæst 1, et in 4, dist. 11, quæst. 3 et 4, Ochamus ibidem quæst. 6, Major quæst. 1, Mairon quæst penultima, Lichetus, et alii tam ex Scotistis, quam ex Nominalibus. Et idem tuentur Bellarminus lib. 3, *de Eucharistia* cap. 18, Sainctes repetit. 7, et alii. Pro qua arguitur primo : nam talem oportet asserere terminum hujus conversionis, qualis sufficit ad salvandum veritatem verborum consecrationis : sed ad id sufficit quod Christus sit præsens speciebus sacramentalibus, sive quod per consecrationem acquirat præsentiam ad illas : ergo terminus hujus conversiouis est Christus ut præsens speciebus, et ratione talis præsentiæ. Probatur minor : nam hoc ipso, quod desinat esse panis, et Christus fiat præsens sub speciebus, verum est dicere nomine Christi : *Hoc est corpus meum.* Sed ad hoc argumentum satis constat ex dictis numero 20, ubi illud diluimus, quin opus sit alia nunc addere.

Prima opinio adversa. Scotus. Ocham. Aliacen. Major. Mairon. Lichet. Bellarm. Sainctes. Primum argumentum. Responsio.

Arguitu

Secundum argumentum. Arguitur secundo : quia Christus secundum illud præcise terminat conversionem, quod per conversionem acquirit : sed per conversionem solum acquirit aliquod esse accidentale, nempe, quod sit præsens sub speciebus sacramentalibus; siquidem omnia alia substantialia in ipso præsupponuntur: ergo Christus præcise terminat conversionem secundnm prædictam præsentiam sacramentalem, et accidentalem : quæ proinde debet esse terminus formalis hujus conversionis. Confirmatio. Confirmatur : quia ille est terminus proprius hujus conversionis, qui desinit esse ad desitionem specierum sacramentalium : oportet enim inceptionem, ac desitionem, et earum terminos sibi correspondere : sed quod ad desitionem specierum desinit esse, solum est Christus in quantum præsens speciebus, sive quantum ad præsentiam, ad species sacramentales; siquidem substantialiter, et in se nunquam desinit esse : ergo terminus proprius hujus conversionis est Christus præcise ut præsens speciebus, sive secundum præsentiam sacramentalem.

Evertuntur. Ad argumentum respondetur Christum terminare hanc conversionem secundum illud, qucd primario acquirit ex vi conversionis ; non autem secundum illud, quod acquirit secundario, aut ex consequenti : sicut proportionabiliter in aliis actionibus, et earum terminis contingit. Id autem quod Christus primario, ex vi conversionis acquirit, non est sola præsentia sacramentalis, et accidentalis ; hanc enim consequitur secundario, et ex consequenti : sed est suum esse substantiale cum speciali, et substantiali modo, quem nos asserimus; hic namque est prior, intimior, ac nobilior, quam præsentia accidentalis ad species. Unde non sequitur, quod talis præsentia sit terminus immediatus, aut formalis hujus conversionis, sed magis infertur oppositum. Unde ad confirmationem neganda est minor quantum ad illud, quod deficientibus, aut corruptis speciebus, principaliter desinit esse : hoc enim non est sola præsentia sacramentalis, et accidentalis corporis Christi; sed est ipse Christus, non quidem secundum suam substantiam absolutam, aut prout in se; sed secundum illum modum substantialem essendi, quem habebat ex vi conversionis.

Secunda 34. Secunda sententia asserit terminum hujus conversionis esse Christum secundum modum, quo unitur speciebus, vel quo sustentat accidentia : atque ideo talem modum esse terminum formalem hujus conversionis. Opinio contraria. Ita Henriquez lib. 8, cap. 24, et 25, Alanus lib. 1, a cap. 34, et alii. Henriq. Alanus. Pro qua sententia arguitur : nam ille est proprius hujus conversionis terminus, quo Argumentum. posito sequitur ex natura rei desitio panis: quippe terminus a quo fit recessens in mutatione, non excluditur nisi per terminum ad quem ejusdem mutationis : sed posito, quod corpus Christi uniatur speciebus, et sustentet accidentia panis, sequitur ex natura rei panis desitio : ergo terminus hujus conversionis est corpus Christi in quantum unitum speciebus, et sustentans accidentia. Probatur minor: quia ex natura rei fieri non potest, quod accidentia sint unita substantiæ panis, et corpori Christi, et quod ab utrisque simul sustententur : sicut fieri non potest, quod idem effectus pendeat a duabus causis totalibus : ergo posito, quod corpus Christi uniatur speciebus, et sustentet accidentia panis, sequitur ex natura rei panis desitio.

Solutio. Respondetur majorem solum verificari de eo, quo posito sequitur *immediate* panis desitio; secus autem, si solum sequatur *mediate* : quia tunc mediata desitio fit per alium terminum immediatum, et primarium. Et in hoc sensu negamus minorem, et ejus suppositum : quia licet unio corporis Christi ad species, et modus, quo sustentat accidentia, sint aliquid ex natura rei incompossibile cum substantia panis ; nihilominus immediata hujus desitio non fit per talem unionem, aut modum, sed per alium terminum primarium, et magis immediatum. Et ratio est : quia unio illa ad species, et modus sustentandi accidentia supponunt ordine naturæ Christum productum per conversionem panis : Christus autem ex pane factus est eidem incompossibilis : unde substantia panis non desinit immediate per illam unionem, aut modum, sed per corpus Christi ibi speciali modo factum, quod tam eam unionem, quam illum modum ordine naturæ antecedit. Quæ doctrina facile declaratur exemplo : nam accidentia compositi geniti sunt incompossibilia cum forma compositi præexistentis, ut patet comparando accidentia ignis geniti cnm forma ligni corrumpendi : quare accidentibus geniti positis

sequitur ex natura rei desitio formæ compositi præexistentis. Et tamen nemo recte arguet in hunc modum : ille est terminus generationis, quo posito sequitur ex natura rei desitio formæ compositi præexistentis : sed positis accidentibus ignis, v. g. tanto calore, sequitur ex natura rei desitio formæ ligni : ergo terminus proprius generationis constitit in prædictis accidentibus. Talem namque argumentationem esse nullius momenti liquet tum ex se : tum quia illa accidentia consequuntur formam substantialem compositi denuo geniti, quæ se ipsa expellit alteram formam ; tum quia cum generatio sit mutatio substantialis, debet non ad accidentia, sed ad aliquid de linea substantiæ terminari. Et hæc eadem motiva militant in præsenti materia, ut facile consideranti constabit.

Aliud argumentum. 35. Arguitur secundo : nam actio conversiva panis in corpus Christi est actio sacramentalis : sed omnis actio specificatur a termino : ergo oportet terminum hujus actionis esse aliquid sacramentale : atqui esse sacramentale corporis Christi consistit in modo, quo unitur speciebus, et sustentat accidentia : ergo proprius terminus hujus conversionis consistit in prædicto modo unionis, et sustentationis. Minor subsumpta, in qua poterat esse difficultas, suadetur : quoniam esse sacramentale corporis Christi significatur per verba, *Hoc est corpus meum* : hæc autem verba verificantur de corpore Christi, quatenus unitur speciebus, et sustentat accidentia ; siquidem nisi ita se gereret, non posset sensibiliter demonstrari, per ly *Hoc est* : ergo esse sacramentale corporis Christi consistit in modo talis unionis, et sustentationis.

Dilutio. Respondetur hoc argumentum in multis peccare : nam in primis, si quid valet, probat terminum proprium actionis conversivæ esse species sacramentales connotando corpus Christi, quod continent : id vero est evidenter falsum ; siquidem terminus conversionis est id, quod fit ex substantia panis, et vini : species autem, cum sint accidentia propria panis, et vini, non fiunt ex eorum substantia, sed sunt quasi terminus utriusque extremi conversionis, sub quo fiat transitus ab uno in aliud. Sequela ostenditur expendendo propositionem principaliter assumptam in hoc argumento, nempe actionem sacramentalem debere terminari ad aliquid sacramentale : nam maxime probat debere terminari ad id, quod præcipue sacramentale est, nempe ad ipsum sacramentum : hoc autem sacramentum consistit formaliter, adæquate, et ex parte recti in solis speciebus sacramentalibus continentibus corpus Christi, ut ostendimus disp. 2, dub. 2 : ergo argumentum, si quid valet, probat terminum proprium hujus conversionis esse prædictas species sacramentales. Præterea peccat argumentum non distinguendo in hac conversione conceptum primarium, et secundarium: nam quod primario in ea requiritur, est esse transitum physicum a substantia panis in corpus Christi : secundario autem, et ex consequenti ordinatur ad efficiendum sacramentum : quod satis est ut sacramentalis dicatur. Porro terminus cujuscumque actionis est ille, qui eam terminat secundum conceptum primarium. Unde non oportet terminum proprium actionis conversivæ esse aliquid sacramentale : sed debet esse substantia corporis Christi novo modo facta. Et sic insinuant Concilia, cum docent talem actionem merito appellari transubstantiationem, quia est a substantia in substantiam. Denique peccat, quia gratis concesso, quod terminus hujus conversionis debeat esse aliquid sacramentale; id tamen sufficienter salvatur in corpore Christi novo modo facto sub speciebus : quia licet sacramentum non sit, est tamen aliquid sacramentale, utpote pertinens in obliquo ad sacramentum, et per illud significatum : cui directe, non autem speciebus, correspondent verba, *Hoc est corpus meum*, ut satis ex se liquet. Diluitur itaque prædictum argumentum negando non unam solam, sed plures ex propositionibus, quas assumit. Et si recte expendatur, non magis probat hanc opinionem, quam sententiam Scoti supra rejectam : quia ut illa verba *Hoc est* etc. verificentur, debet corpus Christi esse præsens sub speciebus : et sic præsentia Christi sub illis erit terminus consecrationis. Fatemur ergo præsentiam corporis Christi, unionem corporis ad species, aut etiam sustentationem accidentium requiri ad veritatem prædictorum verborum : sed tamen pro priori ad præsentiam, unionem, et sustentationem intelligitur corpus Christi novo modo factum ex pane per conversionem : et hoc est terminus

terminus proprius, et immediatus talis conversionis.

Tertia opinio opposita

36. Tertia sententia docet terminum hujus conversionis esse corpus Christi, non quidem ut factum, aut productum sed ut speciali modo conservatum sub speciebus : unde consequenter affirmat hanc, quam vocamus actionem conversivam, non esse productionem, sed conservationem. Ita Gabriel in 4, distinctione 11, quæstione 1, articulo 3, dubio 2, et et lectione 40, *in Canone*, et Suarez disputatione 50, sectione 4, § *Quintus ergo modus*, pro eadem sententia referens non solum Beatum Albertum, Divum Bonaventuram, Alensem, Capreolum, Ferraram, Marsilium, et plures alios, sed etiam Angelicum Doctorem. Sed recte vidit, expendit, asseruitque Vazquez disputatione 181, cap. 5, prædictos Doctores illi sententiæ non suffragari, nec favere. Quod nobis argumento magis compendioso persuasum habemus. Non enim Suarius majori fundamento illos pro se allegat, nisi illo quod proponit § citato in fine, his verbis : « Denique omnes, qui absolute dicunt hanc actionem esse substantialem, « et terminum ejus esse substantiam, possunt pro hac sententia referri : quia illud « non potest aliter probabiliter explicari.» Quod si res ita se habet, omnes Thomistæ, et nos ipsi, licet Suarium impugnantes, potuimus, debuimusque pro hac ejus sententia referri : omnes namque dicimus conversionem hanc esse substantialem, et terminari ad substantiam : illud vero esse ridiculum nemo non videt. Porro quod additur communem illam sententiam non posse aliter probabiliter explicari, falsum excessive est : quia plures circa hoc sententiæ conferuntur, quæ licet certæ non sint, cum magna tamen probabilitate procedunt. Sed hoc omisso, pro prædicta opinione.

Gabriel. Suarez.

Argumentum.

Arguitur primo : quia illa actio proprie loquendo est non producens, sed conservans terminum, quæ supponit terminum jam productum, et existentem : sed ita se habet actio conversiva, de qua agimus ; siquidem Christus, qui est ejus terminus, præsupponitur jam productus, et actu existens: ergo hujusmodi conversio non de novo producit, sed de novo conservat corpus Christi. Confirmatur primo: nam quod producitur per aliquam actionem, transit de non esse ad esse, ut ex terminis constat : sed corpus Christi per hanc conversionem non transit de non esse ; siquidem ante conversionem supponitur existere : ergo corpus Christi non producitur per hujusmodi conversionem : atque ideo est terminus ejus, non quidem ut productum, sed ut novo modo conservatum. Confirmatur secundo : nam actio procedens ab aliquo principio nequit illud producere aut respicere tanquam terminum productum: alias idem esset prius, et posterius respectu sui; quod repugnat : sed Christus, et corpus Christi tanquam instrumentum divinitati conjunctum sunt principium actionis conversivæ: ergo Christus, et corpus ejus nequeunt esse terminus per talem actionem productus : atque ideo si terminant talem actionem, est, quatenus novo modo per illam conservantur.

Confirmatio I.

Secunda.

Satisfit argumento.

37. Respondetur hoc argumentum cum suis confirmationibus non tam impugnare sententiam nostram, quam opinionem Cajetani, et aliorum asserentium terminum hujus conversionis esse corpus Christi absque alia additione, vel mutatione; sed præcise in quantum est id, in quod convertitur panis. Qui curabunt eis satisfacere. Nos vero juxta doctrinam supra traditam respondemus ad argumentum actionem, quæ supponit terminum simpliciter productum, et existentem, non posse illum producere simpliciter, et absolute; posse tamen illum producere cum addito, nempe secundum novum, et distinctum modum existendi, qui per ipsam actionem communicatur. Et ita contingit in actione conversiva, de qua loquimur : nam supponit Christum simpliciter productum, et existentem; et ideo non tendit ad illum ita producendum ; sed ad producendum ejus corpus secundum novum, et distinctum modum essendi ad instar substantiæ spiritualis. Sicut actio augmentativa, quæ supponit vivens productum, non tendit ad producendum ipsum absolute : sed tamen producit illud ut majus, sive quantum ad novam portionem materiæ, et quantitatis. Qua doctrina uti debet Suarius, si argumentum ab eo factum conservationi applicetur, et in ipsum retorqueatur sub eadem forma : nam actio, quæ supponit aliquem terminum existentem, et simpliciter conservatum, nequit illum conservare : sed conversio, de qua loquimur, supponit corpus Christi existens et simpliciter conservatum : ergo nequit esse conservatio prædicti corporis. Ad quod res-

pondet, quod licet talis actio supponat corpus Christi simpliciter conservatum, et subinde non ordinetur ad illud conservandum simpliciter : potest tamen ordinari ad conservandum illud novo speciali, et supernaturali modo, quem habet in Eucharistia. Idem itaque ad ejus argumentum, et actionem producentem respondemus. Sed plane meliori jure: quia agimus de actione, quæ primo constituit Christum sub speciebus, quæ nequit esse conservatio : hæc enim supponit rei productionem, et existentiam; siquidem prius est rem fieri, et esse, quam conservari.

Diluitur prior confirmatio. Ad primam confirmationem respondetur eodem fere modo : nam si illud, quod producitur, producatur simpliciter, transit de non esse simpliciter ad esse simpliciter: sed si solum producatur cum addito, et quantum ad aliquem modum essendi, non requiritur, quod transeat de non esse simpliciter ad esse simpliciter; sed sufficit,quod transeat de non esse cum tali modo ad esse cum tali modo. Sic enim vivens, cum terminat augmentationem, quæ profecto actio, et productio est, producitur non simpliciter, sed cum addito, et quantum ad modum, nempe ut factum majus: ad quod non oportet, quod transeat de non esse simpliciter ad esse simpliciter, sed quod transeat de non esse majus ad esse majus. Et simili ratione quia corpus Christi ante hanc conversionem supponitur simpliciter existere, nequit transire de non esse simpliciter : sed tamen potest transire de non esse cum tali modo ad essendum cum tali modo : quia ante conversionem non præsupponebatur habere hunc modum essendi. Unde non producitur simpliciter: sed producitur cum addito quantum ad novum modum essendi. Et hæc etiam confirmatio diluenda est ab objiciente, si conservationi applicetur : quoniam quod per aliquam actionem incipit conservari, transit de non conservari ad conservari:sed corpus Christi ante conversionem panis jam conservabatur simpliciter : ergo per talem conversionem non incipit conservari. Ad quod respondebit Suarius eo discursu probari, quod corpus Christi non incipiat conservari simpliciter; secus autem, quod non incipiat conservari cum addito, nempe novo, et speciali modo. Quod ipsum de productione talis termini et nos respondemus.

Satisfit secundæ. Ad secundam confirmationem respondetur illam regerendo in opponentes: nam sicut impossibile apparet, quod actio procedens ab aliquo principio ipsum producat, vel habeat pro termino ; sic etiam non minus repugnare videtur, quod actio procedens ab aliquo principio, illud effective conservet, et tanquam terminum respiciat: nam generaliter desideratur, quod principium distinguatur a termino, ipsumque ordine naturæ præcedat. Quare prædicta difficultas non minus in Suarium dirigi valet, quam contra nos. Ad illam autem respondendum est actionem procedentem ab aliquo principio non posse illud primo producere, nec respicere ut terminum primo productum : posse tamen illud reproducere, et respicere tanquam terminum reproductum ; non quidem secundum eundem modum, quem tale principium habet, prout est principium, sed secundum alium modum essendi longe diversum. Nam hoc pacto salvatur principium distingui realiter a termino, et præcedere ipsum ordine naturæ, ut expendimus num. 23. Et præterea asseruimus terminum hujus conversionis esse corpus Christi, non secundum se, vel præcisive ab alia additione, vel mutatione; sed cum novo, et speciali modo essendi, quem in Eucharistia habet. Et si quis urgeat, quod non obstante hac additione, idem est esse, quod Christus in ratione termini habet, cum esse,quod accepit per primam productionem : respondetur eadem doctrina, quod est idem *esse* entitative, sed tamen cum diverso modo reali. Quod sufficit ad salvandum distinctionem inter principium, et terminum.

Aliud argumentum. 38. Arguitur secundo: quia necessario admittenda est aliqua nova actio conservans corpus Christi ut terminum conversionis : sed hoc supposito superfluit alia actio producens talem terminum : ergo conversio, sive actio conversiva non tam est productio, quam conservatio corporis Christi. Probatur major : quia actio conservans corpus Christi in cœlo non sufficit ad conservandum Christum in Eucharistia: tum quia actio conservans Christum in cœlo terminatur ad substantiam naturalem; actio autem conservans Christum in Eucharistia terminatur ad terminum supernaturalem saltem ex parte modi essendi. Tum quia Christus in Eucharistia habet esse modo præternaturali, non minus quam accidentia

tia

tia sine subjecto: atque ideo debet modo præternaturali conservari. Ergo admitti debet specialis aliqua actio, quæ Christum conservet ut terminum conversionis.

Solutio. Respondetur admittendo majorem, quam negant Gabriel loco cit. et N. Cornejo disp. 2, dub. 6, censentes eadem actione conservari substantiam Christi in cœlo, et in sacramento. Sed licet hoc verum sit loquendo de substantia Christi secundum se; quippe sicut est idem numero Christus utrobique, sic etiam conservatur eadem actione: tamen si loquamur de Christo prout in sacramento, necessaria videtur nova actio conservativa. Hanc enim non obscure evincunt probationes majoris in argumento propositæ. Et insuper suadetur: quia Christus in sacramento habet juxta nostram sententiam specialem modum supernaturalem ipsa conversione acquisitum: ergo necessaria est actio ad conservandum talem modum, et subinde ad conservandum corpus Christi cum tali modo, et concretive ad ipsum. Admissa itaque majori, neganda est minor: nam ex assertione novæ conservationis tantum abest, ut excludatur necessitas novæ actionis producentis, quod potius ex ea conservatione colligatur: nam prius est rem fieri, et esse, quam conservari: atque ideo prius est, quod Christus secundum modum, quo terminat conversionem, habeat fieri, et esse per conversionem, quam quod conservetur: et consequenter talis conversio prius, et immediatius terminatur ad corpus Christi sub conceptu productionis, quam sub conceptu conservationis. Non oportet autem quod talis productio sit alia actio distincta a conservatione, ut falso in minori supponitur: quia generaliter, et per se loquendo eadem primæ causæ actione, qua res producitur, etiam conservatur: et ita contingit in hac materia; licet actio instrumentaria vel humanitatis Christi, vel sacerdotum, vel verborum consecrationis, quæ ad primam conversionem concurrunt, non requirantur ad conservandum deinceps terminum, qui conversione fit.

Quarta opinio contraria. 39. Quarta sententia docet terminum hujus conversionis esse substantiam Christi non ut actu productam, sed ut producibilem, et quæ per conversionem produceretur, si non supponeretur producta: censet enim hæc sententia actionem conversivam non producere actu substantiam Christi in Sacramento, sed esse productivam illius. Ita docuit Joannes Vincentius in M. S. et prius insinuaverat Scotus quodlib. 10, § *Intellectus in secunda solutione*, et illi etiam favet Sotus in 4, dist. 9, art. 4, circa finem. Hujus sententiæ motivum reducitur ad hoc, quod terminus hujus actionis debet esse substantia Christi: sed non substantia Christi ut facta per talem actionem; siquidem ante illam supponitur producta, et existens: ergo est subtantia Christi ut producibilis, et quæ per conversionem produceretur, si non supponeretur producta. Sed ad hoc motivum satis constat ex supra dictis, et præsertim num. 23, et 37, negandam esse minorem: quia licet substantia Christi per hanc conversionem non fiat ut primo producta, fit tamen ut reproducta; non quidem secundum se, et præcisive ab omni modo, sed concretive ad novum, et supernaturalem modum essendi, quem consecratione acquirit. Dato autem, quod substantia corporis Christi de novo per conversionem non produceretur, immerito diceretur terminus actionis conversivæ, ut supra num. 29 ostendimus; sed oporteret alium terminum primarium assignare: nulla enim actio productiva assignari valet, quæ non sit exercita efficientia alicujus termini primarii; cum sit actualis communicatio, et exercitium causæ aliquid efficientis. Non occurrunt autem alia motiva positiva, quibus hæc sententia suadeatur.

(Margin: Scotus. Sotus. Argumentum. Dispellitur.)

Quinta opinio adversa. 40. Quinta sententia docet terminum formalem, et primarium hujus actionis esse substantiam corporis Christi, ut est id, in quod convertitur panis, vel quod fit ex pane: ad quod ulterius docet non requiri aliquam mutationem, vel additionem in prædicto termino factam: quia sufficere existimat, quod corpus Christi terminet actionem hanc sub aliqua speciali ratione, sub qua non terminat generationem, vel creationem, vel aliam actionem, nempe in quantum factum ex pane, quod in aliis actionibus, et immutationibus non invenitur. Ita Cajetanus in præsenti art. 4. Nugnus ibidem, Joan. a S. Thom. disp. 28, art. 2, § *Nostra ergo resolutio*. N. Antonius a Spiritu Sancto *in Direct. Confessar.* tract. 6, disp. 4, sect. 4, num. 127, cum seq. et alii. Idemque tueri videntur Gonet disp. 4, art. 2, concl. ult. Contenson dissert. 1, cap. 2, sub titulo *Quæres, quænam actio*

(Margin: Cajet. Nugnus. Joan. a S. Tho. Anton. a Spir. S. Gonet. Contens. N. Corn.)

etc. et N. Cornejo disp. 2, dub. 8. Sed tamen non satis se declarant, et nostram sententiam haud obscure insinuant concedendo corpus Christi, quod est terminus hujus conversionis, suscipere diversum modum essendi, atque subire ex vi actionis conversivæ aliquam mutationem. Sic enim loquuntur Gonet loco cit. n. 54, et N. Cornejo in resp. ad 1.

Argumentum. Fundamentum quasi unicum hujus sententiæ est : nam ex una parte concedendum est terminum hujus conversionis per eam factum, et productum esse corpus Christi, ut omnes Thomistæ concedunt, et constat ex dictis a num. 15, et ex alia parte oportet nullum motum, aut mutationem admittere in corpore Christi, prout est terminus conversionis : sed hæc duo non aptius possunt conciliari, aut explicari, quam dicendo terminum hujus conversionis esse corpus Christi, ut est id, in quod convertitur panis absque ulla sibi facta additione, vel mutatione : ergo sic affirmandum est. Major quoad secundam partem in qua poterat esse difficultas, probatur : nam D. Tho. in tota hac quæst. supponit, et significat corpus Christi, prout terminat conversionem, et existit in sacramento, esse incapax cujuscumque mutationis, nisi solius motus localis ad motum specierum.

Confirmatio. Confirmatur : nam ut corpus Christi terminet hanc novam actionem conversivam, necessarium non est, quod in eo fiat aliqua additio, vel mutatio realis : ergo terminus talis actionis non est corpus Christi cum additione modi, vel alterius realitatis, qua immutetur, sed præcise importat esse id, in quod convertitur panis. Consequentia patet : nam frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora. Et antecedens suadetur : quia idem entitative corpus absque ulla additione sibi facta potest terminare diversas actiones ex hoc præcise, quod respiciatur, et attingatur diverso modo, aut secundum diversam rationem terminativam. Sic enim idem corpus v. g. Adami, quod factum fuit a Deo per actionem formativam ex luto, potuit terminare creationem, si fieret sub ratione entis ex nihilo, et potuit fieri per generationem viventium, si ortum traheret a parentibus in similitudinem naturæ : et tamen semper esset idem terminus *qui*, sive res producta absque alia ex parte sui additione, vel mutatione.

Diluitur argumentum. Ad fundamentum respondetur negando majorem quoad secundam partem : oppositum enim ostendimus num. 31. Ad ejus autem probationem dicendum est D. Thomam solum negare corpori Christi existenti in sacramento mutationem physicam corruptivam, quæ afferat amissionem alicujus esse : non tamen negare omnem mutationem, quin potius supponere omnem terminum, in quem potest fieri conversio, esse mutabilem, et si in eum fiat conversio, mutari actu, ut constat ex dictis loco citato.

Ad confirmationem negamus in eodem sensu antecedens. Solvitur confirmatio. Cujus probatio non urget : quia non dubitamus actiones realiter, et specie differentes posse respicere eundem entitative terminum *qui* attingendo illum sub diversis rationibus *sub quibus* : sicut etiam in habitibus respicientibus idem materiale objectum proportionabiliter contingit. Unde fatemur idem numero corpus Christi potuisse produci creatione, generatione, et conversione : et ita quantum ad terminandum generationem, et conversioem res de facto se habet. Cæterum ad hoc quod in ista conversione addatur aliquid modale corpori Christi, ut illam exercite terminet, adsunt specialia motiva, quæ expendimus § præced. Præcipua vero sunt duo. Tum quod corpus Christi antecedenter ad hanc conversionem supponitur simpliciter productum, et factum secundum modum essendi naturalem : unde impossibile est, quod conversione fiat secundum eundem modum : fit ergo secuudum alium modum longe diversum : atque suscipit ex vi conversionis novum, et diversum essendi modum : id vero intelligi non valet absque aliqua additione, et mutatione in corpore Christi facta. Tum quod impossibile sit principium actionis, et terminum ea productum non distingni realiter : est autem corpus Christi principium hujus actionis, et etiam terminus ejus : ergo necessarium est corpus Christi in quantum est terminus hujus actionis, importare aliquid, quo realiter distinguatur a se ipso, ut exercet rationem principii : et sic oportet ponere aliquam additionem, et mutationem in corpore Christi, ut habet rationem termini terminantis hanc conversionem. Eo vel maxime quod Joan. a S. Thom. et alii ex patronis opinionis contrariæ aperte fatentur corpus Christi ut terminum hujus conversionis importare habitudinem ad terminum ex quo fit, et specialem dependentiæ

pendentiæ respectum ad Deum prædictæ conversionis auctorem : quæ vix,aut nullo modo intelligi valent absque aliqua additione, et mutatione in corpore Christi, quatenus conversionem terminat, factis.

§ III.

Dissolvuntur communia argumenta contra nostram assertionem.

41. Succedit, ut argumentis, quibus omnes relatæ opiniones nostram assertionem oppugnant, satisfaciamus : quamvis enim inter se dissideant, ut § præced. vidimus; conveniunt tamen in eo, quod terminus hujus conversionis non sit corpus Christi cum aliquo novo modo substantiali. Et

Primum argumentum.

arguunt primo : quia nihil in termino hujus conversionis debet addi, vel admitti, nisi quod necessarium fuerit ad veritatem verborum consecrationis : sed ad hanc ex sententia Concilii Tridentini non requiritur, nisi quod substantia panis convertatur in substantiam corporis Christi : et Concilium alterius modi superadditi non meminit : ergo superflue, et contra mentem Concilii introducimus hunc modum addendum termino conversionis.

Confirmatio.

Confirmatur : quia inde sequitur Christum in Eucharistia habere modum aliquem intrinsecum substantialem,quem non habet in cœlo : quod ex se apparet satis absurdum.

Dissolvuntur.

Ad argumentum respondetur negando minorem : nam ut panis convertatur in corpus Christi sicut in terminum talis transubstantiationis, necessarium est quod ex parte corporis Christi in esse termini addatur aliquis novus modus substantialis propter motiva, quæ supra proposuimus. Unde quamvis Concilium Tridentinum hunc modum expresse non recensuerit, nec ejus meminerit; illum tamen minime exclusit, sed potius virtualiter asseruit in eo ipso, quod dixit totam substantiam panis, et vini converti in substantiam corporis, et sanguinis Christi. Non enim potest corpus Christi esse id, in quod panis convertitur, nisi ex ipsa conversione suscipiat novum modum essendi, quem prius non habebat. Ad confirmationen respondemus, quod sicut non est inconveniens Christum in Eucharistia habere aliqua, quæ non habet in cœlo, utpute præsentiam ad species sacramentales, et existere indivisibiliter in omnibus, et singulis earum partibus : sic etiam non est inconveniens, quod in Eucharistia habeat hunc modum substantialem, quem asserimus, licet in cœlo illum non habeat. Sunt enim aliqua, quæ conveniunt Christo formaliter, in quantum est terminus consecrationis, et existit in sacramento: quæ non oportet convenireChristo secundum se, aut prout existit in cœlo.

Secundum argumentum.

42. Arguitur secundo : nam impossibile est corpori Christi, ut est terminus hujus conversionis, superaddi modum, qui sit substantialis : ergo falso asserimus talem modum : atque ideo non oportet illum modum intrinsecum Christo in esse termini addere. Hæc secunda patet ex prima : quia vel Christo, ut sit terminus conversionis, nihil est addendum, vel illud debet esse substantiale, ut supra dicebamus : ergo si hic modus non est substantialis, non debet addi corpori Christi, ut terminet conversionem. Prima vero consequentia patet ex antecedenti. Quod ita ostenditur ; nam quod advenit enti constituto in actu existentiæ, nequit esse substantiale, sed debet esse accidentale ; siquidem existentia est ultima rei actualitas in qualibet linea : at modus, de quo agimus, si daretur, adveniret enti constituto in actu existentiæ : quippe adveniret Christo jam producto, atque existenti in suo esse naturali : ergo impossibile est, quod corpori Christi, ut terminet hanc conversionem, addatur modus aliquis, qui sit substantialis. Et confirmatur præveniendo, et præcludendo tacitam evasionem : quia nullus modus potest proprie, aut improprie esse entitative substantialis, nisi pertineat ad constitutionem substantiæ : aliter enim supponit substantiam adæquate constitutam, et sic egreditur ejus ordinem, et pertinet ad lineam accidentis : sed modus, de quo agimus, non pertinet ad constitutionem substantiæ ; siquidem Christus ante illum supponitur in linea naturæ, et subsistens, atque existens : ergo talis modus nequit proprie, aut improprie dici substantialis entitative.

Confirmatio.

Occurritur argumento.

Ad argumentum negatur antecedens. Et ad ejus probationem dicendum est quod licet omne, quod advenit enti constituto in actu existentiæ, debeat esse accidens prædicabile respectu subjecti, quippe quod

advenit accidentaliter, et de illo accidentaliter prædicatur : nihilominus potest esse aliquid substantiale entitative, et prædicamentaliter. Sic enim quod viventi per nutritionem acquiritur, advenit enti jam existenti: et tamen est aliquid substantiale. Et si manco restitueretur manus, adveniret utique enti existenti in actu, atque ideo adveniret accidentaliter prædicabiliter : et tamen non propterea adveniret aliquid, quod entitative esset accidens. Et ratio est : quia possunt aliqua ita advenire enti in actu, quod nihilominus perficiant, et afficiant substantiam in sua linea substantiali ipsam magis complendo, et determinando. Et quamvis id repugnaret in ordine naturali, aut per respectum ad potentiam ordinariam : nulla tamen occurritur ratio, ut repugnet in ordine supernaturali, et per respectum ad potentiam absolutam : non enim implicat, quod Deus substantiæ habenti suum modum essendi naturalem communicet alium modum essendi supernaturalem; et quod uterque modus perficiat substantiam in sua linea substantiali, quamvis aliter, et aliter. Atque ita contingit in præsenti materia : nam substantia humanitatis Christi ex suo modo naturali petit divisibilitatem saltem potentialem, et correspondentiam ad locum : unde fundat quantitatem, qua actu extenditur, et habet esse in loco circumscriptive. Sed tamen prædicta substantia secundum suam potentiam obedientialem, et per respectum ad absolutam potentiam Dei supernaturaliter agentis est capax suscipiendi alium modum essendi, nempe indivisibiliter, et ad instar substantiæ spiritualis. Et sicut hic effectus est substantialis, sic oportet, quod fiat per modum entitative substantialem, qui prævenit quantitatem, et omnia accidentia humanitatis Christi, et ad ea quasi per modum radicis derivat, quod similiter existant in sacramento.

Diruitur confirmatio. Juxta quam doctrinam respondetur confirmationi distinguendo majorem : quæ si intelligatur de modo, qui non pertineat ad constitutionem substantiæ in ordine tam naturali, quam supernaturali, sive quantum ad modum essendi tam naturalem, quam supernaturalem, admittenda est : negari vero debet, si intelligatur de modo, qui licet non pertineat ad constitutionem substantiæ in ordine naturali, sive quantum ad modum essendi connaturalem; pertinet nihilominus ad constitutionem substantiæ in alio ordine supernaturali, sive quantum ad modum essendi præternaturalem, et supra propriam substantiæ exigentiam. Et distinguendo minorem eodem modo, negamus absolute consequentiam : quoniam licet hic modus supponat substantiam Christi constitutam in actu tam in linea naturæ, quam subsistendi, et existendi quantum ad modum essendi naturalem, et ejusdem substantiæ proprium : et propterea talis modus non pertinet ad constitutionem substantiæ in ordine naturali : nihilominus talis modus non supponit substantiam constitutam in ordine supernaturali quantum ad munus essendi indivisibiliter, et ad instar substantiæ spiritualis. Unde locus relinquitur, ut talis modus adhuc compleat substantiam, pertineatque ad ejus constitutionem quantum ad exercitium essendi proxime dictum. Unde magis infertur talem modum esse entitative substantialem, non naturalem, sed supernaturalem ob superius dicta.

43. Arguitur tertio : quia dici non potest hunc modum a nobis assertum esse eundem numero in corpore Christi existente in pluribus, et diversis numero sacramentis Eucharistiæ: sed nec dici potest, quod multiplicetur numero juxta multitudinem sacramentorum : ergo talis modus reputari debet impossibilis, et fictitius. Consequentia patet. Et major suadetur : nam si consequenter loquamur, fateri oportet, quod ubi Christus est sub uno sacramento, conservat illum modum : et ubi desinit esse sub alio sacramento per corruptionem specierum, exuit talem modum : sed impossibile est eundem numero modum conservari, et deperdi, existere, et non existere : ergo dici non potest hunc modum esse eundem numero in corpore Christi existente in pluribus, et diversis numero sacramentis. Minor etiam ostenditur : quoniam sicut accidentia habent unitatem numericam a subjecto; et ideo juxta sententiam D. Thom. et discipulorum implicat, quod plura accidentia solo numero distincta recipiantur in eodem numero subjecto : sic etiam modi substantiales individuantur a substantia, quam modificant; et propterea repugnat plures modos substantiales solo numero distinctos afficere eandem numero substantiam : sed Tertium argumentum.

corpus

corpus Christi, in quo reciperetur modus substantialis a nobis assertus, est eadem numero substantia in omnibus sacramentis : ergo dici non valet, quod talis modus multiplicetur numero in corpore Christi juxta multitudinem numericam sacramentorum.

Solutio. Respondetur hoc argumentum ab objicientibus, et ab omnibus diluendum esse, si applicetur sub eadem forma præsentiæ sacramentali, quam habet Christus in Eucharistia, sive sit relatio, sive unio, sive quid aliud de quo infra disp. 6, dub. 2. Non enim videtur, quod talis præsentia possit esse una numero in Christo pro omnibus sacramentis; siquidem conservatur in uno, et cessat in alio ad corruptionem specierum. Nec videtur, quod possit numero multiplicari; cum ejus subjectum, nempe corpus Christi sit unum numero. Et tamen propter hæc non oportet negare additionem realem præsentiæ sacramentalis Christi ad species : sed expedit magis argumentum convenienter diluere. Et idem dicimus de hoc modo sacramentali, quem asserimus. Ad argumentum ergo posset respondere prædictum modum esse eundem numero in corpore Christi in omnibus, et pluribus sacramentis, atque identificari cum corpore Christi, retenta sola distinctione modali. Et ad hujus partis impugnationem responderet, quod sicut corpus Christi, unum numero cum sit, potest esse, et conservari in uno sacramento, et desinere esse in alio sacramento, ad corruptionem specierum, quia non desinit esse sub sacramento, isto deficiente : sic etiam modus ille potest conservari in uno sacramento, et desinere esse in alio sacramento ; quia talis modus non deficit absolute, quamdiu corpus Christi manet sub aliquo sacramento, sed solum desinit esse sub isto, aut illo sacramento, quia istud deficit corruptis speciebus. Qua responsione haud obscure se expediret ab objecta difficultate, quantum illa postulat ex vi formæ.

44 Sed absolute, et consequenter ad hactenus dicta concedendum est prædictum modum multiplicari numero juxta multitudinem numericam consecrationum, et sacramentorum. Ponitur enim hic modus, ut Christus, (qui supponitur productus, et existens,) reproducatur, et fiat existens secundum alium modum essendi realem Unde oportet per distinctam conversionem alium distinctum modum produci. Alioquin si non daretur nisi unus numero modus factus per primam conversionem ; sequeretur vel in secunda non inveniri modum ex parte termini ; vel debere præexistentem modum reproduci, et pro illo adstrui etiam miraculum : quæ plane sunt absurda. Fateri itaque oportet Christi corpus in diversis sacramentis habere distinctos realiter modos, per quos, et sub quibus terminat diversas numero conversiones ; sicut etiam in diversis sacramentis habet diversas realiter præsentias sacramentales, ut omnes communiter concedunt, et constabit ex dicendis disp. citata. Eo vel maxime, quod licet hic modus substantialis non sit formaliter ipsa præsentia sacramentalis ; illam tamen proxime fundat : atque ideo oportet, quod eidem in sua unitate, vel multiplicitate commensuretur.

Hac vero reali distinctione prædictorum modorum admissa, pungit argumenti difficultas : quia ex una parte non apparet, quomodo distinctio realis talium modorum sit pure numerica ; cum omnes prædicti modi recipiantur in eodem numero corpore Christi; et distinctio numerica, sive pure materialis modorum debeat desumi a subjecto, quod est principium distinctionis materialis, ut in accidentibus contingit, et recte argumentum expendit. Porro ex alia parte haud facile intelligitur, qualiter ea realis distinctio sit specifica, sive formalis, et essentialis : quia non est assignabile principium talis distinctionis in prædictis modis. Si enim attendamus ad corpus Christi, est idem numero in omnibus sacramentis, ut fides docet : si vero consideremus panes, ex quibus fit conversio, omnes sunt, vel saltem esse possunt ejusdem speciei infimæ : et denique si fiat recursus ad quantitatem, et alia accidentia, sub quibus corpus Christi per transubstantiationem constituitur, quantitas unius sacramenti non distinguitur essentialiter a quantitate alterius sacramenti, et sic de aliis accidentibus, ut satis ex se liquet. Si autem inter prædictos modos non datur vel distinctio pure numerica, vel distinctio essentialis : impossibile est prædictos modos realiter distingui : et sic redit difficultas argumenti. Sed tamen cum eadem occurrat in præsentia sacramentali, ut facile consideranti constabit non oppugnat specialiter

Expenditur magis difficultas.

nostram doctrinam, et ab omnibus dilui debet.

Satisfactio. 45. Respondemus ergo primo prædictos modos distingui realiter essentialiter, sive specifice. Et ratio est (per quam simul difficultati immediate repræsentatæ occurrimus) : quoniam tales modi respiciunt (quippe qui non sunt omnino absoluti, sed transcendentaliter relativi) tam materiam, ex qua fit perconversionem corpus Christi, quam accidentia, sub quibus constituitur ; non utcumque, sed essentialiter, nec secundum communem rationem panis, quantitatis etc. Sed secundum suas proprias rationes individuales : ita quod rationes hujusmodi, quæ sunt materiales, et individuales respectu panis secundum se, et quantitatis secundum se ; sint quasi termini per se primo inspecti ab hujusmodi modis : unde mutuantur essentialem distinctionem. Modus enim, quem corpus Christi acquirit, sub sacramento A, respicit essentialiter, et per se primo hunc panem ut hunc, et hanc quantitatem ut hanc : modus vero, quem acquirit sub sacramento B, respicit essentialiter alium numero panem ut alium, et aliam numero quantitatem ut aliam : et sic de cæteris. Unde distinctio panum, et quantitatum, quæ est materialis, et individua in esse rei, est formalis,et specifica in esse termini prout tales res respiciuntur a prædictis modis : quocirca et hi modi non solum numero, sed essentialiter differunt. Potestque ista responsio confirmari, ac declarari doctrina, et exemplis, quæ expendimus tract. 1, disp. 2, dub. 3, a num. 73. Etenim duæ species repræsentantes duo objecta solo numero distincta, utputa duo alba, aut duos homines, distinguuntur non dumtaxat numero, aut materialiter, sed essentialiter, et specifice, (unde etiam habent, quod recipiautur in eodem intellectu, vel sensu) : quoniam talia objecta repræsentantur per se primo per illas species non secundum aliquam rationem eisdem communem, in qua conveniunt, sed secundum proprias, et particulares rationes, in quibus differunt : et subinde licet in esse rei solum differant materialiter, et numerice ; nihilominus in esse termini, aut objecti repræsentati in speciebus illa repræsentantibus, distinguuntur essentialiter, atque specifice, similemque distinctionem ad species ipsas derivant. Idem itaque et ob idem motivum contingit in duabus visionibus duorum alborum, et duorum hominum : differunt enim tales visiones non solum numero, sed essentialiter, et specifice. Ad hunc itaque modum contingit in præsenti materia:nam licet duos panes, aut duæ quantitates, et similia differant solum numero inter se, si considerentur in esse rei propter convenientiam essentialem, quam in esse rei habent in aliqua ratione sibi communi : nihilominus modi, sub quibus Christus terminat transubstantiationem, distinguuntur essentialiter, et specifice : quia tales modi respiciunt per se tum panes, tum quantitates, et alia accidentia non secundum rationem præcise communem, sed secundum proprias,peculiares, et individuales eorum rationes. Unde ex unitate specifica istorum terminorum, aut connotatorum nec recte colligiturconvenientia specifica talium modorum : sed magis colligitur, quod essentialiter differant. Et hanc responsionem applicatam modis præsentiæ sacramentalis amplectitur nominatim Gonet disp. 5, art. 3, num. 60, estque valde probabilis. Nota. Gonet.

Alia responsio præferenda. Secundo, nec minus probabiliter (idque nobis magis arridet,) respondetur tales modos substantiales distingui realiter ; non quidem specifice, sed solum materialiter, et numerice. Tum quia Christus eodem formaliter modo terminat unam conversionem, quam aliam : unde non oportet tales modos formaliter distingui. Tum quia sicut vitari debet distinctio, et multiplicitas, ubi potest ; sic etiam vitari debet distinctio specifica, et essentialis, ubi sufficit alia distinctio inferior, nempe materialis, et numerica : non est autem urgens aliquod caput, unde obligemur inducere distinctionem specificam, et essentialem inter prædictos modos : quæ enim in præcedenti responsione expendimus aptiora quidem sunt ad eludendum vim argumenti illamque superandum probabiliter exemplis, quam ad fundandum positive necessitatem distinctionis essentialis inter prædictos modos : nam et tales modi sunt simpliciter absoluti, et non est ratio, quare debeant ex sua specie respicere illos terminos, aut connotare cum restrictione ad eorum differentias numericas, sicut in speciebus, aut visionibus duorum objectorum solo numero distinctorum contingit. Tum denique, nam quod corpus Christi sit realiter unum numero, non probat modos istos

tos in eo receptos debere plusquam numero distingui, ut statim explicabimus. Ad difficultatem igitur argumenti contra hanc partem (quam magis approbamus) objectam, dicendum est unitatem, et distinctionem mere numericam cum accidentium, cum modorum desumi a subjecto desumpto non pure materialiter in esse entis, sed formaliter in esse subjecti. Contingit autem subjectum unum, et idem in ésse entis multiplicari formaliter in esse subjecti, sive esse æquivalenter, et virtualiter plura subjecta propter diversas connotationes, quas importat in recipiendo accidentia, vel modos, ut explicuimus loco citato ex tract. 1, a num. 16. Ex hac enim radice provenit, quod diversa solo numero accidentia recipiantur successive in eodem materialiter subjecto; et quod ab illo, cum unum sit, mutuentur distinctionem individualem : quia videlicet subjectum in individuando accidentia importat connotationem ad tempus: unde connotando diversa tempora fit multiplex in esse subjecti, et principii individuationis ; licet semper entitative sit unum, et idem materialiter, et in esse entis : et propterea connotando diversa tempora, ut in receptione successiva contingit, potest plura accidentia solo numero differentia suscipere. Sic etiam quia locus individuatur ab ultima superficie corporis continentis, non quidem omnino materialiter sumpta, sed quatenus subest certæ, et determinatæ distantiæ ad polos mundi, et centrum terræ ; fieri optime potest, quod prædicta superficies sit materialiter, atque in esse entis una, et eadem ; et tamen varietur formaliter in fundando propriam rationem loci, ut accidit, quando locatum eadem superficie circumdatum movetur. Ad

Nota. rem igitur : corpus Christi est subjectum hujusmodi substantialis, de quo agimus, non acceptum utcumque, sive materialiter, et in esse entis ; sed formaliter, quatenus succedit loco substantiæ panis, quæ in ipsum convertitur. Unde ubi terminat plures numero conversiones, est æquivalenter, et virtualiter multiplex : sicut substantiæ in ipsum conversæ, si ibidem essent, forent formaliter plures numero. Et consequenter licet corpus Christi in omnibus sacramentis sit idem realiter entitative, ut fides docet ; potest tamen suscipere in diversis sacramentis diversos modos substantiales, de quibus agimus : quia est æquivalenter (atque ideo formaliter in esse subjecti, et principii individuationis talium modorum) multiplex numero: sicut differrent realiter numero substantiæ, in quarum locum succedit per transubstantionem earum in se. Et quamvis contra hanc doctrinam possint aliquæ objectiones formari, leviusculæ tamen sunt, et facile convelluntur ex dictis.

46. Arguitur quarto : quia ex nostra sententia sequitur terminum formalem conversionis sacramentalis esse hunc modum substantialem a nobis assertum : consequens est falsum : ergo et prædicta sententia. Sequela ostenditur : quia Christus non aliter terminat prædictam conversionem nisi ratione talis modi : hic igitur erit terminus formalis conversionis. Falsitas autem consequentis satis liquet : quia Concilia, et Theologi non dicunt substantiam panis converti in aliquem modum, vel in aliquid, quam in corpus Christi. Et confirmatur: quia supra num. 25, refutavimus sententiam Scoti, et aliorum asserentium terminum hujus conversionis esse præsentiam corporis Christi ad species sacramentales : sed eadem inconvenienta occurrunt in eo, quod dicamus terminum hujus conversionis esse modum superadditum corpori Christi, ut consideranti constabit : ergo minus consequenter procedimus. Quartum argumentum. Confirmatio

Ad argumentum respondetur nos non asserere, nec leviter hactenus insinuasse, quod terminus formalis conversionis, sive transubstantiationis sit solus hic modus superadditus corpori Christi præcisive sumptus : sed asserimus, et hucusque significavimus terminum, in quem convertitur substantia panis, et vini, esse corpus Christi cum tali, aut sub tali modo. In quo nihil affirmamus, quod satis commune non sit in Conciliis, et apud Theologos, quippe salvamus terminum *qui* conversionis esse corpus Christi factum ex pane. Quomodo autem prædictus modus se habeat in termino *qui*, alia quæstio est nec admodum necessaria, nec resolutione difficilis. Et in primis tenendum est prædictum modum pertinere ad terminum *qui* saltem materialiter acceptum : fit enim, et producitur per conversionem ex pane simul cum corpore Christi. Quo supposito, potest dici talem modum pertinere ad terminum *qui* non per modum rationis formalis, sed per modum conditionis necessariæ, et connotati inseparabilis : et ita corpus Christi ut factum ex Diluitur argumentum. Nota.

pane, quod est terminus hujus conversionis importabit in recto, et pro formali se ipsum connotando tamen in obliquo per modum conditionis essentialis prædictum modum: sicut in generatione terminus *qui* est suppositum, et terminus *quo*, aut formalis natura, aut forma ; existentia autem connotatur tanquam conditio insupplebilis, sine qua illi termini nequeunt terminare generationem. Potest etiam dici prædictum modum esse terminum *quo*, sive rationem formalem, sub qua corpus Christi terminat conversionem : quia non terminat utcumque, aut secundum se, sed quatenus induit illum novum modum existendi ad instar substantiarum spiritualium, ut supra explicuimus. Per quod non tollitur, quod corpus Christi sit terminus *qui*, et in quem fiat simpliciter conversio : sicut nec ex eo, quod Angelus terminet creationem sub ratione formali entis, sequitur terminum *qui* talis creationis non esse hoc ens particulare, nempe hunc Angelum particularem, qui creatur.

Solvitur confirmatio. Ad confirmationem respondetur negando minorem : distant enim toto cœlo nostra et Scoti sententia. Ille namque docet panem, qui est materia Eucharistiæ, desinere per annihilationem : unde consequenter obligatur concedere desinere, et abire in nihil, et subinde non transubstantiari in corpus Christi : quod plane evertit veram conversionem substantialem necessario et catholice concedendam, ut supra expendimus dub. 1. Nos vero non aliter desinere panem dicimus, quam per simplicem mutationem, sive transubstantiationem in corporis Christi substantiam. Deinde ille, cum priorem illam annihilationem adstruat, non aliter salvat corpus Christi in Eucharistia constitui, quam per actionem adductivam, cujus primarius terminus sit præsentia accidentalis corporis Christi ad species : ex quo fit juxta prædictam sententiam et tolli veram conversionem unius substantiæ in aliam, et destrui proprium conceptum transubstantiationis, et actionis substantialis, sive terminatæ ad terminum substantialem : quæ tamen necessario concedi debent in hoc mysterio, ut ostendimus *in hoc et præcedenti dubio*. Nos autem plane concedimus transubstantiationem, sive quod substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi tanquam in terminum proprium *qui* talis actionis. Et quod addamus novum modum, nihil tali veritati præjudicat, ut explicuimus in solutione argumenti. Debet autem prædictus modus addi ob superius dicta : tum quia Christus, qui præsupponitur, nequit reproduci nisi sub alio modo : tum quia sine illo salvari non valet distinctio realis necessario concedenda inter Christum in esse principii et Christum in esse effectus talis conversionis. Quare nihil commune habet assertio nostra cum Scoti sententia.

§ IV.

Appendix præcedentis doctrinæ duo incidentia dubia resolvens.

47. Quæ hactenus diximus procedunt de facto, et attenta præsenti providentia, qua Deus disposuit corpus et sanguinem Christi esse in sacramento Eucharistiæ, quamque edocemur ex Scriptura, Conciliis et Patribus. Solent autem hujus doctrinæ occasione alia dubia excitari, quæ magis respiciunt aliam Dei providentiam, nempe absolutam, attenta ejus potestate et non repugnantia rerum. Præcipua vero duo sunt. Primum utrum licet de facto Christus fiat præsens in Eucharistia per conversionem panis et vini in ejus corpus et sanguinem, ut certa fide credimus; potuerit aliter fieri præsens independenter a tali conversione, sed alio modo; sive corpus existeret simul cum panis substantia, sive hæc aliter quam per conversionem destrueretur ? Secundum an quælibet res possit divinitus in alteram rem substantialiter converti ? Sed quia horum difficultatum decisio haud obscure colligitur ex doctrina hucusque tradita, et non tam ad tractatum istum spectat, quam ad investigationes metaphysicas; de re censuimus ex una parte eam non omittere, et ex alia parte nova dubia pro illa non aperire, sed eam magis per modum corollarii, et appendicis attexere. Dubium I. Dubium 2.

Prima circa primum dubium opinio. Circa primum igitur dubium plures sunt sententiæ inter ipsos etiam discipulos D. Thomæ. Prima docet implicare per respectum ad quamcumque potentiam, quod corpus Christi constituatur in Eucharistia, sive sub quantitate et accidentibus hujus sacramenti, nisi per conversionem substantiæ

Capreol. Palud. Herbeus. Ferrara. D. Bon. Marsil. tantiæ panis in ipsum. Ita sentiunt Capreolus in 4, dist. 11, quæst. 1, Paludanus ibidem quæst. 2, Herbeus dist. 11, quæst. art. 1, Ferrara 4, *contra gentes*, cap. 63. Idem etiam tuentur D. Bonaventura in 4, dist. 11, quæst. 3, art. 1, Marsilius quæst. 8 et alii. Probatur primo a Thomistis auctoritate S. Doctoris, qui ita palam docere videtur in præs. art. 2, ubi hæc habet : « Ad veritatem hujus sacramenti pertinet, « ut verum corpus Christi in hoc sacramento existat, quod quidem ibi non est « ante consecrationem. Non autem aliquid « potest esse alicubi, ubi prius non erat, nisi « vel per loci mutationem, vel per alterius « conversionem in ipsum : sicut in domo « aliqua incipit esse ignis, aut quia illuc « defertur, aut ibi generatur. Manifestum « est autem, quod corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum « localem. » Quod tribus rationibus luculenter ostendit : et prosequitur : « Et ideo « relinquitur, quod non possit aliter corpus Christi esse de novo in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum. » Sentit igitur D. Thomas implicare, quod corpus Christi sit in hoc sacramento, nisi per conversionem. Nec dici valet, quod loquatur secundum providentiam et potentiam ordinariam : quoniam quod Christus de facto, et secundum præsentem providentiam sit in Eucharistia, est maximum miraculum, opusque divinæ virtutis, ac subinde referendum in potentiam Dei absolutam : ergo discursus, ac resolutio Divi Thomæ procedunt per respectum etiam ad hujusmodi potentiam. Idque magis confirmatur ex his, quæ tradit in 4, dist. 11, quæst. 1, articulo 1, quæstiunc. 1. Ubi dicit Christum existere in Eucharistia, et non per conversionem, « esse impossibile etiam per « miraculum ; sicut quod sit homo, et non « sit mortalis, et rationalis. » Et in resp. ad 3, affirmat, quod dicere Christum esse in Eucharistia, et non per conversionem, « est majus inconveniens, quam verificari « duas contradictorias. » Unde liquet tum Div. Thomam vidisse repugnantiam in hac positione : tum perpetuum fuisse in ita sentiendo ; quod enim docuit in 4, asseruit etiam *in summa* loco proxime relato. Et similia omnino tradidit lib. 4, *contra gent.* cap. 63. Probatur secundo : quia impossibile est, quod Christi corpus constituatur in sacramento, nisi per unum ex duobus modis assignatis a D. Thom. vel ultra illos per creationem : sed supposito, quod corpus Christi sit existens in cœlo, non potest fieri per creationem in sacramento ; siquidem creatio est productio totius entis, sive entis, quod prius nullo modo existebat : ergo impossibile est, quod corpus Christi fiat præsens in sacramento, nisi per conversionem. Patet consequentia : quia ex duobus modis relatis a Divo Thoma unus videlicet per motum localem est plane repugnans : tum quia ex suppositione permanentiæ corporis Christi in cœlo, fieri non potest, quod tale corpus moveatur localiter extra cœlum : alias esset et non esset in eodem loco. Tum quia nulla ratione apparet, qualiter corpus possit ad accidentia panis intromitti per solum motum localem. Probatur tertio : quia impossibilis est relatio sine fundamento : sed fundamentum relationis præsentiæ corporis Christi ad sacramentum est conversio panis in ipsum : ergo repugnat corpus Christi esse sacramento præsens absque hujusmodi conversione.

Fundamentum ex D. Thom. — Secundum motivum. — Tertium motivum.

48. Secunda sententia docet id esse simpliciter possibile. Quam tuentur Cajetan. in præs. art. 2, Sotus in 4, dist. 9, quæst. 1, Martinus de Ledesma ibidem et alii. Et hoc ipsum defendunt Scotus in 4, dist. 9, quæst. 2, Suarez disp. 49, sect. 1, Vasquez disp. 182, cap. 4, Gaspar Hurtado disp. 4, difficult. 1 et communiter recentiores. Quod probant primo : quia de facto, ut corpus Christi fiat præsens sacramento, concurrunt duæ mutationes, nempe desitio substantiæ panis et inceptio substantiæ corporis Christi : sed cum istæ mutationes non sint essentialiter connexæ, potest Deus facere, quod sit una, sive altera : ergo sicut potest facere, quod desinat panis absque introductione corporis Christi ; ita potest facere, quod ibi incipiat esse Christi corpus absque destructione panis : fieri ergo non repugnat, quod corpus Christi ponatur in sacramento, quin panis convertatur in ipsum. Secundo, quia minus repugnat substantiam corporis Christi esse simul cum substantia panis sub eisdem accidentibus, quam quod duo corpora penetrentur et existant in eodem loco ; siquidem substantia corporis Christi habet esse in sacramento modo substantiali et indivisibili, qui minus repugnat alteri substantiæ,

Opinio præcedenti contraria. Cajet. Sotus. Ledesm. Scotus. Suarez. Vazq. Hurtad. — Primum argumentum. — Secundum

quam quantitas quantitati : atqui non implicat duo corpora penetrari et existere in eodem loco, ut docent communiter Philosophi et Theologi apud N. Complutenses abbrev. *in Physic.* disp. 19, quæst. 6; ergo non implicat corpus Christi esse in hoc sacramento simul cum substantia panis, atque ideo independenter ab hujus in se conversione. Tertio, quia præter illos modos incipiendi esse alicubi, ubi prius res non erat, assignatos a Divo Thoma videlicet vel per motum localem, vel per conversionem, datur alius modus incipiendi, nimirum per creationem, vel aliam productionem : ut si angelus creatur in hac cella, inciperet in ea esse non per conversionem, nec per motum localem, sed per creationem, ut ex se liquet ; ergo gratis concesso, quod implicaret Christum incipere esse in hoc sacramento per motum localem, minime inferri determinate valet, quod inciperet esse per conversionem panis in ipsum ; sed posset incipere alio modo, utputa creatione, vel alia productione. Quarto, quia nec in eo, quod inciperet ibi esse per motum localem, occurrit ulla implicatio : non quidem ex parte termini, sive sacramentalis præsentiæ ad accidentia : est enim *ubi*, vel aliquid accidentale corpori Christi minime repugnaus. Nec etiam ex parte modi, quo fieret, videlicet per modum : quippe licet Christus præsupponitur existens in cælo, adhuc tamen movetur localiter saltem per accidens ad motum hostiæ ; quin inde inferatur, quod deserat locum cœli. Idem itaque contingeret, licet per motum localem constitueretur in sacramento.

N. Comp. — Tertium. — Quartum.

Tertia sententia utramque præcedentem opinionem problematice sustinet : unde unam et alteram ita censet probabilem, ut neutram præferat, sed utriusque argumenta dissolvit. Ita se gerunt Nugnus in præs. art. 2, difficul. 3, § *Unde nobis placet.* Contenson dissert. 1, cap. 2, speculat. 3, § *Utramque sententiam* et alii, cum quibus sentire videtur Arauxo in præs. art. 4, dub. 1, in resp. ad 3. Et nos plane hanc etiam viam ut faciliorem ultro premeremus : tum quia utraque opinio habet probabilissima motiva; tum quia cum divisos circa hoc videamus graviores D. Thom. discipulos, nullos deserere cuperemus, sed cum omnibus sentire. Cæterum quia hunc modum problematice procedendi in tractandis difficultatibus inutilem semper censuimus, utpote non ducentem in determinatum veritatis scopum, sed in mille perplexitatibus lectorum animos relinquentem; magis de re duximus propriam sententiam alicui parti submittere, eamque sequentibus propositionibus revelare.

[...]iorum placitum. — Nugnus. Contens. Arauxo.

49. Distinguere itaque oportet in hac materia. Nam possumus præsentem difficultatem tractare tripliciter. Primo per responsum ad providentiam Dei magis connaturalem, sive quæ vitet plura miracula ; quamvis enim quod Christus existat in sacramento, sit magnum miraculum, opusque divinæ virtutis supra omnem facultatem naturæ ; potest nihilominus executioni mandari magis, vel minus connaturaliter, hoc est, concurrentibus pluribus, aut paucioribus miraculis supra connaturales rerum exigentias. Secundo per respectum ad eandem providentiam factis aliquibus certis suppositionibus, quæ de facto oocurrunt circa institutionem Eucharistiæ et præsentiam Christi ad sacramentum, utputa quod corpus Christi supponatur factum, atque existens in determinato loco naturali, et quod corpus Christi ponitur in Eucharistia ex vi verborum consecrationis. Tertio per respectum ad providentiam et potentiam Dei absolute, hoc est, non attenta majori rerum connaturalitate, nec factis suppositionibus, quæ de præsenti occurrunt, sed inspecta præcise rerum possibilitate, sive non repugnantia, ut contingit in aliis, quæ tractari solent comparative ad absolutam Dei potentiam.

Propria resolutio.

In prima itaque consideratione sentimus corpus Christi non potuisse fieri præsens in hoc sacramento nisi per conversionem panis in ipsum. Et ratio est : quoniam in prædicto sensu constituendum est corpus Christi modo magis connaturali, ac proportionato, sive qui vitet plura miracula : atqui concessa etiam fingendi licentia, nullus occurrit modus ad id aptior, quam conversio substantiæ panis in substantiam corporis Christi : ergo in prædicto sensu non potuit corpus Christi constitui in sacramento et sub quantitate panis nisi per conversionem. Probatur minor : nam excogitato quolibet alio modo reperimus occurrere plura miracula et præternaturalitates, utputa vel quod substantia corporis Christi sit simul cum substantia panis sub eisdem accidentibus ; vel quod substantia panis

Probatio prioris partis.

panis annihiletur : quod corpus Christi vel producatur simpliciter in sacramento : vel quod alibi existens adducatur per modum ad sacramentum et alia similia. Quæ tamen cum plura et difficilia et miraculosa sint, vitantur simpliciori compendio per hoc quod substantia panis convertatur in substantiam corporis Christi et hæc loco illius succedat sub eisdem accidentibus.

Motivum secundæ 50. In secunda etiam consideratione sentimus corpus Christi non potuisse in sacramento constitui nisi per prædictam conversionem Hæc est propria sententia Divi Thomæ locis relatis num. 47, et quæ sufficiebat ad ejus intentionem : loquebatur enim juxta certas suppositiones, in quibus hoc mysterium executioni commissum fuit, nempe quod Christus supponebatur simpliciter productus, atque existens in loco naturali, et quod sacramento fit præsens ex vi, veritate, atque efficacia verborum consecrationis. Probatur autem satis urgenter ex Concilio Tridentino sess. 13, cap. 4, ubi ait : « Quoniam autem Christus « Redemptor noster corpus suum id, quod « sub specie panis offerebat, vere esse dixit; « ideo persuasum semper in Ecclesia Dei « fuit, idque nunc denuo Sancta hæc Syno- « dus declarat per consecrationem panis, « et vini conversionem fieri totius substan- « tiæ panis in substantiam corporis Christi « Domini nostri etc. » Ubi manifestum est Concilium ex verbis consecrationis, sive ex eo, quod Christus dixerit illa, *Hoc est corpus meum*, colligere cum communi totius Ecclesiæ Dei sensu conversionem totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi. Intellexit igitur corpus Christi non potuisse ex vi verborum, et salva veritate verborum consecrationis alio modo, quam per conversionem, fieri existens, ac præsens sub speciebus sacramentalibus. Aliter namque illatio illa, et consequentia Concilii nullius foret momenti : posset enim quis respondere Deum prius ordine naturæ annihilare substantiam panis, et deinde constituere ejus loco substantiam corporis Christi : atque ideo ex præsentia corporis Christi, et ex vi verborum consecrationis, quæ illam præsentiam significant, minime inferri transubstantiationem, sive conversionem substantiæ panis in substantiam corporis Christi. Quæ tamen omnia directe repugnant discursui, atque intentioni Concilii.

Concil. Trident.

Confirmatur : quoniam ex suppositione præsentis institutionis divinæ corpus Christi non alio modo constituitur, aut constitui potest sub accidentibus Eucharistiæ, quam per verba consecrationis significatur : ista enim vim habent efficiendi, quod significant : et corpus Christi constituitur, et constitui debet dependenter ab illis. Sed verba consecrationis significant transubstantiationem, aut conversionem totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi : cum enim designata hostia dicitur, *Hoc est corpus meum* significatur illud, quod prius erat panis, esse corpus Christi, ut evidenter docet Concilium Tridentinum loco cit. Ergo facta præsenti suppositione institutionis divinæ corpus Christi nullo modo constituitur, aut constitui valet in sacramento, nisi per transubstantiationem, sive conversionem panis in ipsum. Roboratur.

Et idem probatur recurrendo ad aliam suppositionem, quod corpus Christi præsupponitur simpliciter factum, atque existens tam in se, quam in loco naturali : in quo sensu procedit optime discursus Divi Thomæ locis relatis, qui ab exclusione aliorum modorum collegit determinate conversionis necessitatem. Etenim non potuit corpus Christi constitui in Eucharistia per creationem : quod enim creatione fit, supponitur prius nullo modo esse : Christus autem supponebatur simpliciter existere. Nec potuit constitui per generationem ob idem fere motivum : nam quod generatur supponitur non existere actu in se, sed ad summum in sola potentia materiæ, ex qua fit : Christus vero presupponebatur existere in actu simpliciter. Nec constitui potuit per aliam actionem, quæ dicatur reproductio : quippe hujusmodi actio vel producit ex nihilo, et sic est creatio; vel producit ex præsupposito subjecto, et sic est generatio : quare sicut creatio, et generatio excluduntur, sic etiam reproductio. Nec denique constitui potuit per motum localem : nam supponitur Christum non deseruisse locum, in quo erat : si autem moveretur localiter, necessario esset in alio loco : atque ideo idem ejus corpus esset in duobus locis, quod implicat contradictionem, ut cum communi Thomistarum sententia docent N. Complut. abbreviati *in Physic.* disp. 19, quæst. 7. Et quamvis id non implicaret, repugnat

Fulcitur amplius.

N. Com.

tamen Christum per motum localem sub accidentibus Eucharistiæ intromitti, ac collocari : quod enim movetur localiter, habet extensionem in ordine ad locum : Christus vero in Eucharistia hujusmodi extensionem non habet; sed habet esse modo indivisibili ad instar substantiarum spiritualium. Exclusis igitur omnibus prædictis modis, et aliis, qui ad præmissos revocandi sunt, sequitur Christum factis suppositionibus, quæ de præsenti occurrunt, non potuisse in Eucharistia constitui nisi per conversionem substantiæ panis in ejus corpus.

Fundamentum ultimæ partis

51. Cæterum procedendo juxta tertiam, et ultimam considerationem censemus non implicare, quod corpus Christi constitueretur in Eucharistia independenter a conversione panis in illud : et in hoc sensu secundæ sententiæ relatæ num. 48, subscribimus. Et præcipuum fundamentum est, quod talis opinio habet pre se absolutam, et infinitam Dei potentiam, quæ certe possidet, dum non demonstratur contradictio ex parte facti. Quæ vero affert prima sententia, id non demonstrant, sed facile dilui valent, ut infra constabit. Quod sufficiebat ad hanc partem amplectendam. Sed insuper suaderi positive valet explicando modum, quo corpus Christi potuerit in Eucharistia constitui independenter a tali conversione. Quod diversimode a diversis pro ingeniorum varietate exponitur. Nobis sufficiat dicere Deum potuisse primo producere Christum, sive Christi corpus in Eucharistia sine extensione locali, sed cum illo modo indivisibili , quem habet ad instar substantiæ spiritualis : sicut plane potuit creare ibidem Angelum, qui ibi substantialiter existeret vel per alligationem passivam, vel per operationem circa species. Et si Deus ita se gereret, non necessario ex vi hujus destrueretur panis : quippe qui posset coexistere cum Christo sub illo modo sicut et cum Angelo. Unde quod de facto destruatur substantia panis non provenit, aut colligitur ex sola præsentia Christi : sed ex præsentia cum tali modo, nempe Christi, et modi substantialis ut factorum ex pane juxta veritatem verborum consecrationis, ut num. præced. et in toto hoc dubio, magis expendimus. Posset etiam Deus substantiam panis alia actione destruere, ut ex se constat : idque necessarium foret, ut designata Eucharistia, sive accidentibus illis externis, posset absolute, et cum proprietate dici, *Hoc est corpus meum.* Nam si ibidem conservaretur substantia panis; externa accidentia magis eum repræsentarent, quam Christi corpus: atque ideo ly *Hoc*, quod est demonstrativum sensibiliter, magis panem, quam Christum significaret: et consequenter falsa esset illa propositio in proprietate sermonis, ut supra diximus disp. 1, cap.2, num. 21.

Conciliantur opiniones, et dissolvuntur earum motiva.

Juxta præmissas ergo distinctiones, et resolutiones facile conciliari possent duæ opiniones supra relatæ : nam quæ negat, merito negat per respectum ad providentiam magis connaturalem, sive minus miraculosam : et similiter per respectum ad providentiam juxta præsentes suppositiones, quæ de facto occurrunt in hujus mysterii institutione. Quæ vero affirmat, merito affirmat per respectum ad potentiam Dei absolutam, sive præcisive ab illis suppositionibus, et modo magis naturali, seu minus miraculoso. Et in prædicto sensu utramque amplectimur opinionem. Sed si prior plus intendat id plane non assequitur, sed diluenda sunt ejus motiva. Ad primum desumptum ex testimoniis D. Thomæ respondetur S. Doctorem loqui attentis præsentibus suppositionibus, quod corpus Christi supponatur existens, et constituatur in Eucharistia ex vi verborum consecrationis : in quo sensu optime procedit ejus resolutio, ut diximus num. 50. Sed non negat, quod in alia providentia, et attenta potentia Dei absoluta, potuerit corpus Christi constitui in Eucharistia independenter a panis in ipsum conversione : nec id referebat ad intentionem ejus volentis ostendere transubstantiationem secundum præsentem hujus sacramenti institutionem, atque veritatem verborum consecrationis. Ad secundum constat ex proxime dictis, qualiter præter modos in argumento relatos, et impugnatos sit possibilis alius modus constituendi Christum sub accidentibus panis, videlicet per creationem corporis Christi sub illis cum modo indivisibili ad instar substantiarum spiritualium. Ad tertium dicimus, quod licet relatio præsentiæ corporis Christi ad species fundetur de facto in conversione panis in ipsum; tamen in alia rerum dispositione posset consequi ad aliud fundamentum proxime assignatum : sive talis relatio

relatio, aut præsentia foret ejusdem rationis cum hac, sive alterius : quod parum, aut nihil refert ad principalem resolutionem.

Plures circa dubium secundum opiniones. 52. Veniamus jam ad aliud dubium secundo loco propositum, an scilicet quodlibet possit converti in quodlibet. Quæ difficultas nec admodum obscura est, nec plura postulans. Occurrunt tamen circa illam non pauci dicendi modi. Primus Durand. Durandi in 4, dist. 11, q. 2, et 3, sentientis non esse possibilem conversionem totalem unius substantiæ in aliam, nisi manente materia prima sub forma utriusque extremi, seu termini. Unde consequenter docuit Durandus idem contingere in conversione eucharistica, atque ideo materiam panis manere in Christo; qui est terminus talis Paludan. N. Wi. conversionis. Secundus Paludani eadem dist. q. 3, N. Waldensis in lib. *de sacramentis*, cap. 20, et aliorum sentientium non posse fieri conversionem nisi inter ea, quæ communicant in materia. Quare colligunt nec corpus posse converti in spiritum, nec Suarez. spiritum in corpus. Tertius Suarii disp. 50, sect. 10, et aliquorum recentiorum negantium posse dari conversionem nisi inter ea, quæ habeant aliquid commune, saltem accidentia, sub quibus unum desinat esse, et alterum ejus vice constituatur, sicut contingit in mysterio Eucharistiæ. Vazq. Quartus Vazquii disp. 184, cap. 2, asserentis non posse unam rem converti in alteram, nisi habeat accidentia sensibilia, quibus permanentibus possit fieri designatio, aut demonstratio alterius substantiæ ibi succedentis per pronomen *Hoc*, aut *Illuc*.

Deus nequit esse terminus a quo, nec terminus qui conversionis. Sed nihilominus generaliter tenendum est quamlibet rem posse substantialiter, est totaliter in aliam converti, excepto Deo, qui nec potest converti in aliud, nec esse terminus conversionis. Hæc exceptio, sive limitatio est communis inter Theologos D. Tho. Wald. Scotus. Suarez. cum D. Thoma supra q. 2, art. 1, et lib. 4, contra gentes cap. 31. N. Waldens. loco proxime cit. Scoto quodlib. 8, art. 1, et 2. Suario loco cit. § *Ultimo addo*. Nec ullum vidimus, qui oppositum affirmet. Et demonstratur quoad primam partem : nam quod convertitur in aliud, desinit esse in se: sed repugnat Deum desinere esse in se: ergo et quod convertatur in aliud. Demonstratur etiam secunda pars : nam terminus incipit esse saltem secundum aliquem modum ex vi conversionis : sed impossibile est, quod Deus incipiat esse aliquomodo : ergo et quod sit terminus conversionis. Confirmatur utraque pars : quia ut aliquid sit terminus *a quo*, vel terminus *ad quem* conversionis, debet subesse potentiæ divinæ in ordine ad suum non esse, vel esse : sed Deus nequit habere hujusmodi subjectionem : ergo Deus nequit esse vel terminus, qui convertatur, vel terminus, in quem fiat conversio.

53. Principaliorem autem resolutionem cum universalitate a nobis proposita docent frequentissime Theologi, D. Thomas, in præs. art. 4, in corp. et ad 3, Cajetanus ibidem, Nugnus difficult. 3, concl. 1, N. Cornejo disput. 1, dub. ult. Capreolus in 4, dist. 11, art. 3, ad 1, Durand. contra 2, Paludan. q. 3, n. 3, Sotus dist. 9, q. 2, art. 4, in fine, Joan. a S. Thom. disp. 28, art. 3, et alii Thomistæ. Idem etiam docent Scotus in 4, dist. 11, q. 1, et q. 2, in princ. et quodlib. 10, Richardus dist. 10, art. 3, q. 1, Gabriel q. 2, et lect. 40, in canon. Major q. 1, art. 3, et alii plurimi. Unde Bellarminus lib. 3, *de Eucharistia* cap. 3, eisdem subscribens affirmat sententiam hanc debere esse fidelibus indubitatam. Quæ probatur unico, sed satis efficaci fundamento D. Thomæ : quoniam ratio entis est communis utrique termino conversionis, participaturque in omnibus extremis, inter quæ apprehendi valet conversio : sed Deus est auctor totius entis, ita ut ejus potentiæ subdantur cuncta entia creata et quantum ad esse, et quantum ad non esse: ergo sicut ob hanc rationem potest Deus quælibet entia extrahere ex nihilo, et redigere in nihilum, sic etiam potest quodlibet ens in aliud convertere, sive, et in idem redit, quodlibet ens producere per conversionem ex alio. Confirmatur : quia difficilius est objective aliquid producere ex nihilo, quam per conversionem alterius : sed Deus potest quodlibet ens creatum producere ex nihilo : ergo potest quodlibet ens creatum producere per conversionem alterius : atque ideo potest quodlibet in quodlibet convertere. Major probatur : nam cum inter ens, et nihil detur infinita distantia, quæ non datur inter ens, et ens; longe difficilius est objective rem producere ex nihilo, quam ex aliquo, sive per conversionem alterius : quamvis ad utrumque infinita Dei virtus desideretur.

Inter alia entia potest dari conversio. D. Tho. Cajet. Nugnus. N. Corn. Capreol. Paludan. Sotus. Joan. a S. Tho. Scotus. Richard. Gabriel. Bellarm.

Consectarium contra Durand. Unde colligitur contra primam sententiam Durandi posse Deum unum ens materiale convertere in aliud, quin materia prioris maneat in secundo. Nam tota entitas adæquata subditur potentiæ Dei: ergo tota entitas adæquata, sive conplectendo etiam materiam potest in aliam entitatem materialem converti. Et consectarium Durandi, nempe materiam panis manere in corpore Christi in Eucharistia, est penitus improbabile: quia Concil. Trident. sess. 13, can. 2, diffinivit: « Si quis negaverit « mirabilem illam, et singularem conver« sionem totius substantiæ panis in corpus, « et totius substantiæ vini in sanguinem, « manentibus dumtaxat speciebus panis, « et vini etc. anathema sit. » Si autem convertitur tota substantia panis, et si ex pane non remanent, nisi species, vel accidentia; evidenter deducitur non remanere materiam primam, quæ fuerat sub forma panis: quippe quæ ad totam panis substantiam pertinet, et accidens non est, sed substantia partialis. Unde ab eo, quod de facto secundum fidem contingit, valide confirmamur ad assertionem de possibili in omnibus similibus conversionibus.

Concil. Trident.

Contra Palud. Præterea colligitur contra secundam sententiam Paludani posse Deum convertere corpus in spiritum, et spiritum in corpus, et spiritum in spiritum, prout voluerit. Nam hæc omnia conversionis, et comparationis extrema subsunt potentiæ Dei quantum ad esse, et non esse: quare sicut propter hoc motivum potest Deus, concedente Paludano, quodlibet corpus convertere in quodlibet corpus, sic etiam potest corpus in spiritum, et e converso. Nec occurrit ad oppositum rationabile aliquod motivum, ut in his potentiam Dei limitemus.

Aliud contra Suar. Quare a fortiori colligitur contra tertiam Suarii sententiam non requiri illam accidentium communitatem, ita quod sub accidentibus rei conversæ maneat substantia rei, in quam fit conversio. Licet enim ita contingat in mysterio Eucharistiæ; nulla tamen urgens ratio occurrit, ut dicatur id esse universaliter necessarium: sed absque solido fundamento hæc conditio inducitur a Junioribus. Qua enim ratione una substantia convertitur in aliam, posset etiam una substantia cum suis proprietatibus, et accidentibus converti in alteram substantiam cum suis proprietatibus, et accidentibus; cum eadem sit proportio accidentium ad accidentia, et substantiæ ad substantiam: et eadem infinita Dei virtus hæc perficiens. Idque de facto contigisse in conversione aquæ in vinum in nuptiis Cana Galileæ certissimum nobis apparet. Denique colligitur quartam Vazquii sententiam non esse universaliter veram, sed ad summum in conversione demonstrativa, quæ fit pro nomine ostentivo ad sensum, ut in Eucharistia contingit. Cum enim non sit de generali conversionis conceptu fieri prædicto modo, sed possit absolute fieri independenter ab illo; minime potest generaliter desiderari, ut res, quæ convertitur, habeat accidentia ad sensum demonstrabilia. Unde præscindendo ab his modis particularibus, et accidentalibus, universaliter verum est Deum posse quamlibet rem in alteram rem convertere. Contra Vazq.

54. Nec refert, si contra prædictam resolutionem opponas primo D. Augustinum lib. 7, *de Genesi* ad litteram cap. 12, ubi inquirit, utrum anima hominis sicut et ejus corpus facta fuerit ex limo terræ, et negative respondens inquit: « Sic quippe « omne corpus in omne corpus posse mu« tari non defuerunt, qui assererent. Corpus « autem aliquod sive terrenum, sive cœ« leste converti in animam, fierique natu« ram incorpoream nec quemquam sensisse « scio, nec fides habet. » Ergo ex ejus sententia corpus nequit converti in animam, aut spiritum: atque ideo falsum est quodlibet posse converti in quodlibet. Secundo, D. Thom. in hac quæst. art. 6, ait: « Quidam posuerunt quod facta conse« cratione non solum remanent accidentia « panis, sed etiam forma substantialis « ejus. Sed hoc esse non potest. Primo, « quia si forma substantialis panis rema« net, nihil de pane convertetur in corpus « Christi, nisi sola materia. Et ita seque« retur, quod non converteretur in corpus « Christi totum, sed in ejus materiam. « Quod repugnat formæ sacramenti, qua « dicitur, *Hoc est corpus meum.* » In quo discursu necessarium est D. Thomam supponere, quod materia solum potest converti in materiam, non autem in formam, nec in totum compositum: alias nihil concluderet. Ergo ex ejus sententia falsum est quodlibet posse converti in quodlibet. Quin et lib. 4, *contra gentes* cap. 31, expresse docet ea, quæ non conveniunt in materia, Objectiones.

non

non posse mutuo e converti in se. Unde sequitur corpus non posse converti in rem spiritualem, nec spiritum in spiritum. Tertio, quia una substantia non habet secundum se oppositionem cum alia, sed possunt de se coexistere: ergo ut ad positionem unius destruatur alia, et converso ad unius desitionem altera succedat, sicut inter terminos conversionis contingit, opus est habere oppositionem in ordine ad aliquod tertium, sive istud sit subjectum commune, ut Durandus, et Paludanus volebant, sive sit quantitas, et alia accidentia, sub quibus desinat una substantia, et succedat alia, ut Suarez docuit: atque ideo nisi observetur hæc conditio, non potest unum converti in aliud. Quarto, quia unum relativum nequit converti in aliud, ut pater in filium, aut e converso: ergo non est universaliter verum quodlibet posse converti in quodlibet.

Dispelluntur. Istæ, inquam, objectiones non referunt. Nam ad primam respondetur D. Augustinum loqui de facto, et quantum ad conversiones executioni mandatas. In quo sensu merito affirmat, quod corpus non convertitur in spiritum: quia id nunquam contigit. Sed tamen non negat illud esse possibile per respectum ad potentiam Dei absolutam. Loquitur etiam, ut magis ex textu liquet, de conversionibus non totalibus, sed formalibus, quæ solum reperitur inter ea, quæ communicant in materia. Unde S. Doctor nihil docet nostræ resolutioni contrarium. Ad secundum dicendum est D. Thomam in primo testimonio loqui connaturaliter, aut secundum providentiam rebus magis proportionatam: nam si ex pane sola materia convertitur, congruum est, quod non convertatur in totum corpus adæquate sumptum, sed in solam materiam corporis: ut hoc modo detur major proportio inter terminum *ex quo*, et terminum *ad quem* conversionis. In secundo autem loco agit ad hominem contra Apollinarem dicentem, quod Verbum caro factum est per conversionem formalem. In quo sensu merito affirmat conversionem (nempe formalem) non reperiri, nisi inter ea, quæ communicant in materia. Unde contra hæreticum optime probat Incarnationem non fuisse factam per conversionem: quia Verbum non communicat in materia. Ad tertium respondetur terminum ad quem conversionis, hoc ipso, quod fiat ex termino *a quo*, habere sufficientissimam repugnantiam cum illo, ita ut nequeat simul cum illo consistere, ut satis ex se liquet. Unde opus non habent respectu ad aliquod tertium, sive illud sit subjectum, sive accidens continens, ut unius desitio inferat inceptionem alterius, et e contra. Ad quartum respondemus, quod si relativa sumantur materialiter, potest unum in aliud converti: et ita tota entitas patris posset converti in totam entitatem filii, et similiter entitas filii in entitatem patris. Sed si sumantur formaliter, implicatoria est conversio: quia relativa debent esse simul; et ubi unum convertitur, necessario perit, et subinde non sunt simul, ut ex se liquet. Et idem contingit in partibus vel essentialibus, vel integralibus, si sumantur formaliter in esse partium: nam sic acceptæ important relationem ad aliam compartem. Cæterum id non contingit ex communi conceptu vel entis creati, vel conversionis; sed ex radice longe diversa, et jam assignata.

QUÆSTIO LXXVI.

De modo, quo Christus est in hoc sacramento in octo articulos divisa

Deinde considerandum est de modo quo Christus existit in hoc sacramento. Et circa hoc quæruntur octo. Primo, etc.

ARTICULUS I.

Utrum totus Christus contineatur sub hoc sacramento?

Ad primum sic proceditur Videtur, quod non totus Christus contineatur sub hoc sacramento. Christus enim incipit esse in hoc sacramento per conversionem panis et vini, sicut dictum est: sed manifestum est, quod panis, et vinum non possunt converti, neque in divinitatem Christi neque in ejus animam. Cum ergo Christus existat ex tribus substantiis, scilicet divinitate, anima, et corpore (ut supra habitum est) videtur quod totus Christus non sit sub hoc sacramento.

Præterea: Christus est in hoc sacramento, secundum quod competit refectioni fidelium, quæ in cibo, et potu consistit, sicut supra dictum est: sed Dominus dicit Joannis 6: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Ergo solum caro, et sanguis Christi continentur in

hoc sacramento : sunt autem multæ aliæ partes corporis Christi : puta nervi, ossa, et alia hujusmodi. Non ergo totus Christus continetur sub hoc sacramento.

Præterea : Corpus majoris quantitatis non potest totum contineri sub minoris quantitatis mensura : sed mensura panis et vini consecrati, est multo minor quam propria mensura corporis Christi. Non potest ergo esse, quod totus Christus sub hoc sacramento contineatur.

Sed contra est quod Ambrosius dicit in lib. de offic. In illo sacramento Christus est.

Respondeo : Dicendum, quod omnino necesse est confiteri secundum fidem catholicam, quod totus Christus sit in hoc sacramento. Sciendum tamen, quod aliquid Christi est in hoc sacramento dupliciter. Uno modo, quasi ex vi sacramenti, alio modo ex naturali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti est sub speciebus hujus sacramenti id, in quod directe convertitur substantia panis et vini præexistens ; prout significatur per verba formæ, quæ sunt effectiva in hoc sacramento, sicut et in cæteris, puta cum dicitur, hoc est corpus meum, vel hic est sanguis meus. Ex naturali autem concomitantia est in hoc sacramento illud, quod realiter est conjunctum ei, in quod prædicta conversio terminatur : si enim aliqua duo sunt realiter conjuncta, ubicumque est unum realiter, oportet et aliud esse. Sola enim operatione animæ discernuntur, quæ realiter sunt conjuncta.

Ad primum ergo dicendum, quod quia conversio panis et vini, non terminatur ad divinitatem vel animam Christi consequens est quod divinitas vel anima Christi non sit in hoc sacramento ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia : quia enim divinitas corpus assumptum nunquam deposuit, ubicumque est corpus Christi, necesse est et ejus divinitatem esse, et ideo in hoc sacramento necesse est esse divinitatem Christi, concomitantem ejus corpus Unde in Symbolo Ephesino legitur. Participes efficimur corporis et sanguinis Christi, non ut communem carnem percipientes, nec viri sanctificati, et verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, sed vere vivificatricem, et ipsius Verbi propriam factam. Anima vero realiter separata fuit a corpore, ut supra dictum est. Et ideo si in illo triduo mortis fuisset hoc sacramentum celebratum, non fuisset ibi anima Christi, nec ex vi sacramenti, nec ex reali concomitantia : sed quia Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur (ut dicitur Romanorum Sexto) anima ejus semper est realiter corpori ejus unita. Et ideo in hoc sacramento corpus quidem Christi est ex vi sacramenti; anima autem Christi ex reali concomitantia.

Ad secundum dicendum, quod ex vi sacramenti sub hoc sacramento continetur quantum ad species panis, non solum caro, sed totum corpus Christi, scilicet ossa, nervi, et alia hujusmodi. Et hoc apparet ex forma hujus sacramenti, in qua non dicitur, hæc est caro mea, sed hoc est corpus meum. Et ideo cum Dominus dixit Joannis sexto : Caro mea vere est cibus, caro ponitur ibi pro toto corpore : quia secundum consuetudinem humanam videtur esse magis manducationi accommodata prout scilicet homines carnibus animalium vescuntur communiter, non autem ossibus vel aliis hujusmodi.

Ad tertium dicendum quod (sicut supra dictum est facta conversione panis in corpus Christi, vel vini in sanguinem, accidentia utriusque manent. Ex quo patet quod dimensiones panis vel vini non convertuntur in dimensiones corporis Christi, sed substantia in substantiam, et sic substantia corporis Christi, vel sanguinis est, sub hoc sacramento ex vi sacramenti, non autem dimensiones corporis vel sanguinis Christi. Unde patet, quod corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ, non per modum quantitatis. Propria autem totalitas substantiæ continetur indifferenter in parva, vel magna quantitate : sicut tota natura aeris in magno, vel parvo aere, et tota natura hominis in magno vel parvo homine. Unde et tota substantia corporis et sanguinis Christi continetur in hoc sacramento post consecrationem, sicut ante consecrationem continebatur ibi tota substantia panis et vini.

Prima conclusio : Omnino necesse est confiteri secundum fidem catholicam, quod totus Christus sit in hoc sacramento.

Secunda conclusio : Aliquid Christi est in hoc sacramento dupliciter : uno modo quasi ex vi sacramenti ; alio modo ex naturali concomitantia.

ARTICULUS II.

Utrum totus Christus contineatur sub utraque specie hujus sacramenti?

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod non sub utraque specie hujus sacramenti totus Christus contineatur. Hoc enim sacramentum ad salutem fidelium ordinatur, non virtute specierum, sed virtute ejus, quod sub speciebus continetur : quia species erant etiam ante consecrationem, ex qua est virtus hujus sacramenti. Si ergo nihil continetur sub una specie, quod non contineatur sub alia, sed totus Christus continetur sub utraque, videtur quod altera illarum superfluat in hoc sacramento.

Præterea : Dictum est, quod sub nomine carnis omnes aliæ partes corporis continentur, sicut ossa, nervi, et alia hujusmodi : sed sanguis est una partium humani corporis, sicut patet per Arist. in lib. de animali. Si ergo sanguis Christi continetur sub specie panis, sicut continentur ibi aliæ partes corporis, non deberet seorsum consecrari, sicut neque seorsum consecratur aliqua alia pars corporis.

Præterea : Quod jam factum est, iterum fieri non potest : sed corpus Christi jam incœpit esse in hoc sacramento per consecrationem panis : ergo non potest esse, quod de novo incipiat esse per consecrationem vini, et ita sub specie vini non continebitur corpus Christi, et per consequens nec totus Christus Non ergo sub utraque specie totus Christus continetur.

Sed contra est, quod primæ Corinth. undecimo. Super illud et calicem, dicit Gloss. quod sub utraque specie, scilicet panis et vini, idem sumitur : et ita videtur sub utraque specie totus Christus esse

Respondeo : Dicendum, certissime tenendum esse, quod sub utraque specie sacramenti totus est Christus, aliter tamen et aliter. Nam sub speciebus panis, est quidem corpus Christi ex vi sacramenti, sanguis autem ex reali concomitantia, sicut supra dictum est de anima et divinitate Christi. Sub speciebus vero vini, est quidem sanguis Christi ex vi sacramenti, corpus autem Christi ex reali concomitantia, sicut anima et divinitas eo, quod nunc sanguis Christi non est ab ejus corpore separatus : sicut fuit tempore passionis, et mortis. Unde si tunc fuisset hoc sacramentum celebratum sub speciebus panis, fuisset corpus Christi sine sanguine, et sub speciebus vini sanguis sine corpore, sicut erat in rei veritate

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis totus Christus sit sub utraque specie, non tamen frustra. Nam primo quidem hoc valet ad repræsentandam passionem Christi, in qua seorsum fuit sanguis a corpore separatus : unde et in, forma consecrationis sanguinis fit mentio de ejus effusione : Secundo, hoc est conveniens usui hujus sacramenti, ut seorsum exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, et sanguis in potum. Tertio, quantum ad effectum, secundum quod supra dictum est, quod corpus exhibetur pro salute corporis, et sanguis pro salute animæ.

Ad secundum dicendum, quod in passione Christi (cujus hoc sacramentum est memoriale) non fuerunt aliæ partes corporis ab invicem separatæ, sicut sanguis : sed corpus indissolutum permansit, secundum quod legitur Exod. duodecimo. Nec os illius confringetis : et ideo in hoc sacramento seorsum consecratur sanguis a corpore, non autem aliqua alia pars ab alia.

Ad tertium dicendum, quod sicut dictum est, corpus Christi non est sub specie vini ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia. Et ideo per consecrationem vini non fit ibi corpus Christi per se, sed concomitanter.

Prima conclusio : Totus Christus est sub utraque specie sacramenti, aliter tamen, et aliter.

Secunda conclusio : Sub specie panis est corpus Christi ex vi sacramenti, sanguis autem ex reali concomitantia : sed sub specie vini est sanguis Christi ex vi sacramenti, corpus autem ex reali concomitantia.

NOTA.

Ordo D. Tho. Tota hæc quæstio a D. Thoma proposita in id singulariter ordinatur, ut declaret mirabilem illum modum, quo Christus existit in sacramento Eucharistiæ : qua nullam habet partem hæc materia difficiliorem. In duobus autem prioribus propositæ quæstionis articulis statuit S. Doctor duas principales conclusiones : unam pertinentem ad substantiam mysterii, nempe totum Christum esse in sacramento et in utraque sacramenti specie tam panis, quam vini : alteram vero pertinentem ad modum mysterii, nimirum non omnia ad Christum attinentia esse eodem modo in hoc sacramento, et ejus speciebus; sed aliqua esse ex vi sacramenti, et aliqua esse per realem, ac naturalem concomitantiam, ut magis declarat in art. 2, dicendo, quod in specie panis est corpus Christi ex vi sacramenti, sive in virtute significationis verborum consecrationis quantum ad illam speciem, sanguis autem est in prædicta specie non ex vi sacramenti, aut significationis verborum, sed propter realem concomitationem, sive naturalem unionem, quam habet ad corpus Christi in se ipso. Et oppositum vice versa contingit quantum ad speciem vini : nam in ea est sanguis Christi ex vi sacramenti, aut significationis verborum; corpus autem est per realem concomitantiam propter naturalem unionem ad sanguinem. Porro ex prædictis conclusionibus prior hic supponenda est, et alias controversias non exposcit : quia illam statuimus, et late contra hæreticos probavimus disp. 1, procem. cap. 1. Sed secunda, quæ per se respicit modum, quo Christus in hoc sacramento existit, pertinet subinde per se ad sequentem disp. ubi illam ex professo declarabimus.

Ordo dicendorum. In eumdem, ac præcedentes, collimant scopum duo sequentes D. Thomæ articuli : nam in tertio inquirit : « Utrum sit totus Chrsitus sub qualibet parte specierum panis, vel vini ? » Et respondet totum Christum esse actu sub qualibet parte prædictarum specierum, non solum quando franguntur, et discontinuantur species, sed etiam dum permanent integræ, atque continuæ. Quam resolutionem protrahunt Theologi, ut disquirant, an totus Christus sit in partibus minoribus minimis, atque in indivisibilibus tam continuativis, quam terminativis prædictarum specierum. In quarto art. inquirit : « Utrum tota quanti- « tas dimensiva corporis Christi sit in hoc « sacramento ? » Et respondet totam quantitatem Christi, et omnia ejus accidentia esse in hoc sacramento, non tamen ex vi sacramenti, sed per realem concomitantiam. Quarum resolutionum veritatem fundat doctrina in primis duobus articulis tradita : quocirca posteriorum litteram ut non necessariam pro introductione disputationis sequentis duximus omittendam,

ARTICULUS V.

Utrum corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco. Esse enim in aliquo definitive, vel circumpscriptive : est pars ejus quod est esse in loco : sed corpus Christi videtur esse definitive in hoc sacramento (quia ita est ubi sunt species panis vel vini, quod non est in alio loco altaris) videtur etiam ibi esse circumscriptive : quia ita continetur superficie hostiæ consecratæ, quod nec excedit, nec exceditur. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento, sicut in loco.

Præterea : Locus specierum panis non est vacuus (natura enim non patitur vacuum) nec ibi est snbstantia panis, ut supra habitum est, sed est ibi solum corpus Christi : ergo corpus Christi replet locum illum : sed omne quod replet locum aliquem, est in eo localiter. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

Præterea : Sicut dictum est in hoc sacramento est cordus Christi cum sua quantitate dimensiva, et cum omnibus suis accidentibus : sed esse in loco est accidens corporis : unde et ibi connumeratur inter novem genera accidentium : ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

Sed contra est, quod oportet locum et locatum esse æqualia, ut patet per Philosophum in quarto physicorum : sed locus, ubi est hoc sacramentum est multo minor quam corpus Christi : ergo corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco.

Respondeo : Dicendum, (quod sicut jam dictum est corpus Christi non est in hoc sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensivæ, sed magis secundum modum substantiæ. Omne autem corpus locatum est in loco, secundum modum quantitatis dimensivæ, in quantum, scilicet commensuratur loco, secundum suam quantitatem dimensivam. Unde relinquitur, quod corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ, eo scilicet modo, quo substantia continetur a dimensionibus : succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento substantiæ panis. Unde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ, ita nec substantia corporis Christi, non tamen substantia corporis Christi est subjectum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis. Et ideo substantia panis ratione suarum dimensionum localiter erat ibi, quia comparabatur ad locum illum mediantibus propriis dimensionibus. Substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis, ita quod e converso dimensiones propriæ corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia : quod est con

tra rationem corporis locati. Unde nullo modo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

Ad primum ergo dicendum, quod corpus Christi non est in hoc sacramento definitive, quia sic non esset alibi quam in hoc altari, ubi conficitur hoc sacramentum, cum tamen sit et in cœlo, in propria specie, et in multis aliis altaribus sub specie sacramenti. Similiter etiam patet, quod non est in hoc sacramento circumscriptive, quia non est ibi secundum commensurationem propriæ quantitatis, ut dictum est : quod autem non est extra superficiem sacramenti, nec est in alia parte altaris, non pertinet ad hoc quod sit ibi definitive vel circumscriptive, sed ad hoc quod incepit ibi esse per consecrationem et conversionem panis et vini, ut supra dictum est.

Ad secundum dicendum, quod locus ille, in quo est corpus Christi, non est vacuus, neque tamen proprie est repletus substantia corporis Christi, quæ non est ibi localiter, sicut dictum est : sed est repletus speciebus sacramentorum, quæ habent replere locum, vel propter naturam dimensionum, vel saltem miraculose, sicut et miraculose subsistunt per modum substantiæ.

Ad tertium dicendum, quod accidentia corporis Christi, sunt in hoc sacramento sicut supra dictum est secundum realem concomitantiam. Et ideo illa accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento, quæ sunt ei intrinseca. Esse autem in loco, est accidens per comparationem ad extrinsecum continens : et ideo non oportet, quod Christus sit in hoc sacramento, sicut in loco.

Prima conclusio in corp. art. Nullo modo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

Secunda conclusio in resp. ad 1 : Corpus Christi non est in hoc sacramento definitive.

Prior D. Thomæ conclusio respondet directe titulo articuli. Sed quia esse in loco, dupliciter contingit juxta communem doctrinam Philosophorum, et Theologorum, uno modo omnino proprie, hoc est circumscriptive, sive per correspondentiam totius locati ad totum locum, et partis locati : ad partem loci altero modo non ita proprie, id est, definitive, quando videlicet res ita uni loco determinatur, ut ex vi modi essendi nequeat alibi esse : propterea D. Thom. postquam in corpore articuli statuerat, ac probaverat Christi corpus non existere in sacramento localiter, aut tanquam in loco proprie dicto, et circumscriptive; quippe quod non habet correspondentiam partium ad specierum partes : ne alium modum existendi in loco, quasi non tactum, aut a se cognitum relinqueret, curavit in resp. ad argumenta ipsum etiam excludere, ut re ipsa fecit in secunda conclusione : quoniam Christus ex vi modi existendi in uno sacramento non prohibetur esse tum localiter in cœlo, tum sacramentaliter sub aliis speciebus. Ex præmissis autem principiis pendet, inferturque resolutio difficultatis propositæ art. 6, seq. « Utrum corpus Christi « sit mobiliter in hoc sacramento ? » Ad quam respondet D. Thom. corpus Christi prout est in Eucharistia, non moveri per se motu locali, neque alia mutatione mutari ; moveri tamen per accidens ad motum specierum. Sed hæc omnia continent graves difficultates, quibus superandis deserviet sequens

DISPUTATIO VI.

De modo, quo Christus existit in Eucharistia.

Supposito, quod substantia panis, et vini convertitur in substantiam corporis, et sanguinis Christi, ut disp 1 præced. explicuimus, consequens est substantiam corporis, et sanguinis Christi succedere vice substantiæ panis, et vini sub eisdem horum accidentibus; ac subinde Christum existere vere, et realiter in Eucharistia. Quod ex professo ostendimus disp. 1, cap. 1. Sed quia plures difficultates occurrunt circa modum, quo Christus in hoc sacramento existit, hæreticique ab hoc latere veritatem hujus mysterii oppugnare solent : oportet declarationi prædictarum difficultatum attentionem applicare, et quidquid circa hoc punctum occurrit, pro viribus exponere. Sed ut solidum dicendis fundamentum ponamus, primo loco discutiemus

DUBIUM I.

An Christum existere in Eucharistia sit aliquid reale, et intrinsecum, ab eo aliquo modo distinctum ?

Dubii titulus supponit veritatem catholicam, loco proxime relato a nobis stabilitam, nempe Christum esse sub speciebus sacramentalibus *vere, realiter, ac substantialiter*, ut loquitur Concil. Tridentinum sess. 13, can. 1. Investigat autem, quid importet hujusmodi Christi in sacramento existentia, sive præsentia. Et ea prædicata, quæ in titulo recensemus, facile occurrunt. Quare non tam proponuntur ob rei difficultatem, quam ut viam sternamus sub sequentibus, atque a facilioribus incipiamus. Paucis itaque rem propositam absolvemus.

§ UNICUS.

Communis veritas asseritur, et exponitur.

Conclusio. 1. Dicendum est Christi existentiam in Eucharistia importare aliquid reale, Christo intrinsecum, et ab ipso aliquomodo diversum. Hæc conclusio est adeo certa, et communis, ut Theologi illam potius supponant, quam probent. Videantur Suarez disput. 47, sectione 1, Arauxo in præsenti quæstione articulo 5, dub, unico in principio. Probatur quoad singulas partes : nam in primis Christum existere in sacramento est quidam effectus realis, et de novo positus in rerum natura : ergo importat aliquid reale. Consequentia est evidens tum ex se: tum ex eo, quod novus effectus realis exigit aliquam formam, aut quasi formam realem. Antecedens autem probatur primo ex communi doctrina Patrum, et Theologorum asserentium, quod Christum existere in sacramento est insigne opus divinæ virtutis : id vero minime intelligi, minus autem verificari valet, nisi dicamus esse effectum realem, et de novo positum in rerum natura. Secundo, quia nisi ita dicamus, palam sequitur per oppositum Christum non esse in sacramento. nisi significative, aut per metaphoram, ut asserunt Calvinistæ : quod tamen est manifeste hæreticum, et a nobis rejectum loco supra citato. Confirmatur : quia Christus ita est in Eucharistia, quod mediante sacramento realiter a nobis sumitur, realiter intra nos existit, et realiter in processionibus defertur, ut fides docet : hæc autem minime salvari queunt, nisi concedendo, quod Christum existere in Eucharistia importat aliquid reale : ergo ita asserendum est. Eo vel maxime, quod Christi existentia in Eucharistia vel est ipsa ejusdem præsentia ad species, vel fundamentum illius: atque ideo cum prædicta Christi præsentia sit non metaphorica, sed realis ; fateri necesse est Christum existere in sacramento Eucharistiæ esse aliquid reale.

(Suarez. Arauxo.) (Prima assertionis pars.)

Altera pars. 2. Deinde facta suppositione, quod Christum existere in sacramento sit aliquid reale, liquido infertur hujusmodi effectum exigere aliquam formam, aut quasi formam realem, quæ prædictum effectum, sive denominationem communicet : sed hujusmodi forma, aut quasi forma non in alio aptius constituitur quam in Christo : ipse enim est, qui denominatur de novo existens in sacramento : ergo Christum existere in sacramento importat aliquid reale eidem Christo intrinsecum. Confirmatur : quia nequit consurgere nova aliqua denominatio realis absque aliqua additione sive immutatione reali ex parte alicujus extremi : rebus namque eodem modo se habentibus nunc sicut prius, nullum est fundamentum ad novam denominationem realem: quippe idem manens idem semper facit idem. Constat autem Christum existere in sacramento esse novam denominationem realem, ut proxime ostendimus : constat etiam Christum esse subjectum, quod de novo existens in sacramento denominatur : et denique constat mutationem, vel additionem in aliis rebus factam impertinenter se habere ad hujusmodi denominationem, nisi aliquid ipsi Christo superaddatur : ergo id, quo Christus denominatur de novo existens in sacramento, est aliquid eidem intrinsecum. Adde primo Christum prout in cœlo non existere realiter in sacramento : Christum vero prout in Euchari tia existere realiter in sacramento : qui transitus de non esse realiter ad esse realiter, nequit fieri absque additione alicujus intrinseci. Adde secundo Christum non aliter existere in sacramento, nisi quatenus terminat conversionem substantiæ panis, et vini in se ipsum : atqui ut terminet talem conversionem, indiget aliquo sibi realiter superaddito in esse termini, ut ostendimus disp. præced. dub. 3 ; ergo Christum existere in sacramento importat aliquid reale sibi additum, et intrinsecum.

3. Ex quibus facile ostenditur ultima assertionis pars : quoniam nequit intelligi realis additio unius ad aliud absque reali aliqua distinctione inter id, cui additur, et id, quod additur : sed Christo additur aliquid reale, et intrinsecum, quo fiat realiter existens in sacramento, ut hactenus ostendimus : ergo illud reale supperadditum distinguitur aliquo modo a Christo. Confirmatur : nam quæ realiter separantur, aliquo modo distinguuntur : sed Christus, et hoc sibi additum realiter separantur : ergo aliquo modo distinguuntur. Probatur minor : quia tota substantia Christi cum omnibus suis proprietatibus, et accidentibus naturalibus existens in cœlo non habet hoc additum realis existentiæ in sacramento : quod tamen realiter habet in Eucha- Pars posterior.

ristia. Et similiter ubi corrumpuntur species sacramentales, conservat Christus suam substantiam, et accidentia connaturalia ; et tamen non conservat realem existentiam in sacramento, ut ex terminis liquet. Ergo Christus, et hoc sibi additum realiter separantur. Diximus *Esse aliquo modo diversum*, non determinando quantitatem, aut genus distinctionis : tum quia id in præsenti sufficit : tum quia utrum distinctio sit entitativa, an solum modalis, satis constabit ex dicendis per totam disputationem.

Nota.

Objectio.

4. Nec refert, si contra communem hanc doctrinam opponas primo ex illa inferri, quod Christus mutetur, cum per transubstantiationem incipit existere in sacramento, et similiter quando per corruptionem specierum desinit esse in sacramento : consequens est falsum : ergo et præmissa doctrina. Sequela est manifesta : quoniam affirmamus Christum per transubstantiationem acquirere aliquid reale, intrinsecum, et sibi realiter superadditum; et similiter Christum illud exuere, quando species corrumpuntur : hæc autem contingere non possunt absque mutatione Christi; siquidem important intrinsecam ejus alietatem. Falsitas vero consequentis ostenditur tum quia Christus, cum sit in statu glorioso, non debet esse subjectus his mutationibus : tum quia D. Thom. art. 6 hujus quæst. expresse negat Christum moveri, aut mutari per hoc, quod desinat esse in hoc sacramento. Secundo oppones, nam Christus eo modo habet existere in Eucharistia, quo substantia panis, et vini, quæ in ipsum convertitur, habebat prius esse sub eisdem accidentibus ; siquidem Christus succedit loco ejusdem substantiæ, et gerit vices illius in ordine ad prædicta accidentia : sed substantiam existere sub illis accidentibus non importabat aliquid intrinsecum, superadditum substantiæ, et ab illa aliquo modo distinctum : quippe substantia per se ipsam unitur propriis, et connaturalibus accidentibus : ergo idem de corpore Christi, quatenus sub eis existit, et substantiæ succedit, dicendum est. Tertio, ideo Christus deberet recipere aliquid intrinsecum de novo sibi superadditum, quia suscipit novas denominationes reales existendi in Eucharistia, et quod a nobis realiter recipiatur, ut probando nostram assertionem expendimus : sed prædictum motivum non urget : ergo absque fundamento affirmamus hoc, quod est Christum existere in sacramento, importare aliquid reale, Christo intrinsece superadditum. Probatur minor : quia ut illæ novæ denominationes consurgant in Christo, sufficit constituere additionem, et mutationem in alio extremo, utputa in speciebus sacramentalibus : sicut etiam Verbum divinum denominatum est realiter unitum humanitati, et intrinsece homo, non per additionem, aut mutationem factam in ipso Verbo, sed per additionem, et mutationem factam in humanitate.

D. Tho.

Alia objectio

Respondetur primæ.

Non, inquam, referunt istæ objectiones. Nam ad primam respondetur concedendo sequelam : quia sicut nullum est inconveniens, quod Christus terminando transubstantiationem aliquomodo immutetur, nimirum suscipiendo aliquem modum realem, quem prius non habebat, ut diximus disp. præced. n. 31, ita nec est inconveniens, quod Christum existere in sacramento importet aliquam ejus immutationem per aliquid intrinsecum sibi superadditum. Ad primam vero consequentis improbationem respondemus Christum gloriosum non subire aliquam mutationem corruptivam, aut destructivam : subesse tamen aliquibus mutationibus, quæ hujusmodi imperfectionem non inferunt, ut est plane acquisitio novi *ubi*, cum movetur de loco in locum. Idque a fortiori dicendum est de mutatione, quam habet ex hoc, quod fiat de novo existens in sacramento : nam talis mutatio est perfectiva, et importat quandam participationem immensitatis divinæ, ut idem corpus Christi fiat præsens innumeris sacramentis. Per quod patet ad secundam consequentis refutationem : nam D. Thom. solum excludit a corpore Christi mutationem corruptivam, sive quod Christus, cum desinit esse sub speciebus, desinat absolute : et similiter dumtaxat intendit, quod desitio Christi sub speciebus non incipiat primario ab ipso Christo, sed a prædictis speciebus : Christus enim manet immobiliter sub illis, quandiu ipsæ conservantur. « Sicut Deus, « *inquit S. Doctor*, cujus esse est indeficiens « et immortale, desinit esse in aliqua crea- « tura corruptibili per hoc, quod creatura « corruptibilis desinit esse. Et hoc modo « cum Christus habeat de se esse indefi- « ciens, et incorruptibile, non desinit esse sub

D. Tho.

« sub sacramento nec per hoc, quod ipsum « desinat esse, neque etiam per motum « localem sui (ut ex dictis patet) sed solum « per hoc. quod species hujus sacramenti « desinant esse. » Cæterum deficientibus speciebus, sicut Christus desinit esse realiter sub illis, et exuit respectum præsentiæ, quam ad ipsas habet : ita oportet, quod amittat aliquod esse reale, quod importatur in existere realiter in sacramento, ut supra explicuimus.

Occurritur secundæ. 5. Ad secundam respondetur primo cum Arauxo ubi supra negando minorem : quoniam substantiam existere sub propriis, et connaturalibus accidentibus non importat solam substantiam, et sola accidentia ; ed aliquid intrinsecum superadditum substantiæ, sive sit modus unionis, sive modus receptionis, aut inhæsionis. Unde licet conservarentur (quod non repugnat) hujusmodi substantiæ, et accidentia excluso alio sibi superaddito ; sicut substantia in tali suppositione non diceretur unita realiter accidentibus, sic nec diceretur existere realiter sub illis sed quasi disparate se haberent. Unde magis confirmatur, quod Christum existere sub speciebus importat aliquid reale, et sibi intrinsece superadditum. Respondetur secundo eidem objectioni omittendo præmissas, et negando consequentiam ob satis notam rationem disparitatis. Nam substantia connectitur ab intrinseco suis propriis, et connaturalibus accidentibus, et simul cum eisdem naturaliter producitur : quare sicut ab intrinseco habet illis uniri, sic etiam et sub eisdem existere ; quidquid fuerit de alio sibi superaddito. Sed Christus non habet ex natura sua existere sub accidentibus sacramentalibus, quin potius quod sub eis constituatur, est miraculosum opus divinæ virtutis, efficientis, ut corpus Christi, quod existit in cœlo, incipiat existere novo modo in sacramento. Id vero minime fieri, aut intelligi valet, quin corpus Christi acquirat sub sacramento novum, et intrinsecum modum essendi, quem prius non habebat in cœlo. Et inde consequens est novam hanc existentiam, et præsentiam importare aliquam mutationem.

Ad tertiam objectionem respondetur negando minorem : nam prædictum motivum optime procedit juxta qualitatem materiæ, cui applicatur. Et ad probationem contrariam dicendum est plures esse denominationes reales intrinsecas, quæ non aliter consurgunt, et exercentur, quam connotando aliquod extrinsecum, vel extrinsecam in altero extremo mutationem. Sed ut ita contingat, opus est præsupponi in subjecto rectum formæ denominantis : aliter enim nequit subjectum intrinsece denominare. In Christo autem antecedenter ad transubstantiationem, non invenitur rectum, aut forma a quibus possit denominari existens in sacramento : quippe hujusmodi rectum, sive forma est ipsa existentia, sive modus existendi in sacramento, quos minime habet Christus, prius quàm in sacramento constituatur. Unde non sufficit ponere additionem, aut mutationem specierum, ut Christus denominetur in sacramento existens : sed necessario ex parte ipsius Christi admittenda est. Exemplum autem in contrarium allatum non probat oppositum : tum quia Verbum divinum est immutabile, et incapax cujuslibet receptionis ; cujus oppositum contingit in corpore Christi. Tum etiam quia Verbum, cum sit actus purus, non solum est extremum unibile, sed etiam, quantum est ex parte sua, ipsa unio, et extremum unitum : unde satis est ponere unionem, additionem, et mutationem ex parte humanitatis, ut Verbum dicatur unitum, et intrinsece homo absque ulla sui mutatione. Sed corpus Christi, licet possit fieri præsens speciebus, nihilominus non est ipsa existentia, præsentia, vel unio ad species : quare eget aliquo sibi supperaddito, ut fiat actu existens in sacramento : atque ideo non sufficit ponere mutationem ex parte præcise specierum. Parum quippe, aut nihil refert ponere quantamlibet imaginabilem mutationem in solis speciebus, ut Christus, qui præsupponebatur existere solum in cœlo, incipiat esse vere, et realiter in sacramento. Ex parte itaque ipsius Christi oportet admittere additionem, et mutationem ad prædictum effectum.

DUBIUM II.

Utrum Christum existere in sacramento importet unionem Christi ad species, et qualis sit ista unio?

Hic jam occurrit major præcedenti difficultas : plura namque solent coexistere,

et sibi præsentia, atque indistantia esse, inter quæ tamen nulla datur realis unio, aut conjunctio, ut patet in duobus corporibus contiguis : et generaliter locatum existit realiter in loco, quin propterea habeant realem unionem. Addit enim unio supra indistantiam, atque præsentiam : unde provenit, quod licet omnia realiter unita sint realiter indistantia ; nihilominus, non omnia realiter indistantia, sive præsentia sint realiter unita. Et ideo licet ex præmissis habeamus, quod existentia Christi in sacramento importat realem indistantiam, sive præsentiam ad species ; adhuc discutiendum superest, utrum talis Christi existentia, sive præsentia afferat realem ejus unionem cum speciebus, et cujusmodi sit talis unio : quod hic decidere oportet.

§ I.

Resolutio dubii quoad priorem partem.

Prima conclusio. 6. Dicendum est primo Christi existentiam in sacramento importare non solum indistantiam ab speciebus, sed etiam veram, et realem unionem cum illis. Hæc assertio non invenitur in propriis termi- D. Tho. nis apud D. Thomam : sed tamen non obscure ex S. Doctore colligitur. Tum quia in 4, dist. 11, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 1, sic explicat D. Damascenum lib. 4, de fide, cap. 14, dicentem : « Deum « conjunxisse divinitatem suam pani, et « vino, et fecisse ea corpus, et sanguinem « suum. » Nam liquidus, et catholicus illius sententiæ sensus est corpus Christi divinitati unitum mirabili modo conjunctum fuisse speciebus panis, et vini. Conjunctio autem quædam unio realis est. Atque ideo ex utriusque Doctoris sententia fateri oportet, quod in hoc mysterio datur unio inter corpus Christi, et species sacramentales. Tum etiam quia D. Thomas frequenter significat, quod corruptis speciebus desinit corpus ibi esse, non quia desinat absolute esse, sed quia amittit unionem ad species : sicut etiam desineret esse substantia panis, et vini, cui corpus, et sanguis Christi succedunt. Unde in hac quæst. art. 6 ad 3, inquit : « Corpus Christi remanet « in hoc sacramento non solum in crastino, sed etiam in futuro, quousque species « sacramentales manent. Quibus cessantibus desinit esse corpus Christi sub eis : « non quia ab eis dependeat, sed quia « tollitur habitudo corporis Christi ad il- « las species. » Quare dari hujusmodi veram, et realem unionem inter corpus Christi, et species sacramentales docent ex Thomistis Capreolus in 4, dist. 10, quæst. 3, ad 1, Scoti contra 2, concl. Paludanus ibidem quæst. 3, Sotus ibi quæst. 1, art. 9, et dist. 9, quæst. 2, art. 1 ad 2, et 4, Scoti, et rursus art. 4, post recitatam 3, et 4, opinionem. Martinus de Ledesma 1, p. 4, quæst. 6, art. 1, dub. 4, et art. 4, dub. 5, Caietanus in præs. quæst. art. 5, et 6, Arauxo art. dub. unico, a num. 43, N. Corneio disp. 2. dub. ult. Gonet disp. 5, art. 2, num. 62, et alii. Idem etiam tuentur Aureolus apud Capreolum loco cit. in argumentis contra 1 conclusionem, Sainctes repet. 5, cap. 3, et repet. 9, cap. 6, Joannes Hessels. lib. *de corpore Christi* fol. 181, Alanus lib. 1, cap. 34, cum tribus seq. Bellarminus lib. 3, *de Eucharistia* cap. 18, Suarez disp. 47, sect. 3, concl. 2, Moncæus disp. 11, cap. 14, Mæratius disp. 16, sect. 2, a n. 7, et alii.

(Capreolus. Palud. Sotus. Martin. Ledesm. Cajet. Arauxo. N. Corn. Gonet. Aureol. Saincte. Hessels. Alanus. Bellarm. Suarez. Monc. Mærat.)

Inefficacia aliquorum motiva. Quamvis autem non pauca soleant pro ista sententia expendi motiva, illa tamen non censemus satis efficacia. Quod enim aliqui dicunt corpus Christi, quod est terminus transubstantiationis, debere habere incompossibilitatem cum substantia panis: quam tamen non haberet, licet sub eisdem accidentibus succederet, nisi eisdem uniretur : (quippe ibidem est modo spirituali, et indivisibili, quo pacto posset Angelus cum substantia panis coexistere : unde corpus Christi potuisse collocari sub accidentibus panis non destructa hujus substantia, diximus disp. præced. num. 51.) ad conversionem itaque necessarium est addere, quod corpus Christi uniatur accidentibus panis. Id, inquam, si dicatur, satis leve est, ut assertionem evincat : tum quia ad veram conversionem, aut transubstantiationem, unius in aliud, non requiritur quod ejus termini habeant incompossibilitatem in ordine ad aliquod tertium, utputa subjectum terminum, vel accidens : potest enim fieri conversio totalis unius in aliud absque ulla communicatione, vel successione in alio tertio, ut diximus disp. præced. num. 10, ergo ut corpus Christi convertatur absolute in substantiam panis, minime requiritur, quod corpus Christi uniatur accidentibus, quibus

bus uniebatur panis substantia : sed potest salvari conversio independenter ab hujusmodi unione: ut plane contingeret, si substantia panis converteretur in corpus Christi alibi existens, aut collocandum. Tum etiam quia terminus *a quo*, et terminus *ad quem* conversionis sufficientissimam incompossibilitatem habent ex hoc ipso, quod unus transit in alium: quippe hoc ipso necessarium est unum destrui ad positionem alterius ; quidquid sit de successione, aut positione sub uno loco, termino, aut tertio utrique communi, ut diximus disp. præced. num. 54. Hac itaque via non recte probatur necesssitas unionis realis inter corpus Christi, et species. Nec melius est aliud medium, quo alii utuntur, nempe necessariam esse talem unionem pro veritate verborum consecrationis : *Hoc est corpus meum* : nam significant, *Quod substat his visibilibus accidentibus, est corpus meum:* ut autem illis substet, debet eisdem uniri. Id, inquam non magis rem evincit : quoniam sensus illius propositionis est, *Contentum sub his accidentibus est corpus meum:* potest autem salvari continentia sine unione, ut ex se liquet.

Melius fundamentum. 7. His igitur, et similibus omissis, probatur conclusio unico fundamento desumpto ex communi modo loquendi Patrum, atque apprehensione fidelium, quod possumus ad sequentem formam reducere : quoniam si nulla daretur unio realis inter corpus Christi, et species sacramentales, non esset ratio, quare motis, aut elevatis speciebus, vere, et realiter, licet per accidens sive ad motum, et elevationem alterius, moveretur, aut elevaretur corpus Christi : atqui motis, et elevatis speciebus, vere, et realiter movetur, et elevatur corpus Christi : ergo inter illud, et species datur aliqua vera, et realis unio. Major probatur : nam ubi aliqua non sunt unita realiter, licet sint indistantia,et præsentia, nulla est ratio, quare uno moto, moveatur aliud ; quin oppositum constat manifesta experientia. Unde licet Angelus se constitueret sub accidentibus, vel sub aliquo corpore ; non inde inferretur eum, qui moveret corpus, vel accidentia de loco in locum, movere etiam Angelum. Si ergo inter corpus Christi, et species sacramentales nulla datur unio, aut conjunctio realis ; non est ratio, quare motis, aut elevatis speciebus, moveatur, et elevetur realiter corpus Christi : posset enim motus terminari ad solas species, corpore Christi eodem modo se habente, atque in eodem situ imaginario permanente. Minor etiam ostenditur : quia frequentissime legimus apud Patres corpus Christi in sacramento deferri, collocari, contractari, dentibus atteri, et similia ; cum tamen prædicti motus ad solas species directe terminentur. Et hoc etiam modo loquuntur communiter omnes fideles. Videantur D. Chrysostomus hom. 43, *in Joan.* et 85, *in Matth.* et 41, in 1, *ad Corinth.* N. Cyrillus lib. 12. *in Joan.* cap. 58, D. Gregorius hom. 22, *in Evang.* D. Algerus lib. 1, *de hoc sacramento*, cap. 18. Quas locutiones esse proprias tuentur, V. N. Waldensis tom. 2. *de sacram.* cap. 34, Cano lib. 5, de locis, cap. ult. ad ultimum, et latissime Alanus lib. 1, cap. 37. Idque urgenter confirmatur ex eo, quod Berengarius in sua fidei professione coactus est confiteri « corpus Christi vere « esse in altari, frangi, et sensibilibus ma« nibus sacerdotum contractari, ac denti« bus atteri : » professio autem fidei, et abjuratio hæresis verbis illis fieri debent, et solent, quæ habeant proprietatem sermonis. D. Chry. D. Cyril. D. Greg. D. Alg. N. Wald. Cano Alanus.

Nec momenti erit, si dicatur pro his salvandis sufficere, quod corpus Christi contineatur sub speciebus adjuncto pacto, sive decreto extrinseco Dei, ut Christus moveatur, et elevetur ad motum et elevationem specierum : sicut etiam si Angelus vellet se continere, et conservare sub speciebus, eis motis moveretur cum illis, quamvis nullam ad illas unionem realem haberet. Id, inquam, minime satisfacit : tum quia si res ita se haberet, ut in hac evasione significatur, motis, aut elevatis speciebus, Deus quidem moveret, et elevaret corpus Christi cum illis ; non autem sacerdotes ipsum moverent, et elevarent : sicut in exemplo proposito, si Angelus vellet se constituere in lapide, non propterea qui posset movere lapidem, posset adhuc mediate movere Angelum ; sed hic se ipsum pro suo nutu moveret; atqui sacerdotes vere, et realiter elevant, et movent de loco in locum corpus Christi, ut ex communi modo loquendi Patrum, et fidelium proxime ostendimus : ergo fateri oportet corpus Christi uniri speciebus aliqua unione reali, et non ex solo extrinseco Dei decreto. Et in exemplo proposito (ut magis dispellatur) Præcluditur effugium. Nota.

falso supponitur Angelum se constituere in lapide, aut alibi sine ulla unione reali ad lapidem, vel locum : non enim valet se in loco realiter constituere, aut conservare absque reali contractu virtutis, sive operatione, quam circa ipsum exerceat : qui contactus, et operatio unio quædam realis, et applicatio est saltem per modum efficientiæ : et nisi id supponatur, minime inferretur, quod ad motum lapidis moveretur Angelus, qui præsupponebatur ab illo indistans. Unde prædictum exemplum magis evincit necessitatem alicujus unionis realis inter corpus Christi, et species ; (quidquid sit de conditione talis unionis, quam infra magis declarabimus). Tum etiam quia licet plura fieri non repugnet ex solo extrinseco Dei decreto ; nihilominus connaturalius rebus est, ut fiant per aliquid intrinsecum, et ipsas res afficiens : unde quamvis plures opinentur remissionem peccati, et justificationem peccatoris posse absolute fieri per extrinsecam Dei providentiam, et absque intrinseca peccatoris immutatione ; nihilominus omnes catholici fatentur remissionem peccati, et justificationem peccatoris fieri de facto per formam intrinsecam in eo receptam : ergo ob idem motivum concedere oportet Christi corpus uniri, atque conjungi speciebus, et subinde sequi illarum motum, non ex solo extrinseco Dei decreto, sed per aliquam unionem realem ad easdem species. Tum denique quia non obstante, quod prima Christi positio, seu collocatio sub speciebus fiat ex voluntate, et decreto extrinseco Dei; nihilominus non fit ex solo isto decreto, sed in virtute etiam, et causalitate consecrationis, quæ per vim physicam instrumentariam constituit Christum in sacramento, ut constat ex generali doctrina, quam tradidimus tract. præced. disp. 4, dub. 4; ergo non obstante, quod conjunctio, et assistentia Christi ad species sacramentales fiat juxta voluntatem, et extrinsecum Dei decretum, debet tamen fieri ex vi consecrationis, quæ aliquam unionem, sive nexum inter corpus Christi, et species sacramentales efficiat : id enim paritatis ratio convincere videtur.

Confirmatio. Confirmantur hæc omnia : nam propter communicationem idiomatum inter Verbum, et humanitatem assumptam, ut quod patiente, aut moriente humanitate dicatur Deus pati, et mori, colligunt communiter Patres, et Theologi, quod inter Verbum, et humanitatem datur non solum intima, et inseparabilis præsentia, sed etiam vera unio realis hypostatica. Sed etiam inter corpus Christi, et species sacramentales datur quædam idiomatum communicatio ; siquidem plura, quæ per se conveniunt speciebus, vere prædicantur de corpore Christi, ut cum motis speciebus movetur corpus Christi, et cum eis manducatis manducatur, ut supra ex communi apud Patres loquendi modo ponderavimus. Ergo asserere oportet, quod inter corpus Christi, et species datur non solum intima, et inseparabilis assistentia ex decreto Dei, sed etiam aliqua realis unio, sive conjunctio.

8. Contrariam tamen nostræ assertioni sententiam, quæ nullam in hoc mysterio recognoscit unionem, quam inseparabilitatis ex decreto extrinseco Dei contingenter volentis Christum adesse sub speciebus, quandiu ipsæ manent, et moveri, ac deferri, cum ipsæ moventur, et deferuntur, docent Scotus in 4, dist. 10, quæst. 5, Okam ibidem, Gabriel art. 2, concl. 10, Aliacencis quæst. 5, art. 2, Major quæst. 6, Argentinas quæst. 2, art. ult. et alii. Quam probant primo : quia hæc unio inseparabilitatis ex voluntate extrinseca Dei sufficit ad salvandum omnia, quæ fides docet circa istud mysterium, ut quod Christus existat realiter sub speciebus, et quod eis motis, aut elevatis moveatur, aut elevetur : ergo superfluum est constituere aliam unionem realem inter corpus Christi, et species. Secundo, quia cum sacramentum non sit unum ens aut compositum physicum, sed morale, ut diximus tract. præced. disp. 2, dub. 2, non oportet ea, quæ ad sacramenta pertinent, explicari modo physico, sed morali : cum igitur ex speciebus sacramentalibus, et corpore Christi resultet unum Eucharistiæ sacramentum ; sufficit constituere inter ea unionem moralem inseparabilitatis ex decreto Dei, et minime requiritur alia unio realis. Tertio, quia impossibilis est alia unio realis inter corpus Christi, et species : ergo non datur : atque ideo recurrere oportet ad unionem inseparabilitatis ex solo Dei decreto. Antecedens suadetur : quoniam vel talis unio esset formalis : et id dici non valet : si enim accidentia Eucharistica unirentur formaliter corpori Christi, eidem plane inhærererent

Sententia contraria. Scotus. Okam. Gabriel. Aliacen. Major. Argent. Primum argumentum. Secundum. Tertium.

inhærererent, ipsi communicando suos effectus formales, utputa illud extendendo, figurando, qualificando, etc. quæ omnia sunt absurda, et contra fidem hujus mysterii. Vel esset uuio effectiva, sive per modum efficientiæ, et attractionis : et nec hoc dici potest : quia corpus Christi non agit in species, nec vice versa species agunt in corpus Christi : et plane explicari non valet, quid invicem hac efficientia producant. Ergo impossibile est, quod species, et corpus Christi uniantur unione reali.

Dissolvuntur. Ad primum motivum respondetur negando antecedens : nam ut supra expendimus, fides docet motis, aut elevatis speciebus moveri, et elevari corpus Christi non solum a Deo, sed etiam ab hominibus moventibus, et elevantibus speciebus : quod minime salvaretur, nisi species haberent aliquam unionem realem ad corpus Christi : aliter enim motus hominis terminatus per se ad species non terminaretur per accidens, sive per aliud ad Christi corpus : sicut qui movet unum lapidem, non propterea movet alium lapidem alteri præsentem, et coexistentem, si nullam habeant inter se realem unionem. Accedit, quod licet fides hujus mysterii salvaretur utcumque juxta contrarium dicendi modum : non tamen juxta magis suavem, et rebus consonam Dei providentiam : non enim fieri solent extrinseco tantum Dei decreto, quæ per aliquid intrinsecum fieri valent : sicut Adversarii communiter docent Deum posse ab extrinseco remittere peccatum, et justificare peccatorem : et tamen de facto non ita contingit, sed utrumque fit per formam intrinsecam. Ad secundum respondetur, quod licet sacramenta sint entia artificialia, et moralia quantum ad unitatem, et compositionem ex materia, et forma, ut explicuimus loco citatato ; nihilominus important plura physice talia ; sic enim materia, et forma, et actiones, quibus perficiuntur, quid physicum sunt. Virtus etiam, qua ad agendum elevantur, quid physicum est, atque eisdem physice unitur, ut diximus tract. præced. disp. 4, dub. 4. Et hoc modo sicut Christus physice, hoc est, vere, et realiter existit in sacramento ; sic oportet, quod sacramento sive speciebus uniatur unione reali. Eo vel maxime quod corpus Christi comparatur ad sacramentum Eucharistiæ tanquam virtus talis sacramenti : quam proinde oportet eidem physice, id est, realiter uniri. Ad tertium negamus antecedens : nulla enim apparet contradictio in ejusmodi unione. Et ad probationem in contrarium dicendum est posse utramque partem probabiliter sustineri : nam et salvari valet unio formalis absque inhærentia specierum : et similiter salvari valet, quod corpus Christi exerceat actionem attractivam erga species, et sic proportionabiliter eisdem uniatur, sicut Angelus unitur loco, et rebus, in quas agit : salvari etiam potest, quod species divina virtute agant in corpus Christi, illud attrahendo ad se. Cæterum quia hoc attingit graviorem dificultatem, et pertinet ad modum hujus unionis, expedit rem operosius discutere : et ideo

§ II.

Posterior dubii pars decicitur duabus assertionibus.

9. Dicendum est secundo unionem inter corpus Christi, et species sacramentales non esse mere effectivam, sive per modum efficientiæ, actionis, et attractionis. Sic docent omnes auctores num. 12 referendi. Explicatur conclusio : non enim asserimus repugnare, quod corpus Christi agat in species sacramentales, aut vice versa qud species agant in corpus Christi ; nec quod hujusmodi efficientia sit impossibilis : nullam enim videmus implicationem in eo, quod corpus Christi divina virtute agat aliquem effectum in speciebus sacramentalibus, aut e converso quod species sacramentales divina virtute agant aliquid circa corpus Christi. Sed asserimus unionem, quam in conclusione præced. statuimus, non in eo consistere, nec ita explicandam esse. Probatur ex hactenus dictis : nam talis unio realis datur inter corpus Christi, et species sacramentales, ut motis, aut elevatis per se speciebus, moveatur, et elevetur corpus Christi saltem per accidens, sive ad motum alterius : sed id minime salvatur ex vi actionis vel corporis Christi in species, vel specierum in corpus Christi : ergo unio, quæ datur inter corpus Christi, et species, non consistit in hujusmodi actione, sive unione effectiva. Minor ostenditur : tum quia instrumenta divinæ virtutis possunt agere in distans secundum locum : atque ideo fieri potest,

Secunda conclusio.

Fundamentum.

quod licet instrumentum hujusmodi moveatur secundum locum, passum tamen, sive effectus minime moveatur: ergo ex eo, quod corpus Christi ex divina virtute agat in species, aut e contra quod species ex divina virtute agant in Christi corpus; minime sequitur, quod motis per se speciebus moveatur vel per accidens corpus Christi. Tum etiam quia manifesta experientia liquet, quod licet agens sit applicatum, et præsens passo, potest unum moveri de loco in locum, quin aliud subeat adhuc per accidens similem mutationem: sic enim quamvis ignis agat in lignum, non sequitur, quod si quis moveat lignum, moveat etiam ignem, aut si quis moveat ignem, moveat etiam lignum, ut de se constat: ergo quod corpus Christi agat in species, vel quod species agant in corpus Christi, minime sufficit ad salvandum, quod qui movet per se species, moveat saltem per accidens Christi corpus.

Adversariorum occursus. 10. Respondent Adversarii, quod licet ex communi conceptu efficientiæ unius in aliud non colligatur, quod unum moveatur ad motum alterius, ut argumentum plane convincit: nihilominus id inferri valet ex peculiari modo efficientiæ, nimirum per modum attractionis: ubi enim unum efficit attrahendo aliud ad se, sibique conjungendo, consequenter infertur, ut unum moveatur ad motum alterius, ut patet in magnete attrahente ferrum ad se, (quo exemplo utitur Suarez) quippe supposita hujusmodi attractione, et applicatione, qui movet per se magnetem movet ex consequenti saltem per acccidens ferrum. Et hoc modo explicanda est unio inter corpus Christi, et species, videlicet ad instar cujusdam attractionis, quæ proinde sufficiens est, ut motis speciebus moveatur saltem per accidens corpus Christi.

Suarius.

Proteritur. Sed hæc responsio non satisfacit: quoniam vel attractio est mera efficientia, et motus, quibus unum movet aliud de loco in locum, illud attrahendo ad se. Et si res ita se habet; minime sufficit efficientia per modum attractionis, quippe quæ relinquitur cum communi conceptu efficientiæ: et hæc (ut vidimus, ac responsio concedit) non sufficit, ut qui movet agens, dicatur movere passum, aut e converso. Vel attractio non est mera efficientia, et motus, sed importat aliquam dispositionem, aut qualitatem rei attractæ impressam, per quam formaliter copulatur, et unitur attrahenti: et hoc modo attractio non est mera efficientia, sed affert unionem, et conjunctionem formalem inter extrema, quamvis causatam ab uno in alio: quo pacto verisimile est magnetem trahere ad se ferrum. Unde ex prædicto exemplo non sequitur, nec probatur unionem per modum solius efficientiæ sufficere, ut agens moveatur ad motum passi, aut e converso passum moveatur ad motum agentis. Et consequenter cum certum sit corpus Christi moveri saltem per accidens ad motum specierum: fateri oportet unionem inter corpus Christi, et species pro tali effectu requisitam non esse mere effectivam, sive per modum efficientiæ, sed importare plus aliquid.

11. Refellitur secundo, et urgentius eadem responsio: quoniam licet inter corpus Christi, et species sit possibilis hujusmodi attractio, quam responsio introducit, eaque non repugnet per respectum ad potentiam Dei absolutam; nihilominus talis attractio nec congruit mysterio, nec est necessaria, nec habet fundamentum in communi doctrina Patrum, et Theologorum: ergo minime debet admitti, aut deservire explicandæ difficultati, quam modo versamus. Consequentia patet. Et antecedens suadetur supponendo, quod prædicta attractio dupliciter explicari valet: primo cum Suarez asserente, quod species sacramentales sunt, quæ ex divina virtute attrahunt ad se corpus Christi: secundo cum Arauxo Suarium impugnante, atque sentiente corpus Christi esse, quod ad se trahit species sacramentales. Major impugnatio.

Primus ergo dicendi modus evertitur: quoniam attractio, qua una res trahit ad se aliam, fit medio motu rei attractæ, et aliquali ejus resistentia, ut patet in exemplo magnetis attrahentis ferrum, quo Suarius utitur, et in similibus: sed absurdum, indecorumque est dicere species sacramentales movere corpus Christi, illudque vel resistens ad se trahere: ergo tales species non uniunt sibi corpus Christi effective per modum attractionis. Et si prædictus Auctor respondeat hanc attractionem non esse explicandam cum tanto rigore, sed quantum ad colligationem sufficiat nihil plane dicit. Quoniam si attractio non explicatur cum ea proprietate, nihil addet supra efficientiam unius in aliud, sed erit mera efficientia: atqui mera efficientia unius in Sententia Suarii refellitur

aliud

aliud minime sufficit, ut unum moveatur ad motum alterius, sive ad hoc, ut qui movet per se unum, moveat per accidens aliud : et hac de causa prædictus Auctor introduxit non qualemcumque efficientiam, sed attractionem ex parte specierum : ergo vel debet admittere attractionem rigorosam (quod est absurdum) vel insufficienter rem explicat, atque inconsequenter loquitur. Et si Suarius ultra addat hanc attractionem non esse efficientiam nudam, nec attractionem rigorosam,sed medio modo se habentem, qualis nimirum requiritur ad inseparabilitatem ; ex hoc ipso convinceretur minus philosophice , et theologice procedere. Tum quia non explicat, quidnam illud sit, quod medio modo se habet. Tum quia contra hanc etiam responsionem stat objectio proposita : illa enim attractio, quam Suarius inducit,vel est mera efficientia : et sic non sufficit ad hoc, quod unum moveatur ad motum alterius, ut ipse recognoscit. Vel addit supra meram efficientiam : addere autem non potest, nisi vim movendi rem attractam cum aliqua ejus resistentia : et sic infertur species attrahere prædicto modo corpus Christi ; quod minime dici debet.

Explicatio ex Arauxo confutatur. Secundus etiam dicendi modus ex Arauxo pariter evertitur : nam cum corpus Christi in hoc sacramento existat per modum substantiæ, et succedat loco substantiæ panis, eo proportionali modo comparatur ad species sacramentales , quo substantia comparatur ad accidentia,et quo substantia panis comparatur ad accidentia panis: sed substantia non unit sibi accidentia per attractionem : tum quia cum non sit immediate operativa, nequit excercere actionem , qua accidentia trahat : tum etiam quia accidentia naturaliter uniuntur substantiæ per simplicem dimanationem : tum denique quia accidentia nullam habent resistentiam, ut dicantur per attractionem moveri,et trahi : ergo pariter corpus Christi non unit sibi accidentia eucharistica effective per modum attractionis. Eo vel maxime, quod certum est corpus Christi non habere ex se naturalem vim trahendi ad se accidentia panis, et vini. Unde si de facto illa attraheret, id exerceret miraculose, et per modum instrumenti divinæ virtutis. Ut autem admittamus hoc miraculum, et specialem, ac supernaturalem concurrendi modum, nullam habemus fundamentum in scriptura, nec in communi Patrum, et Theologorum doctrina : atque ideo sine fundamento illud asseritur.

Major impugnatio. Confirmatur refellendo simul ex eodem principio utriusque Auctoris sententiam. Principium autem notissimum est ab ipsa naturali experientia, et communi Philosophorum consensu, nempe attractionem importare motum localem, qua una res alteram vel loco distantem, et sibi loco non conjunctam ad se allicit, sibique copulat, ut patet in magnete respectu ferri, et in similibus, ex quorum energia didiscimus dari hunc specialem attractionis motum. Et nisi huic proprietati stemus, opus est recurrere ad attractionem metaphoricam,quæ nec explicari valet , nec explicare potest veram, realem, et propriam unionem inter corpus Christi, et species sacramentales. Quo supposito, evertitur attractio introducta in hac materia : quoniam nec species habent vim movendi localiter, et ad se tradendi corpus Christi : nec corpus Christi habet vim movendi localiter et ad se trahendi species : ergo nec species attrahunt corpus Christi, nec corpus Christi attrahit species : atque ideo unio realis inter prædicta extrema, qualem in prima conclusione statuimus, non fit per attractionem. Hæc secunda consequentia patet ex prima : quæ legitime etiam infertur ex antecedenti, supposita veritate communis principii , quod præmisimus. Antecedens autem quoad priorem partem ostenditur : nam si species sacramentales haberent vim movendi localiter corpus Christi, illudque trahendi ad se, aut sibi copulandi ; vel hanc vim haberent respectu corporis Christi ut existentis in cœlo modo extenso, et naturali ; vel respectu corporis Christi ut existentis in sacramento cum modo, quem habet ex vi transubstantiationis ; vel denique respectu corporis Christi secundum se considerati, et præcisive ab his modis : neque enim inter hæc occurrit ullum excogitabile medium. Porro nullum horum dici valet : non quidem primum ; siquidem manifestum est species sacramentales non attrahere ad se corpus Christi ut existens in cœlo, aut secundum modum, quem ibi habet. Neque etiam secundum : quia cum corpus Christi ut terminans transubstantiationem, atque existens in sacramento, sit omnino indistans loco a speciebus sacramentalibus : supervacaneus

omnino, et impossibilis est motus localis, quo prout ibi existens trahatur ad species. Neque tandem tertium : quia si species haberent vim movendi localiter corpus Christi secundum se, et præcisive a modis ; illud profecto sic attraherent, in quocumque loco, et cum quolibet modo reperiretur : semper enim retineret prædicata convenientia sibi secundum se : quod tamen esse falsum constat ex immediate dictis. Et eodem discursu probatur posterior antecedentis pars : quia si corpus Christi haberet vim attrahendi species sacramentales ad se, vel esset corpus Christi, ut existens in cœlo, vel corpus Christi ut existens in sacramento, vel corpus Christi secundum se. Non primum ; siquidem certo constat corpus Christi in cœlo existens non attrahere species sacramentales ad se,aut sibi in cœlo copulandas. Nec secundum : nam Christus ut in sacramento existens non distat ab speciebus : unde vanum foret illas localiter movere, vel ad se realiter trahere. Denique nec ultimum : quoniam si corpus Christi secundum se illam vim haberet, illam utique haberet in omni statu, et cum quolibet modo existeret : quod tamen proxime rejecimus. Sequitur itaque attractionem ab illis Auctoribus assertam, ex quocumque extremo ponatur, esse fictitiam, ut quæ nullum habet effectum : atque ideo unionem inter corpus Christi, et species non congrue declarari unione, aut conjunctione per modum efficientiæ, et ad instar attractionis.

Tertia conclusio. 12. Dicendum est tertio corpus Christi uniri speciebus sacramentalibus aliqua unione formali. Sic ex Thomistis docent Capreolus in 4, dist. 10, quæst. 3, ad 1, *Scoti* contra secundam, Paludanus ibidem quæst. 3, Sotus dist. 9, quæst. 2, art. 1, ad 2, et 4, Scoti, et dist. 10. quæst. 1 art. 6, Martinus de Ledesma 1 parte, Quarti, quæst. 6, art, 1, dub. 4, Caietanus in hac 3 parte quæst. 75, art. 1, observans hanc unionem vocari a Concilio Lateranensi *continentis et contenti*, et in præs. quæst. art. 6, N. Cornejo quæst. 75, artic. 1, disput. 2, dub. ultim. § *Quæritur secundo*, et alii. Ad quos accedunt illi Thomistæ, qui rejecta, vel non admissa unione per modum præcise solius efficientiæ, docent dari unionem licet mirabilem, et ineffabilem. Et sic se gerit Gonet disp. 5, art. 2, a num. 62, cum aliis. Nostram etiam assertionem tuentur Richardus in 4, dist. 10, art. 13, Hessels lib. *de corp. Christi*, pag. 181, Claudius Sainctes repet. 5, cap. 3, et repet. 9, cap. 6, Bellarminus lib. 3, *de Eucharistia*, cap. 18, Vazquez in præs. disp. 190, cap. 3, et 1 p. disput. 188, cap. 7, et disp. 195, cap. 3, et 4, Gaspar Hurtado disput. 5, difficult. 16, Moncæus disp. 11, cap. 14, Meratius disp. 16, sect. 2, et alii.

(Capreol. Paludan. Sotus. Ledesm. Cajet. N. Corn. Gonet. Richard. Hessels. Sainctes. Bellarm. Vazquez Hurtad. Monc. Merat.)

Fundamentum ab auctoritate D. Thomæ. Probatur primo ex D. Thoma, nam licet S. Doctor non utatur expresso vocabulo *unionis formalis*, illis tamen verbis hanc unionem describit, quæ satis aperte significant illam esse formalem : docet enim esse unionem veram, singularem, et admirabilem. Quod minime diceret, si ageret de sola unione per modum efficientiæ vel Christi in species, vel Dei tam in species, quam in corpus Christi : tum quia sola efficientia non est vera unio, ut supra ostendimus : tum quia unio per modum efficientiæ non est singularis, sed quæ invenitur et in aliis sacramentis, et in aliis rebus : tum quia quod unum agat in aliud, facile intelligitur, nec est admodum ineffabile. Quod autem D. Thomas ita senserit, et docuerit, constat : nam in 4, dist. 11, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 1, refert verba D. Damasceni lib. 4, de fide cap. 14. « Quia consuetudo « est hominibus comedere panem, et vinum, « conjugavit eis Deus divinitatem, et fecit « ea corpus, et sanguinem suum. » Quæ sic exponit in resp. ad 1 : « Verbum Damasceni « intelligendum est quantum ad species, « quibus corpus divinitati unitum modo « ineffabili conjungitur. » Et in hac 3 part. quæst. præced. art. 1 ad 3, ait : « Corpus « Christi non est eo modo in hoc sacra- « mento sicut corpus in loco quod suis « dimensionibus loco commensaratur ; « sed quodam speciali modo, qui est pro- « prius huic sacramento. Unde dicimus, « quod corpus Christi est in diversis alta- « ribus non sicut in diversis locis, sed si- « cut in sacramento. Per quod non intelli- « gimus, quod Chrisus sit ibi solum sicut « in signo, licet sacramentum sit in ge- « nere signi : sed intelligimus corpus « Christi hic esse, sicut dictum est, secun- « dum modum proprium huic sacramento. » Unde liquet S. Doctorem sentire, quod corpus Christi unitur huic sacramento, sive speciebus sacramentalibus unione quadam ineffabili, et singulari. Observat autem sæpissime tales species, non obstante prædicta

prædicta unione, non inhærere corpori Christi, nec illud extendere, nec ad ipsum tanquam ad subjectum comparari. Sic enim in hac quæst. art. 5, ait : « Non ta« men substantia corporis Christi est sub« jectum illarum dimensionum, sicut erat « substantia panis. » Et quæst. seq. art. 1: « Manifestum est, quod hujusmodi acci« dentia non sunt in substantia corporis, « et sanguinis Christi sicut in subjecto. » Qua observatione opus minime haberet D. Thomas, si sentiret nullam reperiri unionem formalem inter corpus Christi, et tales species, sive accidentia; sed solam unionem per modum efficientiæ, qualem docent Adversarii : quippe manifestum est, quod agens non comparatur ad passum sicut ad subjectum, quod informat, aut e converso. Necessaria autem fuit illa observatio supposito, quod corpus Christi, et accidentia uniantur formaliter : quoniam non facile apparet, quomodo species sacramentales uniantur formaliter corpori Christi, et illud non respiciant tanquam subjectum, ipsique inhæreant. Quod tamen in sequentibus exponere curabimus.

Ratio. 13. Secundo probatur ratione desumpta ex hactenus dictis : nam impossibile est duo aliqua extrema uniri unione vera, et reali, quin uniantur vel sola unione effectiva, sive per modum efficientiæ, vel unione formali, quæ est unio magis stricte, et proprie dicta : sed corpus Christi, et species sacramentales uniuntur aliqua unione vera et reali, ut statuimus in prima assertione : et non uniuntur sola unione effectiva, sive per modum efficientiæ, actionis, aut attractionis, ut statuimus in secunda : ergo corpus Christi, et species sacramentales uniuntur aliqua unione formali. Major constat a sufficienti, et adæquata partium dinumeratione : minor autem ex dictis locis relatis : et consequentia legitime ex præmissis infertur.

Confirmatio. Confirmatur : quia non repugnat substantiam corporis Christi uniri formaliter speciebus sacramentalibus absque ulla talium accidentium receptione, et informatione : ergo fateri oportet corpus Christi, et species sacramentales formaliter uniri. Consequentia patet : nam supposita non implicatione ex parte facti, longe melius sic explicatur unio realis, quæ inter corpus Christi, et species salvari debet : explicantur etiam cum majori proprietate propositiones a Patribus, et Theologis assertæ, quod motis, elevatis, et sumptis speciebus, movetur, elevatur, et sumitur realiter, et vere, licet per accidens, et ratione alterius corpus Christi : ergo ita præsumendum est contingere in hoc mysterio præsertim cum ad Theologos pertineat illud, quantum fieri potest, cum majori claritate, et facilitate exponere. Antecedens autem suadetur exemplo : quia non implicat substantiam spiritualem, utputa Angelum, aut animam rationalem uniri formaliter locis corporeis absque ulla eorum receptione, aut informatione : ergo similiter non repugnat corpus Christi uniri formaliter speciebus sacramentalibus sine aliqua earum receptione, aut informatione. Consequentia patet a paritate. Et antecedens constat ex dictis tract. 13, disp. 18, dub. 2, concl. 3, cum sequent. ubi statuimus spiritus damnatos alligari realiter igni inferni, et aliis rebus corporeis non solum unione effectiva, et per modum operationis (quo pacto substantiæ spirituales constituuntur connaturaliter in loco), sed etiam immediate, et independenter ab operatione : unde provenit, id, quo spiritus alligantur, afficere spiritus non solum secundum potentias, quæ sunt principium immediatum operandi, sed etiam secundum substantiam, quæ non est immediate operativa. Fundamentum autem hujus doctrinæ est tum auctoritas D. Thomæ, qui id satis aperte significat locis ibidem relatis num. 39. Tum quod nemo hactenus repugnantiam in hoc ostenderit : et in his, quæ nec nobis aperte revelata sunt, nec naturali lumine demonstrata, ut ea possibilia judicemus, sufficit quod ea, quæ de illis assequimur, nullam præseferant implicationem : licet positive, et a priori demonstrari nequeant.

14. Tertio probatur eadem assertio declarando simul modum, quo corpus Christi, et species sacramentales, queunt formaliter uniri absque ulla imperfectione informationis, aut inhærentiæ : in quo vertitur totius difficultatis cardo. Ad cujus lucem supponendum est quantitatem (quæ est commune subjectum *quo* accidentium corporalium, sive qua mediante accidentia corporalia uniuntur, et communicantur substantiæ) duo præsertim habere : primum esse quandam formam, quæ extendit substantiam in se, communicando illi partes actuales : secundum esse terminum Alia ratio.

continentem substantiam intra se : neque enim substantia corporea extenditur, aut porrigitur ultra terminos quantitatis, cui subest. Præstat autem quantitas prædicta munia ordine quodam : quippe connaturatiter loquendo nequit substantiam intra se continere, aut comparari ad illam per modum termini, quin intimius uniatur per modum formæ, et substantiam informet, communicando illi suum primarium effectum formalem, videlicet extensionem in ordine ad se. Deinde nota substantiam corporis, et sanguinis Christi, quæ succedit loco substantiæ panis, et vini, quæ in ipsum transubstantiantur, comparari ad species sacramentales loco substantiæ panis, et vini, seclusis tamen imperfectionibus informationis, aut inhæsionis, et illis etiam, quæ informationem, aut inhæsionem essentialiter afferunt, aut præsupponunt : has enim imperfectiones procul amandari debere docet communis Thomistarum sententia, et persuadet ipsa dignitas corporis Christi gloriosi. Cæterum alias rationes, quæ similem imperfectionem non dicunt, minime negare debemus, sed potius juxta veritatem mysterii omnino admittere, utputa corpus Christi existere loco substantiæ panis, uniri accidentibus, contineri sub speciebus, moveri ad motum illarum, et alia similia. Affirmamus itaque corpus Christi uniri formaliter speciebus sacramentalibus non quidem sicut cum forma inhærente, per quam extendatur, sed sicut cum termino, intra quem continetur ; atque ideo hanc unionem formalem esse non sicut subjecti, et formæ, sed sicut contenti et continentiæ, ut loquitur Concilium Lateranense, et recte observavit Cajetanus supra relatus.

Expenditur. Quod suadetur in hunc modum : nam licet quantitas nequeat naturaliter uniri formaliter alicui substantiæ per modum termini continentis, quin simul, et intimius uniatur per modum formæ inhærentis ; nihilominus supernaturaliter fieri potest, quod uniatur per modum termini continentis, et quod non uniatur per modum formæ inhærentis, sive in subjecto receptæ : ergo de facto sic unitur quantitas specierum corpori Christi in Eucharistia : atque ideo inter corpus Christi, et species datur aliqua unio formalis. Hæc secunda consequentia infertur evidenter ex prima. Quæ ex antecedenti sufficienter colligitur. nam cum de facto certum sit corpus Christi contineri sub quantitate specierum, seclusa imperfectione inhærentiæ ; fateri oportet quantitatem, et corpus Christi uniri formaliter per modum continentis, et contenti, non autem per modum subjecti, et formæ inhærentis, si semel hæc ita fieri non repugnat. Præsertim cum id magis conducat ad veritatem, et explicationem mysterii, nempe ut Christus realiter contineatur sub quantitate specierum, et ut eis motis moveatur. Antecedens autem suadetur : quoniam licet quantitas naturaliter unita simul terminet, aut contineat substantiam, atque illi inhæreat ; nihilominus conceptus terminandi, et conceptus inhærendi sunt longe diversi : et similiter conceptus terminandi non dependet essentialiter a conceptu inhærendi, sed est illo communior, atque ideo prior subsistendi consequentia. Ergo non implicat, sed supernaturaliter fieri potest, quod prædicti conceptus separentur, ita ut corpus Christi habeat a quantitate specierum terminari, sive contineri sub illa, quamvis talis quantitas Christo non inhæreat, nec ipsum informet. Idque amplius declaratur exemplo : etenim subsistentia creata juxta communissimam Theologorum sententiam est quidam modus positivus, et a natura substantiæ distinctus : qui proinde naturam, cujus est, afficit, et modificat, sicut generaliter in omnibus modis contingit : sed insuper suam naturam complet, et terminat, quod alii modi non habent : nec naturaliter fieri potest, ut natura creata compleatur, et terminetur per subsistentiam, quin modificetur, atque informetur in se ; atque ideo nec subsistentia uniri valet naturæ per modum termini, quin eidem communicetur in ratione modi, et formæ. Quo non obstante videmus humanitati Christi loco subsistentiæ propriæ communicatam fuisse increatam Verbi subsistentiam : quæ humanitatem terminavit, atque complevit, et nihilominus humanitatem non modificavit, nec in ea tanquam in subjecto recepta fuit. Ad hunc igitur modum licet quantitas non aliter naturaliter contineat, et terminet substantiam, quam illam afficiendo, eique inhærendo : tamen quia conceptus terminandi non est conceptus inhærendi ; fieri divinitus potest, quod quantitas contineat, et terminet realiter substantiam, licet ipsi non

Major explicatio.

non inhæreat, vel in ipsa recipiatur. Sic ergo quantitas specierum unitur quidem formaliter corpori Christi per modum termini ipsum continentis : sed tamen non recipitur in illo tanquam in subjecto, nec illi inhæret. Et quemadmodum ut humanitas Christi fiat subsistens per Verbi subsistentiam, et huic formaliter uniatur, necessarium non est , quod subsistentia Verbi recipiatur in humanitate, aut illam modificet, vel informet, sed satis fuit recipi in humanitate modum unionis, qui transcendentali ordine respicit subsistentiam Verbi , atque humanitatem formaliter eidem conjungit : sic etiam ut corpus Christi fiat terminatum, et contentum per quantitatem specierum, minime requiritur. quod talis quantitas recipiatur in corpore Christi, vel illi inhæreat ; sed satis est , quod in corpore Christi recipiatur modus unionis, qui transcendentali ordine respiciat eam quantitatem tanquam extremum formaliter unitum in ratione termini.

Objectio. 15. Dices primo notissimam esse disparitatem inter exemplum, et rem, pro qua declaranda adducitur : nam hypostasis Verbi non est modus, nec accidens, sed subsistentia, et quasi forma per se subsistens : unde recte intelligitur, quod possit communicari, et uniri secundum propriam rationem termini terminantis naturam, licet hanc non modificet, nec in ipsa recipiatur. Cæterum quantitas non est forma per se subsistens, sed verum accidens, de cujus ratione est inhærere : quare impossibile est, quod communicetur formaliter secundum aliquam sui rationem,quin recipiatur in subjecto,ipsique inhæreat.Et consequenter vel non unitur formaliter corpori Christi in ratione termine continentis ; vel debet etiam per modum formæ inhærentis communicari. Dices secundo effectum, aut quasi effectum primarium cujuscumque subsistentiæ esse dumtaxat terminare, et complere naturam in linea substantiæ, constituendo scilicet ens per se subsistens : unde recte intelligitur , quod subsistentia divina terminet formaliter humanitatem, licet nullam ei præstet antecedenter modificationem, vel informationem. Quod aliter omnino se habet in quantitate : nam primarius ejus effectus formalis est extendere substantiam in ordine ad se : et ad hunc ffectum cæteri omnes consequuntur. Quocirca in intelligibile est, quod quantitas terminet, aut contineat substantiam nisi prius illi inhæreat, ipsamque in se extendat. Unde cum hæc munia non exerceat respectu corporis Christi ; nec illi uniri valet in ratione termini continentis.

Alia.

Sed istæ aut evasiones sint, aut objectiones et præcluduntur, et dissipantur. Prima quidem , si in hunc modum regeratur : nam ideo Verbi subsistentia potest formaliter humanitati uniri in ratione termini pure terminantis, quin recipiatur in humanitate, vel illam informet, aut modificet ; quia talis subsistentia est terminus per se subsistens, et solum unitur ad terminandum. Sed quantitas specierum sacramentalium, licet sit verum accidens, cui connaturaliter debetur inhærentia ; nihilominus in hoc mysterio se habet ad instar formæ per se subsistentis, sive id fiat per commnnicationem alicujus modi positivi perseitatis, sive per solam negationem existendi in alio. Ergo prædicta quantitas potest uniri formaliter corpori Christi tanquam terminus illud continens, quin ei uniatur tanquam forma in ipso recepta, aut illi inhærens. Itaque sicut subsistentiæ Verbi per se convenit esse formam aut quasi formam per se subsistentem , sive in alio non receptam : sic etiam quantitati specierum sacramentalium divinitus communicatur esse per se, sive in alio non recipi. Unde sicut subsistentia Verbi potest per se uniri humanitati in ratione termini terminantis, exclusa omni receptione, et modificatione : sic etiam proportionabiliter (id est, quantum ad præsentem considerationem : nec enim dubitamus dari infinitam in aliis distantiam inter exemplum propositum, et rem pro qua expenditur), quantitas specierum sacramentalium potest divinitus, sive supposito miraculo subsistendi per se, aut independenter a subjecto, uniri per modum termini continentis, licet nec recipiatur in corpore, nec modificet corpus, quod terminat, et in se continet. Dispellitur prior

Juxta quam doctrinam dispellitur etiam secunda objectio, aut evasio : nam quod quantitas debeat communicare suos effectus formales ordine quodam, et prius communicet substantiæ extensionem, quam terminationem ; solum verificatur, ubi quantitas unitur formaliter subjecto per modum formæ. Cæterum id non requiritur (quin est Occurr.-tur secundæ.

de re non supponenti), quando quantitas non unitur subjecto, nec communicatur per modum formæ, sed præcise in sola ratione termini continentis : tunc enim perinde se habet, ac si forma, vel accidens non esset, sed merus, et purus terminus per se subsistens. Et sic contingit in hoc mysterio, ubi quantitas specierum non habet subjectum, sed subsistit per se saltem negative. Quare sicut quia subsistentia Verbi est de se forma per se subsistens, potest per se terminare humanitatem, licet illam non modificet, nec ipsi alium priorem effectum formalem communicet : sic proportionabiliter, quia quantitas specierum habet ex divina virtute subsistere per se, potest supposito hoc miraculo continere corpus Christi per modum termini pure continentis, ipsum nihilominus non afficiendo, nec ipsi alium effectum formalem antecedentem communicando. Et in hoc stat proportio exempli allati. Unde incidenter, sed facile explicatur, quare etsi quantitas specierum uniatur formaliter corpori Christi, reliqua accidentia non illi communicent suos proprios effectus formales, quare figura v. g. hostiæ illud non figuret, quare albedo non dealbet, et sic de reliquis. Ratio autem est : quia cætera accidentia non communicant suos effectus formales nisi corpori, quod est subjectum quantitatis, et præsupposito effectu formali primario quantitatis, nempe extensione substantiæ in ordine ad se. Cum enim in hoc mysterio quantitas specierum non uniatur corpori Christi sicut subjecto, nec illi communicet suum effectum formalem primarium, quippe quæ non unitur in ratione formæ, sed ut purus terminus continens : hinc est, quod reliqua specierum accidentia non communicent prædicto corpori suos proprios effectus formales ; sed perinde in ordine ad eos se habeant, ac si quantitas, cui insunt, nullo modo uniretur formaliter corpori Christi. Alia addemus num. 32.

Nota.

§ III.

Refertur opinio contra secundam, et tertiam assertionem.

16. Nullam dari unionem formalem inter corpus Christi, et species sacramentales, sed ad summum unionem effectivam, sive per modum attractionis docent Suarez disput. 47, sect. 3, concl. 1, et 2, Arauxo in præs. artic. 5, dub. unico, concl. 2, Lugo disputatione 6, sectione 2, et alii. Pro qua etiam sententia referri possunt, qui cum recognoscant inter corpus Christi, et species dari veram, et realem unionem, non audent dicere talem unionem esse formalem, sed dicunt illam esse admirabilem , ineffabilem, et alterius generis ab omni modo unionis communi, et usitato. Quo pacto se gerunt Aversa q. 3, sect. 3, Prado quæst. 76, dub. 8, n. 13, Gonet supra relatus et quidam alii. Pro qua sententia arguitur primo : quia unio formalis inter corpus Christi, et species nequit esse aliquid substantiale, nec aliquid accidentale : ergo est impossibilis. Consequentia patet : nam inter prædicta non datur medium. Et antecedens suadetur : quoniam si prædicta unio esset substantialis, non posset afficere species, nec in ipsis recipi, ut ex se liquet. Et si esset accidentalis, non posset afficere corpus Christi, nec in illo recipi : tum quia nullum accidens recipitur in substantia corporea , nisi media quantitate : tum quia ex opposito sequeretur talem unionem accidentalem inhærere corpori Christi, quod est absurdum.

Suarez. Arauxo. Lugo.

Aversa. Prado. Gonet.

Primum argumentum.

Confirmatur primo: quia si daretur unio formalis inter corpus Christi, et species ; unum hujus unionis extremum se haberet ut actus, ex quibus aliquod unum compositum resultaret : sic enim comparantur , quæ uniuntur unione formali : consequens est falsum ; siquidem ex corpore Christi, et speciebus non aliud resultat, quam sacramentum Eucharistiæ, quod ex communi sacramenti ratione non est unum aliquod compositum physicum, sed morale : ergo inter corpus Christi, et species nulla datur unio formalis. Confirmatur secundo : nam si corpus Christi uniretur formaliter quantitati specierum sacramentalium ; consequenter uniretur aliis accidentibus, quæ in quantitate tanquam in communi eorum subjecto *quo* recipiuntur : id autem esse falsum vel ex eo liquet, quod corpus Christi non figuratur per figuram hostiæ, nec fit album per ejus albedinem,et sic de aliis : ergo pariter falsum est, quod unitur formaliter quantitati specierum, et speciebus media quantitate.

Confirmatio.

Altera.

17. Ad argumentum respondetur negando antecedens. Et ad ejus probationem dicendum

Satisfit argumento.

cendum est id, quo corpus Christi, et species formaliter uniuntur, esse aliquid accidentale, non quidem entitativum, sed modale : sicut generaliter loquendo unio extremorum modus quidam est, et non entitas completa, nec vera entitatis pars. Probationes autem, quibus utitur Arauxo, ut ostendat hanc unionem non posse esse accidentalem, levis monumenti sunt, et in ipsum retorquendæ, ut exemplis productis statim constabit. Unde ad primam respondetur, quod licet accidens corporeum per modum formæ, aut entitatis non insit substantiæ corporeæ nisi media quantitate ut subjecto *quo :* nihilominus aliqui modi accidentales possunt prædictam substantiam immediate afficere, ut liquet in modo unionis inter substantiam corpoream, et quantitatem, qui prout est receptio, sive unio substantiæ ad quantitatem, recipitur immediate in substantia, et prout est inhærentia, sive unio quantitatis ad substantiam recipitur in quantitate. Idem itaque dicere oportet de isto modo unionis inter corpus Christi ut contentum, et quantitatem specierum ut continentem : nam ut se tenet ex parte corporis Christi, in eo recipitur; et quatenus se tenet ex parte quantitatis, illam afficit. Et quamvis alias repugnaret modum aliquem accidentalem recipi immediate in substantia corporea, sive non mediante quantitate ; id tamen in præsenti materia non habet locum, nec speciem difficultatis : quoniam corpus Christi in Eucharistia retinet suam propriam quantitatem, ut videbimus disp. seq. dub. 3, § 2, et ea mediante potest recipere hunc modum unionis, quo unitur quantitati specierum sicut termino continenti. Ad secundam probationem respondetur nullum esse inconveniens, quod hic modus novus incipiat inhærere corpori Christi prout existenti in sacramento. Nec id nisi inconsequenter agendo potest negare prædictus Auctor, qui nobiscum sentit corpus Christi, quatenus est terminus transubstantiationis, recipere, atque inducere novum aliquem modum substantialem, quem non habet in cœlo. Et similiter concedit corpus Christi in sacramento importare specialem relationem præsentiæ ad species sacramentales. Sicut igitur non est inconveniens, quod corpus Christi recipiat novum modum substantialem, et novum aliquod accidens, nempe relationem : ita nec inconveniens est, quod recipiat novum modum accidentalem unionis ad quantitatem sicut ad terminum continentem.

Ad primam confirmationem respondemus negando sequelam : quia non omnis unio formalis unit extrema tanquam potentiam, et actum : sed talis unio latius his limitibus patet ; cum possit unire extrema tanquam terminabile, et terminum, et tanquam contentum, et continens. Unde unio hypostatica non unit Verbum, et humanitatem tanquam actum, et potentiam ; sed tanquam terminum, et terminabile. Et unio, quæ naturaliter datur inter substantiam, et quantitatem, licet identice, quatenus est inhærentia, importet unionem inter potentiam, et actum, sive inter subjectum, et formam ; tamen id non importat formaliter quatenus explicat conceptum præcisum uniendi substantiam ut rem contentam cum quantitate tanquam cum termino continente. Quin et punctum terminans lineam illi vere, et realiter unitur, non quidem sicut actus potentiæ, siquidem in linea non recipitur ; sed tanquam terminus terminabili : et eodem modo comparantur linea ad superficiem, et superficies ad corpus. Unde liquet ex unione formali inepte colligi determinatam unionem inter extrema per modum potentiæ, et actus. Ad insertam autem minoris hujus confirmationis probationem (licet satis dispellatur ex dictis), quatenus huic doctrinæ opponi potest, dicendum est ex unione inter corpus Christi, et quantitatem specierum non resultare unum ens per se, sed unum ens accidentale ex continenti, et contento, vel unum pro materiali sacramentum compositum ex speciebus in recto tanquam ex continenti , et ex corpore Christi in obliquo sicut ex re contenta. Et quamvis Suarez loco cit. § *Secunda ratio sit*, dicat ista esse levia ; ut levior tamen ejus impugnatio sperni debet, quippe qui negare non potest ex substantia contenta, et quantitate continente resultare aliquod unum physicum non quidem ens per se, sed compositum accidentale : et idem generaliter contingit in unione eorum, quæ ad diversa genera pertinent. Et quod sacramenta sint composita moralia minime excludit, quod importent aliquam unionem aut compositionem physicam accidentalem eorum, quæ ad prædicta sacramenta pertinent pro materiali : sic enim manifestum

Diruitur prima confirmatio.

est baptismum exigere physicam ablutionem, sive conjunctionem aquæ ad corpus ejus, qui baptizatur : et sic de aliis, ut facile consideranti constabit.

Solvitur secunda. Ad secundam confirmationem patet ex dictis num. 15, quod corpus Christi soli quantitati tanquam termino continenti unitur formaliter ; non autem sicut formæ informanti. Unde cum reliqua accidentia recepta in quantitate sicut in subjecto, non afficiant substantiam, nec illi communicent suos effectus formales, nisi mediante quantitate tanquam forma in subjecto recepta : minime sequitur , quod corpus Christi uniatur formaliter aliis accidentibus, et multo minus, quod suscipiat eorum effectus formales, aut quod juxta illos denominetur : sed ad summum sequitur, quod illis uniatur mere identice,et omnino mediate, quatenus unitur formaliter quantitati tanquam termino continenti, quæ quantitas est alias, et secundum diversam rationem formalem subjectum *quod* prædictorum accidentium.

Secundum argumentum. 18. Arguitur secundo ex Suario : quia modus unionis unius rei ad alteram debet ad illam terminari vel sicut ad formam,vel sicut ad materiam, vel sicut ad terminum, et sustentaculum alterius : sublata enim omni hujusmodi habitudine concipi non valet unionis modus: sed in speciebus sacramentalibus non datur hujusmodi respectus ad corpus Christi; nec in Christi corpore datur similis aliquis respectus ad species sacramentales : ergo inter corpus Christi, et species non datur modus unionis formalis. Minor quoad primam partem liquet : nam species non informantur corpore Christi, et subinde non recipiunt illud tanquam formam : deinde non recipiuntur in corpore Christi, atque ideo nec illud respiciunt sicut materiam : denique existunt miraculose per se, et consequenter non dicunt habitudinem ad prædictum corpus sicut ad terminum, sive sustentaculum. Et eisdem fere verbis probatur altera minoris pars : quia manifestum est corpus non informari per species, nec in illis recipi, nec per ipsas sustentari : ergo non dicit habitudinem ad species, vel sicut ad formam, vel sicut ad materiam, vel sicut ad terminum, et sustentaculum.

Confirmatio. Confirmat idem Auctor : nam si daretur talis modus unionis, deberet ad aliquod prædicamentum pertinere, vel reduci : sic enim generaliter contingit in omni entitate, et modo, quæ de novo fit : sed id dicere non possumus de tali modo unionis : ergo talis modus non datur. Probatur minor : nam hic modus non revocatur ad prædicamentum substantiæ; cum accidentalis sit, ut diximus num. præced. Nec constituitur in prædicamento relationis ; cum relatio non uniat, sed magis importet oppositionem inter extrema : et alias relatio unionis debeat ipsam unionem supponere tanquam rationem fundandi. Nec reduci valet ad prædicamentum qualitatis, actionis, ubi, aut similium : quoniam non unit qualitatem, actionem, ubi, aut quid simile, sed solam quantitatem. Unde si ad aliquod reduceretur, maxime ad quantitatis prædicamentum. Quod vero nec ad istud revocetur, probatur : quia ad id oporteret, quod corpus Christi uniretur quantitati ut danti esse quantum, et secundum propriam ejusdem quantitatis rationem : at non sic unitur, siquidem non recipit a quantitate specierum esse quantum : ergo prædictus unionis modus nequit ad quantitatis genus reduci.

Responderur argumento. Sed hæc levia sunt. Ad argumentum enim negatur major : quia non recte, sed inadæquate, et insufficienter recensuit ille Auctor modos unionis formalis : quippe aliqua potest dari ejusmodi unio, quæ non respiciat extremum unibile vel tanquam materiam, vel tanquam formam, vel tanquam terminum sustentationis; sed alio modo, videlicet vel per modum puri termini, aut terminabilis, vel per modum continentis, aut contenti, ut exemplis supra productis ostendimus. Et profecto unio subsistentiæ Verbi ad humanitatem non respicit istam vel tanquam formam, qua informetur, vel tanquam materiam, per quam recipiatur, vel tanquam terminum, per quem sustentetur: et nihilominus vera unio formalis est prædictorum extremorum. Unio etiam puncti cum linea, quam terminat, non respicit lineam sicut formam, vel materiam, vel terminum sustentationis : et tamen formaliter unit. Unde liquet diminutam esse regulam a Suario propositam. Et ad materiam præsentem regrediendo (ut magis excludantur major, et minor), inter corpus Christi, et species datur unio formalis, in qua unum extremum se habet ut contentum, et aliud extremum ut continens præcisive ab inhærentia

tia : sicut inter substantiam, et quantitatem, ubi naturaliter uniuntur, datur idem modus unionis inter continens, et contentum; licet simul concurrat, et identificetur cum inhærentiæ modo.

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem negamus minorem. Et ad probationem dicendum est unionem extremorum non semper revocari ad prædicamentum, sive genus, eorum quæ unit: id enim, quo spiritus formaliter alligari solent rebus corporalibus, qualitas quædam est, ut diximus loco supra cit. tract. 13, et tamen nec spiritus, nec loca constituuntur in genere qualitatis. Sed demus prædicto Auctori unionem, de qua agimus, non revocari ad ullum prædicamentorum, quæ primo loco recenset. Dicimus tamen revocari ad prædicamentum quantitatis : tum quia unit quantitatem : tum quia unit juxta modum proprium prædicamenti quantitatis, videlicet in ratione continentis, et contenti. Ad impugnationem vero hujus partis respondetur officium proprium adæquatum quantitatis non esse constituere quantum, aut præstare effectum formalem extensionis : sed ad ejus etiam specialem lineam, et munus pertinere, quod substantiam contineat intra proprios quantitatis terminos : sicut etiam punctum unitur lineæ non extendendo, sed complendo, et terminando. Unde licet corpus Christi non uniatur quantitati tanquam formæ ipsum extendenti; adhuc tamen possunt uniri per modum continentis, et contenti. Recolantur, quæ num. 15 diximus.

Tertium argumentum. 19. Arguitur tertio : quia nullus modus in corpore Christi respectu specierum admittendus est, nisi eo corpus Christi suppleat similem modum prius in substantia panis existentem : sed substantia panis non habebat aliquem modum unionis, quo munus contenti sub quantitate exerceret : ergo corpus Christi non habet aliquem modum unionis formalis, quo uniatur quantitati sicut contentum suo continenti. Probatur minor : nam eo ipso, quod quantitas inhæreat substantiæ panis, illa exercet rationem continentis, et ista rationem contenti : sed inhærentia quantitatis non importat aliquem modum distinctum a quantitate, sed est ipsa quantitas de substantia educta, et eidem communicata ; et (esto distinguatur,) non recipitur in substantia, sed in quantitate : ergo substantia panis non habebat aliquem modum unionis, quo munus contenti sub quantitate exerceret.

Confirmatio 1. Confirmatur primo : nam si Christus in hoc sacramento acquireret, et haberet novum modum unionis formalis ad species sacramentales, illum utique acquireret ex vi actionis transubstantiativæ, quam terminat : sed hoc dici non potest : ergo Christus in Eucharistia non habet modum unionis formalis ad species. Probatur minor : tum quia transubstantiatio, cum sit quædam substantialis mutatio, debet terminari ad terminum substantialem : modus autem hujus unionis non est substantialis, sed accidentalis, ut supra diximus : ergo talis modus non fit, nec adquiritur per actionem transubstantiativam. Tum etiam quia prædicta actio sufficienter terminata, atque exercita intelligitur per hoc, quod terminetur ad corpus Christi ut factum ex pane, quo pacto corpus Christi importat novum aliquem modum substantialem sibi superadditum, ut diximus disp. præced. dub. 3; ergo superfluum est addere istum modum unionis formalis. Tum denique quia vel iste modus fieret ex vi ejusdem actionis transubstantiativæ, vel ex vi alterius actionis : primum dici non valet, siquidem prædicta actio sufficienter intelligitur terminata ad corpus Christi ut factum ex pane; quidquid sit de ejus præsentia, vel unione ad species : secundum etiam asseri non potest, siquidem non apparet necessitas introducendi novam actionem ; nec nova ista actio habet ullum cum transubstantiatione vinculum.

Confirmatio 2. Confirmatur secundo : quia si corpori Christi additur hic novus unionis formalis modus, consequenter concedendum est corpus Christi illum recipere, ac subinde mutari, quotiescumque fit consecratio ; et similiter illum modum deperdere, atque ideo mutari, quando species sacramentales corrumpuntur : consequens autem apparet falsum : tum quia non decet statum Christi gloriosi, quod immutetur, et adeo frequenter : tum quia D. Thom. in hac quæst. art. 6, in corp. et ad 3, et in 4, dist. 10, q. 1, art. 1 ad 4, et dist. 11, quæst. 1, art. 3, quæstiunc. 1 ad 3, et alibi, satis aperte significat corpus Christi non immutari vel per acquisitionem præsentiæ in hoc sacramento, vel desitione talis præsentiæ per corruptionem specierum : ergo falsum est quod corpori Christi additur novus mo-

dus formalis unionis ad species sacramentales.

Satisfit argumento. Ad argumentum negamus minorem. Et ad probationem iterum neganda est minor: quia licet inhærentia accidentium ad substantiam non distinguatur entitative ab ipsis accidentibus, quatenus non est entitas ab eisdem diversa : distinguitur tamen ab illis modaliter : est enim modus tam ab eisdem, quam a substantia distinctus, sicut communiter loquendo unio distinguitur ab extremis, quæ unit, ut agentes de unione hypostatica late diximus tract. 21, disp... dub... Et idem frequentius docent Philosophi de unione inter materiam, et formam, licet hæc extrema sint intimiora, et constituant unam naturam. Accedit, quod sicut subsistentia dat substantiæ perseitatem, qua fit proxime capax existentiæ : sic inhærentia dat accidenti innitentiam in alio, per quam fit proxime capax, ut connaturaliter existat : quare sicut subsistentia distinguitur a substantia, quam terminat; sic oportet, quod inhærentia distinguatur ab accidenti, quod substantiæ unit. Ad id, quod in probatione additur, dicendum est, quod inhærentia non solum denominat accidens unitum substantiæ, sed etiam denominat substantiam unitam accidenti : quemadmodum enim, ut se tenet ex parte accidentis est informatio, aut terminatio formalis, ita quatenus se tenet ex parte substantiæ, est receptio, vel terminatio quasi passiva. Cum igitur corpus Christi succedat loco substantiæ panis, si non quantum ad informationem, aut inhærentiam, tamen quantum ad unionem per modum continentis, et contenti, seu termini, et terminabilis : oportet, quod unio uniens prædicto modo corpus Christi, et species, afficiat non solum quantitatem specierum, sed etiam corpus Christi.

Evertitur prima confirmatio. Ad confirmationem respondetur admittendo majorem : nam licet non implicet contradictionem, quod corpus Christi per unam actionem producatur sub speciebus, (sicut posset etiam extra illas produci,) et quod per aliam actionem eisdem speciebus uniatur : nihilominus de facto longe probabilius est, quod eadem actio utrumque præstat : quia ex una parte id non repugnat, et ex alia parte vitandæ sunt plures actiones, ubi una sufficit. Eo vel maxime quod transubstantiatio ordinatur ad constituendum sacramentum Eucharistiæ, et operatur juxta veritatem illorum verborum, *Hoc est corpus meum:* sacramentum autem Eucharistiæ, et verborum veritas postulant, quod corpus Christi succedat loco substantiæ panis, et quod speciebus, sive accidentibus panis aliquo modo uniatur : quare transubstantiatio, quæ de facto datur, debet non solum efficere corpus Christi ex substantia panis, sed etiam illud unire panis accidentibus. Admittenda itaque est major, et neganda minor. Ad cujus primam probationem respondetur transubstantiationem, quia est substantialis mutatio, debere terminari ad terminum primarium substantialem, et sic immediate producit corpus Christi cum quodam substantiali modo, ut diximus disp. præced. dub. 3. Sed tamen secundario, et ex consequenti potest se extendere ad terminum accidentalem, cum ab ipso non mutuetur speciem: et ita attingit unionem accidentalem inter corpus Christi, et species. Sicut etiam generatio substantialis terminatur primario ad terminum substantialem, formam scilicet, et compositum : sed secundario se extendit ad accidentia, quæ formam, et compositum in instanti generationis comitantur. Ad secundam dicendum, quod licet transubstantiatio essentialiter considerata intelligatur sufficienter terminata, et exercita per hoc, quod efficiat corpus Christi ex pane, ubicumque tale corpus sit aut constituatur : nihilominus de facto secundum præsentem providentiam, et Dei institutionem ordinatur ad constituendum prædictum corpus Christi sub accidentibus panis : et propterea de facto se extendit ad causandum ejus unionem cum illis. Unde satis constat ad tertiam probationem, quin opus sit alia addere.

Dispellitur secunda. Ad secundam confirmationem concedenda est sequela : nullum quippe est inconveniens, quod corpus Christi in hoc sacramento recipiat aliquem modum, per quem aliquomodo immutetur. Et ad consequentis improbationes jam respondimus supra n. 4, et disp. præced. nu. 31. Nec D. Thom. oppositum docuit, sed magis nostram assertionem insinuavit, præsertim in ultimo loco ex lib. 4 sent. nam ibdem affirmat corpus Christi incipere esse in Eucharistia per habitudinem ad has species, quam modo habet, cum prius non haberet : et desinente esse in Eucharistia, desinit hæc ad illas species habitudo, quam

prius

prius habebat. Habitudinis autem vocabulo nihil aptius, aut probabilius intelligi valet, quam unio corporis Christi ad species. Observat tamen recte S. Doctor corpus Christi non moveri per se : tum quia si fiat sermo de mutatione secundum locum, corpus Christi ibidem non movetur per se, sed per aliud, sive ad motum specierum. Tum quia si loquamur de mutatione secundum habitudinem, ista non desinit per se, sed ad desitionem specierum, his enim non corruptis stat invariabilis prædicta habitudo, sive unio corporis Christi ad species.

Quartum argumentum. 20. Arguitur quarto: nam corpus Christi in Eucharistia non unitur speciebus unione formali contenti, et continentis, seu per modum terminabilis cum suo termino : ergo non unitur speciebus aliqua unione formali. Consequentia patet ex supra dictis: nam alii modi unionis, utputa per informationem, aut inhærentiam, sunt corpori Christi impossibiles. Antecedens autem probatur primo : quia sicut una natura creata nequit terminari duabus subsistentiis creatis, ita idem corpus nequit terminari duabus quantitatibus, sive intra illas formaliter contineri : sed corpus Christi in Eucharistia retinet quantitatem propriam per quam terminatur, et intra quam continetur : ergo corpus Christi in Eucharistia nequit formaliter terminari per quantitatem specierum, nec illi formaliter uniri per modum contenti. Secundo, nam quod est ratio formalis continendi, et terminandi, nequit contineri, et terminari per aliud; sicut quia albedo est ratio formalis dealbandi, nequit fieri alba per aliud a se: quantitas autem, quam corpus Christi retinet in Eucharistia, est ratio formalis terminandi, et continendi : ergo nequit terminari, et contineri per quantitatem specierum: quod tamen necessario contingeret, si corpus Christi retinendo suam quantitatem, ut de facto retinet, uniretur unione formali quantitati specierum tanquam termino continenti.

Solutio. Respondetur negando antecedens, quod inductæ probationes minime evincunt : quoniam quantitas corporis Christi non est in hoc sacramento per se, sed ratione substantiæ corporis : existit modo proprio, sed juxta modum substantiæ, in cujus loco Christi corpus succedit : unde sicut substantia panis, si ibidem esset, terminaretur, et contineretur per quantitatem specierum; sic etam continentur, ac terminantur substantia corporis Christi, et ejus propria quantitas, seclusis tamen imperfectionibus informationis, aut inhærentiæ, ut supra explicuimus. Ad primam itaque antecedentis probationem vel neganda est absolute similitudo, vel præcise admittenda, ubi duæ quantitates terminarent, et continerent idem corpus eodem modo : quod in præsenti non contingit, ut proxime insinuavimus. Et hinc sumitur ratio disparitatis : quia duæ subsistentiæ creatæ terminarent, et complerent naturam eodem modo : unde idem effectus dependeret a duplici causa totali ejusdem ordinis, quod est impossibile. Sed quantitas propria corporis Christi, et quantitas specierum non terminant, nec continent prædictum corpus eodem modo, sed longe diverso : nam quantitas propria corporis terminat, et continet illud in se, et in ordine ad se, minime vero in ordine ad situm, et locum adhuc per accidens ; siquidem prædicta quantitas caret extensione locali, et est ibidem per modum substantiæ. Cæterum quantitas specierum non terminat, nec continet corpus Christi in se, vel in ordine ad se, sed in ordine ad situm, et locum : quatenus ex vi unionis formalis sic terminat, et continet corpus Christi, quod istud existit saltem per accidens, sive alio mediante in situ, et loco specierum : et quatenus ut terminatum, et contentum per quantitatem harum specierum nequit esse, nisi ubi illa quantitas est. Cum igitur illi effectus sint adeo diversi; queunt simul per diversas quantitates communicari. Accedit etiam subsistentiam creatam non esse entitatem, sed modum, qui necessario alligatur, et terminatur ad rem cujus est : unde nec separari valet, nec alteri rei communicari: et propterea implicat, quod natura creata vel retinens, vel exuens propriam subsistentiam, subsistat per aliam subsistentiam creatam, nisi per propriam. Sed quantitas specierum est entitas, et potest separari a subjecto, et existere per se saltem negative, ut de facto contingit in hoc mysterio : quare prout ita existens est capax terminandi, et continendi formaliter substantiam alienam : et sic de facto quantitas specierum unitur substantiæ corporis Christi. Ad secundam probationem constat ex modo dictis : nam quantitas

propria corporis Christi prout in hoc sacramento existens sequitur modum, quo substantia corporis Christi est in tali sacramento ; siquidem existit ratione illius : unde cum substantia corporis Christi uniatur quantitati specierum sicut termino continenti, sic etiam (licet non per se, sed ratione substantiæ) eidem unitur quantitas propria corporis Christi. Præsertim quia cum quantitas propria corporis Christi prout existens in hoc sacramento non importet extensionem in ordine ad locum, et situm ; sed comparative ad ista perinde se habeat, ac si esset substantia : nulla est repugnantia in eo, quod in ordine ad locum, et situm terminetur, et contineatur per quantitatem specierum : nec enim sequitur, quod ratio formalis præstans exercite aliquem formalem effectum, participet eundem effectum per aliud a se : quippe quantitas propria corporis Christi non communicat exercite talem effectum, sed solum signate, et quantum est de se. si non impediretur.

DUBIUM III.

In quo consistat sacramentalis præsentia Christi, et quas habeat conditiones?

Consulto præcedentium dubiorum resolutionem huic, quod modo occurrit, præmisimus : quia continent principia, ad quæ in isto oportebit non semel recurrere. Tot autem circa præsentem difficultatem sunt opiniones, et tantam earum multitudinem refert Prado q. 76, dub. 7, ut non levem afferant lectori caliginem absque magno alias legentis commodo, aut necessariæ doctrinæ augmento. Quare curabimus, recissis non paucis levissimi momenti, eas tantum, vel referre, vel discutere, quæ magis de re visæ fuerint. Sed ut id congruentiori ordine fiat

§ I.

Prælibantur certiora, et magis communia.

Quid significetur præsentiæ vocabulo

21. Præsentiam unius rei ad aliam concipiunt communiter omnes per modum cujusdam ordinis, sive habitudinis. Et plane ita res se habet ex parte objecti : nam duorum præsentia, sive indistantia nequit non aliquem respectum importare vel formaliter, vel saltem completive et consequenter. Et hoc ipsum salvari oportet in præsentia sacramentali Christi ad species, et eis mediantibus ad specierum situs, et loca. Et in hoc sensu supponendum est primo præsentiam hujusmodi non consistere in sola denominatione extrinseca, et relatione rationis. Oppositum docuit satis singulariter Serra in præs. q. 75, art. 4, dub. unic. concl. 3, et q. 76, art. 6, dub. unic. concl, 2, in fine. Et præcipuum ejus motivum est, quod ita proportionabiliter Christus fit præsens speciebus, quo Deus est in omnibus locis, et creaturis, ut aperte significat D. Thom. in hac q. art. 6, in corp. et ad 3; sed licet Deus sit vere, et realiter præsens omnibus creaturis, et locis; nihilominus hæc ejus præsentia, et essendi modus non est aliquid reale in Deo, sed vel sola relatio rationis, vel denominatio extrinseca desumpta ab ipsis locis, et creaturis ; ergo licet Christus sit vere, et realiter in sacramento ; tamen sacramentalis ejusmodi præsentia pro formali solum importat denominationem extrinsecam, vel relationem rationis. Unde D. Thomas in ultimo loco cit. ait : « Cessantibus speciebus, desinit esse corpus Christi sub eis, non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Christi ad illas species : per quem modum Deus desinit esse dominus creaturæ desinentis. »

Serra.

D. Tho.

Sed nostra suppositio est communis, pro qua suadenda opus non habemus ponere alia fundamenta, quam jam præjacta in dubiis præcedentibus : nam in primo statuimus, quod Christum existere in sacramento importat aliquid reale et intrinsecum, et ab eo aliquomodo distinctum : et in secundo ostendimus, quod importat realem unionem inter Christum et species. Ex quibus principiis necessario sequitur, quod non solum Christus existit vere, et realiter in sacramento ; sed quod id, quo existit, et fit præsens (atque ideo ejus præsentia sacramentalis), est aliquid reale intrinsecum. Unde ulterius fit talem præsentiam nec esse solam denominationem extrinsecam, nec relationem rationis. Quare supervacaneum est addere alias probationes. Non omittemus tamen suppositionem fulcire testimonio D. Thomæ (sic enim oppositum procedendi Adversarii motivum magis retundemus,) in hac quæst. art. 6.

D. Tho.

art.6, ubi inquirit: « Utrum corpus Christi « sit mobiliter in hoc sacramento ? » Et respondet : « Dicendum, quod cum aliquid « est unum subjecto et multiplex secundum « esse, nihil prohibet secundum aliquid « moveri, et secundum aliquid immobile « permanere : sicut corpori est aliud esse « album, et aliud esse magnum : unde po- « test moveri secundum albedinem, et per- « manere immobile secundum magnitudi- « nem. Christo autem non est idem esse « secundum se, et esse sub hoc sacra- « mento : quia per hoc, quod dicimus « ipsum esse sub hoc sacramento, sig- « nificatur quædam habitudo ejus ad hoc « sacramentum. Secundum igitur hoc « esse non movetur Christus per se se- « cundum locum, sed solum per acci- « dens : quia Christus non est in hoc sacra- « mento sicut in loco etc. » In quo testimonio necessarium est concedere, quod D. Thomas sentit *esse*, quod Christus habet in hoc sacramento, esse reale et realiter distinctum ab esse, quod habet secundum se. Tum quia id probat exemplum, quo utitur : quippe esse magnum et esse album sunt duo esse realia, et realiter distincta. Tum quia ex illa distinctione concludit, et salvat, quod Christus manens immobile secundum esse, quod habet secundum se, potest moveri realiter saltem per accidens secundum esse, quod habet in sacramento : distinctio autem secundum solam rationem non sufficit, ut idem subjectum non moveatur realiter secundum unum esse, et moveatur realiter secundum aliud esse : sentiebat ergo S. Doctor, quod esse in hoc sacramento addit aliquid reale supra Christum, et quod distinguitur realiter ab his, quæ Christus habet secundum se. Juxta quam doctrinam diluitur motivum contrarium omittendo majorem, concedendo minorem et negando consequentiam. Ratio autem disparitatis est, quod Deus simpliciter est immutabilis : unde relationes temporales vel dominii, vel præsentiæ ad creaturas non sunt in Deo reales, sed solum rationis. Corpus autem Christi est simpliciter capax mutationis : unde licet per consecrationem non moveatur vel motu locali, vel motu aliquo deperditivo, movetur tamen acquirendo aliquem modum realem, ut diximus num. 19, et aliis locis ibidem relatis. Et similiter quando corrumpuntur species, patitur aliquam intrinsecam alietatem exuendo præsentiam, sive habitudinem realem ad species : et tamen cum Deus desinit esse in rebus, solum deperditur ex parte Dei respectus rationis ad creaturas. Nec aliud intendit D. Thomas loco cit. ex art. 9 quam hanc proportionem.

22. Secundo supponendum est præsentiam Christi sacramentalem non consistere in quolibet ordine corporis Christi ad species. Hæc etiam suppositio est communis inter Theologos contra Durandum in 4, dist. 11, quæst. 1, ubi observat Angelum large, sive improprie esse in loco ; quia solum dicitur esse in loco ratione ordinis, quem habet ad locum, vel ad rem in loco constitutam. Et sic (subdit, et addit) corpus Christi est realiter in speciebus, quia mediante conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi, corpus, et sanguis Christi habent ordinem ad species, sub quibus prius fuerat substantia panis et vini. Quod probat : quia substantia corporea circumscripta, aut non intellecta quantitate, ita comparatur ad locum, sicut substantia incorporea, sive spiritualis : sed hæc non aliter fit præsens rebus, quam per habitudinem ; unde fit præsens rebus, cuicumque rei, ad quam habitudinem dicit : ergo corpus Christi non aliter est præsens speciebus, et earum loco, quam per similem habitudinem. *Sententia Durandi circa hujusmodi præsentiam*

Cæterum Durandi sententia refellitur a Doctoribus tanquam erronea, et latenter subvertens veritatem hujus mysterii, et proprietatem realis præsentiæ Christi. Hæc enim, ut magis expendimus, ac explicuimus dub. 1, sic proponi, et asseri debent, ut verificetur deferentem, aut suscipientem species sacramentales, vere deferre et suscipere corpus Christi : id vero minime salvari valet juxta doctrinam Durandi : quippe ex eo, quod Angelus sit præsens lapidi per solam habitudinem ad ipsum, non sequitur eum, qui movet, aut suscipit lapidem terminantem Angeli habitudinem, movere et suscipere Angelum. Rursus ad hoc, quod Angelus fiat prædicto modo lapidi præsens, non requiritur, quod lapis vel substantia lapidis, vel aliquid ejus in Angelum convertatur, ut satis ex se liquet : quare sequendo prædictam similitudinem, ut corpus Christi fiat præsens speciebus, minime desideratur, quod substantia panis convertatur in corpus Christi : atque ideo transubstantiatio pure concomitanter, et per *Confutatur.*

accidens se habet, ut sequatur, aut non præsentia corporis Christi ad species sacramentales ; et posset corpus Christi fieri eodem modo præsens, quamvis substantia panis in ipsum conversa non fuisset. Hæc autem sunt plane absurda et contra communem Theologorum sententiam, ac fidelium apprehensionem : nemo enim censet Christi corpus fieri speciebus præsens, nisi dependenter a conversione panis in ipsum. Motivum autem Durandi nihil evincit : tum quia modo non agimus de præsentia corporis Christi in loco sed in speciebus, quæ est præsentia intimior et alterius diversæ longe rationis : unde permisso, quod Angelus fieret præsens loco per solam habitudinem, non inde infertur idem dicendum esse de præsentia corporis Christi. Tum quia falsum est Angelum fieri rebus præsentem per solam et qualemcumque habitudinem ad res ; alias in cœlo existens diceretur nobis præsens, si nos aliquo modo respiceret : sed fit vere præsens per operationem, sive contactum virtutis, quibus res, in quas agit, suppositaliter attingit : ergo ex prædicta similitudine minime concluditur præsentiam corporis Christi ad species importare solam habitudinem : sed magis infertur oppositum. Tum denique et urgentius, quia præsentia Angeli ad res per solam habitudinem non est vera et rigorosa præsentia, sed solum dicitur præsentia, aut locatio large et improprie, ut ipse Durandus recognoscit, et observat : ergo nisi alia præsentia attribuatur corpori Christi, sequitur ipsum non esse vere et proprie in hoc sacramento : quod tamen est omnino falsum, et contra Concilium Trident, sess. 13, can. 1. Ubi diffinit Christum esse sub speciebus *vere, realiter, et substantialiter*. Durandi itaque tam sententia, quam motivum rejici prorsus debent.

Evertitur Durandi votimum.

23. Tertio supponendum est contra eundem Durandum loco cit. et contra Scotum ibidem dist. 10, quæst. 1, et dist. 11, quæst. 1, sacramentalem Christi præsentiam non consistere formaliter in aliqua relatione prædicamentali, aut secundum esse. Sic docent Theologi satis frequenter. Et probatur primo : relatio prædicamentalis præsentiæ unius rei ad aliam supponit ipsam rerum indistantiam, sive præsentiam tanquam rationem fundandi : ergo præsentia non est formaliter relatio prædicamentalis, licet illam fundet et inferat. Secundo, quia relatio ex genere suo non constituit res indistantes et præsentes, sed versari valet inter res satis distantes et oppositas : ergo quod aliquando detur relatio prædicamentalis præsentiæ, provenit ex ratione fundandi, videlicet ex ipsa præsentia, sive indistantia, quæ fundat talem relationem. Idque satis liquet in præsentia locali, quæ non constituitur formaliter per relationem prædicamentalem locati ad locum ; sed per *ubi*, quod constituit prædicamentum longe diversum : ad quod sequitur relatio secundum esse vel realis, vel rationis. Tertio, quia non implicat aliquam actionem terminari per se ad hujusmodi præsentiam sacramentalem vel efficiendam, vel destruendam : sed relatio prædicamentalis nequit terminare per se actionem, cum semper consequatur ad aliud : ergo sacramentalis Christi præsentia non consistit in relatione prædicamentali Christi ad species, sed in aliquo alio ipsam antecedente, et fundante. Quod motivum urget principaliter, et ad hominem contra Scotum, qui sentit transubstantiationem terminari per se primo ad præsentiam Christi sacramentalem, sive ad constituendum Christum sub speciebus, ut vidimus disp. præced. num. 25 et 33, ubi ejus sententiam rejecimus. Quarto, quia cum Theologi discutiunt, in quo consistat sacramentalis præsentia Christi, non dubitant dari aliquam relationem prædicamentalem Christi ad species ut a se indistantes et sibi præsentes ; sed investigant rationem fundandi hujusmodi relationem : ergo dicere Christum fieri formaliter præsentem per relationem prædicamentalem, nec difficultatem evacuat, nec quæsito respondet, nec intentioni Theologorum satisfacit. Aliquid itaque pro sacramentali Christi præsentia, præter relationem prædicamentalem, assignandum est : et in hoc stat difficultas.

Ista præsentia non est sola relatio prædicamentalis.

Nota contra Scotum.

Conveniunt vero facile omnes (ut a principio prælibavimus,) hujusmodi præsentiam esse aliquam relationem transcendentalem, aut secundum dici : quia nec esse, nec intelligi valet absque ordine, sive respectu unius ad aliud. Et ita ex antiquioribus observarunt Capreolus in 4, dist. 10, q. 1, ad arg. contra, 1, Cajetanus in præs. quæst. 75, art. 2 et quæst. 76, art. 6, Ferrara lib. 4, *contra gentes*, cap. 63, et alii. Quin et D. Thomas non semel hanc Christi præsentiam

Importat aliquem respectum transcendentalem.

Capreol. Cajetan. Ferrara.

D. Tho.

præsentiam significat nomine habitudinis, aut relationis, ut in præsenti art. 6, in corp. et ad 3 : « Per hoc, *inquit*, quod dici- « mus esse sub hoc sacramento, significatur « quædam habitudo ejus ad hoc sacramen- « tum. » Et rursus : « Cessantibus speciebus « desinit esse corpus Christi sub eis : non « quia ab eis dependeat : sed quia tollitur « habitudo corporis Christi ad illas spe- « cies. » Importat itaque Christi præsentia hunc respectum, sive relationem transcendentalem, et secundum dici ad species. Sed quia hujusmodi habitudo potest pluribus rebus convenire et ad diversa prædicamenta pertinere, vel reduci ; adhuc explicandum restat, in quo specialiter et determinate consistat, supposito quod non consistat in eis rebus, quas supra rejecimus, et juxta communes sententias exclusimus.

§ II.

Deciditur præcipua difficultas.

Assertio 24. Dicendum est sacramentalem Christi præsentiam consistere in unione formali Christi ad species, quam supra num. 12 statuimus. Sic communiter docent Auctores ibi relati. Quibus addimus Valentiam quæst. 75, puncto 3, Ochagaviam quæst. 23, et Amicum disp. 23, sect. 12, cum seq. Quamvis enim eorum aliqui varient in explicando conditionem prædictæ unionis, dum aliqui dicunt esse modum substantialem, alii vero accidentalem ; nihilominus conveniunt in eo, quod Christus fit formaliter præsens speciebus per talem unionem : id autem quo fit formaliter præsens speciebus, est ipsa præsentia sacramentalis, ut ex ipsis terminis constat.

Valent. Ochaga. Amicus.

Ratio. Probatur primo : nam eo ipso, quod corpus Christi uniatur speciebus unione aliqua formali, nequit non esse illis formaliter præsens, et ab eis indistans ; siquidem impossibile est uniri formaliter, quæ sunt indistantia et sibi non præsentia : ergo supposito, quod corpus Christi uniatur speciebus unione aliqua formali, sicut dub. præced. statuimus, superfluum est aliam Christo assignare præsentiam sacramentalem, sive ad species sacramenti ; sed talis ejus præsentia sufficientissime constituitur in ea unione formali. Sicut si quis inquirat, in quo consistat præsentia, quam partes compositi substantialis, nempe materia, et forma, habent inter se, et ad compositum ; sufficienter, atque optime respondetur consistere in unione, quam habent inter se, et cum composito. Confirmatur, et declaratur amplius vis hujus motivi : nam cum substantia corporis Christi in hoc sacramento succedat loco substantiæ panis, quæ in ipsum transubstantiatur : eo proportionali modo fit præsens speciebus, sive accidentibus substantiæ panis, quo prædicta substantia erat eisdem præsens : sed substantia panis erat præsens propriis accidentibus per unionem ad illam : et supervacaneum est alias formas, vel aliud *ubi* assignare, in quo talis præsentia consistat : ergo pariter substantia corporis Christi fit formaliter præsens speciebus, sive accidentibus panis per unionem formalem ad illam : quamvis intersit differentia dub. præced. assignata, quod substantia panis unitur suis accidentibus unione formali in ratione subjecti, et formæ inhærentis ; substantia autem corporis Christi unitur quantitati prædictorum accidentium unione formali, non in ratione subjecti, et formæ inhærentis, sed solum in ratione continentis, et contenti, sive termini, et terminabilis. Confirmatio.

25. Nec refert, si contra præmissum discursum opponas. Primo : nam pro priori naturæ ad unionem corporis Christi cum speciebus, intelligitur corporis Christi præsens speciebus, et ab eis indistans ; siquidem impossibile est uniri, quæ non supponuntur præsentia, atque indistantia : ergo præsentia corporis Christi ad species non fit formaliter per prædictam unionem, sed per aliquid ipsam antecedens. Secundo, quia non implicat corpus Christi constitui sub accidentibus panis absque unione formali ad prædicta accidentia : sicut nec implicat, quod constituatur sub prædictis accidentibus independenter a conversione substantiæ panis in ipsum, ut diximus disp. præced. numero 51. eo plane modo, quo Angelus potest sub eisdem accidentibus, non destructa substantia constitui : sed in eo casu corpus Christi fieret præsens speciebus independenter ab unione cum illis, ut ex terminis constat : ergo pariter de facto potest fieri, ut sit illis præsens independenter a tali unione : et con- Prima objectio. Secunda.

sequenter præsentia Christi ad species consisteret tunc et consistit nunc in aliquo alio, quod assignare opus habemus.

Solvitur prima. Istæ, inquam, objectiones non referunt. Nam prima diluitur illam regerendo, et applicando præsentiæ inter materiam, et formam, et inter substantiam, et accidentia: etenim pro priori ad unionem intelliguntur præsentia, atque indistantia; quippe uniri nequeunt, nisi quæ indistantia, et præsentia sunt: ergo materia, et forma, et similiter substantia, et accidens non fiunt formaliter præsentia per unionem inter se, sed per aliquid aliud, quod eam unionem antecedit. Consequens autem hoc est falsum, et a nemine conceditur: tum quia supposito, quod materia, et forma, et similiter substantia, et accidens uniantur formaliter; ex hoc ipso fiunt formalissime sibi præsentia, atque a se indistantia, quin opus sit aliud addere. Tum quia non est assignabile aliquid vel substantiale, vel accidentale antecedens unionem inter materiam, et formam, atque inter subjectum, et accidens, in quo formaliter consistat illarum partium, sive extremorum præsentia; siquidem nihil prius, aut intimius in eis præcedit, quam ipsorum unio. Unde sicut prædicta objectio applicata præsentiæ inter materiam, et formam, vel præsentiæ inter substantiam, et accidentia, nihil evincit; sic nec applicata præsenti materiæ: sed ab omnibus dilui debet. Diluitur autem distinguendo, vel explicando antecedens: nam licet unio inter Christum, et species sacramentales supponat horum extremorum indistantiam, sive præsentiam in via, et in fieri, et quasi applicative; nihilominus complete, in facto esse, atque in esse quieto ipsa unio est formalis eorum extremorum indistantia, seu præsentia. Sicut etiam unio inter materiam, et formam videtur supponere harum partium præsentiam: sed tamen supponit præsentiam solum vialiter, et in fieri: at deinde prædictæ partes fiunt complete, et formaliter præsentes per unionem inter se. Et similiter existentia compositi substantialis videtur supponere existentiam partium: siquidem nihil actu componitur, aut constituitur nisi ex partibus actu existentibus: quo non obstante partes pro priori ad totum compositum non existunt complete, et in facto esse, sed solum vialiter, et in fieri: quia partes non habent existentias proprias partiales, sed existunt per existentiam totius compositi. Ad hunc itaque modum corpus Christi terminans transubstantiationem, et species sacramentales pro priori ad unionem inter se, supponuntur aliquomodo præsentes, et indistantes: sed prædicta præsentia solum est vialis, et in fieri, (pro quo sufficit connotare actionem agentis ordinatam ad hoc mysterium), perficitur autem complete, et in esse quieto per unionem formalem prædictorum extremorum.

Diluitur secunda. Ad secundam objectionem distinguenda est major, et concedenda, si intelligatur de præsentia alterius rationis ab ea, quam nunc habet corpus Christi: negari vero debet, si intelligatur de præsentia ejusdem rationis. Et distinguendo minorem eodem modo, negamus absolute consequentiam. Etenim dupliciter possumus intelligere, quod corpus Christi fiat præsens speciebus sacramentalibus: primo utcumque: secundo cum determinato modo, quem nunc habet, videlicet cum tanta intimitate, ut ad motum, et elevationem, et sumptionem specierum moveatur, elevetur, et sumatur corpus Christi, sicut juxta doctrinam fidei concedere omnino oportet, et ostendimus in duobus dubiis præcedentibus. Permissa itaque non repugnantia in eo, quod Christi corpus possit fieri utcumque præsens speciebus independenter ab unione formali cum illis; nulla tamen ratione admitti debet, quod independenter a tali unione possit fieri præsens secundo modo proxime descripto: oppositum enim satis constat ex dictis dub. 2. Et hoc sufficit ad veritatem præsentis resolutionis: loquimur enim non de qualibet præsentia, sed de illa determinate, quam Christus de facto habet. Exemplum autem Angeli, quo fulciebatur objectio, non amplius probat, sed magis nostram doctrinam confirmat: quoniam dupliciter possumus intelligere, quod Angelus fiat speciebus præsens, aut sub illis constituatur: uno modo utcumque, sive per operationem, sicut se collocare solet in loco: et hoc minime sufficeret, ut qui moveret species, moveret Angelum; et multo minus ad hoc, quod suscipiens in se species diceretur Angelum suspicere. Et hoc plane modo se haberet corpus Christi, si constitueretur sub speciebus independenter ab omni unione formali cum illis: quod neutiquam sufficit ad salvandum de facto

veritatem

veritatem eorum, quæ occurrunt in hoc mysterio. Altero modo posset Angelus collocari sub speciebus, nimirum ita quod ad motum, et sumptionem specierum ipse Angelus moveretur, et sumeretur : et ad hoc non sufficeret quælibet præsentia Angeli, vel assistentia utcumque, et per operationem : sed deberet fieri formaliter talis præsentia per qualitatem, aut unionem passivam Angelum rebus alligantem independenter ab ejus operatione, quin violenter, et contra ejus liberrimam inclinationem naturalem, ut ex professo ostendimus loco supra cit. numero 13. Et instar hujusmodi unionis explicanda est præsentia, quam Christus habet ad species sacramentales : quippe tanta, et tam intima est, quod motis, aut sumptis speciebus nequeat non moveri, et sumi ipse Christus, ut supra magis expendimus.

Aliud assertionis fundamentum. 26. Secundo probatur conclusio alia ratione : quoniam præsentia sacramentalis Christi consistere, et constitui debet in aliqua ratione reali, et Christi corpori intrinseca : sed in nulla alia ita congruenter constitui, aut consistere valet, sicut in unione formali corporis Christi ad species : ergo talis præsentia in hujusmodi unione consistit. Consequentia patet tum ex præmissis, tum a sufficienti partium dinumeratione. Major autem constat ex dictis § præcedent. et locis ibi relatis. Minor denique ostenditur : quia talis unio non consistit in aliqua relatione prædicamentali, et secundum esse, ut eodem loco ostendimus : sed necessario constituenda est in aliqua ratione simpliciter absoluta, quamvis respectiva transcendentaliter, et secundum dici, propter ordinem ad terminum, a quo præscindere nequit. Assignent igitur Adversarii aliquam ejusmodi rationem, quæ non sit unio corporis Christi ad species. Et profecto nullam assignabunt, quæ non appareat satis inæpta ad hujusmodi præsentiam constituendam, ut consideranti constabit. Si enim per singula rerum genera discurramus, inveniemus non esse substantiam : cum facere rem præsentem non sit effectus substantialis. Nec est actio, vel passio propter ea, quæ supra diximus a numero 9. Nec est qualitas, cum non disponat subjectum in se. Nec est quantitas, siquidem illud non extendit. Nec est situs, vel habitus : tum quia ista prædicamenta supponunt quantitatem : tum quia important ordinem ad locum ; cum tamen hæc Christi præsentia non comparetur ad species sicut ad locum. Nec ulterius est quando, siquidem Christi præsentia ad species antecedit ejus durationem in sacramento.

Suarii responsio evertitur. Quod autem Suarez, et alii non pauci dicunt, quod sicut corpora sunt in loco per *ubi* intrinsecum, ita corpus Christi est præsens speciebus per aliquid intrinsecum pertinens saltem reductive ad prædicamentum *ubi*, etiam refellitur. Primo, quia ea, quæ non sunt in loco ratione quantitatis dimensivæ, non dicuntur esse in loco, vel habere *ubi*, nisi æquivoce : sed Christus non est in hoc sacramento ratione quantitatis dimensivæ : ergo ejus in sacramento præsentia non est *ubi*, quod directe, vel reductive ad prædicamentum *ubi* pertineat. Quo discursu probavimus in tract. *de Angelis* disputatione 2, dub. 5, et tract. de *peccatis* disputatione 18, numero 35, præsentiam Angelorum ad loca corporalia vel per operationem, vel per alligationem passivam non esse *ubi* prædicamentale, nec ad istud genus reduci. Quod motivum a fortiori procedit in corpore Christi respectu specierum. Secundo, quia *ubi* prædicamentale est circumscriptio locati ex circumscriptione loci proveniens, ut diffinivit Gilbertus Porretanus, et admittunt communiter Philosophi : sed hoc nullo modo adaptari potest præsentiæ Christi prout in sacramento ; siquidem prout ibi minime circumscribitur in loco : ergo Christi præsentia in sacramento non est ubi, quod ad *ubi* prædicamentale aliquo modo pertineat. Tertio, quia omne ubi vel est circumscriptum, vel diffinitivum, ex quibus primum convenit substantiis corporalibus ratione quantitatis ; secundum vero convenit substantiis spiritualibus ratione operationis, aut passionis : sed præsentia Christi ad species nec est circumscriptiva, aut conveniens ratione quantitatis : nec est diffinitiva, aut conveniens ratione operationis, aut passionis : præsertim cum ratione talis præsentiæ nec in loco circumscribatur, nec ad determinatum locum diffiniatur, vel alligetur : ergo talis præsentia non est aliquod *ubi*.

Impugnatur amplius. Idque amplius confirmatur animadvertendo nos minime negare, quod corpus Christi in sacramento habet concomitanter præsentiam localem ad omne spatium, ad quod deferuntur, vel in quo

collocantur sacramentales species: in quo sensu vere dicimus corpus Christi deferri ad infirmos, exponi in altaribus etc. Et hæc præsentia est vere localis, et importat *ubi* vere prædicamentale: quod tamen non recipitur immediate in corpore Christi, sed in solis speciebus. Sed loquimur de præsentia Christi ad species, sicut proportionabiliter substantia panis habebat prius præsentiam ad easdem species, sive accidentia. Unde sicut certum est præsentiam substantiæ ad propria accidentia non esse *ubi* prædicamentale, aut reductive, sed aliam præsentiam, indistantiam, vel unionem alterius longe diversæ rationis; sic de præsentia Christi ad species ob eandem, et urgentiorem rationem sentiendum est. Unde Divus Thomas in præsenti articulo 5, et 6, absolute negat corpus Christi esse in sacramento sicut in loco. Cui doctrinæ minime opponitur idem Sanctus Doctor in 4, dist, 10, quæst. 1, articulo 3, quæstiunc. 1, ad 1, ubi ait: « Comparatio « Christi ad species sub quibus est, non est « similis alicui comparationi naturali: et « ideo non potest reduci proprie loquendo « ad aliquem modorum a Philosopho assi- « gnatorum. Tamen habet aliquam simi- « litudinem cum illo modo, quo aliquid « dicitur esse in loco, secundum quod esse « in loco, est esse in aliquo separato extra « substantiam suam, quod non est causa « ejus. » Non, inquam, opponitur: tum quia expresse dicit hanc præsentiam non reduci proprie ad ullum modorum, quos Philosophus assignavit. Tum quia licet admittat aliquam similitudinem inter hanc præsentiam, et *ubi* prædicamentale; illa minime salvat proprietatem ubicationis; sed præcise consistit in ea proportione, quod sicut locus est extra essentiam locati, sic species sacramentales sunt extra, seu præter substantiam corporis Christi quod sub eis existit. Exclusis itaque omnibus aliis vel generibus, vel modis hactenus relatis, sequitur veram, et realem Christi præsentiam respectu specierum non in alio consistere, quam in unione ejusdem corporis ad prædictas species.

Mens. D. Tho.

Opinio contraria.

27. Oppositam nostræ assertioni sententiam tuentur præter Auctores § præced. relatos Suarez disp. 47, sect. 3, Nugnus in præs. art. 5, difficult. 2, Arauxo dub. unico num. 32, Lugo disp. 5, sect. 4, Aversa quæst. 3, sect. 3, Prado q. 76, dub. 7, n. 20, et alii plures. Ex quibus aliqui sentiunt hanc præsentiam esse relationem prædicamentalem; alii esse modum substantialem; alii esse quoddam *ubi*; alii esse contactum inter corpus Christi, et species; alii denique esse rem ineffabilem et inexplicabilem, ut nullibi forsan majorem varietatem viderimus; conveniunt tamen omnes in negando assertionem nostram. Porro argumenta, quibus utuntur, ad tres classes revocantur. Nam quædam expendunt, quibus positive probant suas positiones, v. g. præsentiam sacramentalem esse modum substantialem, vel esse aliquod ubi: sed hujusmodi argumenta sunt valde debilia, cum vix, aut nullo modo hæc suaderi queant: unde opus non habemus similibus probationibus occurrere. Alia vero formant, quibus demonstrent aliorum sententias esse falsas; et hæc efficaciora sunt cum longe facilius sit falsa aliorum opiniones oppugnare, quam aliquam propriam determinate fulcire. Cæterum cum talia argumenta adversus nostram specialem sententiam non dirigantur; supervacaneum foret illa expendere. Alia præterea expendunt, quibus nostram specialem assertionem evertant: et hæc difficiliora sunt: sed non sunt alia, quam illamet, quibus impugnatur unio formalis inter corpus Christi, et species: (neminem enim vidimus, qui supposita prædicta unione, aliud diversum quærat, in quo præsentiam sacramentalem Christi constituat:) unde cum talia argumenta proposuerimus, ac diluerimus dub. præced. nihil in præsenti nobis occurrit, ad in quo enodando immorari oporteat. Sed ad alia procedendo

Suarez. Nugnus. Arauxo. Lugo. Aversa Prado.

§ III.

Proponuntur, et resolvuntur quæstiunculæ circa conditiones hujus præsentiæ.

28. Et primo loco dubitari potest, an præsentia Christi ad species sit supernaturalis? In qua difficultate omnes Auctores supponunt talem præsentiam esse supernaturalem saltem quoad modum, et ex parte causæ efficientis: sicut vita restituta mortuo, et visus restitutus cœco sunt, et dicuntur in prædicto sensu supernaturalia: quia licet in sua entitate quid naturale sint, et ejusdem rationis cum aliorum vita, et visu; nihilominus ut restituta possunt fieri

An præsentia sit naturalis.

fieri modo supernaturali, et per agentis supernaturalis virtutem. Quod in præsenti materia contingit : nam præsentia Christi ad species et fit a Deo supernaturali agente, et ordinatur ad supernaturalem finem.

Prima opinio. Sed tamen prædictam præsentiam esse in sua entitate, et quoad speciem quid naturale docent Vasquez in præs. disp. 191, cap. 2, Gaspar Hurtado disp.5, difficult. 17, Franciscus de Lugo lib. 1, de Deo vero, disp. 8, cap, 1, et alii, quibus ex parte suffragantur Suarez, Granados, Lugo, et alii asserentes animam Christi in Eucharistia habere ubi naturale : quia separata a corpore posset esse naturaliter tota in toto, et in qualibet sacramenti parte, sicut Angelus : ergo quod de facto unita corpori sic existat, non est aliquid entitative supernaturale. Fundamentum autem omnibus commune est istudmet immediate insinuatum : nam ut præsentia Christi in Eucharistia esset entitative, et secundum speciem supernaturalis, deberet excedere vim, et exigentiam totius naturæ creatæ : sed non ita se habet : ergo non est entitative supernaturalis. Probatur minor: quia propria ratio, sive species talis præsentiæ consistit in eo, quod corpus Christi in Eucharistia sit totum in toto sacramento, et totum in qualibet ejus parte, ut dub. sequenti videbimus : hoc autem non excedit vim, et exigentiam totius naturæ creatæ ; siquidem Angelus est totus in toto loco, cui se applicat, et totus in qualibet ejus parte : et similiter anima rationalis est tota in toto corpore, quod informat, et tota in quatibet ejus parte : ergo præsentia, quam habet Christus in Eucharistia non excedit vim, atque exigentiam totius naturæ creatæ. Accedit talem præsentiam esse accidens corporeum ; siquidem recipitur permanenter in corpore Christi : nullum autem accidens corporeum potest esse supernaturale entitative : nam qua parte est corporeum, debet esse simpliciter minus perfectum, quam accidentia spiritualia; et qua parte esset supernaturale, excederet simpliciter perfectionem accidentium spiritualium naturalium : in quo est manifesta contradictio.

(Margin: Vasq. Hurtad. Francis. Lugo. — Motiva.)

Vera sententia. D. Tho. Sed communis, et vera sententia docet hujusmodi præsentiam esse entitative, et simpliciter supernaturalem. Ita D. Thomas in hac quæst. art. 7, ubi ait : « Modus « essendi, quo Christus est in hoc sacra« mento, est penitus supernaturalis. » Unde concludit, quod licet talis modus cognoscatur per intellectum vel Angeli, vel hominis illustrati lumine gloriæ, quod est participatio divinæ claritatis : nihilominus « ab intellectu hominis viatoris non « percipi, nisi per fidem, sicut cætera su« pernaturalia. Sed neque etiam intellectus « Angelicus secundum sua naturalia sufficit « ad hoc intuendum. Unde dæmones non « possunt videre per intellectum Christum « in hoc sacramento, cui non voluntarie « assentiunt, sed ad eam evidentia signo« rum convincuntur, etc. » Si autem prædictus præsentiæ modus solum extrinsece, sive ex parte causæ efficientis non esset supernaturalis ; posset utique in sua entitate, atque specie cognosci per virtutem naturalem intellectus creati sicut de facto cognoscitur vita miraculose restituta mortuo, et visus supernaturaliter reparatus. Et hanc ipsam D.Thomæ resolutionem satis expressit Concil. Tridentinum sess. 13, cap. 1, dicens : Christum esse in hoc sacramento « ea existendi ratione, quam etsi verbis « exprimere vix possumus, possibilem ta« men esse Deo cogitatione per fidem illus« trata assequi possumus, et constantissime « credere debemus. » Sic etiam docent D. Bonaventura, Alensis, Altisiodorensis, et alii, quos refert Suarez disp. 48, sect. 1, concl. 1, Nugnus, Arauxo, Cornejo, et alii Thomistæ, quibus relatis subscribit Prado dub. 9, num. 7, observans id etiam communiter defendi a Recentioribus.

(Margin: Concil. Trident. B. Bon. Suarez. Nugn. Prad.)

29. Probatur primo destruendo simul motivum oppositum : quia ista sacramentalis Christi præsentia non consistit præcise in modo, quo corpus Christi existat totum in tota quantitate specierum, et totum in singulis ejus partibus, sed importat etiam, quod corpus Christi succedat substantiæ panis, et uniatur formaliter ejus accidentibus tanquam termino continenti, ut dub. præced. explicuimus : sed hoc excedit vim, atque exigentiam totius naturæ creatæ ; quamvis enim Angelus queat se constituere totum in toto loco, et totum in qualibet parte; nequit tamen se constituere sub accidentibus aliquibus substantiæ, illam excludendo, et se uniendo talibus accidentibus tanquam termino continenti : ergo præsentia, quam Christus habet in sacramento, excedit simpliciter vim, et exigentiam totius naturæ creatæ, atque ideo est Suadetur.

entitative, et quoad speciem supernaturalis. Probatur secundo vel attendendo præcise ad hoc, quod Christus in Eucharistia existit totus in toto, et totus in qualibet ejus parte : quoniam si illud, quod est proprium naturæ superioris, et spiritualis transferatur ad naturam inferiorem, et corpoream, est simpliciter, et quoad speciem supernaturale in natura inferiori: sed existere totum in toto, et totum in qualibet parte est proprium naturæ superioris, et spiritualis, ut ex se liquet : ergo quando hujusmodi præsentia transfertur ad naturam inferiorem, et corpoream, cujusmodi est humanitas Christi, talis præsentia in tali natura inferiori est simpliciter, et quoad speciem supernaturalis. Major suadetur tum inductive ; quia ea de causa, si homo in hoc statu intelligeret sine discursu, et sine usu sensuum, et conversione ad phantasma, vel si esset in continua sive numquam interrupta sui notitia; nemo negaret talem cognitionem in homine viatore esse opus simpliciter, et in sua specie supernaturale : quippe quod excedit totam facultatem naturæ in ordine ad tale subjectum. Tum ratione : quia eo ipso, quod aliquid sit proprium superioris naturæ, nequit ad inferiorem transferri, aut in ea recipi, nisi secundum potentiam formaliter obedientalem : ergo non est entitative, et in sua specie forma naturalis, quæ potentiæ naturali respondet, sed est aliquid entitative, et quantum ad speciem supernaturale.

Convelluntur motiva. Ex quibus satis constat ad motivum contrariæ opinionis. Difficultatis autem augmentum nihil evincit, quin eadem forma argumentandi probaret gratiam sanctificantem non esse supernaturalem : quippe quæ est accidens, atque ideo minus perfecta, quam substantia corporea ; et ex alia parte si esset supernaturalis, excederet simpliciter perfectionem talis substantiæ : in quo videtur occurrere manifesta contradictio. Sed plane est omnino apparens, et quæ dispellatur sola distinctione : non enim repugnat, quod res ex genere minus perfecta quam alia, excedat hanc simpliciter, et attentis omnibus : sicut homo ex genere corporis corruptibilis est minus perfectus, quam cœlum quod est corpus incorruptibile; sed tamen in specie, et attentis omnibus homo est cœlo perfectior absolute. Sic itaque gratia sanctificans ex genere accidentis est minus perfecta, quam corpora, que constituuntur in genere substantiæ : sed tamen in specie, attentis omnibus, (et præsertim quod sit participatio naturæ divinæ,) excedit simpliciter omnia corpora, et omnem substantiam creatam, ut ex professo ostendimus tract. 14, disp. 4, dub. 7. Et eadem ratione licet præsentia Christi ex genere accidentis corporei sit aliquid minus perfectum, quam accidentia spiritualia ; nihilominus attentis omnibus, et præcipue considerata ejus supernaturalitate, excedit simpliciter omnia ordinis naturalis. Et quidem non repugnare aliquid corporeum, quod supernaturale sit, liquet : tum in dotibus corporis gloriosi, ut expendimus tract. 9, disp. 5, a num. 40, tum in unione hypostatica humanitatis Christi ad Verbum, ut explicuimus tract. 21, disp. 4, a num 27. Quæ loca repetat lector si desideret uberiorem objectæ difficultatis dilutionem.

30. Secundo dubitari potest, an sacramentalis hæc Christi præsentia sit indivisibilis. Ad quam quæstionem respondendum est prædictam præsentiam esse indivisibilem, et unam in actu ; divisibilem autem, et multiplicem in potentia. Hæc resolutio insinuatur ab Arauxo q. 76, art 5, dub unico ; et colligitur ex principiis, quæ fulcire curarunt N. Complut. abbrev. in lib. *de Generat.* disp. 5, fere per tot. et nos expendimus tract. 21, disp 4, a num 52. Probatur autem simul, et explicatur : quoniam sacramentalis Christi præsentia est unio corporis Christi ad species sacramentales, ut diximus § præced. sed hujusmodi unio est indivisibilis, et una in actu : divisibilis autem, et multiplex in potentia : ergo idem de præsentia sacramentali Christi dicendum est. Minor quoad primam partem ostenditur : quoniam si attendamus ad subjectum hujus unionis, est corpus Christi existens modo indivisibili in hoc sacramento : atque ideo unio prædicti corporis considerata ex parte subjecti est indivisibilis, et una in actu. Si autem attendamus ad terminum hujus unionis, nempe ad quantitatem specierum ; hæc est una in actu, et respicitur per modum unius termini : quare unio Christi ad species vel ex parte termini, aut objecti (si decet ita loqui) considerata est actu una, atque indivisibilis. Secunda etiam minoris pars facile suadetur : quia talis unio aliquando dividitur

An sit divisibilis.

Resolutio. Arauxo. N. Comp.

dividitur, et fit plures in actu : ergo erat divisibilis, et multiplex in potentia. Antecedens, in quo solo posset esse difficultas, ostenditur : nam quando frangitur hostia, sicut in utraque parte existit corpus Christi, ita in una, et altera dantur duæ uniones corporis ad species. Id vero non contingit, quia per fractionem hostiæ destructa simpliciter fuerit illa unio, quam corpus Christi ad totam hostiam habebat, Tum quia Christus non amittit unionem ad species sine illarum corruptione, et quandiu substantia panis sub eisdem maneret, ut infra dicemus dub. 7. Tum quia sicut hæc unio per solam consecrationem acquiritur; sic etiam si deperderetur, per solam consecrationem reparari, aut restitui valeret : et tamen in casu fractionis specierum non intervenit consecratio. Sequitur itaque in tali casu non intervenire deperdititionem unionis antiquæ, et productionem novarum : atque ideo fateri oportet antiquam Christi unionem ad species sacramentales ita fuisse unam, et indivisibilem in actu, quod simul erat divisibilis, et multiplex in potentia reducitur ad actum per specierum fractionem, seu divisionem. Exemplum autem satis aptum ad id explicandum, et confirmandum occurrit in unione hypostatica humanitatis Christi, ad substantiam Verbi : nam humanitas una unione in actu copulatur in actu Verbo divino; quæ tamen est multiplex in potentia : nam si humanitas dividatur in suas partes physicas, ut contigit in triduo mortis Christi, unio illa incipit esse multiplex : nam quælibet pars manet sua unione unita eidem Verbi subsisten-

D. Tho. tiæ. Quam doctrinam tradit Div. Thomas in 3, *ad Annibaldum* distinctione 21, quæstione unica, art. 1 ad 4, his verbis : « In morte Christi fuit una unio ad ani-« mam, et carnem ex parte personæ divi-« næ... Sed ex parte assumptorum, scilicet « animæ, et corporis fuerunt duæ in actu, « cum prius esset una tantum in actu, et « plures in potentia. Et sic non oportet, « quod ibi facta fuerit nova unio, sicut ne-« que in divisione continui fit omnino no-« vum corpus, licet unum dividatur in « multa. » Et similia omnino tradit in alio diffusiori scripto, eadem dist. q. 1, art, 1, questiunc. 2 ad 5, his verbis : « Ex parte « assumptorum, quæ divisa sunt, sunt duæ « uniones in actu post mortem : ante au-« tem erat una in actu, et multæ in poten-« tia. Unde non oportet, quod aliqua unio « fiat ibi de novo. » Sic igitur cum debita proportione sentiendum est in præsenti materia. Quomodo autem aliquibus rebus conveniat habere unitatem, et indistinctionem in actu cum capacitate ad divisionem, et pluritatem, diximus tract. 3, disp. 2, dub. 2, et explicant Complutenses abbrev. loco citato.

31. Tertia quæstio est, utrum Christus ratione suæ præsentiæ ad species sit in loco, vel habeat in hoc sacramento esse localiter? Sunt qui id insinuant, ut Scotus in 4, dist. 10, quæst. 2, § *Quantum ergo ad istum*, et Gabriel lect. 43, in Cano. et alii. Suarez autem disp. 48, sect 1, putat quæstionem esse de nomine, in qua sustineri possit præsentiam Christi esse aliquo modo localem : quia habet intrensecum *ubi* in ordine ad extrinsecum corpus, seu locum. Et idem docet Lugo disp. 5, sect. 7, quamvis opposito motivo : sentit enim corpus Christi in hoc sacramento non esse in aliquo loco circumscriptivo, nec dicere ullum respectum ad corpus extrinsecum : sed habere præsentiam quasi diffinitivam, in quantum species continent corpus Christi intra aliquod spatium finitum, ita ut connaturaliter nequeat esse extra illud. Potest autem omnium illorum sententia, quamvis diversimode explicata, suaderi communi fundamento desumpto ex Concilio Tridentino sess. 13, cap. 1, ubi dicitur : « Neque enim hæc inter se pugnant, ut « ipse Salvator noster semper ad dexteram « Patris in cœlis assideat juxta modum es-« sendi naturalem ; et ut multis nihilo-« minus in locis sacramentaliter præsens « sua substantia nobis adsit. » Quo loco manifestum est Concilium pro eodem reputare præsentiam Christi in multis sacramentis, et præsentiam Christi in multis locis. Sentit igitur præsentiam Christi sacramentalem esse etiam simul præsentiam localem. Et idem evincere videtur communis loquendi modus apud fideles, qui hanc Christi sacramentalem præsentiam vulgo significant nominibus, et adverbiis loci, ut cum dicunt corpus Christi deferri ad istum, vel illum locum, et corpus Christi esse hic, aut alibi.

An sit localis.

Scotus. Gabriel. Suarez.

Lugo.

Eorum fundamentum ex Tridentino

Sed simpliciter negandum est Christum prout in sacramento habere esse localiter, et illius sacramentalem præsentiam esse

Legitima resolutio.

D. Tho. præsentiam localem. Ita D. Thom. in præs. art. 5, ubi difficultatem versans resolvit, et concludit : « Unde nullo modo corpus « Christi est in hoc sacramento localiter. » Et in resp. ad 3, addit : « Non oportet, « quod Christus sit in hoc sacramento si- « cut in loco. » Et ita docent communiter Vazq. Thomistæ, quibus subscribit Vasquez disp. 190, cap. 3. Probatur primo ratione D. Thomæ loco cit. in resp. ad 1, quoniam modus essendi in loco adæquate dividitur in modum essendi diffinitive, et in modum Ratio. essendi circumscriptive : sed corpus Christi prout in hoc sacramento neutrum essendi modum participat : ergo corpus Christi prout in sacramento nullam habet præsentiam localem : atque ideo sacramentalis ejus præsentia nequit localis appellari. Cætera constant. Et minorem tradit, probatque D. Thomas his verbis : « Dicendum, « quod corpus Christi non est in hoc sacra- « mento definitive : quia sic non esset « alibi, quam in hoc altari, ubi conficitur « hoc sacramentum : cum tamen sit et in « cœlo in propria specie, et in multis aliis « altaribus sub specie sacramenti. Simili- « ter etiam patet, quod non est in hoc sa- « cramento circumscriptive : quia non est « ibi secundum commensurationem pro- « priæ quantitatis, ut dictum est, » nempe in corpore articuli, ubi inquit : « Omne « corpus locatum est in loco secundum « modum quantitatis dimensivæ, in quan- « tum scilicet commensuratur loco secun- « dum suam quantitatem dimensivam. « Unde relinquitur, quod corpus Christi « non est in hoc sacramento sicut in loco. » Quia certum est quantitatem propriam corporis Christi non habere extensionem in ordine ad locum : et certum etiam est corpus Christi non commensurari loco secundum suam quantitatem ; cum non observet commensurationem partis ad partem, sed magis viceversa sit totum in toto, et totum in qualibet parte. In quo discursu excluditur tam modus propositus a Suario habitudinis corporis Christi ad corpus extrinsecum, quam modus insinuatus a Lugone alligationis corporis Christi prout in sacramento ad determinatum spatium finitum : constat enim ex dictis prædictum corpus Christi nec commensurari corpori extrinseco, quod ad circumscriptionem necessarium erat, nec alligari determinato specierum spatio, quod requirebatur ad diffinitionem, sed esse simpliciter ultra, et extra has species sacramentales.

32. Probatur secundo eadem resolutio alia ratione D. Thomæ in corp. art. quam possumus ita formare : nam præsentia sacramentalis Christi consistit in unione corporis ejus ad species, ut diximus § præced. sed hujusmodi unio non est præsentia localis : ergo sacramentalis Christi præsentia non debet localis appellari. Probatur minor : nam illa unio corporis Christi ad species succedit loco unionis substantiæ panis ad eadem accidentia : sed substantia panis non comparatur ad propria accidentia sicut ad locum ; siquidem locus est quid extrinsecum, et talia accidentia hærent intrinsece substantiæ : ergo unio substantiæ ad propria accidentia non est præsentia localis. Et si dicatur, quod licet illa unio non sit formaliter præsentia localis, deservit tamen, ut substantia panis vere sit in loco per suam quantitatem : atque ideo cum substantia corporis Christi succedat loco substantiæ panis, debet esse in loco per ipsammet panis quantitatem, cui unitur. Si id, inquam, dicatur, facile evertetur ob satis manifestam differentiam : quoniam ideo substantia panis habet esse vere in loco per suam quantitatem, quia illam recipit tanquam formam vere hærentem, et suos effectus sibi communicantem : unde ratione talis quantitatis commensuratur loco, sicut ad circumscriptionem requiritur. Cæterum corpus Christi non ita unitur quantitati panis, quippe quod illam in se non recipit, sed ad ipsam comparatur tanquam ad purum terminum continentem : quare sicut ab illa non recipit extensionem in ordine ad locum, ita nec commensurationem ad locum : quod tamen ad essendum vere in loco requirebatur. Quæ differentia magis innotescit, et declaratur ex eo, quod substantia panis per unionem ad suam quantitatem non solum illam recipit, sed et reliqua accidentia, atque eorum effectus formales : unde extenditur, disponitur, etc. Sed substantia corporis Christi per unionem ad eandem quantitatem nec istam recipit in se, nec ea mediante alia accidentia, vel eorum formales effectus. Et prædictæ differentiæ ratio sumitur ex radice jam assignata num. 15, quod substantia panis unitur suæ quantitati non solum sicut termino continenti, sed etiam ut formæ vere informanti : unde participat omnes effectus

Alia ratio.

Præoccupatur evasio.

tus formales tam ipsius quantitatis, quam reliquorum accidentium insidentium quantitati sicut communi, et immediate eorum susceptivo *quo*. Ceterum corpus Christi unitur prædictæ quantitati non sicut formæ inhærenti, sed sicut termino pure continenti, et ibi sistit adæquatum munus hujus unionis.

D. Tho. Quam doctrinam cum differentia assignata tradit optime D. Thomas loco citato his verbis : « Relinquitur quod corpus « Christi non est in hoc sacramento sicut « in loco, sed per modum substantiæ : eo « scilicet modo, quo substantia continetur « a dimensionibus : succedit enim substan- « tia corporis Christi in hoc sacramento « substantiæ panis. Unde sicut substantia « panis non erat sub suis dimensionibus « localiter : ita nec substantia corporis « Christi. Non tamen substantia corporis « Christi est subjectum illarum dimensio- « num, sicut erat substantia panis. Et ideo « substantia panis ratione suarum dimen- « sionum localiter erat ibi : quia compara- « batur ad locum mediantibus propriis di- « mensionibus. Substantia autem corporis « Christi comparabatur ad locum illum » (nempe specierum) « mediantibus dimen- « sionibus alienis ; quod e converso dimen- « siones propriæ corporis Christi compa- « rantur ad locum illum mediante subs- « tantia : quod est contra rationem corporis « locati. Unde nullo modo corpus Christi « est in hoc sacramento localiter. » Hæc S. Doctor, breviter complectens, quæ fusius diximus.

Diruitur oppositum fundamentum. Fundamentum autem contrariæ opinionis desumptum ex testimonio Concilii Tridentini facile corruit : quia nos non negamus, quod Christus sit, et dicatur esse in multis locis ratione specierum, quibus unitur : sed negamus, quod prout in sacramento, et secundum præsentiam sacramentalem habeat esse in loco. Quod et non amplius evincitur ex Concilio Tridentino : summo enim consilio non dixit Christum esse in multis locis absolute, vel localiter, sed esse in illis sacramentaliter, quod est additum diminuens, et propositionem improprians. « Et ut multis, *inquit*, nihilo- « minus in locis sacramentaliter præsens « sua substantia nobis adsit. » Et in eodem sensu verificatur communis inter fideles loquendi modus, quod corpus Christi defertur de loco in locum, et quod constituitur in loco : hæc enim dicuntur de corpore Christi ratione specierum, quibus unitur : quamvis enim Christus prout in sacramento non habeat esse in loco, nec in se recipiat ullum respectum ad locum vel diffinitivum, vel circumscriptivum : nihilominus habet contineri sub speciebus, quæ sunt in loco, et a quibus corpus Christi denominatur existens in loco. Ex quibus omnibus fit corpus Christi prout in sacramento nullum in se recipere *ubi* vel circumscriptivum, vel diffinitivum : posse tamen ejus sacramentalem præsentiam, sive unionem ad species appellari *ubi sacramentale* per analogiam videlicet ad ubi proprie dictum, quod est præsentia localis. Nota.

An Christus moveatur ad motum hostiæ? 33. Quartum, et præcedenti affine dubium occurrit circa motum localem Christi in sacramento, an scilicet Christus vere, et realiter moveatur ad motum hostiæ. Et communis Doctorum sententia affirmat (præscindendo tamen a modo, de quo statim,) contra Durandum in 4, dist. 10, quæst. 3, qui id ausus fuit negare his ductus motivis. Tum quia inter corpus Christi, et species nulla datur colligatio adhuc per modum contenti, et continentis : ergo ex eo, quod species moveantur localiter, non sequitur Christum localiter moveri : sicut nec ex eo, quod quis moveat localiter lapidem, in quo est Angelus, sequitur, quod Angelum moveat. Tum quia impossibile est idem moveri motibus oppositis, præsertim ubi motus convenit subjecto eodem modo : hoc autem contingeret, si Christus moveretur ad motum hostiæ ; siquidem elevata una hostia, moveretur sursum ; et descendente alia hostia, moveretur deorsum : ergo Christus non movetur vere localiter, adhuc per accidens, ad motum localem specierum. Sententia Durandi.

Vera sententia. Sed communis sententia oppositum affirmans est valde certa. Primo, quia Concilium Trident. sess. 13, cap. 5, expresse docet sanctissimum Christi corpus deferri solemniter in processionibus, et portari ad infirmos : quæ doctrina verificari non potest, nisi concedendo, quod corpus Christi prout in sacramento, movetur saltem per accidens ad motum specierum. Secundo, quia corpus Christi, et species vere comparantur ut contentum, et continens juxta doctrinam fidei in cap. *Firmiter de summa Trinit. et fide cathol.* sed fieri non potest, quod continens moveatur realiter de loco

in locum, quin eodem motu saltem per accidens moveatur realiter res contenta : ergo corpus Christi movetur localiter ad motum specierum. Tertio, quia contraria Durandi doctrina procedit ex principiis falsis, et supra impugnatis : non enim corpus Christi fit præsens speciebus præcise per solam extrinsecam habitudinem, sed est illis præsens per unionem cum ipsis tanquam contentum cum suo continenti, eo plane modo, quo (seclusa tamen imperfectione inhærentiæ) substantia panis prius uniebatur eisdem accidentibus, ut ostendimus num. 9, et 22 ; quo supposito, necessarium est, ut motis per se speciebus, moveatur saltem per accidens corpus Christi. Quarto, quia fundamenta Durandi nihil probant : ad primum enim negatur antecedens propter doctrinam immediate traditam. Ad secundum negatur major, ubi vel motus est per accidens, vel convenit mobili secundum partes diversas, vel rationes inadæquatas : sic enim non repugnat idem subjectum moveri motibus alias oppositis, ut patet in homine, qui potest moveri sursum secundum unam manum, et deorsum secundum aliam. Et hoc ultimo modo comparatur idem corpus Christi unitum speciebus numero diversis : nam quælibet earum est extremum inadæquatum respectu Christi : unde potest idem Christi corpus secundum aliquas species moveri sursum, et secundum alias species moveri deorsum.

An motus recipiatur in corpore Christi.

34. Major autem difficultas, et gravior inter Doctores controversia est circa hunc motum localem, quo Christum moveri diximus saltem per accidens, sive ratione specierum ; an scilicet prædictus motus sistat intrinsece, et recipiatur in solis speciebus, an vero pertingat usque ad Christi corpus, atque in ipso recipiatur. Et hoc posterius docent ex Thomistis Capreolus in 4, dist. 10, quæst. 3, art. 3, ad argumenta Durandi contra 2, Soto ibidem dist. 10, q, 1, art. 6, concl. 2, Petrus de Soto lect. 6, *de Euchar.* Arauxo in Comment. ad art. 6, hujus q. § *Sed vera sententia*, et Prado quæst. 76, dub. 12, § 2; idem etiam docent Richardus, Gabriel, Major, Marsil., Argentinas, et alii, quos refert, et sequitur Suarez disp. 47, sect 4. Præcipua vero illorum motiva sunt : tum quod mutans respectum realem propinquitatis, vel distantiæ ad loca debet moveri realiter, sive per motum in se receptum : sed corpus Christi ad motum localem specierum mutat relationem propinquitatis, et distantiæ ad loca, in quibus constituitur sacramentum : ergo corpus Christi ad motum localem specierum mutatur realiter, recipiendo videlicet, quamvis per accidens, et secundario motum localem prædictarum specierum. Tum etiam quia implicat aliquid moveri per solam extrinsecam denominationem : alias dicere possemus mutari Deum, quando creat, et Verbum, cum unitur humanitati : sed corpus Christi movetur saltem per accidens ad motum specierum, ut num. præced. statuimus contra Durandum : ergo non dicitur moveri per solam denominationem extrinsecam desumptam a motu locali, qui unice, et adæquate in solis speciebus sacramentalibus recipiatur. Tum præterea, quia si corpus Christi diceretur moveri localiter ex hoc præcise, quod motus localis recipitur in speciebus ; pari ratione posset dici corpus Christi calefieri, cum motus calefactionis afficit species, et sic de aliis : quod tamen est falsum, et contra communem sententiam Theologorum. Inferri autem ostenditur : nam si motus localis receptus præcise in speciebus potest denominare Christum localiter motum ; pari ratione motus calefactionis receptus intrinsece in solis speciebus denominabit corpus Christi calefactum.

Aliquorum opinio. — Capre. Soto. Arauxo. Prado. Suarez. — Motiva.

Probabilior tamen nobis videtur, et magis ad mentem D. Thom. contrarius dicendi modus : quem tuentur Caietanus in præs. art. 6. § *Ad evidentiam, et in fine Commentarii.* Nugnus ibidem difficult. 1, concl. 2, N. Cornejo dub. unico, quæstiunc. 1, Serra in fine primæ conclusionis, Vasquez disp. 190, cap. 3, Henriquez lib. 8, cap. 25. §. 2, Ochagavia quæst. 23. Gonet disp. 5, art. 3, num. 69, Contenson dissert. 2, cap. 2, quæsito. 4, et alii. Fundamentum est : nam quod ita movetur per accidens, sive ad motum alterius, quod in se recipiat motum localem, debet etiam in se recipere terminum talis motus, nempe ubi prædicamentale : sed corpus Christi prout in sacramento nullum in se recipit ubi prædicamentale, ut statuimus num. 31, et docet satis evidenter D. Thomas ibidem relatus : ergo corpus Christi prout in sacramento ita movetur per accidens ad motum specierum, quod nihilominus nullum in se recipiat motum localem ; sed talis motus sistit intrinsece, et recipitur immediate

Probabilior sententia. — Cajet. Nugnus. Cornej. Serra. Vazq. Henriq. Cchag. Gonet. Contens. — Fundamentum.

immediate in solis speciebus sacramentalibus. Qui discursus manifestat inconsequentiam aliquorum Auctorum qui nobiscum sentiunt Christum prout in sacramento nullum habere, aut suscipere in se *ubi* prædicamentale ; et tamen docent suscipere, et habere in se motum localem, quo movetur per accidens ad motum specierum : quia sicut de ratione motus augmentationis est ponere augmentum in eo, quod augetur, et de ratione motus alterationis est ponere qualitatem in eo, quod alteratur : ita de ratione motus localis est ponere *ubi* in eo, quod localiter movetur per motum in se receptum : ergo si Christus prout in sacramento movetur motu locali in se recepto, debet in se recipere *ubi* prædicamentale, sive terminum talis motus : et si *ubi*, aut terminum in se non recipit, nec motum localem in se recipere potest.

Convelluntur contraria motiva.

Ad primum autem motivum contrariæ opinionis respondetur, quod sicut quando corpus Christi in hoc sacramento movetur per accidens ad motum specierum ; *ubi*, quod est terminus talis motus, non recipitur intrinsece in corpore Christi, sed in solis speciebus, ut supra vidimus, et admittunt plures ex Adversariis : sic etiam relationes aut propinquitatis, aut distantiæ non recipiuntur in corpore Christi, sed tantum in speciebus, ubi recipitur *ubi*, quod est ratio fundandi tales relationes. Et sicut Christus dicitur esse in loco non per *ubi* sibi impressum, sed per ubi adæquate in speciebus receptum, a quo denominatur extrinsece realiter : sic etiam dicitur distans, vel propinquum a relationibus distantiæ, vel propinquitatis receptis in speciebus. Ad secundum neganda est major : quia sicut non implicat, quod Christus denominetur existens in loco per accidens ratione *ubi*, quod solum in speciebus recipitur : sic etiam non repugnat, quod denominetur moveri localiter per accidens ratione motus, qui præcise recipiatur in speciebus. Et ratio est : nam Christus unitur speciebus sicut termino continenti : quare opus est moveri localiter cum speciebus, et existere in loco specierum ; quamvis motus localis, et *ubi*, sive præsentia localis non afficiant intrinsece corpus Christi, sed solas species. Per quod excluditur exemplum Dei creantis, et Verbi assumentis humanitatem ; quia non comparantur ad creaturam, vel humanitatem sicut ad terminos, intra quos contineantur : quare istorum extrinsecorum mutatio nequit illos denominare formaliter adhuc extrincese, sed ad summum per solam communicationem idiomatum, ubi intervenit unio hypostatica. Ad tertium negamus sequelam. Et disparitas inter denominationes Christi moti localiter, aut existentis in loco, et denominationes calefacti, et desumptas ab aliis accidentibus specierum, satis constat ex supra dictis num. 15 et 32, quin opus nunc sit alia addere.

An corpus Christi dicatur frangi, cum franguntur species.

35. Ex resolutione duarum immediate præcedentium quæstionum colligi valet, an dici queat corpus Christi prout in sacramento frangi, cum franguntur, et dividuntur species. Et sunt, qui hanc propositionem negant, modumque ita loquendi respuant, nisi in sensu omnino metaphorico. Ita Victoria, Martinus de Ledesma, Petrus de Soto, Alensis et plures alii, quibus subscribit Suarez disp. 47, sect. 4, concl. 5. Bellarminus lib. 1, *de Eucharistia*, cap. 2. Lugo disp. 6, et alii multi. Quorum sententia probari potest : nam fractio importat divisionem corporis in partes : absurdum autem, et prorsus falsum est corpus Christi per fractionem specierum dividi in partes. Unde Ecclesia canit :

Opinio negans. Victor. Suarez. Bellarm. Lugo.

Fundamentum.

Nulla rei fit scissura,
Signi tantum fit fractura.

Et rursus : *A sumente non concisus,*
Non confractus, non divisus
Integer accipitur.

In nullo itaque sensu vero, et proprio dici potest corpus Christi frangi, cum franguntur species.

Opinio affirmans explicatur, et defenditur.

Asserendum nihilominus est prædictam propositionem admitti posse, et debere in aliquo sensu vero, et proprio : non qui denotet corpus Christi frangi secundum præsentiam naturalem : hoc enim manifeste falsum est : tum quia corpus Christi non est mortale : tum quia in hoc sacramento non habet extensionem in ordine ad locum : (Et hoc evincit motivum opinionis immediate relatæ). Sed quia significat Christum frangi, et dividi non solum secundum externas species, sub quibus continetur ; verum etiam secundum præsentiam sacramentalem, quam sub eisdem habet in se. Divisis namque speciebus, dividitur illa sacramentalis præsentia, ut supra diximus

D. Tho. N. Wal. Cano. Gonet. Capreol. num. 30. In quo sensu resolutionem hanc docet D. Thomas quæst. seq. art. 7 ad 3, cujus verba statim dabimus. Venerabilis N. Thomas Waldensis tom. 2, *de sacramentis* cap. 55, et cap. 56, Cano lib. 5, de locis cap. ult. ad ult. Gonet disp. 5, art. 3, num. 71, Capreolus, Soto, Vasquez, Granados, et alii, quos refert Prado quæst. 76, dub. 12, num, 12. Et solent aliqui id probare ex verbis Apostoli 1 *ad Corinth.* 10, ubi agens de institutione Eucharistiæ ait : *Panis, quem frangimus :* intelligentes nomine *panis* Christum significari. Sed motivum est parum urgens : quia *panis* vocabulo possunt non incongrue significari ipsæ sacramentales species panis, quæ vere, et proprie franguntur, ut constat ex dictis disp. 1, num, 11, et 26. Unde melius ab auctoritate probatur ex confessione catholica Berengarii relata in can. *Ego Berengarius, de consecrat.* dist. 2, in qua retractavit suam hæresim his verbis : « Corde, « et ore profiteor verum corpus, et san- « guinem Domini nostri Jesu Christi in « veritate manibus sacerdotum tractari, « frangi, et fidelium dentibus atteri. » Quæ accipienda sunt in aliquo sensu vero, et proprio : quippe nec decet, nec in Ecclesia consuetum est, quod hæresum abjurationes, et fidei professiones fiant verbis metaphoricis. Cum autem certum sit Christum secundum suam naturalem præsentiam non frangi ; et aliunde fractio secundum solas sacramentales species sit insufficiens, ut Christus vere, et proprie frangi dicatur : sequitur, quod Christus, fractis speciebus, dicatur frangi, seu dividi secundum præsentiam sacramentalem, quam vere, et proprie in se habet.

Probatio ab auctoritate.

Ad quod non oportet corpus Christi dividi in partes (hæc enim imaginatio ut omnino falsa excludenda est) : sed sufficit, quod totum corpus Christi, quod correspondet parti specierum, dividatur a seipso, secundum quod correspondet alteri specierum parti : sicut namque ante divisionem hostiæ totus Christus erat in tota, et totus in qualibet ejus parte ; ita divisa hostia, totus Christus est in diversis, et divisis hostiæ partibus, quæ sejunguntur, et queunt in diversis locis constitui : atque ideo Christus indivisus secundum naturalem præsentiam, frangitur, seu dividitur secundum præsentiam sacramentalem, quæ est unio ad prædictas species. Et ita rem declarat D. Thom. loco cit. ubi ait : « Dicendum, quod illud, quod manducatur « in propria specie, ipsum et frangitur, « et masticatur in sua specie. Corpus autem Christi non manducatur in sua specie, sed in specie sacramenti. Unde est « super illud Joan. 6. Caro non prodest « quidquam dicit Augustinus : Hoc est intelligendum secundum illos, qui carnaliter intelligebant : carnem quippe « sic intellexerunt, quomodo in cadavere « dilaniatur, aut in macello venditur. Et « hoc modo intelligenda est confessio Berengarii, ut fractio, et attritio dentium « referatur ad speciem sacramentalem, « sub qua vere est corpus Christi. » Hac enim specie divisa, consequens est dividi unionem inter illam, et Christi corpus in sacramento. Et hinc satis constat ad motivum contrariæ opinionis, et ad testimonia Ecclesiæ quibus fulcitur : solum enim negant Christum frangi, aut dividi secundum naturalem præsentiam, et ita res se habent : cum quo tamen recte cohæret, quod frangatur, et dividatur secundum præsentiam sacramentalem, ut explicuimus. D. Tho.

An sacramentalis præsentia pendeat a naturali.

36. Quinto, et ultimo dubitari potest, (alia enim, quæ circa hujusmodi præsentiam occurrunt dubia, sunt difficiliora, et quæ congruentius seorsim discutientur,) an sacramentalis præsentia Christi dependeat ab ejus præsentia naturali? Negat Scotus in 4, distinctione 10, quæstione 4, cum discipulis, et Gabriele lect. 47, super canonem. Quorum fundamentum est, quod res capax existendi duobus modis potest existere sub quolibet eorum divisim, sed Christus est capax existendi tum præsentia naturali, tum præsentia sacramentali : ergo sicut potest existere per naturalem præsentiam independenter a sacramentali, ita etiam potest existere per sacramentalem præsentiam independenter a naturali. Nec proderit dicere modum sacramentalis præsentiæ dependere a modo existendi per præsentiam naturalem. Nam contra opponitur, tum quod hæc responsio petit principium. Tum quod modus naturalis Christi non est de essentia modi sacramentalis; dum solus Deus sit causa principalis, et immediata præsentiæ Christi in sacramento : qui proinde potest hujusmodi præsentiam efficere independenter ab influxu Christi secundum præsentiam naturalem.

Opinio Scoti, et aliorum.

E contra

Opinio Cajetani et aliorum. E contra vero absolute affirmant Caietanus in hac quæst. art. 2, Gonet disp. 5, art. 2, num. 63, et alii. Qui moventur primo : nam esse secundum quid supponit necessario esse simpliciter : sed esse, quod habet Christus secundum præsentiam sacramentalem, est quasi secundum quid ; esse vero, quod habet secundum præsentiam naturalem, est esse simpliciter : ergo sacramentalis Christi præsentia supponit necessario præsentiam ejus naturalem. Secundo, quia præsentia Christi sacramentalis non aliter contingit, quam per conversionem panis in Christum, ut vidimus disp. præced. dub. 2 ; sed ut panis convertatur in corpus Christi, necessarium est Christum præexistere in se ; siquidem nihil potest converti in id, quod non est : ergo sacramentalis Christi præsentia dependet ab ejus præsentia naturali. Tertio, quia humanitas Christi concurrit instrumentaliter physice ad conversionem panis in corpus Christi, et ad constituendum corpus Christi sub speciebus : omnis autem causa supponitur ad suum effectum : ergo præsentia naturalis Christi præcedit ejus sacramentalem præsentiam, et ista ab illa dependet.

Notanda pro resolutione. Sed dubium hoc absimile non est alteri, quod versavimus disp. præced. a num. 47, et eodem modo expediri valet. Pro cujus luce observandum est primo, quod Christum habere esse naturale in se ipso, et Christum habere esse naturaliter sunt duo distincta, et admodum diversa. Nam prima propositio solum significat, quod Christus habet suum esse sibi connaturale, constans ex suis partibus, et existentia entitativa, quæcumque illa sit. Secunda vero propositio ultra hoc denotat quod Christus habet esse modo sibi connaturali videlicet cum extensione in ordine ad locum, et cum præsentia locali, sicut existebat in hoc mundo, et nunc existit in cœlo. Quæ diversitas vel ex hoc mysterio, quod explicandum suscepimus, satis liquet : nam Christus in Eucharistia habet suum esse naturale ; istud quippe exuere non valet : cæterum in Eucharistia non habet modum essendi naturaliter, sed existit cum modo essendi sacramentaliter. Unde non bene consulimus, quod Gonet loco cit. et quidam alii probant contra Scotum sacramentalem Christi præsentiam dependere ab ejus præsentia naturali : quia esse sacramentale Christi supponit necessario saltem ordine naturæ esse illis naturale, et ut sic loquamur, entitativum. Divertunt enim hi summo intervallo a difficultatis scopo : quæ cum id supponat (nec ab Scoto negatur), investigat, an similis dependentia inveniatur inter modum existendi sacramentaliter, et modum essendi naturaliter, ita quod Christus non potuerit esse in sacramento, quin prius habuerit esse modo naturali, sive cum naturali præsentia in ordine ad locum. Et in hoc sensu procedit quæstio proposita. Secundo nota hanc difficultatem posse tractari vel per ordinem ad præsentem Dei providentiam, vel non facta suppositione providentiæ præsentis ; sed per respectum ad potentiam absolutam. His suppositis,

Legitima quæstionis decisio. 37. Ad prædictam quæstionem respondendum est, quod loquendo secundum existentem nunc providentiam præsentia Christi sacramentalis, sive modus existendi sacramentaliter habuit dependentiam a naturali Christi præsentia, sive modo existendi naturaliter : loquendo autem per respectum ad potentiam Dei absolutam non datur hujusmodi dependentia, nec essentialis est; sed fieri simpliciter potuit, quod Christus haberet præsentiam, et modum essendi sacramentalem antecedenter ad omnem præsentiam, et modum essendi naturalem, atque independenter ab illis. Sic communiter distinguunt, et resolvunt Theologi moderniores. Videatur Soto in 4, dist. 8, quæst. unica, artic. 5, et dist. 10, quæst. 1, artic. 2, Martinus de Ledesma 1, parte 4, quæstione 14, articulo 5, et quæstione 16, artic. 4, dub. 6. Nugnus in hac quæstione artic. 2, difficult. 3, ubi Arauxo dub. unico, N. Cornejo quæstione 75, art. 1, disp. 2, dub. 1, quæstiunc. 6, Suarez disp. 48, sect. 2, Vazquez disput. 192, cap. 1, Bernal disp. 2, sect. 3, Aversa quæst. 4, sect. 4, Prado quæst. 76, dub. 10, et alii in præsenti. Soto. Ledesm. Nugnus. Arauxo. Cornej. Suarez. Vazq. Aversa. Prado.

Probatur quoad priorem partem. Quæ resolutio quoad priorem partem probatur primo : quia de facto secundum præsentem providentiam Christus ut homo fuit instrumentum physicum ad convertendum panem in se ipsum, et se prædicto modo in sacramento constituendum : quippe ejus humanitas isto modo concurrit ad hæc, et similia opera, juxta generalem doctrinam, quam tradit D. Thomas supra quæst. 13, fere per totam, et quæst.

48. artic. 6, et quæst. 56, art. 2, et quæst. 62, artic. 5, et alibi frequenter : quam doctrinam ex professo expendimus tract. 21, disp. 23, dub. 4. Sed naturalis præsentia, sive modus existendi naturaliter est quædam conditio connaturalis, sive juxta præsentem providentiam requisita ad agendum physice : ergo loquendo secundum præsentem providentiam, præsentia Christi sacramentalis supposuit naturalem ejus præsentiam, habuitque dependentiam ab illa. Probatur secundo, quia Christus de facto, sive secundum præsentem providentiam fuit immediatus institutor omnium sacramentorum novæ legis idque pertinuit ad ejus dignitatem, ut ostendimus tract. præced. disp. 6, dub. 1; ergo sicut ad instituendum alia sacramenta oportuit, quod Christus existeret in se cum sua præsentia naturali, profecto necessaria ad exercendum actiones, quibus eam institutionem exercuit : sic etiam oportuit, quod supponeretur ad institutionem sacramenti Eucharistiæ : ergo præsentia, quam in hoc sacramento habet, supposuit in eo juxta præsentem providentiam modum existendi naturaliter. Probatur tertio, quia Christus de facto comparatur ad hoc sacramentum non solum generali ratione, qua ad reliqua sacramenta, videlicet per modum instituentis: sed etiam ratione specialissima, videlicet per modum summi sacerdotis principaliter hoc sacramentum in ratione sacrificii offerentis, ut magis constabit ex dicendis disp. 13, dub. 3, ad quod oportuit, quod prius esset cum sua naturali præsentia, sive modo existendi connaturaliter. Quæ omnia confirmantur motivo supra insinuato ex Caietano : nam esse naturaliter est esse absolute : esse vero præcise sacramentaliter est esse cum addito : ergo sicut esse secundum quid supponit esse simpliciter : sic etiam per se loquendo esse sacramentaliter debet supponere esse naturaliter : atque ideo idem servari expedit juxta suavem Dei providentiam, juxta quam Deus rebus consulit secundum connaturales earum exigentias : observat autem Deus de facto providentiam suavem, et rebus magis consonam : ergo attendendo ad providentiam præsentem fateri oportet sacramentalem Christi præsentiam supposuisse præsentiam ejus naturalem, habuisseque dependentiam ab illa.

Altera Secunda etiam resolutionis pars ostenditur : quia nulla apparet implicatio in eo, quod Deus primo poneret in rerum natura Christum cum præsentia sacramentali ad species, et antecedenter ad omnem aliam præsentiam in loco : sicut proportionabiliter contigit in mysterio Incarnationis, in quo Deus produxit humanitatem Christi absque sua subsistentia naturali, sed cum, et sub Verbi subsistentia : et sicut non obstante, quod Christus de facto constituatur in Eucharistia dependenter a transubstantiatione, sive conversione substantiæ panis in ipsum; potuit nihilominus Deus illum in tali sacramento constituere independenter a tali conversione, ut diximus disp. præced. n. 51. Confirmatur : nam quod Christus sit sub speciebus cum præsentia sacramentali, nullam habet dependentiam essentialem ab aliqua actione, quam Christus exerceat ut existens cum præsentia naturali : quod enim de facto fuerit institutor Eucharistiæ, et quod sit sacerdos principalis illam offerens in ratione sacrificii; est plane dispositio accidentalis, quam Deus de facto elegit, sed ad quam essentialiter mysterium Eucharistiæ non alligatur : atqui per respectum ad potentiam Dei absolutam non repugnat, quod unum fiat sine alio, a quo essentialiter non connectitur : ergo attendendo ad potentiam Dei absolutam fieri potuit, quod sacramentalis Christi præsentia non supposuerit præsentiam ejus naturalem, sed in executione posita fuerit independenter ab illa. pars sua detur.

38. Juxta quam doctrinam facile convelluntur motiva adversantium opinionum. Nam fundamentum Scoti solum probat secundam nostræ resolutionis partem, nempe non repugnantiam per respectum ad potentiam Dei absolutam. Sed non concludit contra primam : quia licet præsentia sacramentalis Christi non habeat dependentiam essentialem a naturali Christi præsentia : nihilominus de facto, et secundum præsentem Dei providentiam, (ipsi etiam mysterio, et rerum exigentiis magis consonam,) non datur sacramentalis præsentia, quin naturalem præsupponat. Et fundamentum constat ex dictis pro prima assertionis parte. Porro motiva relata pro sententia Caietani præcise probant, quod in prima resolutionis parte statuimus, ut illa diluendo constabit. Nam ad primum respondetur, quod sicut non obstante, quod esse accidentale est esse secundum quid, Diruuntur motiva utriusque opinionis.

et

et esse substantiale est esse simpliciter, non repugnat esse accidentale produci independenter ab esse substantiali, ut contingeret, si Deus (quod minime implicat), produceret accidens separatum ab omni subjecto : sic etiam non obstante, quod præsentia sacramentalis sit præsentia cum addito, et præsentia naturalis sit præsentia absolute : et consequenter modus existendi sacramentaliter debeat connaturaliter, et per se loquendo supponere modum existendi naturaliter ; nulla tamen inter hæc invenitur essentialis connexio : sed fieri per respectum ad potentiam Dei absolutam valet, quod Christus incipiat primo existere per modum præsentiæ sacramentalis, atque independenter a naturali præsentia. Ad secundum dicendum, quod licet de facto Christus constituatur sub speciebus per conversionem substantiæ panis in ipsum; tamen non implicat, quod constituatur independenter a tali conversione, ut statuimus loco citato. Permisso autem, quod præsentia sacramentalis haberet essentialem dependentiam ab ejusmodi conversione ; minime tamen inferretur similis dependentia a præsentia naturali : nam conversio substantialis fieri potest non solum in terminum præexistentem, sed etiam in illum, qui primo per ipsam conversionem incipiat existere. Ad tertium constatex dictis omnes illas suppositiones fuisse accidentales, et potuisse Deum aliter disponere, quin Christus deberet præsupponi vel per modum instrumenti physici, vel per modum sacerdotis offerentis.

Corollarium. Præmissam autem resolutionem extendendam censemus ad præsentiæ sacramentalis conservationem, et consequenter dicendum, quod licet præsentia Christi sacramentalis possit per respectum ad potentiam Dei absolutam conservari non conservata naturali ejus præsentia; nihilominus id fieri nequit secundum præsentem Dei providentiam : atque ideo si Christus desineret esse secundum naturalem præsentiam, quam habet in cœlo, desineret etiam esse secundum præsentiam sacramentalem, quam habet Eucharistia; nisi adesset novum aliquod miraculum, sive providentia extraordinaria, ut Christus in Eucharistia conservaretur. In prima hujus consectarii parte conveniunt communiter Theologi num. 37 relati : et merito, quia demonstratur ex fundamento supra posito non dependentiæ, aut non connexionis essentialis inter utramque præsentiam. Secundam autem partem negat Arauxo loco cit. § *Deinde secunda.* Sed eam docent, aut supponunt communiter alii, et nominatim Aversa conclus. 2, et Prado num. 9. Omissis autem aliis motivis supra positis (quæ huic etiam parti possunt probabiliter applicari), suadetur unico fundamento : quia ipse naturalis ordo exposcit, quod præsentia naturalis supponatur ad sacramentalem, et quod unumquodque prius habeat modum existendi naturalem, quam modum existendi sacramentalem, supernaturalem, et miraculosum : ergo attentis naturis rerum, et suavi providentia, quam Deus de facto observat, præsentia sacramentalis Christi dependet in conservari ab ejus præsentia naturali; atque ideo attentis naturis rerum, et præsenti providentia, si Christus desineret esse simpliciter secundum naturalem præsentiam, desineret etiam esse secundum præsentiam sacramentalem; et si non conservaretur in se, non conservaretur in sacramento. Fundamentum autem Arauxi solum probat oppositum non implicare, sed fieri absolute posse per novam providentiam miraculosam : quod facile admittitur, sed hanc partem non oppugnat.

DUBIUM IV.

Utrum totus Christus existat sub qualibet Eucharistiæ specie, et sub singulis specierum partibus, atque indivisibilibus ?

Dubium istud pertinet etiam ad modum, quo Christus existit in Eucharistiæ sacramento : et unum supponit, atque aliud investigat. Supponit quidem totum Christum, hoc est compositum ex supposito Verbi, et humanitate, hujusque partibus, et quantitate, ac reliquis accidentibus absolutis a loco, existere in Eucharistia. Quod satis constat ex dictis in communi disp. 1, et dub. 1, et magis constabit ex dicendis in particulari disp. seq. ubi agemus de his, quæ sub speciebus sacramentalibus continentur. Quo supposito, difficultas refertur ad illa, sub quibus dubitari potest, an Christus totus existat. Et primo occurrunt duæ species panis, et vini, ex quibus sicut ex partibus coalescit integrum Eucharistiæ Nota 1

sacramentum, juxta superius dicta disp. 2, dub. 3. Secundo occurrunt ipsarum specierum partes : ex quibus aliquæ dicuntur *aliquotæ*, nempe quæ habent certam, et determinatam magnitudinem, sicut ulna habet quatuor palmos, et palmus determinatos digitos : aliæ autem dicuntur *proportionales*, et sunt, quæ continentur in aliquotis, ita ut si aliquota dividatur in duas medietates, rursus quælibet medietas dividi queat in alias duas medietates, et sic in infinitum. Ex qua differentia oritur, quod partes *aliquotæ* cujuscumque quantitatis finitæ sint etiam finitæ, et numero determinatæ. Nam cum *aliquotæ* habeant certam magnitudinem, et non se includant, sed quælibet sit extra aliam; si partes aliquotæ alicujus quantitatis essent infinitæ in numero, non possent non constituere quantitatem magnitudinis simpliciter infinitæ : ergo vice versa si quantitas supponitur esse finita, necessarium est illam habere partes aliquotas numero determinatas. Cæterum partes *proportionales* cujuslibet quantitatis non sunt numero determinatæ, sed infinitæ saltem in potentia: nam quælibet quantitas est divisibilis in duas medietates; et rursus quælibet ejus medietas est divisibilis in duas alias medietates, et sic in infinitum; quin dividendo quantitatem possimus ad sola indivisibilia pervenire : alias quantitas componeretur ex solis indivisibilibus, quod est falsum, destruitque propriam quantitatem, ut recte declarant N. Complutentes. abbrev. in lib. Physic. disp. 23, quæst. 2 et 3.

Nota 2.

N. Com.

Denique in eisdem speciebus occurrunt indivisibilia, tum continuativa, quæ uniunt, et nectunt quantitatis partes ; tum terminativa, quæ terminant quantitatem, et ejus partes. Nam cum continuum sit, cujus partes uniuntur aliquo termino communi, oportet partes quantitatis, quæ est aliquod continuum, his indivisibilibus copulari. Et rursus cum contactus corporum debeat fieri in ultimo, et quantitas non habeat partem ultimam ; siquidem quælibet ejus pars posset dividi in alias, et alias, ut proxime diximus : necessarium est admittere in quantitate indivisibilia terminativa, per quæ positive terminetur, ut ex professo probant N. Complutenses loco cit. quæst. 1. Et quamvis non pauci Juniores huic communi Philosophiæ contradicant tuentes sententias extreme contrarias, dum quidam dicunt quantitatem non componi ex partibus, sed ex solis punctis, sive indivisibilibus; alii vero affirmant in quantitate nulla reperiri indivisibilia vel continuativa, vel terminativa : nihilominus hic supponendum est contrarium quantum ad omnia prænotata juxta communem, et veram Philosophorum sententiam. Et nisi ita supponatur, præcluditur plane aditus difficultati in titulo propositæ quantum ad obscuriora, quæ in hac consideratione possunt occurrere. Quare vel a limine ipso excludimus Lugonem, Oviedum, Bernalium, Arriagam, et similes, qui communi Philosophiæ repugnantes, alias arripiunt singulares vias immediate insinuatas.

Nota 3.

§ I.

Asseritur veritas catholica quantum ad species.

39. Dicendum est primo totum Christum esse in qualibet Eucharistiæ specie, non solum simul, et collective sumpta, sed etiam divisim considerata. Sic diffinierunt Concilium Constantiense sess. 13, Basiliense sess. 30, Florentinum in decreto Eugenii, et Tridentinum sess. 13, cap. 1, ubi ait : « Quapropter verissimum est « tantundem sub alterutra specie, atque « sub utraque contineri : totus enim et in- « teger Christus sub panis specie, et sub « quavis ipsius speciei parte ; totus etiam « sub vini specie, et sub ejus partibus exis- « tit. » Juxta quam doctrinam diffinivit can. 3, ejusdem sess. « Si quis negaverit « in venerabili sacramento Eucharistiæ « sub unaquaque specie... totum Christum « contineri; anathema sit. » Et hoc ipsum diffinivit sess. 21, ut statim expendemus. Eadem veritas reperitur in sacris canonibus, cap. *Qui manducat*, cap. *Singuli*, cap. *Ubi pars*, cap. *Invitat*, et aliis, *de consecrat.*, dist. 2. Quam etiam docent Patres agentes de hoc sacramento, prout manducatur in solo pane, et prout servari solet in sacrario absque speciebus vini, ut videri potest apud D. Dionysium cap. 3, *de Eccles. Hierar.* Origenem hom. 8, in divers. D. Nazianzenum orat. *de S. Gorgonio*, D. Ambrosium lib. 5, *de sacram.* cap. 3, D. Augustin. serm. 2, *de verbis Apostoli*, Eusebium Emissenum hom. 5, *de Pasch.* Cyrillum Hierosolimit. catech. 4, D. Thomam

Prima conclusio.

Concil. Constan. Basil. Florent. Trident.

D. Dion D. Naz D. Amb. D. Aug. D. Cyril. D. Tho.

mam in hac quæst. art. 2, et infra quæst. 71, art. 1 ad 3, et 1. *ad Corinth.* 11, lect. 6, et alios. Quod pariter docent communiter Theologi tam in præs. art. 2, quam in 4 sent. dist. 11, quos proinde supervacaneum est recensere.

Fundamentum ex traditione. Probatur primo ex perpetua Ecclesiæ traditione, quæ non solum innotescit ex communi Patrum doctrina, sed etiam ex consuetudine dandi laicis unam tantum speciem panis; censet enim hanc illis sufficere, quia sub ea totus Christus continetur. Unde Concilium Trident. sess. 21, cap. 3, ait : « Insuper declarat, quamvis « Redemptor noster, ut antea dictum est, « in suprema illa cœna hoc sacramentum « in duabus speciebus instituerit, et Apos« tolis tradiderit, tamen fatendum esse « etiam sub altera tantum specie, totum, « atque integrum Christum, verumque sa« cramentum sumi; ac propterea, quod ad « fructum attinet, nulla gratia necessaria « ad salutem eos defraudari, qui unam « speciem solam accipiunt. » Et juxta hæc diffinit can. 3. « Si quis negaverit totum, « et integrum Christum, omnium gratia« rum fontem, et auctorem sub una tan« tum panis specie sumi...; anathema sit.»

Ab Scriptura. 40. Secundo probatur Scriptura : nam Christus agens de hoc sacramento quantum ad speciem panis dixit Joan. 6 : *Ego sum panis vivus.* Et *Qui manducat me, vivet propter me.* Ergo Christus est, qui sub specie panis manducatur. Christus autem dicit totum Christum, hoc est, non solum corpus Christi, sed etiam sanguinem Christi, et alia ex quibus naturaliter constat. Nec vis horum, et similium testimoniorum elevatur, si quis respondeat, quod etiam Christus dicitur jacuisse in sepulchro; quamvis in sepulchro non fuerit sanguis, nec anima Christi, sed solum corpus : atque ideo ex eo, quod Christus dixerit se esse sub specie panis, non sequitur totum, et integrum Christum esse sub tali specie; sed sufficit ibi esse vel solum Christi corpus sine sanguine. Id, inquam, nihil valet : quoniam manifestum est in sepulchro non jacuisse Christum vivum, sed Christum mortuum, sive sacrum Christi cadaver; atque ideo ibi non extitisse totum, et integrum Christum, sed corpus Christi inanimatum, et exangue. Christus autem agens de hoc mysterio loquebatur de se ipso vivo, et perfecto : et sic dixit : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.* Panis, quia nos spiritualiter nutrit: vivus, quia non est sola caro sed caro animata per animam rationalem : et denique descendens de cœlo propter divinum suppositum. Et totum hoc, atque ideo se integrum, et perfectum obtulit Christus, cum dixit : *Qui manducat me, vivet propter me.*

Ratio. Tertio probatur ratione satis congruenti, et fundata in naturis rerum : quoniam etsi forte non implicet contradictionem, sed fieri de potentia Dei valeat, quod existente toto, integro, et glorioso Christo in cœlis non constitueretur sub specie panis nisi ejus corpus sine anima, aut sine sanguine, aut sine quantitate, et aliis accidentibus, et proprietatibus naturalibus : nihilominus attentis naturis rerum, et juxta suavem Dei providentiam, qua ipsis consulit, et se attemperat, oportet rem aliter disponi, nempe quod ubi est corpus Christi, sint etiam ejus anima, sanguis, atque accidentia, et e converso : sed nullum est fundamentum, ut dicatur hanc suavem, et connaturalem providentiam non observari de facto in hoc mysterio : ergo cum certum sit in qualibet specierum Eucharistiæ contineri corpus, vel sanguinem Christi; sequitur in specie panis contineri non solum corpus Christi, sed etiam ejus animam, sanguinem, accidentia, et reliqua ad Christum intrinsece pertinentia; et similiter in specie vini contineri non solum sanguinem Christi, sed etiam ipsius animam, et alia, quæ proxime recensuimus. Cætera constant. Et major quoad secundam partem, in qua poterat esse difficultas, suadetur : tum quia non decet corpus gloriosum in cœlo reperiri alicubi exangue, exanime, et mortuum. Tum etiam quia non congruit naturis rerum, ut corpus alicubi vivum reperiatur alibi mortuum, neque quod corpus animatum inveniatur sine sanguine, et aliis accidentibus naturalibus. Tum denique quia ipse naturalis ordo postulat, quod si partes reperiuntur unitæ, quocumque feratur, aut constituatur una, ibi deferantur, et collocentur aliæ. Ergo attentis naturis rerum, et juxta providentiam eisdem consonam oportuit, quod ubi reperitur corpus Christi, ibi sit ejus sanguis cum anima, et reliquis accidentibus; et similiter quod ubi invenitur Christi sanguis, ibi etiam adsit corpus illius cum cæteris ad ipsum pertinentibus. Unde Div. Thomas D. Tho.

art. 1 hujus quæst. postquam statuit Christum contineri in hoc sacramento, statim subjunxit : « Sciendum tamen, quod aliquid Christi est in hoc sacramento dupliciter. Uno modo quasi ex vi sacramenti : alio modo ex naturali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti et sub speciebus hujus sacramenti id, in quod directe convertitur substantia panis, et vini præexistens, prout significatur per verba formæ, quæ sunt effectiva in hoc sacramento, sicut et in cæteris mutationibus : puta cum dicitur : Hoc est corpus meum, vel Hic est sanguis meus. Ex naturali autem concomitantia est in hoc sacramento illud, quod realiter est conjunctum ei, in quod prædicta conversio terminatur. Si enim aliqua duo sunt realiter conjuncta, ubicumque est unum realiter, oportet et aliud esse. » Et conformiter ad hanc doctrinam in art. seq. resolvit : « Dicendum certissime tenendum esse, quod sub utraque specie sacramenti » (nempe vel divisim accepta, ut statim se declarat), totus est Christus : « aliter tamen, et aliter. Nam sub speciebus panis est quidem corpus Christi ex vi sacramenti : sanguis autem ex reali concomitantia, sicut supra dictum est de anima, et divinitate Christi. Sub speciebus vero vini est quidem sanguis Christi ex vi sacramenti : corpus autem ex reali concomitantia, sicut anima, et divinitas : eo quod nunc sanguis Christi non est ab ejus corpore separatus etc. » Quæ doctrina magis constabit ex dicendis disp. seq. ubi explicabimus singula, quæ continentur in hoc sacramento, et modum, quo in ipso constituuntur, atque habent esse : ad præsentem enim considerationem sufficit statuere, quod totus Christus continetur realiter in qualibet specierum.

Hæresis contraria.

41. Contra præmissam assertionem referri solent tantum hæretici : et primo loco non pauci, qui propterea existimarunt communionem sub utraque specie necessariam esse ad salutem, quia non credebant Christum sub qualibet specie Eucharistiæ contineri. Et cum his sensisse videntur illi, quos N. Waldensis tom. 2, *de sacramentis*, cap. 87, *Intinctores* appellat : dabant enim species panis tinctas speciebus vini ad complementum communionis ; istaque perversa praxi (quam reprobavit Julius I in cap. *Cum omne crimen de consecrat.* dist. 2) significabant sanguinem Christi non contineri in specie panis solitarie sumpta. Quam hæresim postea aperta fronte docuit Lutherus, ut testatur Echius hom. 32, *de sacram.* illamque tutantur aliqui Lutherani apud Bellarm. lib. 4, *de Euchar.* cap. 21. Pro ea vero (supposita reali Christi in sacramento præsentia, a prædictis hæreticis non negata,) non occurrunt vel apparentia difficultatis argumenta, nisi sequentia. Primum, si totus Christus continetur sub qualibet specierum, superfluum est instituisse duas species ; siquidem nec plus, nec diversum continebit species vini, quam species panis, et e converso : consequens autem est omnino falsum, utpote derogans sapientiæ, et providentiæ Christi istud sacramentum instituentis. Secundum, nam quod factum est, iterum fieri non debet, nec valet : sed per consecrationem panis fit corpus præsens sub panis specie : ergo per vini consecrationem non potest, nec debet fieri præsens corpus Christi sub specie vini : atque ideo sub tali specie non continetur corpus Christi, sed tantum Christi sanguis. Et eodem argumento suaderi potest, quod sub specie panis non continetur sanguis Christi, sed solum ejus corpus : potest enim inchoari consecratio ab specie vini.

Lutherus.

Argumenta.

Dispelluntur.

Sed hæc optime diluit D. Thom. art. 2. Primum in resp. ad 1, his verbis : « Dicendum, quod quamvis totus Christus sit sub utraque specie ; non tamen frustra. Nam primo quidem hoc valet ad repræsentandum passionem Christi, in qua seorsum fuit sanguis a corpore separatus. Unde et in forma consecrationis sanguinis fit mentio de ejus effusione. Secundo est conveniens usui hujus sacramenti, ut seorsim exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, et sanguis in potum. » Recolantur supra dicta disp. 2, dub. 3, ubi explicuimus, quomodo hoc Eucharistiæ sacramentum institutum fuerit per modum spiritualis convivii, et subinde essentialiter complectatur tam speciem panis, in qua Christus datur per modum cibi, quam speciem vini, in qua datur per modum potus. Secundum diluit in resp. ad 3, his verbis : « Dicendum, quod corpus Christi non est sub specie vini ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia. Et ideo per consecrationem vini non fit ibi corpus Christi per se, sed concomitanter. » Quod

Quod S. Doctor jam explicuerat in articulis num. præced. relatis. Porro licet id, quod est factum, non possit, aut debeat fieri eodem modo; nulla tamen est repugnantia, vel indecentia in eo, quod iterum fiat diverso modo. Quare corpus Christi positum sub specie panis ex vi sacramenti ponitur iterum sub specie vini, non quidem ex vi verborum, sed per realem et naturalem concomitantiam.

§ II.

Proponitur vera, et communis sententia ad partes aliquotas specierum.

Secunda conclusio. 42. Dicendum est secundum totum Christum contineri sub singulis specierum partibus aliquotis, seu determinatis. Hanc D. Tho. assertionem statuit D. Thom. in præs. art. 3, dicens: « Manifestum est, quod totus « Christus est sub qualibet parte specierum « panis, etiam hostia integra manente, et « non solum cum frangitur, sicut quidam Soto. « dicunt. » Estque adeo certa, ut Soto in 4, dist. 10, quæst. 1, art. 3, putaverit esse immediate de fide. Sed alii Theologi quamvis negent esse immediate de fide, aut ejus contrarium esse hæresim; tantam tamen illi attribuunt certitudinem, ut affirment oppositum ejus esse errorem in fide. Ita Cano. Prado. Cano, Nugnus, Serra, N. Cornejo, Suarez, Vasquez, Valentia, Granados, et Aversa, quos refert, et sequitur Prado in hac quæst. dub. 5, num. 8. Et hoc ultimum nobis magis Concil. Triden. arridet: quia licet Concilium Tridentinum sess. 13, cap. 3, docuerit: « Quapropter verissimum est tantundem sub « alterutra specie, atque sub utraque con- « tineri: totus enim, et integer Christus « sub panis specie, et sub quavis ipsius « speciei parte, totus item sub vini specie, « et sub ejus partibus existit. » Nihilominus ubi can. 3, accessit ad diffiniendnm doctrinam præmissam, dixit: « Si quis « negaverit in venerabili sacramento Eu- « charistiæ sub unaquaque specie, et sub « singulis cujusque speciei partibus, sepa- « ratione facta, totum Christum contineri; « anathema sit. » Quo loco manifestum est Concil. Trident. Concilium non diffinivisse totum Christum contineri sub singulis specierum partibus ante specierum fractionem, seu divisionem, sed solum *separatione facta*: manifeste significans hanc, quam diffinivit partem, esse immediate de fide: non autem illam, quam præscindendo a separatione partium docuerat cap. 3. Et eadem moderatione se gessit Concilium Florent. in Concil. Florent. decreto *Eugenii*, cum dixit: « Sub quali- « bet parte hostiæ consecratæ, et vini con- « secrati, separatione facta, totus est Chris- « tus. » Quod itaque totus Christus sit in qualibet specierum parte ante specierum fractionem, seu divisionem, non est immediate de fide. Sed tamen tantam certitudinem habet, ut ejus oppositum sit error contra fidem: tum quia adversatur doctrinæ Concilii Tridentini eo cap. 3, indefinite asserentis totum Christum contineri sub speciebus panis, et vini, et sub istarum specierum partibus: tum quia mediate saltem opponitur veritatibus fidei, ut statim expendemus. Unde nostram assertionem docent communiter Theologi, non solum supra relati, sed etiam Hugo Victor Hugo. Vict. lib. 2, *de sacram.* part. 8, cap. 11. Innocentius Tertius lib. 4, *de hoc mysterio*, cap. Innoc. Suarez 8, Scotus, Richardus, Paludanus, Major, Marsilius, Henricus, Ægidius, Hervæus, Gabriel, quos refert, et sequitur Suarez disp. 52, sect. 2. Videantur etiam Arauxo in præs. art. 3, dub. unico, Gonet, disp. 5, Arauxo. Gonet. art. 2, concl. 2, et alii.

Probatur primo: nam totus Christus est Fundamentum sub omnibus, et singulis specierum partibus aliquotis, facta specierum fractione, et partium separatione: ergo etiam est totus Christus in prædictis partibus ante specierum fractionem, et partium divisionem. Antecedens est immediate de fide, ut constat tum ex testimoniis Concilii Florentini, et Tridentini relatis, Tum etiam ex facto Christi Lucæ 22, nam consecrato calice, Luc. dedit species vini Apostolis dicens: *Accipite, et dividite inter vos:* ubi necessario supponendum est integrum Christum extitisse sub illis speciebus, earumque partibus separatis, ac divisis: ex opposito enim fieret Apostolos sumentes calicis partem non sumpsisse totum Christum. Tum prætera ex communi judicio, et traditione Ecclesiæ Catholicæ, quæ in hoc sensu canit: *Fracto demum sacramento, ne vacilles, sed memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.* Et rursus: *Sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille.* Ad quod verificandum requiritur omnino, quod totus Christus sit in singulis partibus specierum, quæ franguntur, et

dividuntur inter fideles. Tum denique nam ita constanter docent Patres, ubi agunt de hoc mysterio, et ejus dispensatione pro communione fidelium. D. Hilarius relatus in cap. *Ubi pars de consecrat.* dist. 2, D. Augustinus relatus in cap. *Singuli*, eadem dist. Eusebius Emissenus hom. 5, *de Pasch.* Guitmundus lib. 1, *de Eucharistia*, et alii, quos prolixum esset referre. Consequentia autem probatur efficaciter: nam Christus per fractionem specierum non incipit esse actu in illis partibus, in quibus antea non erat, Cum enim præsentia realis Christi in hoc sacramento, et ejus partibus sit omnino supernaturalis, et miraculosa; nequit fieri actione naturali, qualis est fractio specierum; sed fit virtute consecrationis, quæ in fractione non iteratur, nec ad partes separatas applicatur. Ergo si in omnibus, et singulis specierum partibus, facta separatione, est totus Christus: necessarium est totum Christum fuisse actu in prædictis partibus etiam antecedenter ad specierum fractionem, et partium separationem. Unde liquet eum, qui negat totum Christum esse actu in omnibus, et singulis specierum non divisarum partibus, negare mediate, et virtualiter totum Christum esse actu in partibus specierum separatis: atque ideo agere mediate contra immediatam fidei veritatem, et errore in fide, ut supra dicebamus.

D. Hilar. D. Aug. Euseb. Emissen. Guitmundus.

Evasio.

43. Nec momenti erit, si dicatur, quod sicut in speculo integro tota imago solis non est in singulis speculi partibus, sed tota imago in toto speculo: fracto autem speculo, tota solis imago incipit esse in singulis speculi partibus: sic existente integra panis, vel vini specie, non est actu Christus totus in singulis speciei partibus, sed totus in tota, et integra specie; ista vero divisa incipit esse totus Christus in qualibet speciei parte separata. Quod haud obscure sentisse videtur Altisiodorensis lib. 4 *Summæ*, tract. 5, cap. 4, ubi hæc habet: « Dicimus, quod sub totali illa forma est « Christus, ita quod sub nulla parte sit per « se. Tamen cum frangitur hostia, sub « qualibet parte per se est integer Christus. « Et est simile in speculo: sicut enim in « speculo integro solum est una imago, et « fracto speculo, in qualibet parte imago « resultat: ita sub tali forma est Christus, « qui est Dei Patris imago. » Et potest hæc evasio magis promoveri, si dicatur, quod licet fractio specierum non sit causa per se, ut totus Christus existat actu in partibus separatis; potest nihilominus esse conditio sine qua non ad hujusmodi in partibus existentiam: sicut fractio speculi est conditio sine qua non, ut imago solis existat actu in qualibet parte ipsius.

Altisiod.

Confutatur.

Hæc, inquam, responsio, cujuscumque sit, nihil valet, et efficaciter refellitur a D. Thom. in præs. art. 3, ubi ait: « Et ideo « manifestum est, quod totus Christus est « sub qualibet parte specierum panis, « etiam hostia integra manente, et non « solum cum frangitur, sicut quidam « dicunt, » (sicut videtur dicere Altisiodorensis ipso antiquior,) « ponentes exem- « plum de imagine, quæ apparet in spe- « culo: quæ apparet una in speculo inte- « gro; in speculo autem fracto apparent « singulæ in singulis partibus. Quod qui- « dem non est omnino simile: quia multi- « plicatio hujusmodi imaginum accidit in « speculo fracto propter diversas reflexiones « ad diversas partes speculi: hic autem « non est, nisi una consecratio, propter « quam corpus Christi est in hoc sacra- « mento. » Adest itaque inter exemplum allatum manifesta differentia: nam causa, ob quam apparet imago solis in speculo, est reverberatio superficiei speculi, aut speciei ex superficie: quare existente speculo integro sicut est una tantum in actu superficies, sic etiam apparet una tantum imago. Sed ubi frangitur speculum, sicut dantur plures actu superficies, et plures actu reverberationes; sic etiam actu dantur plures solis imagines. Cæterum propria causa præsentiæ Christi in sacramento est sola consecratio: per hoc autem, quod frangatur hostia, non multiplicantur consecrationes, sed semper manet saltem virtualiter eadem consecratio: atque ideo debet manere eadem præsentia, quam Christus prius habebat: quare si fracta hostia, totus Cristus existit actu in singulis ejus partibus separatis; sequitur totum Christum fuisse actu in eisdem partibus etiam ante divisionem, et prout existebant in toto. Quare minime admitti debet, quod in evasione additur, fractionem scilicet speculi esse conditionem sine qua non, ut in singulis speculi partibus sit imago; et fractionem hostiæ esse conditionem sine qua non, ut totus Christus existat in partibus separatis: quoniam fractio speculi non est

est mera conditio, sed causa saltem indirecte pluralitatum imaginum, quatenus causat plures actu superficies, in quibus fiunt plures reverberationes, atque ideo plures actu imagines. Sed fractio hostiæ nihil confert, ut Christus sit actu in partibus, ut in quibus prius actu non erat : quia oportet assignare causam hujus præsentiæ: hæc autem alia non est, saltem immediate, nisi consecratio. Accedit, quod existere actu plures imagines in partibus speculi divisis, in quibus prius unitis erat una tantum imago est effectus mere naturalis : atque ideo revocari valet in fractionem speculi sicut in causam, vel sicut in conditionem sine qua non in concursu alterius causæ naturalis. Sed sicut præsentia Christi in tota hostia est effectus supernaturalis, sic etiam existentia Christi in partibus hostiæ divisis : quocirca revocandus est hic posterior effectus in causam aliquam supernaturalem; licet permitteretur fractionem esse solum conditionem sine qua non : nulla autem, cum hostia dividitur, occurrit hujusmodi causa ; siquidem frangens hostiam naturaliter influit : consecratio autem jam a principio influxit, et posita hostiæ fractione, nec de novo influit, nec multiplicatur, ut ex se liquet. Unde vel fatendum est totum Christum esse actu in singulis hostiæ non fractæ partibus ; vel negandum est totum Christum existere actu in partibus hostiæ fractæ, sive facta separatione : at hoc ultimum est hæresis notoria, ut supra vidimus.

Major ejusdem responsionis eversio. Confirmatur ; nam si partes hostiæ essent a principio separatæ, sive divisæ, sicut post hostiæ fractionem; consecratio super illas cadens constitueret totum Christum sub omnibus, et singulis prædictis partibus : ergo pariter totum Christum sub illis tam simul, quam divisim consideratis constituit, quando eisdem applicatur existentibus, atque unitis in eadem integra hostia. Antecedens est de fide, ut satis constat ex supra dictis. Consequentia vero probatur : nam in primis ex parte consecrationis non datur major virtus, aut efficacia, sive applicetur illis partibus separatis, sive applicetur eisdem partibus unitis. Præterea ex capite illarum partium non datur major repugnantia, aut incapacitas ad continendum totum Christum, per hoc quod sint unitæ, aut in toto, quam in eo, quod sint separatæ. Denique ex parte ipsius corporis Christi sicut totum potest existere in singulis partibus separatis, sic etiam potest esse totum in tota hostia, et in singulis hostiæ partibus, ut facile constat tum exemplo animæ rationalis, quæ tota existit actu in toto corpore, et tota in singulis corporis partibus. Tum exemplo Angeli existentis in loco : totus namque est in toto loco, et totus in singulis partibus loci. Tum ex eo, quod si unus sacerdos consecraret unam partem hostiæ, et alter sacerdos alteram simul hostiæ partem Christus esset totus non solum in tota hostia, sed etiam totus in singulis hostiæ medietatibus : quod satis declarat nullam esse repugnantiam ex parte facti in eo, quod totus Christus sit actu in tota hostia, et in singulis ejus partibus. Rebus autem ita se habentibus, et attenta efficacia consecrationis, et attenta partium conditione, et attento modo præsentiæ Christi ; nulla est ratio, vel apparens motivum, ut si consecratio applicata partibus specierum separatis constituit sub illis totum, et integrum Christum, ut fides docet; eadem consecratio applicata eisdem specierum partibus unitis non constituat sub illis eundem totum, et integrum Christum.

44. Probatur secundo eadem conclusio alia ratione, quæ supposita hujus mysterii fide videtur rem sensibiliter demonstrare : etenim signata aliqua parte aliquota, et determinata hostiæ, v. g. medietate, inquirimus, utrum in tali parte sit aliquid corporis Christi, vel nihil? Hoc ultimum nulla ratione dici valet : quia pariter nihil corporis Christi erit in alia medietate, cum par ratio in una, et altera occurrat : si autem nihil corporis Christi est in prædictis medietatibus, consequens erit nihil corporis Christi esse in tota hostia ; siquidem totum compositum non distinguitur a suis partibus simul sumptis, et unitis, ut cum communi Philosophorum sentententia docent N. Complut. abbrev. in lib. *Physic.* disput. 6, quæstione 4; consequens autem est aperte contra fidem. Tenendum est itaque primum, nempe aliquid corporis Christi contineri sub illa parte signata. Et ultra procedemus inquirendo, an in tali parte sit totum corpus Christi; vel sit præcise aliqua prædicti corporis pars ? Si eligatur primum, habemus intentum, nempe totum, et integrum Christum contineri sub omnibus, et singulis specierum partibus tam

Aliud fundamentum.

N. Com.

collective, quam divisim acceptis. Si autem eligatur secundum : inde palam sequitur corpus Christi in hoc sacramento esse circumscriptive, et commensurative ad quantitatem specierum, nempe totum in toto, et partem in parte. Id vero apparet evidenter falsum : nam quod est majoris quantitatis nequit hoc commensurationis modo contineri in quantitate minori, ut patet in locato respectu loci : sed manifestum est corpus Christi esse majoris longe quantitatis, quam sit particula, aut parva hostia, in qua continetur : ergo corpus Christi non est in hoc sacramento commensurative ad specierum quantitatem, videlicet per correspondentiam totius ad totam quantitatem, et partium ad ejus partes.

Confirmatio. Explicatur hoc amplius manifestando plura absurda, quæ consequntur ad eam positionem sustinentem Christum non esse totum, et integrum in tota specierum quantitate, et in singulis ejus partibus aliquotis, et determinatis; sed esse totum in tota quantitate, et secundum diversas partes in partibus, ut palam deducitur ex prædicta sententia. Nam ubi extrema continentiæ ita comparantur, nequit corpus longe majus contineri in minori quantitate, nisi corporis majoris partes condensentur, conglobentur, aut penetrentur, ut experientia liquet facta comparatione locati ad locum. Et similiter partes corporis minoris nequeunt correspondere partibus quantitatis longe majoris, nisi partes minoris corporis vel rarefiant, vel repetantur, ut partibus quantitatis continentis correspondeant, ut in eodem exemplo locati, et loci satis constat. Manifestum autem est corpus Christi esse longe majus comparative ad speciem hostiæ, in qua, juxta communem usum constituitur : et similiter esse longe minus comparative ad speciem, sub qua simpliciter constitui valet, ut si consecraretur unus panis viginti ulnarum : quod non repugnare constat ex dictis disp. 4, dub. 7, §. 1. In primo itaque casu necessarium erit vel partes corporis Christi condensari, et conglobari : quod plane non decet statum corporis gloriosi; vel prædictas partes penetrari, cum tamen penetratio non contingat, nisi in loco existentibus, quippe quæ consistit in coexistentia duorum corporum in eodem loco : corpus autem Christi non est in hoc sacramento sicut in loco. In secundo etiam casu oportebit corpus Christi multum rarefieri, aut aliquas ejus partes constitui, et quasi repeti in multis, et super excedentibus specierum partibus : quæ plane sunt incongrua respectu corporis gloriosi, et præter, ac contra naturalem dispositionem corporis Christi. Est itaque prorsus absurda hæc commensuratio inter partes corporis Christi, et partes speciei continentis. Adde primo, quod sequendo prædictam phantasiam, necessarium est consequenter dicere, quod determinata pars corporis Christi, v. g. caput, sit in hac determinata parte hostiæ, et non in alia; et tamen nulla rationabilis causa assignari valet, ut sit potius in hac parte, quam in alia. Adde secundo, quod species panis, et vini, cum sint homogeneæ, et possint diversimode figurari, esseque proinde vel circulares, vel angulares, vel rotundæ, vel planæ etc. oportebit corpus Christi, si partes ejus commensurantur specierum partibus, similiter configurari, sive ad formam vel circularem, vel angularem redigi : non enim corpus contentum, et quantitas continens sibi secundum partes correspondent, nisi ita se habeant. Hæc vero configuratio respectu corporis Christi, quod est hetereogeneum, importat immutationem prorsus indecentem, et quam nullus catholicorum sustineat.

Alias rationes addere possemus, et eam præsertim, quam D. Thom. proponit art. 3, sed illas omittimus, quia præmissæ sufficiunt; et istam D. Thomæ, ut eam expendamus § sequenti : atque ex ibidem dicendis magis constabit veritas hujus certæ, ac communis assertionis.

Sententia contraria. Altisiod. B. Alb. 45. Contra quam referri solent Altisiodorensis loco supra cit. et B. Albertus in 4 dist. 13, art. 11. Et potest, cujuscumque illa sententia sit, suaderi motivo a prædictis insinuato : quoniam ante divisionem hostiæ Christus significatur per modum unius cibi, et post divisionem repræsentatur ut plures; sed si totus, et integer Christus esset in omnibus, et singulis partibus hostiæ, jam non repræsentaretur ut unus cibus, sed ut plures, et per modum plurium : ergo ante divisionem hostiæ est quidem totus Christus in tota hostia, non tamen in singulis hostiæ partibus. Confirmatur : nam ita discurrendo, ex una parte vitatur, quod totum aliquod corpus sit totum in toto, et in qualibet ejus parte, absque

Argumentum. Confirmatio.

absque extensione ulla in ordine ad locum; quod summam affert difficultatem in hac materia : et ex alia parte salvat tam veritatem verborum consecrationis, quam doctrinam Conciliorum diffinientium totum Christum contineri in singulis partibus, separatione facta, non obscure indicando Christum non ita contineri in partibus, antequam earum divisio fiat. Nulla itaque necessitas occurrit,ut dicamus totum Christum contineri in omnibus, et singulis partibus aliquotis specierum.

Dissolvuntur. Hæc tamen parum urgent. Ad argumentum respondetur negando minorem : nam licet totus Christus sit in singulis integræ hostiæ partibus, adhuc repræsentatur per modum unius cibi : tum quia repræsentatur sub specie unius numero cibi; siquidem non datur nisi una species continens : tum quia non habet nisi unam unionem, sive modum præsentiæ in actu, ut supra diximus num. 30. Potestque hæc doctrina explicari, et confirmari exemplo animæ rationalis, quæ et una in se est, et pertinet ad unitatem compositi substantialis : cui tamen unitati non præjudicat, quod tota anima sit in toto corpore, et tota in singulis corporis partibus. Ad confirmationem negamus antecedens quoad omnia ejus membra. Nam in primis licet difficile sit, quod corpus totum sit in tota quantitate, et in qualibet ejus parte, et quod careat extensione in ordine ad locum : nihilominus alia non faciliora occurrunt in hoc mysterio, quæ juxta doctrinam fidei salvari debent, utputa quod totum, et integrum Christi corpus sit in parva hostia : ad quod etiam opus est corpus Christi in hoc sacramento carere extensione locali. Et ex eo, quod dicatur Christum totum non esse in singulis partibus, sed solum secundum aliquid sui, non minus graves difficultates, sed magis portentosa absurda inferuntur, ut expendimus num. præced. Deinde juxta illum dicendi modum non salvantur proprietas, et veritas verborum formæ consecrationis : ista enim fertur super totam speciem panis, et omnes ejus partes : atque ideo sicut in tota specie, sic in omnibus speciei partibus debet Christum constituere : præsertim cum talia verba non habeant de se difformitatem, ut in una parte speciei constituant unam partem corporis Christi, v. g. caput, et in alia parte aliam partem, v. g. pedes, ut supra ponderavimus. Denique quod ultimo loco additur, nihil valet : nam Concilia diffinierunt quidem totum Christum esse in singulis partibus separatione facta; quia hæc veritas pertinet immediate ad fidem : sed non negarunt totum Christum esse in singulis eisdem partibus etiam ante earum separationem, vel hostiæ fractionem : nec ut id censeremus, præbuerunt nobis aliquod fundamentum. Quin potius ex eo, quod totus Christus sit in singulis hostiæ partibus, necessaria, et satis evidenti illatione colligitur totum Christum esse in prædictis partibus ante separationem earum, ut supra ostendimus num. 42. Alia argumenta, quæ formari possent contra præsentiam Christi in partibus aliquotis, magis urgent in proportionalibus, et pro eis expendi debent, ut statim videbimus.

§ III.

Præfertur verior, et communior dicendi modus quantum ad partes proportionales.

46. Dicendum est tertio totum Christum esse actu in omnibus, et singulis partibus proportionalibus specierum; atque ideo vel in partibus minoribus minimis, in quibus separatis non posset substantia panis naturaliter conservari, et subinde nec corpus Christi in eisdem ita separatis conservaretur. Hanc assertionem jam indicavimus supra disp. 4, du. 7, § 2, per tot. et illam communiter docent omnes Auctores relati nu. 42, et præsertim D. Thom. qui in præs. art. 3, nulla præmissa, aut facta distinctione inter partes aliquotas, sive determinatas, et partes proportionales sive indeterminatas, atque confusas, generaliter statuit : « Manifestum est, quod totus Christus « est sub qualibet parte specierum panis, « etiam hostia integra manente. » Et aliqui Auctores oppositam sententiam aliqua nota percellunt, ut Vazquez, qui disp. 188, cap. 3, num. 20, illam vocat *erroneam*, et Aversa quæst. 4, sect. 3, § 4, eam appellat *inexplicabilem*. — Tertia conclusio. — D. Tho. — Vazq. Aversa.

Plura autem fundamenta, quæ pro præcedenti assertione expendimus possunt huic efficaciter applicari. Et in primis testimonium Concil. Trid. sess. 13, cap. 4, ubi dicitur : « Quapropter verissimum est « tantundem sub alterutra specie, atque « sub utraque contineri : totus enim, et — Fundamentum ab auctoritate.

« integer Christus sub panis specie, et sub « quavis ipsius speciei parte, totus item « sub vini specie, et sub ejus partibus exis- « tit. » Ubi nulla facta distinctione inter partes aliquotas, et proportionales, generaliter docet totum, et integrum Christum esse sub partibus specierum : ergo supposito, quod in speciebus dantur partes non solum aliquotæ, sed etiam proportionales, (ut supponendum esse præmisimus in limine dubii), sequitur totum, et integrum Christum juxta doctrinam Concilii esse in omnibus, et singulis partibus proportionalibus specierum. Eo vel maxime, quod Concilium utitur illa universali distributiva, *Et sub quavis speciei parte :* in qua necessarium est comprehendi omnem partem tam aliquotam, quam proportionalem, si in specie dantur. Deinde locum habet fundamentum n. 44 propositum : quoniam vel in minima parte, sive proportionali parte specierum est totus, et integer Christus, aut aliquid Christi, aut nihil illius? si eligatur primum ; habemus intentum, nempe totum Christum esse in omnibus, et singulis partibus proportionalibus. Si vero dicatur in ea parte non esse totum Christum, sed aliquid ejus, videlicet partem aliquam : inde sequitur totum Christum esse in toto sacramento, et partem ejus in parte : unde ulterius fiet non esse in sacramento modo indivisibili, sed ad instar locati in loco : unde ulterius colliguntur plurima absurda, quæ num. cit. expendimus. Si denique quis audeat dicere in ea minima parte nihil Christi esse : nihil etiam erit in altera parte minima, cum militet eadem ratio : quibus addendo tertiam, quartam, et reliquas partes minimas, colligemus nihil Christi esse in omnibus partibus minimis collective sumptis, ac subinde neque in tota speciei quantitate, quæ ab omnibus suis partibus proportionalibus collective sumptis non distinguitur realiter. His itaque et similibus motivis potest suaderi præsentia totius Christi in partibus proportionalibus.

Ratio.

Ratio D. Tho.

47. Sed quia D. Thomas in præs. art. 3, proponit specialem quandam rationem, omnibus tamen partibus (quantum ad rem præsentem) communem ; illam referre, atque expendere oportet. « Dicendum, *inquit*, « quod quia in hoc sacramento substantia « corporis Christi est ex vi sacramenti, « quantitas autem dimensiva ex vi realis « concomitantiæ : ideo corpus Christi est « in hoc sacramento per modum substantiæ, « id est, per modum, quo substantia est « sub dimensionibus ; non autem per mo- « dum dimensionum, id est, non per mo- « dum illum, quo quantitas dimensiva « alicujus corporis est sub quantitate di- « mensiva alicujus loci. Manifestum est « autem, quod natura substantiæ tota est « sub qualibet parte dimensionum, sub « quibus continetur : sicut sub qualibet « parte est tota natura aeris, et sub qualibet « parte panis est tota natura panis. Et hoc « indifferenter, sive sint dimensiones actu « divisæ, sicut cum aer dividitur, et panis « secatur : vel etiam, si sint actu indivisæ, « divisibiles vero potentia. Et ideo manifes- « tum est, quod totus Christus est sub quali- « bet parte specierum panis, etiam hostia « integra manente, et non solum cum « frangitur, sicut quidam dicunt. » Et conformiter ad hanc doctrinam inquit in art. 1 hujus quæst. in resp. ad 3 : « Facta con- « versione panis in corpus Christi, vel vini « in sanguinem, accidentia utriusque ma- « nent. Ex quo patet, quod dimensiones « panis, vel vini non convertuntur in di- « mensiones corporis Christi, sed substan- « tia in substantiam. Et sic substantia « corporis Christi, vel sanguinis est sub « hoc sacramento ex vi sacramenti : non « autem dimensiones corporis, vel san- « guinis Christi. Unde patet, quod cor- « pus Christi est in hoc sacramento per « modum substantiæ, et non per modum « quantitatis. Propria autem totalitas subs- « tantiæ continetur indifferenter in parva, « vel magna quantitate : sicut tota natura « aeris in magno, vel parvo aere, et tota « natura hominis in magno, vel parvo « homine. Unde et tota substantia corporis, « et sanguinis Christi continetur in hoc « sacramento post consecrationem : sicut « ante consecrationem continebatur ibi « tota substantia panis, et vini. » Similia omnino tradit S. Doctor lib. 4, *contra gentes* cap. 57. Quæ omnia possunt ad hanc formam breviter reduci : terminus transubstantiationis non est quantitas dimensiva corporis Christi, sed substantia corporis, et sanguinis habens esse per modum substantiæ, et succedens loco substantiæ panis, et vini : ergo oportet corpus, et sanguinem Christi esse sub speciebus per modum substantiæ, et sicut substantia panis, et vini erat

Firmatur.

erat sub eisdem accidentibus : sed proprius modus substantiæ est, quod tota ejus natura sit sub dimensionibus, et sub qualibet dimensionum parte : et ideo tota natura substantiæ panis, et vini erat sub tota sua quantitate, et sub qualibet ejusdem quantitatis parte, sive magna, sive parva, sive aliquota, sive proportionali: ergo pariter tota substantia corporis Christi prout in hoc sacramento habet esse non solum sub tota quantitate specierum, sed etiam in qualibet parte prædictæ quantitatis, sive talis pars sit magna, et aliquota, sive sit minima, et proportionalis.

Difficultas in præmisso discursu. In hoc tamen D. Thomæ discursu statim occurrit communis difficultas circa illam propositionem : « Natura substantiæ tota « est sub qualibet parte dimensionum ; » « vel : Propria totalitas substantiæ conti- « netur indifferenter in parva, vel magna « quantitate. » Nam vel loquitur S. Doctor de totalitate essentiali, sive quoad prædicata specifica : vel loquitur de totalitate entitativa, sive quoad totam rei entitatem. Et si loquatur de totalitate entitativa, propositio apparet evidenter falsa non solum in hetereogeneis, sed etiam in homogeneis, ut est panis : nam licet in qualibet parte salvetur tota essentia panis quantum ad prædicata specifica, quippe quælibet panis pars est vere, et quoad speciem panis : nihilominus non in qualibet panis parte salvatur tota panis entitas. Quinimo licet S. Doctor loqueretur de totalitate essentiali, sive quoad prædicata specifica, falsum generaliter assumeret : quoniam etsi in homogeneis contingat totam naturam substantiæ totalitate essentiali, sive quoad speciem esse in qualibet parte, sicut in qualibet parte panis est tota essentia panis, et in qualibet aeris parte tota essentia aeris : eo quod in homogeneis totum, et partes sunt ejusdem rationis : nihilominus in hetereogeneis aliter omnino contingit. Nam cum hetereogenea, v. g. corpus humanum, constent partibus diversæ rationis, utputa capite, pedibus, corde, et aliis hujusmodi ; fieri non valet, quod in qualibet eorum parte salvetur totum totalitate adhuc essentiali, et quoad speciem : manifestum namque est cor humanum non esse hominem, et pedem hominis non esse hominem, et sic de aliis. Unde fit totum D. Thomæ discursum nutare, et nihil tandem concludere. Quoniam in primis falsum universaliter est, quod tota natura substantiæ sit, et salvetur in qualibet parte quantitatis. Dato autem, quod in homogeneis id verificetur saltem quoad totalitatem essentialem ; nequit tamen verificari in hetereogeneis. Quare licet sub qualibet parte quantitatis panis sit tota natura substantiæ panis totalitate essentiæ ; et licet substantia corporis Christi succedat loco substantiæ panis : non inde sequitur totum corpus Christi esse sub qualibet quantitatis parte : est enim totum hetereogeneum, cujus essentia salvari in qualibet parte nequit, ut proxime ostendimus : unde non debet succedere substantiæ panis quantum ad hanc similitudinem in modo existendi, ob satis notam, et jam explicatam disparitatem.

48 Hunc scrupulnm tam circa principia, quam circa discursnm Divi Thomæ (omissis Suarii, et aliorum Recentiorum expositionibus, quæ minime hærent litteræ S. Doctoris, nec ejus mentem retinent, sed ad alios discursus longe differentes divertunt), varie dispellunt Thomistæ. Et Prado quæst. 76, dub. 5, num. 17, respondet, quod cum modus, quo Christus est in Eucharistia sit miraculosus ; D. Thomas non formavit eam rationem ad probandum, quod ita fiat ; sed ad persuadendum illud, quod credimus miraculose fieri, non involvere contradictionem. Id vero explicat S. Doctor, quia corpus Christi prout in hoc sacramento non est situaliter, et circumscriptive, sed indivisibiliter : atque ideo totum debet esse in toto, et totum in qualibet parte : nam hoc modo existunt, quæ existunt in aliquo indivisibiliter. Et hæc fere omnia dixerat Suarez disp. 52, sect. 2, ratione 4. Verum enimvero hæc responsio, licet veram alias doctrinam contineat, non est ad rem, nec objectam difficultatem evacuat, quæ potissimum dirigitur contra propositiones a D. Thom. assumptas, et contra illarum ordinem, ut evincant totum Christum esse in tota quantitate, et totum in qualibet parte. Licet enim Christum existere in hoc sacramento non situaliter, aut commensurative ad partes quantitatis continentis sit opus miraculosum : nihilominus S. Doctor hoc ipsum opus miraculosum in modo existendi probat ex eo, quod Christus in hoc sacramento existit non ratione quantitatis, sed ratione substantiæ : « et natura subs-

Aliquorum explicatio. Prado. Suarez. Rejicitur.

« tantiæ tota est sub qualibet parte di- « mensionum et propria totalitas substantiæ « continetur indifferenter in parva, vel ma- « gna quantitate.» Et contra has propositiones dirigitur objectio facta, quam minime diluit præmissa responsio, sed inexplicatum, atque indefensum relinquit discursum S. Doctoris.

Aliorum expositio. Melius respondent alii mentem Divi Thomæ eo collimare, ut primo loco statuat substantiam corporis Christi esse in hoc sacramento per modum substantiæ, quatenus loco substantiæ panis in ipsum transubstantiatæ succedit. Unde sequitur substantiam corporis Christi debere esse in hoc sacramento illo modo, quo prius sub quantitate erat substantia panis. Sed substantia panis sub qualibet quantitatis parte habet totalitatem saltem essentialem : quippe quælibet panis pars est vere, et essentialiter panis. Sequitur ergo (et huc tandem respexit D. Thomas), quod substantia corporis Christi sub qualibet specierum parte habeat totalitatem essentialem, quin habeat etiam totalitatem entitativam : quippe totalitas essentialis substantiæ hetereogeneæ non salvatur, ubi adest una pars entitativa, sed ubi tota ejus entitas concurrit : non enim una pars hominis est specifice totus homo, ut objectio recte expendit. Ergo ut substantia corporis Christi succedat in modo existendi substantiæ panis, debet habere in qualibet speciei parte utramque totalitatem ; essentialem quidem, quia istam habebat panis substantia ; entitativam autem, quia in hetereogeneis (ut est substantia corporis Christi), non salvatur totalitas essentialis absque totalitate entitativa. Discursus igitur D. Thomæ sic dispositus assertionem evincit, quin objectione facta subruatur. Ita N. Cornejo in præs. quæst. art. 4, disp. 2, dub. 1, et Arauxo art. 3, dub. unico, num. 19. Cornejo. Arauxo.

Non probatur. Sed nec ista responsio nobis videtur sufficiens : præsertim ad retinendum, ac propugnandum propriam D. Thomæ in illo discursu sententiam. Primo quidem, quia relati Auctores non salvant, nec defendunt maximam illam a S. Doctore assumptam, quod « natura substantiæ est tota sub « qualibet dimensione, » vel quod « pro- « pria totalitas substantiæ continetur in- « differenter in parva, vel magna quan- « titate : isti enim hoc principium admittunt præcise in substantia homogenea ; nec in ista absolute, sed solum quantum ad totalitatem essentialem, sive prædicata specifica : in quo ipso satis exorbitant a mente S. Doctoris, qui generaliter illud principium statuit. Secundo, quia si totalitas, quam substantia panis habet in tota quantitate, et ejus partibus, non est entitativa ; siquidem ipsis Auctoribus concedentibus non tota entitas substantiæ panis est in qualibet quantitatis parte ; longe melius, atque immediatius ex officio succedendi loco substantiæ panis inferretur, quod tota entitas corporis Christi non est in qualibet parte specierum : sed quod sicut tota entitas substantiæ panis est tota in tota quantitate, et ejus partes sunt in quantitatis partibus ; sic etiam corpus Christi habeat totam entitatem in tota specie panis, et partes in partibus ejus. Quod tamen directe contradicit discursui, et intentioni Doctoris oppositum concludentis. Tertio, quia licet prædictus discursus ut ab illis Autoribus formatus, et explicatus possit applicari corpori Christi in ordine ad modum existendi sub panis specie ; minime tamen valet applicari sanguini Christi comparative ad speciem vini. Sanguis namque Christi est totum homogeneum, quod subinde habere valet totalitatem essentialem, licet non habeat totalitatem entitativam : una enim gutta sanguinis est specifice sanguis, et ejusdem rationis cum toto sanguine ; et tamen non habet totalitatem entitativam. Quare sicut, ipsis Auctoribus concedentibus, tota substantia vini, cui succedit sanguis Christi habet sub qualibet parte quantitatis totalitatem essentialem, non autem entitativam : sic etiam tota substantia sanguinis posset habere sub qualibet parte speciei vini totalitatem essentialem, quin entitativam haberet. Quomodo igitur ex discursu D. Thomæ, (vel prout ab illis Auctoribus explicato,) efficaciter concludemus cum S. Doctore sanguinem Christi esse totum in tota specie vini, et totum sub qualibet ejus parte?

49 Quare relinquendo prædictos dicendi modos, et alios in sua probabilitate (ut unusquisque in suo proprio sensu abundet,) magis sincere, et omnino conformiter ad propositiones illas D. Thomæ, quæ difficultatem afferunt, respondemus substantiam corpoream non habere partes integrales, actu, et formaliter distinctas intra genus substantiæ Propria sententia.

substantiæ; sed omnem multitudinem actualem partium integralium esse pro formali, et in recto de genere quantitatis. Ita cum multis Thomistis, et aliis gravibus Auctoribus docent ex professo N. Complut. N. Com. abbrev. in lib. *de Generat*. disp. 5, quæst. 1, quos consulere debet lector, ne circa principium philosophicum, ab illis luculenter explicatum, et ab objectionibus vindicatum, nunc immoremur. Modo namque sufficiet propositam suppositionem brevissime ostendere. Et quidem secunda ejus pars evidenter infertur ex prima: nam si substantia corporea non habet ex se, et intra proprium snbstantiæ genus partes integrales actu, et formaliter distinctas; sequitur, quod illas habeat a quantitate: porro quantitas nequit communicare partes formaliter substantiales, sive distinctas substantialiter, atque intra substantiæ genus: quippe manifestum est formam accidentalem, qualis est quantitas, non posse effectum substantialem communicare. Prima vero suppositionis pars suadetur: quoniam materia prima non habet intra proprium substantiæ genus partes integrales actu distinctas. Si enim illas haberet, oporteret utique illas habere aliqua unione unitas: aliter namque non possent deservire ad constituendum unum per se in composito substantiali. Porro unio partium integralium materiæ intra genus substantiæ est omnino impossibilis. Nam in primis nequit esse unio physica, seu compositio physica ex actu, et potentia; cum partes materiæ, si darentur, essent ejusdem rationis, et nullam haberet rationem actus. Nec potest esse per penetrationem: tum quia penetratio non est vera unio, ut patet in corporibus, quæ licet penetrentur, non manent unita, nec componunt aliquod unum: tum quia penetratio attenditur per habitudinem ad unum locum, a quo tamen respectu abstrahit substantia secundum se. Nec tandem potest fieri illa unio per continuationem, mediis aliquibus invisibilibus: si enim ista sunt de genere quantitatis, sequitur partes esse substantiales, unionem vero accidentalem, et subinde non posse simul concurrere ad constituendum unum ens. Esse autem de genere ipsius materiæ primæ plane repugnat: nam si dicantur esse pura potentia, non poterunt uniri; cum unio sit actus respectu extremorum unibilium: et si dicantur esse actus, non poterunt esse de linea materiæ primæ, quæ est pura potentia. Sequitur itaque unionem inter partes materiæ intra genus substantiæ esse impossibilem: et subinde repugnare partes integrales materiæ intra genus substantiæ actu distinctas; et tandem implicare, quod substantia materialis, sive corporea habeat partes integrales actu distinctas intra proprium substantiæ genus.

Ex præmisso autem principio evidenti illatione colligitur substantiam corpoream intra proprium genus, et secundum modum, quem de se, sive intra lineam substantiæ importat, esse actu indivisibilem, atque existere per modum indivisibilis. Quoniam nihil dividi per se potest in actu, nisi ex se habeat partes actuales, ex quibus constet: sed substantia corporea ex se, et intra proprium genus non habet actu partes integrales, ut proxime vidimus: ergo ex se, atque intra proprium genus nequit dividi: atque ideo ex se, sive intra proprium genus est indivisibilis, et existit per modum indivisibilis. Et sic aperte docent Aristoteles, et D. Thomas: nam S. Doctor D. Tho. 1 part. quæst. 50, art. 1, inquit: « Materiam autem dividi in partes non convenit, nisi secundum quod intelligitur sub quantitate: qua remota remanet substantia indivisibilis, ut dicitur 1 Physicorum.» Et lib. 4, *contra gent*. cap. 65, ait: « In genere substantiæ multiplicatio fit secundum dimensionem materiæ: quæ neque intelligi posset. nisi secundum quod materia sub dimensionibus consideratur: nam remota quantitate substantia omnis indivisibilis est, ut patet per Philosophum 1 Physicorum. » Et quodlib. 9, quæst. 9, art. 1, inquit: « Diversitas partium non intelligitur in materia non intellecta divisione; neque divisio non intellecta dimensione: quia substantia, quantitate sublata, remanet indivisibilis, ut dicitur 1 Physicorum. » Hæc S. Doctor omnino conformiter ad principia in locis relatis num. 47.

50 Ad rem igitur: merito in eis locis asseruit « naturam substantiæ totam esse sub qualibet parte dimensionum, » et silimiter « propriam totalitatem substantiæ contineri indifferenter in parva, vel magna quantitate. » Nam revera ita

contingit universaliter in quacumque substantia considerata in suo genere, et secundum modum proprium substantiæ : et complectendo totalitatem tam essentialem, quam entitativam : et cum extensione ad substantias tam homogeneas, quam hetereogeneas. Cum enim nulla substantia corporea habeat in proprio genere partes integrales actu distinctas ; consequens est omnem talem substantiam in proprio genere, et consideratam secundum modum proprium substantiæ, esse indivisibilem, atque existere per modum indivisibilis, ut proxime ostendimus. Quæ autem hujusmodi sunt, habent suam naturam totam sub qualibet parte dimensionum, et continentur secundum propriam totalitatem substantiæ tam in parva, quam in magna quantitate.

Explicatur, et vindicatur D. Thomæ discursus.

Unde liquet D. Thomam summo jure in relatis locis asseruisse substantiam panis totam esse, et contineri sub qualibet parte quantitatis : indeque cum summa etiam consequentia intulisse corpus Christi, quod succedit loco substantiæ panis, totum esse, et contineri sub qualibet parte speciei, sive quantitatis ex pane relictæ. Liquet præterea ea, quæ num. 47 contra discursum D. Thomæ opposuimus, non urgere : procedunt enim ex sinistra intelligentia, quod substantia sub quantitate non conservet totalitatem, quam intra proprium genus substantiæ habet, secundum quam tota est totalitate substantiæ sub qualibet parte quantitatis. Quare cum objectio inquirit, de qua totalitate loquitur D. Thomas ? respondendum est loqui de utraque : nam cum substantia intra proprium genus nullas habeat partes integrales actu distinctas; necessarium est, quod dum sub quantitate existit, retineat in proprio genere totalitatem tam essentialem, quam entitativam, sive substantia homogenea, sive hetereogenea sit : et propterea sicut sub qualibet panis parte est tota substantia panis totalitate essentiali ; sic etiam totalitate entitativa propria substantiæ ; et similiter sub qualibet parte hominis est tota substantia hominis totalitate tam entitativa, quam essentiali intra proprium substantiæ genus, ut optime observarunt Complutenses loco cit. num. 11. Liquet ultimo Auctores relatos nu. 48, qui aliter intellexerunt, et formarunt discursum D. Thomæ, mentem ejus non attigisse, qui illis circuitionibus, et anfractibus opus non habuit, quibus illi utuntur : cum commune apud S. Doctorem sit substantiam in proprio genere carere partibus actu distinctis, et esse indivisibilem actu, atque existere per modum indivisibilis, ut ostensum est. Et quamvis contra hoc principium non pauca valeant opponi, illis tamen recte occurrunt Complutenses loco cit. quos lector plura desiderans consulere potest.

51 Sed dices, si tam certum erat apud D. Thomam, quod natura substantiæ est tota sub tota quantitate, et sub qualibet ejus parte, loquendo de totalitate propria substantiæ, sive intra substantiæ genus; ad quid formavit eum discursum, cum posset uno verbo dicere totam substantiam vel panis, vel corporis Christi esse sub qualibet parte quantitatis? Ad quid expendit quantitatem panis non converti in quantitatem corporis Christi ? Et alia non pauca ingerit, quæ lector recognoscere potest recolendo loca num. 47 allegata. Replica.

Diluitur.

Respondetur D. Thomam id gravi de causa, et æquali ingenio fecisse. Quamvis enim certa philosophia cognosceret naturam substantiæ totam totalitate substantiæ esse sub qualibet parte quantitatis per modum indivisibilis; nihilominus gravior in hoc mysterio occurrebat difficultas ex eo capite desumpta, quod sub specie panis continetur substantia corporis Christi non utcumque, sed retinendo proprias sui dimensiones, seu quantitatem : et impossibile apparet corpus humanum, quantum, et in se extensum esse sub parva quantitate, et sub qualibet ejus parte. Ad quam difficultatem superandam opus habuit S. Doctor prænotare, quod licet corpus Christi quantum sit in Eucharistia; nihilominus non terminat transubstantiationem secundum suam quantitatem, sed secundum suam substantiam, (cujus signum est, quod quantitas panis perseverat, et non convertitur in quantitatem corporis Christi): unde corpus Christi non est in hoc sacramento per modum quantitatis, sed per modum substantiæ : et ipsa quantitas corporis non est ibi per se; sed ratione substantiæ, et per modum substantiæ. Totalitas autem substantiæ intra proprium genus salvatur tam in tota quantitate, quam in singulis ejus partibus: eo quod existit in proprio genere per modum indivisibilis, ut supra ostendimus. Unde non implicat, sed supposito

posito modo transubstantiationis necessarium est, quod corpus Christi totum existat (sicut in tota specie hostiæ quantumvis parvæ, sic etiam in qualibet hostiæ parte.) Hic est proprius discursus, propriaque intentio D. Thom. in testimoniis relatis, ut illa consideranti constabit, præsertim si conferat argumenta, et responsiones. Nam, ut alia omittamus, cum art. 3 opposuisset corpus Christi retinere in se ordinem partium, qui ordo petit partium distantiam, et quod una correspondeat uni parti specierum, et alia alteri; respondit: « Ad « secundum dicendum, quod illa determi- « nata distantia partium in corpore orga- « nico fundatur super quantitate dimen- « sionum ipsius : ipsa autem natura « præcedit etiam quantitatem dimensivam. « Et ideo quia conversio substantiæ panis « directe terminatur ad substantiam cor- « poris Christi, secundum cujus modum « proprie, et directe est in hoc sacramento « corpus Christi; talis distantia partium « est quidem in ipso corpore Christi vero. « Sed non secundum hanc distantiam « comparatur ad hoc sacramentum, sed « secundum modum suæ substantiæ sicut « dictum est. » Et cum rursus sibi opposuisset corpus Christi retinere propriam quantitatem, de cujus ratione est, quod secundum diversas partes correspondeat diversis partibus loci, vel superficiei continentis, respondit : « Ad tertium dicen- « dum, quod ratio illa procedit de natura « corporis, quam habet secundum quan- « titatem dimensivam. Dictum autem est, « quod corpus Christi comparatur ad hoc « sacramentum non ratione quantitatis di- « mensivæ, sed ratione suæ substantiæ. » Hæc S. Doctor.

Reproducitur D. Tho. discursus. Ex quibus omnibus reintegratur ejus ratio num. 47 proposita: nam ideo corpus Christi non esset totum in tota specie panis, et totum in quibusvis ejus partibus, tam magnis, quam parvis, et tam aliquotis, quam proportionalibus : quia prædictum Christi corpus retinet propriam quantitatem in hoc sacramento : sed hoc motivum est nullius momenti: ergo Christi corpus totum, et integrum est non solum in tota specie panis, sed etiam in omnibus ejus partibus. Probatur minor: nam licet corpus Christi in hoc sacramento retineat quantitatem propriam: nihilominus in hoc sacramento non habet esse ratione quantitatis, sed ratione substantiæ, ad quam directe, et per se terminatur transubstantiatio: quare corpus Christi in hoc sacramento habet esse non per modum, et ad modum quantitatis, sed per modum, et ad modum substantiæ : sed modus proprius substantiæ est, quod existat tota sub tota quantitate, et sub qualibet ejus parte; siquidem substantia in proprio genere caret partibus integralibus actu distinctis, et est actu indivisibilis : ergo quod corpus Christi in hoc sacramento retineat quantitatem propriam, minime obstat, ut prædictum corpus sit totum in tota quantitate specierum, et totum in omnibus, et singulis specierum partibus.

52. Contrariam tamen nostræ assertioni sententiam tuentur Alensis 4 parte quæst. 40, membro 3, artic. 5, D. Bonaventura in 4, dist. 10, artic. 1, Gabriel lect. 80, super canon. dub. 2, et alii, qui licet concedant Christum totum esse in tota hostia, et in ejus partibus, excipiunt tamen partes proportionales, vel saltem illas minores minimis, sub quibus separatis non conservaretur corpus Christi. Unde primo loco arguunt: nam Christus in Eucharistia solum habet esse actu in illis partibus, in quibus separatis conservaretur : sed dantur aliquæ partes adeo exiguæ (illæ scilidet, quæ sunt minores minimo naturali), in quibus, si separantur, non existeret Christus : ergo nec in illis partibus actu existit, quando sunt unitæ in tota specie. Probatur minor: nam Christus tandiu est sub speciebus, et earum partibus, quandiu ibi conservaretur propria panis substantia, si adesset: sed parte minori minima non conservaretur substantia panis: quippe manifestum est posse substantiam panis destrui per pulverizationem, sive divisionem in partes minimas : ergo sub talibus partibus separatis non conservaretur corpus Christi. Sententia contraria. Alensis. D. Bon. Gabriel. Primum argumentum.

Respondetur negando majorem. Cujus falsitas demonstratur ipsa minoris probatione, quam argumentum expendit : nam in parte minore minima, quandiu manet aliis partibus unita, est substantia panis : quippe talis pars si datur (et in præsenti dari supponimus), cum sit aliquod accidens, debet substantiæ inhærere, atque ideo et substantiam continere. Et nihilominus in tali parte, si separaretur, non conservaretur substantia panis. Sic igitur, quamvis in tali parte separata non con- Solvitur.

servaretur substantia corporis Christi, ut recte probat argumentum; in eadem tamen parte existente in toto, et unita aliis partibus potest existere Christi corpus. Sicut etiam potest dari aliqua panis pars adeo minima, ut separata nequeat consecrari, quippe quæ ipsa separatione fit indivisibilis; et nihilominus existens in toto potest consecrari ad consecrationem totius, siquidem consecrato toto omnes ejus partes consecrantur, ut observavimus disputatione 4, dubio 7, numero 125.

Secundum argumentum. 53. Arguitur secundo: nam ex nostra assertione sequitur Christum in sacramento habere infinitas præsentias sacramentales: consequens est falsum; cum impossibile sit dari infinitum in actu: ergo falsum est, quod corpus Christi existat totum in omnibus, et singulis specierum partibus. Sequela ostenditur: nam partes proportionales cujuscumque quantitatis sunt actu infinitæ; siquidem non tot designabuntur, quin possint plures, et plures sine termino assignari, ut in limine dubii insinuavimus: sed Christus habet præsentiam sacramentalem ad quamlibet specierum partem, in qua actu existit: si ergo est in omnibus, et singulis partibus proportionalibus specierum, sequitur Christum habere infinitas præsentias sacramentales. Confirmatio. Confirmatur: nam absurdum omnino apparet partes integrales Christi esse inter se confusas, ita ut una sit, ubi alia, ut quod pedes existant, ubi caput: hoc autem sequeretur, si totum Christi corpus existeret in qualibet parte proportionali specierum; siquidem in tam minima parte non possent non partes Christi confundi, et concurrere simul pedes, et caput: ergo corpus Christi non est in omnibus, et singulis partibus specierum proportionalibus.

Occurritur argumento. Ad argumentum respondetur regerendo ipsum in opponentes, qui negare nequeunt substantiam panis ante conversionem esse in omnibus, et singulis partibus tam aliquotis, quam proportionalibus specierum: et tamen non inde sequitur talem substantiam habere infinitas præsentias, vel uniones naturales ad partes quantitatis. Et minus negare valent, quod anima rationalis sit tota in toto corpore humano, et tota in omnibus partibus: et tamen non habet actu infinitas præsentias. Vel si Adversarii non reputant inconveniens, quod substantia panis, et anima rationalis habeant præsentias infinitas; non debent, aut possunt tanquam inconveniens objicere, quod corpus Christi in sacramento similem modum præsentiæ habeat. Ab illis itaque objecta difficultas diluenda est. Ad quam respondemus negando sequelam: nam Christi præsentia in sacramento est actu una, et indivisibilis, quamvis sit multiplex, et divisibilis in potentia, ut supra diximus n. 30; unde Christus non habet actu plures præsentias finitas, vel infinitas, sed unam tantum præsentiam. Ad sequelæ autem probationem respondemus posse etiam retorqueri in opponentes: nam vel partes proportionales specierum sunt actu infinitæ, vel non? Si eligant hoc ultimum: nihil habent, quo probent in Christo esse præsentias actu infinitas. Sed si præferant primum; sicut non reputant inconveniens, quod partes proportionales specierum sint infinitæ in actu, sic nec absurdum reputare debent, quod Christus habeat infinitas actu præsentias ad tales partes. Sed absolute respondendum est partes proportionales quantitatis, licet distinguantur in actu, non constituere numerum vel finitum, vel infinitum: quia non habent esse per se, sed in toto, per modum unius integrantis idem totum, et compositum. Quocirca quamvis corpus Christi sit præsens in omnibus illis partibus, non habet plures actu præsentias, sed unam, qua unitur toti speciei per se, et ex consequenti ejus partibus, quatenus pertinent ad speciem. Et idem proportionabiliter contingit in exemplis proxime allatis præsentiæ substantiæ panis ad tales partes, et præsentiæ animæ rationalis ad partes corporis humani. Unde D. Thomas in D. Tho. præs. art. 3, eandem difficultatem diluens inquit: « Ad primum dicendum, quod numerus sequitur divisionem. » (Est enim multitudo mensurata per unum). « Et ideo « quandiu quantitas manet indivisa actu, « nec substantia alicujus rei est pluries sub « dimensionibus propriis; neque corpus « Christi sub dimensionibus panis: et per « consequens neque infinities, sed toties, « in quot partes dividitur. »

Corruit confirmatio. Confirmationi occurrit Sanctus Doctor verbis relatis num. 51. Juxta quæ respondemus, quod licet loquendo de indistantia per ordinem ad speciem, vel speciei partem continentem, hisque mediantibus per ordinem etiam ad locum, caput Christi

prout

prout in hoc sacramento ibi sit, ubi sunt ejus pedes, et aliæ partes: nihilominus nulla sequitur confusio inter partes Christi in ordine ad se: quia in se observant ordinem, et distantiam per interpositionem aliarum partium. Unde caput Christi non unitur aliis ejus partibus, nisi mediante collo, et sic de aliis. Et hæc accipienda sunt de partibus integrantibus Christi, secundum quod actu formaliter constituuntur per quantitatem in recto. Nam si sermo fiat de substantia Christi considerata in proprio genere, negandum est suppositum: nam substantia in proprio genere non habet partes integrales, sed manet indivisibilis, ut supra diximus num. 46, et solum habet esse caput, cor, pectus etc. denominative a quantitate sicut a forma. Ubi autem nulla datur actualis partium distinctio, nullum imminet periculum confusionis inter partes, ut ex se liquet.

§ IV.

Eligitur probabilior opinio quantum ad indivisibilia.

Quarta conclusio. 54. Dicendum est quarto totum, et integrum Christum esse actu in omnibus, et singulis indivisibilibus specierum tam continuativis, quam terminativis. Hanc conclusionem non obscure indicavit D. Thomas, ut statim expendemus: quam proinde communiter amplectuntur Thomistæ, Capreolus in 4, dist. 10, quæst. 4, art. 3 ad 2 Scoti contra primam. Sotus in 4, dist. 49, q. 4, art. 6, Nugnus in præs. art. 3, ubi Arauxo in 2 parte dubii, Serra, et N. Cornejo, Prado dub. 5, § 5, num. 31, Gonet disp. 5, art. 2, concl. 4, et alii. Idem etiam tuentur Suarez disp. 56, sect. 3, Valentia, Granados, Albertinus, Præpositus, Tannerus, Meratius, Amicus, Gamachæus, et alii plures, quos refert Prado loco cit. Probatur primo auctoritate simul, et ratione D. Thomæ, qui in 4, dist. 10, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 4 ad 2, inquit: « Illa, quæ non habent quantitatem, possunt esse indifferenter sub parva, et magna quantitate: sicut patet de anima, quæ est indifferenter in magno, et parvo corpore. Ita illud, quod non ratione suæ quantitatis continetur sub aliqua quantitate, potest esse indifferenter in magna, et parva quantitate: et sic est in proposito,» nempe in præsentia corporis Christi, de qua agit. Unde arguitur: nam quæ non habent quantitatem, possunt esse non solum in magno, et parvo corpore, sed etiam in quavis ejus parte, et in cunctis ipsius indivisibilibus, ut patet in anima rationali, quæ hac de causa tota est præsens toti corpori humano, et omnibus ejus tam partibus, quam indivisibilibus continuativis, et terminativis. Sed ita se habet, quod non ratione suæ quantitatis, sed ratione substantiæ sub aliqua quantitate continetur, uti comparatur corpus Christi respectu specierum, ut satis liquet ex dictis § præced. atque tam frequenter affirmat D. Thomas ibidem relatus. Ergo corpus Christi totum, et integrum existit non solum sub quantitate specierum, et omnibus specierum partibus, sed etiam sub cunctis specierum, ac partium indivisibilibus.

(Marginal notes: D. Tho. — Capreol. — Soto. — Nugnus. — Arauxo. — Serra. — Cornej. — Gonet. — Valent. — Granad. — Ratio ex D. Tho.)

Confirmatio. Confirmatur primo: nam ea, quæ habent esse modo indivisibili, possunt existere tota in quolibet indivisibili, sive puncto: unde Angelus cum se constituit in loco, habet existere non solum in qualibet ejus parte, sed etiam in omnibus punctis: ut communiter docent Theologi cum D. Thoma 1 parte quæst. 52 et 53. Sed corpus Christi habet esse modo indivisibili in hoc sacramento, ut non minus communiter tradunt Theologi: et propterea idem S. Doctor loco proxime cit. art. 3, quæstiunc. 3 ad 3, dixit: « Corpus Christi non est spiritus, sed participat quantum ad aliquid proprietatem spiritus secundum commensurationem ad species, sub quibus continetur. » Ergo corpus Christi continetur in omnibus indivisibilibus specierum. Confirmatur secundo: nam ita se habet substantia corporea alicubi existens sed non ratione quantitatis, sicut substantia corporea remota quantitate: sed substantia corporea remota quantitate manet indivisibilis, ut tam diserte, et constanter docet D. Thom. locis relatis num. 49; ergo corpus Christi, quod in hoc sacramento existit, sed non ratione quantitatis, manet in prædicto sacramento indivisibile, aut modo indivisibili: cum igitur unum indivisibile queat sub alio existere, ut patet in Angelo existente in punctis loci; sequitur corpus Christi existere in indivisibilibus specierum. Et quamvis hic discursus cum exemplis animæ rationalis, et An- Alia.

geli videatur præcise probare non repugnantiam in eo, quod corpus Christi existat in indivisibilibus specierum, secus autem exercitam ejus existentiam ; nihilominus hoc secundum etiam evincit : quia non occurrente implicatione in tali modo præsentiæ, magis connaturale est, quod corpus Christi existat et in partibus, et in indivisibilibus specierum, quod fit præcise in partibus, exclusis indivisibilibus, per quæ partes continuantur, et terminantur, ut magis constabit ex immediate dicendis.

Alterum motivum 55. Probatur secundo alia ratione : quoniam substantia corporis Christi existit in omni eo, in quo prius existebat substantia panis : sed hæc existebat non solum in partibus, verum etiam in omnibus indivisibilibus tam continuativis, quam terminativis specierum : ergo idem de substantia corporis Christi dicendum est. Consequentia patet. Et major, supposita veritate hujus mysterii demonstratur : nam cum substantia corporis Christi fiat præsens in hoc sacramento per conversionem totalem substantiæ panis in prædictam substantiam corporis Christi ; necessarium est totam substantiam panis, sive sit sub partibus quantitatis, sive sub ejus indivisibilibus, converti in substantiam corporis Christi, et quod ista succedat in locum illius : ergo corpus Christi est in omni eo, in quo prius existebat substantia panis. Minor denique ostenditur : quia vel non dantur indivisibilia continuativa et terminativa in quantitate panis (cujus oppositum præmisimus in limine dubii), vel talia indivisibilia sunt vere accidentia, et subinde inhærent substantiæ panis, et hæc illa sustentat, et sub eis latet : ergo substantia panis existebat non solum in partibus, sed etiam in omnibus indivisibilibus tam continuativis, quam terminativis specierum.

Confirmatio 1. Confirmatur primo : nam vel omnibus indivisibilibus specierum ante consecrationem correspondebat aliquid substantiæ, vel nihil ? Si nihil ; aperte sequitur ipsa indivisibilia esse nihil contra id, quod in hoc dubio supponitur : quippe nihil accidentale est, quod non innitatur substantiæ, et cui aliquid substantiæ non correspondeat. Si autem aliquid substantiæ prædictis indivisibilibus correspondebat; consequens est, ut post consecrationem aliquid substantiæ corporis Christi eisdem indivisibilibus correspondeat ; siquidem hæc succedit loco substantiæ panis in ipsam conversæ. Est igitur aliquid substantiæ Christi sub talibus indivisibilibus. Sed ubi est aliquid substantiæ Christi in hoc sacramento, est etiam totus, et integer Christus ; cum in hoc sacramento habeat esse indivisibiliter, sive per modum rei indivisibilis. Ergo totus, et integer Christus est in omnibus, et singulis indivisibilibus specierum.

Confirmatio 2. Confirmatur secundo : quia si corpus Christi esset in partibus, non autem in indivisibilibus specierum ; sequeretur præsentiam Christi in sacramento esse unam, et non esse unam : quod implicat contradictionem. Probatur sequela : nam in primis talis præsentia esset una : nam sicut Angelus, quia est indivisibilis, per unicam præsentiam est in loco, et in partibus loci; sic etiam corpus Christus, quia habet esse in hoc sacramento modo indivisibili, debet unica præsentia esse præsens in tota panis specie, atque in ejus partibus : quæ præsentia est indivisibilis, et una in actu, divisibilis autem, et multiplex in potentia, ut supra diximus numero 30. Deinde talis præsentia non esset una : quia sicut partes quantitatis, quæ non important indivisibilia continuativa, sive quæ indivisibilibus non continuantur, non sunt una quantitas, sed plures, ita unio, et præsentia ad partes quantitatis, non autem ad ejus indivisibilia nequit esse una, sed plures : sicut enim partes quantitatis non unitæ indivisibilibus discontinuantur ; ita necesse est discontinuari præsentiam, quæ terminatur ad solas partes absque terminatione ad indivisibilia partium continuativa. Idque magis declaratur exemplo durationis Angeli, quæ nequit absque interruptione coexistere tempori nostro, nisi coexistat non solum partibus, sed instantibus talis temporis : et eo ipso, quod non coexisteret prædictis instantibus, sive indivisibilibus, convinceretur non esse una, simplex, et interrupta duratio, sed multiplex, et discontinua.

56. Contrariam nobis sententiam docent B. Albertus in 4, dist. 13, art. 10, Scotus dist. 10, quæst. 9, §, *Hic dicitur*, Richardus eadem dist. art. 6, quæst. 2, Ægidius theorem. 11, et 20, Henriquez lib. 8, cap. 27, § 5, Vazquez disp. 188, cap. 4, Gaspar Hurtado disp. 5, difficult. 10, Pasqualigus disp. 104, sect. 4, et alii. Quam probant primo : nam cum substantia corporis Christi Sententia opposita. B. Alb. Scotus. Richard. Ægid. Henriq. Vazquez Hurtad. Pasqual.

Christi succedat substantiæ panis in hoc sacramento, ibi tantum est substantia corporis Christi, ubi prius erat substantia panis : sed hæc non erat in indivisibilibus suæ quantitatis ; ergo nec illa est sub prædictis indivisibilibus. Cætera constant. Et minor probatur : tum quia substantia panis est divisibilis, et extensa in se, sive entitative : ergo habet improportionem, ut sit sub puncto, aut indivisibili. Tum etiam quia si substantia panis existeret sub indivisibilibus ; sicut de qualibet panis parte verificatur esse panem ; ita de quolibet indivisibili verificaretur idem prædicatum, et ita punctum panis esset panis, et superficies panis esset panis : quæ tamen sunt absurda, et præter communem modum concipiendi, atque loquendi.

Primum argumentum.

Solutio. Respondetur negando minorem : quia ut ostendimus num. præced. vel indivisibilia quantitatis negari debent tollendo dubii præsentis statum ; vel fateri oportet illa esse aliquid accidentale, et substantiæ inhærens, sub quo proinde substantia continetur. Ad primam autem minoris probationem (omissa imaginatione illorum, qui substantiæ corporeæ attribuunt non solum partes entitativas, sed etiam indivisibilia in proprio genere, ut secundum partes correspondeat partibus, et secundum indivisibilia indivisibilibus quantitatis : unde coguntur admittere intra genus substantiæ puncta, lineas, et superficies), respondetur juxta doctrinam traditam a num. 49, substantiam corpoream nullas intra genus substantiæ habere partes entitativas actu distinctas, sed esse indivisibilem per se intra proprium genus. Unde sicut ob hanc causam potest talis substantia existere sub qualibet minima parte quantitatis retinendo suam totalitatem, tam essentialem, quam entitativam, ut loco citato explicuimus : sic etiam potest cum eadem totalitate existere sub quolibet quantitatis indivisibili. Qui autem hanc philosophiam non admittunt, dicent aliquid substantiæ panis (quamvis ægre, aut nullo modo explicent, quod illud sit), esse sub indivisibilibus suæ quantitatis ; cum certum sit illa habere aliquod subjectum inhæsionis ex suppositione, quod sint. Ad secundam probationem respondemus, quod sicut designata qualibet parte substantiæ panis, possumus dicere esse panem ; ita nullum apparet inconveniens in eo, quod signando aliquod indivisibile substantiæ, v. g. superficie, quæ videtur, dicamus eam panem esse. Et ratio est eadem : sicut enim quantitatis partes continent substantiam, quia illi inhærent, et eam designant : sic etiam quantitatis indivisibilia continent substantiam, utpote illi cohærentia, atque ipsam designantia. Et oppositus dicendi modus est longe absurdior, nempe quod videntes, et tangentes ultimam superficiem hostiæ consecratæ possemus dicere, hoc non est corpus Christi ; et idem esset de aliis superficiebus : quod tamen verum foret, si illud, quod videmus, et tangimus, prius non fuisset substantia panis.

57. Sed replicabis (et sit secundum argumentum) : nam inde fieret sacerdotem posse consecrare ultimam hostiæ superficiem, nullam consecrando partem : hoc autem apparet falsum, et indecens : ergo non oportet concedere, quod in quolibet indivisibili continetur corpus Christi. Sequela ostenditur : nam sacerdos valide consecrat quamlibet materiam, sub qua continetur substantia panis, et potest esse corpus Christi, si talis materia sit per se sensibilis, juxta doctrinam supra traditam disp. 4, dub. 7, § 2 ; sed affirmamus ultimam superficiem (et idem est de aliis indivisibilibus), esse materiam aptam, ut in ea contineatur corpus Christi ; et alia talis materia est per se sensibilis, cum tangi, et videri possit : ergo ex nostra doctrina sequitur sacerdotem posse valide consecrare ultimam superficiem hostiæ, nullam consecrando partem.

Secundum argumentum.

Huic replicæ, sive argumento respondent aliqui concedendo sequelam : quia censent consequens nullum continere absurdum, sed consectarium veræ doctrinæ, ut evincit ipsa sequelæ probatio. Sed melius respondetur negando sequelam : tum quia licet ultima superficies sentiatur ; non tamen per se, sed ratione corporis, in quo est : sicut punctum sentitur ratione lineæ, et linea ratione superficiei : aliter enim non important extensionem, sine qua objectum sentiri non valet. Unde superficies non est materia consecrabilis, nisi in corpore, et ratione corporis. Ubi autem fit consecratio in corpore, fit in omnibus ad corpus pertinentibus, ut sunt partes, et indivisibilia : et subinde corpus Christi est totum non solum in tota quantitate, sive corpore, sed etiam (licet consequenter et dependenter a

Responsio.

corpore) in omnibus, ac singulis quantitatis tam partibus, quam indivisibilibus. Tum etiam quia plus requiritur, ut aliquid consecretur per se, et divisim, quam ut consecretur prout in alio, ut patet in parte minori minima, quæ præcisive ab aliis, sive seorsim sumpta non est consecrabilis, cum designari non possit ; et nihilominus simul cum aliis consecratur, et continet totum Christi corpus, juxta dicta § præced. quare ex eo, quod superficies ultima (et idem intellige de aliis indivisibilibus) possit simul cum aliis partibus, et indivisibilibus consecrari, et continere Christi corpus ; minime sequitur, quod consecrari possit per se, sive seorsim ab aliis. Et ratio constat ex præced. motivo : ex quo etiam satis constat ad sequelæ probationem.

Tertium argumentum. 58. Arguitur tertio: quia si corpus Christi existeret sub omnibus indivisibilibus hostiæ consecratæ ; sequeretur corpus Christi absque nova consecratione incipere esse, ubi prius non erat : consequens est absurdum ; ergo et antecedens. Sequela ostenditur; nam quando hostia consecrata dividitur, resultant duo puncta terminantia duas hostiæ medietates : sed corpus Christi non erat prius sub illis punctis, cum ipsa plane non fuissent : sequitur ergo corpus Christi absque nova consecratione incipere esse, ubi prius non erat. Falsitas autem consequentis satis constat : quia Christus non est, nec conservatur in hoc sacramento, nisi virtute consecrationis : ergo absurdum est, quod incipiat esse, ubi prius non erat, sine nova consecratione. Nec satisfacit primo dicere, quod in prædicto casu non resultant aliqua indivisibilia terminaiva, nempe ob inconveniens, quod in argumento expenditur. Nam contra est tum, quod aliæ partes hostiæ consecratæ non sunt minus terminatæ, quam aliæ partes alterius hostiæ non consecratæ : sed in his resultant indivisibilia terminantia positive partes : ergo idem de partibus hostiæ consecratæ discendum est. Tum etiam quia prædictum effugium non vitat illud inconveniens, si partes hostiæ (et magis contingere valet in partibus sanguinis,) iterum uniantur, et continuentur : quia tunc resultat aliquod indivisibile continuativum, quod prius non erat in partibus separatis, et cui applicatur idem argumentum. Nec iterum satisfacit dicere quod corpus Christi non est in illis indivisibilibus de novo resultantibus, ne scilicet sequatur inconveniens propositum, quod Christi corpus absque nova consecratione incipiat esse, ubi prius non erat. Nam contra est, quod ex hac responsione colliguntur graviora inconvenientia, utputa, quod in eis indivisibilibus terminativis nulla detur substantia, cui illa inhæreant : manifestum namque est in prædictis indivisibilibus non produci de novo panis substantiam.

Nec tandem satisfacit dicere divisionem hostiæ non fieri per aliquod indivisibile. sive destruendo aliquod indivisibile, sed destruendo partem inter duo indivisibilia: quare non resultant nova simpliciter indivisibilia; sed quæ prius erant continuativa, incipiunt esse terminativa : unde non infertur objectum inconveniens, quippe sub his indivisibilibus tam prius erat corpus Christi. Nam contra hanc responsionem est primo incertissimum esse, quod divisio hostiæ, et aliarum quantitatum fiat prædicto modo. Secundo, quia si ita res se habet, ut in hac evasione depingitur ; sequitur, partes hostiæ si postea uniantur, et continuentur (quod facilius continget in partibus sanguinis) : vel habere duo indivisibilia immediata, quod implicat ; vel uniri per aliquod indivisibile de novo productum : et tunc procedit objectum inconveniens, nempe Christum incipere esse, ubi prius non erat.

Confirmatio. Confirmatur expendendo aliud inconveniens, quod ex nostra assertione infertur . nam sacerdos potest pro libito suo consecrare unam tantum medietatem hostiæ a se designatam, non consecrando alteram medietatem. In quo casu necessarium est dicere, quod in indivisibili continuante illas medietates sint simul substantia panis, et substantia corporis Christi; siquidem tale indivisibile continuativum æqualiter pertinet tam ad medietatem consecratam, quam ad aliam medietatem non consecratam ; et non est major ratio, ut sub illo indivisibili sit substantia corporis Christi, quam substantia panis, aut e converso. Consequens autem est omnino falsum: nam corpus Christi nec in parte, nec in indivisibili potest esse, nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum : unde præsentia corporis Christi habet necessario adjunctam absentiam substantiæ panis : atque ideo nulla ratione concedi potest substantiam panis, et substantiam corporis Christi

Christi esse simul sub tali indivisibili continuativo.

Diluitur argumentum. 59. Ad argumentum, (cui multum deferunt Adversarii), respondetur illud quidem aptius esse ad probandum non dari in continuo indivisibilia, quam ut probet eis suppositis repugnare, quod Christus existat sub illis in Eucharistia. Et qualemqualem difficultatem afferat, illam etiam Adversarii diluere debent, si idem argumentum substantiæ panis, et cuilibet alteri sub eisdem indivisibilibus contentæ applicetur sub eadem arguendi forma in hunc modum: Substantia panis nequit esse,ubi prius non erat, nisi generatione, vel alia actione ibi producatur: sed quando hostia v.g. non consecrata dividitur, resultant in partibus nova indivisibilia terminativa, in quibus prius non erat panis substantia siquidem ipsa indivisibilia non erant : ergo cum divisio non sit actio productiva substantiæ ; sequitur substantiam non existere in indivisibilibus terminativis partium, in quas dividitur hostia. Quam ergo responsionem pro hac difficultate diluenda adhibuerint Adversarii, eandem applicare poterunt difficultati a se objectæ; et si inconveniens non reputaverint vel nova illa indivisibilia terminativa esse sine substantia,vel præexistentem substantiam extendi ad prædicta indivisibilia; nec inconveniens reputare debent, quod nova indivisibilia hostiæ consecratæ, et fractæ vel sine substantia existant, vel existant continendo corpus Christi,quod de novo extendatur ad illa. Et eodem modo premi debent, ubi partes hostiæ, aut sanguinis uniuntur per indivisibilia de novo resultantia, in quibus non præexistebat vel substantia panis,vel substantia corporis, aut sanguinis Christi, ut facile consideranti constabit.

Quædam notabilia. Nos relictis solutionibus inter arguendum datis,et efficaciter confutatis, respondemus prosequendo philosophiam naturalem, et id, quod in naturalibus circa divisionem, et unionem continuorum accidit. Pro quo supponendum est primo substantiam corporis Christi succedere loco substantiæ panis in ipsum transubstantiatæ, et subinde tandiu esse in hoc sacramento, quandiu ibi esset panis substantia, et similiter in eisdem partibus aut indivisibilibus existere, in quibus prædicta panis substantia foret, In qua suppositione conveniunt communiter Theologi, ut satis constat ex hactenus dictis in hoc tract. Supponendum est secundo hanc esse propriam naturam continuorum, quod cum dividuntur in partes, resultant in his duo indivisibilia terminativa loco unius indivisibilis continuativi, per quod uniebantar in toto: et e converso, quando partes uniuntur, resultat unum indivisibile continuativum, eas partes copulans loco duorum indivisibilium terminativorum,quibus tales partes divisæ positive finiebantur. Quod supposita sententia communi admittente in quantitate prædicta indivisibilia continuativa et terminativa, necessario dicendum est : admittuntur enim, atque deserviunt indivisibilia ejusmodi in ordine ad talia munera, sive effectus. Tertio supponendum est positionem, sive collocationem substantiæ corporeæ in novis indivisibilibus vel continuativis,vel terminativis revocandam esse in agens naturale, quod produxit illam substantiam : istud enim communicavit ipsi talem naturam, ut ad nova indivisibilia extendatur, cum de novo producuntur: sicut etiam dedit talem naturam, ut moveatur in proprium centrum, et ut consequatur has, aut illas proprietates,seclusis impedimentis. Porro ut substantia recipiat de novo illa indivisibilia, extendaturque ad eorum susceptionem, non indiget nova extensione, aut motu locali ; sed sufficit connotare novam actionem, vel dividentis quantitatem, vel destruentis indivisibile continuativum, vel copulantis partes prius separatas, et destruentis earum indivisibilia terminativa. Sicut ad hoc, quod anima rationalis se extendat ad informandum novam portionem materiæ per nutritionem acquisitæ, necessarius non est motus localis animæ ad illam partem, sed sufficit connotatio illius partis de novo acquisitæ : et similiter quanto deperditur aliqua pars, non retrahitur anima motu locali ad alias ; sed desinit eam partem informare propter illius non esse, seu destructionem. Et quamvis substantia incipiat esse sub aliquibus indivisibilibus vel continuativis, vel terminativis, sub quibus formaliter sumptis prius non fuerat ; semper tamen dici merito potest, quod fuerit sub illis æquivalenter, et in virtute: non quia indivisibile continuativum dividatur in duo indivisibilia terminativa, vel quia duo indivisibilia terminativa constituant, aut faciant unum indivisibile terminativum ; id enim aperte repugnat :

sed quia hæc est natura continuorum, ut loco unius indivisibilis continuativi, quod divisione totius in partes perditur, resultant duo terminativa : et loco duorum indivisibilium terminativorum, quæ unione partium amittuntur, resultat unum continuativum. Quare in uno puncto continuativo sunt æquivalenter, et in virtute duo terminativa : atque in duobus punctis terminativis est æquivalenter, et in virtute unum continuativum : et sic de aliis indivisibilibus.

Doctrinæ applicatio, et argumenti dilutio. 60. Hinc ad argumentum respondetur idem proportionabiliter contingere in divisione hostiæ consecratæ, quod in divisione hostiæ non consecratæ contingere diximus. Unde concedendum est substantiam corporis Christi incipere esse in duobus illis indivisibilibus terminativis, in quibus formaliter sumptis prius non existebat ; existebat tamen in illis æquivalenter, et in virtute : quia indivisibile continuativum erat æquivalenter, et in virtute hæc duo nova terminativa. Fit autem illa quasi extensio substantiæ corporis Christi ad nova illa indivisibilia non virtute actionis dividentis hostiam; sed in virtute præcedentis consecrationis, quæ eam determinationem dedit substantiæ corporis Christi prout in hoc sacramento, ut se extenderet ad omnia illa, ad quæ se extenderet substantia panis, si ibidem esset. Quocirca divisio solum est conditio sine qua non ad ejusmodi extensionem: causa autem per se est præcedens consecratio in suo termino perseverans ; quæ ad illa etiam indivisibilia terminativa extenderet corpus Christi, si a principio in specie fuissent. Nota. Nec ex hac responsione sequitur labefactari motivum, quo supra num. 42 ostendimus Christi corpus esse actu in partibus aliquotis hostiæ ante hujus divisionem, quia facta divisione est sub illis. Id, inquam, non sequitur: quia nec ipsa substantia panis incipit per divisionem esse actu sub partibus, sub quibus, ante divisionem non erat: cæterum incipit esse sub novis indivisibilibus resultantibus. Unde idem proportionabiliter contingit in corpore Christi, quod loco substantiæ panis succedit. Et disparitas inter partes, et indivisibilia in eorum naturam revocanda est : quia videlicet per divisionem quantum non resultant novæ aliquæ partes præter præexistentes, resultant autem nova indivisibilia terminativa, ut ipsum argumentum supponit.

Diruitur confirmatio. Ad ejusdem argumenti confirmationem respondetur admittendo casum : sed in illo medietas hostiæ consecrata, et medietas hostiæ non consecrata discontinuarentur, amittendo scilicet unum indivisibile continuativum, et recipiendo diversa indivisibilia terminativa : sicut contingit in naturali hostiæ fractione. Unde minime sequeretur, quod substantia panis, et substantia corporis Christi in eodem indivisibili terminativo concurrerent. Et quamvis in prædicto casu medietates hostiæ viderentur sensibiliter unitæ, et continuæ, corrigendus foret sensus: sicut etiam corrigitur, quando pars rami arida, et pars ejusdem rami viva apparent continuæ, et superficie tenus idem ramus; cum tamen sint reipsa divisæ, et pertineant ad tota plusquam numero distincta, nempe ad ramum vivum, et rami cadaver.

DUBIUM V.

Utrum Christus in sacramento possit agere, aut pati actione corporea ?

Post notitiam eorum, quæ pertinent ad Christum quantum ad modum essendi, quum habet in sacramento consideratum secundum esse, et in se, succedit consideratio illorum, quæ Christo secundum prædictum modum conveniunt in ordine ad actiones, et passiones. Non est autem dubium, quod Christus in sacramento existens possit exercere actiones partis intellectivæ non dependentes a concursu ex parte corporis, ut sunt visio beata, actus scientæ per se infusa, et amor ad hujusmodi cognitionem subsecutus. Quare difficultas devolvitur ad solas actiones, atque passiones corporeas. Circa quas ulterius distinguere oportet : Status quæstionis. nam dupliciter potest intelligi, quod Christus in sacramento existens illas exerceat, aut sustineat. Primo ex vi modi, quem habet in sacramento, atque secludendo aliud miraculum, aut providentiam : secundo ex vi alterius providentiæ miraculosæ, et prædicto existendi modo accidentalis. Et dubium præsens non procedit in hoc secundo sensu : manifestum namque est non implicare, quod Christus in sacramento existens ex divina virtute, et tamquam ejusdem instrumentum agat actione corporea in quodlibet corpus vel sibi applicatum, vel distans : et similiter nullam esse contradictionem

tradictionem in eo, quod aliquod corpus assumatur a Deo tamquam instrumentum ad agendum circa Christum existentem in sacramento: sicut de facto Deus utitur aliquibus rebus corporeis sicut instrumentis ad agendum circa spiritus. Quare difficultas procedit in priori sensu, attendendo videlicet ad solum modum, quo Christus existit in sacramento, et ad connaturalem ejus exigentiam, an scilicet his attentis, et seclusa alia extraordinaria providentia, possit Christus prout in Eucharistia existens agere, et pati actione corporea. In quo sensu

§ I.

Sententia negans præfertur.

Conclusio. 61. Dicendum est Christum in sacramento existentem, non agere, nec pati actione corporea. Ita D. Thom. locis statim allegandis, cui subscribunt discipuli, Capreolus in 4, dist. 10, quæst. 4, art. 1, ad 4, ubi Paludanus quæst. 4, art. 1, concl. 4, Soto q. 1, art. 6, Martinus de Ledesma quæst. 17, art. 7, Nugnus in præs. art. art. 6, difficult. 2, Arauxo art. 7, num. 48, Prado dub. 15, num. 15, Gonet disput. 5, art. 3, conclus. 2, et alii communiter. Idem etiam tuentur Scotus in 4, dist. 10, q. 6, et 9, Richardus art. 5, quæst. 2, Vazquez disp. 191, cap. 3, Lugo, Bernal, Aversa, Pasqualigus, et alii plures, quos refert Prado loco citato. Probatur unico fundamento ex D. Thoma in hac quæst. art. 4, et 5, et 6, et infra quæst. 81, art. 4, quoniam nullum corpus potest agere naturaliter in aliud, vel pati naturaliter ab alio, nisi mediante utriusque contactu : sed Christus secundum modum, quem habet in hoc sacramento nequit naturaliter attingere aliud corpus, vel ab eo attingi : ergo non potest agere naturaliter in aliud corpus: nec ab illo pati : atque ideo Christus in hoc sacramento nequit agere, aut pati actione corporea. Utraque consequentia patet. Et minor probatur : quia ad contactum duorum corporum requiritur saltem naturaliter utrumque esse extensum in ordine ad locum: Christus autem in hoc sacramento non habet extensionem in ordine ad locum : ergo Christus in hoc sacramento nequit naturaliter attingere aliud corpus, vel ab eo attingi. Major autem constat ipsa experientia : nam videmus unum corpus non agere in aliud, nisi ei sit propinquum, sive indistans secundum locum : et ista indistantia, sive propinquitas non ob aliud desideratur, nisi ut se tangant, et contactu applicent virtutem, et operationem. Unde D. Thomas 1 part. quæst. 45, art. 5, inquit : « Nullum corpus agit, nisi tangendo, vel movendo. » Et loco supra cit. ex quæst. 81, ait : « Corpus Christi in propria specie contingit circumstantia corpora per proprias dimensiones : non autem prout est in hoc sacramento. » Et in resp. ad 1, addit : « Passio convenit corpori passo per comparationem ad agens extrinsecum. Et ideo Christus secundum quod est sub hoc sacramento, pati non potest. »

Confirmatio. Confirmatur : quia nullum agens potest agere actione corporea, nisi mediis organis, atque potentiis corporeis : istæ autem nequeunt naturaliter agere absque extensione in ordine ad locum : ergo cum Christus in hoc sacramento non habeat extensionem in ordine ad locum; sequitur Christum in hoc sacramento existentem non posse naturaliter agere actione corporea. Et eodem motivo ostenditur non posse pati ab alio agente corporeo : istud enim agit per actionem corpoream, et extensam, atque receptam in passo : ad quod requiritur ipsum passum esse extensum in ordine ad locum : cum igitur Christus in hoc sacramento non sit extensus in ordine ad locum; consequens est Christum in hoc sacramento non posse pati ab aliquo agente corporeo. Quæ omnia magis declarantur, et fulciuntur habendo præ oculis doctrinam in superioribus traditam, nempe corpus Christi in hoc sacramento habere esse non quidem per modum quantitatis, vel alterius accidentis, sed solum per modum substantiæ, non quidem existentis divisibiliter, sed indivisibiliter : ex qua radice provenit, quod sit totum sub omnibus partibus, atque indivisibilibus specierum. Nam qua ratione corpus Christi in hoc sacramento est per modum substantiæ; nequit ullam actionem naturaliter exercere: quippe substantia non est immediate operativa, ut cum communi Thomistarum sententia ostendunt N. Complut. abbrev. in lib. *Physic.* disp. 10, quæst. 2. Et qua parte est modo indivisibili, nullum corpus potest naturaliter in ipsum agere

D. Tho. Capreol. Palud. Soto. Ledesm. Nugnus. Arauxo, Prado. Gonet. Scotus. Richard. Vazq. Ratio ex D. Tho.

sicut nec agere valet in substantiam spiritualem. Et consequenter Christus in sacramento nec agere potest naturaliter in corpus, nec ab ullo corpore pati.

§ II.

Refertur sententia contraria.

Ochan. Major. Aliacen. Gabriel. 62. Ochan in 4, dist. 10, quæst. 5, Major ibidem quæst. 5, Petrus de Aliaco quæst. 5, art. 3, Gabriel lect. 45, in canone Missæ, et alii sentiunt Christum in sacramento constitutum posse eadem agere, et pati actione corporea, quæ posset, si esset in loco circumscriptive, supposita debita distantia inter agens, et passum. Quod autem de facto non ita per se loquendo contingat, in illud caput extrinsecum revocant, quod Deus actionem causarum naturalium in hoc mysterio suspendit : sic enim statuit propter ipsius mysterii occultationem, ne scilicet sensibus pateret, sed fides nostra circa illud exerceretur. Unde concedunt nullum dari impedimentum ex parte modi, quem Christus habet. Cui sententiæ quantum ad actionem Christi in aliud corpus sibi debite applicatum subscribunt etiam Coninkus in præs. art. 6, dub. 2, Amicus disp. 20, sect. 2, Martinon disp. 32, sect. 4, Præpositus in hoc art. 6, dub. 2, Caspensis disput. 5, sect. 4, et alii ex Recentioribus. Et in eandem sententiam multum inclinat Suarez disp. 35, sect. 2. Quam probant primo : nam quando duo agentia sunt de se activa in alterutrum, potest unum in aliud agere, si constituantur in debita distantia, licet non habeant eundem modum essendi: sed corpus Christi, et aliud corpus sunt de se activa in alterutrum, ut patet antecendenter ad consecrationem : et alias possunt constitui in debita distantia, ut si aliud corpus attingat hostiam consecratam : ergo quod corpus Christi in sacramento habeat diversum modum essendi, ac alia corpora, videlicet non quantitativum, sed indivisibilem, minime impedire potest, quod corpus Christi possit agere in alia corpora, et ad eisdem pati. Cætera constant. Et major suadetur exemplo animæ rationalis, quæ potest agere in corpus, non obstante quod nec in corpore habet modum essendi quantitativum, quem habet corpus.

(Coninc. Amicus. Martin. Præpos. Suarez. — Primum argumentum.)

Confirmatio 1. Confirmatur primo : quia actio, qua Christus in sacramento existens ageret in aliud corpus, esset formaliter transiens, et reciperetur in passo, atque ideo reciperetur ad modum ejus, nempe modo quantitativo, et extenso : ergo quod Christus in sacramento habeat modum non quantitativum, sed indivisibilem, nequit esse impedimentum ad agendum in aliud corpus. Probatur consequentia : quia non oportet actionem sequi modum agentis, sed modum passi, in quo recipitur : et consequenter ab agente spirituali, vel habente modum indivisibilem prodire valet actio divisibilis, et extensa. Confirmatur secundo : quia modus essendi accidentalis principio activo nequit impedire ejus actionem : sed quod aliquid sit, vel non sit in loco, et quod valeat, aut non valeat contingere passum, est accidentale principio activo ; ergo non potest ejus actionem impedire : et consequenter Christum esse in sacramento non sicut in loco, et quod ibidem attingere, aut attingi non valeat ; non potest, nec debet impedire, quod Christus ibi agere possit in corpus, vel pati a corpore, si debite approximentur. Confirmatur tertio : quia idem potest agere in se ipsum actione corporea, ut patet in aqua reducente se ad propriam, et pristinam frigiditatem, si post calefactionem suæ naturæ relinquatur: sed idem respectu sui non habet propinquitatem, aut distantiam localem, nec ullum contactum physicum : ergo hæc necessaria non sunt ad agendum actione corporea : et tamen ex hoc tantum capite corpus Christi in sacramento existens impediretur agere in aliud corpus.

(Confirmatio 2. — Confirmatio 3.)

Satisfit argumento. 63. Sed hæc parum urgent. Et quod Nominales dicunt corpus Christi in sacramento acturum re ipsa actione corporea, si non impediretur a Deo, est merum commentum nulli fundamento innixum : quia ipsi nulla experientia (unde vera philosophia oritur), ostendere possunt, quod corpus sine quantitate, aut sine modo quantitativo agat : e contra vero omnibus experimentis compertum est corpora non aliter in alterutrum agere, quam se tangendo ; ad quod necessaria est quantitativa utriusque præsentia. Et in hoc sensu respondetur ad argumentum negando majorem : tum quia si unum corpus non habet modum essendi quantitativum, nequit habere contactum ad aliud : tum quia excluso illo modo, non potest habere distantiam, vel proximitatem

proximitatem respectu illius, cum non habeat esse in loco : quare in ordine ad convenientem approximationem perinde comparatur, ac si in rerum natura non esset. Majoris autem probatio nihil valet : quia anima rationalis nullo modo agit in corpus, quod informat. Agit autem in alia corpora, sed tamen mediante corpore habente modum quantitativum, cui subest ipsa anima tanquam forma corporea ut *quo*, licet entitative, et in se sit spiritualis.

Dissolvuntur confirmationes. Ad primam confirmationem respondemus ita quidem fore, quod si Christus in sacramento existens ageret in aliud corpus, ageret utique actione corporea, et extensa : sicut Angelus, si agit in corpora actione formaliter transeunti, agit profecto actione entitative corporea, et proportionata passo. Sed quia corpus nequit naturaliter agere, nisi dependenter a contactu, et in præsentia locati, sicut a conditione : et Christus prout in sacramento nihil horum habet; propterea Christus in sacramento nequit juxta modum, quem in sacramento habet, agere in aliud corpus. Et vanum est revocare difficultatem ad conditionem actionis corporeæ, quam non negamus. Et eodem modo diluitur secunda confirmatio : nam licet esse, aut non esse in loco accidat corpori Christi considerato in esse entis : est nihilominus conditio essentialiter requisita, ut possit naturaliter agere in aliud corpus, vel ab eo pati : quare ex suppositione, quod in sacramento non habet modum essendi in loco; sequitur ipsum in sacramento non posse exercere actionem in aliud corpus, nec illam terminare. Ad ultimam negamus majorem : quia idem secundum idem non potest agere in se ipsum, sed solum secundum diversas partes, ut communiter tradunt Philosophi, et docent N. Complut. abbreviati in lib. *Physic.* disput... quæst... Partes autem inter se comparatæ possunt habere tam proximitatem, et distantiam secundum locum, quam verum contactum. Porro exemplum aquæ se reducentis ad pristinam frigiditatem non probat oppositum : nam sicut frigiditas a principio non producitur per actionem aquæ, sed per actionem generantis terminatæ primario ad aquam, ex qua per naturalem dimanationem resultant frigiditas, et aliæ proprietates; sic etiam contingit, cum postea eadem frigiditas adest, seclusis impedimentis : fit enim ea resultatio in virtute præcedentis generationis, ut cum communi Thomistarum sententia docent relati Patres *in Physic.* disp. 10, quæst. 5.

64. Arguitur secundo, quia plus est Christum in hoc sacramento posse mori, quam Christum in hoc sacramento posse pati ab alio corpore extrinseco; siquidem mors est passio consummata, et terminus in facto esse passionis : sed Christus existens in hoc sacramento potest mori : ergo et pati a corpore extrinseco. Probatur minor: nam si tempore passionis, et mortis Christi conservaretur aliqua hostia consecrata, quando Christus moriebatur in cruce, moreretur etiam in tali hostia, seu sacramento, ut expresse resolvit D. Thomas infra quæst. 81, art. 4 : ergo Christus prout existens in hoc sacramento potest mori. — Secundum argumentum.

Solutio. Respondetur omittendo majorem, et distinguendo minorem : quæ si intelligatur de morte ab extrinseco illata Christo prout existenti in hoc sacramento, negari debet: quia cum ibidem existat modo inextenso, atque indivisibili, nulli agenti extrinseco, et corpori subditur, a quo sibi mors, vel ulla passio inferatur. Sed concedenda est de morte Christo illata in propria specie : cum enim idem numero sit corpus Christi in specie propria, et sub specie sacramenti; et implicet idem numero corpus esse simul vivum, et mortuum : propterea si Christus in propria specie moreretur, consequenter etiam sub specie sacramenti vitam amitteret : sicut etiam plura Christo in sacramento conveniunt, non ex vi sacramenti, sed per naturalem concomitantiam, quam ejus partes, et accidentia habent in ipso existenti in propria specie. Et hoc ultimum, non autem illud primum (quod tamen requirebatur ad evertendum nostram assertionem), docet D. Thomas loco cit. ut constat ex corp. art. ubi ait : « Corpus Christi idem in substantia est in hoc sacramento, et in propria specie: sed non eodem modo. Nam in propria specie contingit circumstantia corpora per proprias dimensiones : non autem prout est in hoc sacramento, ut supra dictum est » (nempe in præs. quæst. art. 4, cum sequentibus). « Et ideo quidquid pertinet ad Christum, secundum quod in se est, potest attribui et in propria specie, et in sacramento — D. Tho.

« existenti : sicut vivere, mori, dolere, « animatum, vel inanimatum esse, et cæ- « tera hujusmodi. Quæcumque vero con- « veniunt ei per comparationem ad cor- « pora extrinseca, possunt ei attribui in « propria specie existente ; non autem « prout est in sacramento : sicut irrideri, « conspui, crucifigi, flagellari, et cætera « hujusmodi. » Et cum sibi opposuisset : « Mors Christi accidit per ejus passionem : « sed Christus impassibili modo est in hoc « sacramento : ergo si hoc sacramentum « servatum fuisset in triduo, licet Christus « in se sustinuisset mortem, non morere- « tur in sacramento, » respondit : « Ad « primum dicendum, quod passio convenit « corpori passo per comparationem ad « agens extrinsecum. Et ideo Christus « secundum quod est sub hoc sacramento, « pati non potest, potest tamen mori. » Quare neganda est argumenti consequentia. Et disparitas inter mortem, et passionem constat ex dictis.

Tertium argumentum.

65. Arguitur tertio : nam si Christus in sacramento non posset agere ad extra actione corporea, pariter nec posset agere ad intra per operationes immanentes suorum sensuum ; atque ideo prout in sacramento existens non solum non posset elicere sensationes sensuum externorum, v. g. videndo, vel audiendo ; verum nec sensuum internorum, utputa imaginationis, et memoriæ : consequens est absurdum : ergo et antecedens. Sequela ostenditur : nam ideo dicimus Christum in sacramento existentem non posse agere actione corporea ad extra, quia in sacramento existens non habet modum essendi divisibilem, et extensum, qui ad agendum actione corporea requiritur : sed hæc eadem ratio militat in operationibus immanentibus sensuum tam externorum, quam internorum ; siquidem tales operationes sunt etiam corporeæ, et subinde extensæ, et divisibiles, petuntque naturaliter procedere ab agente ita disposito : ergo ex præmissis principiis sequitur Christum prout in sacramento existentem nullas posse elicere sensationes. Falsitas autem consequentis probatur : nam eo admisso, ulterius sequitur Christum in sacramento esse velut mortuum : sequitur etiam, quod ibi non possit naturaliter intelligere; quippe cum non valeat sentire, atque ideo nec intelligere dependenter a sensibus : quæ omnia esse absurda satis ex se liquet.

Responsio.

Respondetur juxta præmissam in dubii limine observationem, dupliciter intelligi posse, quod Christus in sacramento existens eliciat sensationes externas, vel internas. Primo connaturaliter ad modum, quem ibidem habet, ita ut non sit necessarium novum miraculum, ut Christus in sacramento existens sentiat. Secundo quod præternaturaliter, aut supernaturaliter ex vi novæ providentiæ miraculosæ operationes sensuum eliciat. Igitur in priori sensu omnes Auctores relati num. 62 sentiunt Christum in Eucharistia elicere sensationes. Quibus addendi sunt Henriquez lib. 8, cap. 27, § 6, Gaspar Hurtado disput. 6, difficult. 4, Pasqualigus disp. 105, sect. 6, concl. 3, et alii sentientes, quod licet Christus in sacramento existens nequeat de novo acquirere species sensibiles, nihilominus potest uti speciebus sensuum internorum alias, sive independenter a modo præsentiæ sacramentalis, comparatis. Idque probant tum motivo in argumento proposito. Tum quia ut quis agat in se immanenter, nulla indiget extensione locali, cum sibi sit per identitatem præsens. Tum denique quia sensationes non debent dici accidentia materialia, vel naturalia, sed intentionalia, et possunt existere modo indivisibili, sicut et subjectum, a quo eliciuntur.

Aliquorum placitum. Henriq. Hurtad. Pasqual.

Melior resolutio.

Cæterum in prædicto sensu concedenda est sequela, nempe Christum secundum modum, quo existit in sacramento, non posse connaturaliter, sive absque novo miraculo elicere operationes sensuum externorum, vel internorum, Ita sentiunt Auctores num. 61 relati, et merito : quoniam omnis operatio cujuscumque sensus est accidens corporeum, et divisibile : ergo petit connaturaliter elici ab agente divisibili, et extenso, atque in eodem divisibliter recipi: sed Christus in sacramento existit modo inextenso, et indivisibili: erga nulla operatio sensibilis potest connaturaliter, sive absque novo miraculo elici a Christo ut existente in sacramento. Motiva autem pro contraria sententia sunt satis levia. Nam ad improbationem sequelæ respondetur, quod sicut non est inconveniens Christum in sacramento existentem non habere sensationem tactus (quippe manifestum est non posse aliud corpus attingere), cum tamen sensatio tactus sit omnium prima, et quasi cæterarum fundamentum : nihil continet

continet absurdi, quod dicamus nullam posse elicere sensationem. Nec inde sequitur Christum in hoc sacramento existere mortuo modo : nam licet prout ibidem existens non eliciat actus sensationum; nihilominus ibidem existens habet illas sensationes (præsertim non dependentes a loco extrinseco), quas elicit existens in propria specie. Et quamvis prout ibidem non intelligat per conversionem ad phantasmata; tamen ibidem habet actualem intellectionem et visionis beatificæ, et scientiæ per se infusæ, et scientiæ naturalis. Unde nihil refert, quod prout ibidem eliciat operationes sensuum. Et si horum exercitium aliquid referret ; adesset utique non quidem connaturaliter juxta modum essendi, quem Christus habet; sed ex alia providentia disponente supra conditionem prædicti modi : de quo statim dicemus. Ad secundum aliud motivum, quod addunt alii Auctores respondetur ad operationes sensuum non solum requiri indistantiam, sive præsentiam, sed extensionem localem tam sentientis, quam potentiarum, seu sensuum; aliter enim sensatio, quæ est actio corporea, nequit naturaliter elici, nec naturaliter recipi: idem enim est suppositum agens, et recipiens respectu istarum, et aliarum operationum vitalium. Ad ultimum dicendum est nullam esse oppositionem in eo, quod accidens sit intentionale, et simul sit spirituale, aut corporeum. Unde sicut omnis intellectio ita est operatio intentionalis, quod simul est accidens spirituale; ita etiam omnis sensatio ita est operatio intentionalis, quod simul est accidens corporeum: atque ideo petit naturaliter subjectum extensum localiter, ut connaturaliter recipiatur.

Aliquorum in alio sensu opinio.

66. Major posset esse difficultas in secundo sensu ex præmissis, an scilicet Christus in hoc sacramento existens eliciat de facto saltem miraculose, et juxta providentiam extraordinariam operationes sensuum? Et ex Thomistis affirmant Serra in præs. quæst. art, 7, et Gonet disp. 5, art. 4, num. 75, ex aliis vero omnes Recentiores relat. n. 62. Et Suarez disp. 53, sect. 3, concl. 2, dicit id non esse improbabile. Unde omnes in eo conveniunt, quod Christus in sacramento existens videt de facto oculis corporalibus objecta propinqua. Idque probant primo, quia non implicat contradictionem. Secundo, quia Christus in sacramento nobiscum quasi corporaliter habitat: unde oportet, quod ibidem existens nos videat, et habeat nobiscum aliquale commercium, juxta illud Sponsæ Cant. 2. *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Et contrarius dicendi modus constituit Christum quasi mortuum in hoc sacramento. Tertio quia Christus in cœlo existens videt oculis corporalibus nos, et alia, quæ sunt in terra : ergo per eandem visionem, quam per concomitantiam habet in sacramento, potest nos videre. Quarto, quia beati visione corporea vident Christum existentem in sacramento, non obstante, quod ibidem sit modo inextenso, atque indivisibili : ergo pariter non obstante prædicto existendi modo, Christus in sacramento existens videt sensibiliter alia objecta.

Serra. Gonet. Suarez. Cantic. 2.

Probabilior resolutio.

Sed vel permisso, quod non implicet Christum secundum modum, quem habet in sacramento, corporaliter videre, longe probabiliorem censemus contrariam sententiam: quam præter Auctores supra relatos, qui magis in generali loquuntur, docent specialiter Aversa quæstione 4, sectione 6, concl. 3, et Prado ubi supra num. 21. Fundamentum unicum, sed sufficiens est : nam cum Christum prout in sacramento videre corporaliter, sit novum miraculum, et supra naturalem exigentiam modi, quo in sacramento existit, non potest rationabiliter asseri absque revelatione divina, vel urgenti aliquo motivo : nihil autem horum occurrit : ergo concedendum non est Christum prout in sacramento existentem videre de facto oculis corporalibus. Minor probatur : quia nulla datur circa hoc divina revelatio : et motiva contraria sunt valde levia, ut singulis occurrendo constabit. Ad primum respondetur, quod pro asserendo aliquo miraculo non sufficit carentia implicationis ex parte facti: alias omnia non repugnantia de facto existerent, quod est ridiculum. Sed cum miraculum dependeat ex sola, ac libera Dei voluntate supra exigentias causarum debet talis voluntas nobis innotescere vel per revelationem, vel ipso effectu, vel alio urgenti fundamento ; et nihil horum in præsenti occurrit. Ad secundum dicendum, quod sicut ad hoc, quod Christus in sacramento nobiscum velut corporaliter habitet, non requiritur, quod nos videamus corporaliter Christum in sacramento:

Aversa. Prado.

sic etiam non requiritur, quod Christus prout ibi existens nos corporaliter videat: et commercium nostrum cum Christo in sacramento non est sensibile, sed per fidem. Nec inde sequitur Christum in sacramento esse quasi mortuo modo: habet enim vel ibi existens plures operationes vitales, ut diximus num. præced. Ad tertium omisso antecedenti, omittimus etiam consequentiam, quæ non est de re præsenti: nam permisso, quod Christus in propria specie videat corporaliter omnia, quæ sunt in mundo,(quod non esse verum constat ex dictis tractatu 9. disput. 5, dub. 3, num. 61), et quod hanc visionem habeat per concomitantiam in sacramento; non inde sequitur, quod secundum modum, quem in sacramento habet, eliciat visionem corporalem, et videat nos: sicut etiam in sacramento existens posset mori morte, quæ ipsi induceretur in propria specie existenti, non autem morte eidem inflicta prout in sacramento, ut explicuimus num. 64. Et in hoc motivo elucet inconsequentia Adversariorum, qui cum fateantur Christum prout in sacramento non videre corporaliter nisi objecta propinqua; probant ipsum videre corporaliter, quia habet per concomitantiam visionem corporalem, qua in cœlo existens cuncta videt. Ad quartum constabit ex immediate dicendis, et præsertim num. 70.

DUBIUM VI.

Utrum Christus prout existens in sacramento, possit videri oculis corporeis?

Dupliciter potest intelligi, quod Christus prout existens in sacramento terminet visionem corpoream: primo reduplicative, ita quod ipse modus præsentiæ sacramentalis videatur: secundo specificative, ita quod res visa non sit ipse modus præsentiæ, sed Christus existens cum illo modo. Præsens ergo difficultas procedit in hoc secundo sensu. Quid autem tenendum sit juxta primum, incidenter explicabimus.

Suppositio. Supponunt vero communiter Theologi contra aliquos Nominalium oculum corporeum non posse naturaliter, et citra miraculosam elevationem, aut dispositionem videre Christum in sacramento. Et quidem merito: nam hanc partem satis evincunt, quæ dub. præced. contra eosdem Nominales expendimus. Manifestum est enim extensionem localem objecti esse adminus conditionem naturaliter requisitam, ut objectum possit videri, aliter namque minime valet vel sui speciem dffundere, vel potentiam visivam intentionaliter immutare. Christus autem in hoc sacramento non habet extensionem in ordine ad locum, sed existit modo indivisibili. Quare fieri nequit, quod Christus in hoc sacramento existens videatur naturaliter visione corporea.

67. Et hanc adminus suppositionem docet, et optime probat D. Thom, in hac quæst. art. 7, ubi ait: « Duplex est oculus, « scilicet corporalis proprie dictus, et intel- « lectualis, qui per similitudinem dicitur. « A nullo autem oculo corporali corpus « Christi potest videri, prout est in hoc « sacramento. Primo quidem, quia corpus « visibile per sua accidentia immutat me- « dium. Accidentia autem corporis Christi « in hoc sacramento mediante substantia: « ita scilicet, quod accidentia corporis « Christi non habent immediatam habi- « tudinem neque ad hoc sacramentum, « neque ad corpora, quæ ipsum circum- « stant. Et ideo non possunt immutare « medium ut sic ab aliquo corporali oculo « videri possint. Secundo, quia sicut supra « dictum est, corpus Christi est in hoc « sacramento per modum substantiæ. Subs- « tantia autem in quantum hujusmodi non « est visibilis visione corporali, neque sub- « jacet alicui sensui, sed neque imagina- « tioni; sed soli intellectui, cujus objectum « est quidquid est, ut dicitur in 3, de « anima. Et ideo proprie loquendo corpus « Christi secundum modum essendi, quod « habet in hoc sacramento, neque sensu, « nec imaginatione perceptibile est, sed solo « intellectu, qui dicitur oculus spiritualis.» Probatur ex Divo Thoma.

Quam doctrinam desumpsit, ut solet, Angelicus Doctor ex D. Augustino, et aliis Patribus ipso antiquioribus, qui in præmisso sensu carnem et substantiam Christi prout in hoc sacramento invisibilem appellant, nempe saltem naturaliter, et quantum exigit modus existentiæ illius. Unde S. Algerus lib. 1, *de sacram. altaris* cap. 5, inquit: « Substantiam illam invisi- « bilem, quæ ipso sacramento operta est, « vere, et proprie dici, et esse corpus Chris- « ti testatur Augustinus in lib. senten- « tiarum Prosperi, dicens sacrificium Eccle- siæ D.Alger.

« siæ duobus constare, visibili elementorum « specie, et invisibili Domini nostri Jesu « Christi carne.» Quod ipse Algerus approbat. Et eandem sententiam proponit Lanfrancus in lib. *de sacramento Euchar.* ubi ait : « Hoc modis omnibus approbare con« tendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus « constare, visibili elementorum specie, « et invisibili Domini nostri Jesu Christi « carne, et sanguine. » Denique Guitmundus lib. 1 *de veritate Eucharistiæ*, ait : Do« minus noster Jesus Christus sacramenta « hæc mysterium fidei appellavit. Ut quid « fidei, nisi quod hac non carnis oculo, sed « intuitu fidei convenit contemplari ? » Et similia habet Paschasius lib. *de corp. et sang. Domini*, cap. 13. Et hæc transcripserunt hi Doctores ex aliis Patribus agentes luculenter, et ex professo de veritate, et proprietatibus hujus mysterii contra errores Berengarii: quæ magnam habuerunt Ecclesiæ approbationem, et sunt proinde insignis auctoritatis.

Lanfrancus. Guitmund. Paschasius.

Objectio. Nec huic doctrinæ refragantur alii Patres, cum dicunt corpus Christi in hoc sacramento videri, ut cum D. Chrysostomus hom. 83, *in Matth.* asseruit : *Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis.* Et S. P. N. Cyrillus lib. 12, *in Joan.* cap. 58, dixit : « Vi« sibiliter apparet in corpore : præbet « enim nobis suam carnem tangendam. » Et D. Gregorius relatus in cap. *Quid sit sanguis de consecrat.* dist. 2, docuit : « cor« pus Christi Domini ante oculos sacerdo« tum in altari videri. » Quin Nicolaus Papa, et Concilium Romanum contra Berengarium statuerunt « corpus Christi Do« mini vere, et sensualiter manibus sacer« dotum tractari. » Non, inquam, opponuntur hi Patres, sed facile, et convenienter explicantur. Primo de visione indirecta, et per accidens, quatenus visis speciebus sacramentalibus, statim excitatur intellectus, ut Christum ibi latentem cognoscat oculo fidei. Sicut etiam oculi Beatorum dicuntur videre incorporalia, ut loquitur D. Augustin. lib. 22, *de civit.* cap. 29. Quod tamen recte explicat D. Thom. 1 part. quæst. 12, art. 3 ad 2, his verbis : « Ex quo patet, « quod hoc modo intelligit oculos glorifi« catos Deum visuros, sicut nunc oculi « nostri vident alicujus vitam. Vita autem « non videtur oculo corporali sicut per se « visibilia, sed sicut sensibile per accidens: « quod quidem a sensu non cognoscitur, « sed statim cum sensu ab aliqua virtute « cognoscitiva. Quod autem statim visis « corporibus, divina præsentia ex eis cog« noscatur per intellectum, ex duobus con« tingit, scilicet ex perspicuitate intellec« tus, et ex refulgentia divinæ claritatis in « corporibus innovatis. » Et sic contingit in præsenti, quod fideles propter præhabitam hujus mysterii fidem, videndo species intelligunt ibi esse Christum. Secundo, et adhuc facilius explicantur de visione mediata, et per aliud, sicut Genesis 32 dicitur Jacob vidisse *Deum facie ad faciem*, et Joan. 20, dicitur, quod mulieres in die resurrectionis *Angelos viderunt.* Quod verificatur, non quia viderint Deum, vel Angelos immediate, atque in propria specie : id enim est simpliciter impossibile ; cum Deus, et Angeli sint simpliciter extra commensurationem essentialem sensuum : sed quia viderunt corpora assumpta a Deo, et Angelis ; sive, et in idem recidit, quod viderint ea objecta non in se, sed in corporibus assumptis. Ad eum itaque modum Christus in Eucharistia dicitur videri, tangi, aut sensibus aliis percipi ; non quia sensus ullus illum immediate attingat, sed quia percipit accidentia sensibilia, sub quibus ipse latet. Præmisso itaque, quid contingat juxta naturas rerum, et citra miraculum, ulterius videre oportet, quid fieri possit per potentiam Dei absolutam ?

D. Chrys. C. Cyrll. D. Greg. Concilium Romanum. Dispellitur. D. Aug. D. Tho. Genes. 32. Joan. 20.

§ I.

Defenditur communior inter Thomistas opinio.

68. Dicendum est non implicare quod oculus corporeus videat Christum existentem in sacramento : ita quidem, quod licet Christus alibi non existeret, quam in Eucharistia, adhuc tamen posset videri visione corporea. Sic docet D. Thomas locis statim referendis. Unde hæc opinio est longe communior, quam opposita, non solum inter alios Theologos, sed etiam inter Thomistas : illam namque amplectuntur Sotus in 4, dist. 10, quæst. 1, art. 7, Martinus de Ledesma 1 part. Quarti quæst. 17, artic. 7, concl. 5, Nugnus in præsenti art. 7, difficult. 1, concl. 1 et 2, Cornejo in eodem art. ante dub. 1, Serra ibidem. Prado dub. 13, num. 24, Sylvius art. 7, Gonet disp. 5, art. 4, num. 82, Contenson dissert.

Conclusio. D. Tho. Sotus. Ledesm. Nugnus. Cornej. Serra. Prado. Sylvius. Gonet. Contens.

2, cap. 2, quæstio. 5, et alii. Cum quibus etiam sentiunt Alensis 4 part. quæst. 10, membro 7, art. 3, § ultimo, Scotus in 4, dist. 10, quæst. 9, § Ad quæstionem, Marsilius ibidem, quæst. 7, Ægidius, Henricus et Petrus, quos refert, et sequitur Carthusianus dist. 10, quæst. 4, § *Denique circa ista*, Valentia quæst. 4, punct. 5, Vasquez disp. 101, cap. 2, Granados tract. 6, disp. 4, sect. 2. Aversa quæst. 4, sect. 7, concl. 2, Fagundez in tertium Ecclesiæ præceptum, lib. 5, cap. 6, Wigens in præs. articulo 7, Arriaga disp. 37, sect. 6, et alii plures.

Alensis. Scotus. Marsil. Carthus. Valent. Vazq. Lugo. Granad. Aversa. Fagund. Wigens. Arriaga.

D. Tho. pro assertione. Probatur primo ex D. Thoma, qui nostram assertionem docuit in 4, dist. 10, quæst. 1, art. 4, quæst. 1 ad 1 et 2. Nec illam retractavit in præs. (ut quidam falso dicunt,) art. 7, sed magis illam satis evidenter statuit : nam cum opposuisset, quod corpora beatorum sunt similia corpori glorioso Christi : sed oculus corporalis Christi videt Christum in sacramento : ergo beati vident Christum in sacramento visione corporea ; respondit : « Ad secundum dicendum, quod oculus corporalis Christi videt se ipsum sub sacramento existentem : non tamen potest videre ipsum modum essendi, quo est sub sacramento, quod pertinet ad solum intellectum. Nec tamen est simile de alio oculo glorioso : quia etiam ipse oculus Christi est sub hoc sacramento : in quo non conformatur alius oculus gloriosus. » Hæc S. Doctor, in quibus evidenter asseruit illam propositionem : « Oculus corporalis Christi videt se ipsum sub sacramento existentem. » Nulla itaque ex sententia D. Thomæ est implicatio in eo, quod oculus corporalis Christi videat se, et subinde Christum existentem in sacramento. Cum igitur oculi corporales aliorum hominum sint ejusdem rationis ; minime repugnat, quod ex divina virtute eleventur ad videndum prædictum objectum. Quod vero illud de facto non videant, provenit ex alia radice : sicut et quod oculus corporalis Christi sit in sacramento, quod aliorum oculi non habent.

Duplex evasio. 69. Duplici via conati sunt Adversarii elevare vires hujus testimonii. Nam in primis Capreolus infra referendus dixit non esse ita legendum, sed hoc modo : « Oculus Christi videt se ipsum sub sacramento existentem quantum pertinet ad intellectum. » Unde non sequitur ex sententia D. Thomæ Christum videre se ipsum visione corporea, sed spirituali, sive intellectuali. Deinde Suarez, et quidam alii dicunt ly *sub sacramento* non esse conjungendum cum objecto visionis significato per ly *se ipsum*, sed cum oculo vidente, ut sensus sit, Oculus Christi existens sub sacramento videt se ipsum absolute, non quidem ut existentem in sacramento, sed ut existentem in propria specie : quia videlicet Christus in sacramento existens retinet visionem, quam elicit in cœlo, et qua se ipsum ibidem intuetur. Unde non sequitur, quod prout existens in sacramento eliciat visionem corporalem qua se videat.

Sed utraque responsio est insufficiens. Et quidem prima ex Capreolo destituitur omni fundamento : quia in omnibus editionibus emendatis, ut in Romana, Coloniensi, Lugdunensi, et Antverpiensi, quin et codice Parisiensi ipsi D. Thomæ coævo legitur, ut nos allegavimus. Unde stare oportet huic communi lectioni, et præsumendum est Capreolum incidisse in codicem mendosum. Ex quo forte provenit perdoctum hunc Thomistam tenuisse opinionem nobis contrariam ; quam minime tueretur, si videret tam clarum, et sincerum D. Thomæ testimonium. Secunda autem ex Suario caret fundamento, et textui repugnat. Tum quia si ly *sub sacramento* non est conjungendum cum prædicato, sed cum subjecto ; minime diceret D. Thomas : « Oculus corporalis Christi videt se ipsum sub sacramento existentem : » sed deberet dicere : « Oculus corporalis Christi videt se ipsum sub sacramento existens : » et tamen S. Doctor non ita scripsit, sed ut transcripsimus. Tum etiam quia si illa sententia faceret sensum juxta constructionem Suarii, nec esset ad propositum, nec ad intentionem D. Thomæ, qui non inquirit, utrum Christus alibi existens possit se videre, sed an Christus existens in sacramento videri valeat, ut liquet ex titulo articuli : « Utrum corpus Christi prout in hoc sacramento possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato? » Tum præterea, quia argumentum, cui S. Doctor occurrit, procedebat determinate de visione terminata ad Christum ut existentem in sacramento, sic enim se habebat : « Corpora beatorum sunt similia corpori Christi gloriosa : sed oculus Christi videt se ipsum,

Confutatur prima. *Evertitur secunda.*

« sum, prout est in hoc sacramento : ergo « pari ratione quilibet alius oculus glorificatus potest ipsum videre. » Ubi manifestum est argumentum procedere determinate ex eo, quod « oculus Christi videt se « ipsum, prout est in hoc sacramento ; » non autem ex eo, quod oculus Christi videat Christum in propria specie. Unde si responsio divertisset ad visionem Christi in propria specie, quæ solum per concomitantiam esset in sacramento ; divertisset plane ab scopo, et satis non fecisset difficultati propositæ. Tum deinde, quia manifestum est D. Thomam in ea responsione aliquid detulisse oculo corporeo Christi, quod negavit oculo corporeo aliorum beatorum: quæ differentia minime salvatur juxta expositionem Suarii : nam sicut Christus in propria specie videt se ipsum in propria specie ; sic etiam alii beati vident Christum in propria specie existentem : ergo plus aliquid voluit, asseruitque D. Thom. nempe oculum corporeum Christi videre ipsum in sacramento, secus autem oculum corporeum beatorum. Tum denique quia hanc ipsam sententiam, et sententiæ sensum satis expressit D. Thomas in aliis locis, cui a nobis propositus cohæret. Sic enim in 4 *ad Annibald.* dist. 10, quæst. 1, art. 4, ad 3, eandem difficultatem versans inquit : « Prout est ibi, forte « non videtur a se ipso modo corporali, « sed tantum spirituali. Vel potest dici, « quod non est simile de oculo Christi, qui « est intra speciem, et de oculo alieno, qui « est extra. »

Objectio. 70. Nec refert, si dicas, quod si D. Thomas eo loco intenderet Christum oculo corporeo videre se ipsum existentem in sacramento, secus autem alios beatos ; vana prorsus, atque inefficax foret ratio, quam hujus disparitatis insinuat illis verbis : « Oculus Christi est sub hoc sacramento, « in quo non conformatur ei alius oculus « gloriosus. » Nihil enim conferre potest, ut oculus corporeus videat Christum sub sacramento existentem, quod oculus sit, vel non sit sub sacramento. Quare si oculus Christi sub sacramento existens videt Christum in sacramento existentem ; pariter alius oculus, et præsertim gloriosus poterit idem objectum videre, licet ipse oculus videns sub sacramento non existat.

Solutio. Id, inquam, non refert, sed diluitur negando sequelam, aut potius suppositum consequentis : quia D. Thomas minime probavit Christum oculo corporeo videre se ipsum existentem in sacramento, quia ejus oculus habet etiam esse sub sacramento, ut immerito objectio supponit. Sed valde aliter se gessit in verbis relatis intendens præcise infringere vim argumenti : quod plane assecutus est. Intendebat namque argumentum probare beatos videre de facto (aut saltem posse videre juxta communes leges), Christum existentem in sacramento, quia « corpora gloriosa Sancto- « rum erunt configurata corpori claritatis « Christi, ut dicitur ad Philip. 3 ; » ergo si oculus corporeus Christi videt se ipsum in sacramento, oportet idem dici de oculo corporeo aliorum beatorum. Ad quod argumentum respondet D. Thom. non negando, quod oculus corporeus Christi videat se ipsum in sacramento ; sed negando, quod beati habeant in hoc conformitatem cum Christo. Idque confirmat immediate ex ipsa materia, quam versabat : quia sicut non obstante, quod « corpora sancto- « rum erunt configurata corpori claritatis « Christi » non oportet oculos beatorum esse sub sacramento, quod tamen habet oculus Christi : sic etiam non obstante illa in genere configuratione, aut similitudine non oportet, quod si Christus oculo corporeo videt se ipsum in sacramento existentem, cæteri etiam beati illum videant prædicto modo. Non itaque Divus Thomas meminit existentiæ Christi in sacramento, ut in ea fundaret, quod Christus se videt in sacramento visione corporea ; sed ut evidentius ostenderet non dari omnimodam similitudinem inter corpora Christi, et beatorum. Et hanc esse mentem S. Doctoris satis manifestant ipsa ejus verba valde perspicua : « Oculus corporalis Christi vi- « det se ipsum sub sacramento existentem. « Nec tamen est simile de alio oculo glo- « rioso : quia etiam ipse oculus Christi « est sub hoc sacramento : in quo non con- « formatur ei alius oculus gloriosus. » In quibus non proponitur ratio assertionis ; sed dispellitur intentata similitudo.

Unde sequitur, quod juxta mentem S. Doctoris duo in hac materia fateri oportet: primum non implicare, quod beati, et alii videant corporaliter Christum existentem in sacramento : secundum neminem præter Christum de facto, et juxta communem providentiam tam naturæ, quam gratiæ Aperitur amplius mens D. Tho.

ita Christum videre. Prius illud constat : nam cum oculus corporeus aliorum hominum, et oculus corporeus Christi sint ejusdem speciei, habeantque eandem commensurationem essentialem ad objecta ; non implicat oculum corporeum aliorum hominum elevari ad videndum objectum, quod oculus Christi videt : sed juxta D. Thomam « Oculus corporalis Christi videt « se ipsum sub sacramento existentem : » ergo non implicat aliorum hominum oculum elevari ad videndum corporaliter idem objectum. Posterius etiam liquet ex illis S. Doctoris verbis : « Nec ta« men est simile de alio oculo glorioso « etc. » in quibus negat aliis beatis, quod Christo proxime attribuerat. Ratio autem disparitatis assignatur a Soto loc. cit. quod Christus existens sub sacramento potest transmiterre sui speciem ad proprium oculum, non quidem per aliud medium, sed per proprium corpus : ut autem transmitteret eandem speciem ad oculum aliorum beatorum, indigeret medio extrinseco. Sed ratio est parum efficax : qui potest Deus talem speciem producere per se in oculis beatorum independenter ab alio medio extrinseco, in quo multiplicatur : et verosimilius est, quod illam de facto produxit prædicto modo in oculis Christi. Melius itaque potest ea differentiæ ratio constitui tum in singulari dignitate Christi, quæ postulat, ut vel miraculose elevetur ad videndum, quæ non implicat videri, si ad ipsum pertineant; atque ideo videt se ipsum in sacramento : hæc autem ratio non militat in aliis beatis. Tum in eo, quod sicut beati petunt videre intellectualiter pertinentia ad eorum statum, secus autem, quæ pertinent ad statum aliorum ; ita multo minus petunt videre corporaliter, quæ spectant ad alios, inter quæ computatur Christus ut existens in sacramento. Sed Christus ibi existens nequit non esse objectum pertinens ad se ipsum, ut ex terminis liquet : quare debet se videre omni modo cognitionis possibilis, atque ideo non solum oculo spirituali, sed et corporeo, si hoc ultimum non repugnat.

Cuidam objectioni satisfit.

Juxta quam doctrinam diluitur ultima probatio relicta num. 66, et ad hunc locum remissa, quæ ex eo, quod beati videant corporaliter Christum existentem in sacramento, tentabat evincere Christum existentem in sacramento videre corporaliter objecta extra se posita. Respondetur enim, quod sicut beati licet de potentia absoluta valeant Christum existentem in sacramento corporaliter videre ; non sequitur, quod illum de facto ita videant, ut proxime diximus : sic ex prædicto exemplo solum convincitur non implicare, quod Christus existens in sacramento videat corporaliter alia objecta extra se posita; minime vero, quod illa videat de facto.

Ratio fundamentalis.

71. Secundo probatur eadem assertio ratione jam insinuata : quia non implicat potentiam cognoscitivam elevari ad cognoscendum objectum, quod continetur intra latitudinem objecti specificativi, quamvis talis potentia sit de se, sive juxta modum, quem habet, improportionata, aut carens quantitate virtutis : sed Christus existens in sacramento est objectum contentum intra latitudinem objecti specificativi potentiæ visivæ corporalis : ergo non implicat, quod talis potentia virtute divina elevetur ad videndum Christum existentem in sacramento. Consequentia patet. Et major est certa, potestque exempli declarari, et confirmari : nam licet sol sit objectum improportionatum respectu potentiæ visivæ nostræ ; quia tamen continetur intra latitudinem objecti specificativi talis potentiæ : propterea non implicat potentiam visivam nostram elevari ad videndum solem. Deus etiam ut videndus in se ipso excedit proportionem, et naturales vires intelllectus creati : sed quia continetur intra latitudinem objecti specificativi intellectus creati, quod est ens in sua latitudine ; ideo non implicat intellectum creatum elevari ad videndum Deum in se ; et de facto ita elevatur. Ergo generaliter loquendo non implicat potentiam cognoscitivam elevari ad videndum objectum contentum intra sphæram objecti specificativi; licet tale objectum excedat proportionem, sive connaturales vires prædictæ potentiæ sibi relictæ. Minor denique probatur: quia objectum specificativum potentiæ visivæ corporalis est lucidum, seu coloratum : sed Christus existens in sacramento est objectum retinens proprias rationes lucis, et coloris, quas habet in propria specie : sicut enim retinet quantitatem, et alia accidentia absoluta, ut videbimus disp. seq. dub. 3, sic et ista : ergo Christus existens in sacramento est objectum contentum intra latitudinem objecti specificativi potentiæ visivæ corporalis.

Confirmatur

Confirmatio. Confirmatur primo evertendo communem Adversariorum responsionem : nam ideo implicaret Christum existentem in Eucharistia videri oculo corporali, quia in Eucharistia existens caret extensione in ordine ad locum, atque existit modo indivisibili : sed hæc ratio est nulla : ergo non implicat Christum existentem in Eucharistia videri visione corporali. Cætera constant. Et minor suadetur : quia extensio in ordine ad locum non constituit objectum specificativum potentiæ visivæ corporalis; sed est conditio naturaliter requisita, ut objectum transmittat sui speciem, et terminet hoc modo connaturaliter visionem. Deus autem potest supplere has conditiones naturaliter exactas. Sicut enim naturaliter loquendo necessaria est objecti extensio in ordine ad locum, sic etiam requiritur propinquitas, sive distantia conveniens secundum locum: et nihilominus hæc conditio suppleri valet utputa si Deus producat immediate speciem objecti visibilis independenter ab hujus influxu : quo pacto D. Stephanus existens in terra vidit visione corporali Christum existentem in cœlo. Ergo pari ratione potest Deus supplere conditionem naturaliter requisitam, quod objectum visibile habeat extensionem localem : atque ideo licet Christus in sacramento non habeat hujusmodi extensionem, potest de potentia absoluta corporaliter videri. Eo vel maxime, quod carentia conditionum, quæ nec directe, nec indirecte inducit carentiam objecti corporaliter visibilis, nequit impedire, quod objectum sit simpliciter visibile, et saltem ex virtute divina videri queat, ut ex ipsis terminis constat. Carentia autem extensionis in ordine ad locum nec directe, nec indirecte excludit a Christo in Eucharistia existente rationem objecti corporaliter visibilis. Quippe quodlibet corpus est visibile prædicto modo ratione lucis, et coloris : Christus autem in sacramento, licet in ordine ad locum non extensus, conservat colorem, et lucem in se, et consequenter rationem objecti corporaliter visibilis.

Alia confirmatio. Confirmatur secundo : nam ideo Christus in sacramento existens nequit naturaliter videri visione corporea, qui cum ibi existat modo indivisibili, et sine habitudine ad locum, nequit transmittere sui speciem per medium, et subinde potentiam visivam naturaliter immutare. Hoc autem motivum non probat per respectum ad divinam potentiam. Tum quia licet Christus in sacramento existens non immittat, aut immittere valeat sui speciem ad oculos. Deus tamen potest independenter ab illo objecti influxu producere speciem repræsentativam illius : in quo nulla occurrit implicatio, cum Deus efficere queat se solo, quæ facit per creaturas concurrentes in genere causæ efficientis. Tum quia etsi corpus Christi prout in sacramento nequeat virtute propria causare prædictam speciem; potest tamen divina virtute ita adjuvari, ut agat ultra exigentiam, et modum, quem habet, et talem speciem producat : sicut etiam divina virtute fieri potest, quod objectum virtute divina agat ultra sphæram activitatis naturalis, et speciem afferat ad quamcumque distantiam, quam Deus voluerit, ut diximus tractatu 9, disputatione 5, dubio 3, numero 61. Nulla itaque est implicatio in eo, quod corpus Christi in sacramento existens videatur oculis corporalibus. Quod magis constabit diluendo fundamenta contrariæ opinionis. Sed prius occurrit

§ II.

Alterius incidentis quæstionis resolutio.

72. Hactenus ostendere curavimus nullam esse implicationem in eo, quod Christus existens in sacramento specificative sumptus, et quasi præcisive a modo præsentiæ, quem habet, corporaliter videatur : idque ad absolutam propositi dubii decisionem sufficiebat. Sed ulterius investigare oportet, utrum corporaliter videri queat sumptus etiam reduplicative ut præsens in sacramento, aut secundum præsentiam sacramentalem, quam habet; ita ut ipsa præsentia sit res corporaliter visa. In qua difficultate Suarez infra referendus censet impossibile esse, quod oculus corporeus videat Christum existentem in sacramento, quin videat eo ipso modum præsentiæ sacramentalis. Quæ sententia, si vera esset, nos consequenter obligaret ad tuendum partem affirmativam in quæstione modo proposita : nam cum § præcedenti diximus oculum corporeum posse videre Christum in sacramento existentem, non possemus negare eam visionem debere extendi ad præsentiæ modum. Probat autem Suarez suam resolutionem : tum quia Suarii sententia.

visio attingens Christum existentem in sacramento attingit ipsum ut præsentem: sed nequit Christus videri ut præsens, quin videatur ejus præsentia : generaliter quippe verum est non posse videri aliquod concretum, nisi ejus forma videatur : ergo fieri non valet, quod oculus corporalis videat Christum existentem in sacramento, quin videat modum, quem habet præsentiæ sacramentalis. Tum etiam quia visio corporalis, cum sit cognitio intuitiva, videt objectum prout in se, et præscindere nequit ab eis, quæ in se habet : sed Christus in sacramento habet præsentiam sacramentalem : ergo fieri non valet, quod visio corporea attingat Christum in sacramento existentem, nisi simul attingat ipsum modum præsentiæ sacramentalis.

Refellitur. Sed prædicta doctrina nobis minime arridet, vel eo tantum titulo, quod evidenter contradicit D. Thomæ in testimonio supra relato : « Dicendum, *inquit*, quod « oculus corporalis Christi videt se ipsum « sub sacramento existentem : non tamen « potest videre ipsum modum essendi, quo « est sub sacramento : quod pertinet ad « solum intellectum. » Ubi manifestum est, quod eandem visionem corporalem, quam concedit respectu Christi existentis in sacramento, negat respectu modi essendi in sacramento : atque ideo nullam essentialem connexionem recognovit inter visionem Christi, et visionem modi, prout Auctor ille comminiscitur. Qui ulterius refellitur evertendo ejus fundamentum : nam stat bene duo esse in se conjuncta, et videri, atque attingi unum, alio non attacto : ergo ex eo, quod Christus in sacramento fiat præsens per specialem præsentiæ modum, et visio corporalis terminetur ad Christum in sacramento præsentem ; minime sequitur, quod etiam terminetur ad modum talis præsentiæ. Consequentia patet Et antecedens probatur inductive: nam licet sapor, et color conjungantur in pomo, et visio attingat colorem, minime propterea videt saporem. Videmus etiam albedinem inhærentem parieti: et tamen non videmus modum inhærentiæ. B. Virgo, et Apostoli viderunt oculis corporalibus Christum in terris, et videbant utique illum præsentem, et existentem, quin idcirco viderint ejus existentiam et subsistentiam. Ipse denique Christus, quando penetravit lapidem sepulchri videbat corporaliter se in loco lapidis, et concurrere cum illo : et tamen ex vi hujus non sequitur, quod eadem visione corporali viderit modum penetrationis, quo erat in loco. Hæc autem satis declarant optime stare, quod ex duobus inter se conjunctis videatur unum, non alio viso : declarant etiam motiva a Suario assumpta esse nullius ponderis. Quod vero ait concretum non posse videri, quin videatur forma ejus constitutiva; verum quidem apparet, ubi concretum videtur reduplicative ut concretum, et quantum ad effectum formalem talis formæ : sed falsum est, ubi videtur specificative illud, quod est concretum, non tamen quantum ad effectum formalem, ut patet in omnibus exemplis immediate propositis. Sic enim, ut cætera non repetamus, oculus corporeus videbat Christum in terris existentem, et nihilominus non videbat ejus existentiam : quia non videbat Christum reduplicative ut præsentem, sive ratione existentiæ ut rei formaliter visæ : sed videbat absolute eum, qui existebat. Et eadem ratione potest corporaliter videri Christus existens in sacramento, quin videatur modus præsentiæ : quia fieri valet, ut visio feratur in Christum non reduplicative ut præsentem, aut ratione præsentiæ, sed attingendo specificative Christum, qui adest in sacremento : idque absolute sufficit, ut oculus corporeus dicatur videre Christum in sacramento existentem.

73. Nec refert, si opponas ex hac doctrina sequi, quod potentia visiva corporalis sit abstractiva : consequens est falsum : ergo et antecedens. Sequela ostenditur : nam illa potentia cognoscitiva dicitur abstractiva, quæ ex rebus conjunctis unam cognoscit, non cognoscendo aliam, sed ab illa præscindendo : atqui juxta doctrinam præmissam ita se haberet oculus corporeus videns Christum existentem in sacramento, non videns præsentiæ modum ; siquidem ex his objectis, quæ in re conjunguntur, attingeret unum, et non aliud : sequitur ergo potentiam visivam corporalem esse abstractivam. Falsitas autem consequentis ostenditur : quia juxta communem doctrinam Philosophorum potentiæ corporales ; cum sint materiæ immersæ, et ad unum determinatæ, nequeunt abstrahere : id enim exposcit subtiliorem modum essendi, atque operandi. Objectio.

Id, inquam, nihil refert, sed procedit ex Diluitur.
sinistra

sinistra intelligentia abstractionis. Alia enim est abstractio proprie dicta, quæ exercetur positive, quando videlicet potentia est adeo subtilis, ut ex rebus conjunctis, et pertinentibus ad ejus objectum, attingit positive unam, præscindendo ab aliis : sicut contingit cum intellectus in aliquo objecto cognoscit gradum superiorem v. g. animalis, prætermittendo alios gradus, aut rationes inferiores, utputa quod sit homo, et hic homo Petrus ; licet omnes illæ rationes conjunctissimæ sint, et possint per intellectum attingi. Alia vero est abstractio improprie dicta, et quæ negative exercetur, ut contingit, quando ex rebus conjunctis una pertinet ad objectum potentiæ, non autem alia : unde quod potentia attingat unam rationem, et non attingat alteram, minime provenit ex perfectione, aut subtilitate potentiæ, sed magis ex ejus depressione, et materialitate : ab hac enim radice provenit, quod ad tot rationes nequeat se extendere : sicut contingit, quando visus percipit colorem pomi, non percipiendo ejus odorem, quia odor est extra latitudinem potentiæ visivæ. In hoc itaque sensu neganda est sequela intellecta de potentia abstractiva, et de abstractione proprie dictis : ad quas pertinet communis illa doctrina Philosophorum. Et ad sequelæ probationem constat potentiam visivam corporalem non ideo unum attingere, alio non attacto, quia positive præscindat; sed quia unum pertinet ad ejus objectum, non autem aliud ; vel quia habet speciem unius, et non alterius. Quo modo se haberet oculus corporeus videns Christum existentem in sacramento, et non videndo ejus præsentiam sacramentalem. Unde non sequitur, quod abstraheret proprie loquendo.

Præcipua difficultas. 74. An autem concedendum sit, quod sicut oculus corporeus potest videre Christum in sacramento existentem, ut supra statuimus, possit etiam videre modum, quo Christus ibi existit, uniturque, et præsens fit speciebus sacramentalibus ; non ita facile determinari valet : quia nec facile deprehendere valemus prædicti modi conditionem, ex qua probe cognita dependet exacta propositæ difficultatis resolutio. Sunt tamen, qui affirment, Alensis, Vazquez, Granados, et Lugo locis supra relatis, quorum sententiam probabilem appellat Prado dub. cit. num. 26. Quam possumus (omissis aliis levioribus motivis, et principiis omnino incertis) suadere in hunc modum : quia nulla potest esse implicatio in eo, quod oculus corporeus elevetur ad videndum prædictum præsentiæ modum, nisi quia talis modus est vel spiritualis, vel supernaturalis; seclusis enim talibus conditionibus, prædictus modus contineri valet intra sphæram objecti specificativi potentiæ visivæ, atque ideo terminare absolute unionem corporalem, sicut supra de corpore Christi existente in Eucharistia dicebamus. Quod autem ex neutro capite repugnet illum modum corporaliter videri, ostenditur. Nam in primis talis modus non est entitative spiritualis, sed corporeus : tum quia recipitur in corpore Christi : tum quia habet partes saltem in potentia, et aliquando dividitur, ut diximus supra num. 30. Deinde quamvis talis modus sit entitative, et simpliciter supernaturalis, ut statuimus num. 28, hoc tamen non impedit, quod videatur oculo corporeo, dummodo prædictus modus sit etiam corporeus : nam claritas corporis gloriosi est qualitas supernaturalis, ut constat ex dictis in tract *de Beatitudine* disp. 5, a num. 40, et nihilominus prædicta claritas potest videri oculo corporeo non solum glorificato, sed et non glorificato, ut docuimus eodem loco num. 22. Nullum itaque est caput, ut repugnet modum præsentiæ sacramentalis, quem Christus habet, oculo corporeo videri.

Aliquorum opinio.

Verior sententia. 75. Sed longe probabiliorem censemus oppositam opinionem asserentem implicare, quod prædictus modus videatur oculis corporeis. Ita Martinus de Ledesma, Nugnus, N. Cornejo, et alii ex relatis num. 68, quibus subscribit Prado loco cit. num. 27. Movemur præcipue auctoritate D. Thomæ, qui loco sæpius relato ait : « Dicendum, quod oculus corporalis Christi videt se ipsum sub sacramento existentem : non tamen potest videre ipsum modum essendi, quo est sub sacramento : quod pertinet ad solum intellectum. » Quo loco manifestum est S. Doctorem agere de visibilitate prædicti modi non solum secundum providentiam communem, sed etiam secundum potentiam Dei absolutam; siquidem in eodem sensu negat oculum corporeum Christi posse videre modum essendi sacramentalem, in quo concedit oculum corporeum Christi videre se ipsum : quod tamen non contingit juxta commu- D. Tho

nem providentiam (alias alii etiam beati viderent Christum existentem sub sacramento, quod ibi negat), sed per potentiam Dei absolutam, et per miraculum : sentit igitur, quod nec hoc posteriori modo fieri valet, quod oculus corporeus Christi videat modum essendi sacramentalem. Idque magis liquet ex verbis, quæ subjungit, « Quod pertinet ad solum intellectum : » nam quæ ad solum intellectum spectant, sunt extra latitudinem objecti specificativi sensus; atque ideo nec per visum corporeum, nec per alium sensum attingi valent : ergo si ex sententia Divi Thomæ, modus essendi sacramentaliter pertinet ad solum intellectum; sequitur ex ejus sententia implicare, quod talis modus oculo corporeo videatur.

Ratio autem hujus implicationis communiter a relatis Auctoribus assignatur, quod talis modus sit spiritualis, vel sit supernaturalis. Sed prædictum fundamentum subruitur ex dictis pro contraria opinione : nam certe prædictus modus corporeus est. Et quod sit supernaturalis, parum referre ostenditur exemplo claritatis corporis gloriosi : quæ cum supernaturalis sit, oculo tamen corporeo videtur, (quamvis nos loco cit. num. 41, non dixerimus eam claritatem esse supernaturalem entitative, et quoad speciem ; sed solum quantum ad modum, ut plane significare videtur D. Thom. in 4, dist. 44, quæst. 2, art. 4, quæstiunc. 2, ad 1, his verbis : « Claritas gloriæ erit alterius generis quantum « ad causam, sed non quantum ad speciem: « unde sicut claritas naturæ ratione suæ « speciei est proportionata visui, ita clari- « tas gloriosa). » Et profecto negare non valemus, quod probabile sit eam claritatem esse entitative supernaturalem, ut diximus loco cit. num. 40, cum tamen nemo neget eam corporaliter videri. Unde facile trahitur argumentum, ut modus existendi sacramentaliter sit corporaliter visibilis, quamvis supernaturalis sit.

D. Tho.

Legitimum resolutionis fundamentum.

Quare opus habemus ad aliud fundamentum recurrere, nullumque nobis apparet aptius, quam insinuatum a D. Thom. quod modus ille « pertinet ad solum intellectum. » Etenim plura sunt non solum spiritualia, sed etiam corporea, et non solum supernaturalia, sed etiam naturalia, quæ pertinent ad solum intellectum, et nequeunt cognitionem ullius sensus terminare : sed hujusmodi est modus existendi sacramentaliter, de quo agimus : ergo prædictus modus nequit videri oculo corporeo, sed solum potest cognosci per intellectum. Consequentia patet. Et major est certa : quoniam plurima sunt, quæ licet corporea, et naturalia, nullam tamen participant in se rationem motivam sensus, unde fit, ut percipi sensu nequeant. Sic plane relatio realis paternitatis, quam habet animal ad filium, et relatio realis similitudinis, quam habet unum album ad aliud, est aliquid corporeum, et naturale : et tamen sensibiliter non videtur, nec videri potest; quia non participat in se lucem, vel colorem, quæ sunt rationes formales constituendi objectum in esse sensibiliter visibilis. Similiter inhærentia accidentis ad substantiam est aliquid reale, corporeum, et naturale; quibus tamen rationibus nihil conducentibus, inhærentia accidentis nequit sensibiliter cognosci, ut experientia liquet. Idemque aliis exemplis potest facile demonstrari. Minor denique probatur : quoniam modus præsentiæ sacramentalis, quam Christus habet in Eucharistia, non consistit in alio, nisi in unione formali, quam corpus Christi habet ad sacramentales species, ut supra diximus num. 12, et 24 ; hæc autem unio non recipit in se colorem, vel lucem, quæ sunt rationes formales constituendi objectum proprium potentiæ visivæ corporalis : ergo prædictus præsentiæ modus non pertinet ad potentiam visivam corpoream, sed ad solum intellectum. Eo vel maxime, quod talis modus succedit saltem inadæquate loco unionis, quæ prius erat inter substantiam, et ejus accidentia; et sumpta ex parte substantiæ dicitur sustentatio, et sumpta ex parte accidentium appellatur inhærentia : manifestum autem est, quod talis unio non apparet visui corporali, sed solum cognoscitur per intellectum : ergo idem a fortiori dici debet de modo præsentiæ sacramentalis, qui loco illius unionis succedit. Accedit ulterius talem modum esse quendam ordinem, sive habitudinem ad species, non quidem per modum relationis prædicamentalis, et secundum esse, sed per modum relationis transcendentalis, et secundum dici : quæ vero ejusmodi sunt, non terminant visionem corpoream, ut inductive potest ostendi. Unde satis constat ad fundamentum opinionis contrariæ

Roboratur.

Satisfit motivo contrario.

riæ num. præc. propositum : non enim negamus prædictum modum esse corporaliter visibilem, quia sit spiritualis, vel quia sit supernaturalis : sed quia licet corporalis sit, et naturalis foret; nihilominus non participat proprias rationes constitutivas objecti corporaliter visibilis, quippe qui nec lucidus, nec coloratus in se est : sicut idem etiam contingit in pluribus accidentibus corporalibus, et naturalibus, ut explicuimus.

§ III.

Fit satis argumentis contrariæ opinionis.

76. Implicare, quod corpus Christi in sacramento existens videatur visione corporea, docent graves aliqui Thomistæ, Paludanus in 4, dist. 10, quæst. 4, art. 1, concl. 5, Capreolus ibidem quæst. 4, art. 3 ad 6, et 7, contra primam. Deza quæst. 1, art. 3, ad 6, et Aurauxo in præs. quæst. art. 7, in Comment. Idem etiam tuentur Durandus in 4, dist. 10, quæst. 4, Richardus ibidem art. 5, quæst. 2, Becanus cap. 19, quæst. 6, Gaspar Hurtado disp. 6, difficul. 5, Meratius disp. 26, sect. 5, Caspensis disp. 5, sect. 4, Pasqualigus disp. 10 sect. 7, et alii. Et hanc opinionem dicit Suarez disp. 53, sect 4, concl. 2, esse probabilem, et verisimiliorem. Quam ipse probat primo : quia Christus prout existens in sacramento nequit videri, quin simul modus existendi videatur : sed repugnat, quod visus corporeus videat prædictum modum, ut statuimus numero præced. ergo et quod videat Christum existentem in hoc sacramento.

Palud. Capreol. Deza. Arauxo. Durand. Richard. Becanus. Hurtad. Merat. Caspens. Pasqual. Suarez.

Solutio primi argumenti. Ad hoc tamen argumentum satis constat ex dictis num. 72 et 73, quibus addere opus non habemus.

Secundum argumentum. Arguitur secundo, et impugnatur specialiter fundamentum a nobis positum : nam ideo corpus Christi existens in sacramento esset simpliciter visibile visione corporea, quia existens in Eucharistia retinet colorem, atque ideo continetur intra latitudinem objecti specificativi potentiæ visivæ : sed hæc ratio est nulla : ergo Christus in sacramento existens nequit videri visione corporea. Probatur minor : quoniam licet Christus existens in sacramento retineat colorem, quantitatem, et alia accidentia; nihilominus est ibidem per modum substantiæ, ut sæpe in superioribus diximus : sed substantia non continetur intra objectum specificativum potentiæ visivæ corporalis, nec videri potest : ergo idem de corpore Christi prout existente in sacramento dicendum est.

Respondetur negando minorem : nam eo ipso, quod Christus in sacramento retineat colorem, nequit non retinere id, quod est a colore inseparabile, nempe esse visibile; sicut quia retinet quantitatem, retinet etiam illud, quod est inseparabile a quantitate, nempe esse extensum in ordine ad se : quippe non minus convenit colori constituere subjectum visibile, ac quantitati convenit constituere subjectum extensum in se. Ad minoris autem probationem respondetur, quod eatenus corpus Christi in sacramento dicitur habere esse per modum substantiæ, quatenus succedit loco substantiæ panis, et existit modo indivisibili ad instar illius, ut explicuimus dub. 4, non autem quia in omnibus comparetur per modum substantiæ. Certum namque est, quod in omnibus non ita se habet : tum quia substantia sub quantitate in qua continetur, non habet quantitatem aliam, et alia accidentia; corpus autem Christi sub quantitate panis, in qua continetur, habet propriam quantitatem, et accidentia : tum quia substantia non est immediate operativa; corpus vero Christi sub quantitate panis existens, posset immediate operari, ut in limine dubii præcedentis observavimus. Juxta quam doctrinam distinguendo majorem, et concedendo minorem, negamus absolute consequentiam : nam Christus in sacramento existit per modum substantiæ quantum ad modum indivisibilitatis, non vero quantum ad omnia, ut constat ex dictis. Unde ex eo, quod substantia nequeat videri visu corporali, non sequitur idem de corpore Christi existenti in sacramento dicendum esse. Diruitur.

77. Arguitur tertio : nam eatenus objectum est visibile, quatenus potest sui speciem diffundere, et transmittere ad potentiam visivam : sed Christus in sacramento existens nequit sui speciem transmittere ad potentiam visivam : ergo Christus in sacramento existens non est objectum visibile. Probatur minor : quia diffusio specierum corporalium petit medium, per quod fiat, et aliquem contactum physicum : sed Christus in hoc sacramento existens nequit comparari ad medium ex- Tertium argumentum

trinsecum, nec habere contactum physicum; cum careat extensione in ordine ad locum: ergo prout ibi existens non potest sui speciem diffundere, et transmittere ad potentiam visivam. Quo discursu visi fuimus dub. præced. ad probandum, quod Christus in sacramento existens nequit agere actione corporea. Et idem valet, ut evincat non posse speciem corporalem sui repræsentativam diffundere, ut facile consideranti constabit.

Confirmatio. Confirmatur: nam impossibile est objectum videri, quin sit possibilis species illud repræsentans: sed non est possibilis species corporea, quæ repræsentet Christum existentem in sacramento: ergo impossibile est videre Christum in sacramento existentem visione corporea. Probatur minor: nam Christus in sacramento existit modo indivisibili, atque inextenso; et consequenter species illud repræsentans deberet illud simili ratione repræsentare, videlicet modo indivisibili, et inextenso: sed repugnat species corporea, quæ repræsentet modo indivisibili, et inextenso: quippe eo ipso, quod corporea sit, debet habere divisibilitatem, et extensionem: ergo non est possibilis species corporea, quæ repræsentet Christum in sacramento existentem.

Satisfit argumento. Ad argumentum respondetur primo negando majorem: quia unumquodque est visibile, aut cognoscibile, in quantum est repræsentabile per speciem: sive species diffundatur ab objecto, sive producatur a solo Deo: unde licet unus Angelus nequeat diffundere sui speciem ad intellectum alterius: potest nihilominus ab eo cognosci: quia Deus unius Angeli speciem producit in alterius intellectu. Quare permisso, quod Christus in sacramento existens non possit sui speciem transmittere ad potentiam visivam corporalem, ut ea, quæ in probando minorem expenduntur, evincere videntur; minime inde sequeretur Christum in sacramento existentem esse objectum simpliciter non visibile visione corporea: quia posset Deus hunc quasi præambulum objecti defectum supplere, producendo immediate, et se solo in potentia visiva speciem, quæ repræsentaret Christum existentem in sacramento. Respondetur secundo, omissa majori, negando minorem: quia sicut ex eo, quod Christus existens in sacramento careat extensione locali, et nequeat habere contactum physicum ad aliud corpus; solum sequitur Christum existentum in sacramento non posse naturaliter agere; minime vero infertur id esse simpliciter impossibile per respectum ad potentiam Dei absolutam: quippe potest Deus illas conditiones velut connaturales supplere, et adjuvare, elevareque corpus Christi ad agendum supra illas (sicut supplere valet approximationem inter agens, et passum, efficiendo, quod creatura agat in distans): sic ex eo, quod corpus Christi in sacramento careat prædicta extensione, et continguitate, solum sequitur, quod naturaliter non possit diffundere sui speciem ad potentiam visivam. Cæterum cum hujusmodi extensio, et contactus non sint rationes formales objecti visibilis; potest Deus talem defectum supplere, atque efficere, quod Christus in sacramento existens producat independenter ab illis speciem, qua repræsentetur in potentia visiva. Probat itaque præcise argumentum, quod ab initio dubii observavimus, nempe Christum in sacramento non posse naturaliter videri: sed non probat id simpliciter repugnare.

Occurritur confirmationi. Eodem fere modo diluitur confirmatio negando minorem. Ad cujus probationem in primis respondemus admittendo, quod species repræsentans Christum in Eucharistia existentem modo indivisibili, et inextenso, debeat etiam habere eundem essendi modum, nempe inextensum, atque indivisibilem. Sed inde non sequitur repugnare speciem corpoream, quæ Christum in Eucharistia existentem repræsentet: quia non repugnat speciem corpoream habere similem essendi modum. Unde D. Thom. supra relatus docet Christum existentem in sacramento videre se ipsum ibi existentem: ubi constat, quod sicut objectum visum habet modum essendi inextensum, et indivisibilem, sic etiam principium videns cum omnibus ad visionem concurrentibus, et cum ipsa visione corporea habet eundem essendi modum indivisibilem, atque inextensum. Deinde respondemus nullam esse repugnantiam in eo, quod per speciem habentem modum divisibilem, et extensum repræsentetur objectum habens extensionem, et divisibilitatem in ordine ad se, licet illis careat in ordine ad locum: quia tale objectum est simpliciter corporeum, atque visibile. Quod

Quod vero inter ipsum, et speciem non detur illa commensuratio in modo essendi adæquate sumpto; solum probat, quod objectum nequeat per illam repræsentari in ordine ad visionem connaturalem; secus vero, quod in hujusmodi repræsentatione, et visione detur aliqua contradictio. Ad quod non oportet, quod partes speciei correspondeant partibus objecti: sed sufficit, quod species habens modum essendi extensum repræsentet objectum secundum quod in se est, et habet partes, atque extensionem in ordine ad se: nam totum est simpliciter corporeum, et sensibile, ac proinde per sensibilem speciem repræsentabile.

Quartum argumentum. 78. Arguitur quarto: quia implicat sensibile proprium sentiri absque concursu sensibilis communis: sed extensio objecti in ordine ad locum est sensibile commune respectu potentiæ visivæ corporeæ: ergo implicat quod hujusmodi potentia videat aliquod objectum, sive sensibile proprium, quin videat ejus extensionem, sive objectum extensum in ordine ad locum: et consequenter cum corpus Christi in sacramento existens careat extensione in ordine ad locum; repugnat tale corpus prout ibi existens terminare visionem corporalem. Nec proderit dicere Deum supplere defectum illum extensionis in ordine ad locum: nam contra hoc est, quod concursus sensibilis communis ex parte objecti non est mere effectivus, sed etiam formalis, quippe qui modificat speciem sensibilis proprii: Deus autem licet possit supplere concursum mere effectivum creaturarum, non tamen concursum formalem: quia de causa nequit se solo efficere ullam actionem creatam; quia hæc dependet a suo principio non solum in genere causæ efficientis, sed etiam formalis.

Solutio. Respondetur negando majorem: quia sensibile proprium habet omnia essentialia, ut sit simpliciter sensibile, et terminet sensationem. Unde si daretur lux, vel albedo separata ab omni subjecto, posset videri. Quod autem de facto nunquam sentiatur sensibile proprium, quin sentiatur etiam sensibile commune provenit tum ex eo, quod de facto omne sensibile proprium invenitur conjunctum sensibile communi, et per illud modificatut: rum ex eo, quod hujusmodi modificatio necessaria est, ut sensibile proprium attingatur connaturaliter a sensu; quatenus et objectum, et potentia habent eundem essendi modum, nempe divisibiliter, et extense. Sed talis modificatio necessaria non est per respectum ad potentiam Dei absolutam, qui potest promovere potentiam ad attingendum objectum naturaliter improportionatum. Ad quod necessarium non est, quod Deus per se suppleat aliquem concursum formalem: sed sufficit, quod faciat potentiam agere ultra proportionem connaturalem, ut patet in similibus. Sic enim approximatio est conditio requisita, ut agens connaturaliter agat: et tamen Deus potest elevare, et applicare agens creatum, ut agat in distans, sicut sæpe contingit tum in sacramentis, tum in aliis instrumentis divinæ virtutis. Sic etiam connaturaliter requiritur determinatum medium, et distantia, ut objectum visibile mittat speciem, atque videatur, ut experientia liquet: et nihilominus Deus efficere valet, quod sentiatur licet immediate sit sensibus conjunctum: nemo namque negabit Christum cum penetravit lapidem, et januas, hæc vidisse, licet esset eisdem penetratus, et subinde prorsus indistans. Eadem itaqua ratione, quamvis sensibile proprium non sentiatur connaturaliter loquendo sine sensibili communi, ob rationes jam assignatas; minime tamen repugnat, quod juxta potentiam Dei excludatur hæc connaturalis conditio, et sensibile proprium attingatur sine communi. Eo vel maxime, quod in præsenti non contingit sensatio sensibilis proprii absque omni sensatione alicujus sensibilis communis: quamvis enim color Christi videatur sine extensione in ordine ad locum, videtur tamen cum extensione in ordine ad se, et cum dispositione partium in se: quæ profecto posterior extensio est sensibile commune respectu cujuslibet sensibilis proprii.

79. Arguitur quinto: quia ita se habet in ordine ad visionem corporalem corpus indivisibiliter existens, sive localiter non extensum, sicut substantia spiritualis: sed impossibile est videre substantiam spiritualem oculis corporeis; siquidem substantia spiritualis est omnino extra latitudinem objecti specificativi sensuum: ergo etiam repugnat videre oculis corporeis corpus indivisibiliter existens, sive localiter non extensum: quo modo se habere corpus Christi in Eucharistia constat ex dictis in Quintum argumentum.

Confirmatio. hac disp. Confirmatur : quia impossibile est potentiam elevari extra suum objectum: sed corpus Christi prout in sacramento est extra objectum specificativum visus corporalis : ergo impossibile est, quod hujusmodi potentia elevetur ad videndum Christum in sacramento. Probatur minor : quoniam objectum naturale intellectus tam angelici, quam humani est multo universalius, quam objectum potentiæ visivæ : sed Christus existens in sacramento est extra objectum naturale intellectus tam angelici, quam humani : unde nec Angelus, nec homo potest naturaliter videre Christum existentem in Eucharistia : ergo Christus prout in sacramento est extra latitudinem objecti specificativi visus corporalis.

Diluitur argumentum. Ad argumentum negamus majorem : quoniam substantia spiritualis est omnino insensibilis ; cum nullum accidens sensibile habeat in se, per quod sentiri possit. Sed corpus licet indivisibiliter existens, aut localiter non extensum, habet in se accidentia sensibilia, utputa quantitatem, lucem, et colorem, quæ sunt subjectum sensus, et secundum quæ valet terminare sensationem. Unde corpus Christi in Eucharistia existens, quamvis ratione modi existendi nequeat naturaliter sentiri, sicut nec diffundere sui speciem ; nihilominus ratione prædictorum accidentium, quæ ibidem etiam habet, retinet esse simpliciter objectum sensibile, et posse terminare sensationem, supplente Deo modum existendi connaturaliter, sive cum extensione in ordine ad locum. Hic enim modus non est ratio formalis constituendi objectum in esse sensibilis, sed mera conditio, ut objectum immutet sensum transmittendo ad illum sui speciem, et ut connaturaliter sentiatur. Sine quo proinde modo potest objectum manere simpliciter sensibile, et sentiri per subordinationem ad Deum, qui suppleat defectum illius modi, producendo speciem objecti in potentia visiva.

Solvitur confirmatio. Ad confirmationem respondetur negando minorem. Ad cujus probationem, concedendo præmissas, negamus consequentiam, quæ non legitime ex illis deducitur : nam ex eo, quod objectum intellectus tam intellectus tam angelici, quam humani sit universalius, quam objectum potentiæ visivæ; et nullus intellectus vel angelicus, vel humanus possit naturaliter videre Christum existentem in sacramento; solum infertur, quod sicut Christus existens in sacramento est extra objectum connaturale intellectus tam angelici, quam humani ; ita etiam sit extra objectum connaturale, et proportionatum potentiæ visivæ : minime vero inferri potest, quod sit extra latitudinem, sive commensurationem essentialem objecti specificativi hujus potentiæ. Quin potius colligendum est, quod sicut non implicat intellectum humanum elevari ad videndum Christum in Eucharistia, sic etiam non repugnat elevari potentiam visivam ad ejusdem objecti visionem. Quocirca corpus Christi in sacramento existens potest cognosci ab utraque potentia intellectiva, et sensitiva per absolutam Dei potentiam : sed a neutra cognosci valet naturaliter loquendo, et quin Deus suppleat simpliciter aliquem defectum, saltem ex parte modi, quo objectum debet potentiam immutare, ut constat ex supra dictis.

80. Occasione autem materiæ, quam hæc confirmatio attingit, discutiunt aliqui in præsenti, an intellectus angelicus possit naturaliter cognoscere Christum existentem in sacramento? Ad quod dubium Scotus in 4, dist. 10, quæst. 8, respondit affirmative, sentiens Angelum propriis viribus relictum posse cognoscere, non solum, quod Christus est in sacramento, sed etiam ipsum modum essendi : addit tamen impediri supernaturaliter a Deo, ne ista objecta cognoscat. Incidens dubium, et Scoti sententia.

Sed nos ab his supersedendum duximus: quia tract. 14, disp. 3, dub. 1, generaliter statuimus, et ex professo ostendimus intellectum creatum suis viribus relictum, et absque prævia luce divinæ revelationis, non posse nostræ fidei mysteria investigare, nec in eorum notitiam venire. Præsentia autem realis Christi in sacramento est unum ex mysteriis fidei, et quidem satis arduum, et occultum. Quare idem de illo, ac de aliis in universum sentiendum est. Et consequenter si Christus alibi non existeret, sed in solo sacramento ; Angelus sibi relictus nullo modo cognosceret Christi existentiam. Resolutio autem Scoti quantum ad modum præsentiæ sacramentalis omnino rejici debet : quia talis modus est simpliciter, et quoad speciem supernaturalis, ut supra diximus num. 28, unde excedit facultatem naturalem intellectus creati, Vera resolutio.

sicut

sicut aliæ perfectiones gratiæ, et gloriæ. Quantum vero ad ipsum Christi corpus in sacramento existens non ita absurda apparet, cum tale corpus sit quædam entitas naturalis in sua specie; sed tamen refelli etiam debet : quoniam corpus Christi ibi existens non est pars hujus universi, nec habet ordinem ad ejus partes. Quare sicut ob hanc rationem Angelus nequit naturaliter cognoscere futura contingentia, secreta cordium, et singularia non existentia, quia scilicet nihil horum est pars hujus universi, nec eorum species Angelo debentur: sic etiam dicendum est de corpore Christi existente in sacramento, ut luculenter tradit D. Thom. in hac quæst. art. 7, ubi quid de hoc mysterio respective ad intellectum sentire debeamus, nos docet his verbis : « Proprie loquendo corpus Christi secundum modum essendi, quem habet in hoc « sacramento neque sensu, neque imaginatione perceptibile est; sed solo intellectu, qui dicitur oculus spiritualis. Percipitur autem diversimode a diversis « intellectibus. Quia enim modus essendi, « quo Christus est in hoc sacramento, est « penitus supernaturalis, a supernaturali « intellectu, scilicet divino, secundum se « visibilis est : et per consequens ab intellectu beato vel Angeli, vel hominis, qui « secundum participatam claritatem divini « intellectus videt ea, quæ supernaturalia « sunt, per visionem divinæ essentiæ. Ab « intellectu autem hominis viatoris non « potest conspici, nisi per fidem : sicut « et cætera supernaturalia. Sed neque « etiam intellectus angelicus secundum sua « naturalia sufficit ad hoc intuendum. « Unde dæmones non possunt videre per « intellectum Christum in hoc sacramento, « nisi per fidem, cui non voluntarie assentiunt : sed ad eam evidentia signorum « convincuntur, prout dicitur Jacobi 2, « quod dæmones vident, et contremiscunt. » Hæc S. Doctor : quibus addere non oportet.

D. Tho.

DUBIUM VII.

Quando, et quomodo Christus desinat esse in sacramento?

De hoc puncto non egit ex professo D. Thomas, sed illud tamen incidenter attigit art. 8, occasione peculiaris casus infra proponendi. Et revera, suppositis his, quæ cum S. Doctore hactenus tradidimus, nihil admodum grave, aut difficile occurrit, quod longas discussiones exposcat. Et ideo succincte procedendo

§ I.

Veritas diversis assertionibus explicatur.

81. Dicendum est primo Christum tunc, et solum desinere esse in hoc sacramento, quando desineret esse substantia panis, aut vini, si ibidem foret. Hæc conclusio est communis inter Theologos, illamque frequenter attingit, aut supponit D. Thomas, ut in 4, dist. 9, q. 4, art. 2, quæstiunc. 1, et in præs. quæst. art. 6, et 8, et quæst. seq. art. 4, et quæst. 80, art. 3, et alibi. Probatur primo : nam cum Christus fiat præsens in hoc sacramento per conversionem substantiæ panis, et vini in ipsum, ut diximus disp. præced. dub. 2, consequens est, quod succedat loco substantiæ panis, et vini sub eisdem accidentibus : ergo sicut in aliis gerit vices prædictæ substantiæ, sic etiam quantum ad permanentiam, et desitionem : ergo tunc, et solum desinit esse in sacramento, quando desitura foret substantia panis, et vini, si ibidem fuisset. Probatur secundo, quoniam hæc conjunctio, sive præsentia Christi ad species est quoddam gratuitum donum Dei erga nos : sed Deus non subtrahit sua dona, nisi res ipsæ subtractionem exposcant, juxta illud Apostoli ad Rom. 11, *sine pœnitentia sunt dona Dei :* et hac ratione unio hypostatica, et unio per gratiam, et gloriam sunt commutabiles, nisi ex parte extremi ponatur impedimentum : ergo Christus est in sacramento quandiu ibidem esset substantia panis, et vini : atque ideo tunc, et solum desinit esse in sacramento, quando ipsa substantia panis, et vini desineret ibi esse. Probatur tertio, quia cum certum sit Christum desinere aliquando esse sub sacramento ; aliqua certa regula circa *quando* hujus desitionis assignare oportet: nulla autem aptior assignari valet, quam immediate descripta. Eo vel maxime, quod tandiu species manent consecratæ, et subinde significantes, et continentes corpus Christi, quandiu absolute manent : et manent absolute, quandiu maneret substantia panis, et vini; siquidem prædictæ

Conclusio.

D.

Motiva.

species tam in agendo, quam in patiendo ita comparantur, ac si actu essent conjunctæ propriæ substantiæ panis, et vini : atque ideo de primo ad ultimum sequitur Christum tunc, et solum desinere esse in sacramento, quando desineret esse panis, et vini substantia.

Errores contra assertionem. Contra hanc assertionem non possumus referre ullas Theologorum sententias. Possumus tamen ex ea colligere confutationem aliquorum errorum. Nam errant in primis hæretici apud Suarium disputatione 46, sectione 8, asserentes, quod ubi quis indigne accedit ad Eucharistiam, statim recedit corpus Christi, et redit substantia panis. Errant præterea dicentes idem contingere, ubi Eucharistia indigne tractatur, ut si in lutum cadat, si pollutis manibus attingatur, si a mure comedatur etc. Errant denique asserentes desinere Christum esse sub speciebus statim, ac istæ sumuntur, antequam alterentur, et corrumpantur, ut significavit Glossa in cap. *Tribus gradibus*, et in cap. *Non iste, de consecratione* dist. 2. Refelluntur. Sed omnes prædicti errores convelluntur simul juxta generale principium in assertione propositum : quoniam in omnibus casibus immediate relatis non desineret esse substantia panis, si adesset: ergo nec desinere debet corpus Christi, quod ejus loco succedit. In particulari autem primus excluditur testimonio Apostoli 1 *ad Corinth.* 11 : *Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit non dijudicans corpus Domini* : ubi aperte supponit aliquos corpus Domini indigne suscipere : quod falsum foret, si eo ipso quod quis accederet indigne, corpus Domini recederet. Et profecto Judas corpus Domini indigne suscepit, ut juxta communem Patrum sententiam diximus disputatione 1, numero 68. Excluditur etiam secundus : quia Christus est in hoc sacramento impassibiliter, ut constat ex supra dictis dub. 5 ; ergo ex eo, quod indecenter tractetur, nullam contrahit in se immunditiam, ut propterea debeat recedere. Unde in directorio Inquisitorum refertur Greg. XI, damnasse aliquorum sententiam, qui dicebant Christum desinere esse in sacramento, quando Eucharistia in locum immundum projicitur. Tandem excluditur tertius, tum quia in cap. *Si quis de consecratione* dist. 2, pœna imponitur illi, qui propter ebrietatem evomuerit Eucharistiam. Ubi aperte supponitur, quod etiam post specierum sumptionem perseverat sacramentum, et corpus Christi in eo, quandiu permanent species. Unde communis etiam usus Ecclesiæ tenet, ut si contingat infirmum Eucharistiam evomere, adoretur hæc, et reverenter habeatur ut verum sacramentum. Ex qua pariter radice provenit fideles credere post susceptam communionem tandiu se conservare Christum in se, quandiu immutatio, ac conversio panis durare potuisset : et propterea se ab illis eo tempore abstinent, quæ minus conveniunt reverentiæ sacramenti. Unde Clemens Papa epist. 2, inquit : « Qui residua corporis, quæ in « altari relicta sunt, comedunt, non statim « ad communes accipiendos cibos conveniant, ne sanctæ portioni commisceant « communes cibos. »

[margin: 1 ad Corinth. 11. — Clemens Papa.]

82. Dicendum est secundo corpus Christi non desinere esse in sacramento per annihilationem, nec per corruptionem, nec per conversionem in substantiam subsequentem, nec per motum localem : sed per alium modum innominatum transubstantiationi correspondentem. In hac etiam assertione conveniunt communiter Theologi, et videri possunt Suarez disputatione 54, per totam, et præcipue sectione 3, Gonet disputatione 5, articulo ultimo, et alii. Probatur quoad omnes partes : quoniam quod annihilatur, abit simpliciter in nihilum : sed corpus Christi, cum desinit esse in sacramento, non abit simpliciter in nihilum, siquidem semper manet in propria specie : ergo desitio Christi in sacramento non est annihilatio. Præsertim cum annihilatio opponatur creationi : positio autem Christi in sacramento non est creatio ; siquidem Christus prius simpliciter erat : ergo nec ejus desitio in sacramento comparatur per modum annihilationis. Deinde Christus est gloriosus, atque incorruptibilis, atque in sacramento existit modo impassibili : ergo nulla ratione dici valet, quod desinat esse in sacramento per sui corruptionem. Præterea non desinit per conversionem : tum quia substantia, quæ ex speciebus fit, non producitur conversione totali, sed per veram generationem virtute naturalis agentis : atque ideo non terminat conversionem ullam corporis Christi. Tum quia illud, quod desinit per conversionem, desinit simpliciter : corpus autem

[margin: Secunda conclusio. — Suarez. — Gonet. — Ratio fundamentalis.]

autem Christi cum desinit in sacramento esse, non desinit simpliciter, sed cum addito, nempe quantum ad esse in sacramento. Tum denique quia si corpus Christi desineret per conversionem ; maxime per reconversionem in panis substantiam, quæ prius in ipsum conversa fuerat : id vero nunquam contingit : quippe in corruptione specierum panis non generatur panis, sed alia substantia longe diversa : sicut si ibidem esset prædicta substantia panis, produceretur aliud individuum specie distinctum. Deinde non desinit per motum localem : primoquidem, quia positio Christi in sacramento non est motus localis ; unde nec conversio panis in corpus Christi est actio adductiva ; nec terminus transubstantiationis est præsentia localis, sed substantia corporis Christi, ut ostendimus disputatione præcedenti dubio 1 et 3 : ergo pariter desitio corporis Christi in sacramento non est motus localis. Secundo, nam quod desinit esse alicubi per motum localem, supponitur extitisse ibidem tanquam in loco : Christus autem non habet esse in sacramento sicut in loco. Tertio, quia si desineret esse in sacramento per motum localem ; oporteret egredi a sacramento successive, et per partes, atque transmigrare ad alium locum : quæ tamen foret stultissima imaginatio.

Relinquitur itaque, quod Christus desinat esse in sacramento per alium modum, qui transubstantiationi, sive primæ positioni Christi in sacramento correspondeat : ad quem modum desitionis significandum non habemus particulare vocabulum. Assimilatur tamen modo, quo anima rationalis desinit esse in aliqua parte, quam prius informabat, ut contingit, quando manus corrumpitur, aut secatur : tunc enim anima desinit esse in manu, non quia annihiletur, aut corrumpatur, aut convertatur in aliud, aut abeat de loco in locum : sed quia desinit informare portionem materiæ, quam prius informabat, et amittit præsentiam velut partialem, quam prius habebat. Assimilatur etiam modo, quo Deus desinit esse in creaturis : contingit enim talis desitio, non quia Deus subeat aliquam ex relatis mutationibus, sed quia desinunt esse creaturæ ; et eis destructis, nequit Deus habere præsentiam ad illas. Sic igitur Christus impassibilis, et incorruptibilis existens habet esse præsentem speciebus sacramentalibus, eisque manentibus manet in sacramento. Sed ubi species desinunt esse, desinit Christus esse illis præsens : non quia desinat esse absolute, nec quia patiatur aliquam realem immutationem : sed quia desinunt species ; et eis cessantibus, Christus non potest esse illis præsens.

83. Non occurrunt nobis sententiæ alicujus ponderis, quas contra præmissam assertionem referamus. Suarez tamen disp. 54, sect. 3, refert aliquos modernos ausos fuisse dicere, quod corpus Christi convertitur in nostram substantiam, quando illud recipimus. Sed illorum, quos ille non nominat, singularitas satis retunditur vel sola, communi tamen, auctoritate Theologorum, et antiquorum Patrum, apud quos nec vestigium talis conversionis invenimus : quin plures Patres observant non nos convertere corpus Christi in nos, sed magis Christum convertere nos in se : in re autem adeo gravi tutum non est novum aliquid introducere, præsertim contra communem aliorum sensum. Accedit eos modernos, si consequenter loquantur, debere concedere, quod Christus convertatur in nostram carnem ; quin et quod convertatur in vermes, et mures, si contingat species sacramentales ab illis comedi : id autem est scandalosum, ac piarum aurium offensivum. Quare talis positio tanquam stulta relinquenda est ; præsertim cum nihil afferat momenti, cui opus sit satisfacere. Refert etiam idem Auctor eadem disp. sect. 1, modernos quosdam Theologos publice defendisse, quod Christus desinit esse in sacramento per motum localem : eosque consequenter docuisse Christum, cum desinit esse in sacramento, ascendere in cœlum motu continuo, habereque in cœlo præsentiam localem toties repetitam, quoties Christus desinit esse in sacramento post ejus institutionem. Sed hæc omnia dicta non aliud sunt, quam merum, sed audacis imginationis, commentum, nec aliunde processisse videntur, quam ex sententia falsa asserente Christum collocari in sacramento per actionem adductivam ; id vero destruit veram, et rationabilem transubstantiationem totius substantiæ panis in corpus Christi, tam expresse a Conciliis assertam, ut expendimus disputatione præced. dub. 2, § 1. Quare sicut Christus incipit esse in sacramento non per motum localem dis-

Referuntur, et refelluntur falsæ aliquorum positiones.

cretum, vel continuum, quo descendat de cœlo ad species; sed per conversionem substantiæ panis in ipsum sub eisdem accidentibus : sic etiam desinit esse in sacramento non per illum motum localem, quo de speciebus ascendat in cœlum; sed simpliciter quia desinit esse sub speciebus : et desinit esse sub speciebus, quia ipsæ species desinunt esse, seu corrumpuntur. Nec hic occurrunt motiva diluenda, quam jam diluta loco citato.

Tertia conclusio. 84. Dicendum est tertio desitionem Christi in sacramento importare aliquam realem mutationem in corpore Christi, non per quam aliquid de novo acquirat, sed qua amittat præsentiam sacramentalem; atque ideo talem mutationem non esse positivam, et acquisitivam, sed privativam. Sic docent Paludanus in 4, dist. 9, quæst. 1, Martinus de Ledesma quæst. 17, art. 6, dub. 5, Gabriel, Marsilius, Major, et alii, quos sequitur Suarez disput. cit. sect. 1, concl. 1, et 2. Probatur ratione : nam Christus incipit esse in sacramento per aliquam in suo corpore mutationem : ergo pariter desinit esse in sacramento per aliquam in suo corpore mutationem. Antecedens constat ex dictis disp. præced. num. 31, et multo magis ex dictis in hac disput. dub. 1, cum duobus sequentibus, ubi statuimus Christum per transubstantiationem acquirere de novo aliquid reale, et intrinsecum, per quod unitur, et fit præsens speciebus sacramentalibus. Consequentia autem probatur a paritate. Quæ magis explicatur in hunc modum : nam ideo Christus, cum ponitur in sacramento, subit aliquam in suo corpore mutationem, quia cum ponitur in sacramento, acquirit aliquid reale positivum, quod in propria specie non habet, nempe veram, et realem præsentiam ad species sacramentales : sed cum desinit esse in sacramento amittit hujusmodi præsentiam : ergo desinit esse in sacramento per realem in suo corpore mutationem : sicut enim adquirendo præsentiam, sic etiam amittendo præsentiam, aliter se habet, ac prius se habebat, in quo consistit mutatio. Et hinc absque alia probatione suadentur reliquæ assertionis partes : nam per hoc, quod Christus desinat esse in sacramento, nihil de novo acquirit, sed potius exuit præsentiam sacramentalem, quam prius habebat : ergo talis mutatio non est positiva, et acquisitiva, sed privativa : sicut proportionabiliter contingit in Angelo, cum desinit esse in loco, ubi prius erat, non se transferendo ad locum alium, sed cessando ab operatione, qua se constituerat in loco.

Palud. Ledesm. Suarez.

Ratio fundamentalis.

Adversus conclusionem istam refert Suarez loco citato. Alensem, et Cajetanum : de quibus tamen non nobis constat, quod ita senserint. Nam etsi Cajetanus dixerit terminum transubstantiationis esse corpus Christi ut factum ex pane, et corpus ut factum ex pane non addere supra se aliquid reale intrinsecum, sed solam denominationem extrinsecam desumptam ex panis immutatione, ut vidimus disp. præced. dub. 3, nihilominus non negat Christum ut præsentem speciebus sacramentalibus importare aliquid reale, saltem per modum relationis, quod non habet corpus Christi in propria specie : et hoc sufficit, ut quando desinit esse sub sacramento, subeat aliquam mutationem, ut patet ex fundamento nostræ assertionis. Opponi tamen in illam potest Deum desinere esse realiter in creaturis, non per mutationem factam in Deo, sed per mutationem factam in creaturis : ergo pariter corpus Christi potest desinere esse in speciebus sacramentalibus, non per mutationem factam in ipso corpore, sed factam, et exercitam in solis speciebus. Porro si iste modus desitionis est possibilis, attribui de facto debet corpori Christi tanquam magis consentaneus; cum prædictum corpus modo sit in statu impassibili. Sed negamus consequentiam ob satis manifestam disparitatem : quæ elucet tum in eo, quod manente creatura, nequit non Deus esse in illa : manentibus autem speciebus posset Christus in eis non esse, ut si Deus suspenderet concursum conservativum corporis Christi sub sacramento. Tum in eo, quod destructa aliqua creatura manet simpliciter Deus, ubi prius erat : sed destructis speciebus sacramentalibus, non manet Christus, ubi erat prius. Cujus disparitatis radix est Deum ex una parte esse immensum, et ex alia parte immutabitem : unde qua parte est immensus, debet esse in omni ente creato; et quod in aliquo non sit actu, provenit non ex Deo, qui, quantum est de se, omnia replet, sed ex creati entis carentia : et qua parte est immutabilis, nullam potest subire mutationem; sed hæc unice constituenda est in creaturis, ut Deus fundet

Oppositæ sententiæ, et earum eversio.

det diversum respectum rationis ad illas, et diversos modos denominationis. Sed corpus Christi non est immensum, nec immutabile : quare sicut a principio non erat de se præsens speciebus, nec in earum loco, sed debuit fieri præsens per transsubstantiationem, sive sui passivam productionem ex pane, et acquirendo novam præsentiam sacramentalem : ita etiam quando desinit esse in sacramento, exuit præsentiam, quam prius habebat, et non manet eodem loco, in quo prius existebat per accidens, sive ratione specierum. Et quemadmodnm non est inconveniens corpus Christi immutari acquirendo novam præsentiam ; sic etiam non est inconveniens immutari postea, cum talem præsentiam amittit. Porro ex eo, quod corpus Christi sit incorruptibile, solum sequitur non immutari mutatione physica tendente ad non esse simpliciter, sive in se : cæterum cum prædicta immutabilitate cohæret, quod immutetur secundum quid, et quantum ad aliquos modos : sicut certum est vel in ipso cœlo mutari per motum localem, et acquirere novas ad distincta loca præsentias. Recolantur supra dicta num. 5.

Incidens quæstio. 85. Si autem inquiras, quid contingeret in casu, quo Christus non supponeretur existere in propria specie, sed solum existeret in sacramento : quem casum non implicare, sed esse simpliciter possibilem, supra statuimus num. 37. Respondet Ledesma supra relatus hypothesim hanc non pertinere ad præsentem providentiam, sed ad aliam extraordinariam, et longe diversam : et ideo ea supposita illud contingeret, quod Deus vellet. Sed licet hæc responsio veritatem contineat, non satisfacit : quia non dubitamus Deum facturum, quod vellet : sed dubitamus, quid contingeret per majorem conformitatem ad ipsas res, secluso alio novo miraculo ; quippe magis credibile est Deum facturum, quod fuerit eisdem consonum. Marsilius in 4, dist. 10, quæst. 7, art. 1, cui subscribit Suarez disp. cit. sect. 1, in fine, censet Christum in vi desitionis in sacramento, non desiturum absolute, sed mansurum fore in rerum natura in aliquo loco, qui forte designaretur pro ipsius Christi arbitrio. Quod declarat exemplo Angeli, qui ex eo, quod desinat esse in loco adæquato, non propterea desinit esse in se, et conservari in rerum natura. Cæterum nec ista responsio, quamvis nihil implicatorium contineat, est sufficiens : quia magis procedit conjecturando, aut divinando, quam resolutionem probando solido aliquo fundamento.

(Ledesm. — Marsil. Suarez.)

Resolutio. Unde congruentius censemus distinguere : nam data tali hypothesi, dupliciter posset Deus se in illo casu gerere, primo continuando modum operandi juxta talem hypothesim, sive nullum addendo novum miraculum supra ipsius exigentiam : secundo operando supra exigentiam ejusdem, sive adjiciendo aliam providentiam miraculosam. Et si res in hoc posteriori sensu decidi deberet, fatendum esset cum Ledesma Deum facturum, quod vellet : quia cum non persistamus in sola, et nuda hypothesi, sed recurramus ad aliam providentiam : non aliud determinate respondere possumus, quam Deum facturum suam voluntatem. Verisimilius autem apparet, quod curaret de conservatione Christi aliis mediis sibi possibilibus, sic exigente ipsa dignitate Christi ex suppositione, quod aliquando positus fuisset in rerum natura saltem sub sacramento. Sed in priori sensu, (qui magis doctrinalis est,) eo ipso, quod destrueretur sacramentalis Christi præsentia, cessaret Christus, ejusque humanitas annihilaretur. Et ratio videtur manifesta : nam supponitur Christum non aliter existere in rerum natura, quam in sacramento : et supponitur, quod non adderetur alia præsentia supplens defectum præsentiæ sacramentalis : ergo eo ipso, quod Christus desineret esse in sacramento, desineret esse simpliciter. Et cum ibi non adesset vel generatio alterius corporis, vel conversio corporis Christi in aliud ; fieret talem desitionem esse annihilationem non minus, quam si Deus suspenderet concursum conservativum humanitatis adæquate, sive quoad omnes ejus partes. Nec exemplum Angeli pro parte contraria allatum facit ad rem ob satis manifestam disparitatem : nam Angelus præter esse in loco, quod est esse accidentale, habet esse simpliciter in se : unde licet desinat esse in loco adæquato, non propterea desinit esse simpliciter. Sed in hypothesi præmissa Christus nullum aliud esse haberet, quam esse in sacramento, et dependenter ab unione cum speciebus sacramentalibus ; quare si præsentiam sacramentalem amitteret, et alteri novæ, ac distinctæ providentiæ non committeretur ; desineret esse simpliciter : si-

cut contingeret, omnibus concedentibus in casu, quo Deus destrueret humanitatem per solam suspensionem concursus conservativi.

§ II.

Specialior difficultas circa immutationem specierum propter miraculosam apparitionem.

Casus contingens. 86. Hæc difficultas pertinet specialiter ad præsentem considerationem de Christi desitione in sacramento : et illam proposuit D. Thomas art. 8 hujus quæstionis, illis verbis : « Utrum quando in hoc sacra- « mento apparet miraculose caro, vel puer, « sit ibi verum corpus Christi ? » Ubi supponit apparitiones hujusmodi aliquando contigisse, et quidem merito : nam casus speciales referunt Paschasius lib. *de Eucharistia* cap. 14, Guitmundus lib. 3, Garezius classe 6, Cantipratanus lib. 2 apum, cap. 40, Bozius lib. 14, *de signis Ecclesiæ*, cap. 7, Bleda in speciali lib. *in hoc sacramento*, et alii plures.

D. Tho. Paschas. Guitm. Garez. Cantip. Bozius. Bleda.

Observat autem D. Thomas, quod istæ apparitiones contingunt dupliciter. Et quia id optime, ac luculenter declarat, satis nobis erit ejus verba referre. « Quandoque « enim, *inquit*, hoc contingit ex parte vi- « dentium, quorum oculi immutantur tali « immutatione, ac si expresse viderent « exterius carnem, vel sanguinem, vel « puarum ; nulla tamen immutatione facta « ex parte sacramenti. Et hoc quidem vi- « detur contingere, quando uni videtur « sub specie carnis, vel pueri ; aliis tamen « videtur sicut et prius sub specie panis : « vel quando eidem ad horam videtur sub « specie carnis, vel pueri, et post modum « sub specie panis. Nec hoc tamen pertinet « ad aliquam deceptionem, sicut accidit in « Magorum præstigiis : quia talis species « divinitus formatur in oculo ad aliquam « veritatem figurandum, ad hoc scilicet, « quod manifestur vere corpus Christi esse « sub hoc sacramento ; sicut etiam Chris- « tus absque deceptione apparuit discipu- « lis euntibus in Emaus. Dicit enim Au- « gustinus in lib. de quæst. Evang. quod « cum fictio nostra refertur ad aliquam « significationem, non est mendacium, sed « aliqua figura veritatis. Et quia per hunc « modum nulla fit immutatio ex parte sa- « cramenti ; manifestum est, quod non de- « sinit Christus esse sub hoc sacramento, « tali apparitione facta. » Prosequitur S. Doctor proponens alterum modum, seu genus apparitionum, quæ ad dubium præsens spectant, et inquit : Quandoque vero « contingit talis apparitio non per solam « immutationem videntium ; sed specie, « quæ videtur, realiter exterius existente. « Et hoc quidem videtur esse, quando sub « tali specie omnibus videtur, et non ad « horam, sed per longum tempus ita per- « manet.» Atque inferius addit : « Et sicut « prius dictum est, hoc non est deceptio : « quia fit in figuram cujusdam veritatis, « scilicet ad ostendendum per hanc miracu- « losam apparitionem, quod in sacramento « est vere corpus, et sanguis Christi. »

87. His breviter prælibatis, circa hunc secundum apparitionum modum duo possunt dubitari. Primum, an illud, quod apparet in speciebus propter realem illarum immutationem, v. g. caro, aut sanguis sit vere caro, et sanguis Christi. Secundum utrum facta immutatione in speciebus ob similes apparitiones, desinant esse prædictæ species, et subinde ipse Christus sub eisdem latens juxta generalem resolutionem num. 81 propositam. Et ad primum aliqui respondent illud, quod apparet, esse corpus Christi in propria specie. Nec reputant inconveniens, quod aliquando non videatur totus Christus, sed solum aliqua ejus pars, puta caro, aut sanguis; et similiter quod non apparet in statu perfecto, sed in ætate, et effigie pueri : quia respondent esse in potestate corporis gloriosi videri ab oculo non glorioso vel secundum totum, vel secundum partem, et similiter in effigie propria, vel in aliena. Ita Alensis 4 part. quæst. 53, membro 4, art. 3, et Gabriel lect. 51, in *can. Missæ*, Major in 4, dist. 11, quæst. 1, Palacios dist. 10, disp. 5, Coninckus in præs. art. 8, dub. 1. Wigers ibidem, num. 22, Martinon disp. 32, sect. 4, n. 45, Castro Palao tract. 21, disp. unica, punct. 8, Bresserus lib. 8, *de conscientia*, cap. 24, et alii Recentiores id ipsum confirmantes testimoniis Algeri, et aliquorum Patrum, qui hoc significare videntur.

Quæstiones occurrentes. Prima difficultas, et quorundam opinio. Alens. Gabriel. Major. Palac. Coninc. Wigers. Martin. Castro Palao. Bresser.

88. Communis tamen, et vera sententia docet oppositum, nempe carnem, et sanguinem Christi in speciebus apparentem non esse vere, et substantialiter corpus, et sanguinem

Vera sententia

sanguinem Christi, sed quandam horum repræsentationem, aut figuram. Ita D. Thomas in præs. art. 8, ubi relata illa Alensis opinione subdit: « sed hoc videtur esse inconveniens. » Et in 4, dist. 10, quæst. 1, art. 4, quæstiunc. 2. Unde sic docent unanimiter Thomistæ, quos proinde superfluum est recensere. Idem etiam docent D. Antoninus 3 part. tit. 13, cap. 6, § 14, Ægidius theorem. 23, Durandus in 4, dist. 10, quæst. 8, nu. 8, Richardus art. 5, quæst. 2, Marsilius quæst. 7, art. 3, dub. 6. Carthusianus quæst 4, Suarez disp. 56, sect. 2, Vazquez in Comment. ad art. 8 hujus quæst. num. 29, Lugo, Aversa, Granados, et alii quam plures. Fundamentum desumitur ex duobus motivis, quæ D. Thomas immediate post verba relata ita proponit: « Primo quidem, quia corpus Christi non potest in propria specie videri, « nisi in uno loco, in quo definitive continetur. Unde cum videatur in propria « specie, et adoretur in cœlis; sub propria « specie non videtur in hoc sacramento. « Secundo, quod corpus gloriosum, quod « apparet, prout vult, post apparitionem, « cum voluerit, disparet: sicut dicitur « Lucæ ult. quod Dominus ex discipulo- « rum oculis evanuit. Hoc autem, quod « sub specie carnis in hoc sacramento appa- « ret, diu permanet. Quinimo legitur quan- « doque esse inclusum, et multorum Epis- « coporum consilio in pixide reservatum. « Quod nefas esset de Christo sentire secun- « dum propriam speciem. Et ideo dicendum « est, quod manentibus dimensionibus, « quæ prius fuerant, fit miraculose quædam « immutatio circa alia accidentia, puta « figuram, et colorem, et alia hujusmodi: « ut videatur caro, vel sanguis, aut etiam « puer. »

D. Tho. D. Ant. Ægid. Durand. Richard. Marsil. Carthus. Suarez. Vazq. Lugo. Fundamentum ex D. Thoma.

Confirmatio 1. 89. Confirmatur primo eadem resolutio: nam si id, quod in his apparitionibus videtur, esset vere caro, et sanguis Christi; sequeretur Christum in sacramento esse modo indivisibili, et simul non esse modo indivisibili, sed divisibili: consequens implicat contradictionem: ergo id, quod apparet, non est vere caro, et sanguis Christi. Sequela quoad primam partem constat ex supra dictis dub. 3, et 4, et vel ex eo constat, quia Christus homo perfectus non posset contineri sub particula hostiæ, nisi ibidem existeret modo indivisibili. Secundo etiam pars sequelæ ostenditur: quia nullum corpus videtur, et tangitur in propria specie, nisi existat modo divisibili, sive cum extensione in ordine ad locum: ergo si quod apparet carnis, et sanguinis, est aliquid Christi in propria specie; sequitur Christum ibidem existere modo indivisibili Confirmatur secundo: quia quod ibi apparet caro, aut sanguis, solet diuturnitate temporis immutari, atque tabescere, ut experientia compertum est: id autem absurdissimum est dicere de corpore Christi glorioso, atque in propria specie existente. Confirmatur tertio: nam si id, quod ex immutatione specierum apparet caro, et sanguis, foret caro, et sanguis Christi in propria specie; ita plane contingeret in omnibus apparitionibus, quæ prædicto modo contingunt: quippe motiva, quibus Adversarii utuntur, sive desumantur ab auctoritate, sive ex ratione, generalia sunt, et applicari queunt omnibus apparitionibus contingentibus cum immutatione specierum. Consequens autem est falsum; siquidem eisdem Adversariis concedentibus, multoties contingunt istæ apparitiones, quin illud, quod apparet, sit vere corpus, et sanguis Christi in propria specie: sicut accidit, cum repræsentatur sanguis in magna copia fluens ab hostia, vel replens calicem; et quando Christus repræsentatur sanguinolentus, et toto corpore multis plagis concisso. Quis enim credat sanguinem Christi in propria specie reperiri extra ejus corpus; vel istud, cum gloriosum sit, inveniri sanguinolentum, et tot vulneribus maculatum? Ergo sicut in his apparitionibus, sic etiam in omnibus aliis ejusdem generis, quæ videlicet fiunt cum specierum immutatione, fateri oportet id, quod apparet caro, et sanguis, non esse vere, et substantialiter corpus. et sanguinem Christi.

Secunda. Tertia.

Et juxta præmissam in his motivis doctrinam evertuntur opposita fundamenta: quia licet non repugnet, quod corpus gloriosum pro animæ arbitrio se manifestet vel in toto, vel in parte; nihilominus repugnat, quod corpus gloriosum existens secundum propriam speciem in cœlo, se manifestet secundum eandem speciem in alio loco: alias simul esset in duobus locis, quod implicat. Corpus autem Christi est permanenter in cœlo: et ideo id, quod ejus repræsentatur in his apparitionibus, non est vere corpus, et sanguis ejus in propria specie. Rursum licet corpus gloriosum possit

Eliduntur motiva contraria

diverso modo se manifestare, nequit tamen habere sanguinem extra se : unde cum in his apparitionibus repræsentetur sanguis Christi separatus ab ejus corpore, utpote fluens, vel separatim contentus in calice : fieri non valet, quod talis sanguis apparens sit vere sanguis Christi in propria specie. Tandem nulla ratione dici potest, quod corpus Christi, vel alterius beati tabescat, et usu temporis corrumpatur, aut in partes dividatur: quod autem in his apparitionibus videtur, præsertim ubi diuturnæ sunt, omnibus prædictis mutationibus obnoxium est, illasque aliquando subit: unde non est verisimile id, quod apparet, esse vel in toto, vel in parte corpus Christi in propria specie. Quod vero afferunt ex D. Algero, et aliis Patribus non magis urget: quoniam eorum mens eo præcise tendit, ut his apparitionibus (quæ supponuntur miraculosæ) probent veram, et realem Christi præsentiam in sacramento: sed minime docent, aut significant id, quod apparet, esse vere, et substantialiter corpus, et sanguinem Christi: et multo minus, quod ibi habeat figuram extensam, aut existat modo circumscriptivo.

Secunda difficultas et aliquorum sententia. Durand. Cajetan. Coninck. Suarez.

90. Circa secundum ex dubiis propositis duæ sunt etiam opiniones: nam Durandus in 4, dist. 10, quæst. 4, num. 10, Caietanus in præs. art. 8, Coninckus ibidem dub. 2, concl. 4, Suarez disp. 45, sect. 3, et alii sentiunt tantam aliquando in his apparitionibus fieri specierum immutationem, ut corrumpantur, et subinde desinat esse sub illis corpus Christi. Quod Caietanus, et Durandus revocant ad mutationem quantitatis, ut si consecrato modico vino, ut communiter fit, appareat totus calix magnus plenus sanguine : videtur enim variari entitative totam specierum

Motiva.

quantitatem. Suarez autem et alii id reducunt ad variationem qualitatum vel permanente eadem quantitate, ut si destruerentur in his apparitionibus sapor, odor, et alia accidentia propria panis et vini. Porro omnes moventur fundamento communi : quia regula generalis in hac materia est tunc Christum desinere esse in hoc sacramento, quando desineret ibi esse substantia panis, et vini, si ibidem adesse supponeretur, ut statuimus num. 81, sed facta tanta immutatione vel penes quantitatem, vel penes qualitates in speciebus, qualis aliquando in his apparitionibus contingit, desineret ibi esse substantia panis, et vini, licet ibidem adesse supponeretur : ergo cum prædictæ apparitiones ita contingunt, fateri oportet Christum desinere esse sub sacramento.

Secunda autem, et vera sententia docet oppositum, nempe in omnibus his apparitionibus miraculosis permanere Christum in sacramento, sive sub quantitate specierum; licet fiat variatio in aliis qualitatibus, et accidentibus. Ita D. Thomas locis statim referendis, cui subscribunt communiter discipuli, Paludanus, Capreolus, Soto, Nugnus, et Cornejo, quos refert, et sequitur Prado quæst. 76, dub. 16, nu. 17. Idem etiam docent Valencia, et Vazquez in præs art. 8, Lugo disp. 10, sect. 3, num. 53, Granados tract. 6, disp. 1, sect, 2, num. 18 et alii plures. Probatur primo ex D. Thoma, qui in præs. art. 8, inquirit: « Utrum quando in hoc sacramento appa- « ret miraculose caro, vel puer, sit ibi vere « corpus Christi? » Et respondet affirmative his verbis: « Et sic patet, quod rema- « nentibus dimensionibus, quæ sunt fun- « damenta aliorum accidentium, ut infra « dicetur, remanet vere corpus Christi in « hoc sacramento. » Manere autem dimensiones docet in resp. ad 3, ubi ait:« Dicen- « dum, quod dimensiones panis, et vini « consecrati manent, immutatione circa « eas miraculose facta quantum ad alia « accidentia. » Et in 4, dist. 10, quæst. 1, art. 4, quæstiunc. 2, inquit : « Illæ eædem « dimensiones manent : et eis alia acci- « dentia virtute divina superinducuntur, « quæ speciem carnis prætendunt : sicut « accidentia, quæ prius erant, prætendebant « speciem panis.» Nec audiendus est Suarez dicens D. Thomam attendisse ad id, quod magis regulariter contingit: et quia regulariter in his apparitionibus non fit tanta mutatio specierum, ut desinerent esse, merito affirmat Christum manere sub sacramento. Sed tamen in casu, quod species naturaliter corrumperentur, Christus desineret esse sub illo. Nam hoc Suarii effugium est directe contra mentem S. Doctoris, qui in genere inquisivit, ut constat ex titulo supra posito : quare si solum resolvisset dubium attendendo præcise ad casus magis regulariter contingentes, non autem ad alios magis extraordinarios; diminute satis processisset, et propositam a se in communi difficultatem indecisam reliquisset : quod

Vera sententia. D. Tho. Prado. Valenc. Vazquez. Lugo. Granad. Probatur ex D. Thoma. Responsio Suarii evertitur.

quod tamen qui dicit, indigne sentit de ingenio, et auctoritate tanti Doctoris. Ergo ex ejus sententia in his apparitionibus carnis, aut pueri in sacramento, tenendum est corpus Christi in eo conservari.

Prima ratio ex D. Tho. 91. Deinde probatur duabus rationibus desumptis ex D. Thom. Primam proponit loco cit. ex lib. 4 sent. ubi ait: « Absque « omni dubio dicendum est illud, quod ibi « apparet, esse verum corpus Christi. Alias « non adoraretur, sicut et prius erat, « quando sub specie panis videbatur. » Et hoc idem motivum repetit in præs. art. 8, in *sed contra* his verbis: « Tali apparitione « facta eadem reverentia exhibetur ei, « quod apparet, quæ etiam primo exhibe- « batur. Quod quidem non fieret, si vere « non esset ibi corpus Christi, cui reve- « rentiam latriæ exhibemus. Ergo etiam « tali apparitione facta, Christus est sub « hoc sacramento. » Et quamvis Caietanus dicat, quod in notabili mutatione specierum non exhiberetur eadem reverentia, sed qualis datur vesti Christi; minime tamen satisfacit : quoniam ubi contingunt istæ miraculosæ apparitiones, non minus adoratur hostia, quam prius; quinimo fideles solent ad ardentiorem accidentaliter cultum excitari : ergo non inferior, sed eadem adoratio speciebus immutatis adhibenda est : quod tamen falsum foret, si corpus Christi sub eisdem non conservaretur. Secunda D. Tho. ratio. Secundam rationem proponit D. Thom. loco cit. ex 4 sent. in resp. ad 3, ubi ait : « Quamvis illa accidentia carnis « ibi prius non essent; tamen sunt super- « inducta ad fidei instructionem divina « virtute. » Et in præs. art. 8, circa finem corporis, ubi inquit : « Hoc non est decep- « tio: quia fit in figuram cujusdam verita- « tis, scilicet ad ostendendum per hanc « miraculosam apparitionem, quod in sa- « cramento est vere corpus, et sanguis « Christi. » Itaque apparitiones hujusmodi fiunt virtute Dei ex intentione confirmandi fidem nostram circa realem, et veram existentiam corporis, ac sanguinis Christi in sacramento: sed non est credibile, quod miraculis factis ex hac intentione desinat corpus Christi esse in sacramento; et tunc maxime quando Christus se præsentem sensibiliter repræsentat : siquidem talis intentio, et talis effectus minime inter se cohærent : ergo sentire oportet, quod in his apparitionibus non desinit Christus esse in sacramento.

Diruuntur opposita motiva. Ad fundamentum autem contrariæ sententiæ respondetur solum probare, quod Christus desineret esse sub sacramento in his apparitionibus, nisi novum miraculum adderetur : nam per se, et regulariter loquendo desinit Christus ibi esse, quando desinunt species, et istæ desinunt esse, quando ibi desineret substantia panis, et vini, si fuisset: et in hoc sensu procedit regula a nobis proposita num. 81. Sed quando Deus addit miraculum immutandi species per prædictas immutationes, illud operatur ex intentione manifestandi Christum præsentem : et ideo conservat prædictas species saltem quantum ad dimensiones, licet circa alia accidentia fiat tanta variatio, quod induceret desitionem panis, et vini, si ibidem esset : complectitur enim tale miraculum tam specierum immutationem, quam earum conservationem saltem in quantitate. Et quod hæc aliquando appareat longe major, non provenit ex additione novæ quantitatis, vel ex eo, quod una loco alterius succedat ; sed ex eo quod miraculose notabiliter rare fit: sicut et naturaliter contingere valet in rarefactione minori. Decipiuntur itaque Auctores contrarii in eo, quod rem in his apparitionibus metiuntur juxta regulas generales : cum tamen ipsæ miraculosæ apparitiones importent distinctum miraculum ex intentione manifestandi realem Christi præsentiam in sacramento : ad quod miraculum pertinet conservare dictam præsentiam non obstante immutationespecierum: unde oportet judicium efferre ultra regulas communes.

Limitatio observanda. 92. Aliqua autem oportet ulterius observari circa præmissam resolutionem. Primum aliquas apparitiones, aut mutationes in speciebus non ordinari ad confirmandum fidem circa præsentiam Christi de præsenti, sed de præterito, et multo magis ad puniendos aliquos peccatores indigne accedentes. Sic aliquando Eucharistia conversa est in lapidem, ut scribit Joannes Joannes. Diacon. Niceph. Diaconus *in vita S. Gregorii*. Et Nicephorus lib. 13 *histor.* cap. 7 refert idem accidisse mulieri, quæ hæresi Macedoniana infecta ad hoc sacramentum accessit. Et in hoc casu manifestum est nec conservari species, nec Christum sub speciebus : sed idem proportionabiliter contingere, ac si spe-

cies naturaliter corrumperentur, et redigerentur in cineres, terram, aut lapidem. Sed prædictus casus alienus est a præsenti consideratione, illumque satis aperte exclusit D. Thomas difficultatem restringens ad qualitatem apparitionis, « quando, *inquit*, in hoc sacramento apparet miraculose caro, vel puer. » Secundum est, quod ut optime observavit D. Thom. infra quæst. 82, art. 4 ad 3, his verbis : « Si miraculose corpus Christi in altari sub specie carnis appareat, aut sanguis sub specie sanguinis; non est sumendum. Dicit « enim Hieronymus super Levit. De hac « quidem hostia, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet : « de illa vero, quam Christus in ara crucis « obtulit, secundum se nulli edere licet. « Nec propter hoc sacerdos transgressor « efficitur : quia ea, quæ miraculose fiunt, « legibus non subduntur. Consulendum « tamen esset sacerdoti, quod iterato corpus, et sanguinem Domini consecraret, « et sumeret. » Tertium est, in his speciebus miraculose immutatis, quas retinere corpus Christi asseruimus, posse aliquando ob magnam temporis diuturnitatem apparere sufficientia corruptionis signa, ut deinceps judicemus non remanere in illis corpus Domini. Idque observare oportet, ut ex tunc non adhibeatur eadem reverentia, quæ Eucharistiæ propter realem Christi præsentiam debetur; sed alia inferior, qualis signo, aut vestigio Christi, quod ibi aliquando fuit, proportionetur, et qualis ejus vestibus, aliisque reliquiis exhiberi solet, juxta doctrinam a nobis ex professo traditam tract. 21, disp. 38, dub. 1 a num. 4. Semper tamen oporteret tales species religiose servari usque ad perfectam, et manifestam illarum corruptionem.

Alia ex D. Tho.

Tertia.

DUBIUM VIII.

Utrum Christus potuerit in pluribus locis circumscriptive constitui ?

Non semel in animo habuimus propositæ difficultatis discussionem prætermittere : tum quia non ita pertinet ad Theologos, quam ad Philosophos, cum quibus illam versant N. Complutenses abbrev. *in Physic.* disp. 19, quæst. 7, tum quia necessaria non est ad præsentem considerationem : salvatur enim veritas sacramenti Eucharistiæ, sicut etiam et modus præsentiæ sacramentalis Christi, independenter ab eo, quod corpus possit, aut non, esse simul circumscriptive in diversis locis, ut satis evidenter constat ex hactenus dictis. Unde observavimus plures Theologos, quos frequenter in hac materia consulimus, propositum dubium alto silentio relinquere : et eodem modo non etiam gerere sæpe, ut diximus, habuimus in proposito. Sed tamen cum non infrequentius significaverimus implicare hujusmodi præsentiam, congruum tandem censuimus eam difficultatem saltem per modum appendicis præcedentibus attexere, ut lector non desideret sæpius insinuatæ implicationis motiva. Pro cujus resolutione observandum est, quod duobus modis potest aliquid esse in loco connaturaliter, nempe circumscriptive, et diffinitive. Primus præsentiæ modus, qui proprius est corporum; consistit in eo, quod totum corpus locatum toti loco, et pars corporis locati parti loci correspondeant, ut in collocatione corporum fieri videmus. Secundus vero modus, qui ad substantias spirituales magis spectat, situs in eo est, quod locatum ita sit in hac parte mundi, quod non in alia; quidquid sit de præmissa correspondentia, quæ in substantiis spiritualibus locum non habet. Utroque autem modo locatio contingat, potest locus esse locato adæquatus, cum scilicet sufficienter correspondet quantitati, aut virtuti rei locabilis; vel inadæquatus, quando videlicet caret ea correspondentia, et est minor. Præsens ergo difficultas procedit circa præsentiam corporis Christi (et idem generaliter intelligendum est de aliis corporibus), modo circumscriptivo, et respective ad plura loca adæquata. Et supponimus id naturaliter fieri non posse, ut satis convincitur ipsa experientia. Unde difficultas tractari debet per respectum ad potentiam Dei absolutam.

Nota.

§ I.

Vera D. Thomæ sententia, et primum ejus fundamentum ab auctoritate, et ratione.

93. Dicendum est per nullam potentiam fieri potuisse, quod Christus collocaretur in pluribus locis circumscriptive. Ita D. Thomas in hac 3 part. quæst. præced. art. 1 ad 3, et in hac quæst. art. 3 et 4 et 8 ubi ait : Corpus

Conclusio.

D. Tho.

« Corpus Christi non potest in propria specie videri nisi in uno loco, in quo diffinitive continetur. Unde cum videatur in propria specie, et adoretur in cœlis; sub propria specie non videtur in hoc sacramento. » Si autem Christus posset esse circumscriptive in pluribus locis, posset videri sub propria specie in eisdem locis. Et loquitur D. Thomas non solum de lege ordinaria, sed etiam secundum potentiam Dei absolutam : nam versat casum miraculosum, nempe quando Christus apparet in sacramento. Et in 4 dist. 10, quæst. 1, art. 1, inquit : « Ponere, quod corpus Christi ubique possit esse, est hæreticum, quia hoc divinitatis est proprium. » Si autem corpus Christi posset esse in pluribus locis, pariter posset esse in omnibus, atque ideo ubique, ut statim magis expendemus. Et quodlib. 5, quæst. 1, art. 2 ait : « Ponere, quod unum corpus sit localiter in hoc loco, et tamen sit in alio loco, est ponere contradictoria simul vera. Unde secundum præmissa hoc a Deo fieri non potest.» Quare sic unanimiter docent omnes Divi Thomæ discipuli, si unum Sotum excipiamus, qui in 4 *Physic.* quæst. 6 et in 4 sent. dist. 10, quæst. 1, art. 5, resolvit contrariam opinionem probabiliter sustineri. Nostram etiam assertionem amplectuntur B. Albertus in 4, dist. 13, art. 12, D. Bonaventura dist. 10, quæst. 3, Durandus quæst. 5, Carthusianus dist. 13, quæst. 3, dub. 1, Henricus quodlib. 9, quæst. 31, Vazquez in præs. disp. 189, cap. 5, Bernardinus Maziota tom. 1 *selectarum*, quæst, 5, Abulensis, et alii apud N. Complutenses loco cit. Moneda, et plures alii, quos refert, et sequitur Cardinalis Aguirre *in Philosoph.* disp. 26, sect. 2, num. 2.

[Margin: . Alb. / ·. Bon. / ·urand. / ·arthus. / ·enric. / ·azq. / ·aziot. / ·guirre.]

[Margin: ·unda-mentum ab auctoritate.]

Probatur primo ab auctoritate Patrum : nam in primis eorum non pauci docent conveniens fuisse Christum manere apud nos in sacramento Eucharistiæ, ne scilicet in quantum homo esset omnino absens, qui in propria specie migraturus erat ad Patrem, et regnaturus in cœlo. Quo discursu satis aperte significant Christum in propria specie, sive circumscriptive non potuisse esse simul in diversis locis cœli, et terræ. Unde P. N. Cyrillus Alexandrinus lib. 2 *in Joan.* cap. 3, ait : « Non potuit carne cum discipulis conversari, qui in cœlos ascendit.» Nec valet dicere hunc Patrum discursum procedere de præsentia Christi connaturaliter loquendo, et secundum communem providentiam; minime tamen excludere, quod oppositum per miraculum fieri queat. Nam contra hoc est, quod Patres, quia Christus discessurus erat in cœlum, et subinde non poterat in propria specie apud nos manere, affirmant convenientem fuisse institutionem Eucharistiæ, in qua Christus manet aliena specie occultus : manifestum autem est Eucharistiam esse stupendum miraculum divinæ virtutis supra omnem communem providentiam : ergo Patres, quando affirmant Christum non potuisse manere in propria specie ex suppositione, quod in eadem specie regnaturus foret in cœlis, non loquuntur præcise de potestate ordinaria, aut secundum providentiam communem, sed procedunt secundum potestatem absolutam. Alias enim non recurrerent ad institutionem Eucharistiæ; cum Christus magis compendioso miraculo potuisset manere in propria specie apud nos. Sic itaque discurrentes haud obscure significarunt impossibile simpliciter esse, quod Christus in propria specie sive modo circumscriptivo existeret simul in cœlo, et in terra. Deinde id specialiter, et nervose significat D. Augustinus lib. 20 *contra Faustum*, cap. 11, ubi Manichæos impugnat, qui asserebant Christum simul fuisse in cruce, in sole, et in luna. Refellit itaque illos his verbis : « Secundum præsentiam quippe spiritualem nullo modo illa pati posset. Secundum præsentiam vero corporalem simul et in sole, et in luna, et in cruce esse non posset. » Et tandem illos inducit in quoddam impossibile absurdissimum, quod Christus esset, et non esset idem. « Postremo, *inquit*, dicite nobis, quot Christos esse dicitis? Aliusne, quem Judæi crucifixerunt, et alius ille per solem, et lunam distentus ? » Quæ verba, et discursus, ut vim habeant, necessario accipi debent per respectum etiam ad potentiam absolutam, et miraculosam : alioqui facile Manichæi nodum dissolverent dicendo illam Christi in diversis mundi partibus existentiam fuisse miraculosam, et divina providentia executam Unde consequens foret discursum Augustin apud Adversarios nostros esse stramineum et nullius efficaciæ, sicut si a nobis contra illorum opinionem opponeretur. Quod tamen dici nequit absque injuria magni Doctoris. Tandem id ipsum subtiliter, et ge-

[Margin: D. Cyr.] [Margin: D. Aug.]

D Ans. neraliter significavit D. Anselmus *in Monologio* cap. 20 ubi contradictionem diversarum harum præsentiarum repræsentat his verbis : « Quod igitur totum est in aliquo « loco, quomodo totum simul est in alio « loco, si nihil de eo esse potest in alio « loco ? Quoniam igitur unum totum non « potest esse simul in diversis locis totum; « consequitur, ut per singula loca singula « sint tota, si in singulis locis simul aliquid « est totum. »

Prima ratio. 94. Sed horum, aliorumque testimoniorum vires magis expendentur, si illa reducamus ad formam argumenti in hunc modum : nam ex eo, quod idem corpus possit esse in duobus locis, sequitur illud posse esse ubique : consequens est falsum : ergo et antecedens. Sequela demonstratur : nam si idem corpus potest constitui in duobus locis, similiter poterit constitui in tribus : ergo et in quatuor locis : ergo in multis aliis: ergo in omnibus, et ubique. Falsitas autem consequentis probatur tum ex testimoniis proxime relatis. Tum universaliori Patrum doctrina : fuerunt enim olim hæretici Apollinaristæ, Eutychiani, et Monothelitæ asserentes Christum secundum humanam naturam existere ubique, saltem postquam in cœlum assumptus est: quam assertionem postea innovarunt Lutherus, et aliqui ejus discipuli, qui propterea *Ubiquistæ* appellati sunt, ut eos refellentes observavimus tract. 21, disp. 3, num. 74. Sed prædictam assertionem videlicet Christum secundum naturam humanam, vel humanam Christi naturam non circumscribi ad determinatum locum, sed esse *ubique* reprobarunt communiter Patres. Unde in Septima Synodo act. 6 dicitur « deceptos illos esse, qui « incircumscriptam Verbi naturam cum « circumscripta carne ab eo assumpta confundunt. » Et act. ult. « Si quis Deum « secundum humanitatem non circumscriptibilem confessus fuerit, anathema sit. »

Septima Synod.

D. Naz. Et D. Nazianzenus epist. 1 *ad Cledonium*, dicit Christum « incircumscriptum spiritu, « circumscriptum corpore; comprehensibilem, et incomprehensibilem. » et D. Damascenus lib. 3 *de fide*, cap. 3: « Quomodo « enim possibile est eandem naturam esse « circumscriptam, et incircumscriptam? »

D. Dam.

Aug. D. August, epist. 57 in eandem hæresim adeo invehitur, ut dicat corpus Christi non fuisse verum corpus, si ubique diffusum est, et addit : « Secundum hanc formam « non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim, ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis « auferamus. » D. Leo epist. 20 *ad Fabianum*, probat quod si Verbum assumpsit veram carnem, hæc non est ubique præsens, et concludit : « Sicut Verbum ab æqualitate « paternæ gloriæ non recessit ; ita caro « naturam nostri generis non reliquit. » Similia omnino proferunt D. Athanasius in lib. *de natura humana suscepta*, Nicephorus Patriarcha Constantinopol. tom. 4 *Biblioth.* VV. PP. S. Andreas Cretensis in orat. *de Lazaro quatriduano*, Theodoretus dialog. 3, Titus Bostrensis in cap. 23 *Lucæ*, Vigilius lib. *contra Eutychen.* tom. 4 *Biblioth.* Hugo Victorinus tom. 3, lib. 2 *de sacram.* aliique plures, quos prolixum foret referre. Et denique Angelicus Doctor omnium sententias complexus loco supra cit. ex 4 sent. rotunde statuit : « Ponere, « quod corpus Christi ubique possit esse, « est hæreticum, quia hoc divinitatis est « proprium. »

D. Leo D. Ath. Niceph. Andreas Creten. Theod. Titus. Bostre. Vigiliu. Hugo. Victor. D. Th.

Roboratur. Confirmatur, et declaratur amplius : nam quod habet existere ubique, habet esse immensum : sed repugnat, quod aliquod corpus sit immensum : ergo repugnat corpus aliquod existere ubique : ergo et quod constituatur in duobus locis. Hæc secunda consequentia patet ex prima : quia ut proxime vidimus, si corpus essentialiter non alligatur ad existendum in uno tantum loco, qua ratione potest existere in duobus, poterit etiam existere in octo locis, et in mille, et in multis, et consequenter in omnibus, et ubique. Prima vero consequentia legitime infertur ex præmissis. Minor autem est certa : nam quod est proprium Dei, repugnat creaturæ : sed esse immensum est proprium Dei, non minus quam esse æternum, et esse omnipotentem, et similia: ergo repugnat, quod aliquod corpus sit immensum, sicut ob eandem rationem repugnat creaturam aliquam esse omnipotentem. Major denique ostenditur : tum quia esse immensum explicatur per esse ubique: ergo quod habet esse ubique, habet esse immensum. Tum etiam quia sicut esse omnipotentem consistit in eo, quod omnia faciat, sive in eo, quod nullus effectus subterfugiat ejus causalitatem : ita esse immensum consistit in eo, quod repleat omnem locum, sive in eo quod nullus sit locus, cui non sit præsens : sed ita comparatur, quod habet

habet existere ubique sive in omni loco, nullo excepto : ergo quod existit ubique, est immensum.

Responsio Adversariorum. 95. Huic argumento, quantum ad testimonia Patrum eidem inserta pertinet, respondent Adversarii non facere ad rem præsentem. Primo, quia eo tendunt, ut doceant contra hæreticos Eutychianos, et similes naturam divinam, et humanam cum suis proprietatibus mansisse impermixtas in mysterio Incarnationis; atque ideo divinam non fuisse circumscriptam ratione humanitatis, nec hanc factam fuisse immensam ratione naturæ divinæ. Cui doctrinæ minime opponitur dicere, quod humanitas, aut aliud corpus possit constitui in duobus, aut multis locis, et eisdem circumscribi, ut ex se constare videtur. Secundo, quia Patres loquuntur secundum præsentem præcise providentiam ; sicut oportebat ad quæstionem de facto cum hæreticis. Adversarii autem non dicunt corpus Christi, vel aliud esse de facto in multis locis ; sed solum quod id non sit impossibile : unde nihil docent Patribus contrarium.

Confutatur. Sed hæc responsio minime satisfacit. Et quod primo loco affert, evidenter evertitur : nam licet Patres principaliter intenderint evincere veritatem catholicam contra hæreticos asserentes permixtionem vel naturarum, vel proprietatum, vel operationum in Christo ; nihilominus occasione hujus disputationis descenderunt ad particularia attributa, et nominatim ad attributum immensitatis : eo quod hæretici consequenter ad principale, et generale principium permixtionis naturarum asserebant communicationem in proprietatibus, et præsertim in immensitate dicentes humanam Christi naturam esse ubique. Unde Patres opus etiam habuerunt descendere in particulari ad confutandum hanc positionem circa existentiam humanitatis ubique. Et quod ita se gesserint manifeste constat ex eorum testimoniis : quia nominatim agunt de præsentia humanitatis ubique, sive in omnibus locis illamque relegant, ac refellunt. Quare hac via subrui non valet eorum testimoniorum pondus. Quod vero additur secundo loco, non magis prodest : quia licet disputatio Patrum cum hæreticis fuerit per respectum ad humanitatem de facto, et secundum præsentem providentiam : tamen hæretici dicebant hanc ipsam præsentem circa humanitatem Christi providentiam esse supernaturalem, extraordinariam, et miraculosam. Nec enim tam stupidi erant, ut assererent humanitatem Christi naturaliter, et sine miraculo esse ubique : sed hoc prædicatum, et similia fundabant in supernaturalissima, et miraculosa providentia Dei assumentis humanitatem ad Verbum. Quocirca Patres prædictam hæresim in eodem sensu impugnarunt, ostendentes impossibile esse, quod ab illis asserebatur. Unde non solum negarunt, quod humanitas Christi sit ubique, sed quod esse potuerit : et non solum naturaliter, sed nec miraculose. Et ita videmus illos ea motiva expendisse, quæ reducunt Adversarios ad impossibilia, et ab Ecclesia reprobata : arguunt enim, quod si humanitas Christi esset, ubique, confunderetur natura divina cum natura creata, et quod est circumscriptibile, redderetur incircumscriptum : quod tamen repugnat, et adversatur communi Ecclesiæ doctrinæ.

96. Respondent secundo Patres præcipue intendisse, quod humanitas Christi non sit immensa, nec participet hoc attributum proprium divinæ naturæ. Quamvis autem humanitas, vel alia natura corporea constitueretur ubique, non propterea esset immensa. Tum quia non fieret præsens virtute propria, sed virtute Dei illam miraculose in omnibus locis constituentis : ut autem aliquid sit immensum, debet habere ex se vim replendi cuncta. Tum quia natura, quæ constitueretur in omnibus locis, fieret illis præsens non unica, et indivisibili præsentia, sed pluribus ; cum tamen ad immensitatem proprie dictam requiratur, quod res sit ubique præsens per præsentiam unam indivisibilem. Et ita se diluere putant confirmationem a nobis objectam. Aliud effugium.

Præcluditur. Cæterum responsio hæc non est melior præcedenti : quoniam illud corpus est simpliciter immensum, quod de se, et secundum quod actu habet, potest replere omnem locum : sed ita se haberet corpus, quod Deus constitueret, aut constituere posset in omnibus locis : ergo tale corpus esset simpliciter immensum : cum igitur Adversarii dicentes idem corpus posse constitui in duobus locis, consequenter concedant posse constitui in omnibus aliis: sequitur ex eorum sententia, quod corpus quodlibet immensum simpliciter sit. Utraque consequentia patet ex præmissis. Major autem explicatur, et suadetur : quoniam

sicut ad salvandum aliquam virtutem activam esse simpliciter omnipotentem, sive infinitam in agendo, non requiritur, quod actu efficiat omnes effectus possibiles (id enim repugnat ex parte effectus) : sed sufficit, et requiritur, quod secundum id, quod actu habet, et nulla sibi facta additione, possit in plures, et plures syncategorematice effectus, quin ullus sit assignabilis, qui tali virtute produci nequeat : ita ad salvandum propriam rationem corporis simpliciter immensi, non requiritur, quod actu repleat omnia loca possibilia (quod repugnat ex parte effectus :) sed requiritur et sufficit, quod secundum id, quod actu habet, et absque ullo sibi superaddito valeat replere plura, et plura loca sine termino, quin aliquis locus sit assignabilis, qui tali corpore repleri non possit. Eodem namque modo se habet immensum in posse replere loca sine termino ; sicut omnipotens in posse producere effectus sine termino. Minor denique ostenditur : nam licet Deus esset, qui effective constitueret illud corpus ubique, et in omnibus locis sine termino : nihilominus id, quod formaliter repleret loca, non esset ipse Deus, sed corpus locatum : quippe manifestum est locum non repleri formaliter circumscriptive per Deum, sed per corpus in se collocatum : ergo si idem corpus potest esse ubique, sequitur tale corpus de se, et secundum id, quod actu habet, posse replere omnem locum. Quare sicut quia Deus potest active constituere corpus in pluribus, et pluribus locis sine termino, recte arguitur Deum esse omnipotentem, sive infinitæ virtutis in constituendo corpus in locis : sic etiam si idem corpus per id, quod actu habet, posset replere plura, et plura loca sine termino, recte argueretur tale corpus esse simpliciter immensum in replendo loca. Et sic possemus dicere granum sinapis esse simpliciter immensum. Quo quid stultius, et rectæ rationi magis repugnans?

Evertuntur motiva responsionis. Unde convulsa manent motiva, quibus præmissa responsio confirmabatur. Primum quidem, nam etsi illud corpus constitueretur in omnibus locis virtute Dei illud trahentis, et constituentis in locis ; nihilominus repleret formaliter loca non per virtutem Dei, sed per propriam quantitatem : atque ideo talis quantitas foret simpliciter infinita, sive immensa in replendo loca. Sicut omnis forma dependet a concursu activo Dei, ut uniatur materiæ, illamque informet : et hoc non obstante, si una forma posset informare simul plures materias, et quantum est de se, omnes materias possibiles ; recte argueretur talem formam esse simpliciter infinitam in informando, sive in linea formæ.

Secundum etiam evertitur : quoniam vim non facimus in actuali præsentia, seu collocatione in loco, sed in virtute repletiva locorum quasi in actu primo, quæ non distinguitur a quantitate : ergo quidquid fuerit de actuali præsentia, et ejus multiplicatione, si idem corpus per eandem quantitatem potest occupare plura, et plura loca sine termino, sive collocari, quantum est de se, in omnibus locis ; sequitur talem quantitatem esse immensam, atque infinitiam in vi locabili. Sicut enim virtus activa quæ sine additione virtutis posset in actu primo producere plures, et plures effectus sine termino, sive omnes effectus possibiles, esset simpliciter infinita in esse virtutis activæ ; quamvis effectus postea attingeret per diversas realiter actiones : sic etiam virtus repletiva loci, quæ sine ulla additione hujus virtutis potest in actu primo replere plura, et plura loca sine termino, sive omnia loca possibilia, nequit non esse infinita simpliciter in esse virtutis repletivæ locorum ; licet loca postea in actu repleat distinctas realiter præsentias. Et sic procedit inconveniens a nobis objectum. Adde primo Adversarios eodem modo discurrere de præsentia diffinitiva spiritus, ac de præsentia circumscriptiva corporis : ergo si idem corpus potest juxta illos existere circumscriptive ubique, sive in omni loco ; pariter idem Angelus poterit esse ubique, sive in omni loco diffinitive : sed Angelus existeret unica, indivisibili, et spirituali præsentia : ergo saltem juxta præmissam Adversariorum doctrinam non vitatur, quod Angelus sit immensus. Adde secundo, quod si daretur aliquod corpus replens actu omnem locum possibilem, ut quidam non repugnare arbitrantur, tale corpus esset simpliciter infinitum, et immensum : et tamen non esset in omnibus locis per unam, et simplicem præsentiam, sed per plures : quippe cum corpus illud esset divisibile, et haberet partes ; deberet secundum unam partem correspondere uni loco, et secundum alteram partem correspondere alteri : ergo quod

corpus,

corpus, quod conceditur posse replere omnia loca, non corresponderet illis per unam præsentiam, sed per plures ; minime vitat, quod tale corpus sit immensum, sive infinitum in replendo loca.

Objectio. 97. Nec refert, si opponas ex eo, quod Christi corpus possit constitui in pluribus, et pluribus sacramentis sine termino, sive in sacramentis syncategorematice infinitis, minime inferri tale corpus esse immensum : alias quo argumento probamus idem corpus non posse constitui in pluribus locis, eodem conficeretur corpus Christi non posse collocari in pluribus sacramentis ; quod dicere est contra fidem. Ergo pariter ex eo, quod idem corpus possit constitui in pluribus, et pluribus locis absque termino, sive in locis syncategorematice infinitis, minime sequitur tale corpus esse simpliciter immensum : id enim paritatis ratio convincit. Unde argumentum a nobis factum debet in nos regeri, et a nobis dilui.

Dispellitur. Id, inquam, nihil refert, et procedit ex sinistra intelligentia, dispellenda tamen manifesta ratione disparitatis, quam optime assignarunt N. Complutenses abbrev. loco supra cit. num. 43. Etenim ratio formalis replendi locum, et constituendi corpus in loco circumscriptive est quantitas : quare si idem corpus per eandem quantitatem posset replere omnia loca sine termino, non posset non talis quantitas esse simpliciter infinita in virtute replendi loca: sicut virtus activa quæ una existens potest in effectus syncategorematice infinitos, nequit non esse simpliciter infinita in ratione virtutis activæ : et sicut forma, quæ una existens posset informare omnes materias sine termino, deberet esse infinita in informando. Cæterum corpus Christi existit formaliter in sacramento non ratione suæ quantitatis, sed per suam substantiam; non quidem absolute sumptam, sed quatenus terminat conversionem substantiæ panis in se, et quatenus induit novum modum substantialem, novamque unionem ad species juxta doctrinam superius traditam dub.3 et disp. præced. dub.3. Unde corpus Christi existens in diversis sacramentis importat plures rationes formales existendi in eisdem sacramentis. Et idcirco minime arguitur corpus Christi habere unam aliquam rationem formalem infinitam ad existendum in infinitis syncategorematice sacramentis ; sed quod habeat in potentia passiva infinitas rationes formales numero differentes, per quarum unam possit esse in uno sacramento, et per aliam in alio, et sic de cæteris. Sed tamen quælibet ex his præsentiis est simpliciter finita tam in se, quam in virtute constituendi Christum in sacramento : quia corpus Christi ex vi unius conversionis passivæ, et modi, quem ista affert, ita est in hoc v. g. numero sacramento, quod non in alio. Et ut in alio existat, debet multiplicari prædicta ratio formalis existendi in sacramento.

§ II.

Expenduntur alia pro eadem assertione motiva.

98. Secundo probatur nostra conclusio ratione insinuata a D. Thom. in quodlib. cit. quoniam si idem corpus esset circumscriptive in diversis locis, non esset idem corpus : consequens implicat contradictionem ; siquidem suppositio est, quod idem corpus constitueretur : ergo antecedens est falsum. Cætera constant. Et antecedens suadetur : nam si idem corpus constitueretur in duobus locis ; quod esset in uno loco, distaret ab illo, quod foret in alio loco, sicut et ipsa loca distant inter se : at implicat, quod idem distet a se ipso : ergo corpus existens in duobus locis non esset idem corpus. Et declaratur amplius : quia plus est distare realiter, quam distingui realiter : quippe distantia addit supra distinctionem ; cum plura distinguantur, quæ non distant, e converso autem omnia, quæ distant, distinguuntur ; sed impossibile est, quod idem corpus distinguatur a se ipso ; et si distingueretur, esset, et non esset idem : ergo pariter repugnat, quod idem corpus distet a se ipso ; et si distet, sequitur illud esse, et non esse idem corpus. Secunda ratio.

Communis Adversariorum responsio est corpus constitutum in diversis locis distare a se ipso distantia locali, non autem distantia, aut diversitate entitativa : quia ista non semper, aut necessario ex illa colligitur. Et responsionem confirmant exemplo duorum corporum, quæ possunt per penetrationem coexistere in eodem loco, ut tenet communis Theologorum sententia : quoniam non est major ratio, quare ex distan- Adversariorum occursus

tia loci colligatur distantia, sive distinctio entitativa, quam ex identitate loci colligatur identitas rei locatæ : sed ex identitate loci non recte colligitur identitas rei locatæ, ut patet cum duo corpora penetrantur ; habent enim identitatem, sive indistantiam loci retinendo diversitatem entitativam : ergo pariter ex distantia loci non recte colligitur distantia, aut diversitas entitativa, sed solum localis : atque ideo fieri non repugnat, quod corpus distet a se distantia locali, et quod nihilominus non distinguatur, aut distet entitative, sed sit realiter idem corpus.

roteritur. 99. Sed evertitur hæc responsio applicando argumentum quantitati, per quam corpus in loco formaliter constituitur circumscriptive : quoniam si corpus constitueretur in diversis locis, quantitas corporis non esset eadem entitative : ergo nec corpus esset idem entitative : atque ideo persistit proposita contradictio, quod corpus duobus locis collocatum esset et non esset idem. Utraque consequentia patet. Et antecedens suadetur : tum quia cum effectus formalis formæ fiat in virtute formæ per se ipsam communicatæ; impossibile est multiplicari effectum formalem primarium, vel secundarium formæ, nisi forma entitative, atque in se ipsa multiplicetur : sed repletio loci, et præsentia ad locum est effectus formalis saltem secundarius quantitatis : ergo impossibile est multiplicari loci repletiones, sive præsentias locales, quin quantitas entitative multiplicetur : et consequenter si corpus constitueretur in duobus locis, quantitas corporis existentis in uno loco non esset entitative quantitas corporis existentis in alio loco. Tum etiam quia ita se habet quantitas ad constituendum corpus in loco, sicut se habet forma substantialis ad constituendum corpus in specie : sed implicat formam, per quam corpus constituitur in duabus speciebus, esse entitative eandem formam ; et ideo pro diversis speciebus requiruntur diversæ entitative formæ substantiales : ergo pariter repugnat quantitatem, per quam corpus constituitur in diversis locis, esse entitative eandem quantitatem ; et consequenter pro diversis locorum repletionibus, sive præsentiis localibus necessariæ sunt diversæ entitative quantitates.

Dispellitur penetrationis exemplum. Juxta quam doctrinam corruit exemplum penetrationis in contrarium allatum, et confirmatio ex illo desumpta : quoniam falsum est non magis ex distantia locorum colligi diversitatem rei locatæ, quam ex identitate loci colligatur identitas entitativa rerum locatarum. Et ratio disparitatis est satis perspicua : quia non repugnat impediri effectum secundarium formæ, ut patet in mysterio, quod tractamus, in quo quantitas corporis Christi invenitur sine suo effectu formali secundario extensionis localis : repugnat autem multiplicari effectum formalem secundarium, quin effectus formalis primarius multiplicetur, atque ideo quin multiplicetur ipsa forma: quippe formalis effectus non est aliud ex parte recti, quam ipsa forma subjecto communicata. Penetratio autem, sive coexistentia duorum corporum in eodem loco fit impediendo quendam effectum formalem secundarium quantitatis, nempe expulsionem alterius quantitatis ab eodem loco : unde nec implicat duo quanta esse in eodem loco, nec ex identitate loci colligitur identitas quantitatum, sive rerum locatarum. Ceterum collocatio corporis in loco fit formaliter per extensionem, sive præsentiam quantitatis ad locum, quæ repletio, sive præsentia est effectus formalis quantitatis : et quia repugnat multiplicari effectum formalem secundarium, non multiplicato primario, sive forma; propterea impossibile est eandem quantitatem habere duas extensiones, sive præsentias locales : atque ideo recte colligitur quantitatem corporis existentis in uno loco distingui entitative a quantitate corporis existentis in alio loco. Si ergo idem corpus collocaretur in duobus locis, haberet et non haberet eandem numero quantitatem, essetque, et non esset idem corpus.

Major responsionis eversio. 100. Refellitur secundo eadem responsio ostendendo ex distantia, aut diversitate secundum locum recte colligi distantiam, et diversitatem entitativam rei locatæ. Quoniam nequit corpus constitui in diversis locis inter se distantibus, nisi inter corpus existens in uno loco, et corpus existens in alio loco mediet aliquod corpus totale : ergo corpus existens in uno loco distinguitur realiter, entitative, et in se a corpore, quod in alio loco existit. Antecedens est certum : nam cum corpus circumscribatur a loco, eadem mediatio, vel immediatio est inter locata, quæ est inter loca : sed loca non distant, nisi quia aliquod totum mediat

mediat inter ea : ergo nequit corpus constitui in diversis locis inter se distantibus, nisi inter corpus existens in uno loco, et corpus existens in alio, mediet aliquod totum, seu corpus totale. Consequentia vero probatur urgenti paritate : nam impossibile est partes quantitatis, inter quas mediant aliæ partes , non esse realiter distinctas, v. g. partes quantitatis existentes in pede, et partes quantitatis existentes in capite, inter quas mediant partes quantitatis existentes in corpore, non distingui realiter inter se; cum quantitas totalis constet partibus realiter distinctis : ergo pariter, et a fortiori implicat, quod totum existens in uno loco, et totum existens in alio loco, inter quæ mediat aliud totum, sive corpus totale, non distinguantur inter se realiter. Patet consequentia : quia potentius est totum ad inducendum distinctionem in extremis, inter quæ mediat, quam sit pars : ergo si pars nequit mediare, quin constituat distinctionem realem inter extrema, idem a fortiori de toto dicendum est.

Continuatio impugnationis. Confirmatur : quia si idem corpus manens idem posset constitui in duobus locis distantibus, pariter posset constitui in duobus locis contiguis, ut Adversariorum nemo negat : sed implicat idem corpus manens idem constitui in duobus locis contiguis : ergo et in duobus locis distantibus. Probatur minor : quia si idem corpus constitueretur in duobus locis contiguis, non posset non esse sibi contiguum , non minus quam si duo corpora in illis locis contiguis existerent, et non minus quam ipsa loca : et oppositum nequit vel imaginatione apprehendi. Impossibile autem est dari contiguitatem sine reali corporum distinctione : quippe contigua sunt , quorum extrema sunt simul : quod intelligi non potest absque duobus corporibus se tangentibus : ergo implicat idem corpus manens idem constitui in duobus locis contiguis. Atque ideo si idem corpus in diversis locis constitueretur, esset, et non esset idem. Ad hæc : datis illis duobus locis contiguis , corpus existens in uno loco non continuaretur cum corpore existente in alio loco medio aliquo termino communi, sed solum tangeret illud penes ultimam, et extrinsecam superficiem, sicut generaliter accidit in omnibus contiguis : ergo non esset unum corpus, sed plura : ita enim comparantur corpora non habentia terminum communem, sed potius superficies ultimas, in quibus se attingunt.

101. Dices nostri argumenti vires manifeste debilitari exemplo corporis Christi, quod simul est in cœlo, et in sacramento Eucharistiæ, quin propterea possimus inferre, quod distinguatur entitative a se ipso, sed ad summum quod distet situaliter : idemque contingit in eodem corpore Christi existente in diversis sacramentis, quæ loco valde distant, ut patet in sacramentis existentibus apud nos, et apud Indos : ergo nec intentatum a nobis inconveniens inferri potest, aut debet ex eo, quod prædictum Christi corpus esset in diversis locis circumscriptive. Objectio.

Hoc tamen nihil est, et dissolvitur sola negatione consequentiæ ob satis manifestam disparitatem : quia, ut inquit D. Thom. in præs. art. 5 : « Nullo modo corpus « Christi est in hoc sacramento localiter. » Et ad 3 : « Non oportet, quod Christus sit « in hoc sacramento sicut in loco. » Idque satis constat ex dictis dub. 3, et præsertim a num. 31 ; si autem corpus Christi prout existens in sacramento non habet esse localiter, sive in loco ; consequens est Christum prout in sacramento existentem non esse intra locum, nec extra locum, nec loco distare vel a se ipso, vel ab aliis rebus existentibus in loco. Quare corpori Christi ut in sacramento existenti nequeunt applicari consequentiæ a nobis factæ erga corpus, quod existeret in multis locis circumscriptive, nempe quod distaret localiter a se ipso ; quod inter illud in uno loco, et ipsummet in alio loco mediarent alia corpora ; quod foret contiguum sibi ipsi ; quod habens diversas præsentias locales, quæ sunt formales quantitatis effectus, non posset non habere diversas numero quantitates, et alia ejusmodi. Si enim ista applicentur Christo existenti in sacramento, in omnibus negari debet suppositum : quippe Christus in sacramento existens, a loco absolutus, absolvitur etiam a cunctis vel effectibus, vel conditionibus, quæ localem præsentiam subsequuntur. Sed cum sermo fit determinate de corpore existente in multis locis circumscriptive ; procedunt recto tramite objectæ a nobis implicationes. Accedit corpus esse circumscriptive in loco per quantitatem sicut per rationem formalem ita existendi : quocirca Diruitur.

effectus formales existendi in loco, sive præsentiæ sacramentales nequeunt multiplicari, nisi quantitas multiplicetur ; et rursus quantitas multiplicari non valet, nisi corpus ea constitutum subeat eandem multiplicationem : quocirca procedendo de primo ad ultimum si idem corpus constitueretur in multis locis circumscriptive ; esset idem, ut supponitur ; et non esset idem, quia haberet plures numero præsentias, et quantitates. Hic vero discursus nec apparenter applicari valet corpori Christi existenti in sacramento : quia non existit ratione quantitatis, sed ratione suæ substantiæ, et per modum substantiæ ; non quidem absolute consideratæ, sed quatenus terminat transubstantiationem, et induit novum modum substantialem, ut vidimus disp. præced. dub. 3, et importat unionem realem ad species, ut statuimus in præs. dub. 2, et 3. Unde minime sequitur corpus Christi prout existens in sacramento distingui entitative a se ipso existente in cœlo, vel quod existens in uno sacramento distinguatur entitative a se ipso existente in alio sacramento : sed infertur præcise, quod secundum diversos illos modos habeat distinctos effectus formales, sive præsentias ; et quod secundum unum modum distinguatur a se ipso ut habente alterum modum : quæ non est distinctio entitativa in corpore, sed modalis, sive penes modos. In quo nulla clauditur implicatio.

Aliud pro assertione motivum. 102. Tertium nostræ assertionis fundamentum desumitur ex verbis relatis D. Anselmi. « Quod igitur totum est in aliquo « loco, quomodo totum simul est in alio « loco, si nihil de eo potest esse in alio « loco. » Potestque ad sequentem formam reduci : nam si idem corpus existeret in duobus locis adæquatis : sequeretur quemlibet prædictorum locorum esse adæquatum, et non esse adæquatum : in quo est manifesta contradictio. Sequi autem ostenditur : nam in primis esset adæquatus ; siquidem de eorum quolibet ita supponitur. Deinde non esset adæquatus ; cum aliquid corporis locati esset extra illum. Declaratur hoc amplius : nam locus comparatur ad locatum per modum termini illius : continet enim illud intra se : unde locus solet diffiniri, quod sit ultima superficies corporis continentis. Sed implicat aliquid esse ultra, vel extra terminum, in quo adæquate continetur. Ergo pariter repugnat, quod corpus sit extra locum sibi adæquatum : ergo si aliquid est in duobus locis, necessarium est, quod neuter locorum sit illi adæquatus : atque ideo si idem corpus existeret in duobus locis adæquatis ; quilibet locorum esset adæquatus, ut supponitur, et nullus eorum esset adæquatus, ut probatum est. Cætera constant. Et minor suadetur : tum quia terminus diffinitur ab Arist. 5 *Metaphys.* esse id, « extra quod nihil rei possumus usurpare : » ergo implicat aliquid esse ultra, vel extra terminum, a quo adæquate continetur. Tum etiam quia hac de causa non est intelligibile, quod aliquid sit terminus adæquatus, sive ultimatus motus, et quod nihilominus motus progrediatur ultra talem terminum. Aristot.

Responsio. Nec proderit dicere, quod in nostro casu quilibet locus dicitur adæquatus comparative ad corpus locatum secundum id quod naturaliter exigit ; non enim naturaliter exposcit esse in alio loco, quam in illo, et uno, a quo adæquate continetur secundum omnes partes. Sed cum hoc cohæret, quod per divinam virtutem collocetur in alio loco ; et consequenter quod neuter locorum sit adæquatus respectu corporis locati considerati secundum potentiam obedientialem, et cum subordinatione ad divinam virtutem. Unde nulla est in eis prædicatis contradictio. Id, inquam, minime satisfacit : quoniam corpus replet formaliter locum non per virtutem divinam, sed per suam quantitatem naturaliter locabilem : quippe manifestum est, ut supra expendimus, id, quod formaliter occupat circumscriptive locum, non esse aliud, quam quantitatem ; quamvis ejus in loco positio, sive applicatio dependeat ab influxu divinæ virtutis effective concurrentis. Quare quod locus sit, vel non sit adæquatus, regulari debet penes comparationem ad vim locabilem quantitatis. Et sic procedit argumentum : nam si locus, in quo existit corpus, est ei adæquatus per commensurationem ad illius quantitatem, et ejus partes ; sequitur, quod corpus locatum non sit extra talem locum. Si vero corpus locatum sit in alio loco ; sequitur priorem locum non esse illi adæquatum. Si enim locus, extra quem reperitur quarta, vel sexta pars rei locatæ, non est tali rei adæquatus : quanto minus poterit esse adæquatus locus, extra quem invenitur tota res locata? Impugnatur.

Qui

103. Qui discursus potest confirmari generali illo principio, quod idem effectus nequit simul dependere a pluribus causis totalibus, sive adæquatis, et ejusdem ordinis, ut recte probant N. Complut. abbrev. *in Physica* disp. 15, quæst. 3. Constat enim locum comparari per modum causæ ad corpus locatum, in quantum illud continet, et circumscriptive, sive per commensurationem ad partes, ipsum complectitur. Omnia enim hujusmodi loca, de quibus agimus, sunt ejusdem ordinis, ut satis ex se liquet. Si ergo idem corpus esset circumscriptive in duobus locis ; sequeretur tale corpus in esse actualiter locati dependere, et non dependere a quolibet locorum seorsim sumpto : in quo est manifesta contradictio. Dependeret quidem : quia tota vis locabilis talis corporis inveniretur locata in tali loco, a quo adæquata circumscriberetur. Et non dependeret, quia independenter a tali loco inveniretur circumscripta, et contenta in alio. Similiter dependeret a primo loco, quia contineretur intra illum sicut intra suum terminum : et non dependeret, quia actu inveniretur extra illum terminum, utpote in diverso loco existens.

N.Comp.

Præciditur alia fuga.

Nec hic impediri debemus exemplo corporis Christi, quod in in cœlo existens continetur a loco sicut a termino ; et nihilominus extra illum terminum invenitur in Eucharistia. Nam, ut supra diximus, cum corpus Domini non habeat esse in sacramento sicut in loco ; minime dici valet, quod ex vi modi existendi in sacramento habeat esse extra, vel intra terminos cœli, aut alterius loci ; sed negari debet suppositum. Accedit contra rationem termini adæquati esse, quod contentum in illo sit extra illum secundum eandem rationem formalem, penes quam attenditur adæquatio ; secus vero secundum aliam rationem diversam. Adæquatio autem inter locatum, et locum circumscriptivum attenditur penes quantitatem sicut secundum rationem formalem : unde quod circumscriptive est in uno loco adæquato, nequit quantitativo modo existere extra talem terminum, sive constitui in alio loco circumscriptivo : et ita Christus, qui prædicto modo existit in cœlo, nequit eodem modo alibi existere. Et quod existat in sacramento, non refert : quin ibidem non existit sicut in loco, nec ratione quantitatis. Porro quod existat in pluribus, aut sub pluribus speciebus, quibus unitur tanquam termino continenti juxta doctrinam supra traditam dub. 2, prædictæ doctrinæ minime præjudicat : quoniam licet quælibet species possit dici terminus adæquatus respectu corporis Christi ut terminantis conversionem substantiæ, quæ tali speciei correspondebat : nihilominus est simpliciter terminus inadæquatus respectu corporis Christi ut terminantis alias conversiones. Unde prædictum corpus habet esse in diversis sacramentis sicut in terminis non adæquatis, sed inadæquatis, et partialibus respectu sui, in quantum loco diversarum substantiarum succedit. Sicut enim per nullam consecrationem in particulari terminat corpus Christi, quantum terminare potest transubstantiationem ; ita per nullas species in particulari terminatur, quantum terminari valet ut factum per alias transubstantiones.

104. Sed oppones : quoniam subsistentia se habet per modum termini ad naturam, quam terminat, seu supposital : et quælibet subsistentia divina est terminus adæquatus respectu naturæ creatæ quam personat ; siquidem nihil ejus non terminatum relinquit : sed non implicat, quod natura creata terminata per unam subsistentiam divinam, terminetur ulterius per alias subsistentias divinas et trahatur ad omnes divinas personas, ut statuimus tract. 21, disp. 8, dub. 6 : ergo licet locus adæquatus comparetur ad locatum per modum termini adæquati ; nulla est contradictio in eo, quod idem corpus constitutum in uno loco adæquato simul constituatur in aliis. Eo vel maxime, quod difficilius apparet idem terminari pluribus terminis intrinsecis, quam extrinsecis : sed subsistentia est terminus intrinsecus naturæ, quam supposital ; locus vero est terminus extrinsecus corporis, quod continet : ergo si non repugnat eandem naturam terminari per plures subsistentias adæquatas, et ejusdem ordinis, cujusmodi sunt subsistentiæ divinæ ; minus repugnabit, quod idem corpus terminetur pluribus locis adæquatis.

Objectio

Respondetur hanc objectionem regerendam esse in Scotum, et ejus discipulos, qui negant eandem naturam creatam posse terminari per plures subsistentias divinas : si enim istæ subsistentiæ (non obstante, quod conveniant in terminando unam na-

Diluitur.

turam divinam ad intra); nequeunt terminare simul unam naturam creatam ad extra, quia natura creata, cum finita sit, adæquate terminatur per unicam subsistentiam : multo magis repugnans apparet, quod idem corpus terminetur simul per plura loca adæquata; siquidem ex una parte talia loca minus inter se conveniunt, et ex alia parte corpus habet vim locabilem finitam, quæ uno loco, sive termino adæquato sufficienter exhauritur. Sed ulterius respondemus omittendo præmissas, et negando consequentiam. Ratio autem disparitatis in primis est tum quod quælibet subsistentia divina est terminus respectu naturæ creatæ adæquatus non extensive, sed intensive : quia cum nullam habeant incompossibilitatem in terminando naturam divinam, nullam etiam habere debent in terminando naturam creatam : et ideo quælibet illarum ita terminat intensive, et sufficienter, quod relinquit locum ad terminationem per alias; et propterea non terminat adæquate extensive. Sed duo loca adæquata ita comparantur, quod eorum quilibet terminat locatum adæquate intensive, et extensive : quia prædicta loca habent incompossibilitatem inter se ob diversam distantiam, et correspondentiam ad polos mundi, quæ nequit non inferre distantiam, et subinde distinctionem inter locata : quare unus locus adæquatus locato ita illud terminat, quod terminat adæquate tam intensive, quam extensive : quippe nihil in eo relinquit, quod simul, aut in sensu composito possit terminari per alium locum. Deinde adest alia notabilis differentia, quæ magis fundat assignatam disparitatem : nam licet idem effectus nequeat simul dependere a pluribus causis adæquatis ejusdem ordinis, seu rationis; potest tamen, si diversi ordinis, aut rationis sint : et similiter quamvis idem terminabile non possit simul terminari per plures terminos ejusdem ordinis, sive rationis; potest tamen, si diversæ rationis sint. Subsistentiæ autem divinæ sunt diversæ rationis saltem modalis, cum distinguantur quasi specifice inter se : quare ex eo, quod una, et eadem natura vel divina, vel humana terminetur simul per tres divinas subsistentias; non sequitur eumdem effectum, aut quasi effectum dependere a pluribus principiis totalibus ejusdem ordinis; sed magis quod suscipiat terminationes specifice modaliter differentes. Sed loca circumscriptiva sunt ejusdem prorsus rationis in continendo locatum : unde si idem corpus simul esset in pluribus locis adæquatis; penderet in sua continentia passiva a pluribus causis totalibus, et ejusdem ordinis : quod repugnat. Quare corpus ita circumscribitur per unum locum adæquatum, quod simul terminari nequit per alium. Videantur, quæ diximus tract. cit. a num. 142. Ubi fusius hanc secundam rationem disparitatis expendimus.

Augmentum autem difficultatis facile evacuatur juxta doctrinam immediate traditam : nam ad considerationem præsentem de materiali se habet, quod terminus terminet intrinsece, vel extrinsece. Per se autem est, quod habeat, vel non incompossibilitatem cum alio. Personalitates vero divinæ sicut ad intra nullam habent incompossibilitatem, ut supponitur; ita nec ad extra in terminando naturam creatam. Sed loca adæquata habent incompossibilitatem in terminando simul idem locatum propter rationes hactenus assignatas.

Quarta pro assertione ratio.

105. Ultimum, ut alia omittamus, pro nostra assertione fundamentum proponi valet, quod si idem corpus in multis locis adæquatis constitueretur, posset utique in uno loco moveri sursum, et in alio moveri deorsum : posset etiam in uno calefieri, et in alio infrigidari, ut si Salmanticæ existens applicaretur ad ignem, et Romæ existens ad nivem : posset ulterius, quod mirabilius foret, mori in uno loco, et vivere in alio, ut si Salmanticæ gladio percuteretur, non autem Romæ. Hæc autem de eodem corpore (licet in diversis locis constituto) verificari est impossibile; siquidem eorum aliqua, et alia plura, quæ excogitari valent, important oppositionem privativam, et contradictoriam. Ergo cum inferantur ex collocatione ejusdem corporis in pluribus locis adæquatis; tenendum est antecedens repugnare. Et non latent nos vel responsiones, quibus Adversarii hoc fundamentum subruere tantant, vel innumeræ pugnæ, quas inter se habent, ut declarent, quot prædicata corpus uno loco constitutum debet habere ex illis, quæ participat in alio. Tanta enim, et adeo portentosa circa hoc punctum Recentes dicere solent, ut non solum difficile, sed quasi impossibile reputaverimus illa referre, et refellere.

refellere. Nec jam sistunt in prædicatis absolutis a loco, sed lites porrigunt vel ad ipsissimas ubicationes, quibus corpus in locis constituitur, ut cum disputant, an corpus Romæ existens haberet ibi idem *ubi* per quod fit Salmanticæ præsens, et e converso. Videatur Arriaga disp. 82, sect. 4, num, 31, ubi conqueritur, quod Joannes de Dicastillo illum traduxerit his verbis : « Pape! Quid video? Quis unquam putasset inter pontifices Philosophiæ, qui sublicios nobis pontes faciunt, aliquem fore pontificem, qui tantam haberet ligandi, atque solvendi potestatem, ut eandem rem simul et ligatam, et absolutam eidem termino faceret, aut declararet? Verum hanc pontificiam diffinitionem, seu declarationem ego ut non assequi, ita nec sequi possum. » Et addit : « Hoc ipsum mirari licet in Lugone. » Sic ille in Socios. Sed quid non timeremus extranei? Relinquendi itaque sunt, ut vitiligent circa ista : superfluum namque semper censuimus ad domesticas illorum pugnas descendere ; cum magis opus sit arietem applicare eorum principiis, quibus convulsis tota machina ruet.

Arriaga.

§ III.

Refertur opinio contraria.

Scotus. Bellarm. Suarez. Conimb. Coninck. Arriaga.

106. Oppositam nostræ assertioni sententiam tuentur Scotus in 4, dist. 10, quæst. 3, cui subscribunt omnes discipuli. Bellarminus lib. 3 *de Eucharistia,* cap. 3. Suarez tom. 3, in hanc 3 p. disp. 8, sect. 4, Conimbricenses lib. 4 *Physic.* cap. 5, quæst. 5, Coninckus, Hurtado, Oviedo, Arriaga, Lynce, Izquierdo, Spinula, Compton, et alii, quos refert Arriaga loco supra cit. et denique omnes fere Recentiores extra scholam D.Thomæ. Fundamenta præcipua hujus opinionis consistunt præcipue in evasionibus, quibus nostris motivis occurrunt (quod juxta qualitatem materiæ, pertinentis scilicet ad absolutam Dei potestatem, solet esse sufficiens, et valde efficax probationis genus ; quippe stat possessio pro ea potestate, quando ex parte effectus non occurrit contradictio) : sed prædictas evasiones in superioribus jam præclusimus. Consistunt etiam prædicta fundamenta in aliquibus exemplis, utputa collocationis duorum corporum in eodem loco; præsentiæ Christi in cœlo, et terra, atque in pluribus sacramentis ; et terminationis ejusdem naturæ creatæ per plures personalitates divinas : quibus exemplis declarare contendunt Adversarii non implicare, quod idem corpus sit in duobus locis : sed vim eorum diluimus supra assignando satis manifestas rationes disparitatis. Quare non multa argumenta supersunt, quibus occurramus.

Arguitur tamen primo auctoritate, et ratione : nam Christus Dominus, postquam ascendit in cœlum, apparuit corporaliter Apostolo Paulo, ut hic ipse testatur 1 *ad Corinth.* 5, inde confirmans veritatem resurrectionis Christi : et ita oportuit fieri, ut Apostolus esset congruus testis prædictæ resurrectionis ; nisi enim vidisset Christum in carne, sed in alia specie, aut modo revelationis, non posset ita convenienter prædicare Christum in carne impassibili vivere. Sed quando Christus apparuit Paulo, erat simul corporaliter in cœlo. Ergo non repugnat corpus Christi esse simul in multis locis circumscriptive. Probatur minor: tum quia Act. 3 dicitur: *Quem oportet cœlum suscipere usque ad tempus resurrectionis hominum.* Per quod significatur Christum post ascensionem esse permanenter in cœlo, et nunquam ab eo discedere. In quo sensu D. Augustinus in cap. prima hæresis, *de consecratione,* dist. 2, dixit : « Donec finiatur sæculum, « sursum est Dominus. » Tum etiam quia ad perpetuum, et continuum Beatorum gaudium spectat, ut Christus existat perpetuo in cœlo, ne vel per instans illud gaudium interrumpatur.

Primum argumentum.

Actor. 3.

D. Aug.

Confirmatur primo : nam graves Auctores, quales dedimus num. 86. referunt, et testificantur Christum Dominum non semel apparuisse in Eucharistia ostendendo carnem, et sanguinem: sed caro, et sanguis ibi apparentes fuerunt vere caro, et sanguis Christi corporaliter extensæ, et localiter extensæ : ergo tunc Christus fuit simul in cœlo, et in terra circumscriptive. Consequentia patet : nam Christus per hoc, quod se ostenderit in sacramento, non deseruit cœlum, ut proxime vidimus: præsertim cum tales apparitiones soleant longo tempore durare, et incredibile sit Christum tanto tempore de cœlo abesse. Minor vero, in qua poterat esse difficultas, ostenditur; nam illæ apparitiones miraculosæ fieri communiter

Confirmatio. 1.

solent ad confirmandam fidem nostram circa existentiam veram, et realem corporis Christi in Eucharistia : ad hunc autem finem conducit quidem vera caro Christi ibi existens, et se manifestans, non autem aliqua figura, aut species carnis: ergo quod in prædictis apparitionibus apparet, est vera caro Christi corporaliter extensa.

Confirmatio 1. Confirmatur secundo : nam in historiis probatæ fidei non semel legimus viros aliquos sanctos uno loco existentes apparuisse corporaliter in alio : sicut vulgatum est S. Antonium, cum Patavis concionaretur ad populum, simul in Ulyssipone adfuisse, et patrem suum a suspendio liberasse : quæ profecto apparitio fuit corporalis; siquidem sanctus vir potuit in tanta populi multitudine audiri, videri, et tangi. Non ergo repugnat, quod idem corpus simul sit in multis locis circumscriptive.

Satisfit argumento. 107 Ad argumentum respondetur negando majorem: quia probabile est Christum nunquam de cœlo descendisse corporaliter, sed specie tenus, aut elevando oculos spirituales animarum, ut ipsum in cœlo præsentem intuerentur. Et hoc modo apparuit Apostolo Paulo. Nec inserta majori probatio urget : quia ut Paulus esset conveniens testis resurrectionis Christi, satis fuit, quod eum oculis spiritualibus viderit viventem in carne, atque regnantem in cœlo; quamvis eum non viderit vel extra cœlum existentem, vel oculis corporeis : quippe non minus potens est ad certificandum de veritate visio spiritualis, quam corporalis. Respondetur secundo, et forte probabilius propter auctoritatem Divi Thomæ in hac 3 parte quæstione 57, articulo 6, concedendo majorem. Sed tunc consequenter neganda est minor : quia impossibile est Christum extenso modo existere in cœlo, et in loco extra cœlum, ut supra ostendimus. Ad primam autem minoris probationem dicendum est ea testimonia solum significare, quod Christus regnat permanenter in cœlo, et quod in ipsum ascendens acquisierit jus sibi, et nobis ad permanentem in eo mansionem. Sed prædictis permanentiæ, et juri minime opponitur, quod rex cœlestis speciali dispensatione, et per breve tempus descendat corporaliter ad terram : sicut etiam rex terrenus aliquando abest a curia, licet in illa habeat ordinariam, ac permanentem habitationem. Ad secundam probationem respondemus, quod cum corpus Christi possit ex quocumque loco lætificare oculos Beatorum ipsum intuentium; non sequitur, vel quod per breve tempus, quo Christus descendit ad terram, gaudium illud Beatorum interrumpatur.

Prima confirmatio diluta relinquitur num. 87, ubi cum D. Thoma, et communiori Theologorum sententia, et optimis motivis ostendimus id, quod aliquando in sacramento apparet caro, et sanguis, nunquam esse vere, ac substantialiter carnem, et sanguinem Christi; sed quandam earum figuram, aut repræsentationem. Unde ad prædictam confirmationem respondemus negando simpliciter minorem. Ad cujus probationem iterum neganda est minor : quia miraculosa apparitio, excedens omnem naturæ facultatem, sufficiens est ad confirmandam fidem circa realem Christi præsentiam in Eucharistia: sicut aliæ etiam veritates fidei solent confirmari non per se ipsas, sed per quædam miraculosa earum signa : unde non oportet quod caro Christi modo indivisibili existens confirmetur per semetipsam modo divisibili extensam ; sed sufficientissime confirmatur per illas miraculosas figuras: præsertim cum habere in sacramento utrumque existendi modum sit impossibile, ut eo loco diximus. Minus valet secunda confirmatio: nam illorum Sanctorum personæ corporaliter solum erant in uno loco; in altero autem apparebant eorum figuræ : nec occurrit necessitas, aut rationabile motivum admittendi in similibus casibus stupendum adeo miraculum præsentiæ corporalis in duobus locis, quale introducit contraria opinio, ut se fulciat. Nam ut illi Sancti apparerent visibiles, audibiles, aut tangibiles sufficiebat sola figura, aut etiam corpus aereum ab Angelo illos repræsentante per illud tempus assumptum Idque fieri posse arte diaboli recte observat Aguirre loco cit. n. 46, et confirmat exemplo Joannis Teutonici insignis Magi, qui eadem nocte, et hora Nativitatis Domini visus est celebrare Missam in tribus Germaniæ oppidis valde distantibus: et in omnibus audiebatur, videbatur, et poterat tangi, et tamen diabolus nequit constituere unum corpus in multis locis circumscriptive. Convelluntur confirmationes.

108. Arguitur secundo: nam idem Christi corpus est tum simul in cœlo, et in sacramento, Secundum argumentum.

mento, tum simul in multis sacramentis valde distantibus, ut fides docet: ergo pariter potest esse simul in multis locis circumscriptive. Probatur consequentia primo, quia difficilius est idem corpus habere simul duas præsentias diversæ, et oppositæ rationis quam habere simul duas præsentias ejusdem rationis: sed præsentiæ corporis Christi in cœlo, et in sacramento sunt præsentiæ diversæ, et oppositæ rationis; siquidem præsentia in cœlo est modo divisibili, et præsentia in sacramento est modo indivisibili: duæ autem præsentiæ in loco sunt ejusdem rationis, nempe divisibiliter, et modo circumscriptivo: ergo si non implicat idem corpus Christi esse simul in cœlo, et in sacramento; nulla est implicatio in eo, quod constituatur in diversis locis circumscriptive. Secundo, quia difficilius est idem corpus esse in diversis sacramentis sine præsentia naturali, quam esse in duobus locis cum præsentia naturali; siquidem signate, et ex terminis difficilius est carere præsentia naturali, quam illam habere: ergo si non implicat idem Christi corpus esse in multis sacramentis sine præsentia naturali; nec implicare potest, quod sit in multis locis cum naturali præsentia. Tertio, quia omnes implicationes, quæ assignari solent, ut idem corpus nequeat esse simul in multis locis, militant etiam, aut expendi possunt, ne idem Christi corpus sit simul in multis sacramentis. Quippe quod corpus constitutum in diversis locis distaret a se ipso; quod esset extra terminos loci; quod locus esset adæquatus, et non adæquatus, et similes contradictiones applicari queunt corpori Christi existenti in diversis sacramentis, ut facile consideranti constabit. Corpus enim Christi prout in uno sacramento distat a se ipso prout in alio; deinde est extra terminos sacramenti, siquidem reperitur in aliis; et denique quælibet species potest dici continens adæquatum, cum totus Christus sit intra illam, et similiter terminus non adæquatus, cum inveniatur extra illam in alia specie. Ergo si his contradictionibus non obstantibus, licet apparentibus, idem corpus Christi existit in diversis sacramentis; pariter poterit esse in multis locis circumscriptive.

Confirmatio I. Confirmatur primo: quia sicut Deus de facto convertit substantiam panis in substantiam corporis Christi, posset etiam convertere totum panem cum sua quantitate in substantiam, et quantitatem corporis Christi: in qua suppositione corpus Christi esset quantitativo modo, et circumscriptive, ubi prius fuerat quantitas panis: sed non propterea desineret esse in cœlo; sicut modo esse non desinit ex eo, quod terminet conversionem: ergo simul esset in duobus locis circumscriptive. Confirmatur secundo: quia dum negamus idem corpus posse constitui simul in multis locis, damus occasionem hæreticis, ut negent idem Christi corpus esse in cœlo, et in sacramento, et in multis sacramentis. Unde Calvinus lib. 4, *Institut.* cap. 17, ait: « Cur, inquiunt, non « faciet Deus, ut caro eadem plura, diver- « saque occupet loca? Insane, quid a Dei « potentia postulas, ut carnem simul faciat « esse, et non esse carnem. » Ubi impossibile reputat, quod caro occupet multa diversaque loca: et inde consequentiam producit ad negandam possibilitatem plurium præsentiarum sacramentalium. Cui suppetias ferimus consentientes in illo primo. Ergo longe consultius est concedere, quod idem corpus possit constitui in multis locis circumscriptive; idque asserere magis oportet ad tuendum mysterium Eucharistiæ.

Alia.

Calvinus

Solvitur argumentum. Ad argumentum concesso antecedenti negamus consequentiam. Et ad primam ejus probationem neganda est major: quia difficilius est, (et plane impossibile,) quod implicat contradictionem, quam quod illam non importat. In eo autem, quod idem corpus sit in multis locis circumscriptive, occurrunt plures contradictiones, ut supra expendimus: in eo autem, quod idem corpus habeat juxta propriam naturam unam præsentiam localem, et per miraculum aliam præsentiam sacramentalem, nulla est implicatio, ut constat ex dictis in hoc Tractatu. Unde illud prius est longe difficilius, et simpliciter impossibile. Et quod duæ præsentiæ locales sint ejusdem rationis, præsentia autem localis, et præsentia sacramentalis sint diversæ rationis; nihil refert, sed magis fundat nostram doctrinam: quia plerumque contingit esse majorem oppositionem respective ad idem subjectum inter formas ejusdem rationis, quam inter formas, aut effectus diversæ: sic enim idem corpus nequit habere simul duas quanti-

tates, aut duas figuras. quæ sunt ejusdem rationis; et tamen potest habere simul quantitatem, figuram, et alia accidentia, quæ distinctas rationes important. Ad secundam probationem negamus antecedens: quia difficilius est effectum formalem secundarium multiplicari, non multiplicata forma, quam formam inveniri sine effectu formali secundario : nam primum illud habet implicationem, quæ in posteriori minime occurrit. Quod autem Christus sit in multis sacramentis absque præsentia locali, fit per exclusionem, aut non positionem effectus secundarii ; si autem in multis existeret circumscriptive, id contingeret per multiplicationem præsentiæ localis, quæ est effectus formalis secundarius quantitatis, ista non multiplicata. Unde difficilius est (et determinate impossibile) Christum esse in multis locis, quam Christum esse in multis sacramentis. Ad tertiam negamus etiam antecedens : quia nulla ex contradictionibus occurrentibus in eo, quod idem corpus sit in multis locis circumscriptive, militat in eo, quod sit in multis sacramentis, ut constat ex dictis num. 97 et 101 et 103, ubi assignavimus satis perspicuas rationes disparitatis, quas hic repetere non oportet.

Occurritur confirmationibus. Ad primam confirmationem admittimus majorem, et negamus minorem : nam ex suppositione, quod totus adæquate panis converteretur in Christum adæquate sumptum constituendum modo quantitativo, sive cum præsentia circumscriptiva, eo ipso desineret in cœlo existere prædicto modo : quia implicat idem corpus esse in multis locis circumscriptive, ut supra ostendimus. Unde consequenter asserendum est, quod ex suppositione, quod Deus vellet exequi conversionom in Christum constituendum prædicto modo ; non posset potestate consequenti, et in sensu composito conservare Christum in cœlo cum eadem locali præsentia : et e converso ex suppositione, quod Deus vellet conservare Christum in cœlo cum præsentia hujusmodi, non posset potestate consequenti, et in sensu composito convertere totum adæquate panem in corpus Christi ut constituendum in loco circumscriptive. Secunda confirmatio nihil valet : quia propugnando veram philosophiam circa hæc, nullam damus hæreticis occasionem errandi circa fidem, sed magis corrigendi errores. Et Calvinus non erravit sentiendo, quod implicet, et sit contra naturam carnis constitui in duobus locis circumscriptive. Sed erravit pessime idem sentiendo de præsentiis sacramentalibus. Distant enim istæ presentiæ, et earum modi plusquam cœlum, et terra. Cui errori fovere videntur, qui cum Calvino affirmant idem sentiendum esse de præsentiis sacramentalibus, et localibus, illasque eodem palmo metiri tentant. Quin augustissimum fidei mysterium exponunt hæreticorum ludibrio, dum affirmant non magis possibile esse Christum esse in pluribus sacramentis modo indivisibili, quam in multis locis modo quantitativo : sciunt namque hæretici hoc ultimum negari a primoribus tam Philosophiæ, quam Theologiæ Thoma, Bonaventura, Alberto, et aliis eximiis Doctoribus. Unde stultum apparet certissimum fidei articulum committere principio philosophico tam incerto.

109. Arguitur tertio : nam positio unius corporis in multis simul locis circumscriptivis non est contra naturam aut corporis, aut quantitatis, aut extensionis localis : ergo non implicat, sed est divina virtute possibilis. Consequentia patet. Et antecedens suadetur quoad omnes partes : nam in primis esse, aut non esse in loco, aut esse in multis locis, est prædicatum corpori simpliciter accidentarium : ergo sicut non evertit corporis essentiam, quod sit, vel non sit in loco, et propterea potest inveniri absque extensione locali ; sic illam non destruit, quod in multis locis sit. Deinde eadem probatio occurrit in quantitate ; quippe de cujus essentia non est extensio localis, aut constitutio in loco : ergo sive sit in uno, sive in multis, salvatur propria ratio quantitatis. Denique si ad ipsam extensionem localem attendamus, est quidam modus habitudinis, aut correspondentiæ ad locum : et unus modus non evertitur per hoc, quod alius eidem corpori per divinam virtutem addatur : præsertim cum unus insit secundum potentiam naturalem, et alter conveniat secundum capacitatem obedientialem. Tertium argumentum.

Confirmatur : quia ita comparatur corpus ad locum circumscriptivum, sicut spiritus ad locum diffinitivum: sed non implicat eundem spiritum esse diffinitive in multis locis adæquatis, et discontinuis : ergo pariter non repugnat idem corpus esse Confirmatio.

esse circumscriptive in eisdem locis. Probatur minor : tum quia si Deus crearet alium mundum distinctum ab isto, ita quod inter utrumque mediarent plura spatia imaginaria ; prædicti mundi forent loca adæquata, et inter se discontinua, ut satis ex terminis liquet : et tamen Deus esset in utroque : ergo non implicat spiritum esse diffinitive in multis locis adæquatis, et discontinuis. Tum etiam quia si Angelus applicet suam virtutem ad agendum in locis discontinuis, v. g. partem virtutis ad agendnm Salmanticæ, et partem virtutis ad agendum Romæ ; Angelus erit diffinitive, et juxta proprium modum in utroque loco : ergo idem, quod prius. Tum denique nam cum Angelus sit in loco per operationem circa ipsum ; nulla est repugnantia in eo, quod per operationem propriæ virtuti correspondentem sit in uno loco adæquato ; et quod rursus per operationem correspondentem alteri virtuti sibi supernaturaliter communicatæ sit in alio loco adæquato ; ergo non implicat eundem spiritum esse simul diffinitive in multis locis adæquatis.

Fit satis argumento.

Ad argumentum negatur antecedens : oppositum enim constat ex dictis in duobus §§. præcedentibus. Et ad probationem respondetur, quod licet corporis essentia salvetur antecedenter ad sui collocationem in uno, vel multis locis : nihilominus ejus unitas petit, ne in multis locis circumscriptive constituatur : nam eo ipso, quod in eis existeret, distaret, ac perinde distingueretur a se ipso, et solveret unitatem, ut expendimus num. 98. Ad secundam respondetur eodem fere modo : nam ex collocatione ejusdem quantitatis in multis locis sequeretur esse eandem, et non eandem quantitatem. Et ulterius fieret eam quantitatem habere infinitam vim locabilem ; siquidem nullo loco exhauriretur, ut simul in alio collocari non posset, sicut magis expendimus num. 94. Ad tertiam respondemus, quod extensio localis, cum sit formalis quantitatis effectus, nequit multiplicari, quin ipsa quantitas multiplicetur. Et quod dicitur de una extensione, aut præsentia locali per virtutem propriam quantitatis, et alia extensione per communicationem divinam, nihil valet : quia extensio non convenit corpori formaliter per virtutem divinam, sed per solam quantitatem. Potestque id magis retundi exemplo naturæ creatæ, quæ nequit habere simul duas subsistentias creatas vel unam creatam, et alteram increatam ; unam per virtutem propriam, et aliam per virtutem divinam, seu potentiam obedientialem, ut cum communi sententia probavimus tract. 21, disp. 9, dub. 2.

Evertitur confirmatio

Ad confirmationem omissa majori, negamus minorem. Et ad primam ejus probationem dicendum est nullum locum, et nulla simul loca posse dici unum locum adæquatum respectu Dei : quia nec vel simul sumpta possunt habere adæquationem cum ejus virtute, quippe quæ infinita est, potestque ad plura, et plura loca, sicut et ad effectus, sine termino se extendere. Et quod in casu proposito unus mundus esset ab alio diiscontinuus, et distans, nihil refert : quia virtus divina in illis operans est indivisibilis. Et quamvis actu non sit in spatiis imaginariis ob eorum non existentiam ; est tamen ex parte sua, et si illa inciperent existere, foret illis præsens actu sine aliqua sui mutatione. Ad secundam respondetur Angelum operantem Salmanticæ, et Romæ respicere illa loca ut inadæquata seorsim respectu suæ virtutis. Si enim prior locus esset virtuti adæquatus, non posset in alio operari : quia inde sequeretur priorem locum esse adæquatum, et non esse adæquatum, ut proportionabiliter in præsenti materia contingit, et expendimus in tract. *de Angelis* disp. 2, dub. 8, num. 149. Quod vero loca sint discontinua, nihil refert : quia præsentia diffinitiva Angeli non contingit per commensurationem, sicut in corporalibus accidit ; sed per liberam applicationem virtutis : liberum autem Angelo est applicare illam vel ad totum, vel ad partes loci, ac proinde agere in extremis loci adæquati, nihil operando in medio, ut explicuimus loco cit. num. 165. Ad tertiam dicendum est, quod ubi Angelus ultra virtutem propriam recipit divinitus ulteriorem virtutem ; tunc locus adæquatus Angeli est illud spatium, in quo secundum utramque virtutem operari potest : et spatium, quod cuilibet virtuti seorsim acceptæ respondet, est locus simpliciter inadæquatus respectu Angeli ut potentis agere utraque virtute. Unde non sequitur Angelum posse vel illo modo habere plura loca adæquata ; sed quod habeat unum simpliciter locum majorem, vel minorem juxta quantitatem virtutis

tam propriæ, quam sibi denuo communicatæ.

DISPUTATIO VII.

De his, quæ sunt sub speciebus Eucharistiæ.

Licet Christum esse realiter, et substantialiter in Eucharistiæ sacramento, late a nobis ostensum fuerit disp. 1 procemiali, cap. 1, quia tamen in Christo plura considerari possunt, v. g. divinitas, anima, et accidentia; oportet magis specialiter exponere, an hæc omnia existant sub speciebus. Sed ut hoc convenientius præstemus, primo loco discutiendum est

DUBIUM I.

Utrum aliqua in sacramento Eucharistiæ existant ex vi verborum, et quædam per naturalem concomitantiam.

Quamvis proposita difficultas videatur pertinere ad modum, quo Christus in Eucharistia existit, et proinde collocari debere in disp. præced. ubi de prædicto modo egimus: convenienter tamen pro præsenti reservata a nobis fuit: quia non tam respicit totum Christum, de quo hactenus egimus, quam aliqua ad ipsum pertinentia, de quibus dubitari potest. Intelligentia autem terminorum, quibus in titulo utimur, ex ipsis dicendis statim innotescet. Et dubium non tam proponimus, quia magna aliqua difficultas circa rem occurrat, quam ut fundamentum aperiat aliis difficultatibus in hac disp. tractandis.

§ UNICUS.

Proponitur, et explicatur communis catholicorum sententia.

1. Dicendum est in sacramento Eucharistiæ aliqua esse ex vi verborum, et aliqua per naturalem concomitantiam. Hæc conclusio est communis inter catholicos, et adeo certa, ut negari nequeat saltem absque errore in fide, et ingenti temeritate, sicut statim ostendemus. Nunc autem, priusquam urgentiora fundamenta proponamus, suadetur vel sola terminorum explicatione. Nam illud dicitur poni, et esse ex vi verborum in Eucharistia, cujus præsentia necessaria est ad veritatem verborum consecrationis; sive (et in idem redit,) quod præcise per verba significatur: efficacia enim verborum respondet veræ illorum significationi; cum verba efficiant, quod vere significant. Illud autem dicitur poni, et esse in Eucharistia non ex vi verborum, sed per naturalem concomitantiam, aut connexionem, quod re ipsa in hoc sacramento ponitur, et existit; non quia simpliciter necessarium sit; sed quia habet realem unionem cum illo, cujus positio necessaria est ad veritatem verborum: quare isto posito, ponitur etiam illud ob nexum, quem habet cum eo. Sed certum est aliqua poni, et existere in Eucharistia priori modo, aliqua autem posteriori modo: quippe ad veritatem verborum consecrationis panis necessaria est positio corporis Christi; aliter enim non verificaretur ly *Hoc est corpus meum*: e contra vero ad veritatem prædictorum verborum non est necessaria positio, et existentia sanguinis sub speciebus panis; siquidem illa verba sanguinem non significant: ponitur tamen re ipsa sub prædictis speciebus sanguis Christi ob naturalem connexionem, quam de facto habet cum corpore Christi modo existenti. Et idem contingit in aliis non paucis, ut constabit ex processu disputationis. Ergo fateri oportet, quod in sacramento Eucharistiæ aliqua sunt ex vi verborum (quod etiam dici solet *ex virtute sacramenti*), et aliqua sunt per naturalem concomitantiam. Quam distinctionem optime tradit D. Thomas in præsenti quæst. 76, art. 1, ubi ait: « Sciendum, quod aliquid « Christi est in hoc sacramento dupliciter. « Uno modo quasi ex vi sacramenti: alio « modo ex naturali concomitantia. Ex vi « quidem sacramenti est sub speciebus « hujus sacramenti id, in quod directe con- « vertitur substantia panis, et vini præe- « xistentis, prout significatur per verba « formæ, quæ sunt effectiva in hoc sacra- « mento, sicut et in cæteris; puta cum « dicitur: Hoc est corpus meum, vel, Hic « est sanguis meus. Ex naturali autem « concomitantia est in hoc sacramento « illud, quod realiter est conjunctum ei, « in quod prædicta conversio terminatur. « Si enim aliqua duo sunt realiter con- « juncta, ubicumque est unum realiter, « oportet et aliud esse. Sola enim operatione

« tione animæ discernuntur, quæ realiter « sunt conjuncta. »

Huic explicationi, et motivo, quæ assertionem saltem probabiliter suadent, superadditur solidum omnino fundamentum illius veritatem liquido evincens. Est autem doctrina Concilii Tridentini sess. 13, cap. 5, ubi ait : « Semper hæc fides in « Ecclesia Dei fuit statim post consecra« tionem, verum Domini nostri corpus, « verumque ejus sanguinem sub panis, et « vini specie, una cum ipsius anima, et « Divinitate existere : sed corpus quidem « sub specie panis, et sanguinem sub vini « specie ex vi verborum : ipsum autem « corpus sub specie vini, et sanguinem sub « specie panis, animamque vi naturalis « illius connexionis, et concomitantiæ, « qua partes Christi Domini, qui jam ex « mortuis resurrexit non amplius mori« turus, inter se copulantur. » Hæc Concilium : in quibus (prætermittendo nunc alia per totam disputationem exponenda) continetur formaliter nostra conclusio, nempe aliqua esse in hoc sacramento ex vi verborum, et aliqua esse per naturalem concomitantiam. Quare de illius veritate dubitari non valet inter catholicos.

Concil. Trident.

2. Dubitari tamen potest de gradu certitudinis : nam licet Concilium sic in capitibus docuerit, tamen eam doctrinam in canonibus non diffinivit. Sunt, qui sentiant assertionem nostram esse immediate de fide; atque ideo hæresim esse prædictam distinctionem negare. Ita Vazquez disput. 185, cap. 2, Noster Cornejo art. 1 hujus quæstionis disput. 1. dub. 1, Bernal disp. 36, sect. 1, § 1, et quidam alii. Quod probant primo, quia ea, quæ Concilium in capitibus tradit, ut alia pertinentia ad fidem definiat, pertinent etiam ad fidem : atque ideo hæreticum est negare hujusmodi doctrinam, quæ proponitur in capitibus. Secundo, quia Concilium canones specialiter statuit contra hæreses : circa hujusmodi autem distinctionem non erat specialis tunc hæresis : unde licet illa ad fidem spectet, tamen Concilium opus non habuit eam speciali canone diffinire. Tertio, quia Concilium expresse affirmat hanc semper fuisse fidem Ecclesiæ Dei circa doctrinam ibi propositam : et in ea continetur distinctio, de qua agimus. Quarto, quia plura ibi tradita a Concilio, et pertinentia ad fidem, verificari nequeunt absque distinctione illa inter ea, quæ sunt ex vi verborum, et quæ sunt per realem concomitantiam : ergo præsumendum est eam etiam distinctionem pertinere immediate ad fidem. Ultimo, quia ita sentiendo, melius, et plenius verificaret doctrinam a Concilio ibi traditam esse catholicam. Quæ motiva simul cum auctoritate illa proponentium hanc partem satis probabiliter persuadent.

Incidens quæstio, et aliquorum opinio.

Vazq. Cornej. Bernal.

Sed tamen probabilius censemus distinctionem a nobis assertam non pertinere immediate ad fidem : esse tamen adeo certam ut negari non valeat absque errore in fide, et ingenti temeritate. Hanc secundam partem satis evincit ipsa auctoritas doctrinæ Concilii, et communis omnium catholicorum sensus : præsertim cum ex principiis fidei non obscure colligatur, et illa negata aliquæ fidei veritates ægre, aut nullo modo salvari queant. Priorem vero partem docent Soto in 4, dist. 10, quæst. 1, art. 1, § Prima articuli, Nugnus in præs. art. 1, dub. 1, conclus. 1, Suarez disp. 51, sect. 3, in principio, Prado quæst. 76, dub. 1, num. 8, et alii plures. Et probatur unico fundamento, quo opposita diruuntur : nam licet Concilium in cap. relato docuerit tum totum Christum esse in Eucharistia, tum aliqua Christi esse ex vi verborum, et aliqua per realem concomitantiam; nihilominus primam harum veritatem pertinentem ad substantiam rei intendebat diffinire: secundam vero pertinentem ad modum loquendi non intendebat diffinire : unde postea primam diffinivit can. 1 et 3, secundam autem minime diffinivit : ergo licet prima pertineat immediate ad fidem, non tamen secunda. Et quamvis tota illius capitis doctrina sit, et dicatur catholica, non inde conficitur totam illam esse immediate de fide, aut ejus oppositum esse hæresim : quia in doctrina catholica datur latitudo respective ad principia, quibus innititur : nam quæ directe attingit substantiam dogmatum, et quæ directe opponitur hæresibus, est de fide immediate : sed quæ attingit voces scholæ, et non pertinet ad rem ipsam, habet quidem magnam auctoritatem, ut merito puniri debeant, qui ei contradicunt : sed tamen ad eum certitudinis gradum non pervenit, ut sit immediate de fide. Et ita se habet doctrina a Concilio tradita circa distinctionem existendi ex vi verborum, aut per naturalem concomitantiam.

Verior sententia.

Soto. Nugnus. Suarez. Prado.

Diruuntur motiva. Ea vero, quæ pro parte contraria expendimus, non urgent. Nam ad primum negamus omnia, quæ Concilia prævie docent, ut aliquid diffiniant, pertinere immediate ad fidem : sed hoc ex ipsis diffinitionibus, modo, quo loquuntur Concilia, determinandum est, ut sentiunt communiter Doctores. Ad secundum dicendum est jam tunc aliquos errasse circa hanc distinctionem ut num. sequenti videbimus : unde si eorum error esset hæresis, Concilium curam habuisset illam speciali anathematismo condemnandi : quod cum non fecerit, insinuavit errorem illum non pugnare immediate cum fide, nec hæresim esse. Ad tertium respondetur illa verba, « semper « hæc fides in Ecclesia Dei fuit » appellare immediate supra propositionem immediatam, nempe verum corpus, et sanguinem Christi esse sub panis specie; quam propositionem Concilium infra diffinivit; non autem supra reliqua verba : et ideo veritas in eis contenta non fuit diffinita a Concilio. Ad quartum admisso antecedenti negatur consequentia : quia plura sunt connexa cum veritatibus ad fidem immediate pertinentibus, quin propterea ad fidem immediate pertineant, ut sunt omnia, quæ ex articulis fidei per legitimam consequentiam theologicam colliguntur; et ea omnia, ex quorum negatione infertur legitima negatio alicujus articuli fidei : et talia non sunt, nec dicuntur formaliter hæreses; sed dicuntur errores contra fidem : qui est gradus censuræ inferioris. Ad ultimum respondemus, quod ut tota doctrina, quam Concilium ibidem tradit, sit catholica, non requiritur totam illam esse immediate de fide : sed sufficit esse de fide immediate, vel mediate : nam eo ipso est inter catholicos communis, et negari nequit nisi ab infidelibus, aut errantibus contra fidem.

Hæretici assertioni repugnantes. Lutherus. 3. Unde neminem catholicorum reperimus, qui assertionem nostram neget. Ex hæreticis autem Lutherus irrisit eam distinctionem de his, quæ existunt in sacramento ex vi verborum, et de his, quæ existunt per realem concomitantiam, ut referunt Ruardus art. 15, contra illum, et Coclæus lib. 2 *Miscellan.* cap. 9. Idem sentit Tilmanus Heshudius et ipse Lutheranus apud Bellarmimum lib. 4 *de Eucharist.* cap. 21. Nescimus autem, quibus motivis ductus ille hæreticus fuerit ad negandam veritatem eo jam tempore adeo communem. Possumus tamen aliqua eidem opponere. Primum, nam illud dicitur esse in hoc sacramento ex vi verborum, quod est in illo virtute consecrationis, sive verborum, per quæ consecratio, et sacramentum perficiuntur : sed quidquid est in hoc sacramento, est ex virtute consecrationis : ergo quidquid est in hoc sacramento, existit in eo ex vi verborum : atque ideo vana, et falsa est illa distinctio, quod aliqua sint in eo ex vi verborum, et aliqua per realem concomitantiam. Cætera constant, et minor suadetur : quia omne, quod prius non erat, et nunc existit in hoc sacramento, producitur per transubstantiationem; siquidem non adducitur ex alia parte, ut supra arguebamus disp. 5, dub. 2, ut probaremus transubstantiationis necessitatem : ergo quidquid existit in hoc sacramento, existit utique virtute conversionis, seu transubstantiationis. Secundum, quia si aliqua essent in hoc sacramento per realem concomitantiam, maxime ob rationem assignatam a D. Thoma illis verbis : « Si « enim aliqua duo sunt realiter conjuncta, « ubicumque est unum realiter, oportet et « aliud esse. Sola enim operatione animæ « discernuntur, quæ realiter sunt conjuncta. » Sed hæc ratio nihil probat. Ergo in sacramento Eucharistiæ non sunt aliqua per realem concomitantiam, aut propter realem inter se connexionem. Minorem probat Durandus (parvi pendens D. Thomæ discursum) in 4, dist. 10, quæst. 2, quia licet illa propositio verificetur de existentibus in loco per veram præsentiam localem; nihilominus non est necessaria in eis, quæ dicuntur esse alicubi per solam habitudinem præsentiæ, sicut Christus habet esse in sacramento : quippe optime intelligitur, quod ex duobus realiter conjunctis, unum habeat respectum præsentiæ ad aliquod tertium, et aliud non habeat illum respectum : ergo ex eo, quod aliqua sint realiter conjuncta, minime sequitur universaliter, quod ubi est unum, ibi necessario debeat esse aliud propter realem conjunctionem cum primo, sive per realem concomitantiam. Quæ ex Durando impugnatio potest exemplis fulciri : tum quia corpori Christi in cœlo conjuncta realiter est præsentia localis : et tamen licet Christus constituatur in sacramento, non propterea ibi ponitur adhuc concomitanter talis præsentia.

Tilmanus. Argumenta. Durandus.

præsentia. Tum etiam quia in Christo realiter conjunguntur divinitas, et humanitas : et nihilominus non inde sequitur, quod ubicumque est divinitas Christi, ibi etiam sit ejus humanitas per connexionem : quippe divinitas est ubique, et tamen humanitas Christi non est ubique adhuc per realem concomitantiam.

Satisfit primo argumento. Ad primum respondetur negando minorem : cujus falsitas vel ex eo liquet, quod aliqua sunt in sacramento Eucharistiæ, quæ non habent ibi existere ex virtute consecrationis, quippe quæ consecrationem non terminant : et hoc modo comparatur divinitas Christi, cujus meminit Concil. Tridentin. loco cit. Nam cum divinitas sit ubique, et ex alia parte supponatur conjuncta Christo in unitate ejusdem suppositi; optime intelligitur existere in hoc sacramento, licet actionem transubstantiativam per se non terminet, nec terminare possit. Unde falsum est universaliter loquendo, quod omnia existentia in hoc sacramento habeant ibi existere ex vi, aut in virtute consecrationis, quatenus per hoc significatur ea debere esse terminum transubstantiatione productum. Ad minoris autem probationem dicendum est aliqua esse in hoc sacramento secundum se improducibilia, ut sunt divinitas, et personalitas Christi : alia vero esse secundum se producibilia, ut sunt corpus, et sanguis, et partes, et accidentia Christi. Porro priora illa optime intelliguntur existere in hoc sacramento, licet per consecrationem non producantur, ut proxime insinuavimus. Posteriora autem nequeunt ibi esse, quin ibi producantur : supponimus enim ex dictis loco citato, quod Christus, et ad ipsum pertinentia incipiunt esse in hoc sacramento per actionem non adductivam, sed vere efficientem. Sed interest discriminis, quod aliqua terminant primario transubstantiationem, et sunt illa, quæ formaliter significantur per verba consecrationis, sive quæ necessaria sunt ad illorum veritatem, et hæc dicuntur poni, et esse in sacramento ex vi verborum, seu virtute sacramenti. Aliqua vero sunt, quæ nec formaliter significantur per consecrationis verba, nec sunt necessaria ad salvandum illorum veritatem: et hæc dicuntur comproduci per transubstantiationem propter realem, et naturalem connexionem, quam habent cum ejus termino primario : de quibus proinde recte dicitur non fieri, et esse ex vi verborum, aut in vi consecrationis, sed per verba, et consecrationem comproduci ob nexum, quem habent cum termino primario intento, et significato. Sunt enim istæ locutiones formaliter accipiendæ. Sicut etiam omnia, que Spiritus Sanctus habet, habet utique per processionem ; sed tamen non omnia dicitur habere ex vi processionis : quia solus amor in tali processione communicatur primario per talem processionem, reliqua autem consequenter, et propter naturalem connexionem, aut identitatem, quam cum amore divino habent. Idem itaque in præsenti materia proportionabiliter contingit.

4. Ad secundum respondetur negando minorem. Ad cujus primam ex Durando probationem dicimus procedere ex falsa, et absurda Theologia, qua Durandus putavit sacramentalem Christi præsentiam non aliud esse, quam solam habitudinem ad species; cum tamen importet realem unionem inter Christum, et species sicut inter rem contentam, et terminum continentem, ut ostendimus disp. præced. dub 2, et 3. Juxta quam doctrinam respondetur aliud esse loqui de habitudine in communi, et aliud de tali habitudine. Et loquendo in communi non dubitamus, quod ex rebus conjunctis fieri possit, ut una dicat habitudinem ad aliquem terminum, ad quem alia talem habitudinem non importat. Sed loquendo de hac speciali habitudine, qua Christus respicit species sacramentales tanquam terminum, intra quem vere, et substantialiter continetur, fieri non valet, quod ex suppositione, quod aliqua in Christo habeant naturalem unionem, unum ponatur per se in sacramento, et reliqua non ponantur saltem consequenter, et per realem concomitantiam. Dubitant autem Auctores, quanta sit necessitas, ut ex rebus in Christo naturaliter unitis, si una ponitur per se, alia etiam per concomitantiam ponatur. Et quidem Vazquez disp. 192, cap. 4, putat tantam esse necessitatem, ut nec de potentia absoluta oppositum fieri queat. E contra Coninckus art. 1 hujus quæst. 76, et aliqui Juniores non aliam, aut majorem necessitatem recognoscunt, quam moralem, sive ab extrinseco decreto Dei ita disponentis. Tertia autem, et media sententia tenet medium, nempe eam necessitatem nec esse essentialem, nec

Occurritur secundo.

Alia quæstio remissive.

præcise moralem, sed naturalem, sive juxta rerum connaturales exigentias : nam eo ipso, quod partes aliquæ sint unitæ inter se, ipsa illarum conjunctio naturaliter exigit, ut quocunque feratur, et ubicumque est una, eo feratur etiam, et ibi sit alia. Ita Soto, Martinus de Ledesma, Suarez, Granados, Lugo, et alii, quos refert Prado 9.76, dub. 1, n. 12. Idque in præsenti attigisse sufficit : nam uberior hujus doctrinæ probatio ex dicendis in hac disputatione constabit et præsertim dub. 4.

Motivum Durandi evertitur. Exempla autem in favorem Durandi proposita non urgent. Nam a primum respondetur maximam illam a D. Thoma, et aliis Doctoribus communiter assertam intelligi de his, quæ sunt in Christo, vel in alio subjecto absolute, et non per respectum ad aliquid extrinsecum, et cum dependentia a loco : nam manifestum est ea, quæ hujus secundi generis sunt, deperdi, aut saltem non deferri, ubi res alibi constituitur. Et quia inter hæc præcipue computatur ipsa formalis ad locum præsentia ; propterea ex reali præsentia Christi in Eucharistia non sequitur adesse ibidem præsentiam, quam habet in cœlo, ut optime significavit D. Thom. in hac quæst. art. 5, ubi objecta simili difficultate, respondit : « Ad tertium dicendum, quod « accidentia corporis Christi sunt in hoc « sacramento (sicut supra dictum est) « secundum realem concomitantiam. Et « ideo illa accidentia corporis Christi sunt « in hoc sacramento, quæ sunt ei intrin- « seca. Esse autem in loco est accidens « per comparationem ad extrinsecum con- « tinens. Et ideo non oportet, quod Chris- « tus sit in hoc sacramento sicut in loco. » Et subinde nec oportet, quod in sacramento habeat vel per concomitantiam præsentiam localem, qua existit in cœlo. Ad secundum respondetur illam D. Thomæ maximam procedere in his, quæ sunt unita adæquate, sive per adæquationem extremorum : sicut uniuntur inter se partes humanitatis, et accidentia : unde oportet, quod ubi est unum, ibi sit aliud. Verbum autem non unitur humanitati adæquate, sive tanquam extremo sibi adæquato ; cum manifestum sit Verbum uniri posse aliis, et aliis humanitatibus, et naturis. Unde quamvis ubicumque est humanitas assumpta, ibi etiam sit persona Verbi : tamen e converso non ubicumque est Verbum, ibi est humanitas. Sicut ob eandem rationem contingit, quod ubicumque existit caput hominis, ibi existit anima rationalis : sed e contra non ubicumque est anima rationalis, ibi est hominis caput : anima enim est in pede, in quo caput non est : quia anima unitur inadæquate cuilibet harum partium seorsim consideratæ. Unde D. Thomas in 3, dist. 22, quæst. 1, art. 2 ad 3, ait : « Di- Idem.
« cendum, quod Petrus non habet nisi « humanam naturam : et ideo ubicumque « ipse est, oportet, quod sit illa natura. « Sed Christus habet plures naturas : et « ideo non oportet, quod ubicumque est, « quod ibi habeat utramque naturam. » Recolantur, quæ diximus tract. 21, disp. 3, num. 74.

D. Tho.

DUBIUM II.

Quæ sint in sacramento Eucharistiæ ex vi verborum.

Consequenter ad præmissam in præced. dub. distinctionem videndum est, quænam uno ex prædictis modis in sacramento constituantur, et sint. Et facilioribus incipiendo, proponemus in hoc dubio illa, quæ habent poni in sacramento ex vi verborum : et in sequenti dicemus de illis, quæ constituuntur, et sunt per realem concomitantiam, in quorum assignatione plura occurrunt difficiliora.

§ UNICUS.

Defenditur veritas catholica.

5. Dicendum est primo sub specie panis contineri corpus Christi ex vi verborum. Prima conclusio.
Hæc conclusio quoad primam partem, nempe corpus Christi esse sub specie panis, est immediate de fide, propter diffinitionem Concilii Trident. sess. 13, can. 3, ubi ait : Concil.
« Si quis negaverit in venerabili sacra- « mento Eucharistiæ sub unaquaque spe- « cie, et sub singulis cujusque speciei par- « tibus etc. totum C rist um contineri ; ana- « thema sit. » Et idem prius docuerant Concilium Constantiense sess. 13, dicens : « Nullatenus dubitandum integrum Christi « corpus, et sanguinem tam sub specie pa- « nis, quam sub specie vini veraciter con- tineri.

Concil. Florent. « tineri. » Et Concilium Florentinum in decreto Eugenii asserens : « Totus Christus « continetur sub specie panis, et totus sub « specie vini. » Posterior vero assertionis pars habet eam certitudinem, quam asseruimus supra n.2, propter doctrinam Concilii Tridentini sess. cit. cap. 3, ubi dicitur : « Semper hæc fides in Ecclesia Dei « fuit, statim post consecrationem verum « Domini nostri corpus, verumque ejus « sanguinem sub panis, et vini specie, una « cum ipsius anima, et divinitate existere : « sed corpus quidem sub specie panis, et « sanguinem sub specie vini ex vi verbo- « rum etc. » Unde sic docent unanimiter Catholici.

Fundamentum. Fundamentum est evidens supposita doctrina tradita dub. præced. quoniam illud dicitur esse in hoc sacramento ex vi verborum, quod necessarium est ad salvandum veritatem verborum consecrationis, sive quod per talia verba directe significatur : sed verba consecrationis hujus sacramenti quantum ad speciem panis, nempe, *Hoc est corpus meum*, directe significant corpus Christi, et nequeunt verificari, nisi sub tali specie corpus Christi constituatur (quod est adeo perspicuum, ut alia probatione non egeat) : ergo sub specie panis continetur corpus Christi ex vi verborum. Quid autem importet corpus Christi, quod in hoc sacramento ex vi verborum existit, infra declarabimus dub. 5.

Nota. Nunc autem non possumus non cum communi Theologorum sententia observare corpus Christi non esse solam materiam primam cum quantitate, et accidentibus. Quoniam corpus Christi, quod ex vi verborum ponitur in hoc sacramento, terminat per se transubstantiationem, sive actionem convertentem substantiam panis in corpus Christi. Terminus autem per se prædictæ actionis non est sola materia cum accidentibus : tum quia implicat materiam primam existere sive forma substantiali, ut cum communi Thomistarum opinione ostendunt N. Complutenses abbrev. in lib. *Physic.* disp. 3, quæst. 5, tum quia etsi id non implicet, nequit tamen connaturaliter, et citra miraculum contingere, ut communiter omnes concedunt. Ergo corpus Christi, quod ex vi verborum ponitur in sacramento sub specie panis, non est sola materia prima cum accidentibus. Et confirmatur : nam sicut corpus quantitativum non est aliquid simplex, sed compositum ex partibus quantitatis; sic etiam corpus substantiale, seu physicum non est quid simplex, sed coalescit ex partibus substantialibus physicis, nempe ex materia, et forma : atque ideo importat necessario aliquam formam substantialem : atqui corpus Christi terminans transubstantiationem est corpus substantiale : ergo debet importare non solam materiam primam, sed etiam aliquam formam substantialem. Quæ autem hæc forma sit, constabit ex dicendis loco citato.

N.Comp. (margin)

Objectio. 6. Nec refert, si contra conclusionem opponas, quod in sacramento Eucharistiæ constituitur per se Christus, secundum quod competit refectioni fidelium, ut explicuimus disp. 2, dub. 3. Sed Christus dixit *Joan.* 6 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Ergo sola caro Christi constituitur ex vi verborum sub specie alimenti, seu panis. Constat autem corpus humanum distingui a carne, et addere plura alia, v. g. ossa, nervos, et reliqua hujusmodi. Ergo quod in hoc sacramento sub specie panis constituitur, non est Christi corpus, sed sola caro. (margin: Joan. 6)

Solutio ex D. Tho. Id, inquam, non refert, sed optime diluitur a D. Thom. in præs. quæst. 76, art. 1 ad 2, his verbis : « Dicendum, quod ex « vi sacramenti sub hoc sacramento conti- « netur quantum ad species panis, non so- « lum caro, sed etiam totum corpus Christi, « scilicet ossa, nervi, et alia hujusmodi. « Et hoc apparet ex forma hujus sacra- « menti, in qua non dicitur : Hæc est caro « mea, sed Hoc est corpus meum. Et ideo « cum Dominus dixit Joan. 6 : Caro mea « vere est cibus; caro ponitur pro toto cor- « pore : quia secundum consuetudinem « humanam videtur esse magis manduca- « tioni accommodata, prout scilicet homi- « nes carnibus animalium vescuntur, non « autem ossibus, vel aliis hujusmodi. » Videantur quæ diximus tract. 25, in Commentario ad art. 2, quæst. 5 hujus 3 p. nu. 8, ubi ostendimus, quam frequenter, in scriptura nomine carnis totum corpns, et totum compositum significetur.

Replica. 7. Sed insistes : quia si corporis nomine, quod ex vi verborum ponitur sub specie panis, significatur non sola caro Christi, sed aliæ etiam partes corporis humani, nempe ossa, nervi etc. ut immediate vidimus ex D. Thoma ; plane sequitur quod

prædicti corporis nomine significetur etiam sanguis : consequens est absurdum : ergo et antecedens : atque ideo minus recte a Divo Thoma, et nobis admittitur. Sequela videtur manifesta : quia sanguis est vere Aristot. una pars corporis humani, ut docet Aristotel. lib. 3, *de generatione animal.* cap. 2, et late ostendimus tract. 21, disp. 9, dub. 1, § 2. Unde Verbum assumens corpus humanum non potuit non assumere sanguinem, ut ibi probavimus ex professo. Falsitas autem consequentis ostenditur : nam si sanguis significatur nomine corporis, quod ex vi verborum ponitur sub specie panis ; sequitur sanguinem etiam ex vi verborum sub eadem specie constitui : unde non deberet esse ex vi verborum in alia specie vini, nec distincta consecratione censecrari : quæ sunt satis absurda : ergo admitti non debet, quod sanguis significetur nomine corporis, quod sub specie panis constituitur ex vi verborum. Eo vel maxime, quod sequela non obscure adversatur doctrinæ Concilii Tridentini in cap. sæpius citato, ubi postquam tradidit corpus Christi esse ex vi verborum sub specie panis, et sanguinem esse ex vi verborum sub Concil. Trident. specie vini; statim addidit : « Ipsum autem corpus esse sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, quia jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur. » In quibus aperte significavit sanguinem Christi esse sub panis specie, non quidem directe, et ut res per verba consecrantia illam speciem significata; sed quia sanguis Christi habet naturalem connexionem cum ejus corpore.

Dilutio. Respondetur negando sequelam. Cujus probatio non urget : tum quia licet sanguis sit vera pars corporis humani vivi ; nihilominus non est pars corporis humani mortui, aut corporis humani in communi; cum possit dari cadaver humanum exsangue. Corpus autem humanum Christi, quod per verba consecrationis significatur, et ex vi verborum in hoc sacramento constituitur, non est determinate corpus vivum, sed corpus humanum abstrahens a vivo et mortuo, ut magis constabit ex dicendis dub. 5. Unde non sequitur, quod sanguis significetur nomine corporis, quod vi verborum ponitur sub specie panis, nec quod sanguis sit in hac specie virtute sacramenti. Tum etiam quia licet corpus sumptum pro omni eo, quod non est sola anima, comprehendat etiam sanguinem ut sui partem; non tamen si sumatur, ut sumi frequenter solet, quatenus præcise significat partes solidas, et consistentes : sic enim distinguitur a sanguine, aliisque humoribus, et illos non includit. Corpus autem, quod est terminus per se consecrationis, et directe per hujus verba significatur, est corpus in hac secunda acceptione, nempe quatenus importat parte s solidas, et habet rationem cibi. Juxta quam distinctionem nec sanguis significatur nomine corporis, nec constituitur sub specie panis ex vi verborum : et vitatur inconveniens in hac replica repræsentatum. Quæ est doctrina Divi Thomæ D. Tho. in præs. quæst. articulo 2, ubi cum sibi eandem difficultatem objecisset, respondit : « Ad secundum dicendum, quod in passione Christi cujus hoc sacramentum est memoriale, non fuerunt aliæ partes corporis ad invicem separatæ, sicut sanguis : sed corpus indissolutum permansit, secundum quod legitur Exodi 12 : Nec os illius confringetis. Et ideo in hoc sacramento seorsum consecratur sanguis a corpore etc. » Et conformiter ad hanc doctrinam statuerat in corp. ejusdem articuli : « Sub speciebus panis est quidem corpus Christi ex vi sacramenti : sanguis autem ex reali concomitantia : sub speciebus vero vini est quidem sanguis Christi ex vi sacramenti ; corpus autem Christi ex reali concomitantia : eo quod nunc sanguis Christi non est ab ejus corpore separatus, sicut fuit tempere passionis, et mortis. Unde si tunc fuisset hoc sacramentum celebratum ; sub speciebus panis fuisset corpus Christi sine sanguine ; et sub speciebus vini sanguis sine corpore ; sicut erant in rei veritate. » Terminus autem formalis consecrationis, etsi vi verborum constituitur, semper est idem, Christo tam vivo, quam mortuo. Unde ex his, quæ in illo triduo contingerent juxta doctrinam a Divo Thoma immediate traditam, edocemur sanguinem non significari nomine corporis, quo in consecratione panis utimur, nec esse de facto ex vi verborum in tali specie, sed solum ob realem concomitantiam, et connexionem, quam de facto habet cum corpore Christi vivo.

Ex qua

Corollaria. 8. Ex qua doctrina facile colligitur, quid dicendum sit de aliis pertinentibus ad corpus humanum, de quibus dubitari possemus, ut sunt saliva, sudor, lacrymæ, humores, ut cholera, pituita, melancholia, spiritus vitales, et animales, dentes, ungues, capilli, et particula carnis in circumcisione abscissa. Nam quod ad salivam, sudorem, et lacrymas pertinet, tenendum est nihil horum esse in Eucharistia, vel per se, vel per realem concomitantiam. Non sunt quidem per se, sive ex vi verborum : quia non sunt veræ partes corporis humani, sed quædam ejus excrementa. Nec sunt per realem ejus concomitantiam : quoniam Christus illa de facto non habet in cœlo. Idemque a fortiori dicendum est de aliis impurioribus excrementis. Circa humores distinguendum est : nam qui sunt puriores, et defæcati, sunt partes corporis humani, sicut sanguis naturalis : alii autem habent esse in statu imperfecto, sicut sanguis nutrimentalis. Et loquendo de his ultimis, sentimus non esse in sacramento aut ex vi verborum, quia non pertinent vere ad corpus humanum : nec etiam per realem concomitantiam, quia de facto non reperiuntur in Christo, sicut proxime de excrementis dicebamus. Loquendo autem de humoribus in sua puritate, tenendum est idem judicium, ac de sanguine juxta superius dicta. Et consequenter dicimus tales humores esse sub specie panis, non quidem ex vi verborum, sed per realem concomitantiam. Primum patet ex dictis : tum quia sunt partes fluidæ, et distinguuntur contra corpus, quod importat partes solidas, et consistentes : tum quia humores non pertinent ad corpus humanum tam vivum, quam mortuum. Secundum etiam constat : quia prædicti humores in ea puritate pertinent ut veræ partes ad corpus humanum vivum ; et propterea fuerunt immediate assumpti a Verbo divino, ut ex professo ostendimus tract. 21, disp. 10, dub. 3, § 4, et de facto existunt in corpore Christi gloriosi : ergo saltem per concomitantiam ponuntur, ubi corpus Christi constituitur ex vi verborum.

Quid de excrementis?

Quid de humoribus?

Quid de spiritibus. Idemque a fortiori dicendum est de spiritibus tam vitalibus, quam animalibus : quia tales spiritus pertinent vere ad corpus humanum vivum, et fuerunt assumpti immediate a Verbo, ut statuimus loco cit. num. 56 ; ergo debent esse saltem per concomitantiam, ubi ponitur corpus Christi vivum. Non sunt autem per se, aut ex vi verborum sub specie panis : quia corpus, quod ibi prædicto modo ponitur, importat partes solidas, et consistentes; et distinguitur contra partes fluidas, ut num. præced. vidimus : spiritus autem isti sunt valde fluidi, ac subtiles, et quasi in continua successione : quare licet contineantur sub specie panis, non tamen ex vi verborum, sed propter realem connexionem cum corpore Christi vivo.

Quid de dentibus, unguibus, et capillis? Quod denique ad dentes, ungues, et capillos pertinet, omnino tenendum est contineri sub specie panis, et non utcumque, sed ex vi verborum. Ratio prioris partis est : quoniam prædicta sunt veræ partes humani corporis, informantur anima rationali secundum aliquem gradum, et sunt assumpta a Verbo immediate, atque existunt in ejus corpore in cœlo. Ergo re ipsa inveniuntur, ubicumque reperitur corpus Christi. Et sic statuimus loco cit. num. 58. Cum igitur idem corpus Christi vivum, et perfectum sit in Eucharistia sub specie panis ; omnino fateri oportet esse etiam dentes, ungues, et capillos, quos Christus habet in cœlo. Et plane absurdum est, et apprehensione Christiana indignum imaginari, quod corpus Christi in sacramento habeat caput calvum, digitos sine unguibus etc. atque ideo negari non potest, quod ibidem habeat hujusmodi humani corporis complementa. Secunda etiam pars ostenditur : nam ideo sanguis, et alii humores, atque spiritus sunt sub specie panis non ex vi verborum, sed per concomitantiam, quia non sunt partes corporis stabiles, sed fluidæ, et distinguuntur contra corpus, ut importat partes consistentes, secundum quam rationem est terminus per se conversionis panis : et insuper quia non pertinent ad corpus tam vivum, quam mortuum, sed determinate ad corpus vivum, ut explicuimus num. præced. Hoc autem motivum non militat in partibus, de quibus nunc agimus : siquidem dentes, ungues, et capilli ex una parte habent sufficientem consistentiam ; et ex alia parte possunt reperiri in corpore humano tam vivo, quam mortuo. Ergo omnes hujusmodi partes, quas Christus in cœlo habet, continentur sub specie panis, et non utcumque, sed per se, atque ex vi verborum. Diximus frequenter, *Quas in cœlo habet* : nam par- Nota

tes unguium, aut capillorum, quas Christus in decursu mortalis vitæ naturaliter deposuit, sicut non fuerunt reassumptæ in resurrectione, sic nec esse oportet in cœlo, aut in sacramento. Sed sermo est de hujusmodi partibus in ea quantitate, quæ pertinet ad integritatem, et pulchritudinem humani corporis, qualem Christus in cœlo habet. Et idem dicendum est de pellicula præputii : quoniam Christus illam habet in cœlo, et est pars consistens, ac pertinens ad integritatem, et decorem corporis humani : et absurdum est dicere Christum, et alios beatos non habere corpora integra. An autem hæc pellicula sit illamet materialiter particula, quæ in circumcisione Christi ablata fuit, an vero alia superinducta fuerit, nihil refert in præsenti. Videri tamen possunt, quæ diximus loco sæpe cit. num. 47.

Quid de præputio.

9. Dicendum est secundo sub specie vini contineri sanguinem Christi ex vi verborum. Hæc conclusio habet eandem certitudinem, quam habet assertio num. 5 proposita, ut convincitur eisdem Concilii Tridentini testimoniis ibidem relatis. Similiter ratio est eadem : nam ideo sub specie panis continetur corpus Christi ex vi verborum, quia verba consecrationis panis, nempe *Hoc est corpus meum* significant formaliter corpus Christi, et nequeunt esse vera, quin corpus Christi sub illa specie constituatur. Sed idem motivum occurrit in sanguine comparative ad speciem vini ; siquidem talis species consecratur similibus verbis, *Hic est sanguis meus :* quæ formaliter significant Christi sanguinem, et verificari nequeunt, nisi sanguis Christi sub ea specie constituatur. Ergo in specie vini est sanguis Christi ex vi verborum.

Secunda conclusio.

Ratio.

Sed cum assertio nostra, et doctrina Conciliorum cui illa innititur, sint indefinitæ, adhuc dubitari valet, utrum sub specie vini constituatur totus Christi sanguis, et constituatur ex vi verborum ? Circa quam difficultatem plures dicendi modos refert Prado in hac quæst. dub. 3, non multum lucis ob ipsam multitudinem afferentes. Nos pressius, et magis resolutorie procedemus, unum supponentes, in quo cæteri conveniunt, nempe sub specie vini constitui ex vi verborum omnem, et solum sanguinem, quem Christus habet in cœlo. Ratio est : quia aliquis sanguis Christi constituitur ex vi verborum sub specie vini, ut proxime statuimus : nullus autem aptior assignari valet, quam actu contentus in corpore Christi sicut de unguibus, capillis, et spiritibus Christi dicebamus num. præced. ergo non major pars sanguinis in specie vini constituitur (et quod dicimus ex vi verborum intelligendum est de Christi sanguine, prout importat gradum communem sanguini vivo, et mortuo : non enim ponitur ex vi verborum sanguis determinate vivus, sicut agentes de corpore Christi supra significavimus, et magis constabit ex dicendis dub. 5). Jam vero ab illo generali principio descendentes affirmamus in Eucharistia non constitui omnem sanguinem, qui aliquando fuit in Christo, utputa sanguinem nutrimentalem. Quod suadetur in hunc modum : nam verba consecrationis constituunt in Eucharistia illum Christi sanguinem, quem Christus de facto habet in cœlo : at Christus in cœlo non habet sanguinem nutrimentalem, sed solum sanguinem naturalem ; siquidem nec Verbum divinum in mysterio Incarnationis assumpsit immediate sanguinem nutrimentalem, ut ex professo ostendimus tract. 21, disp. 10, § 1, nec sanguinem nutrimentalem fusum in passione reassumpsit in resurrectione, ut ibidem etiam probavimus dub. 3, § 2; ergo in Eucharistia sub specie vini non continetur totus sanguis, qui aliquando fuit in Christo, nempe nutrimentalis. Quin ex præmisso principio infertur nullum Christi sanguinem nutrimentalem contineri adhuc per realem concomitantiam in Eucharistia vel sub specie panis, vel sub specie vini : quoniam ea dicuntur constitui sub speciebus per concomitantiam, quæ habent connexionem inter se in Christo existente extra sacramentum, ut Concilium Tridentinum significavit verbis supra relatis : « Vi naturalis connexionis, et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam « ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur. » Sed Christus in cœlo nullum habet sanguinem nutrimentalem : ergo nullus Christi sanguis nutrimentalis existit in aliqua specierum Eucharistiæ adhuc per concomitantiam. Loquendo autem de naturali Christi sanguine tenendum est solum hujusmodi sanguinem, quem Christus habet in cœlo esse ex vi verborum sub specie vini : nam cum assertio nostra debeat in aliquo Christi sanguine

Resolutio incidentis dubii.

Quid de sanguine nutrimentali?

Quid de naturali?

sanguine verificari ; tenet profecto in sanguine Christi, quem habet in cœlo : hic autem non est sanguis nutrimentalis, sed naturalis, ut proxime diximus. An autem Christus resurgens reassumpserit omnem sanguinem naturalem, quem habuit in vitæ discursu, videndum est loco citato numero 47, ubi negative respondimus. Eadem autem resolutio applicanda est prædicto sanguini ut in Eucharistia constituendo.

Objectio 10. Quamvis autem contra præmissam doctrinam plura possint opponi ; omnia tamen procedunt ex defectu distinctionis inter sanguinem nutrimentalem, et naturalem, et ex aliis principiis falsis, quæ late, et ex professo curavimus evellere disp. cit. dub. 2 et 3, quæ lector omnino recolat, ubi dilutas reperiet objectiones, quæ possent in præsenti formari. Tamen specialiter opponi possunt Christi verba, *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur :* ergo in hoc sacramento constituitur sanguis Christi, quem in passione effudit : sed effudit non solum sanguinem naturalem, verum etiam, et nutrimentalem ; ergo in hoc sacramento constituitur totus Christi sanguis tam naturalis, quam nutrimentalis. Et confirmatur : quia de toto sanguine Christi in passione effuso verificaretur indistincte: *Hic est sanguis Christi :* ergo totus hic sanguis constituitur in Eucharistia.

Responsio Respondetur primo cum Prado loco cit. num. 22, quod tempore institutionis hujus sacramenti, atque etiam in sequenti passionis non erat in corpore Christi sanguis nutrimentalis : quia ut observat D. Thom. quodlib. 5, articulo 5, Christus mysterium celebravit, et passionem sustinuit in perfectissima ætate, in qua ea, quæ in homine reperiuntur, pertinere videntur ad perfectionem humanæ naturæ : sanguis autem nutrimentalis non pertinet ad veritatem naturæ humanæ, ut ibidem tradit Sanctus Doctor : atque ideo talis sanguis non erat tunc in Christo : nec illi applicabantur illa verba, *Hic est sanguis meus etc.* Secundo,

Alia probabilior. et magis verisimiliter respondetur admittendo talem sanguinem nutrimentalem extitisse in Christo tempore tam institutionis hujus sacramenti, quam passionis. Responsionem autem tradidimus loco cit. num. 22, his verbis : *Tam vivente Christo,* quam eo mortuo non poneretur sub specie vini sanguis nutrimentalis. Tum quia vere sanguis. non est Tum quia non est Christi hypostatice, sed pertinet ad aliud suppositum, sicut vestes, et alimenta, et excrementa. Unde ad insertam majoris probationem dicendum est illa verba, *Hic est corpus Christi,* non verificari in proprietate de sanguine nutrimentali, qui non est pars humanæ naturæ, sed ei in vita mortali deservit per modum alimenti. Unde sicut de facto non ponitur sub specie vini prædictus sanguis ; sic etiam non poneretur in triduo mortis Christi : quinimo nec poneretur ante Christi mortem : quia licet in eo esset, non tamen per modum veræ partis humanæ naturæ, sed tantum per modum alimenti, ut supra num. 33 jam resolvimus,et explicuimus. Ibi autem dixeramus : *Sanguis proprie* dictus, et absolute prolatus supponit pro vero sanguine, qui solum est sanguis naturalis, secus vero sanguis nutrimentalis, ut exponendo Scripturæ, Conciliorum, et Patrum testimonia dicebamus. Unde ly *meus* non distribuit pro omni sanguine proprio , vel improprio, qui utcumque fuit in Christo, sed solum pro omni sanguine vero , qui fuit in Christo non solum possessive, sed etiam hypostatice. Talis autem non fuit sanguis nutrimentalis. Et ideo non ponitur *in Eucharistia.* Hæc et alia diximus diffusius in illis locis, ex quibus satis constat ad objectionem, et confirmationem.

11. Sed priusquam ad alia progrediamur, duo adhuc circa sanguinem observare oportet. Primum, quod Suarez disp. 51, sect. 3, docet sanguinem Christi in Eucharistia semper esse continuum, quamvis ad extra esset discretus in partes, atque in diversis locis existeret. Quod probat tum quia in forma consecrationis vini significatur per modum unius. Tum quia res fluidæ, et ejusdem rationis, si loco non distent, statim continuantur : unde quod in triduo sanguis Christi esset discontinuus, oriebatur ex diversis locis in quibus erat : cum igitur in Eucharistia uniatur totus sub una specie, et non distet loco ; sequitur totum sanguinem ibi contentum esse continuum, atque unicum, et individuum. Et sic contingeret, si hoc sacramentum conficeretur in triduo mortis Christi. Observatio Suarii.

Verum prædictam doctrinam rejiciunt N. Cornexo in præs. disp. 1, dub. 2, quæst 3, Arauxo art. 2, dub. 1, post. 2 conclusionem, Prado dub. 3, num. 14, Vazquez Refellitur.

disp. 185, cap. 5, Lugo disp. 8, sect. 5, dub. 4, et alii. Et quidem merito. Primo, quia verba consecrationis constituunt Christum in Eucharistia, sicut est a parte rei : sed in triduo mortis sanguis ejus non esset a parte rei continuus, sed dispersus : ergo si fieret consecratio, non constitueretur in sacramento continuus, sed divisus, et distinctus in plures sanguines, sicut erat ad extra. Secundo, quia sanguis in Eucharistia non existit modo naturali, sed sacramentali, et indivisibili : ergo unitas speciei nihil refert, ut sanguis in Eucharistia contentus sit continuus, aut discontinuus. Per quæ satis constat ad fundamenta Suarii. Et quod dicit de significatione sanguinis per modum unius, nihil refert : quia ly *sanguis meus*, aut *sanguis Christi* non denotat unitatem, aut continuationem sanguinis, sed unitatem suppositi Verbi divini, cui omnes partes sanguinis, licet dispersæ, essent unitæ. Accedit sanguinem non significari communiter in numero plurali, licet re vera dentur plura sanguinis individua, ut observavit D. Thom. *in Psal.* 50, ad illa vecba : *Libera me de sanguinibus.*

Consectarium præmissæ resolutionis. Ex qua resolutione colligitur, primo, quod licet sanguis naturalis Christi sit ex vi verborum in specie vini, et quamvis de facto sit ibi continuus,quia reipsa in Christo continuus est; nihilominus non habet esse, aut constitui in sacramento continuum, aut discontinuum ex vi verborum : sed sanguis, qui ex vi verborum ponitur, abstrahit ab esse continuum, aut discontinuum. Et ratio patet ex dictis : nam de facto ponitur continuus ; et in triduo mortis Christi poneretur discontinuus, ut proxime vidimus : ergo terminus per se, atque ex vi verborum consecrationis calicis est quidam sanguis Christi, non sub determinatione continui, nec sub determinatione discontinui, sed sub conceptu sanguinis humani ut abstrahit a continuo, et discontinuo, fluido, et concreto, vivo, et mortuo, sicut proportionabiliter de corpore Christi dicemus dub. 5. Aliud. Infertur secundo, quod si corpus Christi extra sacramentum esset membratim concisum, in sacramento non poneretur continuum, sed concisum. Et motiva hujus corollarii sunt illamet, quæ proxime expendimus circa sanguinem. Fieri tamen posset tanta divisio, et concisio prædicti corporis, ut amplius non retineret naturam corporis humani nec in toto, nec in parte. In quo eventu nec per se, nec per concomitantiam constitueretur in hoc sacramento, saltem juxta præsentem institutionem : quia ex vi illius solum constituuntur, quæ sunt vere corpus, et sanguis Christi, vel ad ipsa pertinent : de quo alias.

12. Secundum, quod observandum notavimus, est Serram in art. 2 hujus quæst. sentire sanguinem contentum in hoc sacramento sub specie vini complecti tres alios humores, choleram, pituitam, et melancholiam. Quia sanguinis nomine communiter intelligitur non solum purus sanguis, sed omne etiam fluidum, quod per venas emittitur, et habet figuram, et colorem sanguineum, ut contingit in prædictis humoribus. Observatio Serræ.

Hæc tamen doctrina videtur nobis incertissima, et in universum falsa : quoniam si sub specie vini ponuntur illi humores, quia fluidum quid sunt, et continentur intra venas, et omne id sanguis communiter appellatur ; sequitur idem dicendum esse de sanguine nutrimentali, ut non solum paritatis ratio, sed majoris similitudinis ratio convincere videtur. Atqui sanguis nutrimentalis non constituitur in sacramento,ut constat ex dictis num. 10 et prædictus Auctor nobiscum sentit 1 p. q. 76, art. 8, du. 1, concl. 2. Ergo ex præmisso illius Auctoris discursu non sequitur tres humores in hoc sacramento constitui : et ipse non satis consequenter processisse videtur. Quare congruentius est distinguere in prædictis humoribus sicut in sanguine : quemadmodum enim datur sanguis perfecte decoctus, qui dicitur naturalis, et informatur anima rationali secundum aliquem gradum, et fuit immediate assumptus a Verbo; et datur alius sanguis incoctus, impurus, et excrementitius, qui dicitur nutrimentalis : sic etiam in pituita, et aliis humoribus distinguendum est : militat enim eadem ratio, ut facile consideranti constabit. Loquendo itaque de prædictis humoribus impuris, et incoctis, et correspondentibus sanguini nutrimentali; tenendum est tales humores non esse sub ulla specierum Eucharistiæ, vel vi verborum, vel per naturalem concomitantiam quia non sunt veræ partes humanæ naturæ, sed quædam ejus vel alimenta, vel excrementa : qua etiam de causa tales humores in ea acceptione non fuerunt a Verbo assumpti, Displicet.

assumpti, ut observavimus loco cit. ex tract. 21, num. 55. Si autem loquamur de prædictis humoribus decoctis, et perfectis, et quatenus correspondent sanguini naturali; affirmandum est contineri in hoc sacramento : quia sunt partes humanitatis, et assumpti fuerunt a Verbo cum aliis veris partibus, ut statuimus ubi proxime num 54. Cæterum prædicti tres humores sub nulla specie continentur ex vi verborum. Non quidem sub specie panis : quia sunt partes fluidæ, et distinguuntur contra corpus juxta doctrinam supra traditam num. 7. Nec etiam sub specie vini : quoniam licet sint aliquid fluidum, et sanguine permixtum in venis, ac sanguis communiter appellentur ; nihilominus non sunt vere sanguis, qui est terminus per se consecrationis vini : et illa similitudo, et commune vocabulum minime sufficiunt, ut patet in sanguine nutrimentali. Unde relinquitur prædictos humores contineri in utraque specie panis, et vini per realem connexionem, et naturalem concomitantiam, qua prædicti humores tanquam veræ humanitatis partes debent esse, ubi aliæ partes, nempe corpus, et sanguis Christi constituuntur.

DUBIUM III.

De his, quæ sunt in hoc sacramento per realem concomitantiam.

Succedit, ut juxta præmissam dub. 1 distinctionem, recenseamus ea, quæ existunt quidem sub speciebus, non tamen ex vi verborum, sed per concomitantiam, aut connexionem realem. Illa vero, circa quæ potest occurrere difficultas, sunt anima Christi, quantitas, figura, et accidentia corporis ejus, subsistentia Verbi, divinitas, unio hypostatica, et duæ personæ Patris, et Spiritus Sancti. De quibus dicemus eodem ordine.

§ I.

De anima rationali.

Prima conclusio.

13. Dicendum est primo animam rationalem Christi Domini, quatenus anima est, et dat gradum vitæ cum subsequentibus, esse realiter sub utraque specie, non tamen ex vi verborum, sed per concomitantiam. Explicatur conclusio : supponimus namque in corpore Christi dari aliquam formam substantialem, per quam constituatur : sicut generaliter omne corpus constat materia, et forma : neque enim materia prima potest, saltem naturaliter loquendo, existere sine forma substantiali, aut cum solis accidentibus, ut constat a fortiori ex N. Complut. abbreviatis in lib. *Physic.* disp. 3, quæst. 5. Supponimus etiam in corpore Christi non dari nisi unicam formam substantialem, eamque esse animam rationalem : tum quia in eadem materia, et composito non possunt inveniri plures formæ substantiales, ut probant prædicti Patres loco cit. disput. 4, quæst. 5. Tum quia una forma substantialis eminens sufficit ad communicandum omnes gradus essentiales, qui in composito reperiuntur. Unde anima rationalis, quæ est forma constitutiva hominis, præstat esse corpus, esse vivens, vegetativum, et sensitivum, ut recte declarant iidem Complutenses in lib. *de anima* disp. 4, quæst. 3. Ex quo fit prædictam animam posse considerari cum præcisione, vel in quantum præcise constituit corpus humanum, vel quatenus constituit corpus humanum vivum communicando illos gradus essentiales, quos homo habet sub gradu corporis. In præsenti ergo non loquimur de anima rationali, in quantum præcise constituit corpus. Quid enim de illa sic considerata asserendum sit, non obscure constat ex supra dictis num. 5 et magis constabit ex dicendis dub. 5. Sed loquimur de illa, in quantum dat gradum vitæ cum subsequentibus, constituendo scilicet corpus vivum, sensitivum etc. Et in hoc sensu procedit nostra conclusio : quam tuentur communiter Thomistæ, et plures alii Theologi, ut videri potest apud Suarium disput. 51, sect. 4, § *Quarta sententia*, et Pradum quæst. 76, dub. 2.

N. Com.

Suarez. Prado.

Fundamentum assertionis.

Probatur quoad omnes partes : nam sub utraque Eucharistiæ specie constituitur totus et integer Christus, qui est in cœlo, ut diffinivit Concilium Tridentinum relatum num. 5; sed Christus importat essentialiter animam rationalem per quam in esse hominis constituitur : ergo anima rationalis Christi Domini est realiter sub utraque sacramenti specie.

Quod autem prædicta anima, quatenus anima est, datque primum vitæ gradum cum subsequentibus non sit in sacramento

ex vi verborum, sed per realem concomitantiam, ostenditur primo ex Concilio Tridentino sess. 13, cap. 3 ubi declarat hanc semper Ecclesiæ fidem fuisse, « statim post « consecrationem, verum Domini nostri « corpus, verumque ejus sanguinem sub « panis, et vini specie, una cum ipsius « anima, et divinitate existere : sed corpus « quidem sub specie panis, et sanguinem « sub vini specie ex vi verborum : ipsum « autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub « utraque vi naturalis illius connexionis, « et concomitantiæ, qua partes Christi « Domini, qui jam ex mortuis resurrexit « non amplius moriturus, inter se copulantur. » Ubi disserte explicatur animam Christi esse utique realiter sub utraque specie; non tamen ex vi verborum, sed per concomitantiam. Quod accipi necessarium est in sensu formali, videlicet de anima, ut anima est, et præstat gradum vitæ. Ostenditur secundo ex D. Thom. in præcedenti quæst. 75, art. 6 ad 2 ubi ait : « Dicendum « quod anima est forma corporis, dans ei « totum ordinem esse perfecti, scilicet esse, « et esse corporeum, et esse animatum, sic « de aliis. Convertitur igitur forma panis in « formam corporis Christi, secundum quod « dat esse corporeum, non autem secundum quod dat esse animatum tali anima. » Ubi manifestum est S. Doctorem sentire conversionem non terminari directe, et per se ad animam Christi, ut anima est, et dat esse animatum : quod falsum esset, si anima sic accepta constitueretur in hoc sacramento ex vi verborum : quippe quod constituitur ex vi verborum, terminat conversionem directe, et per se. Ergo ex sententia S. Doctoris anima rationalis Christi, ut anima est, existit in hoc sacramento non ex vi verborum, sed per realem unionem, sive concomitantiam. Tertio denique ostenditur ratione : quoniam illud constituitur ex vi verborum in hoc sacramento, quod formaliter significatur per verba consecrationis, et quod necessarium est ad salvandum eorum veritatem; sed hujusmodi non est anima rationalis, quatenus communicat gradum vivendi, et alios sub illo : ergo anima rationalis sic accepta non est in hoc sacramento ex vi verborum : ergo cum realiter sit, sequitur solum esse per realem concomitantiam. Cætera constant. Et minor suadetur : nam in primis quod formaliter significatur per verba consecrationis est corpus, et sanguis Christi : atqui corpus, et sanguis Christi non important essentialiter gradum vitæ, sed dicuntur tam de corpore, et sanguine vivis, quam de corpore, et sanguine mortuis : ergo verba consecrationis non significant formaliter animam Christi, quatenus dat gradum vivendi, et alios sub illo. Deinde si in triduo fieret consecratio, esset ejusdem formalis rationis cum consecratione præsenti, et haberet eundem formaliter terminum, quem nunc habet; sed in triduo non terminaretur ad animam; siquidem corpus, et sanguis Christi sine vita, et anima existerent : ergo anima, quatenus anima est, et dat gradum vitæ, non requiritur ad salvandum veritatem verborum consecrationis.

Concil. Trident. — D. Tho.

14. Nec refert, si dicas ad salvandum hujusmodi veritatem necessarium esse, quod sit idem corpus Christi, quod Christus habebat, quando consecravit : quippe si non esset idem corpus, non posset esse corpus Christi, sed aliud compositum substantialiter diversum : sed ad hoc requiritur anima, ut anima est, et dat gradum vitæ : ergo anima sic accepta requiritur ad salvandum veritatem verborum consecrationis. Probatur minor : quia non potest esse idem corpus, quod Christus habebat, quando consecravit, nisi habeat formam illam substantialem, quam habebat corpus, quando Christus protulit verba consecrationis; siquidem corpus in sua unitate dependet ab unitate formæ, et variatur pro varietate formarum : sed forma, quam habuit corpus Christi tempore consecrationis, erat anima rationalis dans gradum vitæ, et subsequentes : ergo anima sic accepta requiritur ad salvandum, quod sit idem corpus Christi, quod habebat, quando consecravit. Hoc, inquam, non refert, sed diluitur negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est, quod ut corpus aliquid sit unum, et idem omnibus modis, requiritur unitas, et identitas ejusdem formæ : sed tamen ut sit idem absolute, sufficit esse idem identitate materiæ, et suppositi. Et hoc modo corpus Christi tam vivum, quam mortuum, et ab utraque ratione præscindens est absolute idem : quia ut optime tradit D. Thom. supra quæst. 50, art. 5 « non habuit aliam hy- « postasim vivum, et mortuum præter hypostasim

Objectio. — Dissolvuntur. — D. Tho.

« hypostasim Verbi Dei. » Ut autem salvetur veritas consecrationis, et quod hæc terminatur ad idem corpus, quod Christus habuit in manibus, quando consecravit, sufficit consecrationem modo, et semper terminari ad idem corpus Christi absolute identitate tam materiæ, quam suppositi: nam et hoc corpus Christus in manibus habuit, et ad illum sic formaliter acceptum terminata est per se consecratio; non autem ad gradus aliquos inferiores importantes majorem identitatem ex parte formæ, ut amplius constabit dub. 5.

Sententiæ contrariæ. 15. Contra nostram assertionem possumus referre diversos dicendi modos, et plura argumenta. Sed hæc omnia congruentius reservantur pro loco immediate relato. Nunc solum occurrit opponendum eandem esse formam, quæ dat corpori Christi esse corpus, et esse vivum, ut observavimus num. 13; sed prædicta forma, (quæ reipsa est anima rationalis,) quatenus constituit corpus, constituitur in sacramento ex vi verborum: ergo talis forma, quatenus est anima, et constituit corpus vivum, etiam constituitur ex vi verborum in hoc sacramento. Probatur consequentia: nam de eadem forma verificari nequit esse in sacramento ex vi verborum, et non esse in sacramento ex vi verborum.

Argumentum.

Diluitur. Respondetur concedendo præmissas, et negando consequentiam. Ad cujus probationem dicendum est, quod licet sit eadem entitative forma, quæ constituit corpus Christi in esse corporis, in esse vivi, animati etc. nihilominus prout constituit corpus, virtualiter distinguitur a se ipsa, quatenus constituit corpus in esse vivi: quia et ipsi gradus corporis, et viventis virtualiter distinguuntur. Et hæc virtualis distinctio sufficit ad excludendam contradictionem, quæ apparet in eis prædicatis essendi ex vi verborum, et non essendi ex vi verborum. Sicut similis distinctio inter naturam divinam, et personam Filii sufficit, ut Filius generetur, et natura non generetur: et ut filiatio terminet primario humanitatem assumptam, secus autem natura. Atque in creatis etiam sufficit ad similia prædicata, v. g. quod sensus sequatur ad animam, quatenus præstat gradum animalis; non autem quatenus præcise communicat gradum corporis: et similiter quod ens sit objectum intellectus non sub ratione boni, sed sub ratione veri, licet tales rationes non distinguantur realiter.

§ II.

De quantitate

16. Dicendum est secundo quantitatem corporis, et sanguinis Christi contineri realiter in utraque specie; non tamen ex vi verborum, sed per concomitantiam. Prima ejus pars, nempe corpus, et sanguinem Christi in Eucharistia retinere suam quantitatem est communis Scholasticorum cum Magistro in 4, dist. 10, et Theologorum cum D. Thom. in hac quæst. art. 4. Unde supervacaneum est illos referre. Observandum tamen est illam pro se certitudinem habere, ut graves Doctores non dubitent oppositam percellere diversis censuris. Nam D. Bonaventura in 4, dist. 10, 1 p. q. 2, et N. Cornejo in præs. art. 4, disp. 1, q. 1, dicunt esse *errori proximam.* Suarez disp. 51, sect. 2, et plures alii dicunt esse *temerariam.* Alensis 3 p. q. 40, memb. 3, art. 4, et Soto eadem dist. q. 1, art. 4, § *Revera,* dicunt absolute esse *erroneam.* Alanus lib. 1, cap. 38, testatur *haberi pro hæretica.* Et alii alia proferunt. Unde primum, et satis grave pro hac parte fundamentum est ipse communis Doctorum sensus, cui in re adeo gravi se opponere est ad minus temerarium.

Secunda conclusio. Magist. D. Tho. D. Bon. N. Corn. Suarez. Alensis. Soto. Alanus.

Fundamentum. Secundum motivum est insinuatum a D. Thoma loco cit. quoniam ubicumque est aliquod subjectum, ibi etiam sunt, quæ eidem subjecto naturaliter conjunguntur: sed Christus in propria specie habet naturaliter quantitatem: ergo illam etiam habet specie sacramenti. Quare sicut prædictus discursus evincit aliqua esse realiter in Eucharistia, non quidem ex vi verborum, sed propter naturalem connexionem, quam habent cum corpore, et sanguine Christi in propria specie, ut aperte significavit Concilium Tridentinum sess. 13, cap. 3, et satis constat ex supra dictis; sic etiam de quantitate Christi censendum est. Nec circa veritatem majoris impediri debemus evasione Durandi, quam supra jam refutavimus num. 4.

Confirmatur primo: quia si Christus in Eucharistia careret quantitate; pariter careret facultatibus tum vegetativis, tum sensitivis: quare nec haberet potentiam nutritivam, nec visum, nec auditum, nec

similia : consequens est omnino absurdum: ergo et antecedens. Sequela ostenditur : nam omnia alia accidentia corporea recipiuntur in substantia media quantitate, quæ et extendit substantiam, et est hac de causa ratio materialis suscipiendi accidentia corporea, et commune illorum subjectum *quo*. Quod ad minus verum est loquendo naturaliter, sive secundum providentiam ordinariam, et sine recursu ad nova miracula, quæ sine fundamento in hac materia inducerentur. Ergo sublata quantitate consequens est, ut excludantur alia accidentia corporea : atque ideo si Christus in Eucharistia caret quantitate, caret etiam facultatibus vegetativis, et sensitivis. Falsitas autem consequentis satis ex se constat ; siquidem inducit Christum Dominum in statu, sive modo inperfectissimo existendi, nempe absque sensibus, et aliis perfectionibus accidentalibus, sine quibus vel alter homo truncus esset. Confirmatur

Alia. secundo : quia si Christus in Eucharistia non haberet quantitatem, sequeretur partes corporis ejus nullum habere ordinem inter se ; siquidem proprius quantitatis effectus est communicare substantiæ hunc ordinem, et distinctionem : unde ulterius fieret vel non dari ibi partes integrales corporis humani, utputa caput, collum, pectus, etc. vel esse omnino inordinatas, ut caput non magis, aut immediatius uniatur collo, quam pedi. Hoc autem dicere non solum est temerarium, sed error in fide : nam, ut optime observavit Soto loco supra citato cum Christus dixit, *Hoc est corpus meum*, id dixit de corpore humano habente naturam, proprietates, et ordinem talis corporis ; non autem id dixit de aliquo figmento excogitato, quale obligatur admittere, qui negat Christum in Eucharistia retinere quantitatem.

Nota. 17. Observandum tamen est quantitatem habere duos effectus formales : alium primarium, qui est extensio partium in ordine ad se : alium vero secundarium, qui est extensio in ordine ad locum, faciendo scilicet, quod corpus totum correspondeat toti loco, et partes corporis partibus loci, ut naturaliter contingit. Sed in corpore Christi, prout existit in sacramento, non præstat hunc effectum formalem secundarium : quia substantia corporis Christi ponitur ibidem per modum substantiæ, atque indivisibiliter in ordine ad locum : eo quod substantia de se præscindit ab ordine ad aliquid extrinsecum, ut late explicuimus disp. præced. dub. 4. Cum igitur affirmamus quantitatem corporis Christi esse realiter in Eucharistia ; assertio accipienda est cum hac modificatione, nempe quantum ad effectum primarium quantitatis, sive extensionem in ordine ad se : non autem quantum ad effectum secundarium, qui est extensio in ordine ad locum. Et ita observavit D. Thom. in 4 dist. 10, quæstione 1, art. 2, quæstiunc. 4 ad 3, ubi ait : « Quamvis corpus Christi, « prout est sub sacramento, habeat partes « distinctas, et situatas situ naturali ; non « est tamen assignare in partibus dimen- « sionum panis, ubi singulæ partes corpo- « ris Christi jaceant. Nec tamen sequitur, « quod dicamus corpus Christi confusum, « quia ordinem habent partes in se : sed « secundum ordinem illum non compa- « rantur ad dimensiones exteriores. » Et in præsenti quæst. art. 3 ad 3, inquit : « Corpus Christi comparatur ad hoc sacra- » mentum, non ratione quantitatis dimen- « sivæ, sed ratione suæ substantiæ. » Et art. 4 ad 1, ait : « Quia igitur ex vi hujus « sacramenti est in altari substantia cor- « poris Christi : quantitas autem dimen- « siva ejus est ibi concomitanter, et quasi « per accidens : ideo quantitas dimensiva « corporis Christi est in hoc sacramento « non secundum proprium modum (ut « scilicet sit tota in toto, et singulæ par- « tes in singulis partibus): sed per modum « substantiæ,cujus natura est tota in toto,et « tota in qualibet parte. » Pro cujus doctrinæ majori intelligentia recolenda omnino sunt,quæ diximus loco cit. et præsertim a num. 49. D. Tho.

18. Contra prædictam nostræ, et communis assertionis partem sunt Durandus tenens corpus Christi in Eucharistia non habere quantitatem, nec esse quantum : nam cum ipse sentiat quantitatem non esse aliud, quam extensionem localem, ut tradit in 1, dist. 34, quæst. 1, et manifestum sit Christum in Eucharistia non habere extensionem localem ; consequenter obligatus est concedere Christum in Eucharistia non habere quantitatem : et sic statuit in 4, dist. 10, quæst. 2. In eo autem videtur illi parcendum, quod eam doctrinam non contentiose asseruit, sed tantum voluit posse probabiliter sustineri, satis manifestans Contraria sententia.

tans sui animi incertitudinem, atque formidinem illis verbis : *Videtur probabiliter.* Et rursus : « Iste modus forte verus est, « loquendo de possibili : sed alius ponitur « communius de facto. Quis autem sit ve- « rior, puto nulli homini viatori posse « constare per certitudinem, nisi cui Deus « revelaverit. » Durando favet ex parte Gabriel licet alio principio ductus : ipse enim in 4, distinctione 10, quæstione unica articulo 1, sentit quantitatem non distingui a rebus quantis ; sed esse ipsam rem quantam ut habentem partes in diverso loco, et situ. Unde artic. 2, conclus. 2, colligit corpus Christi esse quantum in cœlo, non autem in Eucharistia : quia in illo, non autem in hac, habet partes substantiales in diverso loco, et situ. Quam sententiam probat primo Durandus : quia quantitas constitit in extensione partium in ordine ad locum : sed Christus in Eucharistia non habet extensionem in ordine ad locum ; ergo in Eucharistia non habet quantitatem. Et confirmat : quia de ratione quantitatis est occupare spatium : sed Christus in Eucharistia non occupat spatium ; siquidem totus est sub omnibus, et singulis specierum partibus : ergo in Eucharistia existens non retinet quantitatem.

Durand. Gabriel. Primum argumentum. Confirmatio.

Arguit secundo idem Durandus : nam ideo Christus retineret in Eucharistia quantitatem, quia hæc illi inhæret, et propterea debet esse saltem concomitanter, et per accidens, ubi est Christus : sed hæc ratio est nulla : ergo in Eucharistia non existit quantitas corporis Christi. Probatur minor : quia sicut quantitas corporis Christi unitur ei secundum inhærentiam : ita aliqua pars cœli unitur corpori Christi secundum contactum : sed non oportet, quod pars illa cœli sit cum corpore Christi in sacramento : ergo idem dici potest de quantitate. Eo vel maxime, quod licet pars cœli non sit in sacramento : inde non sequitur, quod talis pars cœli separetur a corpore Christi in propria specie secundum contactum : ergo similiter quamvis quantitas corporis Christi non existeret in sacramento, minime inferretur talem quantitatem separari a corpore Christi in propria specie secundum inhærentiam. Et confirmatur : quia æque impossibile, aut possibile est, quod ex unitis per contactum, manente tali unione, unum sit distans ab alio, sicut fit de unitis secundum inhærentiam, manente inhærentia : ergo si ex unitis secundum contactum, manente contactu, potest unum separari ab altero, ut patet in exemplo præmisso ; sequitur idem posse contingere in unitis secundum inhærentiam, hac permanente : atque ideo non repugnat, quod licet corpus Christi, et ejus quantitas uniantur in cœlo per inhærentiam, et hæc semper maneat ; ponatur in Eucharistia corpus Christi, non posita prædicti corporis quantitate.

Secundum argumentum. Confirmatio.

Arguitur tertio pro eadem sententia : quoniam de ratione quantitatis est reddere subjectum, cui inest, divisibile : sed corpus Christi in Eucharistia non est divisibile : unde provenit, quod ibi non valeat pati passione corporea, ut diximus disputatione præcedenti dub. 5 ; ergo corpus Christi in Eucharistia non habet quantitatem. Arguitur quarto : nam quantitas constituit corpus impenetrabile alteri quantitati : sed corpus Christi in Eucharistia non est impenetrabile alteri quantitati, quin potius penetratur cum quantitate specierum ; siquidem totum existit sub singulis earum non solum particulis, sed etiam indivisibilibus, ut diximus eadem disputatione dub. 4, § 4; ergo signum est, quod corpus Christi in Eucharistia non conservat quantitatem. Falsum igitur est quantitatem corporis Christi esse realiter in qualibet specie hujus sacramenti.

Tertium argumentum. Quartum.

19. Sed hæc argumenta, quamvis non admodum facilia, recte dissolvuntur juxta communem sententiam. Ad primum enim constat ex dictis num. præced. essentiam quantitatis non consistere in extensione actuali in ordine ad locum; sed in extensione, et distinctione partium in ordine ad se, ad quam prior illa extensio consequitur naturaliter per modum proprietatis. Unde divinitus impediri potest, et de facto impeditur in hoc sacramento. Nam quantitas non ponitur in hoc sacramento, nisi ratione substantiæ, quam afficit, et quæ est terminus transubstantiationis : quare debet et constitui, et esse ibidem non juxta modum proprium, sed juxta modum substantiæ : hæc autem in proprio genere abstrahit a loco : et ideo quantitas, quæ in sacramento constituitur, habet esse ibidem absque actuali ad locum correspondentia; licet illam naturaliter exigat, sicut accidentia Eucharistica exigunt inhærentiam, quam miracu-

Occurritur primo argumento.

lose non habent. Et quibus patet ad confirmationem: nam de ratione quantitatis est occupare spatium aptitudinaliter, quantum est de se: cum quo tamen stat, quod illud non occupet actualiter, impediente Deo effectum secundarium correspondentiæ, et extensionis in ordine ad locum: sicut de ratione essentiali accidentium est inhærere aptitudinaliter, et nihilominus Deus conservat accidentia specierum sine actuali inhærentia.

Satisfit secundo. Ad secundum respondetur admittendo majorem intellectam de accidenti inhærente, connaturali, atque independenti a loco: nulla quippe ratio occurrit ut tale accidens non sit in Christo, ubicumque Christus existit: et deinde negamus minorem. Ad cujus probationem, omissis præmissis, negamus consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod illa pars cœli, quam Christus attingit, non est in Christo, nec ad ipsum pertinet: unde non oportet esse in sacramento, nec corpus Christi comitari. Oppositum autem contingit in quantitate, quæ inhæret corpori Christi, et est accidens eidem connaturale, atque a loco essentialiter non dependens. Augmentum vero difficultatis nihil evincit: non enim probamus corpus Christi in Eucharistia habere quantitatem, quia si illam non haberet in Eucharistia, eam etiam non haberet in propria specie: (facile enim concipimus posse oppositum contingere: sicut de facto in sacramento non habet *ubi*, et extensionem localem, quæ habet in cœlo. Sed motiva nostræ et communis assertionis diversa sunt, et superius assignata. Ad confirmationem patet ex dictis negandum esse antecedens: quia multo major unio reperitur inter subjectum, et accidens connaturale illi inhærens, quam inter duo corpora se tangentia; cum inhærentia importet veram unionem inter extrema; secus vero corporum contactus. Quare ex eo, quod ex duobus corporibus se attingentibus unum possit alibi sine altero reperiri, minime infertur, quod subjectum possit inveniri sine accidenti, quod alibi connaturaliter habet, saltem citra novum miraculum; sed magis infertur oppositum.

Ad tertium respondemus esse quidem de essentiali ratione quantitatis constituere subjectum, cui hæret, divisibile saltem remote, et secundum se: sed quod ei conferat divisibilitatem proximam, et expeditam non pertinet ad essentiam quantitatis, sed ad ejus connaturalem dispositionem, et effectum secundarium: sicut proxime dicebamus de extensione in ordine ad locum, sine qua nunquam invenitur proxima, et expedita corporum divisibilitas. Unde sicut extensio in ordine ad locum potest divinitus impediri, et de facto impeditur in hoc sacramento; sic etiam contingit in divisibilitate proxima. Sed tamen corpus Christi sicut in eo conservat esse quantum, sive habere extensionem in ordine ad se; ita etiam conservat esse divisibile remote, et secundum se: quod satis est, ut retineat quantitatem.

Ad quartum respondetur juxta doctrinam immediate traditam, quod impenetrabilitas non est de essentia quantitatis, sed quædam ejus proprietas, quæ potest divinitus impediri, et impedita aliquando est, nempe quoties duo corpora sunt penetrata, sive constituta in eodem loco, ut recte declarant N. Compluto. abbrev. in lib. *Physic.* disp. 19, quæst. 6. Quare licet inter corpus Christi et species sacramentales daretur penetratio, non inde probaretur corpus Chisti in Eucharistia carere quantitate: sed inferretur quantitatem prædicti corporis privari quodam effectu secundario, nempe impenetrabilitate, sicut supra diximus de divisibilitate proxima, et extensione in ordine ad locum. Sed revera non intercedit ulla penetratio: ista namque consistit in coexistentia duorum corporum in eodem loco: ad quod requiritur unum, et alterum corpus habere extensionem localem: quare cum corpus Christi in Eucharistia careat hac extentione, nequit proprie loquendo penetrari cum speciebus sacramentalibus: sed existit sub illis eo proportionali modo, quo existeret propria substantia panis, et vini, si ibidem esset, ut optime docuit D. Thom. in hac quæst. art. 4, ubi cum sibi opposuisset impossibile esse, quod duæ quantitates dimensivæ sint simul, ut docet Arist. 3 *Metaphys.* respondit: « Ad secundum dicendum, quod duæ quantitates « dimensivæ non possunt naturaliter simul esse in eodem: ita quod utraque sit « ibi secundum proprium modum quantitatis dimensivæ. In hoc autem sacramento quantitas dimensiva panis est « secundum proprium modum, scilicet « secundum commensurationem quandam: non autem quantitas dimensiva

Solvitur quartum. N. Compl. D. Thom.

corporis

« corporis Christi, sed est ibi per modum « substantiæ. »

Secunda assertionis pars. 20. Veniamus jam ad secundam assertionis partem, nempe quantitatem corporis, et sanguinis Christi non constitui, aut esse in hoc sacramento ex vi verborum, sed solum per realem concomitantiam propter unionem ad substantiam corporis, et sanguinis. Hanc partem docet expresse Divus Thomas, ut statim videbimus, cui subscribunt unanimiter disciPuli. Docent etiam Henricus, Scotus, Argentinas, Suarez, et Henriquez, quos refert, et sequitur Granados controv.6, tract.4, disp.4, sect.5, Lugo disp. 8, sect. 4, et alii communiter. Probatur auctoritate simul et ratione D. Thomæ in præs. art. 4, ubi resolutionem hanc luculenter docet his verbis : « Dicendum, « quod dupliciter aliquid Christi est in hoc « sacramento. Uno modo ex vi sacramenti: « alio modo ex reali concomitantia. Ex vi « quidem sacramenti quantitas dimensiva « corporis Christi non est in hoc sa« cramento. Ex vi enim sacramenti est « in hoc sacramento illud, in quod con« versio directe terminatur. Conversio « autem, quæ fit in hoc sacramento, di« recte terminatur ad substantiam cor« poris Christi ; non autem ad dimen« siones ejus. Quod patet ex hoc, quod « quantitas dimensiva panis remanet, « facta consecratione, sola substantia panis « transeunte. Quia tamen substantia cor« poris Christi realiter non denudatur a « sua quantitate dimensiva, et ab aliis ac« cidentibus ; inde est, quod ex vi realis « concomitantiæ est in hoc sacramento « tota quantitas dimensiva corporis Chris« ti, et omnia accidentia ejus. »

Henric. Scotus. Suarez. Granad. Lugo. Fundamentum ex D. Thom.

Corroboratur. Confirmatur : nam illud dicitur poni ex vi verborum in hoc sacramento, quod per verba consecrationis formaliter verificatur, et necessarium est ad salvandum eorum veritatem, ut constat ex dictis dub. 1; sed quantitas non est hujusmodi: ergo quantitas non constituitur in hoc sacramento ex vi verborum ; cum igitur in eo realiter existat, ut constat ex prima hujus assertionis parte, sequitur quantitatem ibi esse per realem concomitantiam. Cætera constant. Et minor suadetur: nam in primis verba consecrationis non significant formaliter nisi substantiam : et propterea conversio appellatur *transubstantiatio*, quia scilicet sicut terminus ejus *a quo* est sola substantia, ita terminus ejus *ad quem* est sola substantia corporis, et sanguinis Christi, non vero substantia, et quantitas, vel aliquid commune substantiæ, et quantitati. Deinde hoc ipso, quod sub speciebus constituatur substantia corporis, et sanguinis Christi, salvatur sufficienter veritas verborum consecrationis: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus;* quidquid fuerit de accidentibus, ut satis ex se liquet.

Contraria sententia. 21. Contrariam huic parti sententiam docuit satis singulariter Vazquez disp. 187, cap. 4, affirmans quantitatem corporis Christi esse in hoc sacramento per se, atque ex vi verborum. Cui postea subscripserunt Ochagavia quæst.20, *de Eucharistia*, Gamachæus quæst. 74, cap. 8, Mæratius disp. 21, sect. 5, et quidam alii. Fundamentum Vazquii est: quoniam in hoc sacramento constituitur per se, sive ex vi verborum corpus organicum : quippe esse organicum est de essentiali conceptu corporis humani: sed organorum constitutio, atque distinctio provenit a quantitate ; siquidem substantia intra proprium genus non habet partes: ergo quantitas corporis Christi constituitur in hoc sacramento per se, sive ex vi verborum. Confirmat primo idem Auctor: quia in hoc sacramento constituuntur per se, corpus, et sanguis Christi velut duæ res hetereogeneæ, et plusquam numero differentes : sed hæc diversitas provenit a quantitate : ergo idem, quod prius. Confirmant secundo alii : quoniam in hoc sacramento est aliquod *ubi* corporis Christi ex vi verborum : ergo et quantitas. Consequentia patet: quia illud *ubi*, cum sit corporeum, exigit recipi media quantitate. Antecedens vero suadetur : quia Christus ex vi verborum est præsens speciebus sacramentalibus, ut constat ex illis verbis : *Hoc est corpus meum*, quæ denotant esse ibi, et sub speciebus : ergo ex vi verborum significatur aliquod *ubi* corporis Christi.

Vazq. Ochag. Gamach. Mærat. Argumentum. Confirmatio I. Confirmatio.

Satisfit argumento. Ad argumentum respondetur cum Capreolo, Caietano, et aliis gravibus Auctoribus, quos sequuntur N. Complutenses abbreviati in lib. *de Generat.* disp.5, quæst. 1, duplicem organisationem distinguendam esse: aliam radicalem, sive fundamentalem, aliam vero formalem, et proximam. Posterior fit formaliter per quantitatem, figuram, et alia accidentia : prior autem est substantialis, et de genere substantiæ: hæc

enim licet intra proprium genus non habeat partes actu formaliter distinctas, sed eas mutuetur a quantitate, sicut a forma : nihilominus habet partes potentiales, sive distinctas in potentia, quæ reducitur ad actum per quantitatem : et in hoc secundo sensu substantia corporis humani habet in proprio genere substantiæ ossa, carnem, nervos, et organisationem, nempe radicaliter, et in potentia. Ex vi igitur verborum ponitur corpus organicum organisatione radicali, et fundamentali ; non autem organisatione formali, et proxima. Unde non sequitur, quod ex vi verborum ponatur quantitas ; sed quod ponatur substantia capax organisationis formalis per quantitatem. Distinguendo itaque in prædicto sensu præmissas, negatur absolute consequenti.

Diruitur prima confirmatio. Ad primam confirmationem respondetur eodem modo : nam substantia humana intra proprium genus distinguitur radicaliter in corpus, et sanguinem sicut in partes potentiales, quæ licet intra illud genus non distinguantur actu, distinguuntur tamen in potentia, et plusquam virtualiter. Quod sufficit, ut ex vi verborum constituatur sub specie panis corpus, et non sanguis : atque vice versa sub specie vini constituatur ex vi verborum sanguis, et non corpus : sicut supra num. 15 dicebamus de anima rationali considerata secundum diversos gradus. Unde necessarium non est, quod in termino formali consecrationis utriusque speciei intret formaliter quantitas ut inducens distinctionem actualem inter corpus, et sanguinem. Et hæc ita contingunt de facto, quia corpus, et sanguis supponuntur unita. Aliter autem contingeret in triduo, ubi supponerentur esse duo individua realiter separata, juxta doctrinam supra traditam a num. 9. Sed tamen nec tunc constitueretur quantitas ex vi verborum: sed ex illis individuis substantialiter distinctis unum solum constitueretur in una specie, et aliud solum in alia.

Solvitur secunda. Ad secundam confirmationem respondetur Christum in sacramento non habere aliud *ubi*, quam præsentiam sacramentalem, et hanc non esse aliud, quam unionem corporis ad species sicut contenti ad terminum continentem ; eo proportionabiliter modo, quo substantia panis, et vini uniebatur prius eisdem accidentibus, ut ex professo tradidimus disp. præced. dub. 3, num. 24 et 32. Concesso itaque hujusmodi *ubi*, sive præsentiam significari formaliter per verba consecrationis, et subinde esse in sacramento ex vi verborum ; nulla ratione sequitur idem dicendum esse de quantitate: quia prædictum *ubi*, sive præsentia non recipitur necessario media quantitate, sed posset substantiam immediate afficere, sicut prius afficiebat substantiam panis. Addimus illam consequentiæ probationem esse invalidam : quia licet prædictum ubi reciperetur media quantitate, non inde inferretur quantitatem esse ex vi verborum: quia quantitas non significatur per verba consecrationis, sicut significatur præsentia Christi, vel *ubi* sacramentale. Sicut etiam corpus Christi nec ibi, nec alibi conservatur sine subsistentia : et tamen ex eo, quod corpus Christi sit ex vi verborum in sacramento non sequitur idem dicendum esse de ejus substantia, ut magis constabit num. 28. Et ratio est proportionabiliter eadem, nempe corpus, et non ejus subsistentiam significari formaliter per verba consecrationis. Sed est bene observandum *ubi* illud, sive præsentiam sacramentalem non esse de eorum numero, quibus applicatur distinctio illa essendi ex vi verborum, aut essendi per concomitantiam in sacramento : hæc enim sunt, quæ pertinent ad corpus Christi in propria specie, et dubitari potest, an deferantur ad species. Hujusmodi autem non est illud *ubi*, seu præsentia ; cum non præsupponatur in Christo secundum propriam speciem naturalem, quam habet in cœlo: sed comparatur per modum conditionis, et applicationis ex parte termini, ut pertinentia ad Christum constituantur hoc, aut illo modo sub speciebus sacramentalibus. Nota.

§ III.

De figura, et aliis accidentibus.

22. Dicendum est tertio figuram corporis Christi esse in utraque hujus sacramenti specie ; non tamen ex vi verborum, sed per realem concomitantiam : et idem contingere in omnibus aliis Christi accidentibus absolutis, et intrinsecis. Conclusio hæc quoad omnes ejus partes est D. Thom. locis statim referendis, et omnium discipulorum. Quam etiam amplectuntur D. Bonaventura, Alensis, Altisiodorensis, Richardus, Tertia conclusio.

dus, Marsilius, Palacios, et alii communiter, ut testatur Prado quæst. 76, dub. 6, nu 31. Prima autem ejus pars ostenditur : quia non est difficilius, quod corpus Christi in sacramento habeat figuram, quam quod habeat quantitatem : sed quantitatem habet, ut statuimus § præced. ergo et figuram. Major ostenditur : quia difficultas occurrens in conservatione figuræ sub speciebus consistit in eo, quod figura videtur importare correspondentiam ad locum, et diversam partium situationem, quas Christus habere nequit in Eucharistia. Hoc autem motivum etiam occurrit in quantitate, de cujus ratione est habere partes extra partes, et secundum illas correspondere partibus loci. Ergo difficilius non est figuram corporis esse sub speciebus, quam corporis quantitatem. Et sicut illa circa quantitatem difficultas superatur dicendo quantitatem corporis Christi in Eucharistia conservare essentiam, quæ consistit in extensione partium in ordine ad se; carere autem quadam naturali proprietate, quæ consistit in extensione partium in ordine ad locum : sic etiam prædicta difficultas evacuatur dicendo figuram corporis Christi in Eucharistia conservare diversam partium situationem, et terminationem, in quo consistit essentia figuræ ; privari autem per miraculum quadam sibi connaturali proprietate, quæ consistit in situatione, et commensuratione partium in ordine ad locum. Supposita autem ista non repugnantia existentiæ figuræ corporis Christi in sacramento, facile probatur consequentia primi syllogismi, continuando eandem similitudinem : nam ideo corpus Christi in sacramento habet quantitatem, quia quantitas naturaliter conjungitur corpori Christi in propria specie, et alias potest divinitus existere in sacramento : sed etiam figura naturaliter conjungitur corpori Christi in propria specie, ut ex se liquet, et alias potest divinitus existere in sacramento, ut immediate ostendimus : ergo figura corporis Christi, quam habet in propria specie, existit de facto in sacramento Eucharistiæ.

Fundamentum quoad priorem partem.

Quæ doctrina desumitur ex D. Thom. in 4, dist. 10, quæst. 1, art. 3, quæst. 1, ubi ait : « Figura est qualitas circa quanti- « tatem. Et quia corpus Christi non habet « ordinem ad species, sub quibus contine- « tur mediante quantitate, sed e converso, « ut dictum est : ideo neque figura corpo- « ris Christi respondet figuræ specierum. » Et in resp. ad 2, addit : « Quamvis corpus « Christi non denudetur positione, nec ali- « qua suarum proprietatum ex hoc, quod « est sub sacramento : non tamen sequitur, « quod secundum quod habet figuram, et « quantitatem, et positionem, comparetur « ad species sacramenti. Sicut homo non « comparatur ad locum ex hoc, quod habet « animam : quamvis per hoc, quod in loco « est, anima non privetur. » Hæc S. Doctor : in quibus ex una parte supponit figuram corporis Christi, sicut et ejus quantitatem, esse in sacramento Eucharistiæ : et ex alia parte salvat prædictam figuram, sicut et quantitatem, non habere commensurationem in ordine ad locum : quia non constituuntur in sacramento ratione sui, sed ratione substantiæ, quam imitantur in modo existendi sine ulla ad locum commensuratione : sicut supra disp. præced. dub 4, § 4, agentes de existentia corporis Christi in punctis, et indivisibilibus specierum fusius explicuimus.

D. Tho.

Contra hanc assertionis partem sentiunt Ochamus in 4, dist. 10, quæst. 1, et in opere *de Eucharistia*, cap. 29, et Ægidius *apud Carthusianum* eadem dist. quæst. 3, negantes corpus Christi in sacramento habere figuram. Et unicum eorum motivum est, quod partes corporis Christi in Eucharistia carent diversa situatione, sine qua figura apprehendi non valet : sunt enim ibi omnes Christi partes simul, utputa pes cum capite, manus cum pede, et sic de aliis. Sed ad prædictum fundamentum constat ex supra dictis : probat enim corpus Christi in Eucharistia non habere figuram cum naturali ejus proprietate diversæ situationis, et commensurationis in ordine ad locum : sed non probat, quod careat figura secundum essentiam situationis in ordine ad se. Et quamvis omnes Christi partes sint simul, prout ly *simul* excludit diversarum partium correspondentiam in ordine ad partes loci ; non tamen prout excludit ordinem, et terminationem partium in se : nam inter caput, et pedes Christi in Eucharistia mediat collum, et corpus ; licet non habeant diversam correspondentiam ad locum ; quippe cum in loco non sint. Unde incidenter excluditur alia sententia extreme opposita Henriquez lib. 8, cap. 27, § 4, ubi affirmat

Sententia contraria.

Ocham. Ægid.

Diruitur illius fundamentum.

Refellitur Henriquez.

corpus Christi in sacramento retinere eandem positionem situs, quam habet in cœlo : ut « semper, inquit ille, stet rectus cum « capite sursum, et pedibus deorsum. » Excluditur, inquam, hæc imaginatio : tum quia sursum, et deorsum sunt differentes positiones in loco : unde cum corpus Christi in Eucharistia non habeat esse in loco ; sequitur, quod caput non habeat sursum, aut deorsum. Tum quia totum Christi corpus est in omnibus, et singulis punctis et indivisibilibus specierum ut diximus loco citato : unde non est imaginabile spatium aliquod, in quo sit caput Christi, quem non occupent etiam ejus pedes. Procedit itaque illa phantasia ex non distinctione figuræ in ordine ad se, vel in ordine ad locum : sed excluditur per doctrinam supra traditam.

Fundamentum quoad secundam partem. 23. Secunda vero assertionis pars, nempe figuram corporis Christi non esse in hoc sacramento ex vi verborum, sed per realem concomitantiam, traditur a D. Thom. idem generaliter docente de accidentibus, ut num. seq. expendemus, admittiturque communiter a Doctoribus, et facile probatur ex hactenus dictis : quoniam figura est modus, seu terminatio quantitatis quantum ad diversam partium situationem : atque ideo sequitur conditionem illius : sed quantitas corporis Christi existit in hoc sacramento, non ex vi verborum, sed per realem concomitantiam ad ipsum corpus, quod ponitur per se, ut vidimus num. 20 : ergo idem de figura corporis Christi dicendum est. Eo vel maxime, quod nulla ratio potest occurrere, ut figura corporis Christi ponatur ex vi verborum, secus autem illius quantitas, ut facile consideranti constabit.

Ultima assertionis pars. 24. Ut autem tertiam assertionis partem probemus, animadvertendum est, quod corpus Christi in propria specie existens habet duo genera accidentium : nam quædam sunt absoluta, atque independentia a respectu ad locum, ut sensus, color, pulchritudo, et similia, quæ propterea vocantur intrinseca : quædam vero important essentialiter habitudinem ad locum, ut ubi, situs, contactus loci, et alia hujusmodi, quæ hac de causa solent appellari extrinseca ; non quia in corpore Christi non sint, sed quia habent nexum cum aliquo extrinseco. Affirmamus itaque, quod sicut quantitas, et figura corporis Christi sunt realiter sub speciebus sacramentalibus, non ex vi verborum, sed per realem concomitantiam ; sic etiam omnia alia accidentia absoluta, et intrinseca corporis habent esse in hoc sacramento. Quod docent communiter Theologi cum D. Thoma statim referendo. Et probatur ex hactenus dictis : quoniam ideo quantitas, et figura corporis Christi existunt realiter in hoc sacramento, si non ex vi verborum, saltem per concomitantiam; quia licet non significentur formaliter per verba consecrationis, nec intrent terminum primarium transubstantiationis; nihilominus uniuntur naturaliter cum illo, et non dependent essentialiter a loco : oportet enim, quod si ejus conditionis sunt, sequantur substantiam corporis Christi, et existant, ubicumque illa existit, ut explicantes distinctionem essendi ex vi verborum, et essendi per realem concomitantiam diximus dub. 1. Sed hæc eadem ratio militat generaliter in omnibus accidentibus absolutis et intrinsecis, quæ Christus habet in propria specie, ut facile consideranti constabit : ergo generaliter loquendo omnia accidentia absoluta, et intrinseca corporis Christi in propria specie existunt realiter in hoc sacramento, non quidem ex vi verborum, sed per naturalem connexionem, et realem concomitantiam. Unde a contrario sensu excluduntur accidentia extrinseca, sive dependentia essentialiter a loco : nam cum Christus prout in sacramento, non sit in loco ; sequitur talia accidentia non comitari corpus Christi prout in sacramento ; atque ideo nec ex vi verborum, nec per concomitantiam esse sub speciebus. Motivum

D. Tho. Quam doctrinam tradit D. Thomas in hac quæst. art. 4, in fine corporis ubi ait : « Quia substantia corporis Christi realiter « non denudatur a sua quantitate dimen- « siva, et ab aliis accidentibus : inde est, « quod ex vi realis concomitantiæ est in « hoc sacramento tota quantitas dimensiva « corporis Christi, et omnia accidentia « ejus. » Idque magis determinat, et explicat art. 5 ad 3, his verbis : « Dicendum, « quod accidentia corporis Christi sunt in « hoc sacramento secundum realem conco- « mitantiam. Et ideo illa accidentia cor- « poris Christi sunt in hoc sacramento, « quæ sunt ei intrinseca. Esse autem in « loco est accidens per comparationem ad « extrinsecum continens : et ideo non opor- « tet, quod Christus sit in hoc sacramento sicut

sicut in loco. » Et similiter nec oportet, quod Christus in hoc sacramento habeat illa accidentia, quæ dependent essentialiter a loco. Juxta quam resolutionem statuimus disp. præced. a num. 65, Christum ut in sacramento existentem non posse, saltem citra miraculum, elicere ullas sensationes externas, vel internas : quia omnes istæ dependent ab organo,et medio extensis in ordine ad locum:quem statum non habent in sacramento.

Sententia contraria. 25. Pro contraria huic assertionis parti opinione solent aliqui referri. Major refertur in 4, dist. 10, quæst. 5, quia sentit visiomem corporalem,qua Christus se videt in cœlo, non esse in sacramento. Sed vere Major nobis non opponitur : quia si id docet de tali visione, est, quia sentit talem visionem habere dependentiam a loco. Tamen probabilius est Christum in sacramento existentem retinere visionem corporalem, qua se videt in cœlo, ut deduci videtur ex D. Thoma relato disp. præced. num. 68. Martinus de Ledesma refertur in 1 part. *Quarti,* quæst. 17, art. 4, dub. 1, quia dubitat de accidentibus supervenientibus Christo prout in cœlo, ut quod de novo illuminetur aliquo splendore corporali patriæ. Sed nec iste Auctor opponitur : quia dubitat de his accidentibus in Eucharistia, quæ videntur a loco dependere : unde potius stat regulæ a nobis propositæ. Probabilius tamen apparet splendorem illum, et similia accidentia existere in Eucharistia : quia licet in fieri dependeant a loco, semel facta possunt independenter a loco conservari, et transferri ad Eucharistiam cum corpore Christi, quod naturaliter afficiunt. Referuntur etiam Lessius, et Præpositus in præs. quæst. 76, art. 4, quia a prædicta concomitantia excipiunt actus vitales naturales, eo quod hujusmodi actus non semper, aut necessario conveniunt animæ : unde non habent naturalem connexionem cum illa, ut propterea debeant illam subsequi in Eucharistia. Aliunde vero facillime mutantur : et inconveniens apparet ponere tam assiduam in Eucharistia mutationem per concomitantiam. Et hi quidem Auctores melius referuntur : sed loquuntur inconsequenter, et carent solido fundamento. Nam si anima ut anima ponitur in sacramento concomitanter, quia est conjuncta corpori Christi in se : et rursus facultates, et virtutes animæ constituuntur concomitanter in sacramento, quia conjunguntur animæ in se : quare excludemus ab hac concomitantia actus vitales, qui sunt in Christo, et aliunde non dependent a loco? Nec enim requiritur major connexio, quam naturalis, non autem essentialis, ut in aliis accidentibus liquet. Et quod illa eorum variatio sit etiam concomitanter in Eucharistia, nullum est inconveniens. Profecto cum Christus in hac vita mortali se dedit discipulis in sacramento, retinuit in eodem vitam, quam habebat ad extra, atque ideo et motum corporis, in quo reperitur magna partium variatio, ut se liquet. Nullum itaque est inconveniens, quod causantur illi.

(Marginal notes: Major. — Ledesm. — Lessius. Præpos.)

§ IV.

De Divinitate, subsistentia Verbi, et unione hypostatica.

26. Dicendum est quarto Divinitatem esse realiter in hoc sacramento non quidem ex vi verborum, sed per realem concomitantiam : et idem contingere in subsistentia Verbi, et unione hypostatica. Explicatur conclusio : etenim nemo dubitat Divinitatem, et subsistentiam Verbi esse propter immensitatem ubique, atque ideo, et in isto sacramento : sed dubium est, an in eo existant speciali aliquo modo, quo existunt quædam alia ad Christum specialiter pertinentia, ut ex disputationis progressu liquet : et in hoc ultimo sensu procedit difficultas. Porro Divinitatis nomine intelligimus naturam divinam, et alia prædicata Dei absoluta, et condistincta a personalitatibus, secundum quod illa natura, et prædicata ad Christum pertinent. Quamvis enim unio hypostatica humanitatis ad Verbum facta fuerit immediate in persona, ut diximus tract. 21, disp. 3, dub. 2, quia tamen persona Verbi includit naturam divinam, et prædicata divina absoluta, debuerunt hæc omnia humanitati communicari saltem mediate, et identice : ex qua radice provenit, quod humanitas sanctificata formaliter fuerit per naturam divinam, et ex professo explicuimus tract. cit. disp. 12, dub. 4. In hoc itaque sensu accipitur Divinitas in præs. Et hoc supposito, probanda est conclusio quoad omnes ejus partes. (Quarta conclusio.)

Prima itaque est Divinitatem Christi esse in hoc sacramento realiter, non ex (Suadetur quoad primam partem.)

vi verborum, sed per concomitantiam. Et hanc partem docet evidenter D. Thomas in hac quæst. art. 1 ad 1, his verbis : Dicen-« dum, quod quia conversio panis, et vini « non terminatur ad divinitatem, vel ani-« mam Christi : consequens est, quod divi-« nitas, vel anima Christi non sit in hoc « sacramento ex vi sacramenti, sed ex « reali concomitantia. Quia enim divinitas « corpus assumptum nunquam deposuit ; « ubicumque est corpus Christi, necesse est « esse divinitatem Christi, concomitantem « ejus corpus. Unde in symbolo Ephesino « legitur : Participes efficimur corporis, « et sanguinis Christi, non ut communem « carnem percipientes, nec viri sanctificati, « et Verbo conjuncti secundum dignitatis « unitatem ; sed vere vivificatricem, et « Verbi propriam factam. » Et in 4, dist. 10, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 1, statuit animam Christi esse in hoc sacramento, non ex vi verborum, sed per realem concomitantiam, et deinde subjunxit : « Quod dic-« tum est de anima, debet intelligi de di « vinitate, nisi quod divinitas ejus etiam « præter sacramentum est ubique. » Unde sic docent unanimiter Thomistæ, Soto in 4, dist. 10, quæst. 1, art. 1 ad 1, Martinus de Ledesma, et Petrus de Ledesma, quos refert, et sequitur Prado in hac quæst. dub. 4, nu. 10, Arauxo dub. 2, concl. 2, Serra art. 1, concl. 4, N. Cornejo disp. 2, dub. 3, N. Philippus disp. 3, dub. 4, N. Gabriel disp. 9, quæst. 4, concl. 1, Gonet disp. 5, art. 1, num. 12, Contenson dissert. 2, cap. 2, quæsito 1, et alii plures. Idem etiam tuentur communiter alii Theologi, Durandus, Ægidius, et Henriquez, quos refert, et sequitur Granados controv. 6, tract. 4, disp. 4, sect. 4, num. 19, Alensis 3, p. quæst. 1, memb. 5, art. 3, §.5, Suarez disp. 51, sect. 6, Vazquez disp. 185, cap. 2, Lugo disp. 8, sect. 6, Pasqualigus disp. 103, sect. 2, et alii, quos prolixum esset referre.

(D. Tho. — Soto. — Ledesm. — Prado. — Arauxo. — Serra. — N. Phil. — N. Corn.)

Ostenditur primo ex Tridentino. 27. Probatur primo, et satis efficaciter ex Concilio Trident. sess. 13, cap. 3, ubi ait : « Semper hæc fides in Ecclesia Dei « fuit, statim post consecrationem verum « Domini nostri corpus, verumque ejus « sanguinem sub panis, et vini specie una « cum ipsius anima, et divinitate exis-« tere : sed corpus quidem sub specie panis, « et sanguinem sub vini specie ex vi ver-« borum : ipsum autem corpus sub specie « vini, et sanguinem sub specie panis, ani-« mamque sub utraque vi naturalis illius « connexionis, et concomitantiæ, qua par-« tes Christi Domini, qui jam ex mortuis « resurrexit non amplius moriturus inter « se copulantur : Divinitatem porro prop-« ter admirabilem illam ejus cum corpore, « et anima hypostaticam unionem. » In quo testimonio continentur quasi expresse omnes propositiones ad primam hanc nostræ assertionis partem pertinentes. Nam in illis verbis, « verum Domini nostri cor-« pus, verumque ejus sanguinem una cum « ipsius anima, et divinitate existere, » significatur divinitatem Christi esse realiter in hoc sacramento. In illis autem, « sed « corpus sub specie panis, et sanguinem « sub vini specie ex vi verborum, » significatur solum corpus, et solum sanguinem Christi existere ex vi verborum in sacramento, non autem alia, quæ ibi recenset, inter quæ numeratur divinitas. Denique in illis verbis, « Divinitatem propter ad-« mirabilem illam ejus cum corpore, et « anima hypostaticam unionem, » significatur Divinitatem esse in hoc sacramento per concomitantiam propter unionem hypostaticam, quam cum corpore, et anima Christi habet. Nec ullo modo audiendus hoc loco est Bernal disp. 20, sect. 2, et disp. 37, sect. 2, qui contendit ex hoc testimonio minime deduci, quod Divinitas Christi sit in sacramento per concomitantiam ; sed magis alio tertio modo, qui nec est ex vi verborum, nec per concomitantiam, quam expressit. Concilium dicendo, « per admirabilem illam unionem hypos-« taticam. » Refellenda, inquam, omnino est hæc interpretatio : tum quia opponitur communi aliorum Theologorum sensui, ad quos magis, quam ad particularem aliquem Juniorem attendere debemus pro legitima intelligentia Concilii. Tum quia destituitur solido fundamento : quia planus, et sincerus sensus Concilii est omnia relata esse realiter, et specialiter in Eucharistia ; sed quædam ex vi verborum, nempe quæ significantur per verba ; quædam vero per realem concomitantiam cum illis, quæ per verba directe significantur. Porro hujus realis concomitantiæ duos esse titulos, videlicet *connexionem naturalem*, quam anima habet cum corpore ; vel *admirabilem unionem hypostaticam*, quam Divinitas habet cum corpore, et anima Christi. Sic

(*Exploditur Bernalis expositio.*)

Sic plane decurrit tota contextura illius loci, et vanum apparet nodos in illo quærere. Sicut igitur anima, licet non significetur directe per verba consecrationis, ponitur in sacramento per realem concomitantiam ; quia unitur naturaliter corpori, quod ponitur ex vi verborum : ita Divinitas, quamvis non significetur directe per illa verba, constituitur per concomitantiam, quia unitur hypostatice corpori, quod ex vi verborum ponitur.

Suadetur ratione. Probatur secundo ratione ex testimoniis Concilii, et D. Thomæ formata : nam in primis nequit totus, et integer Christus esse in sacramento, quin specialiter in sacramento sit persona Christi, et subinde ejus Divinitas : sed de fide est totum et integrum Christum esse realiter in sacramento ut Concilium diffinit eadem sess. can. 1, et 3, et hic supponimus ex dictis disp. 1, cap. 1 : ergo Divinitas est realiter specialiter in hoc sacramento. Deinde quod in hoc sacramento ponitur ex vi verborum, significatur formaliter, et directe per verba consecrationis, et transubstantiationem terminat : sed Divinitas non significatur formaliter, et directe per illa verba, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, ut ex se liquet : nec transubstantiationem terminat, cum per transubstantiationem non fiat : ergo Divinitas non habet esse in hoc sacramento ex vi verborum. Tandem quod habet esse realiter in hoc sacramento, et non ex vi verborum, existit in illo per realem concomitantiam : sed Divinitas habet esse realiter in hoc sacramento, et non ex vi verborum, ut constat ex immediate dictis : ergo existit in hoc sacramento per realem concomitantiam.

Alia assertionis pars. 28. Secundam etiam ejusdem assertionis partem, videlicet idem dicendum esse de personalitate, aut subsistentia Verbi, docent communiter omnes Auctores relati num. 26. Probatur primo ex prædicto Concilii testimonio: nam Concilium ibidem nomine Divinitatis comprehendit personam, personalitatem, et subsistentiam Verbi : ergo ejus sententia omnibus his applicanda est : atque ideo idem sentire oportet de personalitate, et subsistentia Verbi, ac de ejus Divinitate in ordine ad modum existendi in hoc sacramento. Utraque consequentia patet. Et antecedens ostenditur : tum quia nisi Concilium comprehendisset personam, et subsistentiam Verbi sub illo divinitatis vocabulo ; diminutam profecto, et mancam in hac parte doctrinam tradidisset ; quippe cum tradens generalem doctrinam de his, quæ sunt ex vi verborum, et his, quæ sunt per concomitantiam, nihil docuisset de persona, et subsistentia Verbi, sed rem circa illas intactam reliquisset : non enim illas recenset ibi, aut alibi : ergo cum hoc absurdum sit, et a Concilii intentione alienum ; tenendum est Concilium personam, et subsistentiam Verbi communi illo Divinitatis vocabulo comprehendisse. Tum etiam, qui Concilium probat Divinitatem existere in hoc sacramento propter admirabilem hypostaticam unionem, quam habet ad corpus, et animam Christi : hæc autem magis respicit personam, et subsistentiam Verbi, quam ejus Divinitatem ; siquidem unio hypostatica non est primario, et immediate ad naturam divinam, et alia prædicata absoluta, sed ad personam, et subsistentiam Verbi, ut cum communi sententia Theologorum statuimus tract. 21, disp. 8, dub. 2 : ergo Concilium nomine Divinitatis comprehendit, et quidem principalissime personam, et subsistentiam Verbi.

Suadetur. (margin beside "cilii testimonio")

Suadetur amplius. Probatur ulterius eodem fere motivo, quo primam partem communivimus : nam persona, et subsistentia Verbi est realiter specialiter in hoc sacramento : sed non existit ex vi verborum : ergo per realem concomitantiam. In quo discursu clauduntur omnes propositiones a nobis quantum ad istam partem assertæ. Consequentia est legitima : quia nihil est realiter specialiter in hoc sacramento, nisi ex vi verborum, vel per realem concomitantiam, ut num. præced. vidimus, et magis constat ex supra dictis dub. 1. Major autem est certa : quia Christus est realiter in hoc sacramento, ut fides docet : ergo et ejus persona, et subsistentia Verbi. Minor autem probatur primo : quia quod in hoc sacramento ponitur, et existit ex vi verborum, est terminus, in quem convertitur substantia panis, et vini per verba consecrationis : sed hæc transubstantiatio non terminatur ad personam, et subsistentiam Verbi : siquidem transubstantiatione non fiunt : ergo persona, et subsistentia Verbi non sunt in hoc sacramento ex vi verborum. Secundo, nam quod ponitur ex vi verborum in hoc sacramento, significatur formaliter et directe

per verba consecrationis : sed persona, et subsistentia Verbi non significatur formaliter, et directe per verba consecrationis, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, ut satis ex eisdem verbis liquet : ergo non sunt in hoc sacramento ex vi verborum.

Ultima conclusionis pars ostenditur.

29. Ex quibus omnibus probata relinquitur ultima assertionis pars, nempe idem proportionabiliter dicendum esse de unione hypostatica, et convincitur eodem discursu. Nam talem modum unionis existere realiter in hoc sacramento probatur : tum quia iste modus afficit humanitatem Christi in propria specie, et non dependet a loco : atque ideo debet existere realiter, ubicumque Christus constituatur. Tum quia nec persona Verbi, nec ejus subsistentia habet esse realiter specialiter in hoc sacramento, nisi quia illis humanitas Christi in hoc sacramento existens hypostatice unitur : ergo hyposcatica unio debet in eo realiter existere. Sed quod non sit ex vi verborum, probatur eo, quod persona Verbi, ejusque subsistentia non habeant esse ex vi verborum in sacramento, ut num. præc. vidimus : id vero falsum esset, si unio hypostatica ad talem subsistentiam, et personam existeret in illo ex vi verborum. Eo vel maxime, quod sicut verba consecrationis non significant formaliter, et directe subsistentiam corporis, et sanguinis Christi ; ita non significant unionem hypostaticam corporis, et sanguinis Christi ad prædictam subsistentiam. Unde probatum relinquitur talem unionem esse in sacramento per realem concomitantiam: nam quod existit realiter in Eucharistia, et non ex vi verborum, existit utique per realem concomitantiam. Et suadetur amplius aliarum rerum exemplo : nam ideo quantitas et figura et alia hujusmodi corporis Christi existunt in sacramento per concomitantiam, quia afficiunt corpus Christi in propria specie, et non dependent essentialiter a loco in suo proprio effectu formali primario, ut satis constat ex supra dictis : quare debent concomitari corpus Christi, ubicumque ponatur ; hoc autem motivum etiam militat in modo unionis hypostaticæ, ut considerans facile recognoscet.

Plures contra conclusionem sententiæ.

30. Contra hanc, et communem assertionem quantum ad omnes ejus partes possunt referri diversi dicendi modi : nam Divinitatem esse in hoc sacramento non per concomitantiam, sed alio altiori modo docuit Bernal jam rejectus num. 27. Unionem vero hypostaticam esse in hoc sacramento ex vi verborum asserit Aversa quæst. 4, sect. 1, in fine, cui favent Nugnus in præs. art. 1, difficult. 1, concl. 6, et N. Cornejo locc supra cit. in prima solutione ad 2. Denique personam Verbi esse in hoc sacramento ex vi verborum (unde etiam probatur, quod unio hypostatica eodem modo existat) tuentur Sainctes repetit. 9, *de Eucharistia*, cap. 3, Bernal disp. 37, sect. 1, Raynaudus in Candelabro sect. 3, cap. 2, et Bellarminus lib. 4, *de Eucharistia,* cap. 13, num. ult. ubi post plura huc respicientia inquit : « Quare vi « verborum est in specie panis corpus, non « quodlibet, sed Filii Dei : et proinde corpus « subsistens divina Verbi subsistentia, et « consequenter unitum divinitati. Per acci- « dens igitur fortasse est anima, et sanguis « sub specie panis : sed non divinitas, nec « divina hypostasis. » In quo loco caute legenda sunt ita verba, *Fortasse est anima et sanguis etc.*, quibus ille Auctor significat dubium circa existentiam animæ, et sanguinis per concomitantiam in specie panis ; nam opponuntur doctrinæ, quam absolute tradit Concilium Tridentinum num. 27 relatum. Motiva autem horum modorum dicendi mutuo se juvant, conveniuntque in oppugnando aliquam nostræ assertionis partem : unde illa indiscriminatim proponemus.

Bernal. Aversa. Nugnus. N. Corn. Sainctes. Raynaud Bellarm.

Primum argumentum.

Primum ergo, et difficilius est, quod illa sunt in hoc sacramento ex vi verborum, quæ formaliter significantur per ipsa consecrationis Verba : sed persona Verbi divini terminantis humanitatem significatur formaliter per verba consecrationis *Hoc est corpus meum :* ergo persona Verbi existit in hoc sacramento ex vi verborum. Probatur minor ex D. Thoma infra quæst. 77, art. 2 ad 4, ubi ait : « Dicen- « dum, quod per hoc pronomen *Meum*, « quod includit demonstrationem primæ « personæ, (quæ est persona loquentis,) suf- « ficienter exprimitur persona Christi, ex « cujus persona hæc proferuntur, ut dictum « est. » Confirmatur primo: nam ly *meum* significat illud corpus esse Christi, sed non est Christi, nisi quatenus unitur Verbo divino, ut in illo subsistat : ergo significat corpus Christi ut subsistens in persona Verbi : et consequenter persona hæc significatur formaliter per verba consecrationis.

D. Tho.

Confirmatio I.

Confirmatio 2. nis. Confirmatur secundo : quia ly *Hoc*, vel *Hic* in forma consecrationis significat id, quod sub speciebus continetur : qua phrasi denotamus rem subsistentem : ergo verba consecrationis significant aliquod subsistens : et sic sequitur idem, quod prius. Confirmatio 3. Confirmatur tertio : quia ly *corpus*, et ly *sanguis* sunt termini substantiales concreti : ergo debent significare non solum naturam substantialem, quæ est forma constitutiva concreti, sed etiam suppositum habens talem formam. Ergo verba consecrationis significant formaliter aliquod suppositum, sive aliquod subsistens, quod profecto non est aliud, quam divina Verbi persona. Si autem hæc constituitur ex vi verborum in sacramento, ut præmissa evincere videntur, facile promovebitur consequentia ad modum unionis hypostaticæ, ut constituatur in sacramento similiter, nempe ex vi verborum.

Suarii responsio. Nec satisfacit, quod Suarez, disp. 51, sect. 6 ad 1 respondet hoc argumentum solum evincere, quod in sacramento ponatur ex vi verborum corpus subsistens; non tamen quod ponatur ut subsistens subsistentia Verbi, vel determinate subsistentia naturali propria corporis; sed abstracte, et indeterminate subsistens aliqua subsistentia : quia neuter modus subsistendi determinatur ex vi verborum. Refellitur. Non, inquam, satisfacit hæc responsio, sed communiter impugnatur, et merito. Tum quia non occurrit testimonio D. Thomæ in argumento relato, nec illi adaptari potest. Tum etiam quia si terminus positus ex vi verborum esset corpus subsistens abstrahendo a subsistente subsistentia divina, et a subsistente subsistentia creata; fieri posset, quod aliquando in hoc sacramento constitueretur corpus subsistens per subsistentiam creatam : sicut quia terminus positus ex vi verborum est corpus, prout abstrahit a corpore vivo, et mortuo, fieri valet, quod per concomitantiam constituatur corpus Christi mortuum, ut contingeret in triduo mortis ejus, si fieret consecratio : consequens autem est absurdum ; siquidem nullus est excogitabilis casus, in quo per accidens, vel per concomitantiam constituatur suppositum creatum sub hoc sacramento : ergo manifestum signum est terminum formalem per verba consecrationis significatum non esse corpus ut subsistens, non determinando subsistentiam divinam, vel increatam, ut Suarius respondet. Tum præterea quia Christus solum dedit potestatem consecrandi suum corpus, quod futurum erat : atqui non futurum cum subsistentia creata, nec cum indeterminatione ad subsistentiam creatam; siquidem habiturum semper erat subsistentiam divinam : ergo non datur potestas ad consecrandum terminum, quem Suarius assignat : atque ideo si terminus formaliter significatus per verba consecrationis est corpus Christi ut subsistens, debet esse ut determinate subsistens per subsistentiam. Et sic perseverat difficultas argumenti cum suis confirmationibus.

31. Omissa ergo prædicta solutione respondetur cum Serra art. 1, concl. 4, et Gonet loco supra cit. num. 14 argumentum, et ejus confirmationes ad summum evincere, quod verba consecrationis significant personam Verbi, non tamen directe, et in recto, sed solum connotative, et in obliquo. Quod minime sufficit, ut persona Verbi dicatur esse ex vi verborum in sacramento. Ad id quippe requiritur, quod res significata significetur directe, et in recto : sicut corpus, et sanguis significantur. Et per hæc satis constabat ad omnia objecta in communi. Legitima solutio.

Sed in particulari respondetur ad argumentum negando minorem in sensu proxime explicato. Singulis applicatur. Ad cujus probationem dicendum est non amplius ex D. Thoma concludi, quam quod proxime concessimus, nempe explicari illis verbis personam Christi proferentis, ut idem sit *Hoc est corpus meum*, ac *Hoc est corpus Christi*, sicut intendebat argumentum: sed ad hoc necessarium non est personam Christi significari directe, et in recto : quia non significatur corpus reduplicative ut Christi, sive importando Christi personam in recto, et tanquam rationem terminandi, aut terminantem consecrationem : sed significatur specificative illud corpus, quod est Christi, importando Christi personam in obliquo, et non ut terminum consecrationis, sed ut aliquid pertinens ad talem terminum, quod sufficit, ut sit in Eucharistia per realem concomitantiam, sive, ut loquitur Concilium Trident. « propter admirabilem illam « ejus cum corpore, et anima hypostaticam unionem. » Ex quibus patet ad primam confirmationem : concedimus enim ly *meum* significare corpus, quod

est Christi : sed ad hoc non requiritur, quod persona Christi significetur in recto; et multo minus, quod significetur ut terminus consecrationis : sed sufficit significari in obliquo ut quid ad illum terminum pertinens. Ad secundam respondemus particulam *Hoc* significare rem, quæ sub speciebus continetur : corpus autem, et sanguis propriissime dicuntur res contentæ in hoc sacramento. Et quod alias terminentur in esse rei per subsistentiam Verbi, non probat talem subsistentiam significari in recto, et per modum terminini formalis consecrationis : sed sufficit, quod res significata ad instar termini, nempe corpus, et sanguis, connotent in obliquo suam subsistentiam. Ad ultimam dicendum est terminos substantiales concretos non semper significare suppositum : unde si daretur compositum ex materia, et forma existens sine subsistentia (quod forte non implicat), esset, et diceretur *corpus*, quod est terminus substantialis concretus; et tamen tunc nec esset, nec significaretur suppositum. Concesso tamen, quod hi termini *corpus*, et *sanguis* significent suppositum : tamen non significant illud in recto, et tanquam terminum formalem consecrationis; sed in obliquo tanquam quid necessarium, ut corpus, et sanguis possint consecrationem, et transubstantiationem terminare.

Secundum argumentum. 32. Arguitur secundo : nam cum inter terminum *ad quem*, et terminum *a quo* debeat esse proportionata correspondentia: oportet, ut quantum fieri potest, proportionentur et pari modo se habeant : sed illud, quod ex vi verborum desinit esse per modum termini a quo in transubstantiatione, est suppositum panis, et vini, sive compositum ex horum natura, atque subsistentia : ergo illud quod in prædicta transubstantiatione ponitur ex vi verborum, debet esse suppositum Christi, sive compositum ex natura humana, et persona Verbi : atque ideo ex vi verborum ponitur non solum corpus, et sanguis Christi, sed etiam Verbi persona, seu subsistentia.

Diluitur. Respondetur hoc argumentum regerendum esse in opponentes, et ab ipsis dilui debere : nam si quid valet, probat, quod sicut ex parte termini a quo destruitur simpliciter subsistentia, sic etiam ex parte termini ad quem producatur simpliciter subsistentia : probat etiam, quod sicut totum suppositum panis convertitur adæquate tam ex parte naturæ, quam subsistentiæ, sic etiam totum suppositum Christi tam ex parte humanitatis, quam ex parte subsistentiæ divinæ terminat conversionem. Hæc autem sunt plusquam absurda; siquidem manifestum est subsistentiam Verbi esse increatam, et infactibilem : et consequenter non posse habere rationem termini, qui fiat, et terminet conversionem. Sicut igitur argumentum hæc non evincit; ita nec probare valet, quod intendit, nempe Verbi personam poni ex vi verborum in hoc sacramento. Omissa itaque majori, minor distinguenda est : nam quod directe, et per se habet rationem termini a quo in transubstantiatione est substantia panis, et vini : hæc enim est, quæ proprie transubstantiatur, sive convertitur in corpus, et sanguinem Christi, ut loquuntur Concilia et Theologi : subsistentia autem prædictæ substantiæ non intrat formaliter, et explicite talem terminum a quo, sed solum implicite. Unde negamus absolute consequentiam, ut quæ ex præmissis ita intellectis illegitime colligatur : sed magis inferri debet subsistentiam Verbi non constitui in hoc sacramento pro explicito, et ex vi verborum, sed importari pro implicito, et in obliquo ut aliquid pertinens ad terminum ad quem; et subinde poni per realem concomitantiam.

33. Arguitur tertio : nam productio humanitatis Christi ponitur ex vi verborum in Eucharistia : sed humanitas producta est, et unita Verbo per eandem actionem : ergo ex parte termini, qui ex vi verborum ponitur in Eucharistia, importatur non sola humanitas Christi, sed etiam persona Verbi : atque ideo hæc etiam ponitur ex vi verborum. Confirmatur ad hominem contra Thomistas : nam ex vi verborum ponitur in Eucharistia humanitas Christi existens : sed humanitas existit per existentiam Verbi, ut Thomistæ communiter docent, et tradidimus tract. 21, disp. 8, dub. 3; ergo in hoc sacramento ponitur ex vi verborum existentia Verbi, atque ideo et ipsa Verbi persona. Tertium argumentum. Confirmatio.

Ad argumentum (quod est Bernalis proprium), respondetur peccare in omnibus, quibus struitur. Nam major est falsa : non enim in sacramento ponitur formaliter productio humanitatis, nec Incarnatio; sed humanitas producta, et assumpta ad Verbi personam ; sicut in convivio materiali non ponitur Solvitur argumentum

ponitur per se productio, aut actio cibi, sed cibus ipse : et sicut in loco non ponitur actio corporis productiva, sed ipsum corpus. Minor etiam est falsa : nam per unam actionem, utique ordinis naturalis, producta fuit humanitas Christi; et per aliam actionem, utique ordinis hypostatici assumpta est prædicta humanitas ad subsistendum in Verbo, ut cum communi non solum Thomistarum, sed aliorum etiam Theologorum sententia statuimus tract. 21, disp. 5, dub. 2. Consequentia denique est mala : tum quia constat terminis, quibus omnino carent præmissæ. Tum quia gratis permisso, quod passiva humanitatis productio esset passiva ad Verbum assumptio, et quod poneretur ex vi verborum in sacramento; quia illa passiva productio, et assumptio est ipsa humanitas producta, et assumpta : non inde inferretur personam Verbi poni ex vi verborum in Eucharistia : nam persona Verbi realiter distinguitur a passivis illis productione, et assumptione, sicut etiam ab humanitate producta, et assumpta. Ad confirmationem omittendo præmissas negamus utramque consequentiam : nam sicut ex eo, quod in sacramento ponatur ex vi verborum humanitas subsistens subsistentia Verbi; non sequitur hanc ibidem poni ex vi verborum; ut diximus nu. 31, sic ex eo, quod in sacramento ex vi verborum ponatur humanitas existens (ut reipsa existit,) per increatam Verbi existentiam minime infertur, quod ista ex vi verborum in sacramento constituatur. Et ratio est eadem utrobique : quia nimirum terminus proprius, et formalis transubstantiationis, et qui per verba formaliter significatur est quidem substantia corporis, et sanguinis Christi subsistens, et existens : non tamen reduplicative ut subsistens, atque existens, importando in recto subsistentiam, et existentiam tanquam terminum conversionis, vel rationem formalem illam terminandi : sed est specificative subsistens, et existens, nempe res, quæ subsistit, et existit : ad quod sufficit importare subsistentiam, et existentiam in obliquo, et de connotato. Ex quo ad summum evincitur talem Verbi subsistentiam, et existentiam esse in hoc sacramento per realem concomitantiam propter hypostaticam unionem ad substantiam corporis, et san n Christi : quod non negamus.

Eliditur confirmatio.

§ V.

De Patre, et Spiritu Sancto.

Quinta conclusio.

34. Dicendum est quinto, quod licet Pater, et Spiritus Sanctus sint speciali modo in Eucharistia, nihilominus non habent esse ibi ex vi verborum, nec per realem concomitantiam. Primam assertionis partem, quam ipsa supponit, docent communiter Theologi, non solum quia Pater, et Spiritus Sanctus non distinguuntur a Deitate Filii, atque ideo debent indivisibiliter existere, ubicumque Filius existit : sed etiam quia in Eucharitia operantur mirabilem conversionem panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi, qui est effectus specialissimus, et miraculosus, cui proinde omnes tres divinæ personæ, (qui eadem virtute, et actione ad extra operantur,) debent specialiter assistere. Secunda etiam assertionis pars est communis inter Theologos : quia manifestum est verba consecrationis non significare formaliter personas Patris, et Spiritus Sancti, nec tendere per se ad constituendum eas in Eucharistia. Unde tota assertio, vel assertionis difficultas reducitur ad ultimam ejus partem, nempe prædictas duas personas non esse in hoc sacramento per concomitantiam. Hanc autem partem docent communiter Thomistæ, Nugnus articulo 1, difficult. 2 ad 3, Arauxo art. 2, dub 2, numero 16, N. Cornejo disput. 2, dub. 4, Prado dub. 4, § 4, Petrus de Ledesma cap. 7, *de Eucharistia*, conclus. 2, difficult. 3. Serra art. 1, conclus. 4, Gonet disp. 5, art. 1, num. 16, Contenson dissert. 2, cap. 2, et alii plures. Idem etiam docent Hugo Cardinalis *in speculo Ecclesiæ*, § *Post hæc igitur*, Henriquez lib. 8, cap. 26, § 3, Granados controv. 6, tract. 4, disp. 5, num. 8, Pasqualigus disp. 103, sect. 3, et alii.

Principalis ejus pars.

Nugnus. Arauxo. N. Corn. Prado. Ledesm. Serra. Gonet. Contens. Hugo. Henriq. Granad. Pasqual.

Probatur primo ex Concilio Trident, sess. 13, cap. 3, sæpius relato : nam ibi recenset ea, quæ ponuntur in hoc sacramento tam ex vi verborum, quam per realem concomitantiam : sed ibi nullam facit mentionem Patris, et Spiritus Sancti: ergo Pater, et Spiritus Sanctus non sunt per concomitantiam in hoc sacramento. Nec valet dicere hoc argumentum esse mere negativum, quod probare non solet; atque ideo nihil evincere. Unde videmus, quod nec Concilium eo loco recenset personam Ver-

Fundamentum ex Tridentino.

bi : quam tamen esse in hoc sacramento per concomitantiam diximus § præcedenti. Id, inquam, nihil refert : quia præmissum fundamentum, licet negativum appareat, efficax, et optimum est juxta qualitatem materiæ: nam cum Concilii intentio eo loco fuerit dinumerare ea, quæ sunt in hoc sacramento ; bene sequitur illud in hoc sacramento non esse vel ex vi verborum, vel per concomitantiam, quod Concilium non recensuit ; alias Concilium non exacte processisset, nec suo muneri, et intentioni fecisset satis : quod dici non valet absque minus reverenti æstimatione Concilii. Quod autem dicitur de persona Verbi, nihil valet : quia Concilium illam satis expressit tum Divinitatis vocabulo : tum motivo, quo dixit Divinitatem esse in hoc sacramento per concomitantiam « propter mirabilem « illam ad corpus, et animam hypostati- « cam unionem : » nam hæc unio ad personam Verbi immediate, et proprie facta fuit, non autem ad naturam, et alia prædicata absoluta, ut § præcedenti expendimus. Unde magis fulcitur præmissum fundamentum : nam ideo juxta sententiam Concilii persona Verbi est in hoc sacramento per realem concomitantiam, quia persona Verbi habet hypostaticam unionem ad corpus Christi, quod in hoc sacramento ponitur per se, sive ex vi verborum : sed unio hypostatica nullo modo facta est ad personam Patris, et Spiritus Sancti : ergo istæ duæ personæ non sunt in hoc sacramento per concomitantiam.

Ratio. 35. Probatur secundo ratione : quia si personæ Patris, et Spiritus Sancti existerent per realem concomitantiam in hoc sacramento, sequeretur, quod quando sumimus, et offerimus hoc sacramentum, diceremur sumere, et offerre personas Patris, et Spiritus Sancti. Sicut quia persona Filii ita est in hoc sacramento, quando sacramentum sumimus, et offerimus, dicimur vere sumere, et offerre Filium Dei. Consequens est absurdum, et contra communem loquendi modum in Ecclesia usitatum. Ergo falsum est, quod personæ Patris, et Spiritus Sancti existunt in hoc sacramento per realem concomitantiam. Confirmatur, et declaratur amplius : quia Eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam verum sacrificium, et idem reipsa cum sacrificio crucis cum sola diversitate ex parte modi offerendi. Sed non potest dici, quod offeramus sicut sacrificium personam Patris, aut Spiritus Sancti : dicitur tamen vere, et proprie offerri personam Filii, ut colligitnr ex illis verbis Apostoli ad Ephes. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam in odorem suavitatis*. Ergo licet persona Filii Dei sit in hoc sacramento per realem concomitantiam ; id tamen dici non potest de Patre, et Spiritu Sancto. Confirmatur secundo : quia ideo vestimenta, quæ Christus habebat, quando consecravit, non fuerunt constituta in sacramento adhuc per realem concomitatiam, quia licet realiter fuerint in Christo, non uniebantur illi in unitate suppositi : sed personæ Patris, et Spiritus Sancti, licet sint unum per identitatem cum Divinitate, quæ est per concomitantiam in hoc sacramento ; nihilominus non uniuntur Christo immediate, vel mediate in unitate suppositi ; cum sint etiam supposita ab eo realiter distincta, ipsique realiter opposita : ergo non potest dici, quod tint per concomitantiam in hoc sacramento.

(Margin notes: Confirmatur. — Ad Eph. 5. — Roboratur)

36. Contrariam nostræ assertioni, quantum ad istam partem, opinionem tuentur Gabriel lect. 42, *in canonem Missæ*, Suarez tom. 1, in hac 3, part. disp. 31, sect. 1, et tom. 3, disp. 51 sect. 6, Vasquez disp. 185, cap 2, Aversa quæst. 4, sect. 1, in fine, Lugo disp. 8, sect. 6, Leander disp. 10, quæst. 11 et alii. Qui suam sententiam declarant distinguendo duos concomitantiæ modos : nam alia est concomitantia immediata, et propria illarum rerum, quæ per se, immediate uniuntur cum eis, quæ directe, et ex vi verborum ponuntur in sasacramento : sicut anima Christi hoc genere concomitantatiæ ponitur in Eucharistia, utpote per se, et immediate connexa corpori, quod directe, et ex vi verborum in ea constituitur. Alia vero est concomitantia mediata, et propria earum rerum, quæ ponuntur in sacramento mediante aliquo alio connexo cum termino, qui formaliter ponitur ex vi verborum : sicut gratia, et virtutes, et alia accidententia, quæ sunt in anima Christi, dicuntur per concomitantiam esse in hoc sacramento, quia uniuntur animæ, quæ connectitur cum corpore Christi, quod ex vi verborum existit in hoc sacramento. Asserunt igitur prædicti Auctores personas Patris, et Spiritus Sancti esse in hoc sacramento per concomitantiam in secunda acceptione proxime explicata : quia

(Margin notes: Opinio contraria. — Gabriel. Suarez. Vazque. Aversa. Lugo. Leand)

quia connectuntur cum Deitate, quæ mediante persona Verbi unitur termino, qui per se, aut ex vi verborum in hoc sacramento constituitur juxta doctrinam traditam § præcedenti. Quæ sententia ita explicata est satis probabilis, et pro illa

Primum argumentum. Arguitur primo ab auctoritate : nam ubicumque est Deitas, et persona Filii, ibi debent esse realiter personæ Patris, et Spiritus Sancti, juxta illud Joan. 14 : *Ego in Patre, et Pater in me est :* sed Deitas, et persona Filii existunt in hoc sacramento per concomitantiam propter unionem immediatam personæ Filii ad corpus, et sanguinem Filii, ut constat ex dictis § præcedenti : ergo persona Patris, et Spiritus Sancti sunt etiam in hoc sacramento per concomitantiam saltem mediatam. Confirmatur auctoritate Sanctorum, qui id non obscure significant : nam D. Bernardus relatus a Granados ubi supra inquit : « O sacramentum, in quo Pater, et Filius, et « Spiritus Sanctus dantur!» Ad quod necessarium est Patrem, et Spiritum Sanctum esse saltem per concomitantiam in tali sacramento. Et D. Thomas opusc. 63, cap. 2, parte 3, inquit : « In eo totam divinam na« turam obtulit, » (nempe Christus,) « quo« cumque loco a quocumque sacerdote salu« tare illud sacrificium in forma Ecclesiæ « oblatum fuerit, totus Deus Pater cum « Spiritu Sancto singulis animabus setotum « ad fruendum exhibet. » Sentiebat ergo D. Thomas personas Patris, et Spiritus Sancti existere in hoc sacramento per specialem concomitantiam.

(Joan 14. — Confirmatio. — D. Bern — D. Tho.)

Secundum argumentum. Arguitur secundo ratione : quoniam ad hoc, ut aliquid sit in hoc sacramento per concomitantiam mediatam, sufficit, quod uniatur specialiter saltem mediate corpori, et sanguini Christi ; sed personæ Patris, et Spiritus Sancti uniuntur specialiter saltem mediate corpori, et sanguini Christi : ergo prædictæ personæ existunt in hoc sacramento per concomitantiam mediatam. Major probatur : quia virtutes Christi sunt per concomitantiam mediatam in hoc sacramento, quia uniuntur intellectui, et voluntati Christi, et istæ potentiæ uniuntur animæ Christi, et hæc tandem unitur Christi corpori, et sanguini, quæ sunt terminus positus ex vi verborum in hoc sacramento : ubi manifestum est plures mediationes intervenire : ergo ut aliquid dicatur in sacramento esse per concomitantiam mediatam, sufficit vel mediate uniri cum corpore, et sanguine Christi. Minor etiam suadetur: quia Pater, et Spiritus Sanctus uniuntur (si ita loqui decet, cum potius detur identitas) cum Divinitate, et hæc cum persona Filii, et hæc tandem unitur immediate cum corpore, et sanguine Christi : ergo de primo ad ultimum sequitur personas Patris, et Spiritus Sancti uniri saltem mediate cum Christi corpore, et sanguine.

37. Sed ista non urgent : nam ad primum argumentum negatur consequentia : Dissolvuntur. ex præmissis enim solum sequitur personas Patris, et Spiritus Sancti esse in hoc sacramento, sed non infertur determinate, quod habeant esse ibi per concomitantiam. Licet namque ubicumque realiter est persona Filii, ibi necessarium sit adesse alias duas personas divinas ; tamen non oportet, quod existant eodem modo, cum certum sit personam Filii esse in humanitate per unionem hypostaticam cum illa ; et alias personas non existere in humanitate per unionem hypostaticam immediatam, vel mediatam cum illa. Sic ergo ex unione personæ Filii cum corpore, et sanguine Christi, sequitur talem personam existere in sacramento per veram concomitantiam : sed aliæ personæ, cum eam unionem non habeant, non dicuntur esse per concomitantiam in sacramento ; quamvis ibi realiter, et specialiter sint propter communicationem, quam cum persona Filii in Divinitate habent. Et ad confirmationem dicendum est mentem Divi Thomæ, et Divi Bernardi esse eos, qui digne suscipiunt Eucharistiam, recipere gratiam, cujus ratione omnes tres divinæ personæ habitant animam : et in hoc sensu (qui alienus est a vera concomitantia,) dantur per Eucharistiam, vel cum Eucharistia. Adde incertum esse, an opusculum allegatum sit Divi Thomæ. Sed in opere certissimo satis aperte D. Tho. significat oppositum, et nostram assertionem tuetur, nempe hac 3 parte, quæstione 79, articulo 7 ad 3, ubi ait : « Nihil plus est « virtutis in multis hostiis consecratis, « quam in una ; cum sub omnibus, et sub « una non sit, nisi totus Christus. » Ad secundum argumentum patet ex dictis numero 35, in secunda confirmatione : ut enim aliquid sit in hoc sacramento per concomitantiam immediatam, vel mediatam, debet uniri immediate, vel mediate cum termino primario consecrationis, corpore

scilicet, et sanguine Christi, in unitate ejusdem suppositi. Et hoc probat exemplum in argumentum allatum : nec aliud afferri potest, quo probetur oppositum : cuncta enim existentia in hoc sacramento per concomitantiam, sive sint substantialia, sive accidentalia debent esse mediate, vel immediate in supposito Christi, et consequenter uniuntur termino primario in unitate suppositi. Personæ autem Patris, et Spiritus Sancti, licet uniantur, et sint idem cum Christo in natura divina, in qua indivisibiliter communicant, nihilominus non sunt in supposito Christi, sed illi realiter relative opponuntur, atque ideo nec mediate uniuntur corpori, et sanguini Christi identitate suppositi. Unde non debet dici tales personas esse in hoc sacramento per concomitantiam adhuc mediatam ad terminum consecrationis primarium, quod ponitur ex vi verborum. Sed sunt alio speciali modo, nempe operando simul cum filio stupendum miraculum conversionis, et conservando realem Christi præsentiam in sacramento.

Corrollarium observandum. Ex quibus sequitur, quod ut aliquid sit per concomitantiam in hoc sacramento, non sufficit indistantia localis, vel contactus ad corpus, et sanguinem Christi, vel alius excogitabilis conjunctionis modus, qui non pertingat ad unionem immediatam, vel mediatam cum corpore, et sanguine Domini in eodem supposito. Et sic excluduntur ab hac concomitantia omnia, quæ sunt supposita diversa. Unde non fuerunt per concomitantiam in hoc sacramento vestimenta, quæ Christus habebat in propria specie, quando illud consecravit. Nec fuit per concomitantiam in hoc sacramente cibus, quem Christus sumpserat, et habebat in pectore nocte cœnæ, cum illud instituit, ut recte notavit Soto in 4, distinctione 10, quæstione 1, articulo 2, § Ad hæc. Nec sunt Angeli, quamvis adsint Christo, et sint loco indistantes. Nec est pars cœli, quam Christus corporaliter occupat, et attingit. Atque idem fieri debet judicium de similibus.

§ VI.

De actione, qua in sacramento ponuntur, quæ in eo per concomitantiam existunt.

Dubium incidens. 38. Oportet hoc pro complemento præsentis dubii breviter discutere. Ad cujus lucem observare oportet aliquos esse, qui sentiunt actionem, qua ipse terminus primarius, nempe corpus, et sanguis Christi constituitur præsens in hoc sacramento, nec esse actionem producentem prædictum terminum, sed illum adducere, vel alio modo præsentem facere, ut expendimus disp. 5, dub. 2. Et prædicti Auctores a fortiori negabunt actionem, qua in hoc sacramento constituuntur illa, quæ in eo dicuntur per concomitantiam existere, esse actionem producentem tales terminos, sed recurrent ad actionem non producentem, sive sit eadem cum transubstantiatione, sive diversa. Nos autem, qui eo loco statuimus transubstantiationem esse veram actionem, atque efficere suum terminum primarium, debemus loqui consequenter ad prædictum principium, non recurrendo ad actiones mere adductivas. Secundo nota ea, quæ in hoc sacrâmento per concomitantiam existunt, alia esse producibilia, sive capacia, ut terminent efficientiam : sicut se habent anima, accidentia, unio hypostatica, virtutes, et similia : alia autem esse improducibilia, sive quæ nequeant ulla actione fieri, ut sunt Divinitas, et persona Verbi. Et de his. quæ hujus secundi generis sunt, supponimus non fieri præsentia in hoc sacramento per ullam actionem, qua producantur : sed cum ubique sint per immensitatem, dicuntur incipere esse per concomitantiam in sacramento ex hoc præcise, quod connotant terminum diversum ad hujusmodi denominationem requisitum, nempe corpus, et sanguinem Christi, quæ vel immediate, vel mediate terminant, incipere esse per se, sive ex vi verborum in Eucharistia: hac enim connotatione posita, habent ex se, quidquid requiritur, ut dicantur ibi adesse per concomitantiam. Quibus suppositis

Prælibanda pro illius decisione.

Resolutio. Sentimus omnia prioris generis, quæ in hoc sacramento per concomitantiam existunt, poni in illo ex vi transubstantiationis, sive actionis convertentis panem, et vinum in corpus, et sanguinem Christi : atque ideo nullam aliam actionem vel adductivam, vel efficientem esse necessariam, ut prædicta constituantur per concomitantiam in sacramento : sed eandem actionem, quæ primario terminatur ad id, quod ponitur ex vi verborum, nempe ad corpus, et sanguinem Christi, extendi secundario ad ea, quæ ponuntur per concomitantiam, ut-

puta

puta ad animam, unionem hypostaticam, accidentia, et reliqua ad corpus, et sanguinem Christi spectantia. Hanc resolutionem magis supponunt, quam statuant, et probent Thomistæ. Videantur Arauxo q. 76, art. 4, dub. unico, num. 30, Prado eadem quæst. dub. 6, num. 55, et alii. Arauxo Prado.

39. Probatur unico fundamento: nam quando aliqua attinguntur ordine quodam, una, et eadem actio, quæ attingit unum primario, potest se extendere ad alia secundario, et ex consequenti: sed ea, quæ constituuntur in hoc sacramento, constituuntur ordine quodam, ut ex dictis in tota hac disp. satis constat: quippe corpus, et sanguis Christi constituuntur per se, et primario; cætera vero constituuntur secundario, et ex consequenti propter unionem naturalem, quam habent cum corpore Christi in propria specie: ergo eadem actio, quæ constituit corpus, et sanguinem Christi in sacramento, ponit etiam (licet ex consequenti, et secundario) animam Christi, unionem, accidentia, et alia, quæ in hoc sacramento per concomitantiam existunt: atque ideo superfluum est introducere aliam actionem vel efficientem, vel adducentem, per quam illa, quæ ejusmodi sunt, in sacramento constituantur. Cætera constant. Et major suadetur, atque explicatur exemplis: nam ubi unum objectum attingitur primario, et aliud objectum attingitur secundario, una operatio sufficit ad utriusque attigentiam, ut patet in visione beata cognoscente Deum, et creaturas. Et similiter quia in generatione naturali terminus primarius *quo* est natura totalis, v. g. humanitas, et terminus secundarius est proprietas, et accidentia; una et eadem actio generativa sufficit ad hæc omnia attingenda, juxta illud: *Qui dat formam, dat consequentia ad formam.* Unde proprietates non producuntur per actionem distinctam ab ea, per quam producitur natura, ut cum communi sententia Thomistarum docent N. Complut. abbrev. in lib. *Physic.* disp. 16, q. 5. Suadetur. N. Comp.

Nec refert dicere, quod ut aliqua prædicto ordine ponantur, attingantur, aut fiant ex vi ejusdem actionis, debent habere inter se connexionem, ut patet in exemplo immediate proposito naturæ, et proprietatum ejus. Plura autem sunt in hoc sacramento, quæ non habent connexionem cum corpore, et sanguine Christi, ut patet tum in accidentibus infusis gratiæ, et virtutum, tum in actibus intellectus, et voluntatis. Quare ista, et alia ejusmodi non constituentur per concomitantiam in hoc sacramento contra id, quod superius statuimus; vel constitui debent per aliam actionem distinctam ab ea, per quam in eo ponuntur corpus, et sanguis Christi ex vi verborum. Præcluditur. Id, inquam, nihil refert: quia ut aliqua ponantur, aut fiant secundario per aliquam actionem attingentem primario aliquem terminum; opus non est, quod habeant essentialem connexionem cum illo; sed sufficit, si vel ipsi naturaliter connectantur. Idque patet in exemplo proposito naturæ et proprietatum ejus: quippe natura non connectitur suis proprietatibus essentialiter, sed solum connaturaliter: quippe non implicat naturam absque proprietatibus produci, et existere. Patet etiam et a fortiori in accidentibus communibus, quæ rem genitam in primo generationis instanti comitantur: non enim illi uniuntur essentialiter, sed naturaliter: et tamen fiunt eadem actione generativa. Sufficit itaque connexio, unio, aut ordo connaturalis inter aliqua, ut eadem actione attingantur. Porro illa, quæ per concomitantiam ponuntur in hoc sacramento, habent aliquam connexionem naturalem cum termino primario actionis transubstantiativæ, nempe cum corpore, et sanguine Christi: quia vel immediate, vel saltem mediate uniuntur illis in eodem Christi supposito, ut diximus § præced. ubi autem aliqua supponuntur realiter unita, naturalis ordo postulat, quod ubicumque ponitur unum, ponatur et aliud, ut magis explicuimus dub. 1, cum D. Thom. D. Tho. in primo præs. quæst. art. ubi ait: « Ex « naturali autem concomitantia in hoc sa- « cramento illud, quod est realiter con- « junctum ei, in quod prædicta conversio « terminatur. Si enim aliqua duo sunt rea- « liter conjuncta, ubicumque est unum rea- « liter, oportet, et aliud esse. Sola enim « operatione animæ discernuntur, quæ « realiter sunt conjuncta. »

Evasio.

Confirmatur præmissus discursus: quia cum natura vitet superflua non oportet multiplicare actiones absque urgenti, aut rationabili necessitate: sed nulla hujusmodi necessitas occurrit vel ab auctoritate, vel ex ratione, ut dicamus ea, quæ sunt ex vi verborum in hoc sacramento, poni per unam actionem: et ea, quæ in eo sunt per realem concomitantiam, constitui per Roboratur idem motivum

aliam actionem : ergo non oportet multiplicare tales actiones, sed magis dicere, quod transubstantiatio primario, et immediate terminata ad corpus, et sanguinem Christi se extendit secundario, et ex consequenti ad illa, quæ in hoc sacramento constituuntur per realem concomitantiam. Cætera constant, et minor constabit ex immediate dicendis.

Sententia opposita. 40. Contrariam nobis opinionem tuentur Suarez disp. 51, sect. 4, § *Quartum argumentum*, et sect. 6, § *Ex his* : nam licet concedat quantitatem, et alia accidentia corpori Christi naturalia poni secundario ex vi ejusdem actionis, per quam corpus Christi ponitur in sacramento : nihilominus oppositum sentit de actibus vitalibus affirmans poni in sacramento ex vi actionis, qua fiunt in cœlo, et de accidentibus provenientibus ab extrinseco agente, ut sunt habitus gratiæ, et virtutum infusarum quæ asserit poni in hoc sacramento per specialem Dei actionem. Et Granados controv. 6, tract. 3, disput. 4, sect. 3, qui concedit animam quidem Christi produci in sacramento per transubstantiationem : reliqua autem, quæ ibi sunt per concomitantiam, dicit non produci aliqua actione, sed præcise ubicari, sive acquirere novam præsentiam. Et Martinonus disp. 51, sect. 5, et alii, qui in universum affirmant ea, quæ habent esse in sacramento per solam concomitantiam, non produci per aliquam actionem, sed afferri præcise per connexionem cum termino, qui ibi ponitur ex vi verborum. Et quamvis plura, quæ prædicti Auctores dicunt, videantur pertinere ad modum loquendi, id tamen, in quo nostræ assertioni repugnant, potest suaderi sequentibus.

Suarez. Granad. Martin.

Motiva illius. Primum. Primo, nam sicut verba consecrationis efficiunt, quod significant, ita non efficiunt, nisi quod significant, ut colligitur ex Tridentino loco sæpius relato sess. 13, cap. 3; sed verba consecratiouis non significant illud, quod præcise ponitur in sacramento per concomitantiam : ergo verba consecrationis non efficiunt ea, quæ per solam concomitantiam sunt in hoc sacramento : et consequenter ista ponuntur ibi ex vi diversæ actionis. Secundum. Secundo, quia si verba consecrationis haberent virtutem efficiendi ea, quæ ponuntur per concomitantiam, nunc efficerent animam, et omnia accidentia propria corporis viventis ; in triduo autem efficerent formam cadavericam, et alia accidentia propria corporis mortui : hoc autem apparet falsum, tum quia verba consecrationis agunt ad instar naturæ, atque ideo sine libertate, sed cum determinatione ad unum ; tum quia ex opposito fieret transubstantiationem, quæ modo est, distingui specifice a transubstantiatione, quæ esset in triduo ; siquidem producunt terminos specifice differentes : ergo verba consecrationis non efficiunt ea, quæ sunt in sacramento per solam concomitantiam. Tertio, quia non est admittenda efficientia absque necessitate : sed ut aliqua sint in sacramento per solam concomitantiam, non egent efficientia : sed sufficit si connexionem habeant cum termino, qui fit per se, et ex vi verborum ; siquidem eo ipso simul cum eo præsentia fiunt : ergo quæ hujusmodi sunt, non terminant ullam actionem. Quarto, nam ideo admittitur productio corporis, et sanguinis Christi in sacramento, quia substantia panis et vini in illa convertitur: sed talis substantia non convertitur in unionem hypostaticam, nec in actus vitales, nec in quantitatem, nec in alia Christi accidentia : ergo hæc omnia, quæ sunt per concomitantiam in sacramento, non constituuntur ibi per hoc, quod terminent aliquam productionem.

Tertium. Quartum.

Dissolvuntur eodem ordine. Ad primum respondetur verba consecrationis non efficere primario, nisi quod significant : hoc autem est terminus primarius conversionis, qui ponitur ex vi verborum. Sed quia hic terminus connectitur cum aliis ponendis per concomitantiam ; verba consecrationis efficiendo terminum primarium efficiunt secundario, et ex consequenti alia, quæ ibi ponuntur propter concomitantiam, sive connexionem cum termino primario. Sicut in eodem sensu actio generativa, quæ producit naturam substantialem, se extendit ad producendum secundario hujus proprietates. Ad secundum concedimus sequelam, et negamus minorem. Ad cujus primam improbationem respondetur non esse contra rationem agentis per modum naturæ, sive absque libertate, quod producat aliquando unum terminum secundarium, et aliquando alium : quia hoc non oritur ex indifferentia principii; sed ex eo, quod terminus primarius (ad quem est determinatio virtutis ex parte principii), aliquando unitur uni

uni termino secundario, et aliquando alteri : quare defert virtutem principii, et actionis aliquando ad unum terminum secundarium, et aliquando ad alium. Sicut virtus generativa attingit secundario in aliquibus individuis aliqua accidentia, quæ non attingit in aliis, ut patet in albedine, et nigredine aliquorum corporum productis in instanti generationis, et virtute actionis generativæ. Et hinc patet ad posteteriorem impugnationem : nam distinctio specifica actionis non sumitur a terminis secundariis, sed a primariis; consecratio autem tam modo, quam in triduo habet eundem terminum primarium, nempe corpus Christi abstrahens a vivo, et mortuo : unde quod sub ista formali ratione, et termino nunc secundario attingat animam, et tunc secundario attingeret formam cadavericam; minime probat transubstantiationem nunc existentem distingui specifice ab ea, quæ tunc foret. Ad tertium patet ex dictis, quod ea, quæ sunt per concomitantiam in sacramento, non egent efficientia distincta ab illa, qua fit terminus primarius : egent tamen illa : quia cum prius ibi non fuerint, debent incipere ibi esse per aliquam actionem : et nulla congruentius assignatur, quam actio attingens terminum primarium, cui prædicta connectuntur. Ad ultimum respondetur actionem conversivam denominari a termino primario, qui est substantia corporis, et sanguinis Christi : sed nihilominus extenditur secundario ad alia, quæ in sacramento constituuntur per concomitantiam. Unde nullum est inconveniens admittere in prædicto sensu, quod substantia panis, et vini convertitur secundario in unionem hypostaticam, in animam Christi, in quantitatem, et similia, quæ ibi per concomitantiam poni dicuntur.

DUBIUM IV.

Utrum ea, quæ in Eucharistia existunt per concomitantiam, potuerint divinitus in ea non esse ?

Difficultatem hanc jam supra attigimus dub. 1, n. 4, sed breviter, et per respectum ad providentiam magis rebus connaturalem, sicut tunc res postulabat. Modo autem redit ad incudam, ut videamus, quanta sit necessitas admittendi in sacramento illa, quæ per concomitantiam adesse dicuntur. Unde res tractari debet attentis essentiis rerum, et per respectum ad quamcumque potentiam. Porro duo hic citra controversiam supponenda sunt propter doctrinam hactenus traditam : primum ea, quæ per concomitantiam ponuntur in sacramento, debere esse simpliciter absoluta, sine independentia a loco, atque afficientia corpus, et sanguinem Christi in se ipso, et quasi ad se : quæ enim alterius generis sunt, connectuntur cum loco : unde non sequuntur corpus, et sanguinem Christi, ubi non constituuntur in loco, sicut in Eucharistia contingit. Secundum, quod ut controversia tractari possit, supponendum omnino est Christum in propria specie habere illas perfectiones, aut rationes absolutas : si enim supponatur, quod illis in se careat, vane inquireretur, an necessario sint per concomitantiam in sacramento. Unde sensus quæstionis est, an ex suppositione, quod Christus in propria specie habeat aliquam perfectionem, aut rationem absolutam, debeat illam habere per concomitantiam in sacramento, ita quod oppositum repugnet. Præsupponenda in hoc dubio.

§ I.

Eligitur verior opinio.

41. Dicendum est implicare, quod ea, quæ in Eucharistia existunt per concomitantiam, non ponantur in ea : et consequenter per nullam potentiam fieri potuisse, ut quæ Christum afficiunt in propria specie, non fuerint cum eo in sacramento per concomitantiam. Hanc conclusionem indicat D. Thomas, ut infra ponderabimus, docentque ex discipulis Nugnus in hac quæst. 76, art. 2, difficult. 3, concl. 3, ubi Serra art. 4, § *Si quæras*, Prado dub. 6, § 2, qui licet in oppositam multum inclinet, tamen num. 15, fatetur hanc videri probabiliorem, et magis ad mentem D. Thom. Idem etiam tuentur Scotus in 4, dist. 10, quæst. 4, § *De secundo membro*, et § *Hic posset*, et §, *Ad aliud argumentum*. Marsilius in 4, quæst. 7, art. 3, et quæst. 8, art. 3, et alii, quos refert, et sequitur Vasquez disp. 189, cap. 4, et disp. 192, cap. 3. Conclusio. D. Tho. Nugnus. Serra. Prado. Scotus. Marsil. Vazq.

Probatur primo ab auctoritate Concilii Tridentini, et D. Thomæ : nam ut aliqua constituantur per concomitantiam in sacramento, nihil aliud requirunt, nisi quod Fundamentum ab auctoritate.

talia uniantur Christo in propria specie. Concil. Trident. Unde Concilium sess. 13, cap. 3, docet esse in hoc sacramento « corpus sub specie vini, « et sanguinem sub specie panis, animam« que, vi naturalis illius connexionis, et « concomitantiæ, qua partes Christi Do« mini, qui jam ex mortuis resurrexit non D. Tho. « amplius moriturus, inter se copulantur.» Et Divus Thomas in 1 hujus quæstionis art. ait : « Ex naturali autem concomitan« tia est in hoc sacramento illud, quod « realiter est conjunctum ei, in quod « prædicta conversio terminatur. Si enim « aliqua duo sunt realiter conjuncta, ubi« cumque est unum realiter, oportet et « aliud esse. Sola enim operatione animæ « discernuntur, quæ realiter sunt con« juncta. » Ergo ex sententia Concilii, et D. Tho. ut aliquid constituatur per concomitantiam in sacramento; sufficit habere realem conjunctionem cum Christo in propria specie. Cum igitur ea, quæ de facto constituuntur per concomitantiam in sacramento, habeant hujusmodi conjunctionem cum Christo; nulla ratione fieri potuit, quod non fuerint posita in sacramento.

Præcluditur evasio. Nec valet dicere Concilium, et D. Thomam loqui attendendo præcise ad connaturales rerum exigentias, et ad providentiam ordinariam; non autem per respectum ad potentiam Dei absolutam. Nam contra hoc est primo, quod cum ea restrictione procedendo non præcluderent illorum ora, qui dicerent oppositum ejus, quod Concilium, et D. Thomas docent, contingere de facto per potentiam absolutam Dei agentis supernaturaliter, et miraculose (ut re ipsa agit, in hoc mysterio, ponentisque corpus sine sanguine) substantiam sine quantitate etc. ergo vel nihil docent, doctrinamque suam minime confirmant ex vi unionis realis inter ea, quæ sunt in Christo; vel si docent, et concludunt, fateri oportet, quod docent, et resolvunt per respectum ad quamcumque potentiam. Secundo, et urgentius quia si præcise attenderent in eo discursu ad connaturales rerum exigentias; et ad vitandum nova miracula, potius docere deberent plura, quæ in hoc sacramento per concomitantiam ponuntur, non debere in eo constitui. Nam si rem hinc inde perpendamus, facile deprehendemus multa preternaturalia, et magis miraculosa committi in eo, quod aliqua sint per realem concomitantiam in sacramento, quam contingerent, si ibi non constituerentur. Verbi causa in eo, quod substantia corporis, et sanguinis Christi ponerentur in sacramento sine quantitate, ut voluit Durandus, unum quidem miraculum interveniret, illudque intellectui non ad modum difficile, nempe substantiam corpoream nudari quadam proprietate, vel accidenti sibi connaturali, videlicet quantitate. Sed in eo, quod quantitas corporis, et sanguinis Christi sit realiter per concomitantiam sub speciebus, multo plura, et magis prodigiosa miracula interveniunt, utputa quod essentia quantitatis detur sine propria et intima passione extensionis in ordine ad locum: quod quantitas major contineatur sub minori; quod partes coexistant indivisibilibus Eucharistiæ; quod quantitas attingi non possit; quod colores videri non valeant; quod substantia corporis habeat esse per modum indivisibilis, et alia non pauca. Quæ profecto vitarentur uno solo miraculo constituendi in Eucharistia substantiam corporis Christi sine quantitate, sive non servando naturalem concomitantiam inter substantiam, et ejus dimensiones. Ergo si his non obstantibus, quantitas corporis Christi constituitur per concomitantiam in sacramento; signum est nec per absolutam potentiam fieri potuisse, quod ex suppositione unionis realis inter substantiam corporis Christi, et quantitatem, et quod substantia ponatur in sacramento per se, non poneretur etiam quantitas per realem concomitantiam.

42. Probatur secundo ratione : nam si Ratio. ea, quæ de facto ponuntur per concomitantiam in sacramento, potuissent divinitus non poni ; fieret, quod de facto posset non poni in sacramento anima Christi : consequens implicat contradictionem: ergo et antecedens. Sequela est manifesta : quoniam anima Christi, ut anima est, et dat gradum vitæ ponitur de facto in hoc sacramento per solam concomitantiam; quia videlicet est unita realiter corpori Christi in propria specie, ut vidimus dub. præced. § 1; ergo si ea, quæ ponuntur per concomitantiam, possunt divinitus non poni in sacramento; sequitur idem dici posse, et debere de anima Christi. Falsitas autem consequentis ostenditur : nam si anima Christi non poneretur in sacramento; sequeretur idem Christi corpus esse simul vivum, et mortuum; siquidem in propria specie

specie esset vivum per animam, quam de facto habet, ut supponitur; et in sacramento esset mortuum, sive non vivum ob animæ carentiam. Consequens autem aperte repugnat : quoniam esse vivum est gradus essentialis respectu corporis viventis : et nulla res caret gradibus essentialibus ad se pertinentibus, aut forma communicante illos gradus.

Suarii responsio. Huic argumento occurrit Suarez disp. 48, sect. 2, concl. 1, § *ad argumentum* concedendo sequelam, et negando minorem. Ad cujus probationem respondet nullam esse contradictionem in eo, quod corpus Christi esset vivum in propria specie, et mortuum in sacramento, aut vice versa, et vivum in sacramento, et jaceret mortuum in sepulcro. Non tamen concederetur vel ea hypothesi data idem Christi corpus esse vivum, et non esse vivum; in quo datur contradictio; sed præcise esse mortuum. Quoniam ut dicatur vivere, sufficit, quod alicubi vivat : sed ut dicatur non esse vivum, requiritur, quod nullibi vivat, Affirmatio enim facit sensum particularem: at negatio facit sensum universalem, ac distributivum, destruendo omne, quod negat.

Evertitur. Sed hanc responsionem non censuit probabilem Suarii socius Rubio 4 *Physic.* quæst. 6, num. 98. Et quidquid sit de hoc tam in re, quam in principiis, quæ assumit, opponitur evidenter D. Thomæ in 4, quæstiunc. 3, ubi statuit Deum facere non potuisse, ut anima Christi separata ab ejus corpore in propria specie in triduo mortis ejus esset ei unita in sacramento : « quia « hoc, *inquit,* pertinet ad dispositionem « interiorem. Unde inevitabiliter sequere« tur duo contradictoria esse simul. » Deinde ea responsio evertitur efficaciter : nam implicat idem corpus esse simul vivum, et mortuum : sed si corpus Christi constitueretur in sacramento sine anima, esset tale corpus in sacramento mortuum, ut Suarius concedit : ergo ex suppositione, quod corpus Christi sit in propria specie vivum, ut de facto contingit implicat illud corpus poni in sacramento sine anima. Consequentia patet. Et major ostenditur : nam esse vivum est gradus essentialis respectu corporis vivi; et esse mortuum est gradus etiam essentialis respectu corporis mortui : sed implicat idem corpus habere simul hos gradus : ergo implicat idem corpus esse simul vivum, et mortuum. Minor hujus secundi syllogismi probatur : quoniam gradus essentialis, in quocumque subjecto, aut supposito reperiantur, habent subordinationem inter se, et unus continetur sub alio, ut inductive potest ostendi : sed impossibile est, quod gradus vivi, et gradus mortui observent inter se hujusmodi subordinationem; siquidem esse vivum non prædicatur de esse mortuum, nec esse mortuum prædicatur de esse vivum : unde provenit impossibilem esse formam substantialem, quæ utrumque gradum communicet : ergo implicat idem corpus habere simul prædictos gradus. Ad quod nihil refert, quod corpus sit in loco, aut in sacramento : quia gradus essentiales conveniunt rebus essentialiter, et secundum se, atque ideo antecedenter ad omnia sibi accidentalia, ut sunt sacramentum, et locus. Unde corruit subtilis illa distinctio Suarii inter esse mortuum, et non esse vivum : quia licet ea doctrina de affirmatione, et negatione alibi locum habeat : non tamen in præsenti juxta qualitatem materiæ : quoniam corpus esse mortuum importat essentialiter negationem gradus vitæ in tali corpore ob impossibilitatem subordinationis essentialis inter prædictos gradus : unde corpus, quod alicubi est corpus mortuum, nullibi est corpus vivum. Quare in hypothesi, quod corpus Christi sub sacramento esset mortuum; non posset vivere in propria specie. Et e converso, si in propria specie vivit, debet habere vitam in sacramento. Ideoque nulla ratione salvari valet, quin anima Christi constituatur in sacramento saltem per concomitantiam.

Confirmatur : nam si non obstante, quod corpus Christi, quod supponitur de facto in propria specie vivum, poneretur sine anima, atque ideo mortuum, sive non vivum in sacramento; id non posset nisi uno ex duobus modis contingere, videlicet, vel quia in sacramento poneretur sola materia prima unita supposito divino, et nuda a forma substantiali; vel quia ibi poneretur cum alia substantiali forma distincta ab anima rationali : sed utrumque est impossibile : ergo ex suppositione, quod corpus Christi in propria specie vivat, et constituatur per animam rationalem; repugnat, quod constituatur in sacramento sine tali anima, sive non vivum. Cætera constant. Et minor ostenditur: quia impossibile est mate- Refellitur amplius.

raim existere absque omni forma substantiali, ut cum Divo Thoma docent communiter ejus discipuli, et recte probant N. Complutenses abbrev. in lib. *Physic.* disp. 3, quæst. 5; ergo repugnat materiam unitam Verbo existere absque omni forma substantiali in sacramento. Deinde impossibile est duas formas substantiales esse in eadem numero materia, ut cum eodem Angelico Doctore tradunt communiter discipuli, et ostendunt Complutenses in lib. *Physic.* disp. 4, quæst. 5; ergo implicat illam numero materiam, quæ actuatur per animam Christi in propria specie, habere aliam formam substantialem in sacramento. Et quia prædicta principia sunt philosophica, et in universum asserta inter discipulos D. Thomæ, propterea in eis magis communiendis non immoramur : sed lectorem remittimus ad Patres allegatos.

N. Comp.

Aliud assertionis motivum.

43. Tertio probatur conclusio alio motivo magis universali : quoniam impossibile est corpus Christi in propria specie habere aliqua prædicta absoluta, et quod prædictum corpus non habeat talia, et eademmet prædicata in sacramento : ergo omnes rationes absolutæ, quæ conveniunt corpori Christi in propria specie, debent esse in sacramento saltem per concomitantiam : et consequenter omnia prædicata, quæ de facto sunt per concomitantiam in Eucharistia, ita ibi sunt, quod nec per potentiam absolutam potuerint non esse. Utraque consequentia patet. Et antecedens suadetur : nam ex eo, quod corpus Christi in propria specie habeat aliqua prædicata absoluta, et illa non habeat in sacramento, consequuntur plures propositiones contradictoriæ simul veræ ; quas dari est impossibile. Sequitur enim corpus Christi esse quantum, et non esse quantum ; humanitatem esse unitam hypostatice Verbo, et non esse unitam ; animam Christi habere gratiam accidentalem, et illam non habere: aliaque similia : nam supponitur Christo in propria specie hæc omnia competere. Atque ideo si illis in sacramento careret, consequerentur plures contradictoriæ simul veræ : quippe idem Christus haberet, et non haberet talia prædicata.

Effugium.

Nec satisfacit primo, si dicatur quod Christum habere, et non habere talia prædicata, non conveniret illi secundum eandem rationem, sed secundum diversas : haberet enim illa secundum propriam speciem, et quatenus existit in loco; non haberet autem illa secundum præsentiam sacramentalem, sive quatenus existit in Eucharistia. Unde tollitur contradictio, quæ debet esse ejusdem, de eodem, et secundum idem. Potestque ista responsio confirmari exemplo : nam sicut non est contradictio Christum habere, et non habere illa prædicata in diversis temporibus ; quia non fit affirmatio, et negatio secundum idem tempus : ita nulla apparet contradictio in eo, quod habeat, et non habeat hujusmodi prædicata secundum diversa loca, aut quasi loca : quia non contingit affirmatio, et negatio secundum eundem locum, atque nec secundum eandem simpliciter rationem.

Confutatur.

44. Id, inquam, minime satisfacit ; nam ab hoc temporis exemplo incipiendo, manifestum est totam Dialecticam, et Metaphysicam constituere contradictionem rerum, et propositionum per ordinem ad idem instans temporis : ubi enim tempora sunt diversa, manifestum est posse idem subjectum habere successive diversa prædicata, quamvis secundum se sint opposita. Sed nemo constituit oppositionem contradictoriam rerum absolutarum a loco, per respectum ad eundem locum : quippe evidens est locum impertinenter se habere ad res hujusmodi. Ergo hac via vitari nequit contradictio inter prædicata, quæ in argumento proposuimus. Porro distinctio inter tempus, et locum proxime assignata constat liquido, et ad hominem : tum quia ubi tempora sunt diversa, absque ullo miraculo, sed juxta ordinariam, et communem providentiam fieri valet, ut idem subjectum habeat diversissima prædicata, licet contradictorie videantur opponi, v.g. quod hodie sit vivens, et cras sit mortuus ; quod hodie sit videns, et cras sit cæcus : at nemo sanæ mentis dicet, nec Adversarii dicunt fieri citra miraculum, et sine providentia extraordinaria posse, quod quis simul, sive eodem temporis instanti sit in uno loco vivens, et videns, et in alio loco, aut quasi loco sit mortuus, et cæcus. Tum quia pro diversis temporibus possunt verificari affirmatio, et negatio absoluta ejusdem subjecti, v. g. quod homo hodie sit, et cras nihil sit, sed annihiletur : sed impossibile est ista verificari in eodem temporis momento de eodem subjecto licet in diversis locis, aut quasi locis esse fingatur : ubicumque

cumque enim supponatur existere, falsum erit absolute tale subjectum non existere, sed esse actu nihil. Ergo exemplum temporis non probat, nec conducit ad rem præsentem. Atque ideo, quod idem subjectum possit pro diversis temporibus habere illa prædicata, quæ simul, sive eodem tempore concurrentia forent contradictoria; minime salvat, quod possit illa habere pro diversis locis, in eodem tamen temporis momento.

Major impugnatio. Deinde refellitur eadem responsio ratione a priori: quia impossibile est idem subjectum præcisive sumptum a diversis locis habere simul illa prædicata, quæ recensuimus, v. g. Christi corpus habet extensionem quantitativam in ordine ad se, et Christus non habet extensionem quantitativam in ordine ad se: sunt enim ista evidenter contradictoria: ergo pariter impossibile est, quod idem subjectum habeat illa prædicata, licet in diversis locis, aut quasi locis, existat. Probatur consequentia: quoniam locus, aut quasi locus respective ad prædicata perinde omnino se habet, ac si nullo modo esset: quippe extensio quantitativa in ordine ad se non dependet a loco, nec cum illo essentialiter connectitur, nec ullam explicat ad ipsum habitudinem: ergo si idem subjectum sumptum præcisive a loco, et quasi loco non posset habere simul extensionem quantitativam in ordine ad se, et habere carentiam extensionis quantitativam in ordine ad se; et si talia prædicata haberet, non posset non admitti contradictio: sequitur idem dicendum esse, licet in multis locis, aut quasi locis esse fingatur. Quæ impugnatio evidentius procedit, et urget in accidentibus spiritualibus, et a loco omnino absolutis. Quid enim refert ad gratiam habitualem, quid ad visionem beatam, quod Christus in isto, aut in alio loco existat? Profecto non magis refert, quam quod boves volent, quod anguillæ ambulent, et alia disparata similia. Ergo diversitas locorum, aut quasi locorum nihil refert, aut confert ad vitandum contradictionem in habendo, et non habendo talia prædicata. Unde si Christus ex suppositione præsenti, quod in propria specie habet gratiam habitualem, et visionem beatam: ista per concomitantiam non traheret in Eucharistia, sed in sacramento positus haberet eorum carentiam; liquido inferretur Christum habere gratiam, ac visionem beatam, et Christum non habere gratiam, ac visionem, quæ opponuntur contradictorie: quin ad vitandum contradictionem hujusmodi prosit recursus ad diversa loca, vel quasi loca, cum locus impertinenter se habeat ad talia prædicata, et illa non magis variet, quam si nullo modo esset.

Suarii responsio. 45. Nec secundo satisfacit evasio Suarii relati num. 42, nempe in prædicto casu non verificari duo contradictoria: falsum enim esset de Christo dicere, *Non est quantus, non habet gratiam* etc. quia Christus supponitur ista habere in propria specie: negatio autem negat universaliter, et distributive. Quare licet in ea hypothesi ista foret vera, *Christus habet quantitatem, gratiam* etc. tamen ista non esset vera, *Christus non habet gratiam, quantitatem etc.* sed solum verificaretur propositio restricta, nempe, *Christus in Eucharistia non habet quantitatem, et gratiam.*

Evertitur. Non, inquam, satisfacit hæc responsio, sed corruit ex dictis loco citato. Et insuper refellitur, quoniam istæ, *Christus in propria specie existens habet gratiam, et Christus in Eucharistia existens non habet gratiam*, non minus oponuntur, quam eæ, *Christus habet gratiam, Christus non habet gratiam*: sed istæ opponuntur contradictorie, ut Suarius concedit, et nemo sanæ mentis negabit; alias nulla in ullis prædicatis dabitur contradictio: ergo idem de prioribus illis propositionibus dicendum est. Probatur major: nam cum locus, et Eucharistia omnino impertinenter, et disparate se habeant ad gratiam; perinde comparantur ad illam, ac si nullo modo essent. Unde hæc propositio, *Christus in propria specie existens habet gratiam*, non plus importat, nec alium sensum facit, quam ista, *Christus existens habet gratiam.* Et similiter ista, *Christus in Eucharistia existens non habet gratiam*, non amplius explicat, nec diversum sensum reddit, quam hæc: *Christus existens non habet gratiam.* Ergo prædictæ propositiones non minus opponuntur, quam eæ, *Christus habet gratiam, Christus non habet gratiam.*

Rejicitur amplius. Confirmatur, et explicatur amplius: quia gratia, et carentia gratiæ non recipiuntur vel in loco materiali, vel in speciebus Eucharistiæ: ista namque sunt incapacia tam gratiæ, quam privationis illius: recipiuntur itaque unice, et adæquate in

sola anima Christi Sed contradictionem implicat, quod eadem anima habeat simul gratiam, et ejusdem gratiæ carentiam ; siquidem una necessario excluditur per aliam ; atque esse unius est non esse alterius. Ergo impossibile est hæc duo verificari, *Christus in propria specie habet gratiam, Christus in Eucharistia non habet gratiam.* Probatur consequentia : quia in eodem sensu, quo verum fuerit Christum in Eucharistia non habere gratiam, verum etiam, erit Christum in Eucharistia habere gratiæ carentiam : ergo si impossibile est eandem Christi animam habere gratiam, et simul carentiam gratiæ ; sic etiam impossibile est verificari, *Christum in propria specie habere gratiam, et Christum in Eucharistia non habere gratiam.* Et nihil referunt illæ additiones, *in propria specie,* et in *Eucharistia :* quia pure extrinsece, et impertinenter se habent tam ad subjectum, quam ad prædicatum ; et minime vitant, quod idem indivisibile subjectum subsit simul actu formæ, et carentiæ ejusdem formæ : quod est prorsus impossibile.

§ II.

Argumenta contrariæ opinionis convelluntur.

46. Oppositam nobis sententiam asserentem ea, quæ per concomitantiam sunt in Eucharistia, solum connaturaliter in eadem constitui ; fieri tamen divinitus potuisse, ut ibidem non ponerentur, licet præsupponantur in Christo existente in propria specie, docent Alensis 4 p. quæst. 44, membro 7, Gabriel in 4, dist. 10, quæst. unica, art. 2, Major, et Ocham, quos refert, et sequitur Suarez loco cit. Lugo disp. 5, sect. 2, et communiter Recentiores extra scholam D. Thomæ. Quibus suffragantur ex Thomistis Soto in 4, dist. 10, quæst. 1, art. 2, § *At vero,* et art. 5, propositione 2 et 3, et Martinus de Ledesma 1 p. Quarti, quæst. 17, art. 4. Quæ opinio posset in primis suaderi ex verbis Concilii Trident. sess. 13, c. 3, sæpius relatis : nam affirmat existere quidem in hoc sacramento « corpus sub specie vini, et sanguinem sub « specie panis, animamque sub utraque vi « illius naturalis connexionis, et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui « cum ex mortuis resurrexit non amplius « moriturus, inter se copulantur. » Ubi non aliam assignat rationem, ut prædicta existant sub illis speciebus, et sub hoc sacramento nisi naturalem connexionem, et concomitantiam, et minime dixit connexionem, aut concomitantiam essentialem. Manifestum autem est Deum posse agere supra, et contra naturales rerum exigentias, dum essentia non destruatur. Ergo non obstante illa connexione, aut concomitantia, fieri divinitus potest, ut ea, quæ Christus habet in se, non constituantur in sacramento. Sed hoc nihil est : nam Concilium non dicit ea, quæ Christus habet in se, constitui in hoc sacramento propter naturalem connexionem inter esse in se, et esse in sacramento ; sed valde aliter se gessit : nam probavit prædicta esse in sacramento, quia in se habent naturalem connexionem, « qua partes, *inquit,* Christi Domini, qui « jam ex mortuis resurrexit non amplius « moriturus, inter se copulantur. » Unde Concilium nihil aliud requirit, ut aliquid Christi constituatur in sacramento, quam quod per naturalem connexionem, et concomitantiam uniatur Christo in propria specie existenti. Unde magis significat ea, quæ ejusmodi sunt, nempe Christo in propria specie unita, non posse non in sacramento constitui ex suppositione scilicet, quod Christus illa in se habens constituatur in sacramento.

[Marginal notes: Alensis. Gabriel. Major. Suarez. Lugo. Soto. Ledesm. — Argumentum primum ex Trident. — Dispellitur.]

47. Arguitur secundo destruendo specialiter nostra motiva : quia non magis implicat Christum in propria specie esse vivum, et Christum in sacramento esse non vivum, seu mortuum, quam quod Christus in propria specie non desinat esse, et in sacramento desinat esse : sed hoc secundum non implicat ; quin quotidie fit, quod Christus, qui in propria specie habet esse, in sacramento esse desinat : ergo nec implicat illud primum : et consequenter fieri divinitus poterit, ut Christus sit vivus, seu habens animam in propria specie, et sit mortuus, sive animam non habens in sacramento. Confirmatur : quia ita opponuntur Christum esse extensum in ordine ad locum, et non esse extensum, sicut opponuntur Christum esse quantum, et Christum non esse quantum : sed nulla est contradictio in eo, quod Christus in propria specie sit extensus in ordine ad locum, et in specie sacramenti non sit extensus in ordine ad locum : siquidem de facto ita contingit

[Marginal notes: Secundum argumentum. — Confirmatio.]

contingit : ergo similiter non implicat, quod Christus in propria specie sit quantus, et quod in Eucharistia non sit quantus : et subinde licet fiat supposito, quod Christus in propria specie est quantus, poterit divinitus constitui sine quantitate in Eucharistia.

Satisfit argumento. Ad argumentum respondetur excessive probare : nam si quid ea similitudo valet, evincit utique, quod sicut de facto non solum sine miraculo, sed etiam connaturaliter fit, quod Christus, qui semper est in propria specie existens, desinat aliquando existere in sacramento : sic etiam fieri citra omne miraculum, sed connaturaliter possit, ut Christus, qui est semper vivus in propria specie, non sit vivus, sed potius mortuus sub specie sacramenti. Id vero est aperte falsum, et minime conceditur ab Adversariis, qui bene recognoscunt, quod quando duo sunt realiter connexa, ubicumque unum ponitur, debet et aliud poni juxta connaturalem rerum ordinem, ut vidimus dub. 1, indeque probant, quod si Christus in propria specie habet animam, ut de facto contingit, debet hæc poni per concomitantiam in sacramento. Unde oportet ipsos diluere argumentum a se factum. Nos respondemus negando majorem : quoniam Christum desinere esse in sacramento non est aliud, quam desinere sacramentum, in quo erat Christus : sicut animam rationalem desinere esse in manu abscissa, non est desinere animam, sed est desinere manum, quam constituebat : in quo nulla datur contradictio, ut ex se liquet. Præsertim cum destructo sacramento, non maneat in eo Christus, qui prout ibi possit subesse alicui prædicato. Cæterum Christum esse mortuum, aut non vivum in sacramento claudit necessario ex una parte, quod Christus sit realiter in sacramento, et ex alia parte, quod Christus non sit ibi vivus, sed mortuus. Unde cum alias supponatur ipsum vivere in propria specie; legitime infertur, quod de eodem Christo prædicetur esse vivum, et non esse vivum : in quo est manifesta contradictio. Et quod dicatur vivere in *propria specie*, et non vivere *in sacramento*, nihil de contradictione diminuit : quia prædicatum vivendi, aut non vivendi convenit Christo absolute in se, sive independenter ab illis modificationibus existendi in loco, vel in sacramento. Quæ contradictio evidentius adhuc apparet in aliis prædicatis mere spiritualibus nullumque mediate, vel immediate habentibus nexum cum loco, et sacramento, v. g. habendi, et non habendi gratiam, ut supra magis expendimus.

Occurritur confirmationi. Ad confirmationem negamus majorem propter evidentem disparitatem: nam extensio in ordine ad locum convenit per respectum ad locum, et ab ipso essentialiter dependet : nequit enim sine loco adesse ad locum correspondentia. Unde Christus existens in loco habet extensionem localem. Sed cum sacramentum non sit locus, Christus in sacramento existens talem extensionem non habet. Variatur itaque formale subjectum talium prædicationum, et subinde tollitur contradictio : quia habere extensionem in ordine ad locum prædicatur de Christo existente in loco; et non habere talem extensionem prædicatur de Christo in loco non existente : quippe tales ex parte subjecti modificationes comparantur per se ad talia prædicata. Cæterum esse quantum, sive extensum in se, et non sunt esse quantum, sive extensum in se prædicata omnino absoluta, nullamque habent connexionem cum loco, aut quasi loco: unde si prædicarentur de Christo, convenirent eidem formaliter subjecto ; licet ex parte hujus adhibeantur illæ modificationes essendi in loco, vel sacramento: quippe quæ inpertinenter, et disparate se habent ad similia prædicata. Quam disparitatem assignavit optime D. Thomas infra quæst. 81, art, 4, ubi ait : « Dicendum, quod corpus Christi idem in susbtantia est in hoc sacramento, et in propria specie : sed non eodem modo. Nam in propria specie contingit circumstantia corpora per proprias dimensiones : non autem prout est in hoc sacramento, ut supra dictum est quæst. 76. Et ideo quidquid pertinet ad Christum, secundum quod in se est, potest attribui ei et in propria specie, et in sacramento existenti : sicut vivere, mori, dolere, animatum, vel inanimatum esse, et cætera hujusmodi. Quæcumque vero conveniunt ei per comparationem ad corpora extrinseca, possunt ei attribui in propria specie existenti ; non autem prout est in sacramento : sicut irrideri, conspui, crucifigi, flagellari, et cætera hujusmodi.» Ex qua generali doctrina colligit in resp. ad 3, quod si in triduo mortis Christi « fuisset hoc D. Tho.

« sacramentum consecratum vel peractum, « quando anima erat realiter a corpore « separata, non fuisset anima Christi sub « hoc sacramento : non propter defectum « virtutis verborum, sed propter aliam « dispositionem rei. » Quia videlicet anima erat realiter separata a corpore in propria specie : unde fieri non poterat, quod esset conjuncta corpori in sacramento.

Replica et argumentum. 48. Sed replicabis (et sit secundum argumentum) quoniam de ipsa præsentia locali potest fieri eadem objectio, ac de prædicatis absolutis: quia idem corpus esse in loco, et non esse in loco non minus opponuntur, quam idem corpus esse quantum, et non esse quantum: sed non est contradictio in eo, quod idem corpus Christi sit in loco, et non sit in loco ; siquidem in propria specie est in loco, et in specie sacramenti non est in loco : ergo nulla etiam est implicatio, quod idem Christi corpus, sit quantum, et non sit quantum, videlicet quantum in propria specie, et non quantum in sacramento. Confirmatur primo : quia ubicatio passiva est aliquid reale, et intrinsece afficiens subjectum, quod denominat : et tamen fieri potest, quod idem Christi corpus in propria specie habeat ubicationem, et in specie sacramenti ubicationem non habeat : ergo similiter fieri non repugnat, quod in propria specie habeat quantitatem, et in specie sacramenti illam non habeat. Confirmatur secundo : quia non minus opponuntur motus, et quies ejusdem corporis, quam quod idem corpus habeat, et non habeat quantitatem : sed non implicat idem corpus Christi moveri localiter extra sacramentum, et quiescere, aut non moveri in sacramento : ergo similiter non repugnat esse extra sacramentum quantum, et non esse quantum in sacramento. Confirmatur tertio, quia ista prædicata distinguuntur realiter a subjecto, et sunt ipsi accidentalia ; atque ideo possunt convenire, et non convenire subjecto : ergo sicut subjectum potest esse cum illis et sine illis; sic etiam potest habere illa in aliquo loco, et carere eisdem in alio loco, aut quasi loco, nempe in sacramento.

Confirmatio. Secunda. Tertia.

Satisfit argumento. Ad argumentum, sive replicam negamus assumptum. Et ad probationem neganda est major: quia esse in loco non solum dedendet a corpore, quod locatur, sed etiam a loco continente. Unde cum corpus Christi in propria specie connotet continens extrinsecum, dicitur esse in loco ; sed cum in sacramento non habeat continens extrinsecum, cui per se correspondeat, dicitur non esse in loco. Et nulla in hoc intervenit contradictio : quia licet subjectum sit materialiter idem; tamen variatur formaliter in esse subjecti talium prædicatorum, quia importat illa diversa connotata. Sed esse quantum in se est prædicatum absolutum, et independens tam a connotatione loci, quam ab ejus carentia : unde nihil pro tali prædicato, et similibus refert connotatio loci,et carentiæ illius. Et consequenter si idem Christi corpus esset quantum in propria specie, et non esset quantum in sacramento ; committeretur contradictio : nam idem prædicatum affirmaretur, et negaretur de eodem porsus subjecto.

Diluuntur confirmationes. Unde patet ad primam confirmationem : quia ubicatio, licet sit accidens reale, et denominet intrinsece ; tamen est accidens respectivum, et dependens a loco : unde nulla est contradictio in eo, quod idem corpus Christi cum existit in loco,habeat ubicationem ; et quod ubi non connotat lolocum, ubicationem non habeat. Patet etiam ad secundam : quoniam motus localis, et quies, prout importat carentiam talis motus, necessario connotant locum ; unde Christus existens in loco potest habere motum localem, vel quietem, quæ sit privatio illius motus : sed cum in Eucharistia non existat sicut in loco, nequit ibidem habere motum localem, nec quietem, ut est talis motus privatio ; sed habet quietem, quatenus importat meram negationem motus. Ad tertiam etiam patet : concesso namque antecedenti cum prima consequentia, negamus secundam : nam quod Christus tam in loco, quam in sacramento habeat quantitatem, vel quod Christus tam in loco, quam in sacramento non habeat quantitatem, nullam importat contradictionem, sed magis uniformitatem. Cæterum quod in loco habeat quantitatem. et in sacramento non habeat quantitatem, importat contradictionem sæpius assignatam. Et idem est de omnibus aliis prædicatis simpliciter absolutis, sive independentibus a loco.

Aliud argumentum. 49. Arguitur tertio : nam licet ex suppositione, quod corpus Christi habeat quantitatem, ista sit simpliciter falsa, *corpus Christi*

Christi non est quantum, quippe negat quantitatem absolute contra id, quod supponitur; nihilominus stante tali suppositione, potest verificari, *Christus non est quantus in Eucharistia:* quippe inter talem suppositionem, et hanc prædicationem nulla datur oppositio contradictoria, cum componantur ex terminis diversis: ergo minime implicat, quod corpus Christi sit quantum in propria specie, et tamen in sacramento non habeat quantitatem. Confirmatur: quia hac de causa, licet sit una, et indivisibilis anima rationalis, quæ existit in pede, et existit in capite; nihilominus prout in capite non habet illam unionem formalem, quam habet in pede: et in hoc nulla occurrit contradictio: ergo pariter licet sit unum, et idem corpus, quod existit in loco, et quod existit in sacramento; tamen poterit habere quantitatem in loco, quam non habet in sacramento.

Confirmatio.

Dissolvuntur.

Ad argumentum, quo specialiter utitur Suarez, patet ex dictis nu. 42, et 45, additionem illorum terminorum nihil conducere ad declinandum prædictam contradictionem: nam esse, aut non esse in loco disparate, et impertinenter se habet ad esse quantum in se, et ad similia prædicata absoluta, atque a loco independentia. Sicut non vitaretur contradictio dicendo « homo in loco existens est rationalis, « homo in loco non existens non est ratio- « nalis: » quia esse rationale abstrahit a loco, et aliis suppositionibus accidentalibus. Ad confirmationem negamus antecedens quantum ad secundam partem: quia anima rationalis sicut est tota in toto, et in singulis ejus partibus; sic etiam ex parte suo habet unam, et simplicem unionem ad totum, et ad omnes, et singulas ejus partes.

Alterum argumentum.

50. Arguitur quarto: nam ex eo, quod corpus Christi augeatur in loco, non sequitur augeri in sacramento: ergo ex eo, quod in loco habeat quantitatem, non sequitur, quod in sacramento illam habeat. Consequentia patet tum a paritate: tum quia augmentatio inducit majorem quantitatem: ergo si idem corpus, quod in loco augetur, non augetur in sacramento; pariter idem corpus, quod habet majorem quantitatem in loco, illam in sacramento non habet. Antecedens autem ostenditur: quoniam augmentatio fit per applicationem cibi, ad quam requiritur indistantia secundum locum: sed Christus prout in sacramento non habet esse in loco: ergo licet augeatur in loco, non augetur in sacramento.

Respondetur, quod dupliciter possumus loqui de augmento, nempe de augmento in fieri, quomodo importat successivam mutationem; vel de augmento in facto esse, quomodo importat majorem quantitatem in esse quieto. Quo supposito dicimus, quod si Christus augeretur in propria specie, non augeretur in sacramento augmentatione in fieri: quia ut bene probatur in argumento augmentatio sic sumpta importat applicationem, et motum localem cibi ad stomachum ejus, qui augetur: et hæc nequeunt adaptari Christo prout in sacramento existenti. Sed tamen augeretur augmentatione in facto esse: quia eo ipso, quod in propria specie susciperet novam, aut majorem quantitatem, illam etiam per concomitantiam consequeretur in sacramento: unde Christus non esset quantitative major in loco, quam in Eucharistia. Verum quidem est augmentationem magis exprimere motum, quam terminum. Unde respondemus omittendo antecedens, et negando consequentiam. Cujus probatio convulsa relinquitur juxta doctrinam immediate traditam: constat enim disparitas inter motum, et ejus terminum, ut motus augmentationis, quia concernit motum localem, non conveniat Christo in sacramento, et tamen major quantitas, quia a loco præscindit, debeat eidem in sacramento etiam competere. Potest autem hæc doctrina magis confirmari, et declarari exemplo: nam sicut augmentatio tendit in majorem quantitatem, sic passio corporis tendit ad mortem: quamvis autem corpus Christi pateretur in propria specie, non propterea pateretur in sacramento: quia passio corporalis importat locum, sicut et motum localem: et quæ ejusmodi sunt, non conveniunt Christo in sacramento. Sed tamen si passio corporalis induceret Christi mortem (quæ potest dici passio in facto esse), extra sacramentum; pariter Christus in sacramento moreretur ut tradit D. Th. loco cit. ex quæst. 81, ubi resolvit, quod sic hoc sacramentum tempore mortis Christi fuisset servatum, vel consecratum, tunc Christus in eo moreretur. Et cum sibi opposuisset: «Mors

Corruit.

D. Tho

« Christi accidit per ejus passionem : sed « Christus impassibili modo etiam tunc « erat in hoc sacramento : ergo non pote- « rat mori in hoc sacramento, » egregie respondit : « Ad primum dicendum, quod « passio convenit corpori passo per com- « parationem ad agens extrinsecum. » (quod agit, et movet dependenter a loco.) « Et ideo Christus secundum quod est sub « hoc sacramento, pati non potest, potest « tamen mori.» Itaque quiapassio importat motum, et dependentiam a loco, ut patet in flagellatione, et similibus; et Christus prout in sacramento non est in loco ; propterea quamvis Christus in propria specie pateretur, non propterea esset, aut denominaretur patiens in sacramento. Cæterum quia mors in facto esse non importat motum, nec illam dependentiam ; ideo si Christus in propria specie moreretur, pariter moreretur in Eucharistia. Sic igitur cum augmentatio in fieri, et sumpta pro motu importet dependentiam a loco, quamvis Christus in propria specie augeretur, non propterea in sacramento augeretur : sed quia augmentum in facto esse, et acceptum pro termino augmentationis, sive pro majori quantitate, non dicit motum, nec connectitur essentialiter cum loco ; idcirco si Christus extra sacramentum acciperet majorem quantitatem, illam etiam haberet in sacramento. Recolantur quæ diximus disp. præced. dub. 5, ubi explicuimus, an Christus in sacramento possit pati.

Replica. 51. Sed insistes : nam si eo ipso, quod Christus extra sacramentum augeretur, deberet etiam in sacramento majus illud incrementum suscipere ; fieret etiam, quod eo ipso, quod reciperet aliquem calorem ab agente naturali in propria specie, deberet talem calorem recipere in sacramento : id namque omnimoda paritatis ratio convincit : consequens autem est absurdum : ergo et antecedens. Probatur minor : nam si Christus in sacramento reciperet novum illum calorem, eum utique reciperet ab agente naturali, quod ipsum produceret in Christo in propria specie existenti. Id vero apparet omnino impossibile : tum quia agens naturale habet certam, et limitatam distantiam, ad quam operari valet : agens autem naturale producens calorem in Christo existente in propria specie posset esse valde distans, ut si tale agens, et Christus in propria specie existens essent apud nos ; sacramentum autem Eucharistiæ foret apud Indos : ergo Christus in sacramento existens non posset recipere illud novum ab agente naturali. Tum etiam quia ad causam, actionem, et effectum naturalem nequit subsequi supernaturalis effectus : sed quod calor novus poneretur realiter in Christo existente in Eucharistia, esset effectus supernaturalis : ergo naturale agens, quod in propria specie calefaceret Christum, non produceret calorem in Christo existente in sacramento. Tum præterea, quia licet agens naturale posset percutere, aut impellere corpus Christi in propria specie ; tamen minime posset percutere, aut impellere Christum in Eucharistia : ergo pariter quamvis posset producere calorem in Christo existente in propria specie ; non inde fieret, quod proproduceret, aut producere posset calorem in Christo, prout existit in sacramento.

Respondetur concedendo sequelam, et negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est, quod ea, quæ per concomitantiam conveniunt Christo in sacramento, possunt quidem esse producta remote, atque in propria specie per aliquod agens naturale : sed tamen in sacramento non ponuntur immediate per aliam actionem, quam per eandem actionem,sive transubstantiationem, qua Christi corpus, et sanguis ponuntur per se in tali sacramento, ut statuimus dub. præced. § 6. Et hoc modo aliqui actus naturales, quos Christus in propria specie existens nunc elicit, per concomitantiam in sacramento constituuntur. Idemque proportionabiliter contingeret casu, quo agens naturale imprimeret calorem Christo existenti in propria specie. Talis namque calor prout existens in propria Christi specie foret immediate ab agente naturali : sed prout existens in Christo constituto in Eucharistia esset remote ab agente naturali ; proxime vero, et immediate esset ab agente supernaturali, quod Christum in Eucharistia constituit : sicut etiam in pluribus aliis naturalibus, quæ sunt per concomitantiam in hoc sacramento contingit. Agens enim supernaturale constituens corpus, et sanguinem Christi in Eucharistia relinquit hunc terminum determinatum ad habendum alia concomitantia, quæ tunc non sunt, sed quæ postea erunt : unde omnia concomi- Solutio.

tantia

tantia tunc, et postea ponuntur immediate in sacramento ex vi actionis agentis supernaturalis ; quamvis remote supponant influxum naturalis agentis circa Christi corpus in propria specie. Et hinc patet ad omnes oppositas probationes : solum enim evincunt agens naturale non posse suos effectus producere immediate in sacramento; secus autem quod non possint remote, in hoc scilicet sensu, quod efficit effectus in corpore Christi existentis in propria specie, quos effectus ob concomitantiam cum corpore Christi agens supernaturale constituit in Eucharistia. Unde quod dicitur de distantia non est ad rem. Quod etiam dicitur de proportione inter causam, et effectum, nihil valet : nam concedimus agens naturale non constituere calorem in Eucharistia, quam propter concomitantiam Deus constituit in sacramento. Quod tandem additur de motibus impulsionis, percussionis etc. convulsum relinquitur num. præced. nam hi motus dependent a loco, et nequeunt Christo sacramentaliter, sive non localiter existenti competere : calor autem est qualitas a loco absoluta, et ideo si Christus illum habet in propria specie, debet etiam ipsum habere in sacramento.

DUBIUM V.

Quid importet corpus Christi, quatenus vi verborum ponitur in sacramento ?

Licet dub. 2 statuerimus terminum, qui ex vi verborum ponitur sub specie panis, esse corpus Christi. prout distinguitur contra sanguinem : nihilominus cum prædictum corpus possit secundum diversas rationes accipi, et diversos gradus exprimere ; ideo discutiendum adhuc superest, quid formaliter importet, quatenus ex vi verborum in sacramento constituitur. Quod ibi tractare congruum non duximus, ut veritas omnino apud Catholicos certa, quam stabiliebamus, sincerius proponeretur, minimeque confunderetur cum opinionibus Theologorum circa præsentem difficultatem. Tot enim occurrunt, ut vel nos nunc obligent non paucas a principio resecare, ut excissa illarum sylva viam paremus ad celebriores. Et ideo

§ I.

Pluribus rejectis aperitur status quæstionis.

52. Principio autem, ne circa terminos hæreamus, supponendum est hoc nomen *corpus* posse plura significare, nempe vel quandam speciem quantitatis condistinctam a superficie, et linea penes modum habendi partes, quod solet corpus mathematicum appellari : vel genus subalternum substantiæ, divisum contra substantiam spiritualem, quod in alia genera inferiora dividitur, ut puta in cœleste, et sublunare ; vel denique partem compositi substantialis condistinctum ab anima, sicut vulgo dicimus hominem corpore, et anima constare. Et in hac ultima acceptione adhuc potest sumi dupliciter, nimirum vel pro sola materia prima, quæ satis communiter appellari solet corpus : vel pro individuo generico corporis importante omnes gradus superiores substantiæ usque ad gradum viventis exclusive, qui per animam vt animam communicatur ; quæ est etiam satis communis corporis usurpatio : et corpus sic sumptum continet aliquam formam substantialem, vel aliquem ejus gradum : in quo sensu solemus dicere hominem componi ex carne, et spiritu, ubi caro supponit pro corpore in acceptione præmissa. Ex quibus patet, quod licet certum sit illud, quod sub specie panis constituitur ex vi verborum, esse corpus Christi, ut loco cit. statuimus ; nihilominus dubitari potest, quid formaliter importet prædictum corpus in esse termini, propter diversas corporis acceptiones : potest enim sumi vel pro corpore de genere quantitatis, vel pro gradu generico substantiæ corporeæ, vel pro parte physica ; et in hoc ultimo sensu potest supponere vel pro sola materia prima, vel pro composito ex materia, et forma, cui uniatur anima in esse animæ. Multiplex corporis usurpatio.

53. Et in primis supponendum est corpus, quod ex vi verborum ponitur in sacramento, non esse corpus de genere quantitatis. Id communiter admittitur ab omnibus, facileque probatur ratione desumpta ex D. Tho. in hac quæst. 76, art. 1, et 3, et 4, nam quod ponitur ex vi verborum est terminus formalis conversionis : sed terminus formalis conversionis non est corpus de genere quantitatis : ergo corpus, Prima suppositio. D. Tho.

quod ponitur ex vi verborum, non est hujusmodi corpus quantitativum, sed aliquid aliud. Probatur minor : quia conversio, quæ in hoc mysterio contingit, terminatur ad terminum substantialem ; et ideo talis conversio appellatur *transubstantiatio*, ut vidimus disp. 5, dub. 2, et 3 ; corpus autem de genere quantitatis non est substantia, ut ex se liquet : ergo prædictum corpus non est terminus formalis conversionis contingentis in hoc mysterio. Confirmatur : nam corpus de genere quantitatis non est aliud reipsa, quam ipsa quantitas : hæc autem non ponitur in hoc sacramento ex vi verborum, sed solum per realem concomitantiam, ut statuimus supra dub. 3, § 2.

Secunda suppositio. 54. Deinde supponimus corpus, quod ex vi verborum ponitur, non esse solam materiam primam nudam ab omni forma tam substantiali, quam accidentali. Sic docent communiter Theologi, et facile probatur. Tum quia conversio in hoc mysterio contingens est transubstantiatio, sive conversio totalis unius substantiæ in aliam substantiam : ubi necessum est servari proportionem inter terminum a quo, et terminum ad quem ; sed quod convertitur non est sola, et nuda materia panis : ergo terminus formalis *ad quem* conversionis non est sola, et nuda materia prima ad Christum spectans. Tum etiam quia terminus hujus conversionis debet esse corpus Christi, atque ideo corpus humanum habens carnem, ossa, et similia : nihil autem horum est, aut intelligitur in sola materia prima nuda ab omni forma. Tum præterea quia hoc sacramentum habet rationem convivii, in quo corpus Christi comparatur per modum cibi, et sanguis per modum potus : et insuper hoc sacramentum habet etiam rationem sacrificii consistentis in separatione sanguinis a corpore : manifestum autem est solam materiam primam nudam ab omni forma non esse aliquid aptum per modum cibi, ut distinguitur a potu, nec importare distinctionem corporis a sanguine ; siquidem materia nuda ab omni forma est quid indifferens tam respectu cibi, et potus, quam respectu corporis, et sanguinis : nulla itaque ratione dici potest corpus, quod est terminus conversionis panis, et ponitur ex vi verborum, consistere in sola materia prima. Idque a fortiori confirmatur ex D. Tho. in hac quæst. art. 1 ad 2, ubi ait : « Dicendum, « quod ex vi sacramenti sub hoc sacra« mento continetur quantum ad species « panis non solum caro, sed totum corpus « Christi, scilicet ossa, nervi, et alia hujus« modi. Et hoc apparet ex forma hujus « sacramenti, in qua non dicitur, Hæc est « caro mea, sed, Hoc est corpus meum. « Et ideo cum Dominus dixit Joan. 6: Caro « mea vere est cibus, caro ponitur ibi pro « toto corpore: quia secundum consuetudi« nem humanam videtur esse magis man« ducationi accommodata, prout scilicet « homines carnibus animalium vescuntur « communiter, non autem ossibus, vel « aliis hujusmodi. » D. Tho.

Ex qua doctrina etiam fit prædictum corpus, quod ex vi verborum ponitur, non consistere in sola materia prima affecta quantitate, et aliis accidentibus, nuda tamen ab omni forma substantiali. Id namque excluditur tum ex præmissis, tum etiam aliis. Primo, quia accidentia non recipiuntur immediate in sola materia prima, sed in composito substantiali : ergo corpus per se terminans conversionem non est materia sola cum accidentibus. Secundo, quia ex opposito fieret quantitatem, et reliqua accidentia poni ex vi verborum in sacramento : quod tamen jam supra rejectum est dub. 3, § 2, et 3; ergo terminus formalis non importat materiam cum accidentibus. Tertio, quia inde etiam sequeretur terminum formalem transubstantiationis non esse determinate substantiam, sed importare æque primo substantiam, et accidentia, vel aliquid eisdem commune : id vero falsum est, destruitque proprium transubstantiationis conceptum. Tertia suppositio.

55. Oppositum hujus suppositionis, nempe solam, et nudam materiam dici illud corpus, quod ex vi verborum ponitur in sacramento, docuerunt aliqui Nominales. Gabriel in 4, distinctione 11, quæst. 1, articulo 1, Major dist. 10, quæst. 5, Marsilius quæst. 8, articulo 2, cum quibus sentiunt Aversa quæst. 4, sect. 1, et aliqui Juniores. Ad eandemque opinionem proxime accessit Ægidius theoremate 28, cum duobus sequentibus docens prædictum corpus consistere in sola materia affecta quantitate, et accidentibus : quod etiam placet aliquibus Recentioribus. Fundamentum omnibus commune est, quod licet in communi modo loquendi corpus soleat accipi pro composito Contraria aliquorum doctrina. Gabriel. Major. Marsil. Aversa. Illorum motivum.

posito ex materia, et forma ; nihilominus magis communiter accipitur pro una parte compositi, prout distinguitur ab alia, quæ est forma, atque ideo pro sola materia : sic communiter dicitur hominem constare corpore, et anima ; atque Verbum assumpsisse humanitatem compositam ex corpore, et anima : in quibus locutionibus manifestum est corpus sumi pro sola materia contrapositive ad formam : ergo pariter nomine corporis, quod per se ponitur in sacramento, intelligenda venit sola materia prima. Idque confirmant : quia si nomine corporis, quod ponitur vi verborum in sacramento, significaretur non sola materia, sed aliquod compositum substantiale : fieret, quod ex tali composito, et anima rationali, quæ in sacramento ponitur per concomitantiam, non fieret unum per se : quippe talis anima adveniret enti in actu : consequens vero est absurdum, ut satis ex se liquet. Confirmant secundo : quia idem corpus Christi fuit in triduo, quod prius erat vivum : et si in triduo fieret consecratio, idem corpus poneretur in sacramento, quod modo ponitur : sed sola materia est communis corpori vivo, et mortuo ; siquidem per mortem fit resolutio usque ad materiam primam : ergo corpus, quod vi verborum ponitur in sacramento, importat formaliter solam materiam primam nudam ab omni forma, saltem substantiali.

Roboratur.

Dissolvuntur objecta.

Sed hæc non urgent : nam ad fundamentum respondetur, quod licet corpus soleat accipi pro sola materia ; nihilominus non minus communiter, et magis proprie accipitur pro composito physico ex materia, et forma, secundum gradum genericum corporeitatis : ratione cujus potest dici pars totius compositi metaphysici coalescentis ex gradu generico corporis, et alio gradu specifico, quicumque iste sit. Porro corpus debere sic accipi in præsenti materia, liquet ex supra dictis : quia debet esse corpus humanum, et habere rationem cibi, et distingui a sanguine: quæ minime salvari queunt in sola materia prima ; cum hæc indifferenter se habeat ad omnes rationes ejusmodi. Nec prodest recursus ad accidentia : tum quia hæc non afficiunt immediate materiam : tum quia nequeunt pertinere, nec ingredi terminum formalem consecrationis, ut supra expendimus. Prima confirmatio nihil valet : quia eadem est forma substantialis, quæ illud substantiale compositum constituit in esse corporis, et in esse talis corporis, ut infra magis declarabimus. Unde non sequitur, quod talis forma adveniat enti existenti in actu ; sed solum quod secundum gradum specificum supponatur virtualiter gradum genericum ; et similiter, quod talis forma secundum suum ultimum specificum gradum non ponatur in sacramento ex vi verborum, sed per solam concomitantiam, ut supra jam insinuavimus dub. 3, § 1. Non magis evincit secunda confirmatio : quia in triduo non mansit idem Christi corpus quantum ad gradum specificum, quippe quod non constabat ex eadem specifica forma ; sed mansit idem sola identitate materiæ, subsistentiæ, et existentiæ, et similiter identitate formæ quantum ad gradum corporis, qui semper fuit unum unitate formali negativa. Ex quo nec apparenter inferri potest corpus Christi, quod tunc poneretur, et nunc ponitur ex vi verborum, esse solam materiam primam cum, vel sine accidentibus, sed magis infertur oppositum.

56 Supponendum præterea est corpus Christi, quod ex vi verborum ponitur in sacramento, non esse compositum substantiale ex materia et forma, quatenus in recto dicit solam materiam connotando in obliquo substantialem formam communicantem gradum corporeitatis: sed esse prædictum compositum importando in recto unam, et alteram partem. Si docent communiter omnes Theologi infra referendi n. 59, et 62, et 66. Probatur primo ex D. Tho. quodlib. 11, art. 1 ad 2, ubi docet non esse quærendum de materia, et forma substantiali, in quid seorsim convertantur ; « sed dicendum, quod totus panis convertitur in totum corpus Christi : sicut homo generatur, et corrumpitur. » Ergo ex sententia S. Doctoris, sicut terminus, qui per se generatur, non est compositum importando solam materiam in recto, formam autem in obliquo ; sed homo importans in recto corpus ex utraque parte compositum : ita in præsenti dicendum est de termino conversionis. Et in eodem sensu in 4, dist. 11, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 3, statuit : « Transubstantiatur tota substantia panis et quantum ad materiam, « et quantum ad formam in ipsum corpus « Christi totum. » Probatur secundo ratione insinuata a D. Thoma in relatis tes-

Quarta suppositio.

D. Tho.

Idem.

timoniis : quoniam inter terminum a quo, et terminum *ad quem* transubstantiationis debet servari proportionata correspondentia : atqui terminus *a quo*, sive qui convertitur, non est sola materia in recto connotando formam in obliquo ; sed est totus panis, sive tota panis substantia quantum ad materiam, et formam : ergo pariter terminus *ad quem* transubstantiationis, sive in quem fit per se conversio, non est corpus Christi importando solam materiam in recto, et connotando formam in obliquo, prout communicat esse corporeum ; sed est corpus importando utramque partem in recto. Probatur tertio, quia conversio totalis, cujusmodi est transubstantiatio, debet habere terminum totalem, et per se subsistentem : hujusmodi autem non est materia in recto connotans formam in obliquo : ergo terminus hujus conversionis non consistit in sola materia, nec in composito, prout dicit in recto solam materiam, sed consistit in prædicto composito ut importat in recto materiam, et formam.

Contraria sententia. Contrariam nihilominus huic suppositioni sententiam docuerunt Soto in 4, dist. 11, quæst. 1, art. 1, Martinus de Ledesma q. 17, art. 1, dub. 4, Alanus lib. 1, cap. 34, Valencia quæst. 4, punct. 2, et alii. (Soto. Ledesm. Alanus. Valenc.) Præcipuum autem illorum fundamentum est : quoniam concreta supponunt pro materia connotando formam : ergo hoc concretum *corpus Christi* supponit pro materia connotando formam in obliquo, quatenus dat gradum corporeitatis : atque ideo terminus, qui per se ponitur in sacramento, erit prædictum corpus, sive compositum, quatenus materiam dicit in recto, et formam in obliquo. (Illorum motiva.) Confirmatur motivo huic, et præcedentibus sententiis communi : nam si corpus Christi, quod vi verborum ponitur in sacramento, importaret in recto formam substantialem ; sequeretur aliquam formam substantialem poni etiam in sacramento ex vi verborum. Quod autem id dici nequeat ostenditur : quia talis forma vel est forma corporeitatis, quæ salvatur eadem in corpore vivo, et mortuo ; et talis forma est impossibilis, ut docent communiter Thomistæ, et alii plures, constabitque ex dicendis § sequenti : vel est de facto anima rationalis, quæ sola de facto informat materiam pertinentem ad corpus Christi ; et sic inferretur animam rationalem constitui ex vi verborum in sacramento contra id, quod diximus dub. 3, § 1. Nulla itaque ratione dici valet, quod aliqua substantialis forma constituatur ex vi verborum in sacramento.

Hæc tamen non multum premunt : nam motivum, cui fundamentum nititur, procedit quidem in concretis accidentalibus, secus autem in substantialibus, ut est corpus Christi. (Convelluntur.) Cujus disparitatis ratio haud obscure assignatur : concretum namque substantiale est quoddam compositum ex materia, et forma sicut ex potentia, et actu ejusdem ordinis, ex quibus fit unum ens simpliciter, et per se. Cæterum concretum accidentale constat ex rebus diversi ordinis, nempe ex substantia sicut ex subjecto, et accidenti sicut forma : ex quibus nequit resultare unum ens simpliciter, sed quod sit præcise unum secundum quid. Ex qua radice provenit, quod concreta accidentalia, licet significent formam, supponant tamen pro subjecto : unde album supponit pro substantia, quamvis qualitatem significet : et domus licet pro formali sit accidens, constituitur nihilominus in genere substantiæ. At vero concreta substantialia utramque partem, nempe materiam, et formam in recto significant, et pro utraque parte supponunt. Et ideo corpus, de quo agimus, similiter significat, et supponit : quamvis enim comparative ad animam, ut anima est, comparetur per modum partis, et habeat rationem materiæ ; nihilominus in se est quoddam totum substantiale, et per se, constans scilicet materia, et forma ejusdem ordinis : quare utramque istam partem debet importare in recto. Ad confirmationem respondetur concedendo sequelam. Ad cujus improbationem dicendum est formam, quæ ex vi verborum constituitur in sacramento sub specie panis, esse illammet formam, quæ constituit corpus Christi conceptu proprio corporis humani, præscindendo tamen ab ulterioribus, et specificis differentiis vivi, aut mortui. Quæ autem sit ista forma, ex dicendis constabit. Sed quod reipsa detur, dubitari non debet, nec negari valet ab his Auctoribus : quippe manifestum est corpus humanum commune vivo, et mortuo non esse solam materiam primam, quæ cum de se sit pura potentia, nullam ex se determinationem habet ad certum aliquem gradum entis, sed illam mutuatur a forma substantiali sicut ab

ab actu, ut docent communiter Philosophi: atque ideo impossibile est, quod ratio corporis humani communis vivo, et mortuo non addat aliquam formam substantialem supra materiam.

Punctus difficultatis. 57. Ex dictis sequitur corpus Christi, quod ex vi verborum ponitur in sacramenta, importare essentialiter aliquam formam substantialem constituentem ipsum in tali corporis gradu. Sed discutiendum adhuc restat, quænam sit ista forma, ut difficultas confirmationis immediate proposita attingebat: nam si dixerimus esse animam rationalem, sequitur hanc de facto constitui ex vi verborum in sacramento: quod esse falsum constat ex dictis dub. 3, §. 1. Pro qua difficultate superanda aliqui recurrunt ad formam corporeitatis, quam dicunt materiæ coævam, et quam materia retinet, sive uniatur cum forma viventium, sive cum alia forma constituente compositum in ultimo gradu specifico. Hac enim via salvare sibi videntur, quod idem numero sit corpus Christi vivi, et mortui; et quod idem numero corpus unitate tam formæ, quam materiæ constituatur semper in sacramento ex vi verborum; aliaque salvant non levem afferentia difficultatem in hac materia, et aliis. Et profecto negare non possumus, quod si talis forma datur, facile superetur difficultas, quam præ manibus habemus. Sed pro veritatis declaratione sit

§ II.

Prima conclusio præambula.

58. Dicendum est primo corpus Christi, quod ex vi verborum ponitur in sacramento non constitui in esse corporis per formam corporeitatis materiæ coævam quæ ulterius alias determinetur per alias formas substantiales communicantes gradus specificos, v. g. per animam rationalem. Hæc conclusio est valde communis inter Theologos, et Philosophos, illamque tuentur omnes Auctores referendi num. 62, et 66. Sed quia rem continet pertinentem directe ad Philosophiam, non multis hoc loco suaderi debet, sed eis præcise, quæ pro qualitate materiæ illam evincunt. Probatur ergo primo: quia in composito substantiali non datur nisi una forma substantialis: sed de facto in corpore Christi datur substantialis forma animæ rationalis, ut fides docet: et hac de causa anima rationalis, ut anima est, ponitur de facto in sacramento per realem concomitantiam, ut vidimus dub. 3, § 1; ergo de facto non datur in corpore Christi illa forma corporeitatis distincta ab anima rationali: et consequenter corpus Christi, quod vi verborum constituitur in sacramento, non importat in esse termini hujusmodi, formam aliquam corporeitatis ab anima rationali diversam. Cætera constant. Et major suadetur: quia quælibet forma substantialis, licet specifica, ut in ultimo gradu, unita materiæ constituit corpus, sive compositum substantiale corporeum, et omnes gradus essentiales sub isto. Cum enim ex unione inter materiam, et quamlibet formam substantialem resultet aliqua substantia composita: et hujusmodi substantia composita nequeat esse substantia spiritualis; fit necessario talem substantiam ex ea unione resultantem esse determinate substantiam corpoream, sive corpus verum ex materia, et forma coalescens. Unde supervacaneum apparet pro tali effectu aliam formam substantialem introducere. Et consequenter in uno substantiali composito non datur nisi unica forma substantialis.

Fundamentum (margin: Funda- menrum)

Aliud. Probatur secundo manifestando amplius impossibilitatem prædictæ formæ: nam vel est completa in linea formæ, vel est incompleta? Si eligatur primum; sequitur talem formam constituere ens simpliciter in actu completo: unde ulterius fiet animam rationalem, et alias formas advenire enti completo, et existenti simpliciter in actu: quocirca non poterunt constituere unum ens simpliciter, sed comparabuntur tanquam formæ accidentales. Quod et falsum est, et quod ad animam rationalem spectat, est contra fidem; siquidem tollit ab anima esse veram formam hominis, et ab homine esse compositum ex corpore, et anima rationali. Si autem eligatur secundum; non minus perspicue infertur corpus, cum exuit animam rationalem, et alias formas specificas, esse ens incompletum. Unde fiet, quod sicut materia prima propter suam imperfectionem, et incompletionem, nequit saltem naturaliter esse in actu nuda ab omni forma; sic etiam constituta per illam formam corporeitatis nequeat saltem naturaliter existere: quippe quæ adhuc manet in esse incompleto, et

Fulcitur imperfecto. Confirmatur, et declaratur amplius: nam si forma corporeitatis est forma incompleta in linea formæ, et constituit subinde ens substantiale incompletum; sequitur, quod quando arbor absciditur, lignum sit ens incompletum: id vero apparet falsum, et contra evidentem experientiam. Quæ enim ratio persuadere potest lignum non esse ens completum, sicut sunt lapis, ferrum, et similia?

Sententia contraria. 59. Oppositam sententiam, nimirum in corpore Christi dari specialem formam corporeitatis, ingenerabilem, et incorruptibilem, ac subinde materiæ coævam, quæ exclusa anima per mortem, maneat in eadem materia, et constituat semper idem numero corpus: ac subinde corpus, quod ex vi verborum ponitur in sacramento, importare hujusmodi formam corporeitatis, non autem subinde rationalem, vel aliam specialem formam, tuentur Henricus quodlib. 4, q. 3, et quodlib. 12, q. 10, Scotus in 4, dist. 10, q. 4, et dist. 11, q. 3, et communiter omnes Scotistæ, quos refert, et sequitur Villalobos tom. 1, tract. 7, diffic. 21. Ad quorum opinionem proxime accedunt plures Juniores constituentes in viventibus formas substantiales partiales etereogeneas non viventes, quibus disponantur ad suscipiendum animam: hi namque etiam consequenter affirmant, quod ubi anima propter mortem separatur, manet idem corpus identitate prædictarum formarum partialium non viventium. Ita Coninckus, Præpositus, Tannerus, Amicus, Martinonus, Wigers, Dandinus, Arefius, Cabero, et Pasqualigus apud Pradum q. 76, dub. 2, n. 3. Id vero, in quo omnes relati conveniunt, nimirum corpus Christi, in quantum ex vi verborum ponitur sub sacramento, non importare vel animam rationalem, vel aliquam formam secundum gradum præcise corporeum: sed importare pro formali vel formam corporeitatis, vel aliam formam specialem, quæ supponatur ad animam, ita quod corpus Christi vivum, et mortuum maneat semper idem numero positive, non solum unitate materiæ, et suppositi, sed etiam unitate formæ, solet probari pluribus argumentis. Sed eorum aliqua probant magis directe prædictum corpus, secundum quod ex vi verborum ponitur in sacramento, non posse dicere animam rationalem secundum aliquem gradum: et ista congruentius dissolventur

Henric. Scotus. Villalob. Plures recentes.

§ 4. Alia autem probant prædictum corpus in præmissa termini formalis acceptione debere importare peculiarem formam substantialem distinctam realiter ab anima: et ista pertinent ad hunc locum: unde oportet referre, et diluere, quæ graviora censentur.

Argumentum. Arguitur ergo primo: quia idem numero corpus est corpus Christi, vivum, et mortuum; et similiter idem numero corpus Christi esset in hostia a Christo consecrata, si servaretur in triduo, et si nova eo triduo fieret consecratio: atqui ad salvandum identitatem compositi non sufficit identitas ex parte materiæ, sed requiritur etiam identitas ex parte formæ: tum quia compositum substantiale dicit in recto non solam materiam, sed etiam formam, ut statuimus num. 56, tum quia ex opposito fieret manere semper idem numero corpus post innumerabiles materiæ transmutationes, quod est falsum, et absurdum: ergo in corpore Christi vivo, et mortuo fuit eadem numero forma, quæ prædictum corpus in utroque statu idem numero constituit, ac retinuit: id vero minime salvari valet, nisi admittatur illa forma corporeitatis, vel alia ab anima rationali distincta, ut satis ex se liquet. Confirmatur primo: quia os, et caro, si solum in esse talium considerentur, manent eadem formaliter, ut ad sensum liquet: ergo in esse talium viva, et mortua constituuntur per eandem formam: hujusmodi autem non est anima, quæ morte excluditur: ergo datur in osse, et carne alia forma, qua in esse talium constituuntur. Confirmatur secundo: quia os, et caro, quantum ex eorum accidentibus, atque ipsa experientia (quæ est veræ Philosophiæ principium), deprehendi valet, distinguuntur substantialiter, et subinde constituuntur per diversas formas substantiales, saltem partiales: quippe anima causare nequit prædictam distinctionem; cum ipsa sit tota in toto corpore, et tota in omnibus ejus partibus: oportet igitur in corpore humano admittere aliquam substantialem formam ab anima rationali distinctam: et talis forma constituet corpus humanum idem numero, sive sit vivum, sive mortuum, ut melius ita salvetur manere semper eundem numero terminum formalem consecrationis.

Confirmatio. Alia.

Diruitur argumentum 60. Ad argumentum respondetur vel negando majorem, vel illam distinguendo ad hunc

hunc sensum, quod corpus Christi vivum, et mortuum est idem numero corpus quantum ad identitatem materiæ, subsistentiæ, et existentiæ, et quantum ad identitatem formalem formæ in communicando gradum corporis : sed non est idem numero corpus quantum ad identitatem materialem formæ. Quæ sufficiunt, ut prædictum corpus sit unum numero absolute, non tamen simpliciter, sive omnibus modis. Quia ad primum sufficit, quod perseveret eadem numero materia prima; et quod habeat eandem verbi subsistentiam, et existentiam quas prius habebat ; et similiter quod omnes formæ conveniant formaliter in constituendo corporis gradum. Sed ad secundum requirebatur, quod eadem numero materialiter forma substantialis persisteret : id vero non ita contingit : quia exclusa forma viva succedit forma cadaverica in eadem materia. Et juxta doctrinam prædictæ distinctionis neganda est minor : quoniam ad salvandum non majorem corporis unitatem numericam, quam assignatam, non requiritur, quod forma corpus constituens sit eadem numero materialiter. Nec amplius evincunt insertæ minori probationes: nam ad primam concedimus compositum substantiale dicere in recto non solam materiam, sed etiam formam : et quia hæc esset materialiter diversa numero, propterea tale compositum non esset idem numero simpliciter, sive omnibus modis : foret tamen idem absolute, quia haberet eandem numero materiam, atque easdem numero subsistentiam, et existentiam, ac denique eundem formaliter corporis gradum. Ad secundam probationem negamus sequelam : quia ubi omnes illæ transmutationes succedunt, variatur suppositum in corpore subsistens; et ideo non manet idem numero corpus in sensu præmisso : cujus oppositum contigit in Christo propter identitatem subsistentiæ, et existentiæ.

Occurritur confirmationibus. Ad primam confirmationem respondemus magis evincere oppositum : quia licet caro (et idem est de osse, et aliis partibus), viva, et mortua videatur eadem caro propter similitudinem specificam plurium accidentium ; nihilominus differunt essentialiter: quia caro viva constituitur per unam formam, et caro mortua per aliam ; idque magis evincit sensibilis experientia in pluribus accidentibus, cum caro viva consistat, mortua vero putrescat, et facile convertatur in vermes. Quam doctrinam evidenter tradidit Aristoteles lib. 1, *de generat. animal.* cap. 2, affirmans, quod caro, et facies æquivoce dicuntur de viva, et mortua. Id vero falsum esset, si caro viva et mortua foret eadem simpliciter caro, et idem simpliciter individuum. Unde liquet contrariam Adversariorum doctrinam non solum nobis repugnare, sed et Philosopho. Et hinc satis constat ad secundam confirmationem, quin opus sit alia addere. Observandum tamen est, quod vel concessa substantiali distinctione inter os, carnem, et alias partes diversæ rationis, talis distinctio non est actualis in genere substantiæ, sed solum potentialis. Et pro omnibus illis effectibus sufficit una forma substantialis eminens, qualis in perfecte viventibus reperitur : hæc namque sicut communicat omnes gradus essentiales a primo usque ad ultimum, sic etiam communicare valet illam partialem, et potentialem diversitatem, quæ in partibus animalium, vel aliorum viventium reperitur. Recolantur, quæ diximus disp. præced. a num. 49, et videantur, quæ N. Complutenses abbrev. in lib. *de generat.* disput. 5, quæst. 1, optime tradunt.

Aristot.

N Comp.

61. Arguitur secundo : quia si in corpore Christi mortuo (idem intellige de aliis), non maneret eadem numero forma, quæ prius illud numero corpus constituebat ; sequeretur in prædicto corpore mortuo dari aliam formam substantialem, quam vulgo appellamus cadavericam : impossibile enim est dari verum corpus substantiale in actu absque aliqua substantiali forma ipsum constituente : consequens autem est falsum: ergo et antecedens. Cætera constant. Et minor ostenditur : tum quia non est assignabilis aliqua causa, quæ introducat formam illam cadavericam, ut patet cum homo jugulatur, aut fame perit. Tum etiam quia si in cadavere admittitur nova forma substantialis, quæ formæ viventi succedat : pariter in embrione debet admitti forma nova substantialis, quæ disponat ad animam, et quæ anima adveniente expellatur: quod tamen apparet falsum. Tum præterea, quia si forma in vivente præexistens destruitur per mortem, et alia forma cadaverica inducitur, plane sequitur corpus Christi per mortem corruptum fuisse : quod tamen repugnat Scripturæ dicenti Actor. 2 : *Neque caro ejus vidit corruptionem.*

Secundum argumentum.

Duplex confirmatio. Confirmatur primo : quia ex prædicta doctrina sequitur, quod Verbum in triduo mortis assumpserit quamdam naturam substantialem completam distinctam ab humanitate, videlicet naturam cadavericam compositam ex materia, et forma cadaveris. Unde ulterius fit ipsum in resurrectione Christi deposuisse naturam completam prius assumptam. Quod tamen contradicit vulgari apud Theologos proloquio, *Quod semel assumpsit, numquam dimisit.* Confirmatur secundo : nam quia Verbum assumpsit naturam humanam, ideo per communicationem idiomatum prædicantur de Verbo, sive supposito divino illa, quæ sunt hominis propria ; et similiter de illo homine dicuntur, quæ sunt propria Verbi: ergo si assumpsit in triduo naturam cadaveris, verificabuntur similes prædicationes per communicationem idiomatum : et sic vere diceretur, Cadaver est filius Dei, cadaver condidit mundum, cadaver redemit nos, cadaver datum fuit Apostolis in cœna, et similia. Quæ tamen proferre apparet omnino absurdum.

Satisfit argumento. Respondetur ad argumentum concedendo sequelam, et negando minorem : nihil enim absurdi, sed magis veram Philosophiam redolet, quod in corpore mortuo sit specialis forma substantialis, quam cadavericam appellamus. Nam in corpore vivo non erant duæ, aut plures formæ substantiales, ut ostendimus num. 58, nec in corpore mortuo manet materia prima nuda ab omni substantiali forma, et cum solis accidentibus sibi inhærentibus immediate ; id namque repugnat, ut modo ex Philosophia supponimus. Unde consequens est, quod discedente anima succedat alia forma, quæ materiam in suo esse conservet utque ad generationem perfectioris formæ: et illa est, quæ communiter dicitur forma cadaveris. Ad primam autem sequelæ improbationem respondemus, quod sicut in morte semper datur aliqua causa, quæ excludat formam viventem, et corrumpat compositum præexistens ; sic etiam semper datur causa, quæ educat formam cadaveris, et generet novum illud compositum ; sicut enim generaliter verum est generationem unius esse corruptionem alterius, et e converso ; sic etiam est, quod ubi datur causa corrumpens, sive excludens formam, detur etiam causa generans, sive formam inducens. Ubi autem non possumus assignare causam particularem, et univocam, ad quam reducatur generatio novi compositi ; merito, ac rationabiliter recurrimus ad causas universales, æquivocas, ut sunt cœli, et substantiæ separatæ Et sic contingit in nova generatione cadaveris : sicut enim ad causas universales pertinet providere, ne materia prima pereat ; sic etiam et illi communicare formam, quæ ipsam in suo esse contineat. Et pro hoc munere servit forma cadaveris, vicaria scilicet perfectiorum formarum, ubi istæ absunt, vel quousque generentur. Ad secundam admittimus in generatione animalium saltem perfectorum præcedere formam substantialem embrionis, quæ per animam succedentem expellatur. Nec voluntarie introducitur, sed cum magna necessitate, et ratione, nempe ut contineat materiam in esse, quandiu opus habuerit, ut ad formam perfectiorem congrue disponatur : ea vero adveniente destruitur. Nam ut inquit D. Thom. 1 part. quæst. 118, art. 2 ad 2 : « Cum generatio unius semper sit corruptio alterius; « necesse est dicere, quod tam in homine, « quam in animalibus aliis, quando perfe- « ctior forma advenit, fit corruptio prio- « ris. » Et hinc ad ultimam probationem dicendum est nullum esse inconveniens concedere, quod corpus Christi fuerit in morte substantialiter corruptum per separationem animæ a materia prima : quin potius tam necessarium est id dicere, quam fide catholica confiteri Christum vere mortuum fuisse. Corpus autem hominis mortuum est hominis cadaver. Testimonium vero quod in contrarium allegatur, non est ad rem ; quia non negat corruptionem substantialem, sive realem separationem inter partes humanitatis ; sed solum negat corruptionem, quæ sit putrefactio, sive resolutio corporis usque ad elementa, ut recte exponit Div. Thom. supra quæst. 51, art. 3, quæ posterior corruptio non contigit corpori Christi, nec ipsum decuit. D. Tho

Ad primam confirmationem concedimus Verbum in triduo mortis Christi habuisse sibi unitam naturum cadaveris, sive corpus Christi mortuum, ut docet communis Theologorum sententia, cui subscripsimus tractatu 21, disp. 9, num. 3, ex hoc principio, atque exemplo colligentes non repugnare, quod Deus sibi hypostatice uniat quamlibet naturam completam, non rationalem. Et hinc ulterius concedendum consequeuter Evertuntur confirmationes.

sequenter est, quod quando Christus resurrexit propter unionem materiæ, et animæ in eadem humanitate, deposuit tam formam cadaveris, quam naturam cadavericam. Nec oppositum probat vulgare illud proloquium : nam intelligitur de assumptis per se, sive ex primaria intentione, ut fuerunt partes hominis : sed non debet verificari de assumptis per accidens, et ob finem præcise conservandi materiam in esse ob absentiam nobilioris formæ : quo pacto se habent natura, et forma cadaveris ubi anima rationalis separatur: comparatur enim tanquam ejus vicaria in ordine ad continendum materiam. Quare adveniente anima per ressurrectionem, evanescere debuerunt. Ad secundam confirmationem respondemus admittendo sequelam quantum ad rem ipsam : nulla enim est implicatio in eo, quod cadaver sit hypostatice, sive in identitate suppositi Deus, et alia, quæ in hac confirmatione expenduntur : sicut nec est implicatio in eo, quod in eodem sensu esset lapis, leo etc. assumendo scilicet horum naturas. Sed ubi descenderetur ad peculiares aliquas denominationes, quæ generarent in simplicibus scandalum ; ab eis abstinere oporteret, ut monuimus loco cit. num. 30 et 36. Et propterea diximus admittere nos sequelam quantum ad rem ipsam ; quidquid fuerit de prudenti denominationum usu, et applicatione.

§ III.

Proponitur resolutio directe dubio respondens.

62. Dicendum est secundo corpus, quod ex vi verborum ponitur in sacramento, importare corpus Christi, quatenus est compositum substantiale, et individuum genericum corporis, constituens rationem corporis humani communis viventi, et non viventi : et consequenter prædictum corpus in esse termini per se consecrationis importare formaliter aliquam formam (sive sit anima rationalis, sive sit forma cadaverica), quatenus communicat talem gradum corporis : atque ideo formam hujusmodi (sive anima, sive alia forma sit) ut prædictum gradum communicat, constitui ex vi verborum in sacramento ; consideratam vero secundum alias ultimiores, et specificas rationes solum constitui per realem concomitantiam juxta doctrinam supra traditam dub. 3, § 1. Hanc assertionem cum omnibus suis modificationibus satis expressit D. Thomas tum aliis locis, tum præsertim in quæst. præced. art. 6 ad 2, ibi ait : « Dicendum, quod anima « est forma corporis dans ei totum ordi- « nem esse perfecti, scilicet esse, et esse « corporeum, et esse animatum, et sic de « aliis. Convertitur igitur forma panis in « formam corporis Christi, secundum « quod dat esse corporeum, non au- « tem secundum quod dat esse anima- « tum tali anima. » Unde sic frequentius docent Thomistæ, Cajetanus ad locum immediate relatum, Capreolus in 4, dist. 10, quæst. 2, art. 3, Ferrara lib. 4, *contra gentes*, cap. 64, Arauxo in præs. art. 2, dub. 1, N. Cornejo disp. 2, dub. 2, Nugnus art. 1, difficult. 1, concl. 4, Serra art. 1, conct. 2, § *Si quæras*, Prado dub. 2, concl. 4, Gonet disp. 5, art. 1, concl. 1, et alii. Idem etiam amplectuntur Durandus in 4, dist. 10, quæst. 2, Carthusianus distinct. 11, quæst. 1, Suarez disp. 51, sect. 4, Granados tract. 4, disp. 4, sect. 2, Bernal disp. 36, sect. 2, § 5 et alii plures.

Assertio D. Tho.

Cajet. Caprcol. Ferrara. Arauxo. N. Corn. Nugnus. Serra. Prado. Gonet. Durand. Carthus. Suarez. Granad. Bernal.

Probatur primo urgenti fundamento, quod desumitur ex hactenus dictis : quoniam nomine corporis Christi, quod vi verborum ponitur sub specie panis, non potest intelligi corpus de genere quantitatis, vel sola quantitas corporis Christi, ut ostendimus num. 53. Nec potest intelligi sola materia prima vel sine accidentibus, vel cum illis, ut contra Gabrielem, et alios ostendimus numero 54. Nec potest intelligi compositum substantiale, quatenus importat solam materiam in recto, et formam in obliquo, aut de connotato, ut contra Sotum, et quosdam alios ostendimus nu. 56. Restat igitur, quod nomine talis corporis intelligatur compositum substantiale, quatenus importat formaliter, et in recto tam materiam, quam formam. Sed non potest intelligi compositum, ut importat formam corporeitatis, materiæ coævam, et corpori tam vivo, quam non vivo communem : eo quod in uno composito non datur nisi unica forma substantialis illud constituens in specie infima, ut contra Scotum, et alios ostendimus a num. 58. Ergo nomine prædicti corporis intelligitur compositum substantiale cum forma substantiali, quam habet : ita quod talis forma constituatur in

Fundamentum.

specie panis ex vi verborum considerata secundum aliquem gradum, vel rationem. Atqui talis forma nequit esse anima secundum rationes magis inferiores, secundum quas constituit vivum, animatum, et rationale, siquidem in triduo poneretur vi verborum corpus Christi, quod tunc non esset vivum animatum, ut rationale : et ob eandem rationem talis forma nequit esse forma cadaverica secundum suam peculiarem, et specificam rationem, qua constituit corpus mortuum ; siquidem nunc ex vi verborum ponitur corpus Christi, quod tamen nunc non est mortuum. Restat igitur corpus Christi, quod vi verborum ponitur sub specie panis, importare per se, et formaliter quoddam compositum substantiale ex materia prima, et ex forma substantiali illam actuante, non quidem quatenus talis forma (sive sit anima, sive alia) constituit prædictum corpus in gradu aliquo inferiori corporis vivi, aut mortui; sed quatenus constituit ipsum in ratione corporis humani communis corpori vivo, et corpori mortuo, et ab utraque particulari ratione præscindentis. Est itaque terminus formalis consecrationis panis, et qui vi verborum sub panis specie constituitur, compositum substantiale ex materia prima, et forma substantiali, non secundum omnes gradus acceptum, sed quatenus explicat esse hoc individuum genericum, nempe *hoc corpus humanum* abstrahens a vivo et mortuo : quod proinde compositum importat formam actuantem materiam, non quidem quatenus explicat alias rationes magis speciales, sed quatenus præcise constituit hoc corpus humanum abstrahendo a vivo, et mortuo.

Confirmatio. Confirmatur : quia ille dicendi modus in hac materia præferri debet, juxta quem, facilius conciliantur, quæ in illa ingerunt difficultatem, ut inter se cohæreant : oportet enim, quod verum vero consonet : sic autem se habet ille dicendi modus, quem in assertione proposuimus ; ergo cæteris præferri debet, ac legitimus reputari. Minor probatur : nam præcipua præsentis dubii difficultas sita in eo est, quod ex una parte verificari debet corpus Christi constitui ex vi verborum sub specie panis, ut docet Concilium Tridentinum sess. 13, cap. 3, et statuimus dub. 2; ex alia autem parte verificari debet animam Christi non constitui ex vi verborum in prædicta specie, sed solum propter naturalem connexionem, quam de facto cum corpore Christi habet, ut eodem loco docet Concilium, et ostendimus dub. 3, § 1. Quæ duo minime conciliari posse videntur : nam corpus nec est corpus, nec ut corpus potest ex vi verborum poni in sacramento, nisi per aliquam formam in se constituatur, illamque secum ex vi verborum deferat ad sacramentum : de facto autem nullam aliam formam substantialem habet, nisi unam, et unicam animam rationalem : ergo si corpus Christi ponitur ex vi verborum in sacramento ; sequitur, quod etiam anima Christi ex vi verborum in sacramento constituatur : aut e converso si anima non ponitur ex vi verborum in sacramento ; sequitur quod nec corpus Christi ex vi verborum in sacramento sit. Et in hoc vertitur totius difficultatis cardo. Sed illa haud obscure superatur juxta nostram assertionem : nam terminus formalis transsubstantiationis, et qui ex vi verborum ponitur sub specie panis, est quidem corpus Christi, non tamen ut determinate animatum, vel determinate ut mortuum, sed ut corpus humanum, quod per modum individui generici est commune corpori humano vivo, et corpori humano mortuo. Unde quantum ad alios gradus magis determinatos, et inferiores non ponitur per se, sed per realem concomitantiam, quam prædicti gradus habent de facto inter se. Et hæc ipsa doctrina applicatur formæ substantiali prædicti corporis : nam quatenus constituit ipsum in ratione corporis humani communis vivo, et mortuo, ponitur ex vi verborum sicut ipsum corpus : sed quantum ad alios gradus magis inferiores, et determinatos ponitur propter concomitantiam realem cum gradu corporis. Et quia de facto talis forma est anima rationalis, propterea ponitur ex vi verborum, in quantum constituit corpus in gradu corporis humani communis vivo, et mortuo : sed in quantum anima, et quantenus constituit corpus vivum, ponitur per realem concomitantiam. Ac rursus quia forma talis corporis in triduo mortis Christi esset forma cadaverica ; idem proportionabiliter de illa dicendum est, nimirum quod in quantum constitueret illud corpus in ratione corporis humani communis vivo, et mortuo, poneretur ex vi verborum in sacramento ; sed quatenus forma determinate cadaverica

cadaverica, et constituens illud corpus in esse cadaveris, non constitueretur ex vi verborum, sed per realem concomitantiam. Et sic omnia consonant, atque inter se cohærent.

Objectio Vazquex 63. Nec refert, si dicas cum Gabriele Vazquez disp. 186, cap. 3, hæc melius conciliari dicendo terminum, qui per se, aut ex vi verborum ponitur sub specie panis, esse compositum substantiale ex materia prima, et forma : non quidem secundum aliquem gradum communem corpori vivo, et mortuo; sed disjunctim ex corpore vivo, aut mortuo. Nam ita salvatur, quod ad veritatem illorum verborum, *Hoc est corpus meum*, non requiratur determinate anima rationalis, nec determinate forma cadaverica; sed una, vel altera, secundum quod in corpore reperitur. Atque ideo, quod de facto anima ponatur in sacramento, non provenit ex sola significatione verborum, sed ex eo, quod corpus Christi supponitur esse animatum in cœlo. Et idem proportionabiliter contingeret in forma cadaverica, quæ in triduo mortis Christi constitueretur in sacramento.

Retunditur. Hoc, inquam, nihil refert : quia vel nihil de re addit supra nostram, et magis communem assertionem, sed dubium revocat ad voces : vel id,quod addit,est prorsus falsum. Si enim terminus per se consecrationis, constituendus ex vi verborum sub specie panis, est corpus Christi, non quidem secundum rationem communem, et abstrahentem a corpore vivo, et mortuo; sed disjunctim acceptum, nempe vel vivum, vel mortuum, prout reperitur ni re : sequitur, quod anima rationalis ponatur de facto ex vi verborum sub tali specie. Id vero est contra doctrinam Concilii loco citato, et a nobis rejectum dub. 3, § 1, suffragante communi Theologorum voto. Sequela ostenditur : quoniam licet, ut discurrit Vasquez, verba consecrationis de se non magis determinent corpus Christi vivum, quam mortuum ; nihilominus ad sui veritatem postulant, ut de facto sub specie panis ponatur illud, quod de facto est corpus Christi, sive fuerit vivum, sive fuerit mortuum : sed de facto corpus Christi est vivum, et animatum per animam rationalem : ergo sequitur, quod juxta veritatem verborum,sive ex vi verborum ponatur de facto sub specie panis anima rationalis. Et idem contingeret in forma cadaverica, si in triduo mortis Christi fieret consecratio. Ergo minime dici debet quod terminus formalis consecrationis est corpus Christi disjunctim acceptum, sive sit vivum, sive sit mortuum ; sed quod sit corpus Christi secundum communem rationem corporis humani abstrahentis a vivo, et mortuo. Sic enim semper salvatur unitas ejusdem termini formalis, et vitatur, quod anima ut anima constituatur in sacramento ex vi verborum. Videatur Arauxo loco citato num. 8, ubi fusius hanc Vazquii sententiam refellit.

64. Probatur secundo alia ratione : quoniam corpus Christi secundum illam rationem constituitur ex vi verborum sub specie panis, secundum quam expresse, et formaliter significatur per talia verba, et secundum quam hujusmodi verba verificantur, ut satis constat ex communi regula proposita dub. 1. Sed verba consecrationis, nempe *Hoc est corpus meum* expresse, et formaliter significant corpus Christi, secundum quod est individuum genericum corporis communis vivo, et mortuo, idque ad illorum veritatem sufficit. Ergo corpus Christi constituitur ex vi verborum sub sacramento secundum quod est individuum genericum corporis humani communis vivo, et mortuo : atque ideo et anima rationalis constituitur prædicto modo sub sacramento, in quantum præstat tali corpori prædictum gradum ; quamvis secundum gradus inferiores, et peculiarem suam differentiam constituatur In sacramento per solam concomitantiam. Cætera constant. Et minor suadetur exemplo : nam cum dicimus *hoc animal*, formaliter, et expresse juxta proprietatem verborum significamus individuum genericum animalis secundum gradum genericum animalis, et non secundum gradum specificum : quamvis talis gradus genericus animalis, nunquam in re, et de facto inveniatur, nisi conjunctus alicui gradui specifico talis generis, utputa hominis, leonis etc. Ergo pariter cum Christus dixit, *Hoc est corpus meum*, ly *corpus* significavit formaliter individuum corporis humani communis vivo, et mortuo, et per utramque rationem contrahibilis : licet tale individuum semper de facto, et in re reperiatur conjunctum alteri rationi magis determinatæ corporis humani vivi, vel mortui. Aliud pro assertione motivum

Confirmatur, et declaratur amplius Fulcitur

occurrendo simul tacitæ objectioni, et excludendo falsam quandam intelligentiam : quoniam corpus Christi, quod ex vi verborum ponitur in sacramento, non est corpus commune Christo, et aliis hominibus : sed est proprium, et singulare corpus Christi distinctum ab aliis individuis genericis corporis humani : hoc enim necesarium est ad salvandum veritatem, et proprietatem illius verbi *meum*, qnod includit significationem Christi loquentis, in cujus nomine, ac virtute verba consecrationis proferuntur, et operantur. Ad hujusmodi autem determinationem, sive ut illud corpus significatum sit corpus Christi concurrunt unitas materiæ, subsistentiæ, et existentiæ, et simul ratio individui generici corporis humani communis corpori Christi vivo, et mortuo : quibus concurrentibus vere, et proprie salvatur, quod illud corpus sit corpus Christi abstrahens a vivo, et mortuo. Sed tamen sicut corpus Christi non determinat, quod sit vivum, aut quod sit mortuum : ita non determinat, quod forma, per quam esse talis corporis, et termini consecrationis constituitur, sit anima rationalis, vel sit forma cadaverica : sed determinat formaliter, quod forma, qua constituitur, communicet gradum corporis humani communis vivo, et mortuo. Quamvis igitur in re semper ponatur corpus Christi vivum, vel mortuum, prout tempore consecrationis in re invenitur : et ideo nunc ponitur vivum, quia est vivum; et in triduo poneretur mortuum, quia esset tunc mortuum : tamen istæ differentiæ sunt accidentales respectu termini formalis, et per se consecrationis, quatenus per verba significatur : et ideo tam isti gradus inferiores, quam formæ substantiales prout illos communicantes non ponuntur in sacramento ex vi verborum; sed per solam realem concomitantiam.

Corollarium observandum. 65. Ex dictis facile colligitur, quid importet formaliter sanguis, quatenus ex vi verborum constituitur sub vini specie, quin opus sit aliud dubium ad id statuendum aperire : nam eadem proportionabiliter in illo, ac in corpore ratio quantum ad præsentem considerationem occurrit. Et quidem aliquem Christi sanguinem constitui ex vi verborum sub specie vini jam supra ostendimus dub. 2, a num. 9. Ex ibidem autem dictis supponimus nullum Christi sanguinem nutrimentalem constitui in hoc sacramento : sed poni præcise, et utique vi verborum sanguinem naturalem : quia de facto solum sanguis naturalis, non autem nutrimentalis in Christo existit, ut ex professo ostendimus locis ibidem relatis. Porro sanguis naturalis informatur, et constituitur per eandem formam substantialem, qua totum Christi corpus, et humanitas, videlicet per animam rationalem : est enim talis sanguis vera pars humanæ naturæ. Unde prædictus sanguis in Christo vivit per eandem formam : et in Christo mortuo fuit sanguis mortuus, et constitutus per formam cadavericam. Sicut igitur terminus formalis consecrationis panis est corpus Christi secundum gradum corporis humani communis vivo, et mortuo; atque ideo complectitur formam existentem in Christo, non quidem secundum quod communicat gradus inferiores corporis vivi, aut corporis mortui ; sed secundum quod communicat prædictum gradum communem corporis humani abstrahentis a vivo, et mortuo: sic etiam de termino formali consecrationis vini omnino dicendum est, ut similitudinis ratio satis evincit, absque exigentia distinctorum motivorum. Sanguis igitur, qui vi verborum constituitur sub specie vini, est individuum genericum sanguinis humani communis sanguini vivo, et mortuo : et importat formam substantialem, quatenus prædictum gradum communicat. Et quia semper de facto talis gradus invenitur conjunctus aliis gradibus inferioribus sanguinis vivi, vel mortui, quos communicant anima, et forma cadaverica ; propterea tam aliquis gradus inferior, quam forma aliqua ut talem gradum communicans, constituuntur in vini specie per realem concomitantiam. Unde quia de facto sanguis Christi constituitur per animam rationalem, tam secundum gradum communem sanguinis humani, quam secundum gradum particularem sanguinis vivi; anima rationalis constituitur in specie vivi secundum utrumque gradum : sed aliter, et aliter : nam secundum quod communicat gradum communem sanguinis, ponitur ex vi verborum : ut autem communicat gradum inferiorem sanguinis vivi, constituitur per realem concomitantiam. Et idem proportionabiliter dicendum est de forma cadaverica, si in triduo mortis Christi fieret sanguinis consecratio, ut quivis

quivis facile deducere potest. Procedunt autem hæ resolutiones suppositis principiis, quæ locis relatis firmavimus. Qui autem diversa tenuerint, aliter forsan resolvent : sed id nostra minime refert, qui ad propria attendimus, et doctrinarum insistimus consequentia.

§ IV.

Respondetur argumentis adversantium opinionum.

Patroni. 66. Plures sunt, qui secundæ, et principali nostrarum assertionum repugnant, Gabriel, Major, Marsilius, Ægidius, Aversa, et alii relati num. 55, qui asserunt corpus Christi, quod ex vi verborum ponitur in sacramento, importare solam materiam primam : Soto, Martinus de Ledesma, Alanus, Valentia et alii relati num. 56, qui asserunt prædictum corpus esse compositum substantiale, quatenus in recto dicit solam materiam primam, et in obliquo formam : Henricus, Scotus, Villalobos, Eoninckus, Præpositus, Tannerus, Amicus, Martinonus, Wigers, Dandinus, Aresius, Pasqualigus, et alii relati num. 59, qui affirmant prædictum corpus importare in recto formam aliquam realiter distinctam ab anima rationali, et a forma cadaverica: denique Vazquez relatus num. 63, quantum ad modum explicandi assertionem nostram. Motiva autem principaliora, quibus singulæ prædictarum opinionum solent positive suaderi, jam supra relata, et diluta sunt. Sed remanent alia, quibus nostram assertionem oppugnant (in quo omnes conveniunt), et his nunc satisfacere oportet.

Primum argumentum. Arguitur primo ; nam id, quod terminat actionem, sive conversionem realem, debet esse aliquid reale ut reale : sed anima secundum quod dat esse corporeum ut distinctum ab esse animatum, non est aliquid reale ut reale : siquidem distinctio inter prædictos gradus solum est rationis : ergo anima ut dat esse corporeum distinctum ab esse animatum, non terminat actionem convertentem panem in corpus Christi : et consequenter terminus talis conversionis non est corpus Christi ut constitutum per animam quantum ad gradum corporis, et præscindendo a gradibus inferioribus.

Confirmatur : nam quod ponitur per concomitantiam, debet realiter distingui ab eo, quod ponitur per se, aut ex vi verborum; siquidem concomitantia non importat identitatem, sed unionem unius extremi cum alio : atqui anima ut dat esse corporeum, non distinguitur realiter a se ipsa, quatenus dat esse animatum : ergo cum anima ut dat esse animatum constituatur in sacramento per solam concomitantiam juxta superius tradita dub. 3, § 1, sequitur animam, ut dat esse corporeum, non constitui ex vi verborum in hoc sacramento : unde ulterius sequitur corpus Christi non poni ex vi verborum, quatenus importat esse corporeum per animam. Confirmatio.

Ad argumentum respondetur negando minorem : quia licet distinctio inter gradum corporis, et gradum animæ sit solum virtualis, aut rationis cum fundamento in re; nihilominus extrema talis distinctionis, videlicet unus, et alter gradus sunt aliquid reale : sicut distinctio inter attributa divina est præcise virtualis, aut rationis; et tamen ipsa attributa quid reale sunt, ut optime observavit D. Thom. q. 8, *de potentia*, art. 1 ad 7, et art. 2 ad 4. Unde optime fieri valet, quod anima secundum gradum corporis terminet conversionem realem panis in corpus Christi. Hinc ad confirmationem neganda est major : quia ut aliquid ponatur formaliter ex vi verborum, et aliquid ponatur per concomitantiam, non requiritur distinctio realis inter ea, sed sufficit distinctio virtualis, et quoad munera, ut patet in processione Spiritus Sancti, cui per se, et ex vi processionis communicatur amor; concomitanter autem communicatur natura divina; licet natura, et amor in Deo solum virtualiter distinguantur. Recolantur supra dicta n. 15, ubi eidem difficultati satisfecimus. Diluuntur.

67. Arguitur secundo: quia Christus media anima rationali concurrit physice ad producendum ex pane corpus, quod ponitur vi verborum : ergo anima rationalis secundum nullam rationem, et gradum potest importari in corpore, quod ex vi verborum ponitur in sacramento. Probatur consequentia : quia inter formam principii producentis, et formam termini producti requiritur realis distinctio : quippe nihil se ipsum secundum eandem rationem producere valet : ergo si anima rationalis se tenet ex parte corporis Christi ut efficien- Secundum argumentum.

tis conversionem, nequit se tenere ex parte corporis Christi, ut est conversionis terminus.

Solvitur. Respondetur argumentum diluendum esse ab opponentibus : nam per quamcumque formam substantialem Christus constituatur in esse principii efficientis conversionem, talis forma ponitur, et producitur in termino, sive id fiat per se, sive per concomitantiam realem : unde sequitur, quod Christus secundum eandem formam efficiat, et terminet conversionem. Et plane ipsum argumentum supponit animam rationalem constituere Christum in esse principii ; et aliunde negare non potest animam rationalem terminare de facto conversionem saltem per concomitantiam ; siquidem de fide est animam rationalem existere in sacramento : ubi eadem difficultas occurrit. Denique totus Christus est causa efficiens conversionis; et tamen totus Christus est terminus conversionis, siquidem totus per conversionem est præsens in sacramento : ubi non minor identitas occurrit, quam inter animam Christi in esse principii, et termini. Nos respondemus concesso antecedenti negando consequentiam. Ad cujus probationem dicendum est, quod licet idem entitative sit principium, et terminus conversionis, nihilominus inter principium, et terminum datur distinctio realis modalis, quæ sufficit, ut principium possit realiter influere in se ipsum ut habet rationem termini, sicut contingit in augmento viventium, et expluicuimus disp. 5, dub. 3, ubi ex professo objectam difficultatem diluimus.

Tertium argumentum. 68. Arguitur tertio: quia hoc numero corpus in particulari constituitur per hanc numero formam in particulari : sed ex vi verborum ponitur in sacramento non corpus in communi, sed corpus hoc in particulari : ergo vi verborum debet in sacramento constitui forma aliqua in particulari : ergo si anima rationalis secundum aliquem sui gradum ponitur ex vi verborum in hoc sacramento, sequitur, quod constituatur secundum suam particularem rationem, sive conceptum animæ rationalis : id tamen nulla ratione concedi potest.

Confirmatio 1. Confirmatur primo : nam si semel dicimus animam rationalem secundum aliquem sui gradum constitui in hoc sacramento ex vi verborum, et secundum alium gradum constitui per solam concomitantiam, pari licentia dicere poterimus sanguinem Christi, qui per concomitantiam constituitur sub specie panis, ut docet Concil. Trident. sess. 13, cap. 3, constitui in eadem specie ex vi verborum secundum aliquam sui rationem, utputa in quantum est pars corporis humani : id vero absurdum est, et contra mentem Concilii : ergo pariter absurdum est animam, quæ (docente Concilio in eo loco) constituitur in sacramento per concomitantiam, esse in eodem sacramento ex vi verborum quantum ad aliquem gradum, quem corpori Christi communicet.

Confirmatio 2. Confirmatur secundo : nam ideo, licet anima rationalis de facto constituatur in sacramento secundum aliquem sui gradum ex vi verborum, diceretur absolute non constitui in sacramento ex vi verborum, sed per realem concomitantiam ; quia anima ut anima non requiritur in omni eventu ad veritatem verborum consecrationis, ut plane contingeret in triduo mortis Christi : sed hæc ratio est nulla : ergo si semel anima secundum aliquem sui gradum constituitur ex vi verborum in sacramento, sequitur animam ut animam constitui absolute in sacramento ex vi verborum. Minor probatur ; quia nec ad salvandum veritatem verborum in omni casu requiritur hæc materia determinate: quippe si partes materiæ paulatim deperderentur, et aliæ acquirerentur, non requirerentur deperditæ ad verborum veritatem : et nihilominus de facto constituitur in sacramento hæc materia ex vi verborum, quia de facto hæc materia reperitur in Christo: ergo licet anima rationalis non requiratur in omni eventu ad veritatem verborum consecrationis ; nihilominus si secundum aliquem sui gradum ponitur in sacramento ex vi verborum, sequitur hanc animam ut talem constitui de facto ex vi verborum in sacramento : quippe de facto hæc anima, et non alia forma reperitur in corpore Christi. Ista, et alia similia non majoris ponderis contra assertionem nostram opponit Lugo disp 8, sect. 4. Lugo.

Resp. ad argumento. Ad argumentum omittendo antecedens, et primum consequens, negamus secundam consequentiam : nam licet in sacramento ex vi verborum constituatur non corpus in communi, sed hoc corpus Christi in

in particulari; nihilominus ponitur hoc corpus in particulari, prout est individuum genericum corporis humani abstrahentis a vivo, et mortuo; non autem corpus in particulari specificum, nempe determinate vivum, aut determinate mortuum : quia manifestum est salvari eundem terminum formalem vivente, et mortuo Christo; et consecrationem, quæ modo fit, et quæ fieret in triduo, esse ejusdem omnino rationis formalis. Unde eodem modo discurrendum est in forma prædictum corpus constituente, nempe talem formam, hanc scilicet in particulari, quæ hoc Christi corpus in particulari constituit, poni in sacramento quantum ad gradum, quem communicat corporis humani communis vivo, et mortuo; sed quantum ad alios gradus inferiores, et exprimentes majorem determinationem, poni in sacramento non ex vi verborum, sed per realem concomitantiam : sicut hoc particulare corpus Christi ponitur ex vi verborum, in quantum est hoc corpus individuatione generica; sed ponitur non ex vi verborum, sed per concomitantiam, in quantum est determinate corpus vivum, aut determinate corpus mortuum.

[Di]luitur [p]rima [c]onfir[m]atio. Ad primam confirmationem negamus sequelam : nam quod vi verborum ponitur sub specie panis, est corpus, ut determinate importat substantiam solidam, consistentem, et per modum cibi, ac subinde quatenus corpus est pars distincta ab aliis partibus fluidis, et non consistentibus humanitatis, ut supra explicuimus, num. 7. Quare cum sanguis sit pars fluida, sub nulla ratione constituitur ex vi verborum sub specie panis; sed solum ob realem connexionem, quam de facto habet cum corpore Christi. Sed cum in corpore Christi non inveniatur nisi unica forma substantialis, quæ de facto est anima; et corpus nequeat ex vi verborum sub sacramento constitui, nisi secundum aliquem gradum, sibi per formam substantialem communicatum : absurdum non est, sed necessarium dicere, quod anima ita constituitur per concomitantiam sub expressione animæ in sacramento, quod nihilominus constituitur ibidem per se, aut ex vi verborum quantum ad illum gradum, quem corpori communicat, et secundum quem corpus constituitur per se sub specie panis.

[Di]verti[tur secunda.] Ad secundam neganda est minor : Ad cujus probationem negamus majorem cum inserta ei probatione : quia licet varientur aliquæ partes materiæ, semper tamen in viventi manet hæc formaliter numero materia prima, ut docet D. Thomas lib. 1, *de generat.* lect. 15, et 1 p. quæst. 119, art. 1 ad 5, et alibi frequenter. Et si variaretur simpliciter hæc numero materia, non perseveraret idem individuum : quippe quod in sua individuatione dependet non minus ab hac materia, quam ab hac forma. Unde ex eo, quod aliquæ particulæ materiæ deperdantur, et non reperiantur in omni eventu, minime probatur, quod hæc numero materia pertinens ad corpus Christi non ponatur in omni eventu ex vi verborum sub panis specie. Multo autem major variatio reperitur in forma constituente hoc corpus Christi abstrahens a vivo et mortuo: nam vivo Christo est anima rationalis; sed illo mortuo est forma cadaverica : quare utraque forma secundum gradum genericum, quo constituit corpus humanum abstrahens a vivo, et mortuo, constituitur ex vi verborum sub specie panis : sed una, et altera constituuntur per concomitantiam sub prædicta specie, si considerentur secundum gradus inferiores, et quatenus constituunt corpus Christi aut determinate vivum, aut determinate mortuum.

D. Tho[mas].

Quartum argumentum.

69. Arguitur quarto : nam verba consecrationis, cum sint practica, et efficiant, quod significant, debent versari circa rem certam, et determinatam, et significare proportionabiliter : sed gradus corporis communis vivo, et mortuo non est quid certum, et determinatum : ergo verba consecrationis non significant corpus Christi præcise quoad illum gradum, sed sub majori determinatione. Ex quo ulterius fit animam non posse significari illis verbis, in quantum communicat prædictum corporis gradum. Si autem accipiatur secundum alium gradum inferiorem, jam concedimus poni in sacramento per solam concomitantiam. Sub nulla itaque ratione admittendum est animam constitui ex vi verborum in sacramento.

Confirmatio 1. Confirmatur primo : quia idem est corpus Christi vivum, et mortuum; idem quippe corpus datur nobis, quod jacuit in sepulchro : ergo debet dari aliqua determinata forma substantialis, quæ ipsum constituat : hæc autem nec est anima rationalis, cum non maneat in corpore mortuo; nec est forma cada-

verica, cum non maneat in corpore vivo : ergo nec anima nec forma cadaverica constituuntur ex vi verborum in sacramento secundum aliquem gradum : sed admittenda est alia forma substantialis, utputa propria corporeitatis ad prædictum effectum. Confirmatur secundo : quia si corpus Christi modo constituitur per animam, et modo per formam cadavericam ; plane fit corpus Christi æquivoce dici : corpus enim æquivoce prædicatur de vivo, et mortuo. Ut autem corpus Christi constituatur vi verborum in sacramento, non sufficit corpus Christi æquivoce dictum: sicut ut aliquid dicatur proprie corpus Petri, non sufficit habere materiam Petri, si habeat aliam formam, ut patet in vermibus ex Petro genitis.

Secunda

Satisfit argumento.

Ad argumentum respondetur negando minorem : quia corpus Christi ut est individuum genericum, sive hoc corpus sufficientem determinationem habet, ut possit practice significari, ac produci per verba consecrationis. Sed quia nihil re ipsa producitur, nisi sit individuum individuatione non solum generica, sed etiam specifica ; propterea verba consecrationis efficiendo ex vi suæ significationis hoc corpus Christi, coefficiunt etiam alios gradus specificos, quibus inveniatur identificatum, v. g. corpus vivum, aut corpus mortuum. Cæterum has posteriores rationes non producunt ex vi suæ significationis, sed propter realem concomitantiam, quam illæ habent cum ratione per se producta, ut generaliter statuimus dub. 3, § 6.

Respondetur primæ confirmationi.

Ad primam confirmationem respondemus fieri non posse, quod corpus Christi vivum, et mortuum sit omnino idem, cum constituatur per formas essentialiter diversas : sed dicitur idem propter identitatem materiæ, subsistentiæ, et existentiæ, similiter propter identitatem formæ, non quidem materialiter sumptæ, sed quantum ad communicationem ejusdem formaliter gradus corporis abstrahentis a vivo, et mortuo. Unde non assignatur, nec assignari valet una materialiter forma, quæ prædictum corpus, sive sit vivum, sive sit mortuum, constituat : sed necessario recurrere oportet ad formam, quæ in re sit vel anima Christi, vel forma cadaveris, ut supra § 2 magis explicuimus.

Occurritur secundæ.

Ad secundam confirmationem respondemus nullum esse inconveniens, quod corpus Christi mortuum dicatur æquivoce corpus humanum : et ita expresse concedit D. Thomas in 3, dist. 22, quæst. 1, art. 1. Sed tamen corpus Christi abstrahentis a vivo, et mortuo est vere corpus Christi propter identitatem, quam semper habet tam ex parte materiæ, existentiæ, et subsistentiæ, quam ex parte formæ quantum ad eundem formaliter gradum corporis, a vivo, et mortuo præscindentis. Unde si Christus præsens haberet proprium suum sacrum cadaver, posset cum proprietate dicere, *Hoc est corpus meum* : sicut protulit, cum prædictum corpus vivebat. Et quod dicitur de vermibus, ridiculum est, et omnino rejiciendum : quia vermes non habent cum homine, cujus sunt, identitates proxime assignatas : nec forma vermis constituitur vicaria in eadem materia loco formæ hominis, cui succedat. Attendi itaque in præsenti consideratione oportet ad identitatem formalem in gradu corporis : sed tamen nullo modo prætermitti debet illa ulterior identitas ex parte subsistentiæ, et existentiæ, quæ in nullis aliis transmutationibus reperitur, et præstat, ut corpus Christi vivum, et mortuum sit magis unum, et idem, quam in cæteris contingit.

QUÆSTIO LXXVII.

De accidentibus remanentibus in hoc sacramento, in octo articulos divisa.

ARTICULUS I.

Utrum accidentia remaneant sine subjecto in hoc sacramento ?

Ad primum sic proceditur. Videtur quod accidentia non remaneant in hoc sacramento sine subjecto. Nihil enim inordinatum aut fallax debet esse in hoc sacramento veritatis. Sed accidentia esse sine subjecto, est contra rerum ordinem, quem Deus naturæ indidit : videtur etiam ad quandam fallaciam pertinere, cum accidentia naturaliter sint signa naturæ subjecti. Ergo in hoc sacramento non sunt accidentia sine subjecto.

Præterea: Fieri non potest etiam miraculose, quod diffinitio rei ab ea separetur, vel quod uni rei conveniat diffi-

nitio alterius rei (puta quod homo manens homo, sit animal irrationale) ad hoc enim sequeretur contradictoria esse simul : hoc enim quod significat nomen rei, est diffinitio, ut dicitur in 4 Metaph. Sed ad diffinitionem accidentis pertinet quod sit in subjecto,ad diffinitionem vero substantiæ, quod per se subsistat, non in subjecto Non ergo potest miraculose fieri quod in hoc sacramento sint accidentia sine subjecto.

Præterea : Accidens individuatur ex subjecto. Si ergo accidentia remanent in hoc sacramento sine subjecto, non erunt individua, sed universalia Quod patet esse falsum, quia sic non essent sensibilia, sed intelligibilia tantum.

Præterea : Accidentia per consecrationem hujus sacramenti, non adipiscuntur aliquam compositionem. Sed ante consecrationem non erant composita, neque ex materia, et forma, neque ex quo est, et quod est. Ergo etiam post consecrationem non sunt composita altero horum modorum. Quod est inconveniens : quia sic essent simpliciora quam angeli : cum tamen hæc accidentia sint sensibilia. Non ergo accidentia remanent in hoc sacramento sine subjecto.

Sed contra est quod Gregor. dicit in Homil. Paschali, quod species sacramentales sunt illarum rerum vocabula, quæ ante fuerunt, scilicet panis et vini. Et ita cum non remaneat substantia panis et vini, videtur quod hujusmodi species remaneant sine subjecto.

Respondeo dicendum, quod accidentia panis et vini, quæ sensu deprehenduntur in hoc sacramento remanere post consecrationem, non sunt sicut in subjecto in substantia panis et vini, quæ non manet (ut supra habitum est) neque etiam in forma substantiali, quæ non manet : et si remaneret, subjectum esse non posset, ut patet per Boetium in lib. de Trinit. Manifestum est etiam, quod hujusmodi accidentia non sunt in substantia corporis et sanguinis Christi sicut in subjecto : quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici, neque etiam est possibile, quod corpus Christi gloriosum et impassibile existens, alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates.

Dicunt autem quidam, quod sunt sicut in subjecto in. aere circumstante. Sed nec hoc esse potest. Primo quidem, quia aer non est hujusmodi accidentium susceptivus. Secundo, quia hujusmodi accidentia non sunt ubi est aer : quinimo ad motum harum specierum, aer depellitur. Tertio, quia accidentia non transeunt de subjecto in subjectum : ut scilicet idem accidens numero quod primo fuit in uno subjecto, postmodum fiat in alio : accidens enim numerum accipit a subjecto : unde non potest esse quod idem numero manens, sit quandoque in hoc, quandoque in illo subjecto. Quarto, quia cum aer non spolietur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria et aliena. Nec potest dici quod hoc fiat miraculose virtute consecrationis : quia verba consecrationis hoc non significant ; quæ tamen non efficiunt nisi suum significatum. Et ideo relinquitur, quod accidentia in hoc sacramento manent sine subjecto. Quod quidem virtute divina fieri potest. Cum enim effectus magis dependeat a causa prima, quam a causa secunda, Deus, qui est prima causa substantiæ et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conservabatur in esse sicut per propriam causam : sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis : sicut humanum corpus formavit in utero Virginis sine virili semine.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet aliquid esse ordinatum secundum communem legem naturæ, cujus tamen contrarium est ordinatum secundum speciale privilegium gratiæ : ut patet in resuscitatione mortuorum, et in illuminatione cæcorum : prout etiam in rebus humanis quædam aliquibus conceduntur ex speciali privilegio præter legem communem. Et ita etiam licet sit secundum communem naturæ ordinem, quod accidens sit in subjecto, ex speciali tamen ratione secundum ordinem gratiæ, accidentia sunt in hoc sacramento sine subjecto, propter rationes supra inductas.

Ad secundum dicendum, quod cum ens non sit genus, hoc ipsum quod est esse, non potest esse essentia substantiæ vel accidentis. Non est ergo diffinitio substantiæ ens per se sine subjecto, nec diffinitio accidentis, ens in subjecto : sed quidditati seu essentiæ substantiæ competit habere esse non in subjecto, quidditati autem sive essentiæ accidentis competit habere esse in subjecto. In hoc autem sacramento non datur accidentibus quod ex vi suæ essentiæ non sint in subjecto, sed ex divina virtute sustentante. Et ideo non desinunt esse accidentia : quia nec separatur ab eis diffinitio accidentis, nec competit eis diffinitio substantiæ.

Ad tertium dicendum, quod hujusmodi accidentia acquisierunt esse individuum in substantia panis et vini : qua conversa in corpus, et sanguinem Christi, remanent virtute divina accidentia in illo esse individuato, quod prius habebant. Unde sunt singularia, et sensibilia.

Ad quartum dicendum, quod accidentia hujusmodi, manente substantia panis et vini, non habebant ipsa esse nec alia accidentia, sed subjecta eorum habebant hujusmodi esse per ea : sicut nix est alba per albedinem. Sed post consecrationem ipsa accidentia, quæ remanent, habent esse, unde sunt composita ex esse et quod est (sicut in prima parte de angelis dictum est) et cum hoc habent compositionem partium quantitativarum.

Conclusio est affirmativa.

ARTICULUS II.

Utrum quantitas dimensiva panis, et vini sit subjectum omnium aliorum accidentium in hoc sacramento?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod in hoc sacramento quantitas dimensiva panis vel vini, non sit aliorum accidentium subjectum. Subjectum enim accidentis non est accidens : nulla enim forma potest esse subjectum, cum subjici pertineat ad proprietatem materiæ. Sed quantitas dimensiva est quoddam accidens. Ergo quantitas dimensiva non potest esse subjectum aliorum accidentium.

Præterea : Sicut quantitas individuatur ex substantia ita etiam et alia accidentia. Si ergo quantitas dimensiva panis aut vini remanet individuata secundum esse prius habitum, in quo conservatur, pari ratione et alia accidentia remanent individuata secundum esse quod prius habebant in substantia. Non ergo sunt in quantitate dimensiva sicut in subjecto, cum omne accidens individuetur per suum subjectum.

Præterea : Inter alia accidentia panis et vini quæ remanent, deprehenduntur etiam sensu, rarum et densum, quæ non possunt esse in quantitate dimensiva præter materiam existente, quia rarum est quod habet parum de materia sub magnis dimensionibus : densum autem quod habet multum de materia sub parvis dimensionibus : ut dicitur 4 Physic. Non ergo videtur, quod quantitas dimensiva possit esse subjectum accidentium, quæ remanent in hoc sacramento.

Præterea : Quantitas a subjecto separata, videtur esse quantitas mathematica, quæ non est subjectum qualitatum sensibilium. Cum ergo accidentia, quæ remanent in hoc sacramento, sint sensibilia, videtur quod non possint esse in hoc sacramento sicut in subjecto in quantitate dimensiva panis et vini remanente post consecrationem.

Sed contra est, quod qualitates non sunt divisibiles nisi per accidens scilicet ratione subjecti. Dividuntur autem qualitates remanentes in hoc sacramento per divisionem quantitatis dimensivæ : sicut patet ad sensum. Ergo quantitas dimensiva est subjectum accidentium, quæ remanent in hoc sacramento.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere accidentia alia, quæ remanent in hoc sacramento, esse sicut in subjecto in quantitate dimensiva panis, vel vini remanente. Primo quidem per hoc, quod ad sensum apparet aliquid quantum esse ibi coloratum. et aliis accidentibus affectum nec in talibus sensus decipitur. Secundo, quia prima dispositio materiæ est quantitas dimensiva, unde et Plato posuit primas differentias materiæ, magnum et parvum. Et quia primum subjectum est materia, consequens est quod omnia alia accidentia referantur ad subjectum mediante quantitate dimensiva (sicut et primum subjectum coloris dicitur esse superficies) ratione cujus quidam posue-

runt dimensiones esse substantias corporum : ut dicitur in primo Metaph. Et quia subtracto subjecto, remanent accidentia secundum esse, quod prius habebant, consequens est quod omnia accidentia remaneant fundata super quantitatem dimensivam. Tertio, quia cum subjectum sit principium individuationis accidentium, oportet id quod ponitur aliquorum accidentium subjectum, esse aliquo modo individuationis principium. Est enim de ratione individui, quod non possit in pluribus esse. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo quia non est natum esse in aliquo : et hoc modo formæ immateriales separatæ, per se subsistentes, sunt etiam per se ipsas individuæ. Alio modo ex eo quod substantialis vel accidentalis est quidem nata in aliquo esse, non tamen in pluribus : sicut hæc albedo, quæ est in hoc corpore. Quantum igitur ad primum, materia est individuationis principium omnibus formis inhærentibus : quia cum hujusmodi formæ quantum est de se, sint natæ in aliquo esse, sicut in subjecto, ex quo aliqua earum recipitur in materia, quæ non est in alio, jam nec forma ipsa sic existens potest in alio esse. Quantum autem ad secundum, dicendum est quod individuationis principium est quantitas dimensiva. Ex hoc enim aliquid est natum esse in uno solo, quod illud est in se indivisum ab omnibus aliis. Divisio autem accidit substantiæ ratione quantitatis : ut dicitur in primo Physic. Et ideo ipsa quantitas dimensiva est quoddam individuationis principium hujusmodi formis: in quantum scilicet diversæ formæ numero sunt in diversis partibus materiæ. Unde et ipsa quantitas dimensiva secundum se habet quandam individuationem: ita quod possumus imaginari plures lineas separatas ejusdem speciei, differentes positione, quæ cadit in ratione hujus quantitatis : convenit enim dimensioni quod sit quantitas positionem habens. Et ideo potius quantitas dimensiva potest esse subjectum aliorum accidentium quam e converso.

Ad primum ergo dicendum, quod accidens per se non potest esse subjectum alterius accidentis : quia per se non est. Secundum vero quod est in alio, unum accidens dicitur esse subjectum alterius, in quantum unum accidens recipitur in subjecto, alio mediante, sicut superficies dicitur esse subjectum coloris. Unde quando accidenti datur divinitus ut per se sit, potest etiam per se alterius accidentis subjectum esse.

Ad secundum dicendum, quod alia accidentia etiam secundum quod erant in substantia panis, individuabantur mediante quantitate dimensiva : sicut dictum est. Et ideo potius quantitas dimensiva est subjectum aliorum accidentium remanentium in hoc sacramento, quam e converso.

Ad tertium dicendum, quod rarum et densum, sunt quædam qualitates consequentes corpora ex hoc quod habent multum vel parum de materia sub dimensionibus : sicut etiam omnia alia accidentia consequuntur ex principiis substantiæ. Et ideo sicut subtracta substantia, divina virtute conservantur alia accidentia, ita subtracta materia, divina virtute conservantur qualitates materiam consequentes : sicut rarum et densum.

Ad quartum dicendnm, quod quantitas mathematica non abstrahit a materia intelligibili, sed a materia sensibili : ut dicitur 7. Metaph. Dicitur autem materia sensibilis ex hoc quod subjicitur sensibilibus qualitatibus. Et ideo manifestum est, quod quantitas dimensiva, quæ remanet in hoc sacramento sine subjecto, non est quantitas mathematica.

Conclusio est affirmativa.

DISPUTATIO VIII.

De accidentibus Eucharisticis.

Cœpit D. Thom. agere de materia hujus sacramenti a q. 74, ubi statuit esse panem et vinum. Et hac occasione egit in q. seq. 75, de conversione panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi. Et deinde quæst. 76, consideravit modum, quo Christus, qui est terminus prædictæ conversionis, habet esse in sacramento. Quibus absolutis disputat in hac q. 77, de accidentibus panis, et vini, quæ in hoc sacramento remanent. Et sic tandem absolvit totam considerationem, quæ ex una aut altera parte ad materiam istius sacramenti pertinet. Cui ordini ut inhæreamus, præsentem disputationem aperimus circa accidentia Eucharistiæ. Sed ut a certioribus, et communioribus incipiamus, sit

DUBIUM I.

Utrum ex pane, et vino omnia, et sola accidentia remaneant in Eucharistia ?

Vanum foret de his accidentibus disputare, nisi asserta prius illorum existentia : unde primo loco eam stabilire curabimus. Continet autem titulus dubii duas partes, primam positivam quantum ad perseverantiam accidentium : secundam vero exclusivam quantum ad non permanentiam aliorum, quæ accidentia non sunt. Unde dubium propositum eodem ordine decidemus. Porro ex accidentibus aliqua sunt omnino sensibilia, quæ scilicet ipsis sensibus cognoscuntur, ut extensio, color, sapor, et similia : alia autem sunt magis latentia, ut aliquæ relationes, et modificationes ipsorum accidentium sensibilium, aut quædam forsan occultæ substantiæ panis, et vini proprietates. Difficultas autem proposita præcipue respicit accidentia sensibilia, quæ communiter appellantur species sacramentales.

§ I.

Decisio dubii quoad priorem ejus partem.

1. Dicendum est primo in Eucharistia remanere omnia accidentia sensibilia panis, et vini. Hæc conclusio est de fide, ut ea, quæ statim proferemus, ostendent. Et illam docent unanimiter Scholastici cum Magistro in 4, dist. 12, et Theologi cum D. Thom. supra quæst. 75, art. 5, ubi hanc difficultatem proponit, et resolvit : « Dicendum, quod sensu apparet, facta consecratione, omnia accidentia panis, et vini « remanere. Quod quidem rationabiliter « per divinam providentiam fit. » Idem latius

Conclusio.

Magist. D. Tho.

D. Alg. Innoc. III. Hugo de S. Vict. Alensis. Suarez. Prado. latius tradit lib. 4, *contra Gent.* cap. 63. Videantur etiam D. Algerus cap. 7, Innocent. Tertius lib. 4, cap. 34, Hugo de S. Vict. lib. 2, *de sacram.* part. 8, cap. 7, Alensis 4 part. quæst. 40, Suarez disp. 56, sect. 1, Prado quæst. 76, dub. 8, § 1, et alii in præsenti. Probatur ex Concilio Trident. sess. 14, can. 2, ubi dicitur : « Si « quis negaverit mirabilem illam, et singularem conversionem totius substantiæ « panis in corpus, et totius substantiæ vini « in sanguinem, manentibus dumtaxat « speciebus panis, et vini etc. anathema « sit. » Ubi manifestum est specierum panis, et vini nomine significari accidentia saltem sensibilia panis, et vini ; nec aliud significari posse contrapositive ad totam panis, et vini substantiam. Ergo juxta diffinitionem Concilii manent in hoc Sacramento accidentia sensibilia panis, et vini.

Fundamentum ab auctoritate.

Roboratur. Confirmatur : quia sub eisdem accidentibus continetur substantia corporis, et sanguinis Christi, sub quibus continebatur substantia panis, et vini : sed hoc verificari non valet, nisi maneant in Eucharistia accidentia saltem sensibilia panis, et vini, ut satis ex ipsis terminis constat : ergo in Eucharistia remanent prædicta accidentia. Consequentia est evidens. Et major de fide: nam illam propositionem asserunt Concilium Florentinum in decreto Eugenii post ultimam sess. § *Tertium est.* Concilium Lateranense relatum in cap. *Firmiter*, § *Una vero, de summa Trinit. et fide Cathol.* Concil. Trid. loco cit. et Concil. Coloniense part. 7, cap. 15. Asserunt etiam propositionem SS. PP. relati in cap. *Omnia*, cap. *Nos autem*, cap. *Quia corpus*, cap. *Quia passus*, cap. *Forte*, cap. *Hoc est, de cons.* dist. 2.

Concilia.

Ratio D. Tho. 2. Secundo probatur ratione insinuata a D. Thom. in verbis jam relatis, *sensu apparet* etc. quia sensibili, et evidenti experientia cognoscimus manere aliqua accidentia in Eucharistia, quæ vocamus species sacramentales : deprehendimus enim extensionem, colorem, odorem etc. sed hæc accidentia sunt accidentia panis, et vini : ergo in Eucharistia manent hujusmodi accidentia. Probatur minor : quia prædicta non sunt accidentia corporis Christi : tum quia in hoc sacramento est indivisibiliter, et per modum substantiæ, ut constat ex dictis disp. 6, dub. 4, tum indecens est dicere corpus Christi gloriosum affici illis accidentibus corruptibilibus, et corpori humano improportionatis. Nec sunt accidentia alterius corporis ibi existentis : quia tale corpus non est assignabile, et in Eucharistia aliud corpus non est præter corpus Christi. Nec potest dici illa accidentia non esse vera, sed apparentia : quia magna stultitia foret non credere judicio sensus circa suum sensibile, et introducere absque necessitate, vel rationabili fundamento novum miraculum rei non existentis, sed apparentis, atque phantasticæ. Unde Algerus relatus merito dixit: « Absurdum revera est, ut quod non est, « veritatem approbet, et quod de se fallit « æstimationem, de alio veram exhibeat « fidem.»

Fulcitu Confirmatur tribus congruentiæ motivis, quibus hanc verorum accidentium panis, et vini permanentiam suadet Div. Thomas loco cit. his verbis : « Quod quidem « rationabiliter per divinam providentam « factum fuit. Primo quidem. quia non « est consuetum hominibus, sed horribile « carnem hominis comedere, et sangui- « nem bibere : et ideo proponuntur nobis « caro, et sanguis Christi sumenda sub « speciebus illorum, quæ frequentius in « usum hominis veniunt, scilicet panis, « et vini. Secundo ne hoc sacramentum « ab infidelibus irrideretur, si sub specie « propria Dominum nostrum manducare- « mus. Tertio, utdum invisibiliter corpus, « et sanguinem Domini nostri sumimus, « hoc proficiat ad meritum fidei.»

bjectio 3. Sed oppones hoc ultimum D. Thomæ non cohærere cum prima, et principaliori ratione, qua probat permanentiam istorum accidentium, desumpta sicilicet ab evidentia, qua talia accidentia cognoscimus. Impossibile enim est aliquid cognosci evidenter per sensus, et nihilominus credi per fidem, cum fides sit argumentum non apparentium, ut communiter docent Thomistæ cum S. Doctore 2, 2, q. 1, art. 4. Si ergo cognoscimus evidenter existere talia accidentia, nequeunt illa terminare assensum fidei, et subinde nec conducere ad fidei meritum.

Corruit. Respondetur primo aliqua esse objecta, quæ respectu aliquorum sunt evidentia, a quibus proinde non creduntur actu, sed præcise in animi præparatione ; et tamen respectu aliorum sunt obscura, et queunt ab eis attingi per assensum fidei ,

quo pacto Deum existere pertinet ad fidem idiotarum, qui de hac veritate demonstrationem non habent, ut recte observat D. Thom. loc. cit. art. 5 ad 3. Ad hunc itaque modum licet permanentia accidentium panis, et vini cognoscatur evidenter a sapientibus, et proinde non pertineat ad eorum fidem in actu ; nihilominus non cognoscitur evidenter ab illis, qui vel ignorantia, vel malitia dicunt, aut dicere possent illa accidentia non esse accidentia panis, vel vini, sed esse vel accidentia diversa, vel accidentia phantastica et apparentia. Unde opportet, quod vel tales credant prædicta panis, et vini accidentia permanere in hoc sacramento, et se submittant judicio Ecclesiæ id diffinientis in testimoniis supra relatis. Secundo, et melius respondetur fidem, et evidentiam circa prædicta accidentia non attingere idem objectum : quia per evidentiam solum cognoscimus illa esse accidentia panis, et vini : sed per fidem credimus accidentia panis, et vini manere sine subjecto, et continere corpus, et sanguinem Christi: nec fides attingit talia accidentia nisi complexive ad modificationes immediate relatas : quo pacto talia accidentia non cognoscuntur evidenter. Quare nulla est implicatio in eo, quod fides, et evidentia attingant accidentia ejusmodi tam diverse considerata. Et ita breviter, et acute significavit Div. Thomas loco cit. ex quæstione 75 ad 3, dicens : « Fides non est contra sensum ; « sed est de eo, ad quod sensus non attin- « git.» Non enim fides negat, aut discredit accidentia naturalia panis, et vini : sed tamen non sistit in eorum permanentia, quæ sensibus patet ; sed ulteriori progressu attingit, quod sensus non attingit, nempe talia accidentia esse sine subjecto, et continere realiter corpus, et sanguinem Christi.

D. Tho.

Hæresis opposita.

4. Pro hæresi nostræ assertioni contraria non occurrit nobis vel ullus hæreticus, quem referamus : non enim errant in negando permanere accidentia panis, et vini, quæ potius asserunt : sed errant inde colligentes permanere cum accidentibus panis, et vini substantiam, et hanc minime converti in substantiam corporis, et sanguinis Christi, ut expendimus disputatione 1, capite 2, § 2. Ex Catholicis autem Aliacensis in 4, quæstione 5, articulo 3, dixit sensibus non satis dijudicari posse, an prædicta accidentia sint vera, vel apparentia : asseruitque posse probabiliter negari, quod vera sint : quamvis tandem stet pro communi sententia. Referri etiam solet Marsilius lib. 1 *Physic.* quæstione 7, quod dixerit species Eucharistiæ esse quidem vera accidentia, sed tamen numero diversa ab accidentibus, quæ erant in substantia panis, et vini ante consecrationem. Sed prædictæ sententiæ licet semper falsæ, multo tamen evidentius reprobatæ manent post Concilium Tridentinum ob verba supra allegata, « Manentibus « dumtaxat speciebus panis, et vini »: quia nec accidentia mere phantastica sunt species panis, et vini : nec accidentia numero distincta ab accidentibus panis, et vini possunt esse panis, et vini spêcies, aut ita appellari. Nihil autem grave, supposita substantiali hujus mysterii veritate, occurrit contra nostram assertionem. Sed tamen opponitur primo: quia remoto priori, removetur et posterius : sed substantia est naturaliter prior accidentibus, ut dicitur 7 *Metaph.* ergo remota substantia panis, et vini per consecrationem, removentur etiam ejus accidentia : atque ideo species, quæ apparent in Eucharistia, non sunt vera accidentia panis, et vini, quæ ibidem permaneant. Secundo, quia non minus evidens apparet evidentia sensuum, quod in cadavere permaneant accidentia, quæ fuerant in vivente, quam quod accidentia permanentia in Eucharistia sint eadem accidentia panis, et vini : et tamen in priori casu, quia non manet eadem forma substantialis, corrigitur evidentia sensus per intellectum dictantem non esse eadem numero accidentia in viventi, et in cadavere, ut communiter docent Thomistæ : ergo cum in Eucharistia non remaneat eadem substantia panis, et vini, quæ prius fuerat, debet evidentia sensus corrigi per intellectum, qui judicet illas species non esse vere panis, et vini accidentia. Tertio, quia in hoc sacramento veritatis non est admittenda aliqua deceptio : sed si post conversionem substantiæ panis, et vini manerent ejus accidentia, daretur deceptio ; siquidem per accidentia judicamus de substantia : atque ideo visis accidentibus panis, et vini, judicaremus manere ibidem horum substantiam : ergo in Eucharistia non permanent accidentia panis, et vini

Stulta aliquorum imaginatio refellitur.

Objectiones.

Sed

Solvitur prima. Sed ista non urgent: nam primum optime diluit D. Thomas his verbis: « Ad « primum dicendum, quod sicut dicitur in « lib. de causis, effectus plus dependent a « causa prima. Et ideo virtute Dei, qui « est causa prima omnium, fieri potest, ut « remaneant posteriora, prioribus sublatis. » Itaque objectio solum probat accidentia habere naturalem dependentiam a substantia; et consequenter, quod destructa substantia, destruantur (loquendo per se, et connaturaliter) ejus accidentia. Sed tamen accidentia magis dependent a Deo, qui contra naturalem eorum exigentiam potest miraculose providere, ut non permanente substantia panis, et vini, eorum tamen accidentia permaneant. Et quod Deus utatur de facto hac providentia in hoc mysterio, constat ex doctrina fidei, ut supra ostendimus. Et quod congruum fuerit Deum tali providentia uti in conservatione accidentium declarant optime tria illa motiva, quæ supra ex D. Thom. recensuimus.

Diluitur secunda. 5. Ad secundum possemus in primis negare majorem: quia non ita evidens evidentia sensuum est manere eadem accidentia in cadavere, qui fuerant in viventi, sicut est evidens manere in Eucharistia accidentia panis, et vini. Nam plura recognoscebamus in viventi, utputa motum, et colorem, et calorem, quæ non deprehendimus in cadavere: at nihil accidentale experiebamur in pane, et vino ante consecrationem, quod similiter non percipiamus post illam. Deinde accidentia manentia in cadavere cito labuntur, et pereunt, saltem per se loquendo: sed accidentia Eucharistica non minus perseverant, quam si ibidem maneret propria illorum substentia panis, et vini. Sed respondemus secundo omittendo præmissas, et negando consequentiam. Ratio autem disparitatis est, tum quia in eo, quod accidentia, quæ prius erant in subjecto, maneant divinitus destructo subjecto, nulla est implicatio, ut diximus ad primam objectionem. Sed in eo, quod accidentia, quæ erant in corrupto maneant in genito, est repugnantia contradictionis desumpta ex eo, quod vel accidentia deberent recipi in materia prima utrique communi, vel deberent transmigrare de subjecto in subjectum. Unde vel ab hoc capite intellectus habet rationabile motivum corrigendi apparentem evidentiam circa identitatem accidentium in viventi, et ejus cadavere: sed nullum habet, ut corrigat evidentiam sensuum circa permanentiam accidentium Eucharisticorum, cum in eorum permanentia nulla sit contradictio. Tum etiam et præcipue, quia in corruptione viventis, et generatione cadaveris nullum intervenit miraculum, sed fit connaturalis processus rerum, juxta quem est, ut destructis nobis destruantur, quæ sunt in nobis: quare licet aliqua accidentia cadaveris videantur sensui esse illamet, quæ fuerunt in viventi; nihilominus intellectus merito corrigit hanc sensibilem apprehensionem, judicans talia accidentia non esse eadem, sed similia. Cæterum in mysterio Eucharistiæ adest miraculum convertendi substantiam panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi, et constituendi Christum sub speciebus sensibilibus: quare intellectus fide illustratus cognoscit illud miraculum, et lumine naturali sensibus conformi deprehendit eadem panis, et vini accidentia: quare nullum habet rationabile motivum, ut corrigat sensus circa permanentiam prædictorum accidentium; sed expedit magis, ut in hoc cum eisdem judicet, et cohæreat.

Corruit tertia. D. Tho. Ad ultimum respondet D. Thomas loco cit in resp. ad 2, his verbis: « Dicendum, « quod in hoc sacramento nulla est decep- « tio: sunt enim ibi secundum rei verita- « tem accidentia, quæ sensibus dijudican- « tur. Intellectus autem, cujus est proprium « objectum substantia, ut dicitur in 3. *de* « *Anima*, per fidem a deceptione præservatur. » Et conformiter ad hanc doctrinam dixerat idem S. Doctor in opusc. 57, quo utitur ecclesia pro festivitate corporis Christi: « Accidentia autem sine subjecto in eo- « dem subsistunt, ut fides locum habeat, « dum visibile invisibiliter sumitur aliena « specie occultatum: et sensus a decep- « tione reddantur immunes, qui de acci- « dentibus judicant sibi notis. » Judicium itaque sensuum (si ita appellari potest,) circa propria sensibilia verum est: sed ad sensus non pertinet judicare de substantia, an ibi sit, vel absit. Pertinet autem judicium de substantia ad intellectum: et iste fide illustratus cognoscit substantiam panis, et vini ibi non esse: et sic in nobis credentibus contingit. Si autem careat fide, judicabit quidem, quod quantum est ex

significatione accidentium, manet ibi substantia panis, et vini : in quo non errat: nam accidentia, quantum est de se, id repræsentant ; licet res aliter se habeat. Si autem determinate, et positive judicet ibi existere substantiam panis, et vini ; profecto errat, quia aliter contingit in re. Et prædictus error erit voluntarius, et culpabilis in infidelibus privative, et contrarie : quia non acquiescunt fidei sibi propositæ cum possint. In eis autem, qui solum sunt infideles negative, talis error nec est voluntarius, nec culpabilis. Sed tamen nec revocandus est vel in ipsum mysterium, vel in Deum ejus auctorem ; sed unice reducitur in defectibilitatem intellectus creati, quam habet ex se, sive ut factus ex nihilo sicut etiam solet inculpabiliter errare plura alia, quæ aliter se habent, ac intellectus judicat. De quo videri possunt, quæ ex professo diximus in tract. de fide disp. 2, dub. 1, et 2.

Quid de accidentibus modalibus?

6. Sed veniamus ad alia accidentia, quæ in limine dubii recensuimus. Et plane si aliqua dentur, quæ non sunt veræ entitates, sed quidam modi (ut aliqui dicunt de unione substantiæ ad quantitatem, et quantitatis ad substantiam), et aliquis respectus, sive ordo præsentiæ; de his censemus non manere post consecrationem, et transubstantiationem. Quod etiam visum est Suario loco citato. Aversæ quæst. 5, sect. 1, et aliis. Nam quod ad unionem inter substantiam panis, et vini, et istorum accidentia pertinet ; manifestum est non posse separatam ab his extremis consistere, cum sit essentialiter illorum vinculum in actu, sicut in aliis unionibus contingit : quare cessante uno extremo, ut hic cessat substantia panis, et vini, impossibile est talem unionem manere. Et quantum ad modos alios spectat, generale est modum non posse existere sine re, quam modificat : tum quia est debilissimæ entitatis: tum propter obligationem, quam habet ad exercitium determinandi : unde repugnat modum existere separatum a re, cujus est modus, ut magis expendimus tract. 21, disp. 8, dub. 7, § 2, ubi ex hoc principio ostendimus implicare, quod subsistentia separetur a natura, cujus est, ut possit alienam terminare.

Quid de accidentibus propriis?

Cæterum loquendo de aliis accidentibus absolutis, et entitativis substantiæ panis, et vini, quamvis occultæ quædam virtutes sint, et rigorosæ proprietates talis substantiæ ; communis sententia tenet illa post consecrationem permanere in hoc sacramento cum aliis accidentibus sensibilibus. De quo videri possunt Soto in 4, dist. 9, quæst. 2, art. 5, Nugnus q. 75, art. 5, dub. 1, Arauxo, et N. Cornejo in eodem loco. Suarez loco cit. Vasquez disp. 194, cap. 1, Prado quæst. 75, dub 8, § 2. Et probatur tum quia hujusmodi accidentia, licet occulta, sunt vere accidentia panis, et vini : et aliunde non habent essentialem connexionem cum horum substantia : ergo comprehenduntur nomine accidentium, quæ fides docet manere in hoc sacramento peracta consecratione, ut in assertione statuimus. Tum etiam quia non magis connectuntur hæc accidentia cum naturis panis, et vini, quam quantitas cum substantia corporea, cujus est proprietas : sed quantitas manet in hoc sacramento destructa substantia corporea, sive conversa in corpus, et sanguinem Christi : ergo idem de aliis accidentibus licet occultis, et propriis dicendum est. Tum denique quia sicut experientia sensibili evidenti cognoscimus manere in hoc sacramento accidentia sensibilia, quæ vocantur species; ita evidenti experientia deprehendimus effectus proprios, quos panis, et vinum habent per suas proprias, et occultas virtutes : sive enim sumantur in ratione alimenti, sive per modum medicinæ, eosdem effectus habent accidentia Eucharistica, quos induceret substantia panis, et vini, si ibidem esset, ut magis constabit ex dicendis dub. 4; ergo signum manifestum est, quod facta transubstantiatione manent adhuc in sacramento accidentia panis, et vini, licet occulta sint, habeantque rationem proprietatis.

Soto. Nugnus. Arauxo. N. Corn. Suarez. Vazq. Prado.

Aliquorum opinio circa certitudinem præmissæ resolutionis.

7. Minorem autem concordiam habent Theologi circa certitudinem permanentiæ istorum accidentium, ut videri potest apud relatos in eisdem locis. Nam Soto docet, quod negare prædicta accidentia propria permanere est error in fide. Nugnus statuit, quod est temerarium, et errori proximum. Vazquez affirmat talem permanentiam esse communem sententiam antiquorum juxta mentem Conciliorum, et Patrum. Et similia proferunt quidam alii. Potestque id probari tum ex motivis proxime propositis, quæ hanc partem tanquam omnino certam evincere videntur. Tum et urgentius

tius ex illis verbis Tridentini : « Manenti« bus dumtaxat speciebus panis et vini, » in quibus significat totam quidem substantiam converti, manere tamen panis, et vini accidentia, a quibus illa, quæ vocantur occulta, vel proprietates, excludi non debent, cum determinatio Concilii sit universalis.

Verior, et præferenda sententia. Per oppositum vero aliqui opinantur, quod licet sententia communis asserens permanentiam istorum accidentium sit longe probabilior, et magis ad mentem Conciliorum, Patrum, et Theologorum; nihilominus non habet tantam certitudinem, ut oppositum mereatur aliquam censuram. Ita Suarez, et N. Cornejo locis relatis. Prado num. 17, Bernal disp 38, sect. 1, Pasqualigus disp. 106, sect. 3, et alii. Quorum sententiæ subscribimus : primo, quia motiva, quæ proposuimus ad suadendum permanentiam istorum accidentium propriorum, aut occultorum, licet hanc partem valde probabiliter probent, tamen non sunt adeo efficacia, ut illam demonstrent, aut certam faciant. Secundo, quia non obstante generali doctrina de permanentia accidentium, excipiuntur ab illa communi regula accidentia quædam modalia, aut respectiva, ut vidimus num. præced. quia in illis occurrit specialis difficultas : ergo idem, et ob idem motivum dici probabiliter valet de aliis accidentibus occultis, et propriis, ut condistinguuntur contra accidentia sensibilia, quæ Tridentinum vocat species; licet hæc exceptio non esset ita probabilis. Tertio, quia Adversarii nihil efficax proferunt, quo probetur Concilia directe, aut indirecte voluisse comprehendere hujusmodi accidentia; quippe quæ necessaria non sunt vel ad salvandum veritatem mysterii, vel ad confutandum hæreticos. Quod si illi Auctores recurrant ad principia philosophica, vel ad paritatem rationis; manifestum est hoc arguendi genus posse non obscure elidi, et inefficax esse ad inducendum contrariæ parti censuram. Unde ad primum, quod objicitur, respondetur illa motiva esse valde probabilia, et ob ea sentimus permanere omnia accidentia entitativa, et absoluta panis, et vini, licet sint occulta, et habeant rationem proprietatis ; cæterum rem theologice non demonstrant, sed possunt aliqua probabilitate dissolvi. Ad secundum dicendum Concilium in illis verbis negare permanentiam substantiæ, de qua erat controversia cum hæreticis negantibus transubstantiationem : et consequenter asserere existentiam accidentium sensibilium (quæ proinde vocantur species, quia suis speciebus sensus immutant) : sub quibus non est substantia panis, sed Christi : cæterum de accidentibus aliis occultis nec controversia erat, nec necessitas est illa asserendi propter veritatem Concilii : unde non intelliguntur sub illa exceptione comprehensa.

Suarez. N. Corn. Prado. Bernal. Pasqual.

§ II.

Secunda dubii pars expeditur.

8. Dicendum est secundo in Eucharistia remanere sola accidentia panis, et vini; sive (et in idem redit,) nihil in Eucharistia remanere substantiale pertinens ad panem, et vinum. Hæc conclusio est de fide, et a nobis jam probata disp. 1, cap. 2, ubi contra hæreticos asseruimus mirabilem transubstantiationem, sive conversionem substantiæ panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi. Unde illam modo non repetimus, ut id in genere statuamus, quod ex ibidem dictis satis constat : sed propter speciales appendices circa aliquas, quæ nomine substantiæ censentur, et in quibus nonnulli catholicorum errarunt. Omissis itaque aliis motivis eo loco propositis, probatur nunc unico, sed certissimo fundamento, diffinitione scilicet Concilii Tridentini sess. 13, can. 3, ubi decernitur : « Si « quis negaverit mirabilem illam, et sin« gularem conversionem totius substantiæ « panis in corpus, et totius substantiæ « vini in sanguinem, manentibus dum« taxat speciebus panis, et vini ; quam « quidem conversionem Catholica Ecclesia « aptissime transubstantiationem appel« lat; anathema sit. » Et idem docuerat cap. 4 ejusdem sessionis. Ergo juxta sententiam, et diffinitionem Concilii nihil substantiæ panis, et vini manet in hoc sacramento : hanc enim vim habent illa verba « totius substantiæ, » et illa, « ma« nentibus dumtaxat speciebus. » Ex quibus fit non manere in Eucharistia totam substantiam panis, et vini. Id enim tam evidenter constat ex illa diffinitione, ut supervacaneum foret illud aliis illationibus colligere : et illud alias, et aliis mediis ostendimus loco cit. Sed expedit alia specialiora deducere.

Assertio

Fundamentum ex Concil. Trident.

1 Corollarium circa materiam primam. 9. Sequitur ergo primo in Eucharistia non manere materiam primam panis. (Et idem tam in hoc, quam in sequentibus consectariis intelligendum est de vino, ne plura reputamus.) Oppositum ejus docuit Durandus in 4, dist. 11, quæst. 3, num. 5, asserens manere talem materiam ut commune subjectum conversionis. Nec aliud gravius motivum pro se affert quam testimonium S. Joan. Damasceni lib. 4, *de fide*, cap. 14, ubi ait : « Sicut alimentum « mutatur in corpus, et sanguinem come- « dentis : ita in hoc sacramento panis, et « vinum in corpus, et sanguinem Christi. » Sententia Durandi. Sed ut alimentum transeat in corpus, et sanguinem comedentis, datur materia prima, quæ sit commune conversionis subjectum, et maneat facta conversione : ergo pariter ut panis, et vinum mutentur in corpus, et sanguinem Christi, debet materia panis, et vini esse commune subjectum conversionis, ac subinde manere in hoc sacramento transubstantione peracta.

Exploditur ut hæretica. Sed quidquid sit, an Durandi sententia vel ante Concilium Lateranense, et Tridentinum fuerit hæretica (de quo videri possunt Suarez disp. 49, sect. 3, concl. 2 et N. Cornejo quæst. 75, art. 4, quæst. 2), tamen post Concilium Tridentinum nequit non hæretica censeri, et refellitur juxta propositum fundamentum. Primo quidem, quia cum materia prima sit vera, et intrinseca pars compositi substantialis; non potest tota substantia panis converti in corpus Christi, si manet panis materia : ergo si manet, sequitur evidenter, quod non tota substantia panis in corpus Christi convertatur : sed de fide est fieri « conver- « sionem substantiæ panis in corpus « Christi, » ut dissertis, et expressis verbis diffinit Concilium loco jam relato : ergo de fide est materiam primam panis non manere in hoc sacramento : ergo dicere, quod manet est notoria hæresis contra diffinitionem Concilii. Secundo, quia si manet talis materia in hoc sacramento; sequitur quod non « maneant dumtaxat species « panis, et vini ; » siquidem manifestum est materiam primam non esse accidens, nec speciem, sed aliquid substantiale, sive pertinens ad panis, et vini substantiam : atqui Concilium diffinivit fieri transubstantiationem « manentibus dumtaxat spe- « ciebus panis, et vini : » ergo asserere permanentiam materiæ primæ panis, et vini est evidenter contra diffinitionem Concilii. Et quia hæc motiva sufficientissima sunt, omittimus alia. Plures autem rationes contra Durandum videri possunt in Soto in 4, dist. 9, quæst. 2, art. 4. Ejus autem fundamentum desumptum ex D. Damasceno nihil valet : quia S. Doctor solum intendit aliquam similitudinem in eo consistentem, quod sicut conversio alimenti fit in aliquod præexistens, nempe in corpus aliti; sic conversio ista sacramentalis fit in aliquod præexistens, videlicet in corpus Christi, quod præsupponitur alias factum. Sed interest discriminis, quod conversio alimenti solum est formalis per transitum de forma in formam; et ideo habet materiam primam utrique successive communem : at conversio sacramentalis est totalis per transubstantiationem totius substantiæ panis in totam substantiam corporis Christi; unde fieri non potest, ut habeat unum subjectum utrique termino commune. Videatur D. Thomas supra quæst. 75, art. 4, ubi ait : « Ad primum dicen- « dum, quod illa objectio procedit de mu- « tatione formali : quia formæ proprium « est in materia, vel subjecto esse. Non au- « tem habet locum in conversione totius « substantiæ. Unde cum hæc conversio « substantialis importat quendam ordinem « substantiarum, quarum una convertitur « in alteram; est sicut in subjecto in utra- « que substantia, sicut ordo, et numerus. » Et similiter : « Ad secundum dicendum « quod illa objectio procedit de conversione « formali, seu mutatione : quia oportet, « sicut dictum est, formam esse in materia, « vel subjecto. Non autem habet locum in « conversione totius substantiæ, cujus non « est accipere aliquod subjectum. Videantur etiam, quæ supra diximus disp. 5, dub. 2, ubi hæc fuse exposuimus. Mens Damasceni. D. Tho.

10. Colligitur secundo in hoc sacramento non permanere formam substantialem panis. Et priusquam istud corollarium probemus, recolendum est, quod supra disp. 4, dub. 1, num. 14, observavimus aliquos sentire panem ut panem non habere formam substantialem, sed constitui per formam artificialem, sed constitui per formam artificialem, secundum quam præcise distinguitur a farina, et a pasta incocta. Sed tamen nullus negat, aut negare valet, quod in pane reperiatur saltem ex parte substracti aliqua forma substantialis, sicut in aliis 2 Corollarium circa formam.

aliis artefactis contingit. Et in hoc sensu loquimur, cum dicimus non manere in Eucharistia formam substantialem panis. (Quod si supponatur in pane nullam dari formam substantialem, evidentius adhuc erit consectarium; sed tamen in tali suppositione superfluum erit.) In præmisso igitur sensu consectarium hoc est de fide, sicut et præcedens, et probatur eisdem motivis. Primo quidem, quia si forma substantialis panis, sive quæ in pane existebat, manet in hoc sacramento, sequitur non totam substantiam panis converti in corpus Christi ; siquidem una pars, et quidem nobilior prædictæ substantiæ adhuc permaneret sub speciebus : consequens autem directe opponitur diffinitioni Concilii supra relatæ : ergo non remanet in hoc sacramento forma substantialis panis : et oppositum dicere est contra diffinitionem Ecclesiæ. Secundo, quia si talis forma maneret in sacramento, falsum esset totam substantiam panis converti in substantiam corporis Christi, « manentibus dumtaxat « speciebus ; » siquidem manifestum est formam substantialem non esse speciem, vel aliud accidens, ut ex terminis liquet : Concilium autem diffinivit converti totam substantiam « manentibus dumtaxat accidentibus : » ergo falsum, et contra fidem est dicere manere in hoc sacramento formam substantialem panis. Videatur D. Thomas supra quæst. 75, art. 6, ubi tribus aliis rationibus probat formam panis non manere in hoc sacramento : quas modo prætermittimus, non quia optimæ non sint, sed quia necessariæ non sunt in re adeo clara, et tam clare per Ecclesiam diffinita.

Contraria aliquorum sententia. Oppositum docuerunt aliqui, quorum suppresso nomine meminit D. Thomas loco immediate citato. Refertur etiam Scotus, quod in 4, dist. 11, quæst. 6, dixerit in Eucharistia manere formam panis : et eundem loquendi modum imitati sunt Gabriel ibi quæst. 2, et Major quæst. 1. Sed tamen hi non docuerunt manere formam panis substantialem ; sed formam panis, quam existimant mere accidentalem esse. Unde in re non errant contra diffinitionem Ecclesiæ, sed in aliquo Philosophiæ principio. Tamen nec debuerunt absolute asserere, quod in Eucharistia manet forma panis : quia forma panis absolute dicta videtur juxta communem modum apprehendendi formam substantialem significare. Unde graves Theologi non dubitant Scoti sententiæ notam aliquam impingere. Bellarminus lib. 3, cap. 11, et 14, illam vocat *erroneam*, Nugnus ad locum cit. D. Thomæ dicit habere *aliquam temeritatem*, et esse *minus tutam in fide*. N. Cornejo quæst. 75, art. 2, dub. 3, illam appellat *temerariam, et errori proximam*. A quibus tamen censuris eam sententiam vindicare studuit Suarez disp. 49, sect. 3, post 1 concl. Sed nos ab utraque parte præscindimus tanquam a re in præsenti non necessaria : et jam diximus prædictos Auctores in re non errasse contra Ecclesiæ doctrinam. Nota.

Nihil autem grave, aut speciale contra nostrum consectarium occurrit præter generalia illa argumenta, quibus hæretici impugnare solent transubstantiationem, quibusque jam fecimus satis disp. 1, cap. 2, § 2. Adhuc tamen specialiter opponi potest, quod operatio rei sequitur substantialem ejus formam : sed in Eucharistia manet omnis operatio panis tam in nutriendo, quam in aliis effectibus : ergo signum est remanere in Eucharistia substantialem panis formam. Sed hoc diluit optime D. Thom. loco cit. his verbis : « Ad tertium dicendum, quod operationum panis « quædam consequuntur ipsum ratione « accidentium, sicut immutare sensum. Et « tales operationes inveniuntur in specie« bus panis post consecrationem propter « ipsa accidentia, quæ remanent. Quædam « autem operationes consequuntur panem « vel ratione materiæ, sicut quod conver« tuntur in aliquid, vel ratione formæ subs« tantialis, sicut est operatio consequens spe« ciem ejus, puta, quod confirmat cor homi« nis. Et tales operationes inveniuntur in « hoc sacramento, non propter formam, vel « materiam, quæ remanet : sed quia mira« culose conferuntur ipsis accidentibus, ut « infra dicetur. » Et nos dicemus dub. 4, hujus disputationis. Præoccupatur objectio. D. Tho.

11. Infertur tertio in hoc sacramento non manere subsistentiam panis. Quid autem subsistentia sit, explicuimus tract. 21, disp. 8, dub. 1, § 2. Et ex ibidem dictis supponendum est subsistentiam esse aliquid reale positivum de genere substantiæ, per quod natura terminatur, et completur, ut resultet suppositum, sive concretum substantiale *quod* susceptivum existentiæ, et principium *quod* operandi. Hoc autem 3 Corollarium circa subsistentiam.

superadditum non est entitas, sed quidam modus, ut ibidem ostendimus num. 8. His suppositis ostenditur nostrum consectarium primo : quia si in Eucharistia conservaretur subsistentia panis, non fieret conversio totius substantiæ panis manentibus dumtaxat ejus speciebus, sive accidentibus ; siquidem subsistentia non est accidens, sed aliquid substantiale, ut supponitur : consequens est contra diffinitionem Concilii statuentis in Eucharistia fieri conversionem totius substantiæ *manentibus dumtaxat speciebus panis :* ergo subsistentia panis non manet in Eucharistia. (Propter quod

Nota. motivum N. Cornejo loco cit. dub. 6, affirmat oppositum hujus corollarii esse errori proximum, et alii absolute censent esse errorem : nosque non dubitamus illud mereri aliquam censuram ; licet nostra resolutio non sit adeo evidenter de mente Concilii sicut duo præcedentia corollaria.) Probatur secundo : quia subsistentia creata est modus inseparabilis a natura creata, ut ostendimus tract. cit. disp. 8, dub. 7, § 2, sed in Eucharistia destruitur natura, sive substantia panis, ut supra diximus : ergo in Eucharistia non remanet panis subsistentia : vel si in Eucharistia manet subsistentia panis; manet etiam panis natura, et substantia ; quod tamen dicere est hæreticum. Tertio, quia non est assignabile, ad quid remaneat propria subsistentia panis in Eucharistia, vel quem effectum habeat : ergo stultum esset talis subsistentiæ permanentiam asserere; præsertim cum cessante substantia panis, miraculum sit conservari ejus subsistentiam, et nullum miraculum debeat admitti, vel induci absque urgenti fundamento.

Opposita sententia. Oppositum docuit Godofredus *quodlib.* 8, art. 16, et esse possibile per respectum ad potentiam Dei absolutam docet Picus Mirandulanus *in Apologia*, quæst. 6, quamvis

Godofred. Picus Mirand. fateatur non ita de facto contingere. Nullum autem pro hac sententia affertur motivum, quo diluamus. Si autem opponatur accidentia in hoc mysterio subsistere; cum nulli substantiæ hæreant, ad quod opportunum videtur, quod retineatur subsistentia panis pro tali effectu : non urget : tum quia accidentia non subsistunt positive, sed negative, quatenus non habent esse actu in subjecto ; ad quod non requiritur ullus modus positivus subsistentiæ. Tum quia licet aliquis modus adhibendus ad id foret, multo congruentior esset modus accidentalis. Tum quia nulla ratione fieri potest, ut modus subsistentiæ panis auferatur ab ejus substantia, et transferatur ad accidentia. Videantur, quæ dicemus dub. 3.

12. Infertur quarto non manere in Eucharistia existentiam panis. Contrarium docuit Sapientissimus M. Bannez 1 part. quæst. 4, art. 2, contendens manere post transubstantiationem panis existentiam, et per eam existere accidentia, quæ in hoc mysterio conservantur. Sed tamen illam sententiam merito retractavit in secunda editione : addidit tamen nihil continere contra fidem, ut multi Doctores ab eo consulti responderunt. Cæterum esto, non sit directe contra fidem; sentimus tamen illam sententiam non esse probabilem, nec jure posse defendi, ut censent etiam Nugnus quæst. 75, art. 2, difficult. 2, et Prado ibidem dub. 9, num. 26, prætermissis gravioribus censuris Suarii disp. 49, sect. 4, post 2 concl. et Vazquii disp. 180, cap. 10, num. 108. Probatur ergo primo motivo sæpius inculcato : quia peracta consecratione nihil substantiæ manet, nisi ejus species, sive accidentia, ut non obscure significat Concilium Tridentinum illis verbis, *Manentibus dumtaxat speciebus panis* ; sed existentia substantiæ panis non est accidens, sed aliquid substantiale, sive ejusdem ordinis cum substantia : ergo peracta transubstantiatione non manet in hoc mysterio existentia substantiæ panis. Probatur secundo : nam vel existentia rei non distinguitur ab ejus essentia, ut docent Scotus, Suarez et alii plures extra scholam D. Thomæ: et sic manifestum est: quod si non manet substantia panis, nec manet ejus existentia : aut e converso si manet existentia panis, debet etiam manere ejus substantia, sive essentia; quod tamen est hæreticum. Vel existentia substantiæ non distinguitur a subsistentia, ut quidam Thomistæ volunt: et sic idem judicium de existentia substantiæ fieri debet, ac de subsistentia : porro asserere permanentiam subsistentiæ panis est falsum, et plusquam temerarium, ut non negat Bannez, et constat ex dictis num. præced. Vel denique existentia substantiæ distinguitur tam ab ejus essentia, quam subsistentia, ut communiter docent Thomistæ, et statuimus tract. 21, disp. 8, dub. 1, § 3, et 4, et tunc fatendum est existentiam substantiæ licet distinctam ab essentia,

Illatio quarta circa existentiam.

Bannez.

Nugnus. Prado. Suarez. Vazq.

essentia, et subsistentia, esse ejusdem ordinis cum ipsa substantia, ac perinde aliquid substantiale : tum quia essentia, et existentia comparantur per modum potentiæ, et actus; qui debent ejusdem ordinis esse : tum quia existentia est simpliciter perfectior, quam essentia ut ostendimus loco cit. num. 11, quod falsum foret, si essentia esset substantia, et ejus existentia accidens. Et stando in hac ultima, et vera sententia procedit primum motivum propositum : sequitur enim, quod si maneret existentia panis, non manerent dumtaxat ejus species, sive accidentia; siquidem panis existentia non est accidens, sed aliquid substantiale, sive ejusdem ordinis cum substantia. Probatur tertio destruendo fundamentum prædicti Magistri : nam ideo cum accidentibus Eucharisticis conservaretur existentia panis, ut scilicet talia accidentia existerent, quippe accidentia existunt per existentiam subjecti, sive substantiæ : hoc autem motivum falso prorsus nititur fundamento : sicut enim essentiæ substantiæ, et accidentis sunt distinctæ, ita etiam existunt per diversas realiter existentias; cum existentia ad essentiam comparetur sicut actus ad potentiam, et sicut forma ad subjectum : ergo sicut accidentia panis, quando inhærebant substantiæ panis, non existebant per existentiam propriam substantiæ, vel subjecti, sed per existentiam propriam ipsorum accidentium : sic etiam per eandem hanc existentiam existunt, quando permanent a subjecto separata. Unde attribuere eis, quod tunc existant per existentiam subjecti, est introducere novum miraculum sine fundamento, aut necessitate.

Ultimum consectarium circa gradum substantiæ. 13. Ultimo colligitur nullum gradum vel genericum, vel individuum substantiæ panis, et vini manere in hoc sacramento, qui sit positive realiter idem cum præexistenti. Oppositum solet tribui Henrico *quodlib.* 9, quæst. 9 et Caietano quæst. 75, art. 5, quatenus significare videntur, quod licet substantia panis, et vini per transubstantiationem mutetur in corpus, et sanguinem Christi, manet tamen secundum gradum genericum substantiæ corporeæ, vel secundum conceptum individualem, quatenus id, quod prius erat panis, nunc est corpus Christi. Sed quod ad Caietanum spectat, alienus est a tam materiali, et abjecta cogitatione, et solum intendit substantiam panis, et corpus Christi esse aliquomodo idem æquivalenter quantum ad munus continentiæ passivæ sub accidentibus panis, prout substantia corporis Christi loco substantiæ panis succedit. Cujuscumque autem illa sententia fuerit, refellitur primo juxta doctrinam supra traditam : nam si aliquis gradus substantiæ panis manens idem realiter positive perseveraret in hoc sacramento, aut in corpore Christi; non fieret conversio totius substantiæ panis in corpus Christi : illud enim, quod realiter manet, non convertitur in aliud : consequens autem est contra diffinitionem Concilii in testimonio relato statuentis « mirabilem, et singularem conversionem totius « substantiæ in corpus Christi : » ergo nullus gradus, aut conceptus substantiæ panis, qui sit idem realiter positive, permanet in hoc sacramento. Secundo, quia si perseveraret talis gradus, vel conceptus, non remanerent ex pane solæ species, sive accidentia, ut ex terminis liquet : sed consequens est falsum ; siquidem Concilium diffinivit totam substantiam panis converti *manentibus dumtaxat accidentibus :* ergo et antecedens : nullus itaque manet gradus, vel conceptus præcedentis substantiæ, qui sit unus, et idem realiter positive. Et sæpius diximus, *Qui sit idem realiter positive :* quia non negamus panem, et corpus Christi convenire tum in genere substantiæ completæ, tum in gradu magis inferiori substantiæ corporeæ, et substantiæ sublunaris, qui conceptus est unus, et univocus respectu utriusque membri dividentis. Cæterum talis unitas non datur realiter positive ante intellectum, sed ad summum datur unitas negativa, quatenus distinctio inter panem, et corpus Christi non desumitur ab illo gradu, sed ab aliis : quare talis unitas non est physica, sed logica, ut in Logica ostendi solet.

Confirmatur : nam in hoc sacramento substantia panis desinit esse : ergo nullus gradus, aut conceptus realis talis substantiæ manet realiter positive vel in hoc sacramento, vel in corpore Christi. Antecedens est certum : nam quod convertitur in aliud, desinit esse : in hoc autem sacramento substantia panis convertitur in corpus Christi ut fides docet : ergo substantia panis desinit esse. Idque magis constat ex supra dictis disputatione 5, dubio 1, cum sequenti. Consequentia vero est manifesta : quia omnes gradus, vel con- Continuatur resolutio, et probatio.

ceptus rei, sive generici, sive specifici, sive individualis sunt idem realiter cum ipsa re: et ideo impossibile est rem destrui, aut desinere esse, quin desinat esse secundum omnes illas rationes, ita ut nulla realiter perseveret : qua de causa destructo Petro, destruuntur rationes entis, substantiæ, corporis, animalis, hominis, et hujus hominis, quæ inveniebantur in Petro : si ergo in hoc sacramento substantia desinit esse, desinit utique esse quantum ad omnes gradus, et conceptus in ipsa inventos, atque ideo nullus eorum permanet realiter positive. Non addimus alia, quia præmissa videntur sufficere in re satis perspicua. Sed qui plura desiderat, legat
Soto. Sotum in 4, dist. 7, quæst. 2, art. 2, § *Secunda opinio*, ubi multis argumentis impetit illam, quam Caietani existimat, opinionem.

Objectio. 14. Nec refert, si opponas Patres sæpe asserere, quod panis fit corpus Christi, et similiter quod peracta consecratione panis jam non est panis, sed est corpus Christi : hæc autem verificari nequeunt, nisi panis vel secundum gradum corporis, vel secundum conceptum individualem maneat in corpore Christi, destructa nihilominus ratione specifica panis : ergo ita asserendum est. Major constat specialiter ex
D. Amb. D. Ambrosio lib. 4, *de sacramentis*, cap. 4, ubi ait : « Si tanta vis est in sermo« nibus Domini Jesu, ut reciperent esse, « quæ non erant; quanto magis operatorius « est, ut sint, quæ erant, et in aliud com« mutentur. » Et infra : « Ergo tibi ut « respondeam, panis non erat corpus Christi « ante consecrationem : sed post consecra« tionem dico tibi, quod jam corpus est « Christi. Ipse dixit, et factum est. » Et similia ex aliis Patribus referuntur in distinctione 2, *de consecrat.* et occurrunt
N. Wal. in V. N. Waldensi tom. 2, cap. 61, et in
Innoc. III. Innocentio Tertio lib. 4, cap. 6. Similiaque, et numero non pauca congessimus supra disp. 1, cap. 2, § 2.

Dispellitur. Id, inquam, non refert, sed dilutum majori ex parte fuit loco immediate citato. Et plane si objectio convinceret, magis probaret manere in sacramento substantiam panis secundum specificam panis rationem : quia Patres non dicunt præcise gradum genericum, vel conceptum individualem panis fieri corpus Christi, sed id prædicant de *pane*, cujus nomine species magis, quam genus, aut individuum significatur. Quare sicut eorum testimonia nequeunt deservire, ut probent manere panem in propria panis specie ; sic nec prodesse valent ad suadendum manere panem secundum aliquem sui gradum, vel conceptum individualem. Facile autem explicantur cum D. Thoma quæst. 75, art. D. Tho.
8 ad 1, ubi ait : « Licet proprie dicatur, « quod ex pane fit corpus Christi : non ta« men proprie dicitur, quod panis fiat corpus « Christi, nisi secundum quandam simili« tudinem, ut dictum est, » nempe in corp. articuli, ubi rem hanc, et sensum Patrum luculenter, et optime declarat his verbis : « In hac conversione, et similiter in crea« tione, quia nullum est subjectum, non « dicitur, quod unum extremum possit esse « aliud : sicut quod non ens possit esse ens, « vel quod panis possit esse corpus Christi. « Et eadem ratione non potest proprie dici, « quod de non ente fiat ens, vel quod de « pane fiat corpus Christi ; quia hæc pro« positio, *De*, designat causam consubs« tantialem : quæ quidem consubstantia« litas extremorum in transmutationibus « naturalibus attenditur penes convenien« tiam in subjecto. Et simili ratione non « conceditur, quod panis erit corpus Chris« ti ; vel quod fiat corpus Christi : sicut « nec conceditur in creatione, quod non « ens erit ens, vel non ens fiat ens. Quia « hic modus loquendi verificatur in trans« mutationibus naturalibus ratione sub« jecti, puta cum dicimus, quod album fit « nigrum, vel album erit nigrum. Quia ta« men in hoc sacramento facta conver« sione, aliquid idem manet, scilicet ac« cidentia panis, ut supra dictum est : « secundum quandam similitudinem ali« quæ earum loquutionum possunt concedi : « scilicet quod panis fit corpus Christi, « vel panis erit corpus Christi, vel de « pane fiet corpus Christi : ut nomine « panis non intelligatur substantia panis ; « sed in universali hoc, quod sub specie« bus panis continetur : sub quibus prius « continetur substantia panis, et postea « corpus Christi. » Et sic explicatur D. Ambrosius in objectione relatus, quæ affert D. Thomas in arg. *Sed contra*. Ex quibus Nota.
omnibus magis confirmatur, quod n. 8 proposuimus, videlicet in hoc sacramento nihil remanere substantiale, sive pertinens ad substantiam panis in proprio genere :

quia nihil hujusmodi possumus imaginari, nisi vel totum compositum, vel materiam, vel formam, vel subsistentiam, vel existentiam, vel aliquem gradum, aut conceptum : et hæc omnia manent exclusa. Quod si dicatur præter hæc omnia dari in composito modum unionis substantialis inter partes, nihil dicitur : quia manifestum est non posse manere unionem destructis, sive non manentibus ipsius extremis.

DUBIUM II.

Utrum accidentia Eucharistica maneant sine subjecto?

Supposito, quod accidentia panis, et vini maneant in Eucharistia, ut dub. præced. statuimus, oportet videre modum, quo ibi existunt. Et primo loco videbimus, an existant sine subjecto. Dubium autem magis specialiter procedit circa quantitatem, quæ est primum accidens inter corporalia ordine generationis, et cui cætera aliquomodo insunt, ut dub. seq. ostendemus. Unde illi magis specialiter applicanda est resolutio ; in qua tradenda non multum immorabimur, quia circa illam nulla est inter Catholicos controversia : quare statim

§ I.

Doctrina fidei asseritur, et defenditur.

Conclusio. 15. Dicendum est accidentia panis, et vini in Eucharistia manere sine subjecto, sive, et in idem redit, nulli inhærere substantiæ. Hæc conclusio est immediate vel mediate de fide, ut infra num. 22 magis explicabimus : pendet enim determinatus certitudinis, quam habeat, gradus ex comparatione prædictorum accidentium ad diversa subjecta. Illam autem unanimiter docent omnes Scholastici cum Magistro in 4, dist. 10, et Theologi cum D. Thoma in hac quæst. 77, art. 1. Videantur V. N. Waldensis tom. 2, *de sacram.* cap. 76, Soto dist. cit. q. 2, art. 1, Bellarminus lib. 3, *de Eucharistia*, cap. 24, Prædo quæst. 77, dub. 1, et alii in præsenti. (Magist. D. Tho. N. Wal Soto. Bellarm. Prado.)

Fundamentum ex D. Tho. Duo fundamenta hujus veritatis affert D. Thom. art. 1. Et primum, satisque efficax desumitur ab exclusione omnis subjecti, in quo imaginari possemus recipi hæc accidentia. Quod motivum non aptius proponemus, quam verbis S. Doctoris, explicando breviter, quæ oportuerit. « Dicen- « dum, *inquit*, quod accidentia panis, et « vini, quæ sensu deprehenduntur in hoc « sacramento remanere post consecratio- « nem, non sunt sicut in subjecto in subs- « tantia panis, et vini, quæ non manet, ut « supra habitum est. » Et hæc pars constat evidenter ex Conciliis diffinientibus panem, et vinum transubstantiari in corpus, et sanguinem Christi, manentibus dumtaxat accidentibus, sive speciebus panis, et vini, ut constat ex dictis num. 8, disput. 1, cap. 2, ubi id fuse probavimus.

« Neque etiam in forma substantiali, quæ « non manet : et si remaneret, subjectum « esse non posset, ut patet per Boetium in « lib. de Trinit. » Quod forma substantialis panis non maneat in hoc sacramento, et subinde quod illi non hæreant accidentia, jam supra a nobis ostensum est, n. 10. Quod autem D. Thomas dicit formam substantialem panis non posse esse subjectum, intelligendum est saltem naturaliter, et sine novo miraculo; quod plane stultum esset absque gravi fundamento introducere, et illud in præsenti non occurrit. Porro talem formam non posse naturaliter recipere per se solam accidentia, manifestum apparet, cum enim talis forma non sit per se subsistens, nec accidentia per se solam sustentare queit. Quare autem D. Thomas sicut formæ, non meminit etiam materiæ panis? Profecto quia apud S. Doctorem impossibile est materiam primam existere absque omni forma substantiali, ut ex professo probat 1 p. q. 76, art. 1 et lib. 3, *contra Gentes* cap. 4. Videantur N. Complut. abbrev. *in Phys.* disp. 3, q. 5. Et materiam primam substantiæ panis non manere in hoc sacramento, et consequenter non esse subjectum prædictorum accidentium, supra statuimus nu. 9. (N. Com)

16. « Manifestum est etiam » (prosequitur D. Thomas,) « quod hujusmodi acci- « dentia non sunt in substantia corporis, « et sanguinis Christi sicut in subjecto : « quia substantia humani corporis nullo « modo potest his accidentibus affici. Ne- « que etiam est possibile, quod corpus Christi « gloriosum, et impassibile existens alte- « retur ad suscipiendum hujusmodi quali- « tates. » Recolantur supra dicta disp. 6,

dub. 3, et 4, ex quibus constat Christum in hoc sacramento esse modo indivisibili : cum quo minime compatitur, quod recipiat in se accidentia extensa in ordine ad locum, qualia permanere videmus in Eucharistia. Videantur etiam ibidem dicta dub. 5, ubi statuimus Christum in hoc sacramento non posse pati actione corporea : inde enim facile concluditur, quod nec possit suscipere in se hujusmodi accidentia, nec alias passibiles qualitates.

« Dicunt autem quidam » (proponit S. Doctor, et refellit ultimum imaginabilem dicendi modum, juxta quem hujusmodi accidentia possent in subjecto existere), « quod sunt sicut in subjecto in aere circumstante. Sed nec hoc esse potest. « Primo, quia aer non est hujusmodi accidentium susceptivum. Secundo, quia hujusmodi accidentia non sunt, ubi est « aer : quinimo ad motum harum specierum aer depellitur. Tertio, quia accidentia non transeunt de subjecto in subjectum : ut scilicet idem accidens numero, « quod primo fuit in uno subjecto, postmodum fiat in alio. Accidens enim numerum accipit a subjecto. Unde non potest « esse, quod idem numero manens sit quandoque in hoc, quandoque in illo subjecto. « Quarto, quia cum aer non spolietur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria, et aliena. Nec potest dici, « quod hoc fiat miraculose virtute consecrationis : quia verba consecrationis hoc « non significant quæ tamen non efficiunt, « nisi suum significatum. Et ideo relinquitur, quod accidentia in hoc sacramento manent sine subjecto. » Hæc omnia S. Doctor.

Recapitulatio totius motivi. Ex quibus breviter confirmatur idem motivum : nam si accidentia Eucharistica existerent in aliquo subjecto, vel existerent in substantia panis, et vini, vel in corpore Christi, vel in aere circumstante : sed in nullo istorum sunt, ut evidenter ostendunt probationes D. Thomæ : ergo talia accidentia non sunt in aliquo subjecto. Et si fiat recursus ad subjectum aliud imaginabile præter relata, eisdem motivis, quibus aer circumstans refelletur : præsertim cum tale subjectum vel ibi fieret cum sibi propriis accidentibus, et sic haberet simul accidentia propria, et aliena panis, et vini : vel produceretur nudum ad omnibus accidentibus, et sic careret suis proprietatibus. Quæ omnia sunt non minus miraculosa, quam quod accidentia panis, et vini maneant sive subjecto. Quare si illa non repugnant, nec repugnabit hoc posterius : quod aliunde magis compendiose fit, et cum majori consequentia ad proprium hujus mysterii miraculum, conversionem scilicet panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi.

Aliud fundamentum ex Divo Thoma. 17. Secundum fundamentum propositum a D. Thoma est hujusmodi : quia nulla occurrit implicatio in eo, quod Deus conservet accidentia panis, et vini independenter ab horum substantia, et omni subjecto : ergo ita contingit. Consequentia patet : tum quia supposita non repugnantia, facilius explicatur mysterium per hoc, quod accidentia panis, et vini maneant absque proprio subjecto : tum quia hoc supposito corruunt motiva adversariorum causantium in hoc repugnantiam. Antecedens autem probat D. Thom. loc. cit. ubi post verba relata immediate subjungit : « Quod quidem « virtute divina fieri potest. Cum enim « effectus magis dependeat a causa prima, « quam a causa secunda ; Deus, qui est « prima causa substantiæ, et accidentis, « per suam infinitam virtutem conservare « potest in esse accidens, substracta substantia, per quam conservatur in esse « sicut per propriam causam : sicut etiam « alios effectus naturalium causarum po- « test producere sine naturalibus causis : « sicut humanum corpus formavit in utero « Virginis sine virili semine. » Ad quod non requiritur (et alias est impossibile), quod Deus suppleat causalitatem propriam causæ materialis in eodem genere, recipiendo in se accidentia, et intrando compositionem cum illis : sed requiritur, quod in genere causæ efficientis suppleat, quod de concursu causæ materialis desideratur. Sive id faciat per solam, et extrinsecam manutenentiam accidentium ; sive faciat communicando accidentibus aliquem modum essendi per se, ut magis constabit ex dicendis dub. seq.

Confirmatio. Confirmatur primo : quia ita proportionabiliter convenit accidenti esse in subjecto, sicut substantiæ completæ convenit non esse in alio : sed per divinam virtutem fieri potest, quod substantia completa sit in alio, ut patet in mysterio Incarnationis, ubi humanitas, quæ est natura completa, existit in Verbo : ergo similiter divina

vina virtute fieri potest, ut accidens non sit in alio : et sic contingit in hoc mysterio.

Alia. Confirmatur secundo : nam ideo repugnaret accidentia esse sine subjecto, quia juxta rerum ordinem accidentia hærent subjecto ; vel quia (et in idem redit), accidens est ens in alio, ut constat ex ejus diffinitione apud omnes Philosophos recepta : sed utrumque motivum est invalidum : ergo non repugnat accidentia existere sine subjecto. Cætera constant. Et minor quoad D. Tho. primam partem probatur ex D. Thom. loco cit. ubi ait : « Ad primum dicendum, quod « nihil prohibet aliquid esse ordinatum « secundum communem legem naturæ, cu- « jus tamen contrarium est ordinatum se- « cundum speciale privilegium gratiæ, ut « patet in resuscitatione mortuorum, et il- « luminatione cœcorum. Prout etiam in « rebus humanis quædam aliquibus conce- « duntur ex speciali privilegio præter le- « gem communem. Et ita etiam licet sit « secundum communem naturæ ordinem, « quod accidens sit in subjecto : ex speciali « tamen ratione secundum ordinem gra- « tiæ, accidentia sunt in hoc sacramento « sine subjecto propter rationes supra in- « ductas. » Secunda etiam minoris pars ostenditur ex eodem S. Doctore loco citato, ubi inquit : « Ad secundum dicendum, quod « cum ens non sit genus; hoc ipsum, quod « est esse, non potest esse essentia subs- « tantiæ, vel accidentis. Non est ergo diffi- « nitio substantiæ, Ens per se sine sub- « jecto : neque diffinitio accidentis, Ens in « subjecto. Sed quidditati, seu essentiæ « substantiæ competit habere esse non in « subjecto : quidditati autem, sive essen- « tiæ accidentis competit habere esse « in subjecto. In hoc autem sacramento « non datur accidentibus, quod ex vi suæ « essentiæ non sint in subjecto, sed ex di- « vina virtute sustentante. Et ideo non de- « sinunt esse accidentia : quia nec sepa- « ratur ab eis diffinitio accidentis, nec « competit eis diffinitio substantiæ. » Ut enim vulgo dici solet, verba in diffinitionibus non dicunt actum, sed aptitudinem : quamvis autem accidentia Eucharistica non sint actu in aliquo subjecto, semper tamen habent de se aptitudinem ad existendum in eo, essentque in illo, quantum est de se : et quod actu non sint, provenit ex speciali privilegio providentiæ operantis in hoc mysterio.

Confirmatur tertio : quia doctissimi Patrum, et nobilissimi Philosophorum recognoverunt nullam esse implicationem in eo, quod accidentia existant separata a subjecto : ergo non repugnat; quod accidentia Eucharistica ita existant : cum igitur id conducat ad veritatem transubstantiationis, et ad plura alia in hoc mysterio salvanda : sic plane oportet catholice confiteri. Utraque consequentia patet. Et antecedens constat primo ex D. Basilio hom. 6, *in Hexameron*, ubi affirmat prima mundi die creatam fuisse lucem (qualitatem scilicet corpoream) separatam ab omni subjecto. Sic enim ait : « Primo die natura « lucis producta est, quarto autem die solis « corpus, ut esset illi primogenitæ luci « vehiculum, est conditum. » Et deinde communem difficultatem circa existentiam lucis sine subjecto repræsentat, et dispellit his verbis : « Itaque ne mihi dixeris fieri « hæc non posse, ut lux a corpore solis « separetur. Neque enim ego lucis ac solis « corpore separationem mihi, ac tibi pos- « sibilem esse dico : sed asserendum esse « censeo, quæ mentis sola cogitatione, cogni- « tioneque disparari a se possunt, ea reipsa « sejungi facultate Creatoris utriusque na- « turæ posse. » Et eandem sententiam circa primæ lucis productionem, et modum existendi sine subjecto habet D. Gregorius Nazianz. *in orat. de novo die Dominico*, Theodoretus *super Genes.* quæst. 14 et 16, D. Athanasius quæst. 83, *ad Antiochum*, Anastasius Sinaita lib. 4 *Hexameron*, et alii, quos refert Ascanius *in Glossa magna*. Deinde Plato posuit universales formas separatas ab individuis : et Commentator 2 *Physic.* comm. 29, dicit id esse difficilius, quam formas accidentales abstrahi a subjecto. Aristoteles etiam lib. 1 *Physic.* confutat Anaxagoram asserentem omnia esse commixta; et a contrario infert accidentia posse a subjecto separari. Avicembron in lib. *fontis vitæ* non dubitat asserere, quod accidentia possint existere sine subjecto. Et alii similia protulerunt, non quia naturaliter fieri possit, sed quia nullam viderunt repugnantiam in eo quod ita fieret.

Alia. D. Basil. D. Naz. Theod. D. Atha. Sinaita. Ascan. Plato. Commen Anaxag. Avicem.

§ II.

Convelluntur contraria motiva.

Wiclep. Joan. Hus. Oecolampadius. 18. Quod accidentia existant in Eucharistia sine subjecto negarunt Wiclephus, et oppositum vocabat commentum, et inventum Innocentii Tertii. Joannes Hus relatus in Concilio Constantiensi dicens « fingere accidens sine subjecto est blas- « phemare in Deum, scandalizare sanctos, « et illudere Ecclesiæ. » Œcolampadius apud Sotum in 4, dist. 10, quæst. 2, art. 1, et alii omnes hæretici, qui negant realem transubstantiationem panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi. Et arguunt primo : quia accidens magis dependet a subjecto, quam materia prima a forma substantiali : sed implicat materiam primam existere sine forma substantiali, ut docent D. Thomas, et discipuli, et recte ostendunt N. Complutenses abbrev. in *Physic.* disp. 3, quæst. 5 ; ergo implicat accidens existere sine subjecto : ergo accidentia Eucharistica non sunt a substantia separata Major probatur ; tum quia materia prima, cum sit substantia, est ens per se, atque ideo non dependet essentialiter ab alio : oppositum autem ob oppositam rationem debet in accidenti contingere. Tum quia accidens individuatur per subjectum ; unde mutato subjecto non manet idem accidens, ut tradit D. Thomas relatus num. 16; materia autem non individuatur per formam, sed hæc potius sumit suam individuationem a materia. Ergo dependentia, quam habet materia prima a forma substantiali, est major, quam dependentia accidentis a subjecto. — Primum argumentum.

Duplex responsio. Respondetur primo omittendo majorem, concedendo minorem, et negando consequentiam : quia non obstante, quod accidens magis dependeat a subjecto, quam materia a forma ; nihilominus implicat materiam separari ab omni forma, et non implicat accidens separari a subjecto. Ratio autem disparitatis est quod accidens licet magis dependeat, habet tamen aliquam actualitatem, ratione cujus vindicat sibi propriam specificationem, et existentiam : unde quantum est ex vi hujus, non implicat, quod existentiam retineat, licet a subjecto separetur. Cæterum materia prima licet minus dependeat, est nihilominus pura potentia in ordine substantiali : unde habet summam improportionem ad actum existendi, qui est ultimus, et perfectissimus in prædicto ordine, nisi prius habeat primam actualitatem essentiæ, quam mutuatur a forma substantiali : et ideo repugnat, quod materia prima existat nisi prius informata per formam. Accedit, quod si materia nuda ab omni forma substantiali existeret, sequeretur illam esse in determinato genere, nempe substantiæ corporeæ, cujus est pars, et non esse in ulla determinata specie prædicti generis, siquidem nulla illi species contingit nisi per formam : implicat autem aliquid existere in determinato genere, et non existere in determinata specie; cum inter gradum supremum generis, et ultimum individui (quod solum potest existere) medient alii gradus essentiales, et specifici. Respondetur secundo cum N. Complutensibus loc. cit. num. 28, negando majorem : quia attentis omnibus materia prima in existendo magis dependet a forma, quam accidens a subjecto, ut plane evincere videntur, quæ immediate diximus. Et majoris probationes non urgent : quia solum probant minorem dependentiam in aliis rationibus, aut conceptibus. Nec ex hac doctrina inferendum est materiam primam esse simpliciter imperfectiorem accidentibus. Quoniam major dependentia solum probat majorem dependentiam, quando cætera sunt paria. Id vero non contingit in hac comparatione : nam materia prima est substantia, quæ ex genere suo excedit accidentia. — N Comp. — Nota.

19. Arguitur secundo : quia si accidentia Eucharistica non existerent in aliqua substantia, forent utique in statu violento : consequens non debet admitti : ergo nec antecedens. Sequela ostenditur : nam accidentia petunt naturaliter inhærere subjecto : ergo si id non habent, existunt contra propriam inclinationem, atque ideo in statu violento. — Secundum argumentum.

Respondetur negando sequelam : quia Deus nulli creaturæ violentiam infert, aut inferre simpliciter potest, ut ex professo ostendimus tr. 10, disp. 5, dub. 2. Ad probationem autem in contrarium respondetur primo cum Nugno in præst. art. 1, in resp. ad 4, concedendo, quod accidentia separata habeant inclinationem naturalem ad subjectum : inde tamen non sequi, quod patiantur violentiam : nam ut istam non sustineant, sufficit id fieri a Deo, qui est auctor — Solutio. — Nugnus.

auctor naturæ. Respondetur secundo, et melius, quod in qualibet re creata est duplex inclinatio naturalis: una ad bonum sibi proprium, et alia ad obediendum Deo naturæ auctori. Ex his autem posterior est simpliciter naturalior, et magis prævalens: sicut inclinatio ad bonum universale, sive totius communitatis est fortior, et naturalior, quam inclinatio ad bonum peculiare, sive partis : quemadmodum etiam bonum commune est majus, quam bonum particulare, et istud illi cedit. Unde cum existentia accidentium sine subjecto in Eucharistia sit conformis inclinationi ad obediendum Deo, et ad bonum commune ; inde est, quod quamvis aliquomodo sit contra primam, non inducat simpliciter violentiam. Videatur D. Thomas 1 p. quæst. 105, art. 6 ad 1, et in hac 3 p. q. 44, art. 2, et lib. 3, *contra gentes*, cap. 100, ubi opttme tradit doctrinam istam. Videantur etiam, quæ diximus tract. 21, disp. 9, dub. 6, examinantes, an natura assumpta ad subsistentiam verbi habeat appetitum ad subsistentiam propriam sibi connaturalem, ubi plura circa hanc difficultatem tradidimus, quæ propterea in præs. non inculcamus.

D. Tho.

Tertium argumentum.

20. Arguitur tertio : nam accidentis existentia non est aliud, quam inhærentia; siquidem esse accidentis est inesse : sed impossibile est quod accidentia separata a subjecto habeant inhærentiam ; ergo, et quod separata a subjecto habeant existentiam : atque ideo implicat accidentia existere separata a subjecto. Confirmatur : quia non magis dependet relatio a suo fundamento, quam accidens a subjecto ; sed relatio nequit existere separata a suo fundamento : ergo nec accidens separatum a subjecto.

Confirmatio.

Dissolvuntur.

Ad argumentum negamus majorem : quia sicut in substantia distinguimus subsistentiam, et existentiam : ex quibus subsistentia est id, quo substantia completur, et fit positive independens, sive per se, ut recipiat ultimam actualitatem, nempe existentiam : sic etiam in accidenti distinguendum est inter inhærentiam, et existentiam. Nam inhærentia est modus correspondens (licet contraria via) subsistentiæ : quippe accidens per inhærentiam fit positive dependens a subjecto, et illi innititur, ut recipiat ultimam existentiæ actualitatem. Unde sicut existentia substantiæ distinguitur a subsistentia ; sic existentia accidentis differt ab inhærentia: et quemadmodum ut substantia connaturaliter existat, debet prius terminari per subsistentiam ; sic etiam accidens, ut connaturaliter existat, debet prius compleri per inhærentiam, sive communicationem ad subjectum. Et in hoc sensu dicitur, quod esse substantiæ est esse per se, esse autem accidentis est inesse. Cæterum sicut non obstante illa naturali dependentia, quam existentia substantiæ habet a subsistentia, potest divinitus fieri, quod substantia existat sine proprio subsistentiæ modo : sic etiam divinitus fieri valet, ut accidens existat absque inhærentia : et sic de facto contingit in hoc mysterio. Unde argumentum regerendum est in opponentes : nam probat oppositum, ut expendimus n. 17, in prima confirmatione. Ad confirmationem neganda est major : quia relatio ex communi conceptu accidentis habet dependentiam a subjecto aliis accidentibus communem. Sed insuper ex proprio conceptu habet specialissimam, et essentialem a fundamento dependentiam: est enim exercite, et intransitive ipsum referre, sive exercitium referendi, quod intelligibile est absque fundamento, quod referatur : sicut nec unio intelligi valet absque extremis, quæ actu uniat : et ideo implicat relatio sine fundamento. Sed hoc non convenit generaliter omnibus accidentibus, ut ex se liquet. Quare ex communi accidentis conceptu non repugnat accidentia existere a subjecto separata.

21. Arguitur quarto : nam ideo accidentia Eucharistica possent existere sine subjecto, quia Deus illa conservaret specialiter, aut speciali influxu, ut cum D. Thom. diximus n. 17 : sed hoc est falsum : ergo accidentia Eucharistica non existunt separata ab omni subjecto. Probatur minor : nam quando dicitur Deum specialiter conservare hæc accidentia, vel intelligitur de concursu differenti ab eo, quo illa conservabat in proprio subjecto ; vel intelligitur de eodem concursu ? Primum dici non valet : quia actio effectiva non variatur, nisi variato ejus termino, aut agente : sed accidentia separata essent eadem numero, quæ unita, et conservarentur ab eodem agente Deo : ergo actio, qua conservarentur separata, esset eadem cum illa, qua conservantur unita : et idem est de quolibet concursu effectivo, ut ex se liquet.

Quartum argumentum.

Secundum

Secundum etiam est falsum : nam conservatio accidentium in subjecto est naturalis: conservatio autem eorum absque subjecto est miraculosa : ergo fieri non possunt ex vi ejusdem concursus, quippe influens in naturalia est naturalis, et influens in miraculosa est supernaturalis.

Prima solutio. N. Corn. Pasqual. Aversa. Respondetur, negando minorem. Ad cujus probationem N. Cornejo in præs. art. 1, disp. unic. dub. 1 ad 1, Pasqualig. disp. 106, sect. 7, Aver. q. 5, sect. 3, § *Quinto*, et alii respondent eligendo secundam partem dilemmatis : quia censent sufficere eandem actionem non revocatam, qua Deus talia accidentia prius conservabat in subjecto : præsertim si nihil accidentibus, ut separata existant, addatur, ut dub. seq. videbimus. Unde ad hujus partis impugnationem respondent conservationem accidentium sine subjecto solum esse miraculosam extrinsece, et denominative : ad quod non oportet introducere novam actionem ab illa, quæ substantiam panis, et vini convertit in Christum relinquendo ex vi hujus eorum accidentia sine subjecto.

Melior responsio. Sed respondetur secundo, et melius concedendo, quod pro conservatione prædictorum accidentium datur nova actio, sive diversus concursus ex parte Dei : nam accidentia in subjecto conservabat ut causa naturalis, illa vero sine subjecto conservat, ut causa supernaturalis, ut non obscure D. Tho. significavit D. Thomas in præs. art. 1, illis verbis : « Cum effectus magis dependeat a « causa prima, quam a secunda; Deus, qui « est prima causa substantiæ, et accidentis, « per suam infinitam virtutem conservare « potest in esse accidens, subtracta substan- « tia per quam conservabatur in esse sicut « per propriam causam. » In quibus significatur aliam esse causam accidentis in subjecto, et aliam accidentis sine subjecto, et Deum conservantem illa extra subjectum esse causam extraordinariam, agereque supra ordinem naturæ. Unde oportet, dicamus conservationem accidentis sine subjecto importare novum, et distinctum influxum Dei agentis supernaturalis. Et ita sentiunt Caietanus, et Serra ad prædictum articulum, Suarez disp. 56, sect. 2, Vazquez disp. 192, cap. 4, Coninckus, Ochagavia, Lugo, Præpositus, et alii, quos refert, et sequitur Prado quæst. 77, dub. 1, num. 23 et 25. Fundamentum autem contrariæ sententiæ, ac responsionis non urget: quia licet in præs. casu maneat idem materialiter terminus in esse entis; variatur tamen formaliter terminus in esse termini: conservatur enim eadem accidentium entitas, sed conservatur diverso modo passivo: quippe prius conservabatur naturaliter, post consecrationem vero modo miraculoso. Ad quod non requiritur, quod accidentia recipiant aliquem modum supernaturalem; sed sufficit, quod ipsum existere sine subjecto sit supra conditionem accidentium, et vires totius naturæ creatæ. Unde etiam convincitur, quod licet maneat idem entitative agens, nempe Deus, variatur nihilominus esse agentis : quia prius agebat ut agens naturale, sive juxta conditionem, atque exigentiam accidentium ; sed postea agit supra totum ordinem naturæ. Et hinc facile concluditur eum concursum, sive influxum esse specie, et ordine diversum : quia actiones non specificantur a termino, vel principio materialiter sumptis, sed formaliter acceptis. Quæ doctrina explicatur, et confirmatur similibus exemplis : nam homo naturaliter genitus, et homo miraculose resurgens est idem materialiter homo, et terminus in esse entis : sed tamen quia variatur in esse termini, cum resurrectio sit supra totam naturam; ideo resurrectio importat diversum influxum a generatione. Et visius hominis, quem Deus formaret per creationem, et deinde amissum restitueret, esset idem entitative: cæterum variaretur in esse termini, et quatenus restitutus exigeret concursum miraculosum Dei supernaturalis agentis. Sic igitur licet quantitas panis (et idem est de aliis accidentibus,) sit eadem entitative in subjecto, et extra subjectum, et in utroque statu conservetur a Deo : tamen in subjecto conservatur naturaliter, et extra subjectum conservatur miraculose : unde oportet, quod conservatio accidentium extra subjectum importet diversum concursum, ac illorum conservatio in subjecto.

Designatur assertionis certitudo. 22. Ex dictis colligere possumus, quanta sit certitudo nostræ assertionis. Nam si subjecti nomine intelligatur substantia panis, et vini, tenendum est hanc propositionem : *Accidentia Eucharistiæ sunt sine subjecto,* esse immediate de fide, et ejus oppositam esse hæresim notoriam. Sic docent unanimiter Theologi, nullo excepto, quem viderimus. Et ratio constat ex dictis dub.

dub. præced. et locis in eo relatis : quoniam de fide immediate est substantiam panis, et vini converti in corpus, et sanguinem Christi, ac subinde non manere in hoc sacramento : ergo pariter est de fide immediate, quod accidentia remanentia in hoc sacramento non inhærent substantiæ panis, et vini.

Si autem subjecti nomine non intelligatur substantia panis, et vini, sed aliud subjectum, utputa vel corpus Christi, vel aer circunstans, vel quid simile; adhuc nihilominus eam propositionem esse immediate de fide docent Soto, Nugnus, Serra, N. Cornejo, Valencia, Aversa, et alii apud Pradum ubi supra num. 2. Quorum motivum est Ecclesiam diffinivisse in hoc sacramento manere solas species panis, et vini, ut vidimus dub. præced. et cuilibet substantiæ illæ species hæreant, jam non manent solæ. Et inter errores Wiclephi damnatos in Concilio Constantiensi sess. 15, unus erat in hoc sacramento manere substantiam panis, et vini ; alius autem erat accidentia panis, et vivi non manere sine subjecto : ergo hæc secunda propositio ut condistincta ab illa priori est
Nota. condemnata ab Ecclesia. Qui dicendi modus est valde probabilis. Sed nihilominus probabilius censemus, quod talis propositio in sensu præmisso solum est certa certitudine conclusionis Theologicæ ; et consequenter quod ejus opposita non est hæresis, sed er-
Arauxo. ror in fide. Ita censuit Arauxo in præsenti
N. Corn. Prado. dub. 1, in principio, et probabile reputat N. Cornejo dub. 1, quæst. 1. Prado etiam num. 3 refert, et non reprobat hanc sententiam. Moventur autem : quia Ecclesia in omnibus decretis supra relatis intendit dari in hoc sacramento veram transubstantiationem, sive conversionem substantiæ panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi ; et in ordine ad hunc finem decernit nihil substantiæ panis, et vini manere in sacramento, et manere dumtaxat species panis, et vini : unde quod immediate sequitur ex prædictis diffinitionibus absque alio discursu est accidentia panis, et vini non manere in proprio subjecto, cui prius hærebant. Sed quod non sint in corpore Christi, vel in alio subjecto, non colligitur immediate ex prædictis diffinitionibus : sed ut id efficaciter colligatur, egemus discursu Theologico desumpto ex una propositione de fide, et alia, aut aliis evidentibus lumine naturali, ut in hoc dub. expendimus : ergo dicere, quod accidentia Eucharistiæ in nullo sunt subjecto, non est immediate de fide, sed est conclusio Theologica : et dicere oppositum non est hæresis, sed error in fide. Unde satis constat ad oppositum fundamentum. Et ad id, quod dicitur de condemnatione articulorum Wiclephi, respondemus ita quidem rem se habere, quod reprobati ab Ecclesia fuerint in Concilio Constantiensi : sed tamen Concilium non omnes damnavit ut hæreticos, sed respective, quosdam ut scandalosos, alios ut temerarios, alios ut piarum aurium offensivos, et alios ut blasphemos, et hæreticos : unde ex vi illius reprobationis non sequitur eum articulum, Accidentia Eucharistiæ *non sunt sine subjecto* condemnari in omni sensu tanquam hæreticum. Addendum tamen est eam propositionem non solum esse erroneam, ut proxime diximus, sed etiam temerariam, et scandalosam : quia opponitur communi sensui fidelium. Unde Ecclesia *in festo Corporis Christi* inquit: *Accidentia sine subjecto in eodem subsistunt.* Et *in Missa* canit, *sub diversis speciebus, signis tantum, et non rebus, latent res eximiæ.* Et in Concilio Coloniensi (quod licet Provinciale, non est infimæ auctoritatis), dicitur p. 7, cap. 15 : « Quid enim panis, vinique « species post consecrationem sunt, nisi « species sacramentales, et accidentia sine « subjecto. » Et sic loquuntur omnes Doctores, et Theologi.

DUBIUM III.

Utrum quantitas in hoc sacramento sit subjectum aliorum accidentium, et habeat modum existendi per se ?

Vidimus in præcedentibus, quod in Eucharistia permanent accidentia panis, et vini ; et quod nec horum, nec aliarum rerum substantiæ inhærent. Nunc videndum est, an saltem quantitas habeat rationem subjecti respectu cæterorum accidentium : et utrum, ut hoc munus gereat, recipiat novum aliquem modum existendi per se. Quæ duo sub eodem dubio conjungimus, et quia mutuo se inferunt, et quia non multa poscunt, ut decidantur.

I.

Resolutio prioris difficultatis.

Conclusio. 23. Dicendum est primo quantitatem in Eucharistia esse subjectum, in quo recipiuntur alia accidentia ibi existentia, v. g. color, sapor, odor, et figura panis, et vini consecratorum. Sic docent communiter Scholastici cum Magistro in 4, dist. 12, et Theologi cum D. Thoma in præs. art. 2, ubi propositam difficultatem resolvit his verbis : « Respondeo dicendum, quod necesse est dicere accidentia alia, quæ remanent in hoc sacramento, esse sicut in subjecto in quantitate dimensiva panis, vel vini remanente. Primo quidem per hoc, quod ad sensum apparet aliquid quantum esse ibi coloratum, et aliis accidentibus affectum : nec in talibus sensus decipitur. Secundo, quia prima dispositio materiæ est quantitas dimensiva: unde et Plato posuit primas differentias materiæ magnum, et parvum. Et quia primum subjectum est materiæ, consequens est, quod omnia alia accidentia referantur ad subjectum mediante quantitate dimensiva (sicut et primum subjectum coloris dicitur esse superficies), ratione cujus quidam posuerunt dimensiones esse substantias corporum, ut dicitur in 1 *Metaphys.* Et quia subtracto subjecto, remanent accidentia secundum esse, quod prius habebant ; consequens est, quod omnia accidentia maneant fundata super quantitatem dimensivam etc. » Hæc S. Doctor : in quibus non pauca continentur pro communi assertione motiva. Sed omnia supponunt quantitatem esse peculiare accidens tam a substantia corporea, quam ab aliis accidentibus distinctum, ut est communis sententia Dialecticorum cum Aristotele in Prædicamentis. Si enim supponatur oppositum, tollitur de medio status præsentis quæstionis. At illud jam rejecimus dub. 1, ubi statuimus quantitatem panis, et vini manere in hoc sacramento. Et hoc supposito

Magist. D. Tho.

Fundamentum ex D. Thoma. Probatur primo conclusio ratione D. Thomæ in illis verbis : « Quia prima dispositio materiæ, etc. » quoniam cum accidentia corporalia non se habeant disparate, sed cum ordine quodam tam inter se, quam comparative ad subjectum ; oportet inter accidentia corporalia dari aliquod accidens, quod primo insit subjecto, et sit ei dispositio, vel ratio cætera recipiendi. Hoc autem accidens est quantitas : tum quia nulla est intimior subjecto secundum communem gradum substantiæ corporeæ : tum quia alia accidentia, ut congrue recipiantur supponunt subjectum extensum saltem in ordine ad se, quam extensionem habet per quantitatem sicut per formam : Ergo quantitas est accidens primum, quod hæret substantiæ corporeæ, et quo mediante reliqua in eadem substantia recipiuntur : et consequenter si sublata substantia, permanet quantitas, sicut in hoc mysterio contingit, sequitur quantitatem exercere rationem subjecti respectu aliquorum accidentium, sicut prius illam exercebat. Quod motivum magis declaratur in hunc modum : nam sicut intellectus est ratio proxima, per quam anima rationalis recipit species, et habitus scientiarum: ita quantitas est proportionabiliter dispositio, aut ratio proxima, per quam substantia corporea recipit colorem, saporem, figuram, et alia accidentia : unde sicut species, et habitus inhærent immediate intellectui, et eo mediante animæ, ita color, sapor, et alia accidentia corporalia inhærent immediate quantitati, et ea mediante substantiæ corporeæ : ergo sicut si destructa anima, maneret miraculose intellectus ; eo ipso manerent species, et habitus cum eadem unione, quam prius ad intellectum habebant ; ita destructa substantia per conversionem, quantitas, quæ miraculose perseverat, retinet per modum subjecti immediati colorem, saporem, et cætera accidentia, quæ ante conversionem substantiæ habebat sibi unita. Exercet itaque in hoc sacramento officium subjecti respectu aliorum accidentium ibi perseverantium.

24. Confirmat autem S. Doctor hoc motivum, sive principium duabus experientiis sensibilibus. Primam proponit in verbis relatis, quia evidenter videmus dari in sacramento aliquod quantum, sive extensum, quod ab aliis accidentibus afficitur, et denominatur coloratum, sapidum etc. Ergo signum est quantitatem esse subjectum prædictorum accidentium, et denominationum : manifestum namque est ex dictis in duobus dubiis præcedentibus, quod ibi nullum aliud subjectum substantiale existit, quod prædictis affectionibus, ac denominationibus Confirmatio ex D. Tho.

minationibus substernatur. Secundam in argumento *Sed contra*, ubi ait : «Qualitates « non sunt divisibiles nisi per accidens, « scilicet ratione subjecti. Dividuntur autem « qualitates remanentes in hoc sacramento « per divisionem quantitatis dimensivæ, « sicut patet ad sensum. Ergo quantitas « dimensiva est subjectum accidentium, « quæ remanent in hoc sacramento. » Major, quam D. Thomas reliquit ut per se notam, suadetur ulterius : quia qualitas (et idem intellige de aliis accidentibus a quantitate distinctis), non minus caret partibus, et extensione, quam substantia corporea intra proprium genus : et contrarius dicendi modus excludit necessitatem quantitatis, quæ sit speciale ens, contra id, quod in præsenti supponitur, ut supra jam monuimus. Ergo ubicumque inveniatur qualitas, vel aliud accidens cum extensione, et divisibilitate, hos effectus emendicant a quantitate sicut a ratione formali, suntque extensa, ac divisibilia ratione illius. Sed non possunt hunc ab illa effectum participare, nisi ei uniantur, ut communiter contingit in omnibus aliis effectibus formalibus. Sequitur igitur qualitatem, et omne accidens, quod habet esse extensum, et divisibile, uniri cum quantitate. Cumque illam in se non recipiant ; fit de primo ad ultimum, quod ad illam comparentur, sicut ad subjectum, cui immediate insunt.

Alia. Explicatur hoc amplius : nam accidentia, quæ conservantur in Eucharistia, aliquam unionem, aut conjunctionem habent, ut liquet experientia, qua simul existere deprehendimus colorem, saporem, et odorem : sed non uniuntur inter se per modum actus, et potentiæ ; siquidem non est ratio, quare color v. g. comparetur ad odorem sicut actus ad potentiam, quam e converso : ergo uniuntur, et conjunguntur in aliquo tertio, cui inhærent : non est autem assignabile aliud, nisi quantitas : ergo recipiuntur in quantitate sicut in subjecto. Minor hujus secundi syllogismi suadetur : tum quia ibi non est alia substantia, cui prædictæ qualitates insint, ut constat ex dictis dub. præced. Tum quia facta comparatione inter accidentia perseverantia in hoc sacramento, nullum est aptius ad recipiendum, quam quantitas, quæ se tenet ex parte materiæ, primi scilicet subjecti. Tum quia talia accidentia ante conversionem recipiebantur in quantitate sicut in subjecto *quo*, seu ratione recipiendi.

25. Secunda ratio D. Thomæ in loco relato potest ad hanc formam reduci : quoniam illud circa modum existendi horum accidentium oportet asserere, quo posito plura salvantur necessario concedenda, et vitantur nova miracula, sive recursus ad alias providentias extraordinarias : sic enim verum vero consonat, et non necessaria vitantur : sed id contingit juxta assertionem propositam : ergo oportet, quod illi stemus. Minor probatur : tum quia supponendo, quod quantitas est subjectum aliorum accidentium Eucharistiæ, facile intelligere possumus, quod agens naturale possit agere illa transmutando, vel corrumpendo, ut quasi evidenter contingere videmus : potest enim in quantitatem agere sicut erga subjectum propriæ operationis, quod in agentibus naturalibus est omnino necessarium. Si autem dicatur quantitatem non esse subjectum, consequenter fateri oportet, quod solus Deus potest agere erga prædicta accidentia : siquidem solius Dei actio potest agere independenter ab omni subiecto. Unde licet videamus, quod ignis applicatus hostiæ illam comburit, et ignis generatur ; obligabimur dicere ignem generari non ab igne applicato, sed a solo Deo : quod videtur evidenti experientiæ resistere. Tum etiam quia præsupposito, quod quantitas sit commune cæterorum accidentium subjectum, facile etiam intelligimus, quod unum accidens adveniens possit expellere alterum accidens sibi contrarium, v. g. quod unus color expellatur per alium colorem, vel quod calor excludatur per frigiditatem, ut non semel evidenti experientia deprehendimus : potest enim contrarietas exerceri in uno communi prædictorum accidentium subjecto. Cæterum si quantitas non sit subjectum aliorum accidentium, nullum potest assignari subjectum, in quo exerceatur oppositio : quare unum accidens non expelletur formaliter per aliud. Recurrere autem ad extrinsecam voluntatem Dei volentis destruere unum contrarium ad præsentiam alterius absque exercita inter illa oppositione, apparet impertinens : quia Deus naturaliter agens attendit rerum exigentias, et non destruit unum contrarium nisi ad introductionem, atque exigentiam alterius. Tum denique, quia dicendo quantitatem esse commune cæterorum accidentium

Alterum motivum ex D. Thoma.

subjectum, non ponimus nisi unum miraculum circa conservationem prædictorum accidentium : et consistit tale miraculum in manutenentia quantitatis sine subjecto : hoc enim supposito reliqua accidentia consequenter conservantur propter unionem ad subjectum immediatum, scilicet quantitatem, cui ante, et post consecrationem insunt per eandem unionem. In contraria autem sententia necessarium est tot istiusmodi miracula multiplicare, quot sunt accidentia permanentia in sacramento : quia nullam habent connexionem vel inter se, vel in aliquo tertio : et propterea unumquodque debet conservari per diversam actionem, et cum independentia ab omni subjecto : et quælibet harum actionum cum tali modo est speciale miraculum. Unde liquet, quantum communis sententia præferri debeat contrariæ tam in conciliando plura, quæ in hac materia salvari debent, quam in vitando multa miracula.

Quæstio incidens

26. Si autem inquiras, an quantitas sit appellanda subjectum *quod*, vel subjectum *quo* reliquorum accidentium ? Respondetur utroque modo appellari posse : nam quatenus est unicum in actu subjectum, cui alia accidentia insunt, dicitur eorum subjectum *quod :* nec est assignabile aliud subjectum *quod*, in quo recipiantur, ut constat ex dictis dub. præced. Quatenus autem non indiget alia ratione recipiendi talia accidentia, est per se ipsam, et intransitive illorum subjectum *quo*. Sicut proportionabiliter anima rationalis est subjectum *quod* et *quo* intellectus.

Ad aliud dubium Suarii responsio

Si vero rursus inquiras, an accidentia, quæ sunt proprietates rigorosæ panis, et vini conserventur absque novo miraculo distincto ab illo, quo quantitas conservatur ? Respondet negative Suarez : quia accidentia, quæ sunt veræ proprietates dependent ab speciali influxu essentiæ, vel substantiæ, cujus sunt : unde quod postea conserventur absque isto influxu, nequit non esse novum miraculum, quamvis hujusmodi proprietates soli quantitati insint. Oppositum autem contingit in accidentibus communibus, quæ ab isto speciali influxu non dependent, nec a rei essentia dimanant. Sed melius respondet Arauxo art. 2, dub. unico, num. 53, sufficere unum miraculum ad conservationem quantitatis, et omnium accidentium licet propriorum. Ratio est : quia proprietates panis, et vini non procedunt ab istorum substantia, nec terminant ullum specialem ejus influxum, nisi mediante quantitate: quæ sicut est ratio immediata, ut recipiantur in subjecto, sic etiam est ratio immediata, ut influxus, si quis est, substantiæ deferatur ad illa : sed Deus servat quantitatem panis, et vini juxta ejus exigentiam, et conditionem : ergo sicut illam conservat in ratione subjecti immediati tam propriorum, quam communium accidentium ; sic etiam conservat in ratione illa immediata deferendi influxum substantiæ ad proprietates : atque ideo supposito primo miraculo conservandi quantitatem sine substantia, nullum miraculum novum necessarium est ad conservandum proprietates panis, et vini ; sed supposita miraculosa illa qaantitatis conservatione omnia accidentia tam propria, quam communia manent eodem modo immediate in quantitate, sicut prius in illa erant, quando quantitas inhærebat substantiæ.

Si denique inquiras, an divinitus, et per aliud miraculum possint prædicta accidentia existere sine quantitate, ut contingeret casu, quo substantia simul cum sua quantitate, non autem cum aliis accidentibus converteretur in corpus Christi : in quo eventu nulla apparet contradictio. Negant Herveus quodlib. 11, quæst. 29 et Ægidius Theoremate 38 et 39. Quin Suarez pro eadem sententia refert D. Thomam quodlib. 7, art. 10, quod dicat qualitatem separam a subjecto neque fore individuam, neque fore ab aliis distinctam. Et idem videtur esse motivum illis duobus Auctoribus proxime relatis : nam quantitas est principium individuationis in aliis accidentibus : quare si qualitates panis, et vini separarentur tam a substantia, quam a quantitate ; existerent, et non essent individuæ : quod implicat contradictionem. Sed verior, et longe communior est sententia affirmans. Pro qua videri possunt Ferrara 4, *contra gentes* cap. 95, Soto in 4, dist. 10, quæst. 2, art. 9, § *Hinc ergo*, Nugnus in præs. art. 2, difficult. 2, et Suarez disp. 56, sect. 3, in fine. Et probatur : tum quia in hoc non apparet ulla contradictio. Tum quia non magis dependent qualitates, et alia accidentia a quantitate, quam ista a substantia : sed per divinam virtutem fieri potest, quod quantitas separetur à substantia, ut patet in hoc mysterio : ergo eadem

Posterior difficultas et aliquorum opinio.

Herveus Ægid.

Verior sententia.

Ferrara. Soto. Nugnus. Suarez.

dem virtute fieri valet, quod qualitates separentur a quantitate. Quod autem Suarez afferebat ex D. Thoma, non urget : quia S. Doctor loquitur de qualitate separata a subjecto tam actu, quam aptitudine, et ordine, ut bene notat Gonet disp. 6, art. 2, num. 15. In quo eventu non esset individua saltem individuatione, quam modo habet per respectum ad hoc subjectum, et ad hanc quantitatem. Et hinc etiam solvitur præcipuum Adversariorum motivum: quia ad individuationem qualitatum, et aliorum accidentium corporalium, non requiritur essentialiter unio exercita ad quantitatem, sed sufficit ordo ad quantitatem determinatam, sive aptitudinalis prædictorum accidentium inhærentia.

Gonet.

§ II.

Alterius partis dubii decisio.

Conclusio. 27. Dicendum est secundo quantitatem panis, et vini in hoc sacramento non acquirere aliquem modum essendi per se : sed dici esse per se negative, quatenus non inhæret actu substantiæ. Ita colligitur ex D. Thoma in præs. art. 1, in corp. et ad 3, et art. 4 ad 2, et in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 1 ad 1 in quibus locis cum agat de modo, quo quantitas Eucharistica manet separata a subjecto, non meminit alicujus modi positivi ; sed illum modum existendi revocat ad extrinsecam manutenentiam Dei, qui sua infinita virtute conservat quantitatem sine illa actuali dependentia, quam naturaliter habet a subjecto. Unde hæc sententia est communior inter discipulos D. Thomæ : sic enim docent Paludanus in 4, dist. 12, quæst. 3, num. 14, Soto dist. 10, quæst. 2, art. 2, § *Propter hoc argumentum*, Martinus de Ledesma 1 part. Quarti, quæst. 18, art. 2, dub. 1, Nugnus in præs. art. 5 ad 1, Arauxo art. 2, dub. unico, num. 54, et 55, N. Cornejo dub. 3 et 4, N. Philippus disp. 5, dub. 3, N. Gabriel a S. Vincentio disp. 11, quæst. 3, Joannes a S. Thoma in lib. *de Generat.* quæst. 9, art. 2, Prado in præs. dub. 1, § 5, num. 28 et alii. Eandem etiam sententiam amplectuntur Scotus in 4, dist. 12, quæst. 1 ad 2, et quæst. 6 § *Ad argumenta*, Bellarminus lib. 3, *de Eucharistia* cap. 24, Valentia disp. 6, quæst. 5, puncto 1, Granados controv. 6, tract 3, disp. 3, num. 7, Henriquez lib. 8, cap. 30 § 2, Gaspar Hurtado disp. 7, difficult. 2, Præpositus in præs. art. 2, dub. 2, Ochagavia quæst. 27, n. 8, Pasqualig. disp. 106, sect. 5, Bernal. disp. 37, sect. 3, Albertinus coroll. 13, punct. 5, Caspensis disp. 6, sect. 1, n. 4, Mæratius disp. 27, dicens esse communem inter Recentiores, et alii plures.

D. Tho. Palud. Soto. Ledesm. Nugnus. Arauxo. N. Corn. N. Phil. N. Gab. Joann. a S. Th. Prado. Scotus. Bellarm. Valent. Granad. Henriq. Hurtad. Præpos. Ochagav. Pasqual. Bernal. Mærat.

Ratio ex D. Tho. Probatur primo ratione sæpius insinuata a D. Thom. quia posita speciali manutenentia Dei conservantis quantitatem cum reliquis accidentibus sine subjecto, superfluit modus quantitati superadditus : ergo nullus modus positivus additur quantitati Eucharistiæ, ut existat sine subjecto: quippe frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora. Antecedens videtur manifestum : quia concursus ille extrinsecus sufficientissimus est, ut in genere causæ efficientis suppleat omnem dependentiam, quam quantitas, et alia accidentia habent naturaliter a subjecto : ergo superfluit, quidquid aliud superaddatur. Præsertim cum nihil superadditum efficere, aut præstare queat, ut talia accidentia separata a subjecto existant modo sibi connaturali, sed solum per miraculum.

Nec momenti erit, si dicatur hunc modum positivum requiri connaturaliter ex suppositione miraculi propter duo : nempe ut negatio, vel carentia essendi in alio, quam habet quantitas separata fundetur in aliquo positivo : quippe vulgare est carentiam non fundari in alia carentia, sed in aliquo positivo. Et insuper ut modus essendi in alio excludatur connaturaliter : quia unum oppositum non expellitur nisi per aliud : et sic videmus, quod quia humanitas Christi caret modo proprio essendi per se, habet alium modum positivum essendi in Verbo : et si a quantitate auferatur unum punctum, statim additur aliud: et si quantitas desinat terminari per unam figuram, incipit terminari per aliam. Sic igitur quia a quantitate Eucharistiæ tollitur modus proprius inhærendi substantiæ; oportet, quod ei superaddatur modus essendi per se, sive independenter a subjecto. Id, inquam, nihil valet : quia neutrum ex assignatis capitibus fundat sufficientem necessitatem prædicti modi positive superadditi. Non quidem primum : quia carentia essendi in alio sufficienter fundatur in positiva entitate quantitatis connotando actionem Dei conservantis il-

Responsio.

Confutatur.

lam sine subjecto, sive in absentia substantiæ. Neque etiam secundum : quia sæpe contingit unum oppositum excludi absque introductione alterius oppositi positivi, sed per solam privationem, aut negationem, ut patet in visu, qui excluditur cæcitate. Et Adversariorum plures docent posse tolli peccatum absque introductione gratiæ. Exempla autem in contrarium allata non probant ex vi formæ, sed ratione materiæ, in qua inveniuntur : nam humanitas Christi ex natura sua est forma completa per se subsistens : quare si non subsistat per subsistentiam propriam, sive creatam, petit subsistere per subsistentiam divinam. Et similiter quantitas petit ex natura sua terminari positive, et determinari determinata figura : et ideo si non terminatur hoc puncto, terminatur alio, et si non determinatur hac figura, determinatur per aliam. Sed quantitas (et idem est de aliis accidentibus,) non habet ex natura sua indifferentiam ad modum essendi positive in alio, et ad modum essendi positive per se ; sed solum exigit esse in alio : quare si contingat quantitatem non esse in alio, non inde sequitur, quod habeat modum positivum essendi per se ; sed sufficit, quod sit per se negative, id est, non in alio.

Aliud pro asserti ne motivum. 28. Secundo probatur conclusio alia ratione : nam quantitas nequit recipere aliquem modum positivum subsistendi per se, nisi talis modus sit substantialis, vel accidentalis : quippe inter ordinem substantiæ, et ordinem accidentis non est aliquod medium excogitabile, ut aliquid possit esse ens reale, quin sit substantia, vel accidens : sed modus, qui quantitati superadderetur ad subsistendum positive per se, nec esset substantialis, nec esset accidentalis : ergo talis modus est impossibilis, et tanquam fictitius rejici debet. Cætera constant. Et minor quoad utramque partem suadetur : nam in primis prædictus modus nequit esse substantialis. Tum quia ita se habet modus substantialis ad accidens, sicut modus accidentalis ad substantiam : sed implicat substantiam terminari per modum accidentalem, ut existat ad instar accidentis, sive in alio : ergo pariter implicat accidens terminari per modum substantialem, ut existat ad instar substantiæ, sive per se. Tum etiam quia terminus alicujus naturæ debet esse ejusdem ordinis cum tali natura : ergo sicut implicat, quod substantia terminetur per modum entitative accidentalem ad subsistendum per se ; ita repugnat, quod accidens terminetur per modum entitative substantialem, ut subsistat per se, sive ut non existat in subjecto. Tum denique nam quidquid recipitur in accidentibus, sequitur modum essendi illorum, et accommodatur eorum naturæ: sed modus proprius essendi accidentium est per inhærentiam saltem aptitudinalem: ergo quidquid recipitur in accidentibus debet esse aptum, ut inhæreat : impossibile autem est, quod modus entitative substantialis sit aptus ad inhærendum, et quod naturaliter exigat inhærentiam : ergo impossibile est, quod modus aliquis substantialis recipiatur in quantitate, et in aliis accidentibus, vel quod illa intrinsece afficiat. Deinde talem modum non esse accidentalem ostenditur primo : quia modus entitative accidentalis nequit habere effectum formalem subsistentiæ, sicut nec substantiæ : sed communicare positivam independentiam ad essendum in alio est effectus formalis subsistentiæ : ergo nullus modus accidentalis potest præstare positivam independentiam essendi in alio. Secundo, quia de conceptu essentiali accidentis in communi est petere subjectum inhæsionis, sive habere aptitudinem inhærendi ; ergo hoc ipsum competit cuilibet accidenti in particulari, sive sit entitas, sive modus : atque ideo nullus modus accidentalis est possibilis, qui excludat inhærentiam aptitudinalem : cum quo minime cohæret, quod aliquis modus accidentalis præstet perseitatem positivam, quæ fundet exclusionem subjecti. Quare sicut ob hoc motivum est impossibile aliquod accidens entitativum, et completum, quod petat non esse in substantia; sic etiam ob idem motivum implicatorius est modus accidentalis, qui conferat perseitatem, fundetque negationem essendi in substantia tanquam in subjecto inhæsionis.

29. Dices nullam esse contradictionem in eo, quod iste modus sit formaliter, et in essendo aliquid accidentale, et consequenter inhæreat quantitati : et quod nihilominus sit virtualiter, et in causando aliquid substantiale, et subinde præstet subjecto, sive quantitati positivam independentiam, et quod nulli subjecto insit. Sicut semen est formaliter expers vitæ ; et tamen est virtualiter Effugium.

virtualiter vivum, cum causet vitam in genito. Probabile etiam est, quod nonnulli Thomistæ afferunt, qualitatem elevantem nostra sacramenta esse formaliter, atque in esse entis corpoream, sicut sacramenta, in quibus recipitur : quo non obstante est spiritualis virtualiter, et ut *quo*, sive in causando ; siquidem concurrit ad effectus spirituales, puta ad gratiam sanctificantem. Denique secunda intentio universalitatis, quam per intellectum applicamus alicui naturæ, est utique in essendo particularis, et individua relatio rationis : et nihilominus virtualiter, et in causando est universalis, siquidem naturam universalem denominat, et constituit. Simili itaque ratione fieri potest modus entitative accidentalis, et quantitati inhærens, qui sit virtualiter, et ut *quo* subsistens, quatenus quantitatem constituit positive subsistentem, aut non existentem in aliquo subjecto.

Præcluditur. Sed hoc nihil est : quoniam implicat illud, quod causat effectum formalem, non esse formaliter tale, et ejusdem ordinis cum effectu ; siquidem non aliter causat formaliter, quam exhibendo se ipsum, et subjecto communicando, quod in se habet. Quare si nullus modus accidentalis excludit ordinem ad subjectum, quin potius exigit naturaliter illud ; impossibile est aliquem modum accidentalem communicare quantitati independentiam positivam, qua subjectum excludat, et fiat per se subsistens ad instar substantiæ : quippe talis modus causat formaliter, sive per exhibitionem propriæ rationis, quam habet. Nec exempla allata oppositum probant: nam semen causat vitam formaliter, sed solum effective instrumentaliter : unde non petit habere in se vitam ; sed sufficit, quod viventi principaliter agenti subordinetur. Et idem dicendum est de virtute instrumentali corporea in ordine ad effectus spirituales juxta probabilem aliquorum sententiam : nam talis virtus non causat formaliter, sed effective per subordinationem ad agens spirituale, quod præhabet perfectionem effectus. Et minus adhuc valet ultimum exemplum : nam illa secunda intentio individua est ordo sive relatio ad plura, in quo sensu dicitur universalis : unde mirum non est, quod naturam, quam refert, denominet, ac constituat in eodem sensu universalem. Sed quod modus accidentalis, cui convenit esse in alio, constituat formaliter subjectum non existens in alio, est non obscura contradictio ob ea, quæ supra diximus.

§ III.

Referuntur sententiæ contrariæ, et earum motivis satisfit.

30. Contra primam conclusionem sunt, qui sentiunt accidentia Eucharistica æque primo existere sine subjecto, et non inhærere quantitati sicut subjecto communi : quia sentiunt quantitatem non esse aliquod speciale distinctum a rebus quantis, utpute a substantia corporea, colore, figura etc., unde colligunt, quod in hoc mysterio sicut destruitur substantia panis, et vini, sic etiam destruitur ejus quantitas ; et sicut manent color, odor, et alia accidentia, sic etiam manet illorum quantitas, utpote quæ a rebus ipsis minime distinguitur. Ita plures Nominalium, Ochamus in 4 quæst. et in tract *de Eucharistia*, cap. 28, Gabriel lect. 44, *in Canon. Missæ*, Major in 4, dist. 12, quæst. 2, Aliacensis ibi, quæst. 6, art. 3. Eandem sententiam et eodem principio ducti tuentur aliqui Recentiores, Lessius *de perfect. div.* lib. 12, num. 112, Bernal disp. 38, sect. 2, Pasqualigus disp. 106, sect. 4, Petrus Hurtado *in Physic.* disp. 6, sect. 6, Arriaga *in Physic.* disp. 6, sect. 2, subsect. 5, et alii. Prædictam etiam sententiam, quamvis alio motivo, sequuntur Marsilius in 4, quæst. 9, art. 2, Aversa quæst. 5, sect. 2, concl. 3, et *in Physic.* quæst. 21, sect. 6, et alii. [Prima sententia adversa. Ocham. Gabriel. Major. Aliac. Lessius. Bernal. Pasqual. Hurtad. Arriaga. Marsil. Aversa.]

Commune Nominalium, et illorum Recentiorum motivum est, quod quantitas non est res distincta realiter a rebus, quæ dicuntur quantæ, et extensæ : quare ex substantia panis in corpus Christi conversa non relinquitur una quantitas, quæ possit esse commune reliquorum accidentium subjectum. Sed in dissolvendis illis, quibus illam de non distinctione quantitatis a re quanta positionem probare solent, non immoramur, qui cum communi Philosophorum, et Theologorum sententia supponimus oppositum. Quod tam manifestum apparet, congruumque intellectui bene disposito, ut temperatissimum Angelici Doctoris ingenium oppositum censuerit esse deceptionem. « Quidam » (inquit in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 3,) [Nominalium motivum prætermittendum. D. Tho.]

« decepti fuerunt, ut crederent dimensio« nes esse substantiam rerum sensibilium.» Et plane cum substantia per se, et secundum quod explicat ejus diffinitio, non magis includat esse extensam, esse divisibilem, occupare locum, et similia, quæ sunt propria quantitatis, quam habeat de se, et sua diffinitione esse albam, esse calidam, referri ad terminum, et alia ejusmodi ; non apparet ratio, quare qualitas sit accidens faciens substantiam albam, aut calidam, et relatio sit accidens faciens substantiam relatam ; et quantitas non sit accidens faciens substantiam extensam, divisibilem, et replentem locum. Unde vel negare oportet necessitatem cæterorum accidentium, quod esset summa non solum deceptio, sed stultitia (quam reprobat fides, docens in Eucharistia non manere substantiam panis, et vini, remanentibus nihilominus horum accidentibus): vel fateri oportet necessitatem quantitatis realiter distinctæ tam a substantia, quam ab aliis rebus. Præsertim cum quantitas juxta omnes Philosophos terminet specialem motum augmentationis : sicut enim generatio terminatur ad formam substantialem, et alteratio ad qualitatem, et latio ad ubi : ita etiam augmentatio terminatur ad quantitatem : et ita oportet quantitatem esse terminum distinctum ab ejus motus subjecto, quod est substantia. Prætermissis itaque oppositis principiis, ut hoc loco impertinentibus, et quæ rotunde negamus.

Primum argumentum. 31. Aliter arguitur primo : quia juxta Philosophum 4 *Metaphys.* cap. 4 : « Accidens non est accidenti accidens : » sed id falsificaretur, si alia accidentia Eucharistiæ essent in quantitate sicut in subjecto : ergo non ita contingit. Confirmatio. Confirmatur : quia quantitas separata ab omni subjecto est quantitas mathematica quæ sicut abstrahit a loco, et tempore, sic etiam abstrahit a qualitatibus sensibilibus : sed quantitas in Eucharistia manet separata ab omni subjecto : ergo est quantitas mathematica : atque ideo nequit esse subjectum qualitatum sensibilium ibi permanentium.

Eliduntur. Ad argumentum respondetur testimonium illud verificari in accidentibus connaturaliter, et per se loquendo, sive secluso separationis miraculo, quod non cognovit Philosophus. Sed supposito miraculo, sicut quantitas potest manere sine subjecto, ita potest esse aliorum accidentium subjectum : atque ideo verificari valet, quod accidens alteri accidenti adjaceat. Unde D. Thomas similem objectionem diluit in resp. ad 1, his verbis : « Dicendum, quod « accidens per se non potest esse subjectum « alterius accidentis : quia per se non est. « Secundum vero, quod est in alio, unum « accidens dicitur esse subjectum alterius, « in quantum unum accidens recipitur in « subjecto, alio mediante : sicut superficies « dicitur esse subjectum coloris. Unde « quando accidenti datur divinitus, ut per « se sit, potest etiam per se alterius accidentis subjectum esse. » D. Tho. Ad confirmationem respondetur quantitatem mathematicam, aut mathematice consideratam abstrahere non solum a subjecto exercito, sed etiam a subjecto signato, sive ab ordine ad subjectum, et similiter abstrahere ab omnibus affectionibus sensibilibus. Id vero minime convenit quantitati in hoc sacramento : nam licet actu non hæreat, habet tamen aptitudinem inhærendi, et conjungitur pluribus sensibilibus accidentibus, ut ex se liquet. Unde quantitas Eucharistiæ nullo modo habet rationem quantitatis mathematicæ : atque ideo habere potest rationem subjecti sensibilium qualitatum ibi existentium. Sic difficultatem diluit Divus Thomas in resp. ad 4, his verbis : Idem. « Dicendum, quod quantitas mathematica « non abstrahit a materia intelligibili, sed « a sensibili, ut dicitur 7 *Metaphys.* Dicitur autem materia sensibilis ex hoc, quod « subjicitur sensibilibus qualitatibus. Et « ideo manifestum est, quod quantitas dimensiva, quæ remanet in hoc sacramento « sine subjecto non est quantitas mathematica. »

Secundum argumentum. 32. Arguitur secundo : nam accidentia manent eodem inter se ordine, quo prius erant in substantia panis : quippe hac destructa per conversionem in corpus Christi, reliqua manent immutata : sed durante substantia panis, accidentia non erant in quantitate sicut in subjecto : ergo destructa substantia panis, non insunt quantitati sicut subjecto. Consequentia est evidens. Et minor suadetur : tum quia si accidentia, durante substantia, reciperentur immediate in quantitate, sicut in subjecto, jam non essent actus entis, hoc est substantiæ : nec substantiam qualificarent, et determinarent, sed magis quantitatem, quod est absurdum, et destruit propriam rationem accidentium

accidentium, quæ ordinantur ad substantiam. Tum etiam quia accidentia, quæ sunt dispositiones physicæ, debent in eo subjecto immediate recipi, quod disponunt ad formam substantialem : sed manifestum est, quod non disponunt quantitatem ad formam substantialem, sed solam materiam primam : ergo non in quantitate, sed in aliqua substantia immediate recipiuntur. Tum præterea quia accidentia, quæ sunt immediate operativa, debent immediate uniri principio radicali operandi : hujusmodi autem principii ratio minime competit quantitati, quæ operativa non est ; sed competit composito ratione formæ substantialis : ergo prædicta accidentia non recipiuntur in quantitate, sed in sola substantia.

Solvitur. Respondetur negando minorem : oppositum enim constat ex dictis pro nostra assertione. Nam cum accidentia actu inhærentia substantiæ debeant recipi in subjecto modo ordinato, et habere ordinem inter se ; congruum est, quod supponant tanquam rationem recipiendi illud accidens, quod est primum in genere causæ materialis, et magis accedit ad conditionem materiæ, imitaturque ejus conditiones ; et istud est quantitas : quare alia accidentia recipiuntur in substantia media quantitate, huicque immediate insunt. Ad primam autem probationem in contrarium negamus sequelam : quia quod accidentia inhæreant quantitati sicut subjecto *quo*, et rationi recipiendi, minime impedit, quod respiciant substantiam tanquam subjectum *quod* ; nec quod sint ejus affectiones, et determinationes : quippe quæ non alio fine uniuntur immediate quantitati, nisi ut simul cum ea subjectum aut substantiam afficiant, communicando se illi tanquam subjecto *quod*. Sed ubi substantia destruitur, quantitas remanens incipit denominari subjectum accidentium, non solum ut *quo*, sicut prius denominabatur ; sed etiam ut *quod* negative : quia non est in alio, et quia accidentia non habent aliud subjectum in actu. Ad secundam respondetur negando majorem : quia generaliter loquendo subjectum, quod disponitur ad formam substantialem, non est compositum substantiale, sed sola materia prima : et tamen accidentia disponentia non recipiuntur immediate in sola materia, sed in toto composito, ut cum communi Thomistarum sententia bene probant N. Complut. in lib. *de Generatione* disp. 2, quæstione 7 ; eadem itaque ratione licet non disponant quantitatem, sed materiam, non oportet, quod recipiantur immediate in materia, sed in quantitate : et sic recepta simul cum ipsa quantitate disponunt materiam ad recipiendum formam substantialem ; cum vel sic recepta possint materiam determinare ad unam formam præ aliis. Et hinc patet ad tertiam probationem: quia sicut non obstante, quod facultates immediate operativæ consequantur formam substantialem, non recipiuntur in sola forma, sed in toto composito ; sic etiam possunt recipi immediate in quantitate : præsertim cum hæc, licet operativa non sit, disponat, ut facultates operativæ habeant convenientem modum essendi, qui requiritur ad operandum, nempe extensionem in ordine tam ad se, quam ad locum ; sine quibus salvari nequit contactus in agentibus corporalibus requisitus.

33. Arguitur tertio : quia inter alia accidentia, quæ remanent in hoc sacramento, dantur rarum, et densum, ut ipsa experientia sensibili demonstratur : sed rarum, et densum nequeunt esse in quantitate sicut in subjecto : ergo falsum est quantitatem in Eucharistia esse subjectum reliquorum accidentium ibi perseverantium. Probatur minor : quia rarum est, quod habet parum de materia sub magnis dimensionibus ; densum vero, quod habet multum de materia sub parvis dimensionibus, ut dicitur in 4 *Physic.* sed quantitas in Eucharistia non habet sub suis dimensionibus magnam, nec parvam quantitatem ; siquidem nulli materiæ, aut substantiæ hæret, ut constat ex dictis dubio præcedenti : ergo quantitas in Eucharistia non est subjectum, quod denominetur rarum, aut densum. Tertium argumentum

Ad hoc argumentum respondetur aptius quidem esse, ut probet in Eucharistia non remanere accidentia illa, quæ vocantur densitas, et raritas, quam ut evincat has qualitates, si semel ibi manent, non recipi immediate in quantitate, sicut consideranti facile constabit. Quin prædictum argumentum, si concluderet, suaderet manere in Eucharistia materiam sub parvis, aut magnis dimensionibus: quod tamen dicere est hæreticum, ut dubio præcedenti ostendimus. Respondemus ergo negando minorem. Cujus probationem recte diluit Responsio.

D. Tho. D. Thomas in resp. ad 3, his verbis : « Dicendum, quod rarum, et densum sunt « quædam qualitates consequentes corpora « ex hoc, quod habent multum, vel parum « de materia sub dimensionibus : sicut « etiam omnia alia accidentia consequun- « tur ex principiis substantiæ. Et ideo sicut « subtracta substantia, divina virtute con- « servantur alia accidentia : ita subtracta « materia, divina virtute conservantur « qualitates materiam consequentes, sicut « rarum, et densum. » Nec requiritur, quod istæ qualitates importent actu multum, vel parum de materia : sed sufficit, quod illud importent aptitudinaliter, et secundum exigentiam, in quantum raritas petit parum de materia sub magnis dimensionibus, densitas vero petit multum sub parvis. An autem cum rarefiunt species sacramentales adquiratur aliqua nova pars quantitatis, quæ ante consecrationem non fuerit; est difficultas diversa, et ad hunc locum non pertinens : in qua præferri debet pars negativa cum D. Thoma 1, 2, quæst. 52, art. 2 ad 1, et lib. 4 *Physic*. lect. 14, quibus, et aliis locis docet in his, quæ rarefiunt, fieri augmentum absque additione. Unde non est admittendum in accidentibus Eucharisticis, quod quando rarefiunt, producatur nova quantitas, vel quantitatis pars, quæ tempore consecrationis non fuerit quantitas, aut pars quantitatis specierum.

Incidens quæstio.

Secunda sententia contraria. 34. Contra secundam conclusionem est opinio affirmans accidentia ex vi consecrationis acquirere novum aliquem modum positivum, ut existant per se. Ita ex Thomistis Caietenus in præsenti art. 1, Serra ibidem, Ferrara lib. 4 *contra gentes* cap. 66, Gonet disp. 6, art. 3, pro eadem referens Alvarez, et Nazarium. Ex aliis autem Suarez disputatione 56, sectione 2, conclus. 2, Vazquez disputatione 194, cap. 2, Coninckus questione 77, articulo 1, dubio 2, Lugo disput. 9, sectione 1, dub. 3, et alii. Quam probant primo ex D. Thoma in præs. art. 2 ad 1, ubi ait : « Unde « quando accidenti datur divinitus, ut per « se sit, potest etiam per se alterius acci- « dentis subjectum esse. » Et similia tradit art. 4, in resp. ad 2, et 3, et lib. 4, *contra gentes* cap. 66, inquit : « Miraculose acci- « dentibus confertur, quod subsistant, « quod est proprium substantiæ. » Et in 4, distinctione 12, quæst. 1, artic. 1, quæstiunc. 3, docet : « Virtute divina confertur « dimensionibus, quæ fuerunt panis, ut « sine subjecto subsistant in hoc sacra- « mento : quod est prima proprietas subs- « tantiæ. » Ex quibus manifestum videtur D. Thomam sentire, quod accidentibus Eucharisticis datur, et subinde additur aliquis modus positivus existendi per se : quod et non amplius dicit hæc sententia.

Cajetan. Ferrara. Gonet. Suarez. Vazq. Coninck. Lugo.

Suadetur ex Div. Thoma.

Argumentum. Unde arguitur primo : nam quidquid existit per se, debet habere modum existendi per se: atqui quantitas in hoc sacramento existit per se, ut tam perspicue docet D. Thomas : ergo quantitas in hoc sacramento habet modum aliquem positivum existendi per se. Probatur major : quia nullus effectus formalis potest alicui convenire, nisi habeat formam, quæ illum præstet : sed existere per se est quidam effectus formalis, et forma illum præstans est modus existendi per se : ergo quidquid existit per se, debet habere modum positivum existendi per se.

Mens D. Tho. Ad testimonia D. Thomæ respondetur S. Doctorem minime intendere, quod accidentibus communicetur modus existendi per se, qui est proprius substantiæ : hic enim excludit non solum inhærentiam actualem, sed etiam aptitudinalem : quippe substantia non solum non est in subjecto inhæsionis, verum nec divinitus esse potest. Et tamen certum est, quod licet accidentia Eucharistica non hæreant actu substantiæ, semper tamen habent aptitudinem inhærendi : hæc enim nulla ratione potest ab accidentibus separari. Unde prædicta accidentia solum consequuntur esse per se actualitere, sive quod actu in subjecto non sint. Et hoc est, quod Div. Thomas asserit in locis relatis. Porro ut prædicta accidentia habeant hunc existendi modum, non indigent aliquo modo sibi superaddito ; sed sufficit, quod illorum subjectum destruatur, et quod ipsa conserventur in esse, quod prius habebant : sic enim consequuntur, quod sint per se, id est, non in alio. Et ita plane sentit Div. Thomas in locis relatis, ut magis colligitur ex ejus doctrina in præsenti articulo 1 ad 3, ubi ait : « Dicendum, quod hujusmodi « accidentia acquisierunt esse individuum « in substantia panis, et vini : qua con- « versa in corpus, et sanguinem Christi, « remanent virtute divina accidentia in « illo esse individuato, quod prius habebant.

« bant. » Ubi liquet non aliud requirere, ut accidentia post consecrationem habeant esse per se, quam quod ante consecrationem acquisierint esse in substantia panis, et vini; et quod post conversionem, et destructionem talis substantiæ remaneant virtute divina in eodem esse. Pro quibus omnibus verificandis minime desideratur novi alicujus modi positivi superadditio. Et hinc ad argumentum respondetur, quod eo modo, quo aliquid existit per se, debet habere modum essendi per se, et formam, quæ communicet talem effectum formalem. Sed accidentia Eucharistica solum existunt per se negative, quatenus existunt, et non in alio : ad quod sufficit, quod retineant esse, quod prius habebant, et quod illud non habeant in alio, sicut habebant ante consecrationem. Unde superfluum est illis addere alium modum novum positivum. Ex quibus patet differentia inter modum existendi per se, quem habent accidentia Eucharistica, et modum existendi per se, qui est proprius substantiæ, et dicitur subsistentia. Nam modus existendi per se competens substantiæ fundatur in ejus complemento intra propriam lineam, unde habet, quod excludat subjectum tam actu, quam potentia : et ideo importat modum positivum perfectionis, qui fundat non solum negationem essendi in alio, sed etiam repugnantiam ad essendum. Sed modus existendi per se horum accidentium non fundatur in alio nisi in exclusione subjecti actualis, cui hæreant, retinendo tamen aptitudinem inhærendi : pro quo nihil additum de novo requiritur, sed sufficit esse antiquum connotando extrinsecam Dei manutenentiam.

Argumenti dilutio.

35. Sed instabis (et sit secundum argumentum) : nam illud, cui naturaliter convenit esse in alio, nequit existere per se, nisi immutetur, et aliquid de novo accipiat : sed accidentia hæc, quibus naturaliter convenit esse in alio, existunt per se in hoc sacramento : ergo debent immutari, et aliquid de novo acquirere. Probatur major : tum quia existere per se est aliquis effectus formalis, ab aliquo principio formali dependens : ergo quod prius non existebat per se, et modo existit per se, debet immutari, et aliquid de novo recipere. Tum etiam quia nisi immutetur aliquid recipiendo, manebit sicut prius : ergo ut de novo habeat esse per se, quod prius non habebat, debet immutari, et aliquid recipere. Nec momenti erit, si dicatur ad ista sufficere, quod prædicta accidentia mutentur immutatione privativa, quatenus ex vi consecrationis deponunt modum actualis inhærentiæ, quem prius habebant. Nam contra hoc est primo, quod sicut existere est effectus realis alicujus formæ positivæ, ita existere per se est effectus alicujus formæ realis positivæ : ergo ut accidentia incipiant existere per se, debet illis addi aliquid positivum. Secundo, quia per hoc præcise, quod ab eis auferatur modus actualis inhærentiæ, et nihil eis addatur, tantum abest, ut existant per se, quod potius naturaliter pereant : ergo talis mutatio privativa minime sufficit, ut prædicta accidentia existant per se. Tertio, quia naturale, et commune est, quod ubi aliquid privatur modo, aut termino sibi connaturali, alium positivum consequatur, ut patet in humanitate Christi, qui loco subsistentiæ propriæ recipit divinam, et in linea, quæ si amittat unum punctum, acquirit aliud : ergo si accidentia immutantur per ablationem modi inhærentiæ, ex hoc ipso convincitur, quod debent acquirere alium novum, et positivum modum existendi.

Secundum argumentum.

Respondetur concedendo prædicta accidentia, cum incipiunt existere per se, immutari, et aliquid de novo acquirere : et in hoc sensu concedimus majorem, quam recte evincunt inductæ pro illa probationes. Cæterum cum ista accidentia non existant per se positive ex vi alicujus perfectionis, quæ fundet repugnantiam essendi in subjecto ; sed tantum existant per se negative, quatenus actu in subjecto non sunt : minime requiritur, quod accipiant aliquem novum modum positivum : sed sufficit, quod a Deo conserventur sine subjecto. Quo pacto immutantur mutatione privativa, et acquirunt aliquid de novo, nimirum carentiam inhærentiæ actualis. In quo sensu approbamus responsionem inter arguendum adhibitam. Ad cujus primam impugnationem dicendum est, quod existere per se positive tam ex parte existentiæ, quam modi debet esse adæquate effectus formæ positivæ : sed existere per se positive ex parte existentiæ, et negative ex parte modi solum exigit inadæquate formam positivam, nimirum ex parte solius existentiæ, non autem ex parte modi. Et

Solutio.

quia accidentia Eucharistica hoc tantum secundo modo existunt per se, ut constat ex supra dictis; propterea opus non est, quod immutentur adquirendo aliquem modum positivum. Ad secundam dicendum ita quidem esse, quod ex destructione subjecti magis sequeretur destructio istorum accidentium, quam eorum existentia per se: et ita naturaliter loquendo contingeret. Sed adest hic miraculum extrinsecæ manutenentiæ Dei illa conservantis sine subjecto. Quo miraculo supposito, et connotato non amplius requiritur, ut prædicta accidentia existant per se negative, hoc est, non in alio, non in subjecto. Ad tertiam constat ex dictis num. 27, ubi ostendimus illam regulam non esse universaliter veram; sed fieri posse, ut aliquid positivum auferatur ab aliquo sine introductione, vel acquisitione contrarii oppositi, vel formæ positivæ.

Tertium argumentum. 36. Arguitur tertio: quia si accidentia Eucharistica conserventur sola extrinseca manutenentia Dei; conservabuntur utique violenter, atque ideo opus erit multiplicare miracula non necessaria: si vero conserventur per aliquid positivum sibi impressum, quod ex natura sua præstet existere per se; conservabuntur profecto magis connaturaliter, et absque ulla violentia, sed cum proportionata consequuntione ex vi præcedentis miraculi: ergo verisimilius est prædicta accidentia consequi aliquem modum positivum, quo existant per se.

Diluitur. Respondetur primam antecedentis partem esse falsam: quia licet accidentia conserventur extra subjectum per solam extrinsecam actionem, non propterea patiuntur aliquam violentiam; nec dicendum est, quod sint in statu violento, sed in statu præternaturali, et supra illorum exigentiam, ut constat ex dictis num. 19. Altera etiam antecedentis pars est falsa: quia nullus modus positivus præstat ex natura sua existere per se, nisi sola subsistentia: hæc autem nullo modo potest communicari accidenti: et si communicaretur, esset in illo prorsus innaturaliter, et improportionate, ut ostendimus num. 18. Recurrere autem ad modum aliquem accidentalem, nihil prodest: quia nullus modus accidentalis præstare valet perseitatem positivam; cum non minus ille, quam reliqua accidentia, petat connaturaliter esse in subjecto inhæsionis, ut eo loco vidimus. Unde patet, quod multo plura præternaturalia, violenta, et miraculosa inducit hæc Adversariorum opinio, quam nostra.

37. Arguitur quarto: quoniam ubi est nova, et specialis actio transiens, debet habere novum, specialem, et diversum terminum productum: præsertim ubi actio est divina, et solum virtualiter transiens, quæ cum non dicat se ipsam per modum viæ, et fluxus; dumtaxat dicit se ipsam in se cum termino a parte rei posito: sed actio, qua Deus conservat accidentia Eucharistica sine subjecto est nova, et specialis actio virtualiter transiens, ut constat ex supra dictis num. 21; ergo talis actio debet habere novum, specialem, et diversum terminum: atqui nullum alium habere potest, quam modum positivum existendi per se prædictis accidentibus communicatum: ergo talis modus necessario debet concedi. Probatur minor: quia secluso prædicto modo, nihil aliud ex parte termini manet, nisi ipsa accidentia, et carentia inhærentiæ, sive non esse in subjecto: ex quibus accidentia jam erant producta, atque existebant antecedenter ad consecrationem; unde nequeunt esse novus, et specialis terminus actionis Dei: carentia vero inhærentiæ, vel non esse in subjecto est quædam privatio; atque ideo nequit habere rationem termini positivi: ergo secluso aliquo modo accidentibus superaddito nihil relinquitur, quod possit esse novus, et specialis terminus prædictæ actionis. Confirmatur, et declaratur amplius: nam influxus supernaturalis (qualem esse actionem Dei conservantis accidentia sine subjecto diximus numer. 21), debet terminari ad aliquid supernaturale: sed in solis accidentibus, et carentia existentiæ in subjecto nihil supernaturale relucet: ergo terminus talis actionis non consistit in solis accidentibus cum prædicta carentia, sed super hæc addit modum aliquem positivum supernaturalem.

Quartum argumentum. Confirmatio.

Ad argumentum concedimus totum primum syllogismum in hoc tamen sensu, quod nova illa Dei actio non tendit per se primo ad producendum, sed ad conservandum rem, quæ supponitur producta: et deinde negamus minorem subsumptam. Ad cujus probationem constat ex dictis nu. 21, terminum prædictæ actionis esse acci- Convelluntur.

dentia

dentia ut existentia sine subjecto ; atque ideo esse terminum novum, et supernaturalem in esse termini : quia licet accidentia supponantur producta per aliam actionem; nihilominus in quantum existunt sine subjecto, explicant diversam rationem formalem terminandi, quæ postulat alium, novum, et superiorem influxum. Sicut idem entitative est homo, qui resurget, et qui prius fuerat naturaliter genitus : et tamen ut resurgens exposcit specialem influxum Dei supernaturalis agentis : quamvis nec ut terminet hunc influxum, egeat aliquo modo supernaturali sibi superaddito. Et idem fit ubi salus, aut visus miraculose restituitur. Quia in hoc, et similibus exemplis termini non dicuntur supernaturales, quia tales sint in esse entis ; sed quia sunt tales ex parte modi, quo fiunt, et attinguntur. Quod pariter in hac materia contingit : nam licet accidentia panis, et vini supponantur jam facta per actionem ordinis naturalis; nihilominus ut existentia sine subjecto induunt expressionem excedentem vires totius naturæ : atque ideo ut sic existentia petunt conservari per novum, et specialem influxum ordinis superioris. Qui influxus non terminatur per se primo ad carentiam inhærentiæ, quæ est mera carentia, aut privatio ; sed terminatur ad prædicta accidentia : non quidem secundum se accepta, sed ut connotantia, et importantia in obliquo carentiam subjecti : quo pacto, et absque alio sibi superaddito sunt aliquid novum, speciale, et supernaturale in esse termini, sicut exemplo plo honimis resurgentis, et salutis subito restitutæ satis declaratur. Ex quibus patet ad confirmationem : jam enim explicuimus, qualiter illa accidentia, quæ manent eadem in esse entis, incipiunt esse terminus novus, et supernaturalis in esse termini.

Replica. 38. Nec refert, si opponas actionem illam, qua Deus conservat accidentia, esse accidentalem, sive ejusdem ordinis cum ipsis accidentibus ; et nihilominus tribuit illis esse per se : ergo pariter non repugnat aliquis modus accidentalis, qui illis tribuat eandem perseitatem : et sic evertuntur, quæ diximus num. 28. Id, inquam, nihil

Eliditur. valet : quia actio. qua Deus conservat prædicta accidentia, est substantialis, et increata ; cum sit ipse Deus, qui ad extra agit actione non formaliter tantum transeunti, et formaliter immanenti : quare neganda est objectionis major. Tum etiam quia si daretur modus ab Adversariis introductus, redderet accidentia positive existentia per se : actio vero Dei ab extrinseco conservantis accidentia solum constituit illa existentia per se negative, id est, non in alio : quocirca vel omissa majori, et concessa minori in prædicto sensu, neganda est absolute consequentia ob assignatam disparitatem. Tum denique nam licet actio accidentalis possit communicare perseitatem positivam, ut patet in actione agentium naturalium, qua generant alia supposita : nunquam tamen ipsa perseitas positiva termini est modus accidentalis, sed substantialis, qui dicitur subsistentia. Et ratio disparitatis est, quod actio non constituit terminum subsistentem per se ipsam formaliter, sed solum effective, et per subordinationem ad agens principale, cujus causalitas est : sed modus productus constituit per se ipsum formaliter terminum subsistentem, aut existentem per se positive. Implicat autem, quod modus accidentalis præstet per se formaliter hunc effectum : nam cum accidens sit ; ex ipso generali, et essentiali conceptu accidentis poscit esse in alio : unde nequit formaliter subjectum excludere, aut aliis communicare subjecti exclusionem.

DUBIUM IV.

Utrum accidentia Eucharistica possint agere et pati ?

Quia agere, et pati consequuntur ad esse : ideo postquam vidimus, qualiter accidentia panis, et vini existunt in hoc sacramento, ulterius videre oportet, an, et quando possint in illo agere, et pati. Quæ duo hic connectimus, quia connexionem habent, et non longam discussionem exposcunt. Sed tamen claritatis gratia, quam ordo conciliat prius dicemus

§ I.

Quid sentiendum de acttonibus ?

39. Dicendum est primo accidentia Eucharistica, sive species sacramentales posse agere omnibus actionibus, quibus prius poterant tam in ordine ad immutationes accidentales, quam substantiales, idque absque novo miraculo. Ita D. Thomas in præs. art. Conclusio

Fundamentum ex D. Thoma. 3, cui subscribunt non solum discipuli sed communiter alii Theologi, quos proinde non recensemus. Et probatur in communi, sive quoad omnes simul partes, optimo discursu D. Thomæ, quem sic proponit loco cit : « Dicendum, quod quia unumquodque « agit, in quantum est ens actu; conse-« quens est, quod sicut unumquodque se « habet ad esse, ita se habeat ad agere. « Quia igitur secundum prædicta speciebus « sacramentalibus datum est divina vir-« tute, ut remaneant in suo esse, quod ha-« bebant, substantia panis, et vini exis-« tente ; consequens est, quod etiam rema-« neant in suo agere. Et ideo omnem « actionem, quam poterant agere, substan-« tia panis, et vini existente, possunt etiam « agere substantia panis, et vini transeunte « in corpus, et sanguinem Christi. Unde « non est dubium, quod possunt immu-« tare exteriora corpora. » Præoccupatur objectio. Nec refert, si dicas corpus etiam Christi in hoc sacramento habere idem esse, quod habet extra sacramentum sive in propria specie : et tamen in sacramento existens nequit agere actione sensibili, cum id possit in propria specie, ut diximus disp. 6, dub. 5; ergo ex eo, quod ista accidentia habeant idem esse, quod habebant in propria substantia, non sequitur posse agere easdem actiones, in quas propria substantia poterant, atque ideo D. Thomas minus recte assumit illud principium generale, et infert generalem conclusionem. Non, inquam, id refert, sed facile diluitur : quia illud principium procedit per se loquendo, et suppositis aliis conditionibus ad agendum necessariis. Corpus autem Christi licet in sacramento habeat idem esse, quod extra; nihilominus caret extensione in ordine ad locum : quæ tamen requiritur ad attingendum corpora, et ad sensibiliter agendum : unde in sacramento existens nequit sensibiliter agere. Cæterum accidentia Eucharistica non solum habent idem esse, quod prius, sed etiam reliquas ad agendum conditiones : et ideo possunt agere easdem actiones, quas poterant prius.

Evidentior probatio. Deinde probatur assertio quoad singulas partes. Nam in primis possunt agere ad immutandum immutatione accidentali intentionali, sive in ordine ad sensationem : quippe evidenti experientia constat, quod videntur, et tanguntur, sicut prius quod non fit, nisi per hoc quod talia accidentia transmittunt ad sensus species sensibiles. Deinde agunt ad immutandum immutatione accidentali physica : nam evidenti pariter experientia deprehendimus talia accidentia physice immutare calefaciendo, infrigidando, humectando, et causando similes effectus. Præterea quod possint agere ad immutandum immutatione substantiali, probat recte D. Thom. in resp. ad 3, his D. Tho. verbis : « Dicendum, quod immutatio, quæ « est ad formam substantialem, non fit a « forma substantiali immediate, sed me-« diantibus qualitatibus actionis, et pas-« sionis, quæ agunt in virtute formæ « substantialis. Hæc autem virtus instru-« mentalis conservatur in speciebus sacra-« mentalibus divina virtute, sicut, et prius « erat. Et ideo possunt agere ad formam « substantialem instrumentaliter. Per « quem modum aliquid potest agere ultra « suam speciem : non quasi virtute pro-« pria, sed virtute principalis agentis. » Quam doctrinam recte explicant, et defendunt N. Complutens. abbrev. in lib. *Physic.* N. Comp. disp. 10, quæst. 3, et 4. Deinde quod prædicta accidentia possint prædicta omnia exercere absque novo miraculo, sed ex vi illius, quo quantitas eorum conservatur sine subjecto juxta doctrinam in superioribus traditam, ostenditur : quoniam principium agendi in his accidentibus non est quantitas, sed qualitas, sicut etiam in eisdem contingebat ante consecrationem : sed supposito miraculo, quod quantitas conservetur sine subjecto, hæc accidentia absque novo miraculo existunt in quantitate, ut diximus num. 26 ; ergo supposito illo miraculo, nullum aliud necessarium est, ut hujusmodi accidentia exerceant suas operationes : atque ideo cum eodem Dei concursu, quo prius poterant, valent etiam extra subjectum prædictas actiones agere.

40. Non reperimus sententiam, quæ neget accidentia Eucharistica posse agere ad immutandum immutatione accidentali Sed Durandus in 4, dist. 12, quæst. 2, docuit hujusmodi accidentia posse quidem in virtute substantiæ, cujus sunt, corrumpere aliam substantiam, non tamen posse aliam substantiam generare. In quo loquitur valde inconsequenter : tum quia corruptio unius substantiæ est generatio alterius. Tum quia nullum agens particulare intendit per se corruptionem, sed generationem: quare nullum agens particulare causat cor- Sententia Durandi falsa.

ruptionem

ruptionem. nisi prius ordine naturæ in genere causæ finalis, et formalis causet generationem. Qua ergo virtute accidentia Eucharistica possunt agere ad corruptionem unius substantiæ, possunt etiam ad generationem alterius. Magis consequentur loquutus fuit Scot. eadem dist. quæst. 3, § *Dico ergo*, ubi affirmat accidentia Eucharistica non concurrere active ad corruptionem, vel generationem alicujus substantiæ; sed solum efficere ultimam dispositionem accidentalem, et ea posita Deum solum producere formam substantialem in materia, alteram formam excludendo. Sed hæc etiam positio est absurda, et contra communem Philosophiam : quoniam ad dispositionem accidentalem in ultimo sui naturaliter sequitur forma substantialis, sicut ad summum calorem forma ignis, et sic de aliis : ergo qua virtute accidentia Eucharistica possunt efficere ultimam dispositionem ad formam accidentalem, eadem pariter possunt ad formam substantialem concurrere. Nec pro prædictis Auctoribus occurrit aliquid momenti, quod diluamus.

Sententia Scoti falsa.

Possunt tamen aliqua contra ultimam nostræ assertionis partem opponi. Primo, quia novum miraculum est, ut illud, quod prius agebat ut *quo* præcise, nunc agat ut *quod :* sed accidentia conjuncta substantiæ agunt solum ut *quo ;* separata vero agunt ut *quod :* ergo quod separata a subjecto agant, est novum miraculum. Secundo, quia accidentia agentia in virtute substantiæ, dependent ab ea non solum in esse, sed etiam in actuali influxu saltem radicali : sed in accidentibus separatis nequit dari hic influxus actualis radicalis substantiæ : ergo accidentia separata agere est novum miraculum. Tertio, quia sæpe contingit, quod hæc accidentia exturbata a propria, et connaturali dispositione, ubi excluditur impedimentum contrarium, sè reducant ad suam naturalem dispositionem, ut contingit in reparatione caloris vino connaturalis : sed hæc restitutio naturaliter fit a forma substantiali, quatenus ab ea naturaliter resultat ; et in hoc sacramento non datur talis forma ; ergo quod fiat ea reparatio sine hujusmodi forma est novum, et speciale miraculum.

Nonnullæ objectiones.

Sed hæc parum urgent. Nam ad primum respondetur, quod sicut hæc accidentia prius existebant, ut *quo*, et postea existunt ut *quod* absque novo miraculo, diverso ab illo, quo quantitas conservatur sine subjecto : sic etiam licet prius solum operarentur ut *quo*, et nunc operentur ut *quod*, non datur novum miraculum in agendo. Et ratio est proportionabiliter eadem, quia sicut non dicuntur esse ut *quod*, nisi negative, quatenus non habent esse actu in subjecto : sic etiam non dicuntur agere ut *quod*, nisi negative, videlicet quatenus actu non subordinantur alicui subjecto, quod formaliter existens per illa agat. Et ad nihil horum requiritur aliud miraculum, quam remotio substantiæ, permanentibus ejus accidentibus, ut in hoc mysterio contingit. Ad secundum neganda est major : quia substantia non est immediate operativa, nec exercet immediate aliquem influxum vel in accidentia, vel in eorum concursum, ut cum communi Thomistarum sententia docent N. Complutenses abbrev. in lib. *Physic.* disp. 10, quæst. 2. Unde quod accidentia Eucharistiæ agant absque illo distincto influxu substantiæ, non est miraculum, sed naturale. Et sic etiam difficultatem objectam diluit D. Tho. in resp. ad 3, cujus verba dedimus num. præced. Ad ultimum dicendum eam dispositionis naturalis reparationem fieri principaliter a generante naturali producenti panem, et vinum, qui impressit eis determinationem ad hujusmodi accidentia : sicut etiam gravia, et levia, ut acquirant loca sibi connaturalia, non moventur localiter a se ipsis, sed a generante sicut a principio *quod* immediato, et principali, ut cum D. Thoma, et communi sententia ostendunt N. Complut. abbrev. in lib. *Physic.* disp. 26, quæst. 2, et quod non existat substantia, quæ per naturalem dimanationem influat, non est novum miraculum : tum quia talis dimanatio non est actio, sed quidam ordo, ad quem sufficit talem subtantiam præfuisse : tum quia ad talia accidentia relinquitur sufficiens determinatio in quantitate ibi permanenti, quæ gerit vices substantiæ præcedentis : tum quia ipse Deus ex suppositione præcedentis miraculi, quo conservat species, satis determinatur ad causandum naturales eisdem dispositiones, ubi alia contraria, aut impedimenta amoventur.

Dispelluntur.

N. Com.

N. Com.

§ II.

Quid de passionibus asserendum?

Conclusio 2. 41. Dicendum est secundo accidentia Eucharistica, sive species sacramentales posse pati sensibiliter ab agentibus naturalibus, etiam corrumpi, sine aliquo novo miraculo. Ita D. Thomas in præs. art. 4, quem sequuntur tam Thomistæ, quam communiter cæteri Theologi, ut supervacaneum sit illos referre. Et probatur quoad omnes partes. Nam in primis talia accidentia pati ab agentibus naturalibus, constat experientia manifesta : nam et illa frangimus, et dividimus, cum volumus : et rursum si eis applicamus ignem, vel alias causas alterationis, calefiunt, similesque impressiones suscipiunt. Deinde, quod possunt corrumpi, et destrui, liquet eadem experientia, et motivo : nam ad alterationem, si sit in summo, sequitur corruptio. Et insuper probatur generali motivo, quod D. Tho. proponit his verbis : « Corruptio est motus ex esse in non esse. « Dictum est autem supra, quod species « sacramentales retinent idem esse, quod « prius habebant, substantia panis, et vini « existente. Et ideo sicut esse horum acci« dentium poterat corrumpi, substantia « panis, et vini existente : ita etiam potest « corrumpi, substantia illa abeunte. » Denique ad id non requiri novum miraculum, sed supposito priori miraculo separationis a subjecto, posse naturaliter contingere (ut expresse docet D. Tho. in resp. ad 3,) ostenditur : tum quia hæc corruptio fit propter alterationem, sive introductionem contrariarum qualitatum, ut apparet, quando tales species cremantur, aut putrefiunt : sed agens naturale his accidentibus applicatum causat naturaliter hujusmodi alterationem, ut diximus in prima assertionis parte : ergo etiam naturaliter corrumpit talia accidentia. Tum etiam quia si agens cum sufficienti virtute his accidentibus applicatum illa non corrumperet, foret miraculum, et supra cursum totius naturæ : sicut quod homo laqueo suspensus, aut in ignem missus non moriatur : ergo quod prædicta accidentia corrumpat, non est miraculum, sed magis connaturale supposito miraculo separationis istorum accidentium a substantia. Tum præterea quia sicut prædicta accidentia separata a substantia possunt agere, quantum possent in substantia, sic etiam valent pati, quantum conjuncta paterentur ; ergo sicut conjuncta possunt sine miraculo corrumpi, ita et separata. Tum denique quia juxta communem fidelium apprehensionem concoquimus virtute stomachi species sacramentales non minus quam alia alimenta, et ad id indigemus spiritibus : quin experimento liquet stomachum non minus (cæteris paribus, sive in æquali quantitate) fatigari in concoquendo species sacramentales, quam alios cibos : quod satis manifestat prædictarum specierum corruptionem fieri virtute agentis naturalis absque recursu ad novum miraculum, sive ad specialem influxum Dei, ut aliqui infra referendi immerito dicunt.

D. Tho

Fundamentum.

42. Observat autem D. Thomas omnes modos, quibus hæc corruptio potest contingere. Et quia rem optime declarat, congruum censuimus integrum locum, licet aliquantulum diffusum, transcribere : plura namque tradit observatione digna, sed tam perspicue explicata, ut non egeant commentatione. « Poterant autem » (nempe quando erant in substantia) « hujusmodi « accidentia primo corrumpi dupliciter. « Uno modo per se : alio modo per acci« dens. Per se quidem, sicut per alteratio« nem qualitatum ; et augmentum, aut « diminutionem quantitatis. Non quidem « per modum augmenti, vel diminutionis, « qui invenitur in solis corporibus anima« lis : qualia non sunt substantia panis, et « vini : sed per additionem, vel divisio« nem. Nam sicut dicitur 3 Metaphys. per « divisionem una dimensio corrumpitur, « et fiunt duæ : per additionem autem e « converso ex duabus fit una. Et per hunc « modum manifeste possunt corrumpi « hujusmodi accidentia post consecratio« nem : quia ipsa quantitas dimensiva « remanens potest divisionem, et additio« nem recipere. Et cum sit subjectum qua« litatum sensibilium, sicut dictum est : « potest etiam esse subjectum alterationis « earum, puta si alteretur color, aut sapor « panis, aut vini. Alio modo poterant cor« rumpi per accidens per corruptionem « subjecti : et hoc modo possunt corrumpi « etiam post consecrationem. Quamvis « enim subjectum non remaneat; remanet « tamen esse, quod hujusmodi accidentia « habebant in subjecto : quod quidem est

Nota ex D. Tho.

proprium,

« proprium, et conforme subjecto. Et ideo « hujusmodi esse potest corrumpi a con- « trario agente: sicut corrumpebatur subs- « tantia panis, vel vini : quæ etiam non « corrumpebatur, nisi præcedente altera- « tione circa accidentia. Distinguendum « tamen est inter utramque prædictarum « corruptionum. Quia cum corpus, et san- « guis Christi succedant in hoc sacramento « substantiæ panis, et vini ; si fiat talis « immutatio ex parte accidentium, quæ non « suffecisset ad corruptionem panis, et vini; « propter talem immutationem non desinit « corpus, et sanguis Christi esse sub hoc « sacramento : sive fiat immutatio ex parte « qualitatis, puta cum modicum immuta- « tur color, aut sapor panis, vel vini : sive « ex parte quantitatis, sicut cum dividitur « panis, aut vinum in tales partes, quod « adhuc in eis possit servari natura panis, « et vini. Si vero fiat tanta immutatio, « quod fuisset corrupta substantia panis, « aut vini ; non remanent corpus, et san- « guis Christi sub hoc Sacramento. Et hoc « sive ex parte qualitatum, sicut cum ita « immutatur color, et sapor, et aliæ quali- « tates panis, et vini quod nullo modo « possent compati naturam panis, aut vini. « Sive etiam ex parte quantitatis, puta si « pulverizetur panis, vel vinum in tam « minutas partes dividatur, ut jam non « remaneat species panis, vel vini. » Hæc omnia Sanctus Doctor : ex quibus liquido habemus omnes modos, quibus accidentia Eucharistica corrumpi possunt : habemus etiam, quomodo corruptio fiat virtute diversorum agentium naturalium alterantium, aut dividentium, et sine recursu ad aliam providentiam extraordinarium supposito priori miraculo. Recolantur etiam supra dicta disp. 6, dub. 7, ubi explicuimus, quando, et quomodo Christus desinat esse in hoc sacramento.

Sententia contraria. Durand. Scotus. 43. Contra nostram, et communem assertionem (saltem quantum ad ejus secunnam, et ultimam partem) sentiunt Scotus in 4, dist. 12, quæst. 3, et Durandus ibidem quæst. 2, asserentes corruptionem specierum sacramentalium non fieri ab aliquo agente naturali : sed esse immediate a solo Deo ad præsentiam agentis naturalis prævie alterantis. Gabriel eadem dist. (Gabriel.) quæst. 1, conclus. 3, qui cum negat distinctionem quantitatis a re quanta, consequenter negat manere in hoc sacramento panis, et vini quantitatem, quæ sit commune aliis subjectum : unde dicit hostiam, cum admovetur igni, non calefieri ; et calorem illum non recipi in subjecto, sed creari, sicut si produceretur in vacuo : unde infert, quod cum agens naturale creare nequeat, alterationes ibi apparentes non sunt ab agente naturali, sed fiunt immediate a solo Deo. Cum eisdem etiam sentit Bernal disp. 38, sect. 4, docens (Bernal.) intensionem, et remissionem qualitatum in speciebus sacramentalibus non fieri ab agentibus naturalibus; sed Deum solum eas actiones exercere, ne manifestetur mysterium. Permisso autem, quod agentia naturalia agunt, dicit id contingere, quia divina virtute elevantur ad producendum supernaturaliter suos effectus extra subjectum : cum naturaliter non possint eos nisi in subjecto producere. Commune his Auctoribus fundamentum est, quod ad corruptionem requiritur subjectum, et similiter requiritur, ut agentia naturalia possint naturaliter agere : sed in Eucharistia nullum datur subjectum, quod subjiciatur corruptioni, vel actionem agentis naturalis sustineat : siquidem, nec ibidem manet substantia panis, et vini, nec quantitas habet rationem communis subjecti : ergo accidentia Eucharistica nequeunt pati corruptionem, saltem ab agente naturali. Sed (Nota.) hoc fundamentum corruit juxta dicta dub. præced. § 1, ubi statuimus quantitatem panis, et vini esse subjectum cæterorum accidentium in Eucharistia manentium : et eadem ratione potest esse subjectum passionis ab agente naturali : unde ex vi prædicti motivi non sequitur, quod ipsa quantitas, et reliqua accidentia nequeant per agentia naturalia corrumpi : nec quod supposito priori miraculo separationis a subjecto, prædicta destructio naturaliter non contingat. Quare omisso prædicto motivo, (Primum argumentum.) arguitur primo : nam corruptio non accidit, nisi per separationem formæ a materia : sed in hoc sacramento non manet materia, a qua separetur forma, ut constat ex supra dictis dub. 1, § 2 ; ergo in hoc sacramento nequit contingere specierum corruptio.

(Solutio ex D. Thoma.) Respondet D. Thomas : « Ad primum « dicendum, quod ad corruptionem per se « pertinet, quod auferat esse rei. Unde in « quantum esse alicujus rei est in materia; « consequens est, ut per corruptionem se-

« paretur forma a materia. Si vero hujus« modi esse non esset in materia, simile « tamen ei, quod est in materia, posset per « corruptionem auferri, etiam materia non « existente ; sicut accidit in hoc sacramen« to, ut ex dictis patet. » Nec refert, si huic responsioni opponatur D. Thom. in ea supponere corruptionem principalius consistere in separatione esse, quam in separatione formæ. Id vero apparet omnino falsum : quia in morte hominis non destruitur esse, sed separatur forma ; idque sufficit ad veram hominis corruptionem : e contra vero si destrueretur Angelus, separaretur esse rei ; et tamen quia non separaretur forma, talis destructio non esset vera corruptio, sed annihilatio : ergo corruptio proprie dicta non consistit principaliter in separatione esse, sed in separatione formæ. Id, inquam, non refert; quoniam quod corruptio consistat principalius in separatione esse, quam in separatione formæ, liquet ex ejus diffinitione : non enim corruptio dicitur transitus de forma in forma, vel de non forma in formam, sed *transitus de esse ad non esse*, ut D. Tho. præmiserat in principio corporis articuli. Et quæ dicuntur de corruptione hominis, et destructione Angeli non obsunt : quoniam in corruptione hominis vere separatur esse hominis ab homine, licet idem esse maneat in anima. Quod vero destructio Angeli non sit corruptio, sed annihilatio, quamvis separetur ejus esse, provenit ex defectu alterius conditionis, nempe quod esse actu, vel saltem aptitudine sit in materia. Quæ enim in materia non sunt, sicut non fiunt ex præsupposito subjecto, nec generantur ; sed fiunt ex nihilo, et per creationem : sic etiam cum desinunt, abeunt simpliciter in nihilum, et subinde non corrumpuntur, sed annihilantur.

Secundum argumentum. 44. Sed insistes (et sit secundum argumentum) ; nam ideo Angelus nequit desinere esse per corruptionem, sed per solam annihilationem, quia non habet esse in subjecto : sed quantitas in hoc sacramento non habet esse in subjecto ; cum potius sit extra subjectum, et per se existat : ergo prædictæ quantitatis destructio non est corruptio, sed annihilatio : quare non poterit fieri causalitate agentis naturalis, cujus non est annihilare, sed corrumpere.

Confirmatio. Confirmatur primo : nam quantitas Eucharistica a solo Deo immediate conservatur : sed quæ a solo Deo immediate conservantur, solum desinunt esse per suspensionem divini concursus : et talis suspensio est annihilatio, ut patet in Angeli destructione : ergo talis quantitas desinit per annihilationem : sed nulla creatura potest concurrere adhuc instrumentaliter ad annihilandum, ut docet D. Tho. 1 p. q. 13, art. 2; ergo nullum agens naturale influit in destructionem quantitatis Eucharisticæ.

Alia. Confirmatur secundo : quia destructio talis quantitatis non potest dici corruptio substantialis ; siquidem ibi non corrumpitur substantia, sed accidens : nec valet dici corruptio accidentalis, siquidem tali corruptioni generatio substantialis respondet, ut dub. seq. videbimus.

Evertuntur. Argumento, sive replicæ occurrit D. Thom. his verbis : « Ad secundum dicen« dum, quod species sacramentales licet sint « formæ non habent esse in materia ; « habent tamen esse, quod prius in materia « habebant. » Quod plane est esse corruptibile, et subjectum passionis ab agente naturali. Oppositum autem contingit in Angelo, quod nec actu, nec aptitudine habet esse in materia : unde provenit, quod corrumpi non valeat. Ad primam confirmationem respondetur ea, quæ per se petunt a solo Deo conservari, solum desinere esse per meram suspensionem divini concursus, atque ideo annihilari. Et ita contingit in Angelo. Sed valde aliter id accidit in speciebus sacramentalibus : nam licet de facto solus Deus illa conservet ; nihilominus id est per accidens, et quatenus Deus supplet defectum substantiæ panis, et vini a qua naturaliter, et per se loquendo dependent. Unde Deus non magis impedit, ne agentia naturalia agant in prædictas species, quam impediret, si ibidem esset panis, et vini substantia. Et consequenter destructio prædictorum accidentium non contingit per solam, et meram suspensionem concursus Dei illa conservantis : sed fit etiam per introductionem dispositionum contrariarum ab agente naturali, juxta quarum exigentiam Deus concursum suspendit. Ad secundam confirmationem respondemus destructionem quantitatis in hoc sacramento dicendam esse corruptionem substantialem: tum quia secum affert generationem substantiæ, ut dub. seq. declarabimus : tum et præcipue, quia licet actu non destruat substantiam, cum eam ibi non

nonreperiat ; nihilominus vim habet illam destruendi, illamque, si ibi adesset, destrueret : et subinde destruit non actu, sed aptitudine. Unde sicut ad hoc, ut aliquid sit, et dicatur forma accidentalis, non requiritur quod hæreat actu, sed sufficit habere aptitudinem inhærendi, ut patet in his accidentibus Eucharisticis : sic ut aliqua mutatio dicatur, et sit corruptio substantialis effective, non requiritur, quod actu, et exercite destruat substantiam : sed sufficit, quod habeat de se aptitudinem, et vires ad illam destruendam.

Tertium argumentum. 45. Arguitur tertio : nam quantitas Eucharistica nequit corrumpi per se, et nequit corrumpi per accidens : ergo nullo modo valet corrumpi. Prima antecedentis pars ostenditur : nam corruptio per se fit a proprio contrario : sed quantitas nullum habet contrarium proprium : ergo quantitas nequit corrumpi per se. Deinde ostenditur alia antecedentis pars : nam illud corrumpitur per accidens, quod desinit ad corruptionem subjecti : sed quantitas in hoc sacramento nullum habet subjectum, quod corrumpatur, ut constat ex dictis dub. 1, et 2; ergo quantitas in hoc sacramento non corrumpitur per accidens. Nec valet dicere cum D. Thoma relato num. 42, quantitatem destrui per divisionem : nam contra hoc est, quod quantitas de se potest dividi in infinitum, sive absque termino, quin propterea exuat propriam quantitatis rationem. Confirmatur, et declaratur amplius : quia unum contrarium nequit per aliud corrumpi, nisi utrumque recipiatur in eodem subjecto, ut sic unum expellatur per aliud : sed nullum est assignabile subjectum, in quo recipiatur contrarium quantitatis : ergo quantitas nequit corrumpi per aliquod sibi contrarium.

Confirmatio.

Suarii responsio. Ac hoc argumento, et similibus facile se expediunt Suarez disp. 57, sect. 2, et plures Socii docentes quantitatem non recipi in toto composito, sed in sola materia prima, et consequenter eandem quantitatem esse in genito, et in corrupto. Unde dicunt quantitatem Eucharisticam non corrumpi, licet alteratio qualitatum ad eum gradum pertingeret, quod substantiam panis corrumperet, si ibidem esset. Fatentur tamen desinere tunc corpus Christi esse in sacramento : quia etiam desineret ibi esse panis substantia. Sed facilitas, quam isti promittunt, plura continet falsa, et non minus difficilia. Nam quantitas et reliqua accidentia, cum sint entis entia, habentia nimirum esse secundum quid, supponunt necessario ens, quod habeat esse simpliciter ; atque ideo recipiuntur non in sola materia, sed in toto composito substantiali, ut recte probant N. Complutenses abbrev. in lib. *de Generat.* disp. 2, quæst. 7. Unde corruit oppositum fundamentum. Deinde in appendice, quod destruerentur qualitates, et corpus Christi desineret esse sub sacramento, quamvis quantitas non destruatur, agunt evidenter contra D. Thomam quodlib. 10, art. 3 ad 2, ubi ait : « Species sacramentales non « destruuntur, nisi dimensiones, quæ « cæteris accidentibus subsunt, vicem subs- « tantiæ gerentes, secundum essentiam « destruantur. » Circa quod recolenda sunt, quæ supra statuimus disp. 6, dub. 7, § 4. Deinde in graviorem difficultatem incidunt, si ab eis inquiramus, quid fiat de illa quantitate, quam dicunt, corruptis speciebus, et consequenter cessante præsentia Christi sub sacramento, non corrumpi. Si dicant actuare novam materiam compositi denuo geniti, puta vermis, vel ignis ; compelluntur admittere transmigrationem quantitatis de subjecto in subjectum : quod veræ Philosophiæ repugnat. Si autem dicant illam manere per se existentem, sicut prius ; stupendum miraculum introducent, nempe quantitatem, quæ nec contineat corpus Christi, nec alteri inhæreat substantiæ. Si tandem dicant prædictam quantitatem annihilari, relabuntur in sententiam Durandi, et Gabrielis id docentium : quam tamen ipsi vitare satagunt, ne repugnent naturali experientiæ, et evidentiæ, quibus deprehendimus, quod ad præsentiam, et influxum agentium naturalium, v. g. ignis, destruuntur omnes species sacramentales.

Refellitur.

Legitima responsio. Relicta itaque prædicta responsione, aliter diluendum est argumentum admittendo quantitatem posse corrumpi omnibus illis modis, qui in eo recensentur. Unde potest corrumpi per accidens ad corruptionem subjecti, non quod actu sit, sed quod esset, ut num. præced. dicebamus : quia alteratio specierum in summo destrueret subjectum, si ibidem existeret, atque ideo destruit actu quantitatem ibi existentem. Deinde potest corrumpi per se

propter nimiam divisionem, ut si pulverizetur panis. Nam substantia panis habet determinatum terminum parvitatis, et sub minori conservari non valet, ut docent N. Complutens. *in Physic.* disp. 25, quæst. 2. Et quamvis ob hanc rationem corruptio quantitatis posset dici per accidens, nempe ad corruptionem formæ substantialis ; potest nihilominus dici per se : quoniam divisio immediatius exercetur in quantitate, quæ est per se divisibilis, et ratio formalis, ut alia dividantur. In quo sensu loquitur D. Thomas. Et ad hujus partis impugnationem dicendum est, quod licet quantitas mathematice considerata sit divisibilis sine termino ; nihilominus physice, et naturaliter sumpta habet certum magnitudinis, et parvitatis terminum : quia sub isto, et non alio forma substantialis, et totum compositum, cujus est, conservari valent. Unde licet quantitas secundum se, et ut sic accepta semper dividi valeat ; non tamen quantitas ad determinatam rei speciem pertinens, puta panis, aut vini. Videatur D. Thom. 1 part. quæst. 7, art. 3, et in hac 3 part. quæst. 7, art. 12. Ad confirmationem respondetur concedendo quantitatem non habere contrarium sibi directe oppositum, ut ad illius in eodem subjecto introductionem expellatur. Destruitur autem ad introductionem contrarii directe oppositi qualitatibus specierum : quod contrarium introducitur in ipsa quantitate sicut in subjecto communi. Destructis vero qualitatibus conservativis panis destruitur aptitudine ipsa panis substantia, quæ ibidem alias existeret : et sic destruitur quantitas prædictæ substantiæ post consecrationem ibidem remanens. Quæ est corruptio quantitatis quasi per accidens, nempe ad corruptionem subjecti, quod ibidem naturaliter foret.

DUBIUM V.

An, et quomodo ex speciebus sacramentalibus possit aliquid vere generari?

Difficultas hæc est quasi præcedentis appendix : nam unius corruptio infert generationem alterius : quare supposito, quod species sacramentales vere corrumpantur, ut dub. præced. statuimus ; consequens omnino videtur, quod aliquid vere generetur ex prædictis speciebus. Idque ipsum suadet experientia : videmus enim, quod juxta diversorum agentium ad tales species applicationem fiunt ex eis diversa composita substantialia, v. g vermes, cineres etc. Ab alia vero parte id apparet impossibile : quoniam nihil vere generatur, nisi ex præsupposita materia : quod enim fit, et non ex præsupposito subjecto, non generationem terminat, sed creationem : atqui in speciebus sacramentalibus non continetur aliqua materia, sed præcise corpus Christi, ex quo absurdum foret dicere, quod aliquid generetur : ergo nihil generari valet ex prædictis speciebus. Et in hoc stat punctum præsentis difficultatis, circa quam plurimi occurrunt dicendi modi, in quibus singillatim refellendis congruum non ducimus immorari, sed magis veritatem resolutorie proponere. Et ideo

§ I.

Statuitur vera, et communis sententia.

Conclusio.
D. Tho. Capreol. Cajet. Soto. Nugnus. Arauxo. N. Gab. N. Phil. Prado. Gonet. Henric. Richard. Ruard. Suarez. Granad.

46. Dicendum est, quod ex speciebus sacramentalibus aliquid generatur vere, atque virtute agentis naturalis. Ita D. Thomas in præsenti articulo 5, et in 4, dist. 12, quæst. 1, artic. 2, quæstiunc. 4, et lib. 4, *contra gent.* cap. 66, et quodlib. 9, artic. 5. Et 1, *ad Corinth.* 11, lect. 4, et alibi frequenter. Cui subscribunt discipuli. Paludanus, Capreolus, Herbeus, Soto, Cajetanus, Ferrara, Nugnus, Viguerius, quos refert, et sequitur Arauxo in præsenti dub. unico § *Tertia sententia.* Serra, N. Cornejo, N. Gabriel, N. Philippus, quos refert, et sequitur Prado dub. 6, num. 13, Gonet disputatione 6, articulo 4. Idem etiam docent Henricus quodlib. 4, quæstione 36, Ægidius theoremate 44 et 45, Richardus in 4, distinctione 12, articulo 2, quæstione 2, Carthusianus ibidem, quæstione 2, Ruardus Taper articulo 4, Suarez disputatione 57, quæstione 3, Granados controv. 6, tract. 7, disputatione 3, sect. 1, num. 3, dicens Theologos in hoc convenire. Et ita quidem omnes sentiunt, exceptis aliquibus § 4 referendis.

Fundamentum ex D. Thoma.

Probatur unico fundamento, auctoritate scilicet simul, et ratione D. Thom. in præs. art. 5, nam in *Sed contra* ait : « Ad « sensum videri potest ex speciebus sacra- « mentalibus aliquid generari, vel cineres,

is

« si comburantur, vel vermes, si putre- « fiant, vel pulveres, si conterantur. » Et in corp. inquit : « Dicendum, quod cum « corruptio unius sit generatio alterius, « ut dicitur in 1 de generat. necesse est, « quod ex speciebus sacramentalibus ali- « quid generetur, cum corrumpantur, ut « dictum est. Non enim sic corrumpuntur, « ut omnino dispareant, quasi in nihilum « redigantur ; sed manifeste aliquid sen- « sibile eis succedit. » Quem discursum his fere verbis Suarez confirmat loco citato : quia omnino præter rationem est experientias negare : constat autem manifesta experientia, quod ex speciebus consecratis generantur vermes, et similiter hostias consecratas non minus comburi, quam non consecratas : contingit ergo in his naturalis generatio. Nec valet dicere hos effectus esse in externa tantum specie, vel apparentia. Tum quia tales effectus sunt permanentes, et eodem modo fiunt. quod non ita contingit in meris apparitionibus. Tum quia oppositum constat ex nutritione : nam si homo comedat integrum panem consecratum, eodem modo confortatur, satiatur, et nutritur, ac si comederet panem non consecratum. Tum quia si Deus est auctor talium effectuum, tam facile potest eos vere facere, quam fingere ; idque magis consentaneum est ad occultandam veritatem mysterii : si vero agens naturale ad eos effectus concurrit (ut plane concurrit), nequit tales effectus fingere, aut simulare. Fateri itaque omnino oportet, quod ex speciebus sacramentalibus aliquid generetur vere, et naturaliter, sive virtute naturalis agentis.

Responsio Scoti. 47. Quod motivum est adeo efficax, ut subvertat omnes responsiones, quæ ad illud diluendum adhiberi solent. Nam quod Scotus, et alii num. 62 referendi respondent composita illa, quæ destructis speciebus fiunt, non generari, sed produci a solo Deo per creationem, qua facilitate dicitur, eadem repellitur. Primo, quia contradicit communi sententiæ Theologorum asserentium in prædicto casu generationem. Secundo, quia si illud novum compositum substantiale non generaretur, sed crearetur ; pariter species sacramentales non corrumperentur, sed annihilarentur : quod tamen jam rejectum fuit dub. præced. Tertio, quia manifesta experientia videmus composita illa eodem modo produci ex speciebus sacramentalibus, ac ex aliis non consecratis : et similiter videmus panem, et vinum post consecrationem eodem modo nutrire, ac si consecrata non fuissent : ergo generatio, et aggeneratio ex prædictis speciebus fit eodem modo, ac si nulla præcessisset consecratio : sed consecratione non præcedente, non esset sola creatio a Deo, sed vera generatio ab agente naturali : ergo idem dicendum est, quando consecratio præcedit. Quarto, quia non oportet recurrere ad miraculum, vel ad creationem, vel ad aliam providentiam extraordinariam, quando non repugnat compositum illud fieri per naturalem generationem : quod autem id non repugnet, satis ex dicendis constabit.

Impugnatur.

Aliorum effugium. Quod vero alii respondent, cum ignis, aut vermes videntur ex speciebus sacramentalibus generari, id contingere per conversionem, vel omnium specierum, vel saltem quantitatis in prædicta composita : et propterea talia composita dici generari saltem secundum quid ab agentibus naturalibus, quia agentia naturalia alterando tendunt ad corruptionem specierum, et tales dispositiones inducunt, ut Deum determinent ad convertendum quantitatem in hoc, aut illud compositum substantiale juxta diversitatem tam agentium, quam dispositionum. Id, inquam, refellitur tum eisdem motivis, ut facile consideranti constabit. Tum præterea, quia cum oporteat non multiplicare miracula ; hic tamen dicendi modus plura, et sine urgenti motivo multiplicat : quia non solum ponit conversionem panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi ; sed etiam adstruit conversionem quantitatis substantiæ panis, et vini in alia composita substantialia : et similiter admittit, quod agens naturale ponit in his speciebus omnes dispositiones ad aliquam formam substantialem, et nihilominus nec talem formam, nec ullam aliam introducit, quod etiam nequit sine miraculo contingere. Tum denique quia prædictus dicendi modus repugnat tam menti, quam rationi D. Thomæ loco supra cit. ex 4, contra gent. ubi ait : « Si quis autem « dicere velit, quod sicut miraculose panis « in corpus Christi convertitur ; ita mira- « culose accidentia in substantiam con- « vertuntur : primum quidem hoc non « videtur miraculo esse conveniens, quod « sacramentum putrescat, vel per combus-

Præcluditur.

Nota. « tionem dissolvatur. » (Si enim species, vel specierum quantitas convertuntur in substantiam compositi denuo producti ; ad quid præmittitur realis earum putrefactio, vel combustio, quam contingere evidenter recognoscimus ; cum unus sit modus desinendi per corruptionem, et alius sit modus desinendi per conversionem in aliud ?) « Deinde quia putrefactio, et combustio « consueto naturæ ordine huic sacramento « accidere inveniuntur : quod non solet « esse in eis, quæ miraculose fiunt. »

Aliorum fuga. 48. Præterea, quod aliqui relati a D. Th in hoc artic. dixerunt ; nempe vermes, aut ignem, aut cineres, quæ ex speciebus fieri videntur, fieri quidem vere per generationem, non autem per creationem, aut conversionem, ut contra præcedentes dicendi modos ostendimus ; sed tamen non fieri ex speciebus sacramentalibus, sed ex aere circunstante, aut alio corpore ; recte, Præciditur. et luculenter refellitur a D. Thom. quin opus sit ejus motivis addere. « Quidam, « *inquit*, dixerunt, quod ea, quæ generan- « tur, non fiunt ex speciebus sacramenta- « libus,sed ex aere circunstante. Quod qui- « dem multipliciter apparet esse impossi- « bile. Primo, quia ex eo generatur aliquid, « quod prius alteratum, et corruptum appa- « ret : nulla autem alteratio, vel corruptio « prius apparuit in aere circunstante: unde « ex eo vermes, vel cineres non generan- « tur. Secundo, quia natura aeris non est « talis, quod ex eo per tales alterationes « talia generentur. Tertio, quia potest « contingere in magna quantitate hostias « consecratas comburi, vel putrefieri : nec « esset possibile tantum de corpore terreno « ex aere generari, nisi magna, et valde « sensibili inspissatione aeris facta. Quar- « to, quia idem potest contingere corpori- « bus solidis circunstantibus, puta ferro, « aut lapidibus, quæ integra remanent post « prædictorum generationem. Unde hæc « positio stare non potest : quia contraria- « tur ei, quod ad sensum apparet. »

Aliorum solutio. Denique quod alii addunt præmissam responsionem diverso modo continuantes, nempe vermes, et ignem generari quidem, non tamen ex speciebus sacramentalibus, nec ex corporibus circunstantibus ; sed ex substantia panis, et vini, quæ conversa fuerat in corpus, et sanguinem Christi, et quæ tunc redeat ; absurdum est, et refellitur a D. Th. loc. cit. Ubi relata prædicta sententia, subdit : « Sed hæc positio vide- « tur esse impossibilis. Primo quidem « quia si substantia panis, et vini conversa « est in corpus, et sanguinem Christi, ut « supra habitum est : non potest substan- « tia panis, et vini redire, nisi corpore, et « sanguine Christi iterum converso in subs- « tantiam panis, et vini (quod est impossi- « bile) : sicut si aer sit conversus in ignem, « non potest aer redire, nisi iterum ignis « convertatur in aerem. Si vero substantia « panis, et vini sit annihilata, » (quod dicunt Scotus, et quidam alii, ut vidimus disp. 5, dub. 1,) « non potest iterum redire: « quia quod in nihilum decidit, non redit « idem numero : nisi forte dicatur redire « prædicta substantia, quia Deus de novo « creat aliam novam substantiam loco pri- « mæ. » Confirmatur eadem impugnatio a S. Doctore : nam quando dicitur substantiam panis, vel vini redire ; vel talis substantia advenit ante corruptionem specierum, vel advenit illis corruptis, in eo scilicet momento, quo destrueretur substantia panis, et vini, si sub speciebus adesset. Neutrum autem potest rationabiliter dici. Non quidem primum : quia alias sub eisdem speciebus adessent simul substantia panis, et vini, et substantia corporis, et sanguinis : Christus enim manet in hoc sacramento, quandiu manent species incorruptæ, ut diximus disp. 6, dub. 7; implicat autem illa conjunctio de facto ; cum de facto Christus non constituatur, nec sit in sacramento, nisi per conversionem panis, et vini in ipsum. Nec etiam dici potest secundum : quia substantia panis, et vini nequit esse in ullo momento (saltem sine alio speciali miraculo), absque propriis, et sibi connaturalibus accidentibus : ergo in illo momento, in quo desinunt esse species (quæ sunt accidentia propria substantiæ panis, et vini), nequit redire, et adesse prædicta substantia. Nulla itaque ratione dici potest generationem vermium, ignis, et similium, quæ in hoc sacramento contingunt, fieri ex substantia panis, et vini, quæ tunc redeat.

Confutatur.

Unde colligendo hactenus dicta, probatur efficaciter nostra, et communis assertio ; nam vere, et non apparenter aliqua substantialia producuntur in Eucharistia, cum species putrescunt, aut comburuntur, utputa quando fiunt vermes, et ignis : sed hæc non producuntur a solo Deo per creationem, Instauratur motivum.

tionem, vel per conversionem specierum in talia composita, ut contra Scotum, et alios ostendimus num. 47; ergo fiunt per veram generationem, sive per eductionem formæ ex aliquo subjecto : atqui non fiunt ex aere vel alio corpore circunstante, nec ex substantia panis, et vini, quæ redeat, ut vidimus num. 48; sequitur ergo, quod fiant per generationem, et eductionem ex speciebus sacramentalibus. Et inde ulterius sequitur, quod talia composita fiant virtute agentium naturalium, qui alterando introducunt dispositiones in speciebus: his enim dispositionibus correspondent formæ illorum compositorum substantialium, quæ de novo producuntur. Unde stat veritas nostræ assertionis, nempe ex speciebus sacramentalibus aliquid generari vere, et virtute agentis naturalis.

§ II.

Præcipua contra assertionem difficultas, et falsa aliquorum explicatio.

Gravis objectio. 49. Pungit tamen contra communem hanc doctrinam difficultas in limine dubii insinuata, quam magis repræsentat D. Thomas in primo articuli 5 argumento his verbis : « Quod generatur ex aliqua mate- « ria generatur : ex nihilo enim nihil « generatur ; quamvis ex nihilo fiat aliquid « per creationem. Sed speciebus sacramen- « talibus non subest aliqua materia, nisi « corporis Christi, quod est incorruptibile. « Ergo ex speciebus sacramentalibus nihil « posset generari. » Quam difficultatem amplius exaggerat in corp. articuli dicendo: « Quomodo autem ex eis aliquid generari « possit, difficile est videre. Manifestum est « enim, quod ex corpore, et sanguine Chris- « ti, quæ ibi veraciter sunt, non generatur « aliquid ; cum sint incorruptibilia. Si « autem substantia panis, aut vini rema- « neret in hoc sacramento, vel eorum ma- « teria, facile esset assignare, quod ex illis « generatur illud sensibile, quod succedit, « ut quidam (nempe hæretici) posuerunt. « Sed hoc est falsum, ut supra habitum « est. » Et deinde excludit alia subjecta, ex quibus possemus imaginari quod ea composita fiant, ut magis explicuimus.

Responsio D. Tho. Ipse vero S. Doctor prædictæ difficultati satisfacit in hunc modum : « Melius videtur « dicendum, quod in ipsa consecratione « miraculose datur quantitati dimensivæ « panis, et vini, quod sit primum subjec- « tum subsequentium formarum. Hoc « autem est proprium materiæ. Et ideo ex « consequenti datur prædictæ quantitati « dimensivæ omne illud, quod ad mate- « riam pertinet. Et ideo quidquid posset « generari ex materia panis, si adesset, « totum potest generari ex prædicta quan- « titate dimensiva panis, vel vini : non « quidem novo miraculo, sed ex vi mira- « culi prius facti. » Et conformiter ad prædictam doctrinam solvit argumentum his verbis : « Ad primum ergo dicendum, « quod quamvis non sit ibi materia, ex « qua aliquid generetur ; quantitas tamen « dimensiva supplet vicem materiæ. » Et similia repetit diluendo alia argumenta.

50. Hanc autem D. Thomæ doctrinam adeo litteraliter, et juxta sonum verborum acceperunt graves aliqui, et antiqui S. Doctoris discipuli, ut senserint non aliud subjectum quærendum esse pro generatione illorum, quæ ex speciebus sacramentalibus fiunt, nisi solam quantitatem panis, et vini permanens in hoc sacramento. Sicut enim prædictæ quantitati virtute præcedentis miraculi (convertentis substantiam panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi sub speciebus latentia) divinitus datur, quod existant per se negative, sive absque alio subjecto ; et quod sit subjectum omnium aliorum accidentium ibi permanentium ; et quod subsit eisdem alterationibus, quas pateretur substantia panis, et vini, si ibidem esset, ut constat ex supra dictis dub. 3 et 4, sic eidem quantitati datur, quod gerat vices materiæ primæ, sive, et in idem redit, quod sit subjectum, ex quo educantur formæ substantiales compositorum, quæ ibi generantur, v. g. ignis, aut vermis: et similiter, quod sit subjectum, ex quo simul, et forma substantiali componuntur, et constituuntur illa composita. Et hanc sentiunt fuisse propriam D. Thomæ sententiam, qua difficultates hinc, inde ortas studuit conciliare. Ita Capreolus in 2, dist. 1, quæst. 3, art. 3, ad argumenta contra primum ad 4. Ferrara lib. 4, *contra gentes*, cap. 66, circa medium. Viguerius in institutionibus Theolog. cap. 16, § 3, num. 9. Quin Soto in 4, dist. 10, quæst. 2, artic. 5, § *Quo agitur* observat hanc semper fuisse priscorum Thomistarum opinionem. Idem etiam tuentur Henricus Mens D. Tho. juxta aliquos Thomist. Capreol. Ferrar. Viguer. Henric. Ægid. Pesant.

quodlib. 4, quæst. 36, et quodlib. 8, quæst. 36, Ægidius theorem. 44, et 45, et tanquam probabile sustinet Pesantius in præsenti art. 5. Et præcipuum pro hac parte fundamentum stat in testimoniis relatis D. Thomæ: ex quibus illi Thomistæ, et quidam alii (ut Scotus D. Thomam in prædicto sensu impugnans), evincere sibi evidenter putant S. Doctorem hanc illorum sententiam prævidisse, atque asseruisse.

Firmatur eadem intelligentia pluribus Divi Thomæ testimoniis.

Idque magis confirmant ex aliis locis, in quibus evidentius adhuc loqui videtur: nam quodlib. 9, art. 5 ad 3, hanc eandem difficultatem versans admittit ut probabilem opinionem aliquorum dicentium, « quod destructis speciebus, aliqua materia « a Deo ibi providetur vel per creationem, « vel quocumque alio modo, ex qua pos« sint hujusmodi corpora generari. » Sed tamen S. Doctor in ea opinione non quiescit, nec persistit, quin potius aliam proponit, et magis approbat his verbis: « Alia « opinio est planior, ut dicatur, quod illis « accidentibus sicut datum est per se sub« sistere divina virtute, similiter datum « est, ut agant, et ex eis fiat, quidquid fie« ret ex substantia panis, vel quidquid « ageret, si maneret. Et hac virtute nu« triunt, et vermes, vel cineres ex inde « generantur. » Ubi manifestum est, quod exclusa alia materia, quam Deus vel per creationem, vel per aliud miraculum provideat, unice recurrit ad quantitatem, illique attribuit, quod sicut divina virtute habet per se substitere in hoc sacramento, sic etiam ex eadem virtute habet esse id, ex quo fit nutritio, et composita producuntur. Quæ minime verificari possunt, nisi prædicta quantitatis sit subjectum tam eductionis formæ substantialis, quam ipsius formæ, intretque compositionem vermium, et ignis ibi genitorum. Et in 4, dist. 1, quæst. 1, artic. 2, quæstiunc. 3, affirmat: « Dimensiones, quæ sunt proximæ disposi« tiones materiæ, retinent in hoc sacramen« to vicem materiæ. » Et quæstiuncula sequenti refert modos, quibus explicari valet, quod aliquid substantiale ex speciebus sacramentalibus generatur, et ultimo loco hunc proponit: « Quod ipsi dimensioni vir« tute divina dabitur natura materiæ « propter propinquitatem ad ipsam. » Quam opinionem tanquam ultimo loco, et post aliarum discussionem magis approbare videtur. Et similia omnino tradit in 4, *ad Annibald.* dist. 12, art. 3, et lib. 4, *contra gentes* cap. 66, et super 1, *ad Corinth.* cap. 11, lect. 4, et alibi. Ergo ex sententia S. Doctoris quantitas Eucharistica est subjectum, ex quo vermes, ignis, et alia composita substantialia ibi genita producuntur. Unde inquirenti, quid sit illud; ex quo talia generantur, et habet rationem subjecti, sive materiæ in eorum compositione, non aliud assignare oportet, nisi quantitatem substantiæ panis, et vini ibi permanentem: huic enim sicut divina virtute datum est, quod existat per se, et quod efficiat, quidquid efficeret panis, et vini substantia, si ibidem esset: ita etiam divina virtute datur, quod sit subjectum tam generationum substantialium, quam subsequentium formarum.

Præmissus sensus opponitur communi aliorum sententiæ.

51. Ista profecto testimonia nos (discipulos videlicet fidelissimos D. Thomæ, et ad ejus sententias præcordialiter animatos), facile impellerent, ut tueremur pro viribus prædictam opinionem, si certo cognosceremus ejusdem esse. Sed ab ejus propugnatione eo præsertim revocamur, quod existimemus illi contradicere. Ad hoc autem judicium vehementer inducimur tum communi aliorum discipulorum censura; tum evidentioribus aliis D. Thomæ testimoniis; tum absurditate ipsius positionis, quam indecorum est tanto Doctori attribuere. Et quod ad Thomistas attinet, cuncti, præter paucos illos num. præcedenti relatos, prædictæ positioni refragantur censentes esse S. Doctori contrariam. Quin et Capreolus illorum princeps, qui oppositum insinuaverat loco cit. ex lib. 2 sent. postea sententiam expresse correxit in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 3 ad 1 Scoti, ubi ait: « Non est de mente D. Thomæ quod « cum ex accidentibus Eucharistiæ gene« ratur aliqua substantia, puta vermis, quod « forma substantialis rei noviter genera« tæ ex illis recipiatur subjective in solis « dimensionibus interminatis, et non in « aliqua materia: quia hoc est multum in« conveniens, ut bene concludit Scotus. » Et infra expendit notabile testimonium D. Thomæ in 4, dist. 12, q. 1, art. 3, quæstiunc. 4, in resp. ad 2, ubi ait: « Secun« dum quamlibet positionem oportet po« nere aliquid in hac generatione esse mi« raculum, et aliquid naturale. Reditus « enim substantiæ, vel creatio materiæ, vel « conversio dimensionum in materiam est

Capreolus emendavit sententiam.

miraculum

« miraculum. Sed quod materia jam existens recipiat talem formam. cujus dispositiones præcesserunt in dimensionibus, « hoc est naturale. » Et pro isto dicendi modo (qui verus est, et infra magis explicandus), plura alia affert D. Thomæ testimonia. Sotus etiam loco supra cit. relata illa sententia Ferraræ, subjunxit: « At vero « ingenue cum omni reverentia fateor mihi vix posse persuaderi. Quod enim accidens per ullam potentiam formam « substantialem suscipiat, creditu durissimum est. » Idem censent Cajetanus, Nugnus, Serra, Arauxo, N. Cornejo, Philippus, et Gabriel, quos refert Prado, addens, num. 20, oppositam sententiam « non esse sibi credibilem, nec ad mentem D. Thomæ. » Et profecto magis incredibilis esset hæc communis inter Thomistas concordia, si Angelicus Præceptor contrariam opinionem docuisset. Unde vel extrinsecum istud motivum sufficit, ut oppositum judicemus.

Soto.

Thomistæ apud Pradum.

Præmissus sensus ipsi D. Tho. contrarius.

Sed conjecturis non egemus, si loca ipsa D. Thomæ consulamus: quippe satis evidenter in eis significat non ideo composita substantialia fieri ex speciebus sacramentalibus, quia quantitas sit subjectum formæ substantialis denuo generatæ ; sed quia suscipit dispositiones antecedentes, et in instanti generationis transit in materiam primam, ex qua forma substantialis educitur, et in qua recipitur, ut § seq. magis explicabimus. Hanc vero esse mentem S. Doctoris constat tum quia in art. 4 hujus quæstionis expresse docet species sacramentales posse corrumpi non solum per alterationem, sed etiam per divisionem quantitatis, ut cum pulverizatur in minutissimas partes : et generaliter statuit omnes illas species corrumpi, sive destrui, quoties corrumperetur substantia panis, si ibidem esset, ut magis expendimus dub. præc. § 2 ; incredibile autem omnino est, quod in art. 5 immediate sequenti docuerit oppositum, videlicet quantitatem specierum semper manere, esseque subjectum generationum, et formarum substantialium: ergo id minime docuit, sed oppositum. Tum etiam quia si quantitas maneret, et esset subjectum subsequentium formarum, et pars compositorum substantialium, minime transiret, et converteretur in substantiam, sive materiam prædictorum compositorum : id enim, quod in aliud transit, non perseverat in se, ut ipse D. Thomas expresse statuit supra questione 76, artic. 3 ad 2 ; sed S. Doctor evidenter affirmat quantitatem transire, et converti in substantiam, sive materiam subsequentium formarum, et compositorum : ergo minime sentire potuit, quod manens in se gerat vices materiæ primæ, aut primi subjecti respectu subsequentium generationum, formarum, et compositorum. Minor liquet ex hoc ipso artic. 5 (in quo magis favere videtur contrariæ positioni), nam in resp. ad 3, ait : « Quantitas dimensiva panis, « et vini potest transire in utrumque, id « est, in substantiam, et dimensionem. » Et art. 6, immediate seq. inquit : « Dictum « est autem, quod species sacramentales « possunt converti in substantiam ali- « quam. » Et cum sibi opposuisset nutritionem non posse fieri ex speciebus sacramentalibus: quia ex eisdem nutrimur, quibus constamus, et homo non constat ex accidentibus ; cum manifestum sit accidens non esse partem substantialem, respondit : « Ad secundum dicendum, quod species sacramentales, etsi non sint ea, « ex quibus corpus hominis constat, tamen « in ea convertuntur, sicut dictum est, » nempe art. 5, quia videlicet quantitas convertitur in materiam primam, et hæc per nutritionem adquiritur, et incipit esse aliquid, ex quo homo substantialiter constat. Tum denique quia id ipsum satis aperte docet in testimonio, quod Capreolus supra relatus allegat. Et in eodem loco, quæstiunc. 5 ad 1, et 2, id magis exprimit dicendo : « Accidentia manentia in suo esse « accidentali non nutriunt ; sed eo modo, « quo in aliud convertuntur, vel aliud sub « eis creatur. » Ex quibus omnibus satis constat, quod S. Doctor minime senserit, quod quantitas Eucharistica manens in suo esse accidentali sit pars, aut vices gerens materiæ primæ illorum compositorum substantialum, quæ ex speciebus sacramentalibus generantur : et consequenter, quod minime docuerit prædictam quantitatem substantialium. Quid autem dixerit, aut intenderit in eis locis, quæ pro parte contraria supra expendimus, non obscure innotescere incipit ex immediate relatis, et magis ex § sequenti constabit.

52. Veniamus jam ad ultimum motivum, ut certo judicemus D. Thomam illam opinionem minime docuisse, et desumitur ab

ejus impossibilitate. Quam cum pluribus viis ostendere possimus, unum tamen præcise aut alterum motivum brevitatis gratia proferemus. Primum sit: quia de essentiali ratione compositi substantialis est constare materia, et forma; nec aliter esset corpus physicum: et propterea D. Thom. 1 part. quæstione 75, artic. 4 ad 1, et lib. 1 *contra gentes*, cap. 21 docet hominem, et alia composita substantialia constare materia, et forma, sicut partibus intrinsecis, et essentialibus: sed vermis, aut ignis, qui constaret quantitate. et forma substantiali, non ita se haberet, ut ex terminis liquet: ergo non esset verum corpus, nec compositum substantiale, sed magis quoddam monstrum, et chimæra. Quod cum absurdum sit, fateri oportet quantitatem non esse subjectum formarum, et compositorum substantialium, quæ ex speciebus sacramentalibus fiunt.

Responsio Ferraræ impugnatur.

Nec prodest dicere cum Ferrara ubi supra in resp. ad 4, quod talia composita non constarent quantitate, ut quantitas est, sed ut gerit vices substantiæ. Nam id facile ex eo refellitur, quod variatio in partibus essentialibus variat necessario ipsas essentias: sed quantitas licet gereret vices substantiæ, non esset vera substantia, sed aliud a substantia essentialiter diversum: ergo ignis compositus ex quantitate non esset ejusdem rationis essentialis cum igne composito ex materia prima. Et tamen videmus ignem genitum ex hostia esse ejusdem omnino rationis tam in essendo, quam in agendo, et patiendo, cum quocumque alio igne: et similiter acetum genitum ex vino consecrato, et corrupto, esse vere acetum ejusdem rationis, et virtutis cum aliis. Confirmatur: quia ex quantitate, et forma substantiali non potest fieri unum ens per se: ergo non potest fieri verus vermis, aut verus ignis. Quod tamen dicere est absurdum contra experientiam, et contra intentionem Adversariorum, qui curant defendere nostram, et communem assertionem, nempe aliqua entia substantialia posse generari ex speciebus sacramentalibus. Antecedens vero ostenditur: quoniam compositum physicum, quod est ens per se, debet constare ex actu, et potentia; et actus et potentia debent esse ejusdem generis: sed manifestum est quantitatem, et formam substantialem non esse ejusdem generis, ut ex se liquet: ergo ex quantitate, et forma substantiali nequit fieri unum compositum substantiale, quod sit ens per se. Nec iterum proderit recurrere cum Ferrara ad æquivalentiam quantitatis pro materia: quia vere non æquivalet, sed semper continetur in genere accidentis.

Aliud inconveniens ex præmissa positione.

Secundum sit, quod implicat agens naturale educere formam substantialem de potentia quantitatis sicut de subjecto eductionis: sed quando ex speciebus sacramentalibus generatur v. g. ignis, agens naturale, nempe ignis, hostiæ applicatus, est qui educit formam substantialem, ut constat ex dictis § præcedenti, et vel ex eo patet, quod idem est ignis, et agens, qui comburit hostiam, et educit formam ignis: ergo repugnat quantitatem esse subjectum, ex quo forma substantialis educatur. Major suadetur: nam potentia subjecti, ut agens naturale formam ex eo educat, debet esse naturalis, ut debita observetur proportio inter subjectum, et agens: sed quantitas non habet potentiam naturalem, ut formæ substantiales ab ea educantur: ergo implicat agens naturale educere substantialem formam de potentia quantitatis. Unde liquet, quod licet permitteretur Deum miraculose agentem posse similem formam educere de quantitate; minime id sufficeret ad conciliandum præsentem difficultatem: quia salvare oportet generationem compositorum substantialium ex sacramentalibus speciebus fieri virtute agentium naturalium, ut naturali, et quasi evidenti experientia satis liquet. Et si dicatur, quod licet quantitati secundum se, aut sibi relictæ non sit naturalis illa potentia receptiva formarum substantialium; bene autem quantitati ut habenti modum essendi per se, et præsupposito priori miraculo: nihil plane dicitur. Tum quia ille modus non confert quantitati aliquid positivum, sed solum consistit in carentia actualis inhæsionis connotando extrinsecum concursum Dei conservantis accidentia, ut vidimus dub. 3, § 2. Tum etiam quia causa materialis non aliter causat, quam exhibendo suam entitatem: hæc autem in quantitate, et respectu naturalis agentis est mere naturalis.

Præciditur fuga.

Aliud impugnationis motivum.

53. Tertium, et quo magis convincimur, est: quia oportet in hoc mysterio vitare plura, et nova miracula, quantum fieri possit. Unde Div. Thomas in præsenti artic. 5, vel ab hoc capite excludit aliquorum sententias

tentias dicens: « Verum quia non rationabiliter videtur dici, quod miraculose « aliquid accidat in hoc sacramento, nisi « ex ipsa consecratione etc. » Tantum vero abest, quod positio illa adstruens quantitatem esse subjectum generationum, et formarum substantialium, prædictum finem assequatur, ut potius introducat plura, nova, et satis stupenda miracula. Ergo nec admitti debet, nec reputari consona menti D. Thomæ. Quare licet illud, quod talis sententia docet, non implicaret contradictionem (ut exercitii gratia potest permitti), adhuc tamen deberet rejici ob inculcationem miraculorum. Nam in primis juxta illam concedendum est quantitatem panis in corpus Christi conversi esse per se, sive absque subjecto, non solum quandiu durat sacramentum Eucharistiæ; sed etiam semper, et in perpetuum sub omnibus compositis substantialibus, quæ ex ea fiunt: quin si aliquod compositum duraturum sit per totam æternitatem, ut quidem durabit homo, manebit etiam in illo quantitas per nutritionem acquisita: sine subjecto quidem, sed cum æterno miraculo. Deinde si compositum ex prædictis speciebus generatum v. g. vermis, non constet materia prima, sed sola quantitate; erit ab una parte ejusdem speciei cum aliis vermibus propter unitatem formæ substantialis; et erit ab alia parte diversæ rationis essentialis propter essentialem diversitatem alterius partis essentialis. Insuper tale compositum, nec erit ens substantiale, cum constet quantitate: nec erit ens accidentale, cum constituatur per formam substantialem; erit igitur quoddam monstrum semisubstantiale, et semiaccidentale. Et idem inconveniens contingit in aceto genito ex speciebus vini: quod partim erit ejusdem speciei cum alio aceto ex vino, ut specifica similitudo accidentium, et operationum evincit: et partim erit diversæ rationis essentialis; cum sit compositum diversæ rationis, ut partes, quibus constat, satis demonstrant. Præterea sequeretur hominem, qui longo tempore nutriretur non alio alimento quam speciebus sacramentalibus panis, et vini ita comparari, quod ejus anima partim informaret materiam primam, et partim informaret quantitatem: et sic foret semihomo, et quid monstruosum. Quin fieri posset, ut deperditis successive omnibus partibus materiæ primæ, et acquisitis eorum loco partibus quantitatis, non ex alio intrinsece componeretur, quam ex quantitate, et anima. Unde talis homo non constaret corpore physico, et anima; sed constitueretur ex quodam corpore mathematico: manifestum namque est quantitatem non esse corpus physicum, sed mathematicum. Unde resurrectio corporis talis hominis non foret ejusdem rationis cum resurrectione corporum aliorum hominum: sicut nec corpora prædicta inter se conveniunt.

Continuatur impugnatio. Denique si compositum ex his speciebus genitum constat illarum quantitate loco materiæ primæ, atque in tali quantitate recipitur sicut in subjecto forma substantialis: unum e duobus necessario concedendum est, nempe vel in tali composito dari duas quantitates, vel accidentia talis compositi in eo recipi immediate, sive non mediante quantitate ut ratione recipiendi. Et utrumque est, vel omnino implicans, vel saltem notabile miraculum. Dato enim, quod forma vermis recipiatur in quantitate ex pane relicta sicut in subjecto; inquirimus, utrum præter hanc quantitatem quæ gerit vices materiæ primæ habeat aliam quantitatem, per quam totum extendatur, et fiat proxime capax ad suscipiendum figuram, colorem, et ipsas potentias vitales, an vero non recipiat aliam quantitatem? Si eligatur primum: manifeste sequitur vermen illum habere duas quantitates. Unde ulterius fiet unam quantitatem recipi in alia saltem mediate: quod est impossibile; cum una non possit alteri suum effectum formalem communicare. Fiet ulterius, quod cum duæ quantitates se naturaliter excludant ab eodem loco, et situ: non possint illæ quantitates eodem loco, et situ conjungi absque penetrationis miraculo. Si autem eligatur secundum: sequitur reliqua vermis accidentia recipi in eo præternaturaliter, et miraculose: quia quantum est ex natura sua, non recipiuntur in substantia, nisi media quantitate, per quam substantia extenditur, ut illa connaturaliter recipiat. Dicere autem, quod talia accidentia recipiuntur non in toto composito, sed in sola materia, quantitate gerente vices materiæ, est aliud impossibile, vel saltem quid miraculosum: tum quia nec in materia prima, licet ibi adesset, reciperentur immediate talia accidentia, sed in toto composito: cum enim sint entia, est

actus secundum quid, debent supponere ens simpliciter, et constitutum in actu simpliciter : quod soli composito convenit,non autem materiæ primæ. Tum quia potentiæ vitales, cum per illas agat non materia,sed compositum ; non in illa, sed in composito debent immediate recipi ; atque ideo non possent in sola quantitate vices materiæ gerente recipi immediate, saltem absque novo miraculo.

Recapitulatio dictorum.

54. Hinc satis constat, quanta, et quam stupenda miracula introducat illa opinio, quando asserit quantitatem Eucharisticam esse subjectum tam eductionis,quam informationis subsequentium formarum partemque intrinsecam substantialium compositorum. Et satis propterea constat, quam exulat a doctrina, et intentione D. Thom. qui compendio, ut decebat, studens, curavit in explicatione hujus mysterii non multiplicare miracula. Unde vel ob istud præcise principium refellenda foret, quod tam stupenda introducat, ne ab arrepto semel scopo declinare videatur. Nec prodest dicere hæc miracula esse appendices, aut necessarias consecutiones præcedentis miraculi, quo quantitas panis separata fuit ab ejus substantia, et facta est per se subsistens. Nam contra hoc est : quod omnes catholici confitemur primum illud miraculum ; et tamen hæc subsequentia communiter abhorremus. Et quidem summo jure: tum propter eorum multitudinem, ac magnitudinem : tum ob eorum non necessitatem : tum quia prætensus illorum cursus facile præciditur dicendo talem quantitatem cum aliis accidentibus posse destrui virtute agentium naturalium, ut statuit Div. Thomas artic. 4, et explicuimus dubio præcedenti § 2 ; si autem destruitur, non manet deinceps illa, vel subjectum formarum, vel pars compositorum, quæ ex sacramentalibus speciebus educuntur, et generantur.Prædictus itaque dicendi modus minime satisfacit, nec sustineri potest.

§ III.

Legitima propositæ difficultatis dilutio.

Quæ debeant attente observari ?

55. Sed cum objecta difficultas persistat, videlicet nec in speciebus sacramentalibus adesse materiam primam, nec quantitatem posse materiæ munus obire pro subsequentibus generationibus, ut hactenus ostendimus ; nobis incumbit illi positive satisfacere : quod frequenter difficilius est, quam falsos aliorum dicendi modos expungere. Ut autem veritatem assequamur, nulla nobis via expeditior occurrit, quam recursus ad modum, quo generatio substantialis ex prædictis speciebus fieret, si non supponeretur miraculum, aut si materia, aut substantia panis ibidem foret. Connaturalis enim generationis modus docebit nos modum, quo fit ista generatio. Pro cujus luce præsupponendum est cum communi Philosophorum sententia generationem posse dupliciter sumi, videlicet pro alteratione præcedenti, qua materia toto tempore antecedenti disponitur, et trahitur ad formam ; vel pro ipsa mutatione substantiali, qua materia in ultimo alterationis instanti transit de non esse formæ ad esse illius. Verbi gratia, supponamus hostiam non esse consecratam, et ignem illi applicari : plane ignis causat in illa hostia plures, et plures gradus caloris, quibus materia aptatur, sigillatur, et disponitur ad similem formam ignis ; et in hoc consistit generatio sumpta pro alteratione præcedenti. Producet itaque ignis prædictos gradus caloris usque ad ultimum exclusive. Sed in ultimo instanti terminativo prædicti motus, in quo producendus erat calor summus, nempe ut octo, hostia non potens in propria specie sustinere tantum calorem labitur, et corrumpitur ; ac in eodemmet instanti ignis generatur, transitque materia (quæ toto tempore antecedenti fuerat sub forma panis) transit. inquam, de non esse formæ ignis ad esse illius. Et quia accidentia non recipiuntur in sola materia, sed in toto composito ; fit in eodem instanti resolutio præcedentium accidentium, usque ad materiam primam nudam, deperdunturque omnes gradus præcedentis caloris,usque ad octavum, sive ultimum exclusive : hic vero cum reliquis accidentibus recipitur in toto composito, sive igne denuo genito, diciturque dispositio consequens, aut concomitans ad differentiam aliorum graduum caloris, qui dicuntur dispositiones antecedentes. Causalitas autem naturalis ignis generantis, qui antecedenter materiam disposuerat, pertingit effective usque ad eductionem formæ substantialis in ultimo illo momento productæ: quia licet dispositiones antecedentes in

Progressus generationis naturaliter contingentis.

in eo non sint formaliter, perseverant tamen virtualiter in passiva sigillatione, sive determinatione materiæ ad formam ignis : et quia talis formæ eductio, sive generatio resultat ex alteratione præcedenti : sicut generaliter in successivis contingit, quod ultimum mutatum esse resultat ex partibus præcedentibus, licet simul non sint : sufficit enim immediate præcessisse, et subjectum determinasse ad tale, mutatum esse. Hoc itaque modo generatio substantialis ignis (et idem intellige de aliis compositis) naturaliter loquendo contingit ut cum communi Thomistarum sententia ex professo, N Comp. et optime tradunt N. Complut. abbrev. in lib. *de Gener.* disp. 2, fere per totam, et præsertim quæst. 5, 6 et 7.

Applicatio præmissæ doctrinæ. Ad rem igitur : cum ignis applicatur hostiæ consecratæ, generatio ignis ex tali hostia eodem proportionali modo contingit. Nam licet in hostia consecrata non sit substantia panis, est tamen quantitas panis gerens vices substantiæ in omnibus, quæ non repugnant, ut dub. 3 explicuimus. Unde ignis applicatus toto tempore alterationis, sive præcedenti instans generationis, producit successive in hostia plures, et plures gradus caloris usque ad ultimum exclusive; et hoc modo determinat naturaliter ad ignis formam educendam, et ad ignem generandum. Et in ultimo instanti terminativo præcedentis illius alterationis, destruuntur propriæ qualitates panis, quippe quæ sunt incompossibiles cum calore ut cito in eo instanti producendo; et similiter destrueretur substantia panis, si ibidem esset ; cum sine propriis dispositionibus conservari non valeat : et ob eandem rationem destruitur quantitas, nempe ad destructionem subjecti; non quod actu ibi sit, sed quod esset, ut explicuimus dub. præcedent. § 2. Quia vero corruptio unius est generatio alterius, et generatio fieri non potest absque materia prima, quæ sit subjectum eductionis, et pars compositi generandi : propterea Deus in illo instanti producit materiam primam, ex qua agens naturale, nempe ignis, educat formam substantialem, et generet alium ignem sibi similem. Sicut enim in generatione hominis naturale est, ut supposita præcedenti alteratione, et dispositione materiæ usque ad ultimum instans exclusive, Deus creet in illo instanti animam rationalem, quæ virtute agentis naturalis unitur materiæ primæ, et sic generatur homo ; et quod Deus his concurrentibus creet prædictam animam, non est miraculum, sed magis juxta consonam, et connaturalem providentiam; quin potius si ita non contingeret, foret miraculum : sic proportionabiliter in præsenti discurrendum est. Nam supposito unico miraculo transubstantiationis sub accidentibus Eucharisticis, et quod quantitas maneat separata a substantia, naturale est ignem hostiæ applicatum producere in ea calorem, sicut posset in hostia non consecrata, aut in alio subjecto producere. Producit itaque successive gradus caloris per alterationem usque ad ultimum instans exclusive, in quo etiam produceret formam, et naturam ignis, si reperiret materiam. Quæ quia in speciebus conconsecratis non datur, producitur in eo instanti a Deo (sic exigente tum priori miraculo, tum concursu naturalium causarum applicatarum,) ex qua materia ignis educit formam generando alterum ignem similem sibi : et sic tota illa generatio naturaliter perficitur, cessantque innumera illa inconvenientia, quæ contrario dicendi modo §, præced. opponebamus.

56. Juxta quam doctrinam omnia in hac materia asserenda vere consonant : quod solet esse grave veritatis indicium. Clara objectæ difficultatis dilutio. Nam in primis salvatur quantitatem toto tempore præcedentis alterationis gerere vices substantiæ recipiendo omnes gradus caloris usque ad ultimum, vel summum exclusive ; et salvatur etiam, quod ignis applicatus (et idem est de aliis agentibus naturalibus,) agat naturaliter, perinde ac si ibidem esset substantia, in quam ageret. Præterea salvatur, quod in instanti generationis adsit materia prima, quæ sit subjectum generationis, et pars compositi generandi : et similiter salvatur, quod Deus materiam novo miraculo non producat, sed in vi præcedentis miraculi, et juxta exigentiam causarum naturalium tunc occurrentium : unde vitantur innumera miracula, quæ inculcat modus dicendi § præced. rejectus. Deinde salvatur, quod productio ignis, aut vermium sit naturalis generatio ex speciebus, non autem creatio ex nihilo, ut § 1 statuimus. Et salvatur *pariformiter*, quod ignis applicatus hostiæ generet naturaliter alium ignem : ad id enim sufficit; quod produxerit omnes dispositiones antecedentes, et quod in ipso

generationis momento ex materia tunc producta, et sibi subjecta educat substantialem ignis formam; sive hæc fiat per aliam actionem ab alteratione diversam, sive fiat per simplicem resultantiam physicam ex præcedenti alteratione, quod in præsentiarum non multum refert. Denique salvatur concordia maxime desideranda inter varia D. Thomæ loca, quæ non ita inter se cohærere videntur : nam relata num. 51, probant quantitatem panis formaliter in se consideratam non esse subjectum generationis substantialis, nec partem compositi denuo geniti : proposita vero num. 49 et 50, probant quantitatem formaliter in se consideratam esse subjectum præcedentis alterationis : consideratam vero non in se ipsa formaliter, sed quatenus aliquomodo continetur in materia, quæ de novo producitur, et loco ejus (quia ea non sufficiebat,) subrogatur, esse subjectum tam generationis, quam subsequentium formarum. Sic igitur juxta propositam resolutionem hæc, et alia in præsenti salvanda optime inter se cohærent.

Objectio. 57. Dices D. Thomam art. 4 statuisse species sacramentales comprehendendo etiam quantitatem posse corrumpi; et sic etiam statuimus dub. præced. § 2, cum hoc autem minime conciliari potest, quod quantitas vel formaliter vel virtualiter sumpta sit subjectum generationis, et subsequentium formarum; siquidem quod corrumpitur, nihil est : ergo cum prædicta doctrina minime cohæret, quod quantitas sit subjectum generationis, et subsequentium formarum.

Incidens difficultas. Priusquam ad id respondeamus, scire oportet, utrum materia prima, quam Deum in instanti generationis producere diximus, fiat per creationem, an vero per conversionem? In qua difficultate potest primum illud probabiliter sustineri, et insinuatur

Quædam opinio. a D. Thoma in præs. art. 5, ubi ait : « Nisi « forte dicatur, quod in ipso ultimo instanti « corruptionis specierum redit, non quidem substantia panis, et vini (quia illud « instans est, in quo primo habent esse « substantiæ generatæ ex speciebus), sed « materia panis, et vini, quæ magis de « novo creata diceretur, quam rediens « proprie loquendo. Et secundum hoc posset sustineri prædicta positio. »

Verior sententia. Sed tamen longe probabilius est productionem talis materiæ esse conversionem quantitatis in eandem materiam. Tum quia ipse connaturalis ordo poscit, quod illudmet subjectum, in quo agens naturale introduxerat dispositiones antecedentes præparantes ad eductionem formæ, et generationem compositi; cum non possit esse generationis subjectum, nec compositi pars, ut ostendimus § præced. transeat saltem et convertatur in materiam a Deo producendam, quæ munia illa subjecti, et partis habitura est. Tum etiam quia ex vi præcedentis miraculi magis connaturaliter sequitur, quod sicut substantia panis conversa fuit in corpus Christi; sic etiam quod derelictum fuit ex substantia panis, nempe quantitas, convertatur in materiam primam, quæ sit subjectum et generationum, et subsequentium formarum. Tum denique, et præcipue, quia D. Thomas frequentius, et evidentius significat, dum tam frequenter affirmat prædictam quantitatem transire, et converti in substantiam, ut facile cognoscet, qui recolat testimonia num. 51 allegata.

Juxta quam doctrinam diluitur objectio proxime facta : nam quantitas panis simpliciter desinit esse in ultimo instanti præcedentis alterationis; et hoc asseritur a D. Thoma art. 4, et a nobis § 2 dubii præcedentis. Sed tamen talis quantitas non desinit per annihilationem, ut aliqui falso dixerunt. Sed convertitur in materiam primam : et sic aliquo modo manet in tali materia sicut in termino conversionis. Unde potest in aliquo sensu dici, quod prædicta quantitas est subjectum generationis, et subsequentium formarum, nempe quantitas conversa in materiam primam, vel quantitas ut facta materia prima : quomodo non est formaliter accidens, sed substantia, nempe ipsa materia prima, in quam convertitur. In quo etiam sensu prædicta materia prima facta ex quantitate potest quantitas appellari : vulgare quippe est terminum conversionis appellari nomine rei, in quam conversio fit : sic enim Genes. 2, Eva appellatur os, quia facta ex osse, et Exod. 7, serpens factus ex virga Moysis per conversionem vocatur virga : et Joan. 2, vinum factum ex aqua per conversionem dicitur *aqua*. Unde magis liquet, quod non immerito in prædicto sensu potuerit D. Thomas non semel dicere, quod quantitati panis ex vi conversionis datum fuit esse subjectum subsequentium formarum, nempe mediate, et quatenus ipsa convertitur

[Right margin: Fit satis objectioni. — Nota.]

tur in prædictum subjectum. Et ita magis constat ad testimonia num. 49 et 50, pro contrario sensu allegata.

Gravis objectio. 58. Adhuc tamen supersunt contra hunc, quem prosecuti sumus, dicendi modum duæ graves objectiones. Prima est quod de essentiali ratione generationis est esse realem mutationem : sed juxta prædictum dicendi modum in productione vermis, aut ignis ex speciebus sacramentalibus non datur realis mutatio : ergo nec datur vera generatio : cujus tamen oppositum pro conclusione statuimus num. 46. Major probatur ex Aristotele lib. 8 *Physic.* textu 62, sic diffiniente: « Generatio est mutatio « de non ente in ens. » Et ex D. Thoma quæst. 2, *de potentia* art. 1 ad 15, asserente, quod « generatio est species mutationis. » Minor etiam suadetur : quoniam ad rationem mutationis desideratur, quod subjectum aliter se habeat nunc, ac prius; pro quo necessarium est esse prius sub privatione formæ, et deinde sub ipsa forma : sed juxta prædictum dicendi modum ista verificari non valent ; siquidem materia prima non adest usque ad instans generationis, et ubi primo adest, habet formam substantialem vermis, vel ignis, quæ tunc educitur : ergo juxta prædictum dicendi modum, in productione vermium, et aliorum ex speciebus sacramentalibus non datur realis mutatio. Secunda est, quod juxta præmissum dicendi modum fateri oportet materiam primam produci a solo Deo per unam actionem, et deinde compositum substantiale vermis, vel ignis fieri per aliam actionem non solum a Deo, sed etiam ab agente naturali illa composita generante : nisi enim materia præsupponatur facta, nequit agens naturale ullam formam ex illa educere : sed implicat, quod materia prima præsupponatur facta pro priori ad illa composita, et quod terminet specialem actionem Dei : ergo prædicta via non possumus salvare, quod in productione vermium, et similium ex speciebus sacramentalibus interveniat vera generatio. Probatur minor : nam cum omnis actio producens ordinetur ad communicandum existentiam termino, quem producit, repugnat aliquid terminare talem actionem, quin habeat propriam existentiam, quam ex vi suæ productionis participet : atqui materia prima nullam habet existentiam propriam, sed præcise existit per existentiam formæ, et totius compositi, ut cum communi Thomistarum sententia docent N. Complutenses abbrev. in lib. *Physic.* disp. 3, quæst. 4; ergo impossibile est materiam primam præsupponi factam per aliquam specialem actionem pro priori aliquo ad formam substantialem, et ad compositum.

(Margin notes: Aristot. — D. Tho. — Urgens alia objectio. — N. Comp.)

Aliquorum ad primam objectionem responsio. 59. Ad primam objectionem aliqui respondent concedendo majorem : quia censent generationem substantialem esse essentialiter mutationem. Sed negant minorem. Ad cujus probationem dicunt, quod ut productio, de qua loquimur, sit realis mutatio, sufficit, quod ad formam præsupponatur privatio vel in eadem materia tunc producta pro aliquo saltem priori naturæ, et ordine causalitatis ; vel saltem in quantitate, quæ toto tempore præcedentis alterationis gerebat vices materiæ : et de æquippollentibus est eadem ratio, et judicium. Ita Serra, et Joannes a S. Thoma, quos refert, et sequitur Prado dub. 7, num. 33, Gonet ubi supra num. 49, et quidam alii.

Displicet, et evertitur. Sed prædicta responsio difficilis nobis videtur, et minus consequens : nam si semel de ratione essentiali generationis est esse mutationem ; nescimus salvare, quod in nostro casu detur vera generatio : quia nulla ratione datur realis privatio formæ educendæ, ut queat materia vere transire de non esse ad esse illius. Quod enim primo loco dicunt, sufficere scilicet, quod privatio realis formæ præcedat in materia pro aliquo instanti, aut priori naturæ, falsum omnino est : quoniam implicat dari privationem realem, et non durare pro minima saltem duratione reali, nempe pro uno instanti : ergo ubi in aliquo priori naturæ adest realis privatio formæ educendæ, opus est talem privationem durare in toto illo instanti reali : sed in eodem instanti adest realiter forma ; siquidem materia in nulla vel minima duratione potest esse sine forma : ergo in tali instanti reali concurrent forma, et realis ejus privatio in eadem materia : quod tamen implicat apertam contradictionem. Si ergo in primo momento, in quo fit conversio quantitatis in materiam primam, adest forma substantialis, quæ de tali materia educitur, ut prædicti Auctores necessario concedunt ; impossibile est materiam in illo instanti habere pro illo signo, aut priori naturæ privationem rea-

lem prædictæ formæ. Unde salvare nequeunt realem transitum materiæ a non esse formæ ad esse illius. Quod autem dicunt secundo loco, facilius adhuc propellitur : quoniam ad realem mutationem requiritur identitas realis unius, et ejusdem subjecti, quod subjiciatur utrique mutationis termino : sed materia prima in illo instanti producta, et quantitas tempore alterationis præcedens non sunt realiter idem subjectum ; quin potius sunt genera primo diversa, ut satis ex se liquet : ergo quod quantitas toto tempore alterationis gesserit vices materiæ primæ in recipiendo dispositiones antecedentes, minime sufficit ad salvandum, quod eductio formæ ex materia sit realis mutatio. Eo vel maxime. quod quantitas non potest dici subjectum privationis substantialis, cum incapax simpliciter sit recipiendi talem formam. Nulla itaque ratione in nostro casu dici, aut salvari valet, quod præcesserit realis formæ substantialis privatio aliquo subjecto : et si non adest realis privatio, nec realis mutatio potest adesse. Quod vero dicitur de æquivalentia subjecti, eadem facilitate rejicitur : nam similis consideratio suum locum habet in moralibus ; non autem in rigore physico, quem in præsenti attendere opus est pro qualitate materiæ.

Legitima ad primam objectionem responsio.

Prætermissa itaque illa solutione respondemus cum aliis Thomistis, quos referunt, et sequuntur N. Complutenses abbrev. in lib. *de Generat.* disp. 2, quæst. 2, § 2, negando majorem : quia esse mutationem realem exercitam non convenit essentialiter generationi, sed solum connaturaliter, et per se loquendo. Unde non est de essentia generationis esse mutationem actu, sed aptitudine : sicut in eodem sensu dicitur, quod inhærere est de ratione accidentis, quamvis non repugnet illud reperiri sine inhærentia, ut in hoc mysterio contingit. Et in hoc sensu loquuntur Philosophus, et D. Tho. in testimoniis relatis : sicut etiam diffinire solent accidens per esse in alio, non quidem actu, sed aptitudine. Quæ responsio magis confirmari potest exemplo gratiæ Angelis in primo suæ creationis momento communicatæ, juxta illud D. Augustini : « Erat Deus « in Angelis condens naturam, et largiens « gratiam. » Quoniam talis gratia non fuit facta per creationem ex nihilo, sed per eductionem ex subjecto : quippe quæ præsupposuit Angelum factum per creationem, actionem, videlicet ordinis naturalis, et producta fuit per aliam actionem superioris ordinis a Deo agente supernaturali. Et tamen prædictæ gratiæ productio non supposuit in subjecto ullam realem gratiæ privationem : non quidem in illo creationis momento ; siquidem Angelus in illo habuit ipsam gratiam : nec in alia duratione antecedenti ; cum in illa Angelus nihil fuerit. Non requiritur ergo essentialiter ad generationem, vel eductionem, quod in subjecto præcedat realis privatio formæ : sed sufficit, quod subjectum fiat per unam actionem, et forma producatur per aliam : nam eo ipso non fit ex nihilo, sed ex præsupposito subjecto, et quantum est ex vi hujus, posset fieri cum reali subjecti transmutatione. Et idem proportionabiliter in præsenti materia contingit : nam in ultimo instanti corruptionis specierum Deus convertit quantitatem panis in materiam : deinde alia actione, et simul cum agente naturali producit formam, et compositum : quod satis est, ne posterior hæc actio sit creatio, sed sit eductio formæ, et generatio compositi. Et quamvis actu non transmutet materiam, quippe quam non supponit in aliqua duratione sub privatione ; nihilominus de se est transmutativa subjecti, et materiam transmutaret, si eam supponeret in alia duratione productam.

Nota

60. Ad secundam objectionem negamus minorem : nulla enim assignari potest implicatio in eo, quod materia prima fiat a Deo per actionem, quæ ad ipsam unice terminetur. Et quæ ibi assignatur, non urget : quia nec formæ substantiales materiales habent propriam existentiam, sed existunt per existentiam totius compositi : (ex qua etiam radice provenit, quod per se loquendo non terminent propriam actionem, sed fiant per eandem actionem, qua totum compositum fit, et ad productionem illius): et tamen non implicat Deum producere tales formas per specialem actionem, et cum independentia actuali a subjecto. Ad minoris ergo probationem dicendum est, quod licet illud, quod per se terminat specialem actionem, et habet proprium fieri, debeat habere etiam propriam existentiam : nihilominus ut aliquid producatur per accidens, opus non est, quod habeat existentiam propriam ; sed sufficit,

Alterius objectionis dilutio.

sufficit, quod possit existere per existentiam alterius, sibi in eodem suæ productionis momento communicatam: quia quod ita fit, non fit propter se, sed propter aliud, et ob indigentiam tunc occurrentem, cui aliter subveniri non potest. Et sic contingit in præsenti. Nam quia compositum substantiale per se intentum, et in ultimo instanti corruptionis specierum producendum nequit fieri, aut existere sine materia, ut § præced. ostendimus: et aliunde agens naturale applicatum speciebus nequit talem materiam producere: propterea Deus ex vi prioris miraculi, quo substantiam panis in Corpus Christi convertit, et quantitatem panis conservavit, obligatur materiam primam producere in ultimo instanti terminativo alterationis præcedentis; in quo forma substantialis est educenda virtute agentis naturalis: ut scilicet tale agens habeat subjectum, ex quo possit prædictam formam educere. Ad quod sufficit producere entitatem materiæ, nullam ex vi illius actionis existentiam communicando: tum quia sufficit materiam in illo instanti existere per existentiam formæ, et totius compositi. Tum quia materia non producitur per se, sed ob indigentiam tunc occurrentem, nempe, ut exerceat rationem subjecti, ex quo agens naturale educat formam, et producat totum compositum: porro ut materia exerceat munus subjecti, et comparetur per modum causæ materialis, non eget existentia in eodem genere; siquidem non causat per modum actus, sed per modum potentiæ secundum capacitatem realem suscipiendi formam, et existentiam, ut bene declarant N. Complutens. loco in objectione relato, num. 24, ubi alia afferunt, quæ ut mere philosophica nunc omittimus.

Replica. 61. Sed insistes: quoniam agens naturale nequit operari erga materiam separatam ab omni forma substantiali: sed in illo signo, aut priori naturæ, in quo ignis hostiæ applicatus producturus est ultimam dispositionem, et formam substantialem, materia intelligitur separata ab omni hujusmodi forma: ergo ignis hostiæ applicatus nequit aliquid circa talem materiam operari. Et si dicatur idem contingere in naturalibus, sive cum generationes omnino naturaliter fiunt. Contra hoc est, quod licet in naturalibus materia non intelligatur sub forma, quæ de novo fit; intelligitur tamen sub forma, quæ corrumpitur: unde non deficit hujusmodi requisitum, ut agens naturale possit erga talem materiam agere.

Solvitur. Respondetur, quod sicut in aliis generationibus naturalibus, sive nullum miraculum supponentibus, toto tempore alterationis, quod præcedit generationis momentum, operatur agens naturale erga materiam existentem sub forma corrumpenda; in ipso autem generationis instanti operatur erga materiam, quæ in illo instanti reali existit per existentiam formæ, et compositi geniti; sed tamen pro priori, aut signo suæ causalitatis non explicat existentiam, sed præcise suam essentiam, sive capacitatem realem suscipiendi formam, et existentiam: ita similiter in præsenti materia contingit. Nam tempore alterationis, quod instans generationis præcedit, ignis hostiæ applicatus operatur erga quantitatem panis gerentem vices materiæ: in ipso vero generationis instanti operatur erga materiam tunc primo a Deo productam per conversionem quantitatis in ipsam: quæ materia in illo reali instanti existit per existentiam formæ, et totius compositi tunc geniti: sed pro illo priori naturæ suæ causalitatis non intelligitur sub existentia, quippe cum ista non pertineat ad genus causæ materialis per modum puræ potentiæ. Unde liquet generationem hujusmodi procedere cum omnimoda proportione ad alias generationes naturales, absque ullo præsupposito miraculo contingentes. Sed differentia in eo unice consistit, quod in aliis generationibus præcedit tempore materia cum forma substantiali corrumpenda: in hac autem generatione non præcedit materia; sed præcedit quantitas vices materiæ gerens, atque sucipiens dispositionis determinantes ad hanc, vel istam formam substantialem juxta diversitatem agentium naturalium, quæ speciebus sacramentalibus applicantur. Qua differentia præsupposita, cætera ibi occurrentia uniformi gressu procedunt, ut hactenus explicuimus.

§ IV.

Referuntur sententiæ communi assertioni contrariæ.

Prima sententia. 62. Prima sententia nostræ assertioni contraria negat, quod ex speciebus sacramentalibus aliquid generetur, aut fiat. Unde ad oppositas experientias respondet illa, quæ ex prædictis speciebus generari, aut fieri videntur, revera non generari, nec fieri, sed apparere. Ita B. Algerus lib. 2, *de Eucharistia*, cap. 1, Guitmundus lib. 2, de eodem mysterio, et N. V. Waldensis lib. 2 *de sacram.* cap. 62, qui addunt non oportere hominem ex prædictis speciebus nutriri, quia earum aliquid in secessum mitteretur. Fundamentum horum Patrum erat, quod facta consecratione non manet aliqua substantia in hoc sacramento, sed sola accidentia, aut species, ut vidimus dub. 1, ex accidentibus autem nihil substantiale fieri potest: ergo ea, quæ videntur ex speciebus fieri, v. g. vermes, aut ignis, non sunt vere talia, sed præcise apparent. « Verum hæc opinio » (inquit Suarez disp. 57, sect. 3; in principio) « antiquata jam est, et ut improbabilis omnino « ab scholis rejecta : quia omnino præter « rationem est experientias negare.» Quod satis a nobis ostensum est § 1; sed parcere oportet illis Doctoribus, qui exortis circa mysterium hoc controversiis, non potuerint singula ita exacte digerere, quin in aliquo materialiter erraverint. Eorum vero fundamentum in superioribus convulsum fuit, ubi ostendimus oppositum, nempe quod licet post consecrationem maneant sola accidentia, hæc tamen gerunt vices substantiæ in ordine ad generationem substantialem, ut possit aliquid substantiale ex eis generari.

Algerus. Guitm. N. Wal. — Motivum — Dispellitur

Secunda sententia. Secunda sententia docet aliquid substantiale ex prædictis speciebus produci : negat tamen illud fieri ab agente creato, seu naturali : sed dicit illud effici a solo Deo per creationem ; dispositionibus, quæ in quantitate specierum præcesserunt, nullo modo causaliter ad talem productionem concurrentibus, sed exigentibus præcise creationem substantiæ novæ, ut mysterium lateat. Ita Scotus in 4, dist. 12, quæst 6, § *Dico igitur*, Durandus quæst. 2, num. 10, Gabriel quæst. 1, art. 3, dub. 3, Major quæst. 4, Vasquez disput. 194, cap. 3, et quidam alii. Quam probant primo : nam cum generatio unius sit corruptio alterius; oportet corruptionem esse substantialem, ut generatio substantialis contingat : sed corruptio specierum sacramentalium non est substantialis : siquidem per eam sola accidentia corrumpuntur : ergo quod corruptis speciebus producitur, non fit per substantialem generationem. Secundo, quia ad generationem substantialem est necessaria materia prima, ex qua forma substantialis educatur : sed in Eucharistia nulla datur materia prima, cum ibi sola accidentia remaneant: ergo ex speciebus sacramentalibus nulla sit substantialis generatio. Tertio, quoniam ut agens naturale educat formam, et generet compositum, non sufficit habere materiam primam, sed insuper requiritur, quod in ea producat prævíam dispositionem, et determinationem ad formam : quas agens subito introducere non potest, sed eget tempore, in quo alteratio perficiatur : atqui nihil horum salvari valet in præsenti : tum quia non datur materia prima, quæ agentis operationi subdatur : tum quia licet a Deo in aliquo momento, destructis speciebus, produceretur, nihilominus agens nullas dispositiones in ea introduceret, sed solum in quantitate, quæ nequit esse formæ educendæ subjectum : ergo minime salvari valet, quod aliquod compositum substantiale ex speciebus sacramentalibus generetur : et multo minus, quod generetur virtute naturalis agentis. Quare quod ibi fit, non fit utique per generationem ab agente naturali, sed fit a solo Deo per creationem.

Scotus. Durand. Gabriel. Major Vazq. — Primum argumentum. — Secundum. — Tertium

Diluitur primum. 63. Hæc vero, et similia motiva convulsa manent juxta doctrinam superius traditam. Nam ad primum satis constat ex dictis dub. præced. § 2, corruptionem specierum sacramentalium esse substantialem, non quidem quia corrumpat actu aliquam substantiam ibi existentem ; sed quia ex natura sua illam corrumperet, si ibi existeret : et quod non adsit, est per accidens respectu alterationis, et corruptionis specierum. Unde datur sufficiens proportio, ut productio substantiæ, illi corruptioni, aut destructioni correspondens sit generatio substantialis. Accedit, quod licet similis correspondentia detur naturaliter, et per se loquendo ; nihilominus non est essentialiter necessaria. Gratia namque

namque Angelorum facta est per generationem, sive eductionem ex subjecto : et tamen nulla ibi forma destructa fuit, aut corrupta. E converso autem destructio gratiæ per peccatum est quædam corruptio; et nihilominus ex vi hujus nulla concurrit alterius formæ positivæ eductio, vel generatio. Quare licet nulla in præsenti interveniret substantialis corruptio ; non propterea negari deberet substantialis generatio. Nec id Adversarii consequenter negare possunt ; cum affirment materiam primam posse existere absque omni forma: demus enim illam ita existere aliquo tempore, et quod deinde Deus aliquam formam substantialem v. g. ignis in ea, et ex ea producat : profecto talis formæ productio non est creatio, sed generatio, et eductio : et tamen in eo casu nulla simul concurreret corruptio substantialis ; siquidem supponitur nullam in materia formam substantialem præcessisse. Idem itaque, et a fortiori in præs. difficultate dicendum est.

Nota.

Solvitur secundum. Ad secundum constat ex dictis § præced. in instanti, in quo producuntur eas quæ ex speciebus sacramentalibus fiunt, quantitatem panis, et vini, quæ susceperat antecedentes dispositiones, converti a Deo in materiam primam, quæ sit subjectum generationis substantialis præcedenti alterationi correspondentis, et pars compositi generandi. Et quamvis contra hanc partem aliqua possint opponi : graviora tamen, et difficiliora convulsa relinquuntur. Et si Adversarii pulsent, et interrogent, quo fundamento asseramus illius materiæ productionem ; requirendi ipsi sunt, quo motivo dicant totum compositum substantiale, quod corruptis speciebus adest, produci a solo Deo, vel per creationem, vel saltem per generationem, independentem tamen ab influxu agentis naturalis ? Quin ipsi negare non valent materiam in illo instanti produci per solam creationem : quippe manifestum est primum simpliciter subjectum, ut materia est, non posse aliter, quam per creationem produci. Quo itaque fundamento illi dicunt materiam in illo instanti, quo destruuntur species a Deo creari, eodem etiam nos illud affirmamus : sed meliori jure. Illi namque id docent victi naturalibus experientiis, ne scilicet negent vermes, ignem, et similia, quæ destructis speciebus producuntur, esse vera entia, et composita substantialia. Nos vero præter hoc motivum attendimus, salvamusque naturalem causalitatem agentium naturalium speciebus applicatorum : nam cum videamus ignem v. g. hostiæ applicatum illam comburere, merito affirmamus talem ignem concurrere non solum ad destructionem specierum præexistentium, sed etiam ad productionem ignis denuo facti, generando sibi simile. Unde hujus productionem non in solum Deum, vel creantem, vel generantem revocamus ; sed etiam in agens naturale, ut ipsa rerum exigentia deposcit. Sed quia agens naturale nequit educere, nisi ex materia, et hanc creare non valet : propterea affirmamus Deum solum producere talem materiam ; Deum vero, et simul agens naturale educere ex tali materia formam juxta conditionem agentis naturalis, et præcedentes in quantitate dispositiones. Sic enim, et salvantur jura naturæ, et cuncta in præsenti salvanda cohærent, ac sibi consonant.

Nota.

Diruitur ultimum. Ex quibus patet ad ultimum : jam enim diximus, qualiter agens naturale in instanti, in quo destruuntur species, habeat materiam primam a Deo tunc creatam, ex qua possit formam substantialem educere. Et licet non potuerit dispositiones antecedentes tali materiæ immediate, aut mediate imprimere, quippe quæ in se non erat tempore antecedenti: nihilominus tales dispositiones produxit in quantitate, quæ gerebat substantiæ vices : et hoc modo affecta convertitur a Deo in materiam, non utcumque, sed sigillatam ad determinatam formam propter connotationem præcedentium dispositionum in quantitate. Et idem fere contingit in omnibus generationibus vel naturaliter factis, nullumque miraculum supponentibus. Nam cum in corruptione substantiali fiat resolutio usque ad materiam primam omnino nudam ; nihil plane accidentium, quæ fuerant in corrupto, relinquitur in materia prima ; sed sola materiæ sigillatio, quæ aliud realiter non est, quam materia prima in recto connotando ex parte obliqui dispositiones, quæ fuerant in corrupto tempore antecedenti : et tamen id sufficit, ut accidentia ab agente inducta dicantur dispositiones ad formam : et similiter, ut agens naturale dicatur ad talem formam disponere, atque in virtute prædictarum dispositionum talem formam educere, ut

N.Comp. optime declarant N. Complutenses abbrev. in lib. *de Generatione* disp. 2, quæst. 6, si hæc itaque sufficiunt ad generationem omnino naturaliter factam : multo magis sufficient ad illam generationem, quæ licet naturalis sit, miraculum tamen supponit.

§ V.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

Primum corollarium. 64. Ex dictis facile colligitur decisio aliarum difficultatum, quas D. Thomas in hac quæst. 76 proposuit, ut exponeret modum,
D. Tho. quem accidentia Eucharistica habent tum in essendo, tum in operando ; quin opus sit pro illarum resolutione diversa dubia aperire. Infertur ergo primo posse ex speciebus sacramentalibus fieri veram nutritionem. Ita Div. Thomas in præs. art. 6, cui suffragantur communiter Theologi, illis exceptis, quos dedimus num. 62. Ratio est : quoniam nutritio est quædam generatio partialis, sive aggeneratio : consistit enim in eo, quod materia amissa forma alimenti suscipiat formam aliti : sed ex speciebus sacramentalibus potest fieri generatio, ut ostendimus in hoc dubio : ergo pariter fieri potest nutritio. Quod magis declarat D. Thom. art. cit. his verbis : « Dicendum « quod hæc quæstio difficultatem non habet, « præcedenti quæstione soluta. Ex hoc « enim, ut dicitur in 2, de Anima, cibus « nutrit, quod convertitur in substantiam « nutriti. Dictum est autem; quod species « sacramentales possunt converti in substantiam aliquam, quæ ex eis generatur. « Per eandem autem rationem possunt « converti in corpus humanum, per quam « possunt converti in cineres, vel vermes. « Et ideo manifestum est, quod nutriunt, « quasi in corpus humanum convertantur, « sed reficiunt, et confortant quadam sen« suum immutatione (sicut homo confor« tatur ex odore cibi, et inebriatur ex odore « vini), ad sensum patet esse falsum. Talis « enim refectio non diu sufficit homini « cujus corpus propter continuam deper« ditionem restauratione indiget : et ta« men homo diu sustentari posset, si hos« tias, et vinum consecratum sumeret in « magna quantitate. »

Objectio. Contra hanc resolutionem non occurrunt specialia argumenta præter ea, quæ contra generationem substantialem supra proposuimus, et solvimus. Sed tamen pro explicandis aliquibus testimoniis Sanctorum sequentem proponemus objectionem : nam D. Ambrosius in lib. *de Sacram.* affirmat : « Non iste panis est, qui vadit in « corpus : sed panis vitæ æternæ, qui ani« mæ nostræ substantiam fulcit. » Sed omne, quod nutrit, vadit in corpus. Ergo panis iste non nutrit. Et eadem ratio est de vino. Similiaque aliorum Patrum dicta expendere solent D. Algerus, et alii, qui negant posse aliquid ex speciebus sacramentalibus generari.

Responsio D. Thomæ. Respondetur cum D. Th. art. cit. ubi ait: « Ad primum dicendum, quod facta con« secratione, dupliciter potest dici panis in « hoc sacramento. Uno modo ipsæ species « panis : quæ retinent nomen prioris subs« tantiæ, ut Gregorius dicit in homilia « Paschali. Alio modo potest dici panis ip« sum corpus Christi, quod est panis mysti« cus de Cœlo descendens. Ambrosius ergo, « cum dicit, quod iste panis non transit in « corpus, accipit panem secundo modo. Quia « scilicet corpus Christi non convertitur « in corpus hominis ; sed reficit mentem « ejus. Non autem loquitur de pane primo « modo dicto. » Et eodem modo explicandi sunt Patres.

Secundum corollarium. 65. Infertur secundo in speciebus sacramentalibus posse dari veram fractionem. Ita D. Thom. in præs. art. 7, subscribentibus communiter Theologis. Ratio liquet ex dictis : nam fractio est quædam partialis rei corruptio, præsertim, ubi multum pulverizatur, aut in partes minimas fit divisio : sed species sacramentales possunt corrumpi, ut diximus dub. præced. § 2; ergo et frangi. Quod luculentius ostendit D. Thomas loco cit. his verbis : « Dicen- D. Tho.
« dum, quod apud antiquos circa hoc mul« tiplex fuit opinio : Quidam enim dixe« runt, quod non erat in hoc sacramento « fractio secundum rei veritatem, sed « solum secundum aspectum intuentium. « Sed hoc non potest stare : quia in hoc sa« cramento veritas sensus non decipitur « circa ea, quorum judicium ad ipsum per« tinet: inter quæ est fractio, per quam ex « uno fiunt multa: quæ quidem sunt sensi« bilia communia, ut patet in lib. de Ani« ma. Unde alii dixerunt, quod erat qui« dem ibi vera fractio sine subjecto exis« tente. Sed hoc etiam sensui contradicit. « Apparet enim in hoc sacramento aliquid quantum

« quantum, prius unum existens, postea in « multa partitum : quod quidem oportet « esse subjectum fractionis. Non autem « potest dici, quod ipsum corpus Christi « verum frangatur. Primo, quia est incor- « ruptibile, et impassibile. Secundo, quia « est totum sub qualibet parte, ut supra « habitum est : quod quidem est contra ra- « tionem ejus, quod frangitur. Unde relin- « quitur, quod fractio fit sicut in subjecto « in quantitate dimensiva panis, sicut et « alia accidentia. Et sicut species sacra- « mentales sunt sacramentum corporis « Christi veri : ita fractio hujusmodi spe- « cierum est sacramentum Dominicæ pas- « sionis, quæ fuit in corpore Christi vero. » An autem possit dici, quod corpus Christi, prout in sacramento frangitur, quando species franguntur, alia quæstio est; quam attigit D. Thom. in resp. ad 3, et solvimus supra disp. 6, dub. 3, num. 35.

Tertium corollarium. 66. Infertur tertio ex speciebus sacramentalibus posse fieri mixtionem, si v. g. vino consecrato aliquis alius liquor infundatur. Ita D. Thomas in præs. art. 8, quem Theologi communiter sequuntur. Et priusquam veritatem hujus corollarii probemus, oportet ejus sensum exponere. Nota. Nam duplex est mixtio, propria scilicet, et impropria. Hæc posterior non importat substantialem eorum, quæ misceri dicuntur, transmutationem : sed solum approximationem plurium corporum, aut partium secundum locum : in quo sensu farina facta ex diversis granis, utputa tritico, et hordeo solet mixtum appellari. Prior autem mixtio, nempe proprie dicta consistit in eo, quod plura corpora, vel particulæ eorum mutuo alterentur, et corrumpantur, ita quod resultet aliquod tertium a miscibilibus substantialiter distinctum, in quo tamen miscibilia aliquomodo, id est, secundum aliquas virtutes remaneant. Et hæc mixtio diffinitur a Philosopho 1, *de generat.* et D. Thoma ibidem lect. 25, *Miscibilium alteratorum unio.* Aristot. D. Tho. N. Comp. Cujus possibilitatem, et peculiares rationes bene declarant N. Complutenses abbrev. in lib. *de Generat.* disp. 9, quæst. 1.

Consectarii fundamentum. Nostrum igitur consectarium de mixtione proprie dicta intelligitur, et probatur breviter ex doctrina hactenus tradita : quoniam mixtio hujusmodi est quædam substantialis generatio ex miscibilibus : quamvis enim non omnis generatio sit mixtio, tamen omnis vera mixtio est aliqua generatio : sed ex speciebus sacramentalibus potest aliquid fieri per veram generationem substantialem, ut in hoc dub. ostendimus : ergo pariter ex prædictis speciebus potest aliquid fieri per mixtionem propre dictam, ut continget si vino consecrato aliquis liquor mixtioni aptus superinfundatur. Probatur autem amplius a D. Thoma : nam in *Sed contra* ait : « Ad sensum patet alium « liquorem vino permisceri posse post con- « secrationem, sicut et ante. » Et deinde subjungit : « Dicendum, quod istius quæs- « tionis veritas manifesta est ex præmissis. « Dictum est enim supra, quod species in « hoc sacramento remanentes, sicut adipis- « cuntur virtute consecrationis modum es- « sendi substantiæ, ita etiam consequuntur « modum agendi, et patiendi, ut scilicet « agere, et pati possint, quidquid age- « ret, vel pateretur substantia, si ibi præ- « sens existeret. Manifestum est autem, « quod si esset ibi substantia vini, liquor « aliquis posset ei permisceri. » D. Tho. Quare vel negandum in universum est posse fieri veram ex liquoribus mixtionem ; quod contradicit communi Philosophorum sententiæ apud N. Complutenses loco cit. concl. 1, vel fateri omnino oportet ex vino consecrato, et alio liquore ei conjuncto posse veram mixtionem fieri.

67. Sed ut ad casus magis speciales circa hujusmodi mixtionem descendamus, prius observare oportet, quod liquores, qui simul conjungutur, vel possunt habere qualitates omnino similes, et absque ulla contrarietate : vel possunt habere qualitates contrarias. Diversi casus circa mixtionem. Et hoc posterius dupliciter potest contingere : primo inter liquores diversæ speciei, ut inter vinum, et aquam: secundo inter liquores ejusdem simpliciter speciei, sed quæ habent aliquam contrarietatem secundum conditiones individuales, ut inter vinum nigrum, et vinum album, vel inter duo vina ejusdem coloris habentia tamen diversas virtutes, ut ex sapore, odore, et effectibus deprehendi valet. His suppositis tenendum est, quod quotiescumque vino consecrato infunditur vinum alterius speciei habens contrarias qualitates ; et fit tempore opportuno sufficiens partium applicatio ; generatur per mixtionem aliquod tertium tam ex speciebus consecratis, quam ex vino addito ; et consequenter sanguis Christi desinit esse sub talibus speciebus. Primus, et vulgaris. Id saltem evincunt motiva proxime propo-

sita, et communis Philosophorum sententia, et ex immediate dicendis satis constabit. Nec contra hanc partem sentire potest, qui non egerit contra Philosophiam communem.

Secundus magis specialis. Idem dicendum est, quando vino consecrato infunditur aliud vinum ejusdem speciei, habens tamen qualitates contrarias, et tantam quantitatem, ut possit per omnes species vini consecrati diffundi. Probatur ratione philosophica : nam si in prædicto casu vinum non esset consecratum, fieret mixtio et generaretur aliud tertium a præcedentibus distinctum : ergo idem dici debet, quando vinum supponitur consecratum. Consequentia patet : quia supposito miraculo conversionis, species ibi manentes perinde se habent tam in agendo, quam in patiendo, ac si ibidem maneret substantia vini, ut satis constat ex dictis in ota hac disp. et præsertim dub. 4. Antecedens autem est communis Thomistarum, et plurium aliorum sententia, ut testantur N. Complutenses abbrev. ubi supra quæst. 2, concl. 2. Et insuper suadetur ratione satis efficaci : quoniam tunc fit mixtio vera, et propria ; quando miscibilia habent qualitates contrarias, secundum quas possunt agere, et reagere, ut patet in mixtione liquorum specie differentium : sed in casu proposito miscibilia, licet non differant specie habent contrarias qualitates, ut supponitur (et nisi id supponatur, casus excluditur) : ergo si in prædicto casu vinum non esset consecratum, fieret vera mixtio, et generaretur aliud tertium a præcedentibus distinctum. Et ita plane docet D. Thom. art. cit. ubi ait : « Sed si liquor permistus « esset alterius speciei, puta si permisce« retur aqua ; solveretur species vini, et « esset liquor alterius speciei. Si autem « esset ejusdem speciei liquor adjunctus, « puta si vino permisceretur vinum ; rema« neret quidem eadem species, sed non « remaneret idem numero vinum : quod « declarat diversitas accidentium : puta si « unum vinum esset album, et aliud ru« beum. » Unde consequenter tenendum est sanguinem Christi non manere sub speciebus vini prius consecrati : quia generalis regula est Christi sanguinem tandiu sub eis conservari, quandiu et non amplius ipsæ conservantur, ut statuimus disp. 6, dub. 7. In prædicto autem casu non manerent species vini consecrati, sed eis, et vino superinfuso destructis generaretur aliud tertium, nempe mixtum ex prædictis miscibilibus. Ubi præ oculis habere oportet, quod ut sanguis Christi desinat esse sub speciebus, minime requiritur, quod ibi desinat esse absolute essentia, sive ratio essentialis vini ; sed sufficit adesse tantum mutationem, quod tale vinum individuum, si ibi substantialiter foret, desineret esse secundum suum esse individuale : quoniam a tali substantia individualiter sumpta dependent tales species sacramentales in individuo : et consequenter præsentia Christi sub his numero speciebus.

(Marginal notes: N.Comp. — D. Tho. — Nota.)

Sententia, et objectiones Durandi et Suarii. 68. Oppositam huic resolutioni sententiam docuit Durandus in 4, dist. 42, quæst. 13, negans inter liquores ejusdem speciei, licet habeant contrarias qualitates, posse veram mixtionem fieri ; et Christi sanguinem hac via desinere esse sub speciebus vini consecrati. Durando subscripsit Suarez in præs. disp. 57, sect. 4, quamvis fateatur (quod non ita solet,) agere contra D. Thomam. Primum illorum motivum est : quoniam omne agens intendit assimilare sibi passum, non quidem in conditionibus individualibus, quod repugnat, sed in natura specifica : ergo nisi detur differentia essentialis inter agens naturale, et passum, non sequitur actio, nec passi corruptio : et consequenter ubi duo liquores ejusdem speciei conjunguntur, non generatur aliquod mixtum, sive tertium ab eis distinctum. Secundum, quia ex opposito fieret, quod conjunctis duobus vinis consecratis ejusdem speciei, habentibus tamen diversas virtutes, sub nullo eorum maneret sanguis Christi : quod tamen est falsum. Nam in cap. *Cum Martha, de celebrat. Missarum* dicitur non transire vinum in sanguinem, nec illi commisceri, quando post vini consecrationem mittitur vinum in sanguinem.

Evertuntur et dissolvuntur. Ad primum respondetur cum N. Complutensibus loco citato causam efficientem principalem mixti resultantis ex duobus liquoribus ejusdem speciei non esse ipsos liquores, sed cœlum : vel aliam causam universalem : sicut etiam contingit in multis, quæ generantur ex putrefactione absque aliqua causa particulari principali univoca. Porro manifestum est inter illam causam universalem, et liquores, ac mixtum dari essentialem distinctionem. Prædicta autem causa universalis tum mediis liquoribus

liquoribus habentibus virtutes contrarias, tum peculiari sua influentia excludit dispositiones requisitas ad prædictos liquores, et inducit dispositiones congruas mixto producendo. Unde salvatur, quod agens non agat in passum ejusdem omnino rationis ; quod esset inconveniens. Sed nullum est in eo, quod cum habet qualitates differentes, et influit ex motione causæ superioris, agat in passum ejusdem speciei.

Ad secundum concedimus sequelam, quæ nullum claudit inconveniens, quando vina consecrata, licet sint ejusdem speciei, habent oppositas conditiones, et datur applicatio partium sufficiens ad mixtionem. Sicut nec id esset inconveniens in duobus vinis consecratis diversarum specierum, ut cum communi sententia diximus num. præced. Manet enim Christus sub speciebus, quandiu maneret earum substantia, et non amplius : facta autem mixtione duorum vinorum habentium contrarias qualitates (sive sint diversæ, sive ejusdem speciei) utrumque substantialiter corrumperetur, et generaretur aliud tertium : unde merito, et consequenter dicimus, quod in tali casu Christus desineret esse sub speciebus : quia et ipsæ species, sub quibus erat, corrumperentur. Improbatio autem sequelæ desumpta ex Innocentio Tertio in illo cap. *Cum Martha* nihil valet : quia solum docet, quod vinum non consecratum vino consecrato infusum non transit in sanguinem Christi, ut constat ex ejus verbis, quæ refert D. Thomas art. 8 ad 3. Idque merito asserit : quia sanguis Christi in hoc sacramento est inalterabilis, et incorruptibilis, ut supra diximus disp. 6, dub. 5. Sed id non prohibet, quod species sacramentales corrumpantur a superinfuso alio vino, cum corruptibiles sint : sicut etiam corrumperentur existentes in propria substantia : et generaretur aliud quid a miscibilibus diversum. Observandum tamen est illud mixtum resultans ex vino consecrato, et non consecrato debere religiose tractari, et servari ; quia licet nos ita sentiamus, nempe non manere ibi sanguinem Christi , nihilominus nostra hæc sententia non est certa ; cum opposita omni probabilitate non careat.

Mens Innocentii.

Observatio.

69. Major difficultas est, quando vino consecrato infunditur vinum non consecratum ejusdem speciei, et earundem qualitatum, ita ut nullam habeant contrarietatem : sed tamen conjunguntur in ea quantitate, ut mutuo se intersecent, etquasi penetrent, usque ad partes minimas. In quo casu, licet non adsit alteratio, dari sufficientem mixtionem, ut sanguis Christi desinat esse sub speciebus, docent plures, et graves Theologi. Ex Thomistis Paludanus in 4, dist, 12, quæst. 5, art. 2, Soto dist. 10, quæst. 2, art. 8, § *Ad hæc vero.* N. Cornejo disp. 1, dub. ult. quæstiunc. 3, N. Gabriel. disp. 11, quæst. 6. Ex aliis autem Alensis 4 par. quæst. 10, membr. 7, art. 7, § 3, D. Bonavent. in 4, dist. 12, in 1 part. art. 2 ad ult. Richardus art. 4, quæst. 1, Major quæst.4, dub. 2, Granados tract. 7, disp. 4, num. 5, Pasqualigus disp. 107, sect. 3, et alii. Præcipuum autem hujus opinionis fundamentum stat in auctoritate D.Thomæ, qui ita plane docere videtur in hoc artic. 8, ubi ait : « Si enim « permisceretur aliquis liquor in tanta « quantitate, quod posset diffundi per « totum vinum, totum fieret permistum. « Quod autem est commistum ex duobus, « neutrum miscibilium est : sed utrumque « transit in quoddam tertium ex his com» positum. Unde sequeretur quod vinum « prius existens non remaneret. » Et hinc paulo post concludit : « Unde si fiat tanta « permistio liquoris cujuscumque, quod « pertingat ad totum vinum consecratum, « et fiat permistum, erit aliud numero : « et non remanebit ibi sanguis Christi. » Deinde probatur ratione : quia non solum viventia, sed etiam non viventia, ut est vinum,habent certum terminum suæ parvitatis, ut sub minori conservari non possint, juxta communem Thomistarum doctrinam apud N. Complutenses abbrev. in libris *Physicorum* disp. 25, quæst. 2 ; sed vinum consecratum, et vinum non consecratum habentia easdem qualitates, possunt se pervadere, intersecare, et quasi penetrare usque ad partes minores minimis : ergo si id fiat, utrumque vinum corrumpetur, et generabitur aliud ab eis distinctum :et consequenter sanguis Christi desinet esse sub speciebus vini consecrati.

Tertius casus difficilior.

Probabilis aliquorum opinio.

Palud. Soto. N. Corn. N. Gab. Alensis. D. Bon. Ricard. Major. Granad. Pasqual. D. Tho.

Motivum

N. Comp.

70. Probabiliorem tamen censemus contrariam opinionem, quæ negat in tali casu fieri mixtionem, aut corrumpi vina, aut Christum desinere esse sub speciebus. Ita statuerunt N. Complutens. abbrev. loco supra cit. ex lib. *de Generat.* num. 8, et 10. Et Nugnus in præs. hanc partem de-

Probabilior sententia.

N. Comp. Nugnus.

Ferrara. Joan. a S. Tho. Prado. Suarez. Valentia Bernal Bonacin. fendens dicit esse communem inter Thomistas. Et vere ita est : nam sic docent Ferrara lib. 2, *contra gentes*, cap. 56, Victoria, Cano, Serra, et Joannes a S. Thoma, quos refert, et sequitur Prado dub. 7, num. 8. Idem etiam docent Suarez, Henriquez, Valencia, Rubio, Cabero, Petrus Garcia, Tannerus, Bernal, Bonacina, et alii apud eundem Auctorem loco cit. et num. 14. Probatur primo auctoritate simul, et ratione D. Thom. in hoc articulo in verbis proxime relatis : quia non aliter docet, quod sanguis Christi desinat esse sub speciebus, nisi quando totum sit permistum, ut semel, et iterum ait : sed inter liquores ejusdem speciei, et qualitatum non fit permixtio : ergo in tali casu sanguis Christi non desinit esse sub speciebus. Minor probatur ex eodem S. Doctore lib. 4, *contra gentes* cap. 35, ubi ait : « Mixtio « non est nisi eorum, quæ communicant « in materia, et quæ agere, et pati ad in- « vicem nata sunt : » idque satis constat ex ipsa mixtionis diffinitione, quæ exposcit alterationem miscibilium, ut vidimus num. 66; sed alteratio, et mutua illa actio, et passio necessario petunt contrarias qualitates in miscibilibus; aliter enim nequeunt in alterutrum agere : ergo quando conjunguntur duo vina ejusdem speciei, et earundem qualitatum, nequit fieri vera mixtio ; et consequenter, nec corrumpuntur, nec generatur aliud tertium : ergo sanguis Christi non desinit esse sub speciebus vini consecrati.

Auctoritas, et ratio D. Thomæ.

Alia ratio. Probatur secundo destruendo motivum contrarium : quoniam licet vinum habeat minimum naturale, et sub minori conservari non possit : nihilominus id verum præcise est, quando pars separatur a toto et ab aliis partibus ejusdem rationis; secus autem si vel sit in toto, vel conjungatur aliis partibus ejusdem rationis, per quas foveatur propter naturalem omnium qualitatum similitudinem. Ita autem contingit, quando duo vina ejusdem speciei, et earundem qualitatum in eodem vase conjunguntur : tunc enim licet secundum omnes partes se pervadant; nihilominus omnes tales partes conservantur ob affinitatem, et similitudinem, quam inter se habent. Ergo in prædicto casu partes minores minimis non corrumpuntur : atque ideo nec Christus desinit esse sub speciebus vini consecrati, et singulis ejus partibus. Recolantur supra dicta disp. 4, dub. 7, § 2, et disp. 6, dub. 4, § 3.

Ex quibus convulsa relinquuntur motiva contrariæ opinionis. Nam ad testimonium D. Thomæ constat S. Doctorem requirere quidem, quod liquores se intime intersecent, ut sic fiat mixtio adæquate. Sed tamen non excludit alias conditiones mixtionis : inter quas ex ejus sententia computatur contrarietas miscibilium. Et ad motivum etiam liquet, quod, etsi partes minores minimis eorum vinorum, si separentur, corrumperentur ; tamen simul junctæ potius se fovent, atque conservant. An autem duo illa vina simul haberent unam quantitatem actu indivisam, an vero haberent duas quantitates actu distinctas, quæstio est in præsenti non necessaria. Et loquendo de vinis, quorum neutrum supponatur consecratum, certum apparet, quod sicut fiunt actu unum vinum non per generationem, sed per continuationem, ita habent unam quantitatem actu indivisam, licet divisibilem in potentia. Loquendo autem de vinis, quorum unum sit consecratum, et aliud non sit consecratum ; probabilius est quantitates illorum esse actu distinctas: quia quantitas vini consecrati non est in subjecto, quantitas vero vini consecrati est in subjecto: quod sufficere videtur ad discontinuationem, licet actu non percipiatur sensibiliter : sicut in arbore pars viridis, et viva, et pars cadaverica videntur habere eandem quantitatem continuam, et tamen non ita contingit : quia illæ quantitates pertinent ad composita numero distincta. Nec amplius intendit D. Thomas in præs. art. 8 ad 2, quando inquit : « Si autem « corrumpantur in parte, erit quidem « una dimensio secundum continuitatem « quantitatis; non tamen una secundum « modum essendi : quia una pars ejus « erit sine subjecto, alia erit in subjecto, « sicut si aliquod corpus constituatur ex « duobus metallis, erit unum corpus se- « cundum rationem quantitatis, non autem « secundum speciem naturæ. » Nam in hoc exemplo liquet, quod sicut duo metalla specie distincta sunt diversæ naturæ, sic etiam habent quantitates numero diversas; licet secundum sensum appareat una quantitas continua in toto corpore. Idem itaque in nostro casu dicendum est.

Eliduntur motiva contraria.

Incidentis dubii decisio.

D. Tho.

71. Et hæc, quæ hactenus de mixtione diximus, procedunt, ubi vinum consecratum,

Casus satis specialis

tum, et vinum non consecratum conjunguntur in notabili quantitate ; proportionata videlicet, ut vino se simpliciter intersecent, et quasi penetrent quoad omnes partes : nam tunc supposita contrarietate qualitatum fit vera mixtio, et resultat ex utroque aliud tertium specie, aut numero distinctum. Non autem ita contingeret, ubi magnæ quantitati vini infunderetur una gutta, aut parva pars alterius vini, licet habentis contrarias qualitates : quia tunc non fieret mixtio utriusque, sed fieret aliqua partialis generatio : major enim pars converteret in se minorem : quamvis etiam minor pars posset aliquam majoris quantitatis partem corrumpere, quatenus omne agens in agendo repatitur. Unde si magnæ quantitati vini consecrati infunderetur una gutta vini non consecrati habentis contrarias qualitates ; species sacramentales corrumperent illam guttam, et in ea introducerent non quidem sanguinem Christi (quod est impossibile, cum Christus sit ibi impassibiliter) sed naturam vini, cujus species sunt : quia species consecratæ non sunt virtutes Christi, sed vini, ex quo per consecrationem derelictæ sunt, et agunt ejus nomine : sicut de semine a viventi deciso dici solet. Et similiter illa gutta vini superinfusa, antequam pereat poterit corrumpere aliquam specierum partem, in qua proinde non erit ulterius sanguis Christi. Sed tamen permanebit simpliciter prædictus sanguis sub speciebus secundum alias partes ; siquidem istæ propter unam guttam alterius extranei liquoris advenientis non corrumpuntur. Et ita docet D. Thom. in præs. art. 8, tum in corp. ubi ait : « Si fiat tam parva alicujus liquoris « adjunctio, quod non possit diffundi per « totum, sed usque ad aliquam partem « specierum, desinet sanguis Christi esse « sub illa parte vini consecrati : remanebit « tamen sub alia. » Tum in resp. ad 1, ubi ait : « Dicendum, quod Innocentius Ter- « tius dicit in quadam Decretali, quod ipsa « accidentia vinum appositum videntur « afficere : quia si aqua fuerit apposita » (quod est argumentum a fortiori) « vini « saporem assumit. Contingit igitur acci- « dentia mutare subjectum : sicut et sub- « jectum contingit accidentia permutare. « Cedit quippe natura miraculo, et virtus « supra consuetudinem operatur. Hoc ta- « men » (subdit merito Angelicus Doctor) « non est sic intelligendum, quasi idem « numero accidens, quod prius fuit in vino « ante consecrationem, postmodum fiat in « vino apposito. Sed talis permutatio fit « per actionem. Nam accidentia vini re- « manentia retinent actionem substantiæ « secundum prædicta : et ita immutando « afficiunt liquorem appositum. »

Resolutio.

D. Tho.

Nec refert, si opponas : quod gutta aquæ non benedictæ, quæ admiscetur benedictæ, fit aqua benedicta : ergo similiter gutta vini non consecrati infusa vino consecrato fit vinum consecratum : sed vinum consecratum est vere sanguis Christi : ergo gutta vini non consecrati, si vino consecrato infundatur, fit per commixtionem sanguis Christi. Non, inquam, id refert, sed optime diluitur a D. Thoma loco cit. his verbis : « Ad tertium dicendum, quod sicut « Innocentius Tertius dicit in Decretali « prædicta. Si post consecrationem calicis « aliud vinum mittatur in calicem, illud « quidem non transit in sanguinem, nec « sanguini commiscetur : sed accidentibus prioris vini commistum corpori, « quod sub eis latet, undique circunfundi- « tur, non madidans circunfusum. Quod « quidem intelligendum est, quando non « fit tanta permixtio liquoris extranei, « quod sanguis Christi desinat esse sub « toto : tunc enim dicitur totum circun- « fundi : non quia tangat sanguinem « Christi secundum proprias ejus dimen- « siones, sed secundum dimensiones sacra- « mentales, sub quibus continetur. Neque « est simile de aqua benedicta : quia illa « benedictio nullam immutationem facit « circa substantiam aquæ, sicut facit con- « secratio vini. » Et in 4, dist. 12, q. 1, art. 3, quæstiunc. 6 ad 2, disparitatem magis explicat dicendo : « In aqua bene- « dicta non fit aliqua mutatio substantialis « ipsius aquæ, sicut est in hoc sacramento: « sed acquiritur ei virtus aliqua ex bene- « dictione : et ideo illa virtus potest per- « venire ad aquam additam. Sed in hoc « sacramento vinum convertitur substan- « tialiter in aliud virtute verborum. Et « ideo non oportet, quod vinum additum « substantialiter etiam convertatur in sa- « cramentum. Sed potest esse, quod con- « vertatur in vinum virtute accidentium « vini, quæ remanent, ut dictum est. »

Objectio

Responsio ex D. Tho.

72. Si autem vice versa una gutta, aut exigua pars vini consecrati infundatur ma-

Continuatur resolutio.

gnæ quantitati vini non consecrati : tunc distinguendum est juxta doctrinam superius traditam : nam vel illa vina sunt ejusdem speciei, et earundem qualitatum. Et tunc non fit permixtio, nec ulla alteratio etiam partialis : et consequenter manet sanguis Christi sub partibus illius guttæ, licet per multum illud vinum diffundatur, ut diximus num. 70. Vel prædicta vina distinguuntur aut in specie, aut saltem in aliquibus qualitatibus contrariis. Et tunc dicendum est species guttæ vini consecrati posse agere circa aliquas partes vini non consecrati, et illas corrumpere : sed ipsam speciem guttæ vini consecrati simpliciter destrui a majori multitudine vini non consecrati, sicut corrumperetur guttæ aquæ, vel alterius liquoris, si tantæ vini quantitati infunderetur, ut est communis sententia, et tradidimus disp. 4, dubio 4. In prædicto itaque casu sanguis Christi desineret esse sub speciebus illis guttæ, ut magis confirmari potest ex dictis numero præcedenti. Et si inquiratur, quid fieri deberet de tali vino, v. g. de vini dolio, cui pars vini consecrati fuisset infusa? Respondet Suarez disputatione 57, sect. 4, Coninckus, Granados, et alii, quos refert, et sequitur Leander disputatione 10, quæstione 28, vinum illud servandum esse in sacros usus: et sumendum a sacerdotibus post sumptionem calicis ante ablutionem. Sed Soto supra relatus, et Lugo disput. 10, sect. 3, cum aliis putant posse illud vinum communibus usibus applicari : quia species adeo modica in tanta copia vini potest reputari ut deperdita. Ex quibus sententiis primam putamus veram per se loquendo, et ubi commode vinum servari potest in sacros usus : sed tamen simul censemus secundam practicari posse in casu necessitatis, ut si quis illam patiatur, nisi illud vinum vendat in communes usus. Quod etiam censuit Bonacina quæst. 3, punct. 6, § 3.

Incidens difficultas.

Suarez. Leand.

Soto. Lugo.

Bonac.

QUÆSTIO LXXVIII.

De forma sacramenti Eucharistiæ, in sex articulos divisa.

Deinde considerandum est de forma hujus sacramenti. Et circa hoc quæruntur sex. Primo etc.

ARTICULUS I.

Utrum hæc sit forma hujus sacramenti, hoc est corpus meum, et hic est calix sanguinis mei ?

Ad primum sic proceditur. Videtur quod hæc non sit forma hujus sacramenti, hoc est corpus meum, et hic est calix sanguinis mei. Illa enim verba videntur pertinere ad formam hujus sacramenti, quibus Christus corpus suum, et sanguinem consecravit. Sed Christus ante benedixit panem acceptum, et postea dixit, Accipite, et comedite, hoc est corpus meum (ut habeturMatth. 26),et similiter fecit de calice.Ergo prædicta verba non sunt forma hujûs sacramenti.

Præterea : Eusebius Emissenus dicit, quod invisibilis sacerdos visibiles creaturas in suum corpus convertit, dicens: Accipite, et comedite, hoc est corpus meum. Ergo totum hoc videtur pertinere ad formam hujus sacramenti. Et eadem ratio est de verbis pertinentibus ad sanguinem.

Præterea : In forma baptismi exprimitur persona ministri, et actus ejus, cum dicitur Ego te baptizo. Sed in præmissis verbis nulla fit mentio de persona ministri, nec de actu ejus. Ergo non est conveniens forma sacramenti.

Præterea : Forma sacramenti sufficit ad perfectionem sacramenti : unde sacramentum baptismi quandoque perfici potest solis verbis formæ prolatis, omnibus aliis prætermissis. Si ergo prædicta verba sunt forma hujus sacramenti, videtur quod aliquando possit hoc sacramentum perfici his solis verbis prolatis, et omnibus aliis prætermissis, quæ in missa dicuntur. Quod tamen videtur esse falsum : quia ubi verba alia prætermitterentur, prædicta verba acciperentur ex persona sacerdotis proferentis, in cujus corpus, et sanguinem panis, et vinum non converteretur. Non ergo prædicta verba sunt forma hujus sacramenti.

Sed contra est, quod Ambros. dicit in lib. de sacrament. Consecratio fit verbis, et sermonibus domini Jesu : nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo refertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris. Ubi autem sacramentum conficitur, jam non suis sermonibus sacerdos utitur, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum.

Respondeo dicendum, quod hoc sacramentum ab aliis sacramentis differt in duobus : primo quidem, quantum ad hoc, quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ : alia vero sacramenta perficiuntur in usu materiæ consecratæ.

Secundo, quia in aliis sacramentis consecratio materiæ consistit solum in quadam benedictione, ex qua materia consecrata accipit instrumentaliter quandam spiritualem virtutem, quæ per ministrum, qui est instrumentum animatum, potest ad instrumenta inanimata procedere. Sed in hoc sacramento consecratio materiæ consistit in quadam miraculosa conversione substantiæ, quæ a solo Deo perfici potest Unde minister in hoc sacramento perficiendo non habet alium actum nisi prolationem verborum. Et quia forma debet esse conveniens rei, ideo forma hujus sacramenti differt a formis aliorum sacramentorum in duobus : primo quidem, quia formæ aliorum sacramentorum important usum materiæ, puta baptizationem vel consignationem; sed forma hujus sacramenti importat solam consecrationem materiæ, quæ in transubstantiatione consistit, puta cum dicitur, hoc est corpus meum, vel, hic est calix sanguinis mei. Secundo, quia formæ aliorum sacramentorum proferuntur ex persona ministri, sive per modum exercentis

actum, sicut cum dicitur, Ego te baptizo, vel, Ego te confirmo : sive per modum imperantis, sicut in sacramento ordinis dicitur, Accipe potestatem, etc., sive per modum deprecantis, sicut cum in sacramento extremæ-unctionis dicitur, Per istam unctionem, et nostram intercessionem, etc. Sed forma hujus sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, ut detur intelligi quod minister in perfectione hujus sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi.

Ad primum ergo dicendum, quod circa hoc est multiplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod Christus, qui habebat potestatem excellentiæ in sacramentis, absque omni forma verborum hoc sacramentum perfecit, et postea verba protulit, sub quibus alii postmodum consecrarent. Quod videntur sonare verba Innocentii III, dicentis, Sane dici potest, quod Christus virtute divina confecit, et postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Sed contra hoc expresse sunt verba Evangelii, in quibus dicitur, quod Christus benedixit ; quæ quidem benedictio aliquibus verbis facta est. Unde prædicta verba Innocentii sunt opinative magis dicta, quam determinative. Quidam autem dixerunt, quod benedictio illa facta est quibusdam aliis verbis nobis ignotis. Sed nec hoc stare potest : quia benedictio consecrationis nunc perficitur per recitationem eorum, quæ tunc acta sunt. Unde si tunc per hæc verba non est facta consecratio, nec modo fieret. Et ideo alii dixerunt, quod illa benedictio eisdem etiam verbis facta est, quibus modo fit, sed Christus ea bis protulit. Primo quidem secrete ad consecrandum : secundo manifeste ad instruendum. Sed nec hoc stare potest : quia sacerdos consecrat, proferens hæc verba, non ut a Christo in occulta benedictione dicta, sed ut publice prolata. Unde cum non habeant vim hujusmodi verba nisi ex Christi prolatione, videtur quod etiam Christus manifeste ea proferens consecraverit. Et ideo alii dixerunt, quod Evangelistæ non semper eundem ordinem in recitando servaverunt, quo res sunt gestæ : ut patet per Augustinum in lib. de Consensu Evangelistarum. Unde intelligendum est ordinem rei gestæ sic exprimi posse, Accipiens panem benedixit, dicens, hoc est corpus meum, et deinde fregit, et dedit discipulis suis Sed idem sensus haberi potest etiam verbis Evangelii non mutatis : nam hoc participium, Dicens, concomitantiam quandam importat verborum prolatorum ad ea quæ præcedunt. Non autem oportet quod hæc concomitantia intelligatur solum respectu ultimi verbi prolati : quasi Christus tunc ista verba protulerit, quando dedit discipulis suis. Sed potest intelligi concomitantia respectu totius præcedentis : ut sit sensus. Dum benediceret, frangeret, et daret discipulis suis, hæc verba dixit, Accipite, etc.

Ad secundum dicendum, quod in his verbis, Accipite et comedite, intelligitur usus materiæ consecratæ : qui non est de necessitate hujus sacramenti (ut supra habitum est) et ideo nec hæc verba sunt de substantia formæ. Quia tamen ad quandam perfectionem sacramenti pertinet materiæ consecratæ usus (sicut operatio non est prima, sed secunda perfectio rei) ideo per omnia ista verba exprimitur tota perfectio hujus sacramenti Et hoc modo Eusebius intellexit his verbis confici sacramentum, quantum ad primam, et secundam perfectionem ipsius.

Ad tertium dicendum, quod in sacramento baptismi minister aliquem actum exercet circa usum materiæ, qui est de essentia sacramenti : quod non est in hoc sacramento, et ideo non est similis ratio

Ad quartum dicendum, quod quidam dixerunt hoc sacramentum perfici non posse, prædictis verbis prolatis, et aliis prætermissis, præcipue quæ sunt in canone missæ. Sed hoc patet esse falsum, tum ex verbis Ambros. supra inductis, tum etiam quia canon missæ non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt a diversis apposita Unde dicendum est, quod si sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum : quia intentio faceret, ut hæc verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiam si verbis præcedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret sacerdos sic conficiens hoc sacramentum, utpote ritum Ecclesiæ non servans. Nec est simile de baptismo, quod est sacramentum necessitatis : defectum autem hujus sacramenti potest supplere spiritualis manducatio, sicut Aug. dicit.

Conclusio est affirmativa.

DISPUTATIO IX.

De forma sacramenti Eucharistiæ.

Absolvimus jam considerationem eorum, quæ quoquo modo pertinent ad hujus sacramenti materiam, de quibus disseruit D. Thom. a quæst. 74, usque ad præsentem 78, in qua agit de Eucharistiæ forma. Unde ad hanc partem stylum nunc convertere oportet. Non multas autem circa id excitabimus quæstiones, sed solum necessarias, et proprias : quædam enim sunt omnibus sacramentis communes, quibus elucidandis incubuimus tract. præced. disp. 2, per totam. Et ex ibidem dictis dub. 1, et 2, supponendum est formam hujus sacramenti consistere in verbis, quibus consecratio materiæ fit. Et hoc supposito, discutienda sunt alia, quæ pertinent ad modum, determinationem, et sensum prædictorum verborum. Sed primo loco videre oportet

DUBIUM I.

Utrum Christus in consecrando suum corpus, et sanguinem usus fuerit verbis?

Quod Christus Dominus in ultima cœna instituerit sacramentum Eucharistiæ, et panem, ac vinum in suum corpus, et sanguinem converterit, late ostendimus disp. 1 proœmiali cap. 3, per totum, et præsertim § 1. Quare id modo non revocamus in controversiam. Sed ea veritate (quæ ad fidem immediate pertinet), præsupposita, dubitari potest, an Christus verba, et qualia adhibuerit in Eucharistiæ consecratione.

§ I.

Proponitur vera, et communis sententia.

1. Dicendum est Christum in consecratione sui corporis et sanguinis usum fuisse verbis, iisdem scilicet, quibus alii sacerdotes istud sacramentum conficiunt. Ita D. Thomas in præs. art. 1 ad 1, ubi oppositam sententiam refutat his verbis: « Ad primum Conclusio. D. Tho.

« dicendum, quod circa hoc est multiplex « opinio. Quidam enim dixerunt, quod « Christus, qui habebat potestatem excel- « lentiæ in sacramentis, absque omni for- « ma verborum hoc sacramentum perfecit: « et postea verba protulit, sub quibus alii « postmodum consecrarent. Quod quidem « videntur sonare verba Innocentii Tertii « in cap. Cum Martha § Quæsivisti de cele- « bratione Missarum, et lib. 4, de sacro al- « taris mysterio cap. 6, dicentis : Sane dici « potest, quod Christus virtute divina con- « fecit, et postea formam expressit, sub qua « posteri benedicerent. Sed contra hoc ex- « presse sunt verba Evangelii, in quibus « dicitur, quod Christus benedixit : quæ « quidem benedictio aliquibus verbis facta « est. Unde prædicta verba Innocentii sunt « opinative magis dicta, quam assertive. » Et eandem assertionem amplectuntur non

Theolog. solum Thomistæ, sed alii Theologi, D. Bonaventura, Alensis, Durandus, Scotus, Argentinus, Bellarminus, Henriquez, Suarez, Vasquez, Valentia, Alanus, et alii, quos refert, et sequitur Granados controv. 6, tract. 8, disp. 1, sect. 2. Unde esse com-

Prado. Suarez. Vazq. Gravin. munem Theologorum testatur Prado in hac quæst. dub. 2, num. 8. Quin Suarez disput. 58, sect. 1, asserit contrariam non posse absque temeritate defendi. Vasquez, disp. 197, cap. 1, dicit esse aliqua nota dignam, et Gravina tom. 3. *Cathol. Præscript.* part. 1, controv. 2, quæst. 1, art. 10 indicat, quod non potest hodie defendi absque aliqua temeritate.

Fundamentum. 2. Principale autem hujus assertionis fundamentum sumitur a communi sententia Patrum, qui ita intellexerunt verba Evangelistarum, nempe referentium Christum hoc sacramentum primo consecrasse dicendo verba, quæ sacerdotes nunc dicimus, *Hoc est corpus meum, Hic est calix*, etc. Quod motivum graviter introducitur cum

Concil. Trident. Concilio Tridentino sess. 13, cap. 1, ubi docet : « Majores notri omnes, quotquot « in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de « Sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, « apertissime professi sunt hoc tam admi- « rabile sacramentum in ultima cœna Re- « demptorem nostrum instituisse, cum « post panis, vinique benedictionem se « suum ipsius corpus illis præbere, ac suum « sanguinem dissertis, et perspicuis verbis « testatus est. » Quæ autem fuerint hæc disserta, et perspicua verba, declarat cap. 4, seq. dicendo : « Quoniam autem Christus « Redemptor noster corpus suum id, quod « sub specie panis offerebat, vere dixit : « ideo persuasum semper in Ecclesia Dei « fuit, idque nunc denuo facta hæc Syno- « dus declarat, per consecrationem panis, « et vini conversionem fieri totius substan- « tiæ panis in substantiam corporis Chris- « ti Domini nostri, et totius substantiæ « vini in substantiam sanguinis ejus, etc.» Ex quibus concluditur Christum primo consecrasse verbis, et verbis, quibus nos utimur: nam, asserente Concilio, Christus hoc sacramentum *instituit*, quando dixit, *Hoc est corpus meum*, etc. sed Christus primo consecravit, quando hoc sacramentum instituit; siquidem istud sacramentum tunc primo cœpit, quando species panis, et vini primo continuerunt corpus, et sanguinem Christi ; cum in talibus speciebus sic sumptis consistat hujusmodi sacramentum, ut vidimus disp. 2, dub 2; ergo ex sententia Concilii Christus primo consecravit hoc sacramentum dicendo illa verba, quæ nos dicimus in ejus consecratione. Idque magis constabit referendo testimonia Patrum loquentium de hujusmodi institutione, et consecratione : nam ex eis innotescet, quod habuerint eandem sententiam, quam ex Concilio depromimus, et pro assertione statuimus, nempe Christum consecrasse proferendo verba nostræ consecrationis, nec prius, aut aliter consecrasse, quam prædicta verba dicendo.

Tertullianus ergo lib. 4, contra Marcionem, inquit : « Acceptum panem corpus « suum illud fecit, Hoc est corpus meum « dicendo. » S. Cyprianus, vel Auctor tractatus de Cardinalibus Christi operibus, in serm. *de Cœna Domini* non longe ab initio : « Hoc est, inquit Christus Domi- « nus, corpus meum. Manducaverant, et « biberant de eodem pane, et vino secun- « dum formam visibilem. Sed ante verba « illa cibus ille communis tantum nutrien- « do corpori commodus erat. Sed ex quo a « Domino dictum est, Hæc est caro mea, « et Hic est sanguis meus, panis iste super- « substantialis et calix solemni benedic- « tione sacratus ad totius hominis vitam, « salutemque proficit. » Ubi negat ante verba Christi panem illum fuisse Christi corpus. D. Ambrosius relatus in cap. *Panis de consecrat.* dist. 2 : « Cum panem acci- « piens diceret, Hoc est corpus meum, Tertull. D. Cyp. D. Amb.

plane

« plane monstratur verbum operatorium « fuisse, » id est convertisse tunc panem in Christi corpus. D. Chrysostomus hom. 60, *ad populum Antioch.* post medium : « Qui namque dixit, Hoc est corpus meum, « et verbum facto confirmavit, » nempe ipsa conversione. Non erat itaque ibi corpus Christi ante verbum consecratorium. Et hom. 2, in 2, *ad Timoth.* inquit: « Sacra ipsa oblatio, sive illam Petrus, sive « illam Paulus, sive cujusvis meriti sa- « cerdos offerat, eadem est, quam dedit « Christus discipulis, quamque sacerdotes « modo conficiunt. Cur id? Quia non hanc « sanctificant homines, sed Christus, qui « illam ante consecraverat. Quemadmo- « dum enim verba, quæ locutus est Chris- « tus, eadem sunt, quæ sacerdotes nunc « quoque pronuntiant, ita et oblatio ea- « dem est. » In quibus aperte supponit Chrysostomus Christum, et sacerdotes eodem modo consecrare; et inde probat oblationis identitatem. D. Damascenus lib. 4, *de fide*, cap. 14 : « Dixit Deus, Hoc est cor- « pus meum, et Hic sanguis meus : atque « omnipotenti ipsius præcepto, donec ipse « veniat, hoc efficitur : his enim verbis « usus est, donec veniat. » Fecit ergo Christus eis verbis, quod modo eisdem efficitur. B. Santonas Archiepisc. Gazensis in discept. cum Sarraceno tom. 6 *Biblioth.* ait : « Christus, cum natura esset Deus, illico « tunc panem illum sua potentia divina, « et gratia sanctificavit, Hoc est corpus « meum, dicens: sicque panem illum in « proprium corpus convertit. » Et eodem modo loquuntur Florus in expositione Missæ tom. 6 *Biblioth.* Stephanus Edunensis *de sacramento Altaris*, cap. 14; et alii communiter.

D.Chris. D. Dam. Santon. Florus. Stephan.

3. Secundo probatur conclusio ratione satis congruenti : quia oportet esse convenientiam in modo consecrandi inter ministrum et causam principalem : sed sacerdos consecrat ut minister Christi, et tanquam vices ejus gerens, ut docet Concilium Florentinum in decreto unionis ; et sacerdos consecrat illis verbis *Hoc est* etc. ergo omnino præsumendum est, quod Christus etiam verbis, et illis verbis idem sacramentum consecraverit. Quod motivum magis confirmabitur ex dicendis dub. 4, ubi ostendemus verba consecrationis proferri a sacerdote non mere recitative, sed etiam in significatione propria, perinde ac si ipse Christus loqueretur. Confirmatur : quia cum hic mos, quo sacerdos verbis consecrat, sit solemnissimus, et communissimus in Ecclesia Dei a tempore Apostolorum, ita ut initium ejus ignoretur; credendum est Apostolos non solum verbis consecrasse, sed vidisse etiam, et cognovisse, quod Christus iisdem verbis primus consecraverit. Nam cum certum sit Christum hoc sacramentum coram Apostolis consecrasse; Apostoli, et Ecclesia ab Apostolis edocta minime aliam in consecrando formam, vel modum adhibuissent, quam quem viderant Christum in instituendo, et consecrando istud sacramentum observasse.

Congrua assertionis ratio. Roboratur.

§ II.

Refertur sententia contraria.

4. Oppositam sententiam docuerunt Innocentius Tertius relatus a D. Thom. ut vidimus nu. 1, quamvis S. Doctor illum pie exponat. Guillelmus Durandus in suo *Rationali* lib. 4, in 6, *particula Canonis*, cap. 41. Catharinus in speciali opusculo de hoc argumento. Odo Cameracensis in exposit *Canonis* dist. 5. Mairon, Major, et Picus Mirandulanus, quos refert Salmeron tom. 9, tract 13, in eandem sententiam vehementer inclinans, quamvis a communi ultimo non recedat. Gabriel etiam lect. 48, *in Canon.* et Petrus de Aliaco in 4, quæst. 5 ad 1, difficultatem hanc sub mera probabilitate reliquerunt. Et hæc reperimus in viris catholicis. Nam quod ad hæreticos, et suspectos attinet, Lutherus in lib. de abroganda Missa privata palam dixit formam, quæ Ecclesia utitur in consecrando Eucharistiam, esse ab ipsa Ecclesia institutam. Et Erasmus in annotat. in 1, *ad Torinth.* cap. 11, dixit : « Utinam Paulus « traderet nobis illa verba, quibus conse- « cratus est panis ille a Christo. Nam illa, « Hoc est corpus meum, potius sunt por- « rigentis, quam consecrantis. » Ubi licet non neget Christum verbis consecrasse, negat tamen consecrasse illis verbis, quibus nos. Pro qua sententia, quovis modo exponatur.

Innoc. III. Guillel. Duran. Cathar. Odo. Salmer. Gabriel. Aliacen. Luther. Erasm.

Arguitur primo: quoniam Christus in instituendis sacramentis usus est potestate excellentiæ, ut satis constat ex dictis tract. præced. disp. 6, dub. 2; sed ad hujusmodi potestatem pertinebat, quod Christus non

Primu argumentum.

uteretur eodem ritu, eisdemque verbis, quibus nos utimur in consecrando Eucharistiam : ergo Christus illa non consecravit verbis, aut saltem illis verbis, quibus nos illam conficimus. Minor suadetur : quia ad potestatem excellentiæ pertinet, quod illam habens aliter operetur, ac ejus ministri : aliter enim relucere non valet illa potestatis eminentia. Et ita videmus, quod quando Christus in castello Emmaus coram duobus discipulis Eucharistiam consecravit, ut colligitur ex Luca cap. ultim. non adhibuit consecrationis verba, sed sola benedictione usus est. Ergo ut eandem potestatem in cœna ostenderet, præsumendum est non adhibuisse verba apud nos consueta, sed consecrasse alio eminentiori modo.

Diluitur. Respondetur negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est eminentiam potestatis excellentiæ, quam Christus in consecrando istud sacramentum exercuit, minime postulasse alium ritum, vel alia verba ab eis, quibus nos utimur: sed sufficienter in eo manifestari, quod Christus prædicta verba ita adhibuit, ut suos sibi ministros magis conformes faceret, et simul habuerit potestatem aliter operandi, sive consecrandi absque verbis, aut cum aliis verbis distinctis. Et tamen nos, qui ministri sumus, non operamur cum hac potestate; sed alligati verbis determinatis, et a Christo institutis ex suppositione, quod velimus consecrare. Unde satis elucet differentia inter Christum, et ejus ministros in consecrando quantum ad diversum modum potestatis. Quod autem additur de Christo consecrante in Emmaus, parum, aut nihil præmit : primo quia probabile est, ut vidimus tract. præced. disp. 3, num. 91, Christum in ea occasione non consecrasse Eucharistiam ; sed benedixisse panem alio modo sibi peculiari, quem ex consuetudine cognoverunt discipuli. Secundo, quia licet tunc consecraverit, id fecit adhibendo verba, quæ tamen Evangelista brevitatis causa prætermisit. Tertio quia licet consecraverit, et id fecerit sine verbis ; id fecit, quia voluit, et ut ostenderet potestatem excellentiæ; ex quo minime sequitur, quod ita se gesserit in prima Eucharistiæ consecratione, et sacramenti institutione : sicut nec in Emmaus consecravit calicem, quem tamen consecravit in cœna, ut constat ex Evangelio.

Secundum argumentum. 5. Arguitur secundo : nam si Christus primo consecrasset Eucharistiam verbis, quibus nos ; minime consecrasset ante prolationem illorum verborum, *Hoc est corpus meum*, quibus nos consecramus : consequens est falsum : ergo Christus non consecravit verbis, quibus nos. Probatur minor : quia ut constat ex Evangelio, *accepit Jesus panem, benedixit, fregit, deditque discipulis dicens, accipite, et comedite, hoc est corpus meum ;* ex quibus sincere intellectis constat Christum prius benedixisse panem, et deinde dixisse illa verba, *Hoc est corpus meum :* sed nomine benedictionis intelligitur ipsa consecratio, ut plures Patres exponunt : ergo Christus consecravit, antequam illa verba protulisset.

Solvitur. Respondetur negando minorem. Ad cujus probationem posset dici benedictionem illam, de qua loquuntur Evangelistæ fuisse actionem distinctam a consecratione, et quasi præambulam. Unde non sequitur Christum consecrasse sine illis verbis, quibus nos utimur, et proponuntur in Evangelio. Ita occurrunt difficultati Caietanus, Soto, Suarez, Granados, et alii. Quæ solutio quantum ad difficultatem præsentem sufficiens est, possetque sustineri: nam salvat Christum non consecrasse illa benedictione, sed prolatione verborum. Et eidem multum favet Concilium Tridentinum loco cit. num. 1, dicens : « Cum post panis, vi« nique benedictionem se suum ipsius cor« pus illis præbere, ac suum sanguinem « dissertis, et perspicuis verbis testatus « est. » Ubi satis clare significare videtur illam benedictionem præcessisse prolationem verborum, quibus Christus testatus fuit illud, quod dabat, esse suum corpus, et sanguinem : hæc autem verba, quibus id asseruit, non sunt alia, quam verba illa, *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei :* quæ affirmamus Christum adhibuisse, ut consecraret. Benedictio ergo illa actio diversa fuit a consecratione. Aliquorum opinio. Concil. Trident.

Displicet ea sententia. 6. Sed prædictæ expositioni minime subscribimus, quia evidenter opponitur D. Thomæ in præs. art. 1 ad 1, cujus verba infra dabimus : nam docet benedictionem illam apud Evangelistas non aliud fuisse, quam panis, et vini consecrationem, sive primam Eucharistiæ institutionem. Et hoc ipsum affirmant graviores Doctores, qui rem attigerunt D. Remigius in cap. 10 Primæ *ad Corinth*. S. Bruno in cap. 11, ejusdem S. Rem. S. Brun.

epist.

Innoc. III. Hugo. Lyra. Bessar. Alensis. Prado. epist. Innocentius Tertius lib. 4, *de myster. Missæ*, cap. 6, Hugo Cardinalis in capite 14 *Marci*, Lyra in 1, *ad Corinth.* capite 11, Cardinalis Bessarion lib. *de verbis consecrationis*. Et ex Doctoribus Scholasticis idem docuerunt Alensis, Durandus, Valencia, Henriquez, Joannes a S. Thoma, et alii plures, quibus relatis subscribit Prado loco supra cit. num. 16. Et idem non obscure colligitur ex Apostolo juxta expositionem Sanctorum : nam ille 1 *ad Corinth.* 10 ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Isti vero id exponunt in sensu præmisso. D. Cyprianus supra relatus: « Calix benedictione solemni sacratus ad totus hominis vitam, salutemque proficit.» D. Chrysostomus homil. 25: « Cum benedictionem « dico Eucharistiam dico. » D. Ambrosius in lib. *de his, qui initiantur*, cap. 9 : « Hic « est panis, quem benedictione consecra- « vit. Major est vis benedictio, quam na- « turæ : quia benedictione etiam natura « ipsa mutatur. » P. N. S. Cyrillus lib. 4, *in Joan.* cap. 17, et lib. 10, cap. 13, consecrationem appellat *benedictionem mysticam*. Denique Angelicus Doctor aliorum mentem edoctus sic glossat verba Pauli loco cit. « Calix benedictionis, cui benedicimus, id « est, quem nos sacerdotes consecramus. »

1 ad Corinth. 10. D. Cyp. D Chrys. D. Amb. N. Cyr. D. Tho.

Ratio. Accedit etiam optima congruentiæ ratio, ut putemus benedictionem illam non aliud fuisse, quam consecrationis verba: quoniam benedictio solet verbis fieri : et nulla alia assignare pro ea benedictione valemus, nisi illa, quæ referunt Evangelistæ : sed hæc sunt verba consecrationis, quibus et nos utimur : ergo benedictio illa fuit ipsa Eucharistiæ consecratio : atque ideo minime concedere oportet Christum consecrare Eucharistiam ante prolationem illorum verborum, *Hoc est corpus meum.* Et *Hic est calix* etc.

Christus consecravit dicendo, et benedicendo. Ad illam ergo minoris probationem aliter respondetur, negando videlicet, quod Evangelistæ significent benedictionem fuisse actionem distinctam a consecratione, aut prolationem verborum antecessisse : sed potius idem omnino illis verbis significarunt, ut luculenter tradit D. Thomas in præsenti artic. 1 ad 1, ubi post alia inquit : « Quidam autem dixerunt, quod be- « nedictio illa facta est quibusdam aliis « verbis nobis ignotis. Sed neque hoc stare « potest : quia benedictio consecrationis « nunc perficitur per imitationem eorum, « quæ tunc acta sunt. Unde si tunc per hæc « verba non est facta consecratio ; nec « modo fieret. Et ideo alii dixerunt, quod « illa benedictio eisdem etiam verbis facta « est, quibus modo fit : sed Christus ea « bis protulit. Primo quidem secreto ad « consecrandum, secundo manifeste ad in- « struendum. Sed nec hoc stare potest : « quia sacerdos consecrat proferens hæc « verba non ut a Christo in occulta be- « nedictione dicta, sed ut publice pro- « lata. Unde cum non habeant vim hu- « jusmodi verba nisi ex Christi prola- « tione ; videtur, quod etiam Christus « manifeste ea proferens consecraverit. Et « ideo alii dixerunt, quod Evangelistæ « non semper eundem ordinem in reci- « tando servaverunt, quo res gestæ sunt, « ut patet per Augustinum in lib. de con- « sensu Evangelistarum. Unde intelligen- « dum est ordinem rei gestæ sic exprimi « posse. Accipiens panem benedixit dicens, « Hoc est corpus meum : deinde fregit, et « dedit discipulis suis. Sed idem sensus « haberi potest etiam verbis Evangelii non « mutatis. Nam hoc participium dicens « concomitantiam quandam importat ver- « borum prolatorum ad ea, quæ præce- « dunt. Non autem oportet, quod hæc con- « comitantia intelligatur solum respectu « ultimi verbi prolati : quasi Christus tunc « ista verba protulerit, quando dedit dis- « cipulis suis. Sed potest intelligi concomi- « tantia respectu totius præcedentis, ut sit « sensus : Dum benediceret, et frangeret, « et daret discipulis suis, hæc verba dixit: « Accipite, et comedite, hoc est corpus « meum. » Hæc omnia D. Thom. ex quibus constat Evangelistas in illis verbis non significasse ordinem, aut successionem inter benedictionem, et prolationem verborum, *Hoc est corpus*, sed magis concomitantiam : quamvis hæc explicari non possit unico verbo, sed ponendo unum verbum pos aliud. Unde etiam patet ad locum Tridentini, qui pro contraria expositione allegatur : nam ly *Post panis, vinique benedictionem* non est conjungendum cum ly *Testatus est*, quasi testimonium illud fuerit post benedictionem : sed applicari immediate debet illis verbis, *corpus et sanguinem suum*, ut sensus, sit, *Christus testatus est se illis præbere suum corpus, et suum sanguinem post benedictionem, sive consecrationem:*

D. Tho.

quia res ita se habuit, quod panis, et vinum non fuerunt corpus, et sanguis Christi nisi post consecrationem, et non ante.

Tertium argumentum. 7. Arguitur tertio : nam si Christus consecrasset v. g. panem illis verbis, *Hoc est corpus meum*, non potuisset ista propositio esse vera : consequens est absurdum, ut ex se liquet : ergo dici non debet, quod Christus illis verbis consecraverit. Sequela ostenditur : quia si Christus consecravit illis verbis, non fuit corpus Christi ibi ante prolationem prædictorum verborum, sive ante illa verba ut ultimo prolata : atque ideo prædicta propositio non potuit esse vera ante ultimum instans prolationis. Deinde post illud instans non potuit esse vera : nam veritas propositionis præsupponit objectum, cum consistat in conformitate, sive adæquatione cum ipso : id vero in præsenti materia non potuit contingere : nam si Christus verbis consecravit, ipsa verba fuerunt causa objecti : atque ideo verborum veritas non potuit supponere existentiam objecti.

Retorquetur. Respondetur hoc argumentum non impugnare specialiter nostram, et communem assertionem, sed generalem catholicorum doctrinam, quod sacerdotes per illa verba, *Hoc est corpus meum* consecrant, et convertunt panem in Christi corpus : nam si quæ est in illo difficultas, eodem modo applicari valet communi sacerdotum consecrationi, ut facile consideranti constabit. Quare argumentum regerendum est in opponentes, et ab omnibus dilui debet. Circa ejus autem materiam plurima refert, et inculcat Prado loco cit. dub. 8, et 9, et 10, quæ lector apud illum legere potest : quia nobis pauciora videntur sufficere. Neganda est itaque sequela. Et ut ejus probationi occurratur, recoli debent aliqua, quæ alibi ex professo tradidimus. Primum verba consecrationis concurrere instrumentaliter physice ad convertendum panem in corpus Christi; atque ideo præcedere talem conversionem in genere causæ efficientis. Quod est principium generale in materia sacramentorum a nobis assertum tractatu præcedenti disputatione 4, dub. 3, cum sequent. Secundum sacramenta nostra, et verba consecrationis causare suos effectus in ultimo instanti, in quo perficitur forma, ut statuimus in prædicto loco dub. 5. His suppo-

Diluitur. sitis ad sequelæ probationem respondemus illam propositionem, *Hoc est corpus meum* nec in Christo fuisse, nec in nobis esse veram ante ultimum instans prolationis verborum : esse autem veram in illo instanti : quia res ita se habet, quod *Hoc*, id est contentum sub accidentibus panis, est corpus Christi. Et ad hujus partis impugnationem dicendum est nullam esse contradictionem in eo, quod veritas prædictæ propositionis desumatur ab objecto, et quod nihilominus talis propositio vera causet objecti existentiam. Nulla quippe est repugnantia in eo, quod duo aliqua se mutuo causent, ac subinde se præcedant ordine naturæ, in diverso causæ genere, ut tradidimus tractatu 15, disputatione 3, dubio 4, et docent N. Complut, abbrev. in lib. *de generat.* disp. 2, quest. 7, quin opus sit de probabilitate mutuæ causalitatis in præsenti controvertere. N.Comp. Prædicta ergo propositio *Hoc est corpus meum*, quatenus habuit significationem, et veritatem, fuit prior in genere causæ efficientis, quam existentia corporis Christi sub speciebus panis : quia prolatio talis propositionis cum omnibus illis prædicatis assumpta fuit a Deo tanquam instrumentum physicum ad convertendum panem in corpus Christi. Ipsa vero corporis Christi existentia sub pane fuit prior, quam veritas, et significatio talis propositionis in genere causæ formalis objectivæ : quoniam a tali objecto in prædicto genere pendet significatio vera ejusmodi propositionis. Unde patet veritatem propositionis non esse priorem existentia objecti, nec objecti existentiam esse priorem veritate propositionis duratione temporis; sed solum ordine naturæ in diverso genere causæ. Quæ est doctrina D. Thomæ D. Tho in hac quæstione artic. 5, in corp. ubi ait : « Sicut conceptio intellectus practici non « præsupponit rem conceptam, sed facit « eam : ita veritas hujus loquutionis non « præsupponit rem significatam, sed facit « eam : sic enim se habet verbum Dei ad « res factas per verbum. » Et in resp. ad 3, inquit : « Dicendum, quod significatio hu- « jus loquutionis præintelligitur rei signi- « ficatæ ordine naturæ : sicut causa natu- « raliter est prior effectu. Non tamen « ordine temporis : quia hæc causa simul « habet suum effectum. Et hoc sufficit ad « veritatem loquutionis. »

Replica. 8. Dices, si ita res se habuit, quod corpus Christi non fuit sub speciebus panis usque ad ultimum instans prolationis illo-

rum verborum, *Hoc est corpus meum;* quid a principio prolationis significavit ly *Hoc*, et quid significavit ly *Est?* Nam profecto aliquid significasse dubitari non potest; cum sint termini significativi. Et plane ly *Est* cum sit verbum de præsenti, debet aliquid præsens significare. Et nihil tempore prolationis illius verbi erat præsens, nisi panis: de quo tamen prædicari non valet esse corpus Christi. Non videtur itaque salvari veritas prædictæ propositionis, si vel a suæ prolationis initio non supponat præsentiam corporis Christi sub sacramento, atque ideo consecrationem sacramenti per aliud medium.

Solutio. Respondetur difficultatem hanc non pertinere specialiter ad primam hujus sacramenti consecrationem a Christo factam; sed applicari eodem modo posse consecrationi, quam exequimur sacerdotes per eorum verborum prolationem. Circa prædictam vero difficultatem sunt innumeri dicendi modi, quos expendit Prado locis supra relatis. Nos autem breviter respondemus ly *Hoc* significare contentum sub sacramento, significatione vaga, id est, non specificante determinatam contenti naturam; sed præcise illud, quod continetur sub illis sensibilibus, et determinatis accidentibus. Et rursus ly *Est* significat unionem illius subjecti cum prædicato apponendo: unde nihil determinate significat ante totam prolationem. Sicut enim Christus postquam dixit, *Hoc est*, addidit *corpus meum*, sic etiam potuit addere *panis*: et tunc non enuntiaret sub illis accidentibus latere suum corpus, sed panem, ut ex ipsis terminis constat. Quare determinata significatio verbi *est* pendet ab adjiciendo prædicato. Et ita sensus, et utique verissimus, prædictæ propositionis fuit: *Contentum sub his accidentibus est corpus meum.* Ad quod minime requiritur, quod Christi corpus fuerit sub eis accidentibus ante verborum prolationem: sed satis fuit, quod fieret præsens per talia verba: eorum quippe veritas est practica, et factiva objecti, ut vidimus

D. Tho. ex D. Thom. proxime relato. Qui præmissam doctrinam magis elucidat loco cit. et simul refellit falsas aliorum expositiones, et mox subjungit: « Hæc autem conversio « non fit successive, sed in instanti, sicut « dictum est. Et ideo oportet quidem intel- « ligere prædictam loquutionem secundum « ultimum instans prolationis verborum. « Non tamen ita, quod præsupponatur ex « parte subjecti id, quod est terminus con- « versionis, scilicet quod corpus Christi « sit corpus Christi: nec etiam illud, quod « fuit ante conversionem, scilicet panis: « sed id, quod communiter se habet, quan- « tum ad utrumque, scilicet contentum in « generali sub istis speciebus. Non enim « faciunt hæc verba, quod corpus Christi « sit corpus Christi: neque quod panis sit « corpus Christi: sed quod contentum sub « his speciebus, quod prius erat panis, sit « corpus Christi. Et ideo signanter non « dicit Dominus, Hic panis est corpus « meum; quod esset secundum intellec- « tum secundæ opinionis: neque, Hoc cor- « pus meum est corpus meum; quod esset « secundum intellectum tertiæ. Sed in ge- « nerali, Hoc est corpus meum, nullo no- « mine apposito ex parte subjecti, sed solo « pronomine: quod significat substantiam « in communi sine qualitate, id est, forma « determinata »

DUBIUM II.

Utrum sola verba formæ hujus sacramenti sufficiant ad validam consecrationem?

Supposito, quod hujus sacramenti forma consistat in verbis illis *Hoc est corpus meum. Hic est calix* etc. quibus et Christus illud instituit, et nos ipsum consecramus; videndum est, an per se, atque independenter ab aliis verbis sufficiant ad prædictum effectum convertendi panem, et vinum in corpus, et sanguinem Christi: an vero requirantur alia verba illi adjuncta. Quæ dupliciter possunt intelligi necessaria: uno modo antecedenter, ut scilicet verba formæ introducant: altero modo consequenter, ut formam aliqualiter compleant, et effectum habeat. Sed in utroque sensu

§ I.

Defenditur sententia communis.

9 Dicendum est ad valorem consecrationis nulla requiri verba consequentia, Conclusio vel antecedentia distincta a verbis formæ: atque ideo illa verba, *Hoc est corpus meum* sufficientia esse per se, et in suo genere ad prædictum effectum suppositis aliis conditionibus ex parte materiæ, et ministri.

Soto. N. Corn. Prado. Gonet. Suarez. Bellarm. Vazq. Hæc conclusio est communis inter Theologos, quin opus sit aliquos in particulari referre. Videantur tamen Soto in 4, dist. 11, quæst. 1, art. 3, N. Cornejo in præs. art. 2, dub. unico, Prado dub. 3, Gonet disp. 7, art. 1, Suarez disp. 58, sect. 3, Bellarminus lib. 4, *de Eucharist.* cap. 14, in resp. ad 1, Vazquez disp. 197, cap. 4, et alii apud istos.

Fundamentum assertionis quoad primam ejus partem. Prima assertionis pars, nempe non requiri verba alia subsequentia, sed formam statim consequi suum effectum convertendi materiam in corpus, et sanguinem Christi, est ita certa, quod sine manifesto errore in fide negari non possit, ut ea, quæ immediate dicemus, evincunt. Probatur ergo contra aliquos Græcos Schismaticos : quia sacerdos immediate post verba consecrationis, *Hoc est corpus meum* adorat corpus Christi, et proponit populo adorandum : quod minime facere posset, si statim post verba illa, et antecedenter ad alia non adesset præsens Christi corpus : ergo ut prædicta verba operentur prædictum effectum, non requiruntur alia verba subsequentia. Porro hunc esse firmum, et constantem usum Ecclesiæ liquet : nam de Latina nobis constat per evidentem experientiam : de Græca vero idem testantur Bessarion in lib. *de verbis consecrationis*, et Arcudius *in Concordia Orientalis, et Occident. Eccl.* lib. 4, *de Eucharistia* cap. 13. Bsssar. Arcud.

Fulcitur ex D. Thom. Qui discursus confirmatur ex Divo Thom. in hac quæst. art. 6, ubi licet diversam difficultatem verset, nempe an forma consecrationis panis consequatur suum effectum, antequam perficiatur forma consecrationis vini ; nihilomininus eam rationem proponit, quæ hanc nostræ assertionis partem, æqualiter declarat, et evincit. Relata itaque aliquorum sententia, qui dicebant priorem illam formam non operari, aut consequi suum effectum ante prolationem secundæ, subdit : « Sed hæc stare non potest : quia sicut « dictum est, ad veritatem hujus locutio- « nis, Hoc est corpus meum, requiritur « propter verbum præsentis temporis, « quod res significata simul sit cum ipsa « significatione locutionis. Alioquin si in « futurum expectaretur res significata, « apponeretur verbum futuri temporis, « non autem præsentis : ita scilicet, quod « non diceretur, Hoc est corpus meum, « sed Hoc erit corpus meum. Signifi- « catio autem hujus locutionis comple- « tur statim, completa locutione horum « verborum : et ideo oportet rem signifi- « catam statim adesse. Quæ quidem est « effectus hujus sacramenti, alioquin lo- « cutio non esset vera. Est etiam hæc po- « sitio contra ritum Ecclesiæ, quæ statim « post prolationem verborum corpus « Christi adorat. Unde dicendum est, « quod prima forma non expectat secun- « dam in agendo : sed statim habet suum « effectum. » Hæc sanctus Doctor : quæ mutatis præcise vocibus æqualiter procedunt.

10 Secunda etiam assertionis pars, licet non habeat eundem certitudinis gradum, est adeo vera, et communis, ut Vazquez disp. 198, cap. 1, dixerit oppositam merito ab omnibus rejici tamquam improbabilem. Et eodem modo censent N. Cornejo, et Suarez locis supra relatis. Quin et modestissimus D. Thomas idem significaverat in 4, dist. 8, quæst. 3, art. 4, quæstiunc. 3, his verbis : « Quidam dixe- « runt, quod verba ista, in quibus forma « consistit, si per se dicantur sine aliis, « non faciunt conversionem,ad minus sine « illis, quæ sunt in Canone Missæ. Sed « hoc non videtur probabile etc. » Plus addit Nugnus ubi supra nempe illam sententiam non carere temeritate. Probatur ratione satis efficaci : quia illa præcise verba sufficiunt ad valorem consecrationis, sive ut panis convertatur in corpus Christi, quæ Christus protulit conficiendo hoc sacramentum, juxta dicta dub. præced. et sacerdos profert ut gerens personam Christi : sed hujusmodi sunt verba, in quibus consistit forma consecrationis : ergo hujusmodi præcise verba sufficiunt ad consecrationis valorem. Major videtur per se nota, et insuper probatur ex Concilio Florentino in decreto unionis, ubi dicitur : « Forma hujus sacramenti sunt « verba Salvatoris, quibus conficitur sa- « cramentum : sacerdos enim in persona « Christi loquens hoc conficit sacramen- « tum. » Minor etiam suadetur: nam alia verba a verbis consecrationis distincta, quæ continentur in Canone, v. g, illa, *Qui pridie, quam pateretur* etc. non fuerunt prolata a Christo conficiente sacramentum, nec recitantur a sacerdote ut personam Christi gerente, sed mere historice : ergo verba,

Suadetur secunda assertionis pars. Vazq. Corn. Suarez. Nugnus. Concil. Florent.

verba, quæ Christus istud sacramentum conficiens protulit, et quæ sacerdotes dicunt ut repræsentantes Christum, sunt illa præcise verba, quæ pertinent ad formam conscerationis.

Effugium Nec momenti erit, si dicatur, quod licet illa verba, *Qui pridie,* et alia antecedentia consecrationis formam non fuerint dicta a Christo consecrante, nec dicantur a sacerdotibus in persona Christi ; nihilominus sunt simpliciter necessaria, ut sacerdos consecret : quia consecrare non valet, nisi quatenus repræsentat personam Christi in proferendo illa verba, *Hoc est corpus meum.* Non potest autem hujusmodi repræsentationem exhibere, nisi præmittendo mentionem Christi, et dicendo, *Qui pridie,* Confutatur. *quam pateretur* etc. Id, inquam, nihil valet, sed evertitur motivo contrario : nam ut sacerdos agat ut minister Christi, non est necessarium, ut signate, et reflexe id significet verbis : sed sufficit, quod ipsa actione consecrandi id repræsentet, ut exemplis declarari facile potest. Etenim ut quis in theatro repræsentet personam regis, non est necessarium, quod referat, aut testetur se agere regis personam ; sed id ipsa actione satis declarat, ut nemo ex videntibus dubitet illum repræsentare regis personam. Legatus etiam, supposita notitia, quod sit legatus, sufficienter declarat se repræsentare personam regis, quando tractat ejus negotia; quin ad hoc opus habeat reflexa testificatione, qua affirmet se tanquam legatum agere. Denique ob hanc radicem Angelus, qui Exodi 3, dixit ad Moysem, *Ego sum Deus patris tui* etc. satis aperte significavit se loqui Dei nomine: et tamen non significavit reflexe, nec Moysi proposuit se dicere illa verba, quæ Deus sibi jusserat. Ad hunc itaque modum sacerdos, qui positus in altari, indutus sacris vestibus, nullis tamen propositis præambulis, quæ recitantur in Canone, diceret, *Hoc est corpus meum,* hac ipsa actione satis aperte significaret se agere Christi personam. Ergo ex vi hujus minime requiritur, quod præmittat alia verba distincta a verbis consecrationis, et quæ deserviant horum introductioni.

Exod. 3.

Roboratur ex D. Tho. 11. Quam doctrinam optime confirmat D. Thomas iu præs. art. 1 ad 1, ubi ait : « Dicendum, quod quidam dixerunt hoc « sacramentum perfici non posse, prædic- « tis verbis prolatis, » (in quibus scilicet constituit formam), « et aliis prætermissis, « præcipue, quæ sunt in Canone Missæ. « Sed hoc patet esse falsum. Tum ex ver- « bis Ambrosii supra inductis. » (Sunt autem D. Ambrosii verba in lib. 4, de sacram. cap. 4). « Consecratio fit verbis, et « sermonibus Domini Jesu : nam per reli- « qua omnia, quæ dicuntur, laus Deo re- « fertur, oratione petitur pro populo, pro « regibus, pro cæteris. Ubi autem sacra- « mentum conficitur, jam non suis sermo- « nibus sacerdos utitur, sed utitur sermo- « nibus Christi. » (Quæ sunt satis perspicua pro communi sententia). « Tum etiam, « quia Canon Missæ non est idem apud om- « nes, nec secundum omnia tempora; sed « diversa sunt à diversis apposita. Unde « dicendum est, quod si sacerdos sola ver- « ba prædicta proferret cum intentione con- « ficiendi hoc sacramentum, perficeretur « hoc sacramentum : quia intentione face- « ret, ut hæc verba intelligerentur quasi « ex persona Christi prolata : etiam si ver- « bis præcedentibus hoc non recitaretur. « Graviter tamen peccaret sacerdos sic « conficiens hoc sacramentum, utpote ri- « tum Ecclesiæ non servans. »

Ad hæc: communis Catholicorum sen- Fulcitur tentia est ad valorem sacramentorum suffi- ampliu cere materiam, formam, et intentionem ministri. Ut enim sacramenta sint simpliciter valida, satis est apponere materiam, et formam, quas Christus instituit, cum intentione ex parte ministri volentis facere, quod facit Ecclesia, ut satis constat ex generali de sacramentis doctrina, quam tradidimus tract. præced. per totum. Et qui aliud præter relata ad valorem simpliciter sacramentorum exigeret, non bene audiretur apud alios, sed ut singularis, et temerarius refelleretur. Atqui in conficiendo sacramentum Eucharistiæ possunt omnia illa concurrere, licet non recitentur verba introducentia consecrationem : manifestum quippe est fieri posse, quod super verum panem, qui est materia hujus sacramenti, legitimus sacerdos proferat formam, nempe illa verba, Hoc est corpus meum, et quod intendat facere, quod intendit Ecclesia, nempe passivam panis in corpus Christi conversionem; quamvis ad hæc nullum præambulum recitet. Ergo prædictis omnibus concurrentibus minime potest, aut debet dubitari de sacramenti valore.

12. Ex dictis incidenter colligendum est, quod licet sacerdos in forma consecratio-

Particula *Enim* non requiritur ad consecrationem.

nis omitteret particulam *Enim*, valide nihilominus consecraret. Et facile probatur : tum quia ad valorem sacramenti sufficit dicere verba, quibus Christus illud consecravit : non constat autem Christum illam particulam adhibuisse, sed simpliciter dixisse, *Hoc est corpus meum.* Tum etiam, quia talis dictio nihil confert ad significandum effectum proprium formæ, nempe conversionem passivam : ergo quod prætermittatur, non præjudicat valori consecrationis. Tum denique, quia illa particula additur in Canone ad significandum connexionem illorum verborum cum præcedentibus, et reddendum rationem antecedentis sermonis : sed omnia antecedentia sunt extra rationem formæ, et minime requiruntur ad sacramenti valorem, ut constat ex dictis : ergo idem de illa particula dici debet.

Omissio illius particulæ peccatum, quale? D. Tho.

Qui autem omitteret illam particulam vel ex negligentia, vel ex contemptu, profecto peccaret, ut optime observat D. Thom. supra quæst. 60, art. 8, his verbis : « Si « autem subtrabatur aliquid, quod non sit « de substantia formæ ; talis diminutio non « tollit sensum verborum : et per conse- « quens nec sacramenti perfectionem. Sicut « in forma Eucharistiæ, quæ est, Hoc est « enim corpus meum, ly Enim sublatum « non tollit debitum sensum verborum : « et ideo non impedit perfectionem sacra- « menti. Quamvis possit contingere, quod « ille, qui prætermittit, peccet ex negli- « gentia. vel contemptu. » Ubi notandum est D. Thomam non determinare quantitatem hujus peccati, an scilicet sit grave, aut leve ; cum tamen in verbis supra relatis ex præs. art. 1, diserte statuerit graviter peccare sacerdotem, qui verba consecrationis diceret sine verbis præcedentibus. Et re vera ita est, quod longe gravius sit omittere Canonem, quam dictionem *Enim*, ut satis ex se liquet. Unde satis probabile est omittentem in forma consecrationis particulam *Enim* non peccare mortaliter, dummodo absit contemptus, ut jam olim observaverat Soto in 4, dist. 1, quæst. 1, art 8, § *Si autem scisciteris :* cui suffragantur multi Moderni. Porro contemptus vocabulo non significamus ejus judicium, et affectum, qui ideo omittit, quia censet materiam esse parvam, et posse subinde sine gravi culpa omitti : hic enim ex hoc ipso contemptu non peccat graviter. Sed contemptus nomine significatur dispositio ejus, qui ideo omittit illam particulam, quia præcepta est ab Ecclesia, vel quia censet impertinentem esse, et non congrue additam, vel ex simili alio dictamine perverso eam relinqueret Qua distinctione opus non habemus in omittente Canonem, vel notabilem partem ejus : quia occurrit materia gravis ab Ecclesia præcepta : et ideo, præcisive etiam a contemptu peccat graviter sacerdos, si eam omittat. Cætera Theologis practicis relinquenda sunt. Videantur Diana 2 p. tract. 3, *Miscellanea*, resolut. 15, et 5, p. tract. 14, resolut. 78, Leander tract. 7, disp. 9, quæst. 5, et alii. Recolantur etiam, quæ diximus tract. præced. disp. 2, dub. 5.

Soto. Diana. Leand.

§ II.

Falsarum positionum fundamenta convelluntur.

Prima sententia contraria. Marcus. Ephes. Cabasil. Hieremi.

13. Marcus Episcopus Ephesinus in lib. *de verbi sconsecrationis*, Nicolaus Cabasilas Episcopus Thessalonicensis *in explicatione liturgiæ*, cap. 27, Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus *in censura Lutheri*, cap. 10, et aliqui alii Græcorum sentiunt, quod præter verba illa, *Hoc est corpus meum, Hic est calix* etc. necessarium est addere quasdam præces a SS. Patribus traditas, quæ per invocationem Spiritus Sancti habent simul cum præmissis vim transmutandi panem, et vinum in corpus, et sanguinem Christi. Quod probant : quia in Liturgiis, quas ex Sanctis Jacobo, Basilio, et Chrysostomo acceperunt, post prolationem illorum verborum, *Hoc est corpus meum, Hic est calix* etc. orat sacerdos, ut panis, et vinum fiant corpus, et sanguis Christi : ergo signum est priora illa verba non sufficere ad prædictam transmutationem ; sed necessarias esse alias prædicationes. Et confirmant : quia D. Basilius *in sua Liturgia*, post illa verba, quæ formas hujus sacramenti appellamus, vocat panem, et vinum *antitypa*, sive signa, aut symbola corporis, et sanguinis Christi : sed non deberent ita vocari, si per prædicta verba fieret immediata transmutatio panis, et vini in corpus, et sanguinem Domini : ergo talis transmutatio tunc non fit, sed necessarium est addere illas orationes, ut fiat.

Argumentum. Confirmatio.

Solvitur argumentum.

Ad argumentum posset quis respondere preces illas, quas Græci moderni recitant post

post verba consecrationis, positas primo fuisse a liturgiarum Auctoribus, nempe ab illis Sanctis ante prædicta verba ; sed postea turbato liturgiarum ordine ab illorum Sanctorum successoribus, oppositum locum occupasse, et consecrationi superaddita fuisse. Cujus inversionis non levis conjectura est, quod in liturgia Romana inveniantur similes omnino preces in illa oratione : « Quam oblationem tu, Deus, in « omnibus, quæsumus, benedictam, ads- « criptam etc. » quæ Dominicis consecrationis verbis præmittitur. Et eodem ordine ista omnia refert D. Ambrosius lib. 4, *de sacram.* cap. 5. Et non verisimile apparet D. Basilium, et D. Ambrosium coætaneos tam contrario ordine ista recitasse. Quis autem sit prædictæ orationis sensus, optime declarat D. Thomas infra quæst. 83, art. 4, ubi cum sibi opposuisset, quod virtus divina infallibiliter operatur in hoc sacramento ad verba consecrationis : ergo superfluum est, quod sacerdos petat : « Quam oblationem tu Deus etc. » respondit : « Ad 7, dicendum, quod efficacia ver- « borum sacramentalium impediri potest « per intentionem sacerdotis. Nec tamen « est inconveniens, quod a Deo petamus « id, quod certissime scimus ipsum factu- « rum : sicut Christus Joann. 47, petiit « suam clarificationem. Non tamen vide- « tur ibi sacerdos orare, ut consecratio « impleatur, sed ut nobis fiat fructuosa. « Unde signanter dicit : ut nobis corpus, « et sanguis fiat. Et hoc significant verba, « quæ præmittit dicens. Hanc oblationem « facere digneris benedictam, idest secun- « dum Augustinum, per quam benedica- « mur, scilicet per gratiam etc. » Juxta quem collocationis ordinem, et orationis sensum, cessat illorum Græcorum intentio: constat enim consecrationem non fieri his deprecationis verbis, sed aliis a Domino dictis, nempe *Hoc est corpus meum.*

D. Ambro.

D. Tho.

Evidentior argumenti solutio.

14. Sed quia opponentes sunt schismatici, et suis rebus vehementer affixi, et non facile admittent preces illas fuisse a principio ante illa verba collocatas, aliter respondetur admittendo illum ordinem, quem de facto habent in eorum liturgiis. Et prima responsio desumitur ex verbis proxime relatis D. Thomæ: « Non tamen vi- « detur ibi sacerdos orare, ut consecratio « impleatur, sed ut nobis fiat fructuosa. « Unde signanter dicit : Ut nobis corpus, « et sanguis fiat. » Petunt itaque sacerdotes Græci juxta suas liturgias, non quidem, ut fiat simpliciter corpus Christi (quod factum supponunt per consecrationis verba) : sed *ut fiat nobis*, hoc est, ut nobis proficiat, et ne culpa nostra sit venenum, quod est de se antidotum. Unde ipsi Græci in Concilio Florentino interrogati a summo Pontifice Eugenio, cur adderent illas orationes, quibus peti videtur, ut fiat consecratio ; responderunt se minime dubitare, quod consecratio fiat per verba Christi ; sed tamen illas preces addere ad petendum a Deo ex tanto sacrificio utilitatem ; sicut latini idem significant, et petunt per illam orationem *Jube hoc perferri* etc. Et in hoc sensu evacuatur omnino difficultas. Secundam responsionem (et vere cum præcedenti coincidit) tradit Cardinalis Bessarion Patriarcha Constantinopolitanus, in lib. *de verbis consecrationis* his fere verbis : Corpus Dominicum duplex est, verum scilicet, ac mysticum. Et illud quidem solis ipsius Domini verbis conficitur in hoc sacramento. Istud vero, quod nos sumus, completur Patrum precationibus : quibus post transubstantiationem panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi oramus, ut celebrantes mysteria per eorum susceptionem unum cum Christo corpus efficiamur. Et hanc significationem satis exprimunt ipsæ orationes ex D. Basilio, et Chrysostomo, quæ consecrationi immediate subnectuntur : « Ut omnes, inquiunt, qui « de uno pane, et calice participamus, « coadunemur invicem in unius Spiritus « Sancti communione : faciasque accipere « sanctum corpus tuum, ut inveniamus « misericordiam, et gratiam in cætu om- « nium sanctorum. »

Ad confirmationem respondetur, quod licet corpus, et sanguis Christi fiant realiter præsentia per verba consecrationis ; nihilominus non immerito D. Basilius usus fuit vocabulo antitypi, seu signi, aut figuræ. Primo ratione specierum, quæ vere sunt signa, non tamen vacua, sed plena corpore, et sanguine Domini : sicut bursa solet significare pecuniam, quam continet. Secundo ratione corporis Christi latentis, cujus hoc sacramentum est signum. Tertio ratione tam ipsius sacramenti, quam Christi in eo contenti : quia totum hoc complexum repræsentat sacrificium crucis, et Christum patientem. Videantur supra dicta

Occurritur confirmationi.

disp. 1, cap. 1, num. 13, ubi alias similes Patrum locutiones explicuimus.

Secunda sententia contraria. 15. Scotus in 4, dist. 8, quæst. 2, § *De secundo dico*, et § *De isto* docet verba præcedentia consecrationem v. g. *Qui pridie, quam pateretur* etc. non esse quidem de essentia consecrationis, seu formæ; esse tamen omnino necessaria, ut forma vim habeat : atque ideo nisi proferantur, non confici transubstantiationem, sive conversionem panis, et vini in corpus, et sanguinem. Scoto subscribunt Angelus verbo *Eucharistia*, num. 24, Philippus Faber in 4, disp. 33, et Pasqualigus disp. 95, sect. 2. Unicum Scoti fundamentum est, quod sacerdos non consecrat, nisi verba consecrationis proferat in persona Christi, et ut vices ejus gerens : quod facere minime potest nisi præmittat illa Canonis verba, *Qui pridie, quam pateretur*, aut his similia. Et confirmat Scotus retorquendo verba D. Ambrosii, quem pro se allegat D. Thom. et cujus verba dedimus num. 11, nam postquam Ambrosius dixit : « Consecratio quibus verbis fit ? subjunxit. Attendite, quæ sunt verba, accipite, et edite ex hoc omnes : Hoc est corpus meum. » Ergo ex ejus sententia consecratio nequit fieri his ultimis verbis, sed necessarium est alia addere, ut consecratio teneat.

(Scotus. Angelus. Faber. Pasqual. — Argumentum. — Confirmatio.)

Dispelluntur. Hæc tamen sunt levissima, ut contradicatur communi sententiæ. Et fundamentum convulsum relinquitur num. 10, quin opus sit alia addere. Ad confirmationem autem respondetur testimonium Divi Ambrosii nihil suadere pro Scoti favore. Quia solum distinguit inter verba, quæ sunt Domini Jesu, et alia verba, quæ præmittuntur. Et dicit verba Christi ab eis incipere, *Accipite et edite.* Unde ex sententia Ambrosii evidens est, quod consecratio non fiat verbis antecedentibus : et in hoc repugnat Scoto, qui docet consecrationem fieri non posse absque verbis antecedentibus, et introductoriis. Quod autem dicat verba Christi incipere ab illis, *Accipite* etc. verum quidem dicit, sed nostræ sententiæ minime præjudicat : nam aliud est, quod illa verba sint Christi, et distinguantur a verbis ministrorum ; aliud vero, quod ad consecrandum essentialiter requirantur. Et primum illud asserit Ambrosius, non autem hoc posterius. Nec quidem asserere potuit : quia illa verba, *Accipite* etc. non significant passivam conversionem materiæ : nec sunt verba consecrantis, sed porrigentis, et distribuentis Eucharistiam, ut satis aperte significavit ipse S. Doctor in lib. *de his, qui mysteriis initiantur*, cap. 9, ubi ait : « Ipse clamat Dominus Jesus : Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur ; post consecrationem corpus significatur. » Ubi non alia verba pro consecratione assignat, quam *Hoc est corpus* etc. D. Amb.

Replica. 16. Nec refert, si insistas cum Pasqualigo, quod cum hæc verba, *Hoc est corpus meum*, sint ex se indifferentia, debent determinari ex intentione sacerdotis, ut proferantur in persona Christi ; sic enim et non aliter consequuntur consecrationis effectum : et rursus hæc determinatio debet esse sensibilis, sicut sunt alia, quæ ad valorem sacramenti concurrunt. Atqui nequeunt ita sensibiliter determinari, nisi sacerdos proferat alia verba antecedentia, quibus manifestet intentionem, et se agere in persona Christi. Ergo licet illa solum verba, *Hoc est corpus meum,* operentur conversionem, nihilominus alia antecedentia requiruntur, ut ista operentur prædictum effectum. Id, inquam, nihil refert. Et in primis refellitur exemplo aliorum sacramentorum : nam profecto hæc etiam verba, *Ego te absolvo* sunt de se indifferentia ; et posset audiens cogitare sacerdotem loqui non de remissione peccatorum, sed alterius debiti : et tamen cum proferuntur super debitam materiam, et cum intentione explicita, vel implicita agendi nomine Christi, perficitur sacramentum : ergo pariter licet illa verba, *Hoc est corpus meum* sint de se indifferentia, sufficienter determinantur ex intentione ministri volentis illa proferre in persona Christi. Refellitur ulterius, quia juxta arguentis intentionem sequitur ad valorem sacramenti, præter materiam, formam, et ministrum agentem cum debita intentione requiri aliquid aliud : consequens autem est contra communem omnium sensum, quin, et contra Concilia, quæ cum de his agunt, non aliud requirunt pro sacramentorum valore. Et hinc ad prædictam replicam respondetur admittendo, quod ut illa verba, *Hoc est corpus meum* sint sacramentalia, et operentur conversionis effectum, debeant determinari intentione sacerdotis aliquomodo sensibili. Sed hæc sensibilis determinatio sufficienter fit ex hoc ipso, quod sacerdos se Corruit.

applicat

applicat ad externam materiam, et ea verba profert ex intentione faciendi, quod facit Ecclesia : nam eo ipso intentio transit ad externum opus, et in eo sicut in effectu relucet. Quod vero alii id non deprehendant, et sensibiliter cognoscant, est omnino per accidens. Quin satis stulte, et inique se gereret, qui videns sacerdotem proferentem serio illa verba super panem, censeret illum non agere ut Christi ministrum, illum repræsentando, ipsiusque vices gerendo.

DUBIUM III.

In quibus verbis consistat essentialiter forma consecrationis tam panis, quam vini ?

Postquam vidimus sola per se verba formæ sufficere ad validam consecrationem ; succedit ut videamus, quænam constituant essentialiter formam ipsam, sive in quibus ipsius formæ essentia consistat, ita quod sine illis invalida sit, et consecrationis effectum non assequatur. Certum namque est in sacramentis aliqua adesse ex parte tam materiæ, quam formæ, quæ ejusmodi sunt ; alia vero inveniri, quæ solum pertinent ad ritum, sive modum perficiendi sacramenta : sed tamen non sunt ita necessaria, ut si prætermittantur, impediatur simpliciter valor Sacramenti, ut constat ex dictis tract. præced. disp. 2, dub. 4. Modo autem non de his, sed de essentialiter requisitis est agendum. Et supponimus, vel in istis essentialiter necessariis ex parte formæ non quamlibet formæ variationem sacramenti valorem impedire ; sed eam præcise, quæ formalem verborum formæ significationem, et sententiam, vel excludit, vel variat : alia enim variatio sumpta, vel ex terminorum additione, subtractione, majori expositione, aut similibus accidentibus, est mutatio mere materialis, quæ identitati ejusdem simpliciter formæ non præjudicat, ut ex professo explicuimus loco cit. dub. 5. In hoc itaque sensu procedit præsens difficultas. Sed cum Eucharistia, licet sit unum in specie sacramentum, constet essentialiter ex duabus partibus, nempe specie panis, et specie vini, et subinde forma panis, et forma vini, ut supra vidimus disp. 2, dub. 3, de una, et altera forma dicendum est.

Nota.

Sed claritatis gratia prius de forma Eucharistiæ quantum ad panis speciem : in quo non multis egemus ; cum res sit facilis, et communis. Gravior autem, et prolixior erit consideratio circa formam alterius speciei.

§ I.

Resolvitur dubium quantum ad formam consecrationis panis.

17. Dicendum est primo formam consecrationis panis consistere, et salvari essentialiter in his verbis, *Hoc est corpus meum.* Hæc conclusio est communis, et omnino certa, ut docent omnes Theologi cum Divo Thoma in præs. art. 2. Et potest probari ex supra dictis ; nam verba, quæ in Canone hanc formam præcedunt, et eandem subsequuntur, non sunt necessaria ad convertendum panem in corpus Christi, ut ostendimus dub præced. et similiter ad validam consecrationem non requiritur particula *Enim*, ut ibidem diximus num. 12, sed his demptis solum remanent illa verba *Hoc est corpus meum :* ergo forma essentialis ad consecrandum panem salvatur in prædictis verbis. Patet consequentia : quia illa verba sunt essentialiter hujus sacramenti forma, per quæ fit consecratio, sive conversio panis in corpus Christi.

Conclusio prima. Fundamentum.

Sed insuper probatur ratione a priori, quæ pro qualitate materiæ alia esse non potest, quam voluntas Christi ita instituentis : de qua certo nobis constat tum per Evangelium, tum per Ecclesiæ traditionem. Unde in Catechismo Pii V, titulo *de Eucharistia,* dicitur : « A Sanctis « Evangelistis Matthæo, et Luca, itemque « ab Apostolo edocemur illam esse for- « mam, Hoc est corpus meum, » Confirmatur primo : nam si alia verba præter relata pro forma panis requirerentur, maxime illa, quæ in Scriptura præcedentibus adjunguntur, *Quod pro vobis tradetur :* sed hæc non sunt essentialia tali formæ, ergo non alia verba desiderantur. Probatur minor : nam Ecclesia Romana immemoriali consuetudine talia verba in consecrando omittit : ergo talia verba non sunt de essentia formæ in panis consecratione. Probatur consequentia : quia hæreticum esset dicere Ecclesiam Romanam in conse-

Alium motivum. Confirmatio.

crando Eucharistiam non habere legitimam formam. Et Lucius Tertius in cap. *Ad abolendum, de hæreticis,* perpetuo anathemate damnat eos, « qui de sacramentis « aliter sentire non metuunt,quam Sacro- « sancta Romana Ecclesia prædicat, et ob- « servat. » Confirmatur secundo : quia consecratio hujus sacramenti consistit in conversione materiæ in corpus, et sanguinem Christi in facto esse : ergo illa verba sunt forma essentialis hujus sacramenti quantum ad speciem panis, quæ significant conversionem panis in corpus Christi in esse quieto : sed talia sunt hæc verba, *Hoc est corpus meum :* ergo forma hujus sacramenti quantum ad speciem panis consistit essentialiter in prædictis verbis. Quem discursum latius expendit D. Thomas in præs. art. 2.

Alia.

Argumenta pro parte contraria.

18. Non reperimus autem in particulari, quem contra hanc assertionem referamus. Referri tamen in communi possunt aliqui Græcorum, schismatici, qui cum videant Patres antiquos Ecclesiæ Græcæ consecrasse panem his verbis, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, putant omnia ista verba essentialiter requiri pro forma talis consecrationis. Et probari potest : quia Christus consecravit eisdem verbis, quibus et nos, ut satis constat ex supra dictis dub. 1 ; sed constat Christum consecrasse panem omnibus prædictis verbis : ergo omnia illa verba pertinent ad essentialem formam nostræ consecrationis. Probatur minor : nam Lucas cap. 22, refert Christum consecrasse dicendo, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Et Apostol. 1, ad Corinth. 11, similiter refert, quod Christus consecravit dicens, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Denique Alexander I, epist. 1, cap. 4, inquit : « Christus nos docuit « conficere hoc sacramentum, cum accepto « pane dixit, Accipite, et manducate, Hoc « est enim corpus meum, quod pro vobis « tradetur. » Confirmatur : quia in consecratione calicis non sufficit dicere, *Hic est calix sanguinis mei,* sed necessarium est dicere, *Qui pro vobis effundetur,* ut constabit ex infra dicendis : ergo similiter in consecratione panis non sufficit dicere, *Hoc est corpus meum,* sed necessarium est addere, *Quod pro vobis tradetur :* id enim paritatis ratio convincit. Unde minus consequenter processisse videtur D. Thomas, qui art. 2, docet pro consecrando pane sufficere hæc verba, *Hoc est corpus meum ;* et art. 3, immediate sequenti docet pro consecrando vino non sufficere ista, *Hic est calix sanguinis mei.*

Lucæ 22.

1 ad Corinth. 11.

Alexand. I.

Confirmatio.

Evertuntur.

Hæc tamen parum urgent. Nam quod aliqui Patrum Græcorum in consecrando panem usi fuerint omnibus illis verbis, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, non ideo sic se gesserunt, quia senserint omnia illa pertinere ad essentialem formam prædictæ consecrationis: sed ex aliis motivis, nempe tum ut magis imitarentur factum Christi Domini, prout refertur a Luca, et Paulo : tum ut magis determinarent illud prædicatum *corpus meum,* quo terminatur forma essentialis. Sicut etiam in Ecclesia Latina consecramus calicem dicendo, « Hic est calix sanguinis « mei, novi, et æterni testamenti, myste- « rium, fidei qui pro vobis etc.» et tamen Græci (quorum aliqui, ut vulgo fertur, consecrant his præcise verbis, *Hic est sanguis meus,* vel *Hic est calix sanguinis mei*), non dicent omnia illa verba, quibus utitur Ecclesia Romana, pertinere ad essentiam formæ, sed dicent addi ob alia motiva. Idem itaque ad istam illorum praxim dicendum est. Unde ad argumentum respondetur negando minorem : quia licet Christus, cum consecravit panem, omnia illa verba dixerit ; nihilominus non per omnia illa consecravit, sed per priora, *Hoc est corpus meum,* addendo alia tanquam illius prædicati determinationem, et explicationem, ne corporis nomine intelligerent discipuli aliquod corpus phantasticum, aut mysticum, sed recognoscerent esse vere illudmet individuale corpus, in quo Christus passus est. Et rem ita se habere constat ex ipsa traditione Ecclesiæ Latinæ, quæ non utitur aliis, quam illis verbis, *Hoc est corpus meum :* quæ consuetudo derivatur ab Apostolo Petro, ut inquit D. Thom. art. 2 ad 5.

D. Tho.

Ad confirmationem respondetur negando consequentiam. Et rationem disparitatis tradit idem S. Doctor art. 3 ad 2, his verbis : Dicendum, quod quia sanguis seor- « sum consecratus expresse passionem « Christi repræsentat : ideo potius in con- « secratione sanguinis fit mentio de effectu « passionis, quam in consecratione corpo- « ris, quod est passionis subjectum. » Et similiter in resp. ad 7, ait : « Dicendum, quod

« quod sicut dictum est, sanguis seorsum « consecratus in corpore expressius re- « præsentat passionem Christi. Et ideo « potius in consecratione sanguinis fit « mentio de passione Christi, et fructu ip- « sius, quam in consecratione corporis. » Unde liquet D. Thomam nullam inconsequentiam, sed optimam rationem habuisse, dum docuit consecrationem panis salvari in his solis verbis, *Hoc est corpus meum*, quibus tantum utitur Ecclesia Romana : consecrationem vero calicis exigere omnia illa verba : « Hic est calix sanguinis mei, « novi, et æterni testamenti, mysterium « fidei, qui pro vobis, et pro multis effun- « detur in remissionem peccatorum : » quibus omnibus eadem Ecclesia Romana utitur. Unde suspicamur (quantum fas est conjicere) rationem differentiæ, quam hoc observant Græci, et Latini, in eo positam esse, quod illorum, et istorum Ecclesia censet omnino necessarium esse in consecratione Eucharistiæ, et celebratione hujus sacrificii mentionem fieri passionis Christi, ut ipse Dominus admonuisse videtur. Sed Græci illam mentionem expresse faciunt in consecratione primæ speciei, nempe panis, dicendo, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* : unde omittunt repetitionem ejusdem memoriæ in consecratione secundæ speciei, sive calicis, et dicunt, præcise (sicut de eorum aliquibus vulgo refertur), *Hic est sanguis meus*, aut *Hic est calix sanguinis mei.* Sed Latini hanc expressam mentionem non faciunt in consecrando panem, cum solum dicant, *Hoc est corpus meum* : quare illam mentionem expresse inducunt in consecratione calicis dicendo, *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur* etc. In qua diversitate rationabilior est usus Ecclesiæ Romanæ : quoniam ad repræsentandum passionem Christi magis congruit sanguis ejus in passione effusus, quam corpus, quod fuit passionis subjectum, ut optime docet D. Thomas : atque ideo congruentius fuit fieri commemorationem expressam passionis Christi in consecratione sanguinis, quam corporis.

Nota.

Explicatur singula formæ verba.

19. Nunc breviter percurramus singula prædictæ consecrationis verba, ut magis elucescat ejus sensus, et quam materialem variationem cum formali semper identitate ex parte significationis illa verba admittant. Et primo occurrit pronomen *Hoc*, quod esse demonstrativum, et subinde exigere materiam præsentem, satis ex se liquet. (Quid vero significet, jam supra diximus num. 8,) Unde fit non posse fieri validam consecrationem dicendo, *Illud est corpus meum* : quia pronomen, *Illud* non est demonstrativum, sed applicari potest rei non tantum distanti, sed et absenti. Sicut ob oppositam rationem valide fieret consecratio, si pronomen *Hoc* mutaretur in pronomen *Istud*: quia sunt ejusdem virtutis in demonstrando. Si vero diceretur *Hic est corpus meum*, distinguendum est : nam sumptum ly *Hic* adverbialiter, facit sensum longe diversum, et subinde reddit consecrationem invalidam. Si autem sumatur in vi pronominis, committitur quidem error in Grammatica, sed tamen retinetur idem sensus consecrationis, atque ideo et hujus valor. Et idem dicendum est, licet adsit perversitas Grammaticalis, ut si ob ignorantiam quis diceret, *Hic est corpus meus*, vel *corpum meus*. Si quis autem diceret, Ecce *corpus meum*, aliqui sentiunt validam esse consecrationem propter identitatem formalem ejusdem sensus. Sed vera est opposita sententia ob oppositum motivum: quia *Ecce* non est pronomen demonstrativum. Et qui ita loquitur, non prædicat de aliquo subjecto, nec significat conversionem panis in Corpus Christi in facto esse. Videantur N. Franciscus cap. 4, punct. 1, num. 1, Prado quæst. 78, dub. 4, § 3 et alii apud illos.

Pronomen.

Particula Est.

Sequitur particula *Est*, quæ significat conversionem in esse quieto. Unde fit omnes has propositiones, *Hic panis convertitur, transmutatur, transit in corpus Christi*, licet veras, esse formas invalidas : quia non significant conversionem in facto esse, sed in fieri. Et ob idem motivum istæ etiam sunt invalidæ, *Consecro, conficio corpus meum.* Distinguitur enim istud sacramentum ab aliis, quod cætera in usu consistunt, et ideo illorum forma significat usum, ut *baptizo, absolvo*, etc. Sed istud non consistit in usu, sed importat esse permanens, idque debet per formas significari. Si quis autem diceret : *Hoc corpus meum*, aliqui tenent validam esse formam, alii dubitant de valore : et videri possunt apud Pradum loco citato. Sed certum sentimus cum communi sententia formam esse invalidam : quia non significatur conversio panis in corpus Christi ; quin

nec aliquid asseritur, aut significatur secundum proprietatem linguæ Latinæ, quidquid fuerit apud Hebræos, et Græcos. Quin licet sacerdos diceret, *Accipite, et comedite hoc corpus meum*, sentimus nihil fieri : quia non significatur conversio. Videantur Suarez disp. 59, sect 2, et Leander disp. 9, quæst 14. De particula *Enim* jam supra diximus num. 12.

Particula, Corpus. 20. Sequitur particula *Corpus* et significat terminum conversionis panis esse corpus Christi. Et accipitur ex vi verborum cum proprietate : unde nec significat totam humanitatem, nec complectitur partes fluidas ; sed significat determinate corpus humanum secundum hanc rationem, sive præscindendo a differentiis vivi, et mortui, ut dicit partes solidas ab humoribus distinctas, sicut ex professo explicuimus disp. 7, dub. 2, et 3. Unde si quis diceret, *Hoc est substantia mea*, non consecraret ; quia substantia non significat idem, quod corpus : sed importat conceptum valde communem. Et ita cum communi sententia observat N. Franciscus loco cit. num 10. Si quis autem diceret, *Hoc est caro mea* aliqui putant esse formam invalidam : quia caro non significat idem, quod corpus : istud enim significat non solam carnem, sed compositum ex carne, ossibus, et nervis. Sed multo plures apud Pradum loco cit. num. 35, sentiunt formam validam esse : quia juxta usum satis communem caro solet accipi non cum illa præcisione, sed quatenus complectitur easdem partes, quas corpus. Unde ipse Christus hoc mysterium nomine carnis suæ significavit
Joan. 6. Joan : 6 *Caro mea vere est cibus*, et rursus : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem* etc. Et in eodem sensu dicitur
Ps. 5. Ps. 5 : *Caro mea requiescet in spe.* Et in symbolo Athanasii : *Sicut anima rationalis et caro unus est homo.* Et hanc secundam sententiam censemus probabiliorem. Sed tamen simul censemus rem esse simpliciter dubiam.

Particula, Meum. Tandem terminatur forma cum particula *Meum*, per quam corpus, quod de se erat commune, determinatur ad significandum corpus Christi determinate : unde significat corpus contentum sub illis accidentibus esse corpus non quodlibet, sed corpus Christi. Si quis autem mutaret illam dictionem dicendo, *Hoc est corpus Christi*, Suarez sectione citata in fine putat fore formam invalidam, propter variationem formalem in modo significandi : nam ut sacerdos dicat, *Hoc est corpus meum*, debet loqui significative in persona Christi : sed illam aliam formam, *Hoc est corpus Christi* potest proferre mere recitative, et in propria persona. Et idem docent Vazquez, Henriquez, et alii. Sed probabilior est contraria sententia, quam tuentur Arauxo in præs. art. 6, dub. 1, Leander disp. 9, quæst. 7, et alii. Quibus favet D. Thom. in præs. art. 2 ad 4, et in 4, dist. 8, quæst. 2, art. 1, questiunc, 4 ad 4, ubi ait : « Convenientius dicitur, Hoc est corpus meum, « quam Hoc est corpus Christi » non obscure significans mutationem illam esse quidem illicitam, non tamen obesse sacramenti valori. Et profecti idem ipse Christus potuit in eodem sensu dicere, *Hoc est corpus meum*, et *Hoc est corpus Christi*. Et eadem ratione potest sacerdos ista dicere non solum recitative, sed etiam significative, loquendo in Christi persona. Sed tamen censemus cum N. Francisco loco cit. num. 15, rem esse valde dubiam. Si quis autem in hac dictione *Meum*, non proferat ultimum *M*, sed ejus loco exprimat *N*. ut Hispani satis communiter proferimus; nullum debet esse dubium de valore consecrationis : quia non tollitur significatio formalis. Sicut etiam cum in verbo *Est* ob velocitatem linguæ, vel ob consuetudinem non exprimimus *T*, nullus debet surgere scrupulus circa valorem, ut communiter observant Theologi, et satis constat ex fusius dictis Tract. præced. disp. 2, dub. 5, ubi regulas generales circa hujusmodi variationes statuimus. Ex his dictis autem satis constat, quæ sint verba essentialiter requisita pro forma consecrationis panis, et quam mutationem admittant. Veniamus autem nunc ad calicis formam, in qua occurrit longe gravior difficultas, et magnum inter Theologos dissidium.

§ II.

Assertio quantum ad formam consecrationis vini juxta mentem D. Thomæ.

21. Dicendum est secundo omnia verba, Conclusio 2.
quibus in consecrando vinum utitur Ecclesia Latina, nempe, « Hic est calix sanguinis « mei, novi, et æterni testamenti, myste- « rium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur

« effundetur in remissionem peccatorum,» esse de essentia formæ talis consecrationis: sive omnia illa verba recitentur explicite, sive ponantur implicite quatenus inclusa per æquivalentiam in aliis, retinendo semper eundem formaliter sensum. Declaratur conclusio: etenim dupliciter potest intelligi, quod aliquod verbum sit de essentia formæ: uno modo ut explicite positum, quia non potest implicari in alio verbo ejusdem formæ, v. g. nomina divinarum personarum in forma baptismi; si enim quis præcise dicat, *Ego te baptizo*, nullo modo significantur divinæ personæ, quæ tamen de necessitate explicandæ sunt in forma baptismi. Altero modo ut positum vel explicite, vel saltem implicite, quia sufficienter implicari in alio formæ verbo, retenta eadem sententia: v. g. particula *Ego* in sacramentis baptismi, et pœnitentiæ est de essentia formæ: sed non est de essentia, quod explicite ponatur, cum possit subintelligi in verbis *baptizo, et absolvo:* at si explicite ponatur, sicut communiter fit, est de essentia formæ, ut pars ejus simul cum aliis partibus concurrens ex parte formæ ad effectum sacramenti. In hoc ergo sensu affirmamus omnia verba relata esse de essentia formæ consecrationis calicis, non quidem determinate ut explicite posita, sed vel sic, vel saltem ut implicata in aliis ejusdem formæ verbis, ubi fieri valeat: atque ideo si omnia explicite recitentur, ut est communis usus apud Latinos, cuncta esse partes essentiales ejusdem formæ, et concurrere simul cum aliis ejusdem formæ verbis ad consecrationis effectum. In hoc itaque sensu procedit nostra conclusio. Qui sensus magis, et evidentius demonstratur per negationem, nempe essentialem formam ad consecrandum vinum non salvari, ut quidam volunt, in his tantum verbis, *Hic est calix sanguinis mei*, aut, *Hic est sanguis meus:* sed necessario complecti omnia verba, quæ requiruntur, ut servetur sensus formalus istius sententiæ, « Hic est calix sanguinis mei, novi, « et æterni testamenti, mysterium fidei, « qui pro vobis, et pro multis effundetur in « remissionem peccatorum. »

Explicatur.

Major assertionis expositio.

Ut autem magis constet, ubi possit fieri ista æquivalentia, oportet prædicta verba breviter percurrere, et illorum sententiam exponere. Ponitur primo loco *Hic*, et ex dictis num. 19 constat, quid significet, et quomodo suppleri valeat per pronomem *Iste*, vel simile: nam eodem modo exponendum est, sicut *Hoc* positum in consecratione panis. Sequitur, *Est*, et explicatur, sicut *Est* positum in forma panis; nec facile suppleri poterit, ut constat ex dictis loco cit. Succedit, *Calix sanguinis mei*, et est figurativa locutio, ut observat D. Thomas art. 5 ad 1; sumitur enim per metonymiam continens pro contento. Unde sensus est, *Hic est sanguis meus*. Et hæc verba retinent sensum formalem priorum. Additur, *Novi et æterni testamenti*, in quibus verbis ly *Testamenti* significat dispositionem Christi de hæreditate nobis danda per virtutem sanguinis ejus: et dicitur *novum* ad distinctionem antiqui pertinentis ad legem veterem, quod fuit umbra, et figura novi: et appellatur *æternum*, quia est in ordine ad hæreditatem æternam Unde ly æterni potest sufficienter implicari in ly novi retento eodem sensu: quia testamentum novum est dispositio de æterna hæreditate, ut optime notat D. Thomas in resp. ad 3. Subjungitur, *Mysterium fidei*, et ut observat D. Thomas ad 4, dicitur mysterium « non quidem ad excludendum rei verita« tem, sed ad ostendendum occultationem: « quia sanguis Christi occulto modo est in « hoc sacramento. » Et dicitur fidei (inquit S. Doctor ad 6), « quasi fidei objec« tum: quia quod sanguis Christi secun« dum veritatem sit in hoc sacramento, « sola fide tenetur. » Unde liquet omnia ista verba, *Novi, et æterni testamenti, mysterium fidei* sufficienter implicari, retento eodem sensu, in aliis totius formæ verbis, « Hic est calix sanguinis mei, qui pro vo« bis, et pro multis effundetur in remis« sionem peccatorum: » Quia Christus passus est, et effudit sanguinem pro nobis, ut liberi a peccatis consequeremur ex ejus dispositione æternam hæreditatem. Et totem hoc, dum repræsentatur in hoc sacramento, est mysterium fidei: quare qui dicit alia verba, in eis implicite dicit, atque significat id esse novum, et æternum testamentum, atque mysterium fidei. Ultimo ponuntur reliqua verba, « Qui pro vobis, « et pro multis effundetur in remissionem « peccatorum. » Quæ recte explicat D. Thom. in resp. ad 8, dicendo: « Sanguis « passionis Christi non solum habet effi« caciam in Judæis electis, quibus exhibi« tus est sanguis veteris testamenti, sed

« etiam in Gentilibus : nec solum in sacer- « dotibus, qui hoc conficiunt sacramen- « tum, vel aliis, qui sumunt, sed etiam in « illis, pro quibus offertur. Et ideo signan- « ter dicit, Pro vobis Judæis, et pro mul- « tis, scilicet Gentilibus : vel pro vobis « manducantibus, et pro multis, pro qui- « bus offertur. » Hæc autem effusio, oblatio, et applicatio sanguinis Christi non implicatur in verbis præcedentibus, nec per illa significatur adhuc implicite : quia longe diversa sunt, quod contentum in calice sit sanguis Christi, et quod sanguis Christi effundatur in remissionem peccatorum : quin et valide distant, quod sanguis Christi effundatur, et quod effundatur pro remittendis peccatis. Sunt enim ista objective diversa, et potuerunt simpliciter separari.

Nota ex D. Tho. Ex his satis constat sensus prædictæ formæ, et in quibus terminis possit fieri æquivalentia, aut dari continentia implicita. Observat autem Angelicus Doctor in resp. ad 9 : « Quod hæc omnia fere verba « ex diversis Scripturæ locis accipi pos- « sunt. Nam quod dicitur, Hic est calix, « habetur Lucæ 22 et 1 ad Corinth. 11, « Matthæi autem 26, dicitur, Hic est san- « guis meus novi testamenti, qui pro mul- « tis effundetur in remissionem peccato- « rum. Quod autem additur, æterni, et « iterum, mysterium fidei, ex traditione « Domini habetur, quæ ad Ecclesiam per « Apostolos pervenit, secundum illud 1 « ad Corinth. 11: Ego accepi a Domino, « quod et tradidi vobis. »

Conclusio 2. 22. Assertionem ergo nostram in præmisso jam sensu docet (ut existimamus), evidenter D. Thomas, sicut statim demonstrare curabimus. Et idem unanimiter docuerunt omnes antiqui Thomistæ usque ad Cajetanum, qui recalcitravit. Et absolute docent Paludanus in 4, distinct. 8, quæst. 3, art, 2, Herveus ibidem quæst. 2, Capreolus quæst. 1, art. 3, in resp. ad argumenta contra 6 conclusionem. Deza quæst. unic. art. 3, notab. 4, Antoninus 3 part. titulo 13, cap. 15, § 4. Sylvester verbo *Eucharistia*, 1, quæst. 6, nu. 7, conclus. 4, Tabiena eodem verbo 1, num. 31, Armilla eodem verbo, num. 14, Petrus de Soto lect. 2, *de Eucharistia* § *Circa verba vero.* Viguerius in inst. *Theolog.* cap. 16, § 3, numero 3, Bartholomeus Spina in opusc. *de forma consecrationis sanguinis*, cap. 3, Arauxo in præs. art. 6, dub. 1, num. 6, Marcus Huertos *de sacrificio Missæ in compendio*, fol. 254, Joannes Nicolai in præs. in scholiis ad art. 3, Labat disp. 4, dub. 11, § 2, Gonet disp. 7, art. 2, Joannes Vincentius Asturicensis, et Joan. Gonzalez apud N. Franciscum infra referendum. Idem etiam docent Innocentius III, *de mysterio altaris* lib. 4, cap. 3, et in cap. *Cum Marthæ. de celebrat. Missarum*, Richardus in 4, dist. 8, art. 3, quæst. 2, Thomas Argentinas ibi quæst. 1, art. 2, N. Joannes Bachon. ibi quæst. 3, art. 2, N. Cornejo disp. unica dub. 1, N. Philippus disp. 6, dub. 4, N. Franciscus cap. 5, punct. 2, Joannes Gerson alphabeto 26, in fine, Ægidius Columna in cap. *Cum Martha de celebrat. Missarum*, Andreas Victorellus in addit. ad summam Toleti lib. 2, cap, 26, Thomas Pius 1 part. in prologo, dub. 11, num. 32, Lorca, quem refert, et sequitur Thomas Hurtado tom. 2 Var. tract. ult. resolut. 8, Pasqualigus disp. 96, sect. 1, et Auctores Catechismi editi jussu Pii V, tit. *de Eucharistia* part. 2, cap. 4, num. 21, ubi dicunt : « Jam vero quod ad vini, quæ « est altera hujus sacramenti materia, « consecrationem attinet, ob eandem cau- « sam, quam supra commemoravimus, « opus est, ut sacerdos ejus formam cogni- « tam, et perspectam habeat. Eam igitur « his verbis comprehendi certo credendum « est : *Hic est* usque, in remissionem pec- « catorum. Ex quibus verbis plura quidem « a sacris Scripturis colliguntur : quædam « vero in Ecclesia ex Apostolica traditione « conservata sunt. » Quin et ipse Sanctissimus Pius hanc semper tenuit sententiam, et tam veram existimavit, ut contrariam jusserit expungi ex Commentariis Cajetani in præs. art. 3, ubi D. Thomam deseruit.

D. Tho. Palud. Herveus. Capreol. Deza. D. Ant. Sylvest. Tabiena. Arnulla. Viguer. Petrus. Soto Spina. Arauxo. Huertos Joan. Nicol. Labat. Gonet. Innoc. III. Ricard. Argent. N. Bach. N. Corn. N. Phil. N. Fran. Gerson. Ægid. Victor. Thom. Pius. Thom. Hurtad. Pasqual. Catech. Pii V.

Auctoritas hujus sententiæ ex Scoto et Suario. Et Scotus, qui tam frequenter impugnat Angelicum Doctorem eligendo sententias ipsi contrarias, de ista inquit in 4, dist. 8, quæst. 2, art. 2 : « Dico breviter, quod non « est traditum omnino certitudinaliter, an « ad forman consecrationis sanguinis per- « tineant aliqua verba post illud, Sangui- « nis mei ; vel an aliquod illorum sequen- « tium usque illic. » Hoc facite etc. « Ideo « periculosum est hoc asserere, de quo « sufficiens auctoritas non habetur. Non « est autem periculosum ignorare, quia « videtur ignorantia invincibilis. » Addit, quod si ultima verba omittantur, « non est adorandum

« adorandum, nisi sub conditione, si vere « consecratum est. » Et Suarius etiam, qui non multum horret deserere assertiones D. Thomæ, fatetur disp. 60, sect. 1 : « Hæc opinio est valde probabilis, et « magnæ auctoritatis, cui Scotus in 4, dist. « 8, quæst. 2, art. 2, contradicere non est « ausus, sed rem dubiam reliquit. »

D. Thomas docuit evidenter hanc conclusionem.

Quod autem D. Thomas illam expresse, et evidenter (sic censemus) docuerit, probatur ex art. 3 hujus quæstionis, ubi inquit : « Dicendum, quod circa hanc formam est duplex opinio. Quidam enim « dixerunt, quod de substantia formæ « hujus est hoc solum, quod dicitur, Hic « est calix sanguinis mei : non autem ea, « quæ sequuntur. Sed hoc videtur inconveniens : quia ea, quæ sequuntur, sunt « quædam determinationes prædicati, id « est, sanguinis Christi. Unde pertinent « ad integritatem ejusdem locutionis. Et « propter hoc sunt alii, qui melius dicunt, « quod omnia sequentia sunt de substantia « formæ usque ad hoc, quod postea sequitur : Hæc quotiescumque feceritis, « quod pertinet ad usum hujus sacramenti : « unde non est de substantia formæ. Et « inde est, quod sacerdos eodem ritu, et « modo, scilicet tenendo calicem in manibus omnia hæc verba profert. Lucæ « etiam 22, interponuntur verba sequentia verbis præmissis, cum dicitur : « Hic calix novum testamentum est in meo « sanguine. Dicendum est ergo, quod « omnia prædicta verba sunt de substantia « formæ. »

Responsio Juniorum.

23. Huic testimonio dupliciter respondent Adversarii. Nam quidam extra scholam D. Thomæ existentes non morantur ejus auctoritate, sed palam fatentur tenuisse assertionem nostram. Addunt tamen, D. Thomam ita sensisse, quia non legerit Liturgias Græcorum, et aliorum : quas non legisse (addunt) perspicuum est, cum nullam illarum fecerit mentionem. Thomistæ autem, quibus cordi est magna reverentia in Doctorem, dicunt ex prædicto testimonio solum colligi, quod D. Thomas senserit omnia verba, quibus Ecclesia utitur in consecratione calicis, esse de substantia talis formæ; minime vero quod de ejus essentia, aut ipsi essentialia sint, ita ut sine eis consecratio non teneat : quia S. Doctor nomine *essentiæ* non utitur, sed *substantiæ*, ut liquet ex testimonio relato. Idque magis declarant observando latum esse discrimen inter substantiam, et essentiam rei : plura namque solent esse substantialia, aut de substantia rei, quæ tamen non sunt essentialia, sive de essentia ipsius : et talia solent dici partes non essentiales, sed integrantes. Sic enim nasus, et digitus pertinent ad substantiam hominis, licet ad hominis essentiam non pertineant. Et juxta valde probabilem sententiam satisfactio est pars substantialis sacramenti pœnitentiæ, sive pertinens ad ejus substantiam ; quamvis non sit pars essentialis talis sacramenti. In hoc igitur sensu asseruit D. Thomas subsequentia verba : *Qui pro vobis* etc. esse de substantia formæ; sed non dixit esse de essentia.

Responsio aliquorum Thomistarum.

Prima refellitur.

Cæterum prima ex his responsionibus nihil refert, sed intentionem nostram confirmat, dum ingenue fatetur D. Thomam nostram tenuisse assertionem. Quod vero addit eam S. Doctoris resolutionem processisse ex ignorantia Liturgiarum, quas non viderit, aliter docturus, si eas legisset, non impugnationem sed risum meretur. Tum quia risu dignum est, quod Juniores se fingant Angelico Magistro sapientiores, et antiquitatis magis gnaros : quantum enim D. Thomas in hoc, sicut in aliis emineat, satis manifestant vel soli libri contra Gentes scripti, et omnigena eruditione referti. Tum quia S. Doctor non ignoravit Græcorum Liturgias, et ritus, qui luculentissimum opusculum scripsit contra illorum errores. Tum quia tantum abest, ut ex Liturgiis contraria nobis sententia demonstretur, ut ex eisdem potius desumatur efficax satis argumentum, quo falsitatis convincitur, ut § seq. expendemus. Quod igitur D. Thomas earum non meminerit, ut aliquid difficile solveret, non ex ignorantia processit; sed quia nihil in ipsis ejusmodi vidit, quod dilueret. Refellendi itaque sunt isti Juniores, qui spreta littera, quam habent in S. Doctore, annuntiant nobis futuros conditionatos (et ipsis familiares) eventus circa mentem D. Thomæ, si scilicet nunc viveret, et notam haberet non vulgarem ipsorum eruditionem circa Liturgias. Isti namque satis produnt nolle se de facto tanto Præceptori subdere : sed velle illum in hypothesi saltem conditionata propriæ ferulæ subjicere. Id vero non magis verum est, ut vulgari utamur, exemplo quam Gigantem vincentem Pygmeos,

superandum fore ab istis in hypothesi, quod ille desideret esse Gigas, et hi non essent Pygmei : quod est impossibile ex suppositione, quod sint.

Secunda confutatur.

24. Quare omissa prædicta, non responsione, sed contradictione, evertere oportet secundam aliquorum Thomistarum expositionem. Evertitur autem, quia etsi non negemus duplicem illam acceptionem substantiæ, videlicet vel pro essentia, vel pro integrali, aut substantiali rei parte, licet de essentia non sit : nihilominus D. Thomas in præmisso testimonio non usurpavit substantiam in hac posteriori acceptione, sed in priori, ut plura satis manifeste evincunt. Primo quidem, nam S. Doctor supra quæst. 60, art. 8, agens de sacramentis in communi, generalem regulam statuit circa verba, quibus constant illorum formæ. « Manifestum est, *inquit*, quod si « diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de « substantia formæ sacramentalis, tolli- « tur debitus sensus verborum : et ideo « non perficitur sacramentum. Unde Dydi- « mus dicit in lib. de Spiritu Sancto, si « quis baptizare conetur, ut unum de præ- « dictis nominibus prætermittat (scilicet « Patris, et Filii, et Spiritus Sancti) sine « perfectione baptizabit. » Ubi certum est, quod *esse de substantia formæ sacramentalis* accipit pro *esse de essentia:* quia ablatio unius verbi, aut voculæ non essentialis nec tollit debitum sensum formæ, nec impedit valorem sacramenti. Cum ergo eodem tenore loquatur in testimonio proposito; sequitur, quod idem significaverit, quando dixit verba, quibus utimur in consecrando calicem, esse de substantia formæ talis consecrationis. Nec valet dicere, quod cum illa vox dupliciter usurpetur; potuit D. Thomas illa in uno loco uti in uno sensu, et in altero loco in alio. Nam contra est, quod S. Doctor in loco immediate allegato ex quæst. 60, tradidit generalem doctrinam circa sacramenta in genere : quam postea applicat sacramentis in particulari, cum de illis disserit: et in hac q. 78, art. 3, accommodat formæ Eucharistiæ: ergo accipit illam vocem in eodem sensu. Aliter enim æquivoce loqueretur, et inconsequenter ageret. Et confirmatur urgenter : quia D. Thomas in hoc art. 3, contra se, sive contra resolutionem, quam proponit in corpore, nempe omnia illa verba *esse de substantia formæ,* proponit secundum, et septimum, et nonum argumentum, quæ sunt ipsissima, et plane validiora fundamenta sententiæ nobis contrariæ negantis omnia verba esse de essentia talis formæ. Si autem D. Thomas in eadem fuisset sententia, illa argumenta contra se non expenderet, et dilueret : sed magis prædicta motiva pro se afferret, et urgeret, ut Adversarii faciunt, et satis ex se liquet. Ad hæc S. Doctor in prædicto articulo sic refert sententias in hac materia contrarias: « Circa hanc formam est duplex opinio. « Quidam enim dixerunt, quod de substantia formæ hujus est hoc solum, quod « dicitur, Hic est calix sanguinis mei; non « autem ea, quæ sequuntur. Sed hoc vide- « tur inconveniens.... Et propter hoc sunt « alii, qui melius dicunt, quod omnia « sequentia sunt de substantia formæ usque « ad hoc, quod postea sequitur, Hæc quoties- « cumque feceritis etc. Dicendum est ergo, « quod omnia prædicta verba sunt de subs- « tantia formæ etc. » Ubi necessarium est fateri D. Thomam accipere ly *de substantia formæ* in eodem sensu; ne scilicet intra paucas lineas æquivoce, et cum summa inconsequentia procedat. Sed in prioribus verbis ly *de substantia* idem valet, ac de essentia ; siquidem Auctores illius opinionis negabant subsequentia verba esse essentialia, sive de essentia formæ. Ergo in eodem sensu accipitur a secunda sententia eorum, qui melius dicunt : ac perinde et in resolutione S. Doctoris statuentis omnia prædicta verba esse *de substantia formæ.*

D. Tho.

Idem.

Alia ejusdem responsionis confutatio.

25. Secundo id ipsum probatur ex aliis ipsius scriptis. Nam in 4, dist. 8, quæst. 2, artic. 2, quæstiunc. 1, refert opinionem illorum, qui dicebant ista sola verba, *Hic est calix sanguinis mei* esse de forma consecrationis vini, sicut ista alia, *Hoc est corpus meum* sunt de forma consecrationis panis, ut detur similitudo inter utramque formam. Ubi certum est illos sentire, quod hæc tantum verba, *Hic est calix sanguinis mei* sunt de essentia formæ consecrationis vini, et exemplum, quo se declarant, et paritas, quam intendunt, satis demonstrant. Et nihilominus S. Doctor subdit : « Alii probabilius dicunt, quod totum, quod « sequitur est de forma. » Ubi ne inconsequenter, et æquivoce loquatur, necessario concedendum est ipsum loqui de forma essentiali, sive de his, quæ essentialiter pertinent ad formam consecrationis calicis.

cis. idque magis liquet ex eo quod sibi opponit : « Proprietates naturaliter consequuntur substantiam rei : sed illud, quod « consequitur substantiam, non potest esse « factivum transubstantiationis : ergo cum « illa verba, quæ sequuntur, designent « aliquas proprietates sanguinis, in quem « fit transubstantiatio, videtur, quod non « sint de forma. » Et tamen respondet : « Ad tertium dicendum, quod quamvis illa, « quæ sequuntur, sint ut proprietates con- « sequentes Christi sanguinem, in quan- « tum hujusmodi, sunt tamen essentiales « Christi sanguini, in quantum est per « passionem effusus. Et ideo illa, quæ « sequuntur, sunt essentialia sanguini, « prout in hoc sacramento consecratur. Et « ideo oportet, quod sint de substantia « formæ. » Constat autem ea, quæ sunt essentialia sanguini, prout in hoc sacramento consecrato, esse etiam essentialia talis sacramenti consecrationi. Unde vel D. Thomas falsum supponit, vel plane sentit omnia verba, quæ in consecratione calicis continentur, esse de essentia consecrationis calicis.

Alia illius responsionis eversio. Tertio denique id ostenditur ex celebri alio D. Thom. loco super 1, *ad Corinth.* cap. 11, lect. 6, in medio, ubi ait : « Sed « circa ista verba, quibus Ecclesia utitur « in consecratione sanguinis quidam opi- « nantur, quod non omnia sunt de neces- « sitate formæ, sed solum quod dicitur, « Hic est calix sanguinis mei : non autem « residuum, quod sequitur, Novi, et æter- « ni etc.» Ecce hic sententiam nobis directe contrariam negantem, quod sequentia verba sint de essentia formæ ; illud etiam importat, *De necessitate formæ :* quæ enim extra essentiam sunt, sive sint accidentalia, sive substantialia, sicut partes mere integrantes, non sunt de formæ necessitate, ut inductive potest ostendi. Videamus ergo quid S. Doctor de hac opinione sentiat. *Sed hoc,* inquit, *non videtur convenienter dici :* idque ibi ex proposito ostendit. Ergo juxta ejus mentem dici non valet, quod subsequentia hujus formæ verba non sint de ejus necessitate, aut essentia : sive alias dicantur accidentalia, sive substantialia, sive necessaria ex solo præcepto.

Objiciuntur quædam D. Tho. loca. 26. Et quia contraria juxta se posita magis se manifestant, et ne iterum quæstio nobis occurrat circa mentem S. Doctoris, referemus testimonia, quæ ex eodem alii qui Thomistæ opponunt nostræ sententiæ. Objiciunt igitur, quod in 1 hujus quæstionis articulo in resp. ad 4, ait : « Si « sacerdos sola verba prædicta proferret « cum intentione perficiendi hoc sacra- « mentum. » Per *verba* autem *prædicta* necessarium est intelligere verba consecrationis, quæ in titulo articuli proposuerat. Titulus vero ita habet : « Utrum hæc sit « forma hujus sacramenti, Hoc est corpus « meum, et Hic est calix sanguinis mei ? » Ergo sentit D. Thomas, quod sola ista verba, *Hic est calix sanguinis mei* sunt de essentia, vel de necessitate formæ consecrationis calicis. Cui testimonio, et discursui tantum defert Serra infra referendus, ut dicat D. Thomam eo loco manifeste docere illis præcise verbis fieri transmutationem vini in sanguinem Christi. (Primus.) Opponunt secundo, quod D. Thomas in præsenti artic. 3, ubi hanc difficultatem ex professo versat, non affirmat posteriora verba esse de essentia formæ ; sed præcise docet, quod pertinent ad integritatem ejusdem locutionis. Manifestum autem est plura pertinere ad integritatem rei, quæ tamen de ejus essentia non sunt, ut patet in digito respectu hominis, et particula *Ego* respectu formæ sacramentorum Baptismi, et Pœnitentiæ. (Secundus.) Opponunt tertio, quod eodem loco ait D. Thomas : « Dicendum est ergo, quod « omnia prædicta verba sunt de substantia « formæ. Sed per prima verba, cum dici- « tur, Hic est calix sanguinis mei, signi- « ficatur ipsa conversio vini in sanguinem « eo modo, quo dictum est in forma con- « secrationis panis,» nempe artic. 2, immediate præcedenti. Ibi autem expresse docet, quod pro forma consecrationis panis sufficiunt hæc verba, *Hoc est corpus meum.* Ergo pariter sentit, quod pro consecrando calicem sufficiunt simpliciter ista, *Hic est calix sanguinis mei.* (Tertius.)

Explicantur objecta testimonia. Hæc tamen illis, quæ pro nostra assertione expendimus, comparata, levissima sunt, et quæ minime sufficiunt, ut dubitemus de mente Doctoris. Et ad primum possemus in primis respondere, quod D. Thomas eo loco solum curavit statuere verba, quæ apud omnes, et citra controversiam requiruntur ad consecrandum. Utrum præter illa requirantur alia pro consecratione calicis, ibi non diffinivit ; sed discutiendum reservavit in art. 3, ubi rem ex professo versat. Unde accipiendus est, sicut ipse

S. Doctor exposuit Magistrum in 4, dist. 8, in explicatione litteræ dicens : « Magister « non intendit hic diffinite proponere verba, « quibus fit consecratio : sed explanare, « quod verbis Domini fit. » Sed evidentior responsio constat ex ipso textu : nam cum D. Thomas affirmat : « Si sacerdos sola « prædicta proferret cum intentione perfi- « ciendi hoc sacramentum, perficeretur hoc « sacramentum, » minime loquitur in sensu, qui Adversariis faveat, nempe hæc sola verba, *Hic est calix sanguinis mei* sufficere ad sacramenti valorem : sed loquitur in alio sensu longe, atque evidenter diverso, videlicet minime requiri verba antecedentia, *Qui pridie, quam pateretur etc.* Patet hoc tam ex argumento, quam ex responsione. Argumentum erat : « For- « ma sacramenti sufficit ad perfectionem « sacramenti. Unde sacramentum Baptismi « quandoque perfici potest solis verbis for- « mæ prolatis, omnibus aliis prætermissis. « Si ergo prædicta verba sunt forma hujus « sacramenti ; videtur, quod aliquando « possit hoc sacramentum perfici his solis « verbis prolatis, et omnibus aliis præter- « missis, quæ in Missa dicuntur. Quod « tamen videtur esse falsum ; quia ubi « verba alia prætermitterentur, prædicta « verba acciperentur ex persona sacerdotis « proferentis, in cujus corpus, et sangui- « nem non convertuntur. Non ergo præ- « dicta verba sunt forma hujus sacra- « menti. » Hæc erat difficultas, plane diversa ab ea, quam modo versamus circa formam consecrationis calicis, et in alium scopum collimans, atque utrique formæ tam panis, quam vini communis. Sed videamus responsionem : « Ad quartum dicendum, quod qui- « dam dixerunt hoc sacramentum perfici « non posse prædictis verbis prolatis, et « aliis prætermissis, præcipue quæ sunt « in canone Missæ. Sed hoc patet esse fal- « sum, tum ex verbis Ambrosii supra « inductis : tum etiam quia canon Missæ « non est idem apud omnes, nec secundum « omnia tempora : sed diversa sunt a diver- « sis apposita. Unde dicendum est, quod si « sacerdos sola verba prædicta proferret « cum intentione conficiendi hoc sacramen- « tum perficeretur hoc sacramentum : quia « intentio faceret, ut hæc verba intellige- « rentur quasi ex persona Christi prolata ; « etiam si hoc verbis præcedentibus non « recitaretur. Graviter tamen peccaret sa- « cerdos sic conficiens hoc sacramentum, « utpote ritum Ecclesiæ non servans. Nec « est simile de baptismo, quod est sacra- « mentum necessitatis. Defectum autem « hujus sacramenti potest supplere spi- « ritualis manducatio, sicut Augustinus « dicit. » Hæc D. Thomas : ex quibus aperte constat nec argumentum, nec responsionem agere de verbis illis, « Novi, « et æterni testamenti, mysterium fidei, « qui pro vobis, et pro multis effundetur « etc. » sed de aliis antecedentibus, et quasi introducentibus formam consecrationis, quæ proponuntur in canone Missæ, nempe *Qui pridie, quam pateretur etc.* quæ si non præmittat sacerdos, videtur loqui nomine proprio. Quare horum tantum verborum formam introducentium necessitatem excludit D. Thom. cum recoluit : « Si « sacerdos sola verba prædicta proferret » nempe verba consecrationis, « cum inten- « tione conficiendi hoc sacramentum, per- « ficeretur hoc sacramentum. » Sed præsentem, quam modo versamus, difficultatem eo loco non attigit. Unde manifestum est auctorem supra relatum excessisse evidenter, cum asseruit D. Thomam eo loco manifeste docere sententiam nobis contrariam : quippe nec explicite, nec implicite docuit, quod tunc non versabat, nec ad considerationem ejus loci referebat. Recolantur, quæ diximus dub. præced. per totum, et præsertim num. 11.

Primum.

Excessus Serræ.

27. Reliqua facilius adhuc explicantur. Nam ad secundum respondetur, quod licet D. Thomas in hoc art. 3, non dicat sequentia esse de *essentia* : dicit tamen esse de *substantia* consecrationis. Et juxta subjectam materiam idem valet ibi esse de substantia, ac esse de essentia, ut expendimus n. 24. Quod autem dixerit verba subsequentia *pertinere ad integritatem* ejusdem locutionis, nihil obest : quia licet aliqua sint de integritate, quæ non sunt de essentia ; aliqua nihilominus sunt, quæ pertinent et ad integritatem, et ad essentiam locutionis, ut patet in hac forma, *Ego te baptizo*, ubi ly *te* pertinet non solum ad integritatem orationis, sed etiam ad essentiam totius formæ. Et quod D. Thom ita sumpserit *integritatem* ejusdem locutionis, constat ex dictis loco cit. Ad tertium respondetur nihil probare, nec aptum esse ad colligendum consequentiam ibi deductam : quia quamvis hæc verba, *Hic est calix sanguinis mei*

Secundum testimonium.

Tertium.

mei

mei significent conversionem vini in sanguinem Christi, sicut hæc verba, *Hoc est corpus meum* significant conversionem panis in ejus corpus : (quod præcise asseritur a D. Thoma loco cit. et a nobis ultro conceditur) : nihilominus forma calicis debet significare conversionem vini non præcise ut factam in sanguinem Christi absolute sumptum, sed factam in sanguinem Christi ut effusum, aut effundendum pro mundi salute : nam hæc posterior expressio pertinet etiam ex sententia D. Thomæ ad essentialem integritatem prædictæ formæ, ut constat ex verbis immediate subjunctis : « Per verba autem sequentia designatur « virtus sanguinis effusi in passione, quæ « operatur in hoc sacramento. » Et disparitatem quantum ad hoc inter verba consecrationis panis, et verba consecrationis vini assignat idem S. Doctor in resp. ad 2, his verbis : « Sanguis seorsum consecratus « expresse passionem Christi repræsentat. « Ideo potius in consecratione sanguinis « fit mentio de effectu passionis, quam in « consecratione corporis, quod est passio- « nis subjectum. » Et idem repetit in resp. ad 7. Et loco supra cit. ex lib. 4 sent. « ait : Quamvis illa, quæ sequuntur, sint « ut proprietates consequentes Christi san- « guinem, in quantum hujusmodi : sunt « tamen essentiales sanguini Christi, in « quantum est per passionem effusus. Et « ideo illa, quæ sequuntur, sunt essentia- « lia sanguini, prout in hoc sacramento « consecratur. Et ideo oportet, quod sint « de substantia formæ. »

Confirmatio præmissorum. Ex quibus satis manifestum existimamus, quod D. Thom. certissime stat pro nostra assertione. Idque sedulo investigare opus habuimus, quia perplexitatem non levem nobis injiciebat ipsa inter Thomistas circa istud punctum discordia. Sed ea non impedimur, ubi certi sumus de mente Magistri : anteponi quippe cunctis discipulis longo intervallo debet vel sola Angelici Præceptoris auctoritas. In eoque magis confirmamur, quod habeamus testem nulli parti addictum, et in scriptis Divi Thomæ summe doctum, ut ejus opera manifestant, nempe R. M. Prado, qui unam, et alteram partem in hac controversia problematice sustinet, ut constat ex quæst. 78, dub. 5, num. 9, ubi ait : « Valde probabile est, « quod de essentia formæ consecrationis « vini sunt omnia verba, quibus utitur « Ecclesia Romana. » Et num. 39, inquit : « Valde probabile est sola quinque priora « verba, vel eis æquivalentia esse de essen- « tia consecrationis vini. » Unde prædictum Auctorem nec allegavimus pro nostra assertione, nec referemus pro opposita. Hic ergo indifferens, et quasi anomalus testis, ubi de mente D. Thomæ circa istud punctum disquirit, hæc profert num. 71 : « Probabilius est, et magis de plano juxta « litteram D. Thomæ asserere ipsum fuisse « opinatum, quod omnia verba, quibus « utitur Romana Ecclesia, sunt de subs- « tantia, et de essentia consecrationis vini. » Quod vel solum, et ab aliis motivis præcisum nos determinat ad subscribendum. Id tamen in prædicto Auctore minime laudamus, quod cum ita senserit de mente D. Thomæ; totos nervos non intenderit in ejusdem causæ patrocinio; sed problematice se gesserit, non plus (quin et deberet totum), sententiæ Doctoris deferens. Nos vero existimamus assertionem nostram vel ob solam D. Thomæ auctoritatem præferri longe debere contrariæ. Nec fidelem erga ipsum discipulatum profiteri nos crederemus, nisi in ea propugnanda sententia, quam ejus recognoscimus, cunctis viribus non accingeremur, et pro posse certaremus.

§. III.

Principale propositæ assertionis fundamentum.

28. Cum autem in ea reversemur, quæ an isto, vel illo modo facienda sit, pendet ex voluntate Dei, et institutione Christi: (sicut enim potuit disponi, quod fieret quinque prioribus verbis, *Hic est calix sanguinis mei:* sic etiam disponi potuit, quod fieret non illis tantum verbis, sed adjunctis subsequentibus, *Novi, et æterni testamenti*, *mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*): præcipuum cujuslibet partis fundamendum ab eis præsertim capitibus desumendum est, per quæ magis nobis constet de voluntate Dei, atque institutione Christi. Et Adversarii quidem suam assertionem hac via demonstrari putant ex variis liturgiis, sive consecrandi formulis, quæ apud diversas Nationes in usu fuerunt, vel sunt. Nobis autem e contra curandum est oppositum Nota.

ostendere, et adversum stabilire fundamentum, quod simul illorum principia evertat. Desumitur autem ex D. Thoma in præs. art. 3, ubi relatis argumentis opinionis defendentis priora quinque verba sufficere simpliciter ad consecrationem calicis, subdit: « Sed contra est, quod Ecclesia ab « Apostolis instructa utitur hac forma in « consecratione vini, *nempe*, Hic est calix « sanguinis mei, novi, et æterni etc. *usque « ad ly* in remissionem peccatorum inclu« sive. »

Argumentum efficax ex D. Thoma. Quod fundamentum reducitur ad hanc formam: nam verba essentialiter requisita ad consecrationem calicis non salvantur in illis quinque prioribus, *Hic est calix sanguinis mei:* ergo verba, quæ subsequuntur usque ad ly *In remissionem peccatorum* sunt essentialiter necessaria ad calicem consecrandum. Consequentia patet tum quia Adversarii ideo negant sequentia requiri, quia putant priora sufficere. Tum quia ex suppositione, quod priora non sufficiant, non est ratio, quare subsequentium verborum aliqua requirantur, et aliqua non requirantur: ergo facta tali suppositione, omnia requiruntur vel explicite posita, vel saltem ut implicite contenta in aliis, et retinentia semper eandem sententiam, ut exponendo assertionem nostram observavimus num. 21. Antecedens autem, in quo est difficultas, ostenditur: nam quod verba sint, aut non essentialiter requisita ad consecrandum calicem, pendet ex institutione Christi: de qua nobis constare congruentiori via non valet, quam ex testimonio Evangelistarum, vel traditione Apostolorum, quæ derivatur ad nos per usum Ecclesiæ in suis Liturgiis, seu formulis consecrandi: atqui ad hæc omnia attendendo minime sufficiunt priora quinque verba; sed necessarium est alia addere: ergo verba essentialiter requisita ad consecrationem calicis minime salvantur in illis quinque prioribus. Probatur minor discurrendo per omnia principia assignata, et primo quantum ad Evangelistas: nam Mattheus 26, refert Christum dixisse: Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Marcus 14, ait: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.* Lucas 22, inquit: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effundetur.* Ostenditur etiam quantum ad traditionem Apostolorum: nam in Missa Jacobi fratris Domini, quæ habetur tom. 6 *Biblioth.* dicitur: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis, et pro multis effundetur, et datur in remissionem peccatorum.* (Missa Jacobi.) In Liturgia D. Matthæi, qua utuntur Æthiopes, dicitur: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, et pro redemptione multorum. Amen.* (Liturg. Matthæi.) In Liturgia D. Marci dicitur: *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis, et multis effundetur, et distribuitur in remissionem peccatorum.* (Liturg. Marci.) Demonstratur denique quantum ad usum Ecclesiarum, secundum institutionem antiquissimorum, et doctissimorum Sanctorum: nam in Missa Ecclesiæ Romanæ omnium magistra dicitur: *Hic est calix sanguinis mei, novi, et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* (Missa Ecclesiæ Romanæ.) De qua formula loquens Innocentius Tertius in cap. *Cum Martha de celebrat. Missarum* inquit: « Credimus igitur, quod formam « verborum, sicut in canone reperitur, et « a Christo Apostoli, et ab ipsis eorum « acceperit successores. » (Innoc. III.) Ad quod attendens D. Thomas loco cit. reverenter dixit: « Sed contra est, quod Ecclesia ab Apos« tolis instructa utitur hac forma. » (D. Tho.) In Missa S. Clementis Papæ dicitur: « Hic « est calix sanguinis mei, novi testamenti, « qui pro vobis, et pro multis effundetur « in remissionem peccatorum. » (Missa Clement.) In Liturgia D. Basilii, qua utuntur Græci dicitur: « Iste est sanguis meus ille, novi testa« menti, qui pro vobis, et pro multis effun« detur, et spargitur in expiationem cul« parum, et in remissionem peccatorum, « atque in vitam æternam. » (Liturg. Basilii.) In Missa D. Chrysostomi, qua etiam utuntur Græci, dicitur: « Hic est sanguis meus novi « testamenti, qui pro vobis, et pro multis « effusus est in remissionem peccatorum. » (Missa Chrysos.) In Missa Mozarabum, quæ creditur composita a Sancto Leandro, vel a Sancto Isidoro, dicitur: « Hic est calix novi testamenti « in meo sanguine, qui pro vobis, et pro « multis effundetur in remissionem pecca« torum. » (Missa. Mozar.) Et similiter cum modicissima varietate aliæ Missæ, et Liturgiæ recitant, si quæ aliæ sunt alicujus auctoritatis. Et hinc satis aperte constat, quod quantum de institutione Christi capere possumus vel secundum relationem Evangelistarum, vel secundum traditionem Apostolorum, vel secundum

secundum in ea fundatum usum Ecclesiarum, in consecratione calicis non sufficiunt priora illa quinque verba, *Hic est calix sanguinis mei*; sed subsequentia adhibenda sunt.

Confirmatur idem motivum. Declaratur amplius vis prædicti fundamenti: nam quæ sint, vel non sint verba essentialiter requisita pro consecrando calice, non aliunde nobis melius constare valet, quam ex doctrina Evangelistarum, et traditione Ecclesiæ conservata, et continuata in Liturgiis, quibus utitur: sed in nulla istorum recensentur sola priora quinque verba; quin potius in omnibus adduntur alia significantia sanguinem Christi, non quidem absolute, aut præcisive sumptum, sed ut effundendum pro mundi salute: ergo pro consecrando calicem non sufficiunt simpliciter illa priora quinque verba, sed alia sequentia sunt essentialiter necessaria. Declaratur ulterius: quoniam si priora illa quinque verba constituerent formam essentialem, aut essentialiter sufficientem pro consecratione calicis; ad providentiam Dei pertinebat disponere, quod in aliqua Liturgia, vel Missa probatæ auctoritatis illa præcise quinque priora verba in consecratione calicis dicerentur. Sicut quia ad consecrandum panem sufficiunt illa verba, *Hoc est corpus meum*; providit Deus ita de rebus, quod licet Apostolus 1 ad Corinth. 11, referat Dominum dixisse, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, et idem scribebat Lucas cap. 22, et Alexander papa epist. 1, cap. 4, testetur Christum prædictis verbis consecrasse: et quamvis Ecclesia Græcorum juxta suorum Patrum Liturgias eadem verba dicant, cum panem consecrant: nihilominus Ecclesia Romana id non faciat, sed præcise proferat priora illa verba, *Hoc est corpus meum*. Ex hac enim Ecclesiæ Romanæ praxi, quæ summæ auctoritatis est, sufficienter instruimur ad cognoscendum in illis tantum verbis stare simpliciter formam pro consecrando panem essentialiter requisitam: Græcos autem illa addere, non quia essentialia sint, sed ob alia motiva. At e contra videmus contingere in forma consecrationis calicis: in nulla enim vel Scriptura, vel Liturgia certæ auctoritatis reperimus, quod consecratio fiat illis solis verbis, *Hic est calix sanguinis mei*; sed potius reperimus contrarium, nempe in omnibus addi verba sequentia, significantia effusionem sanguinis Christi pro mundi remedio. Ergo non habemus fundamentum, ut dicamus priora illa verba sufficere: sed potius ut magis credamus verba sequentia esse de essentia talis formæ.

29. Sed occurrunt Adversarii multis effugiis, quæ arduum non est præcludere. Aliquorum responsio. Nam quod Durandus, et Caietanus dicunt se vidisse Missale Græcorum, in quo non erant ista verba, *Calix, Æterni, Mysterium fidei:* nihil plane refert: quia illa verba sufficienter includuntur in aliis, quæ in eadem Missali retinebantur, *Hic est sanguis meus, novi testamenti, qui pro vobis, et pro multis*, etc. Evertitur. Ut supra explicuimus numero 21, ad eum plane modum, quo pronomen Ego includitur in forma baptismi, et pœnitentiæ, cum dicitur *Baptizo te, Absolvo te*. Ex quo tamen minime sequitur, quod cum explicite adhibetur, non sit pars essentialis talis formæ, et quod simul cum aliis verbis non concurrat ad operandum effectum. Dantur enim aliqua verba formæ sacramenti essentialia: quin essentiale sit, quod explicite, et per se recitentur; sed sufficit vel ita proferri, vel includi in aliis, quæ explicite proferuntur.

Alia fuga. Quod vero idem Caietanus respondet, quod licet in omnibus Liturgiis addantur alia verba præter illa, *Hic est calix sanguis mei*, aut *Hic est sanguis meus;* nihilominus ista verba superaddita sunt diversa pro Liturgiarum diversitate, quæ varietas satis manifestat illam additionem non requiri essentialiter ad valorem; minus adhuc refert: quoniam varietas verborum formæ (licet essentialia sint), non præjudicat valori, aut identitati formali ejusdem formæ, ubi retinetur eadem sententia, Præcluditur sive idem sensus per formam significatus, ut docent communiter Theologi, et statuimus tra. præc. disp. 2, dub. 6, § 1. Unde sive aliqua verba addantur, sive subtrahantur, sive transferantur, sive transmutentur in alia; si tamen retineatur idem sensus, tenet, ac perseverat simpliciter valor tam formæ, quam sacramenti, ut facile explicari potest pluribus exemplis, quæ expendimus loco cit, § 2. Sic autem se habent omnes formæ consecrationis, quas num. præced. recensuimus, ut facile consideranti constabit: quamvis enim in aliquibus sint plura verba, et in aliquibus pauciora, et in quibusdam transponantur;

et per alia explicentur; nihilominus omnes prædictæ formæ conveniunt in habendo eandem formalem significationem, sive in retinendo eundem sensum hoc, aut illo modo expressum, nempe sanguinem esse Christi, effundendum pro mundi salute. Ex qua uniformi convenientia efficaciter concluditur, debere hanc significationem exprimi in forma calicis : quæ tamen non exprimitur illis solis verbis, *Hic est sanguis meus*. Ergo forma essentialis calicis non consistit in his tantum verbis : sed alia etiam, quæ subjunguntur, sunt prædictæ formæ essentialia.

A iud effugium. 30. Non melioris conditionis est alia responsio desumpta ex Lugone disp 11, sect. 4, nempe, quod licet in liturgiis a nobis allatis reperiantur illa subsequentia verba, quæ recensuimus : tamen in aliis liturgiis solum reperiuntur illa quinque priora verba. Unde ex prædictis hujusmodi liturgiis constat illa sufficere : et patet ad ponderationem a nobis factam, nempe quod si talia quinque verba sufficerent, providisset Deus, ut aliqua Ecclesia eisdem, et non pluribus absolveret formam consecrationis calicis. Jam enim juxta responsionem hanc id assequimur. Rem vero ita contingere declarat ille Auctor his verbis : «In aliis vero ita liturgiis «(quibus scilicet utuntur Maronitæ) « scilicet S. « Joannis Evangelistæ, Sanctorum Apostolorum, S. Eustasii, S. Joannis Patri- « archæ verba sunt » *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus* : « In liturgia S. Marci Evangelitsa : « *Corpus meum est hoc. Sanguis meus est hoc* : In liturgia S. Matthæi Pastoris : *Hoc caro mea est : Hoc sanguis meus est :* « Quas formas ex Missali manu- « scripto Maronitarum, a monte Libano « Romam misso dedit mihi perdoctus vir « Victorius Scialach, Abbas S. Gregorii, « natione Maronita, et in Urbe Roma a « multis annis linguarum publicus in- « terpres. »

Lugo.

Præcluditur. et proteritur. Hæc, inquam, responsio fundamentum a nobis positum nulla ex parte diruit : quippe quod innititur eis tantum scripturis, liturgiis, aut Missis, quæ sint certæ alicujus auctoritatis, et approbationis : quæ enim hanc non habent, sperni debent, et pro nullis reputari. Et hujusmodi sunt, quæ in loco cit. allegantur a Lugone. Primo quidem quia Petrus de Soto, Arauxo, Labat, et alii viri non minus, quam ille, docti testantur Græcos, et Maronitas eisdem in consecrando calicem verbis usos fuisse, quibus Ecclesia Romana, aut saltem æquivalentibus. Postquam autem Græci, et alii eisdem adhærentes schismatici facti sunt, sicut corruperunt plures canones Conciliorum, ut omnes Catholici recognorunt; sic etiam perverterunt non paucas liturgias. Ad quod vitium augescendum, præter malitiam schismaticorum, et hæreticorum, accessit tum ignorantia, et incuria transcribentium : tum summa temporum calamitas, Græcis, et Maronitis in Turcarum potestatem venientibus : tum distantia, et minus cum Romanis commercium : tum denique aliquorum philautia, et nimia ad proprias opiniones adfectio, qui nec hoc medium prætermittendi antiquam formam omisit, ut ostenderet priora verba sufficere. Et ab his fontibus derivatum est, quod in Missalibus Maronitarum manuscriptis ante annum 1592, reperiantur aliquæ consecrandi calicem formæ absque ultimis verbis, quibus utimur Latini, et certum est Ecclesiam Græcorum olim usam fuisse. Unde nihil firmitatis, et auctoritatis habet, quod ab hujusmodi Missalibus adeo vitiatis desumitur. Secundo, quia ut refert N. Franciscus loco cit. num. 42, doctissimi Maronitæ Romæ consulti responderunt se communiter in omnibus fere liturgiis, nempe D. Petri, duodecim Apostolorum, D. Joannis Chrysostomi, D. Cyrilli, D. Eustasii, S. Joannis Patriarchæ, Julii Pontificis Romani, et similibus, habere eandem consecrandi formam, quam latini, una, aut altera vocula transmutata, aut non explicita, sed in aliis implicite contenta. Unde Summus Pontifex jussit, quod Missalia Maronitarum manuscripta, et aliquomodo vitiata corrigerentur. Et juxta hoc mandatum Missale Maronitarum impressum Romæ fuit anno 1592, in typographia Medicæa. Quod Missale in omnibus fere liturgiis habet unam, et eandem formam consecrandi calicem. Quæ ex textu Syriaco in latinum fideliter translata sic se habet:« Hic autem est calix sanguinis mei, « testamenti novi, et æterni, mysterium « fidei, qui pro vobis, et multis effunditur « in remissionem peccatorum. » Et ad hujusmodi liturgias, certæ scilicet auctoritatis, attendi debet : non vero ad vitiatas, et apocryphas, quales sunt non paucæ

relatæ

relatæ a Lugone : istæ namque non pluris æstimari debent, quam scripturæ depravatæ per Anglos, ac similes, hæresis, et schismatis tempore. Sicut enim apud istos fuerunt multi Catholici, qui legitimas scripturas conservare curarunt ; sed fuerunt etiam plures hæretici, qui ex industria illas depravare, ad falsos scilicet detorquendo sensus, studuerunt ; sic etiam apud Maronitas montis Libani incolas fuerunt multi Catholici, sed tamen simul extiterunt plures schismatici, atque Græcorum erroribus addicti : quare cum liturgiis, et formis legitimis inveniuntur in eis codicibus manuscriptis aliæ non paucæ spuriæ, et nullius auctoritatis, nempe a schismaticis intrusæ. Et hujus generis sunt, quæ carent verbis sequentibus, et in hoc discrepant ab aliis communis, et approbatæ fidei, quales num. 28 recensuimus. Quare propositi a nobis fundamenti vires hac via evacuari non valent : sicut nec Catholicorum argumenta dilui possunt, aut debent scripturis per Anglos, similesque hæreticos depravatis.

Objectio. 31. Si quis autem contendat Maronitas consecrasse aliquando calicem illis solis verbis, *Hic calix est sanguinis Dei*, aut *Hic est sanguis meus* : absurdum autem esse, quod non consecraverint re ipsa transmutando scilicet vinum in sanguinem Christi : quia inde fieret, et adorasse, et adorandum exposuisse aliquid non dignum adoratione; et similiter non perfecisse sacrificium, cum aliis sexcentis absurdis. Respondebimus in primis Maronitas non ita de facto consecrare, sed juxta mandatum, et correctionem Summi Pontificis in forma proxime relata. Sicut olim Armeni consecrabant aliis, et aliis formulis : sed postea Eugenius Papa in Concilio Florentino illis præcepit, ut uterentur forma communi, et apud latinos usitata. Et ita de facto tam in Armenis, quam in Maronitis res se habet.

Dispellitur.

Additio. Permissa tamen contraria suppositione, quod aliquando usi fuerint in consecrando prioribus tantum quinque verbis ; respondere quis posset validum perfecisse sacramentum : non quia talis forma ex institutione Christi sit sufficiens, sed ex quadam extraordinaria dispensatione. Sicut enim Ecclesia impendit jurisdictionem his, qui operantur cum opinione probabili, aut errore communi : ita pie credi potest Deum supplere, quidquid deficit ad valorem sacramentorum in illis, qui operantur cum opinione probabili, quæ talis communiter judicatur in Ecclesia ; sicut non pauci sentiunt Deum supplere defectum intentionis in ministro, ut constat ex dictis trac. præced. disp. 7, num. 37. Sed prædicta responsione omissa (quam non probamus ob dicta loco citato) admittimus Maronitas aut saltem eorum aliquos usos aliquando fuisse illa forma, *Hic sanguis est meus* : sed consequenter dicimus illos minime perfecisse consecrationem, et sacramentum. Quod illis contigisse non reputamus absurdum. Quia licet id dicere de aliqua notabili Provincia, et undequaque catholica, non videatur conveniens dispositioni divinæ providentiæ : hanc tamen minime dedecet permittere prædictum errorem, et ejus effectus in exigua aliqua mundi parte, qualem habitant Maronitæ montis Libani, et in aliquibus ejus incolis, præsertim idiotis, et schismaticis, ut eorum non nulli erant. Idque declarari potest exemplo : nam Æthiopes hac aliquando forma usi sunt in consecrando : *Hic panis est corpus meum*, ut refert Verricelli de Missionibus tit. 15, quæst. 265, et tamen prædicta forma est simpliciter invalida, ut omnes Theologi concedunt. Sicut ergo inconveniens non est admittere, quod Æthiopes (licet catholici) in vastissimis illis regionibus non vere consecraverint : ita nec absurdum est dicere paucos aliquos Maronitas (præsertim, vel schismaticos, vel idiotas, et schismaticis mixtos) in exigua illa sui incolatus ex permissu Turcarum habitatione, similem errorem habuisse aut passos fuisse in consecrando calicem illis solis verbis, *Hic est sanguis meus*; et alia absurda hunc errorem consecuta esse

Nota.

Verricel.

Consectarium contra Adversarios. 32. Unde fit primo Adversarios, qui hoc argumentum ex Liturgiis Maronitarum, et similibus desumptum magnificare solent, nihil concludere; sed eadem etiam difficultate opprimi. Quia licet eorum sententia fit probabilis : tamen negare non possunt sententiam nostram probabilissimam esse, et magnæ auctoritatis, ut dixit Suarez relatus num. 22. Juxta quam invalida est consecratio calicis his præcise verbis concepta, *Hic est sanguis meus*. Et consequenter, qui his tantum verbis consecrare tentat, manifesto periculo se exponit non consecrandi, atque ideo, et adorandi, atque

adorandum proponendi, quod non est dignum adoratione. Et hæc omnia committebant Maronitæ, si verum est ipsos (ut Lugo, et quidam alii ponderant) in consecrando calicem illa præcise verba adhibuisse. Et consequenter illorum factum nullam potest fundare auctoritatem ; sed magis debet ut periculis expositum non probari. Præsertim cum Sanctissimus D. N. Innocentius XI, anno 1679, die 2 Martii, hanc propositionem condemnaverit : « Non est illicitum in sacramentis confe- « rendis sequi opinionem probabilem de « valore sacramenti, relicta tutiore, nisi « vetet lex, conventio, aut periculum gravis « damni incurrendi. Hinc sententia pro- « babili tantum utendum non est in colla- « tione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut « episcopalis. » Quare Maronitæ non possunt illa forma uti, nec olim licite uti potuerunt, nisi eos excusaverit ignorantia : nam ea forma utens se exponit manifesto periculo non consecrandi, et aliis inde emergentibus.

Aliæ adversus eosdem illationes. Fit secundo nostram, et D. Thomæ sententiam esse ex una parte probabilissimam speculative ; et ex alia parte tutiorem, atque omnino practicandam. Sententiam vera Adversariorum esse solum speculative, et quasi metaphysice probabilem ; sed quæ caret omni exercitio, cum ad praxim reduci nequeat ob periculum non consecrandi. Fit tertio, quæ diximus de liturgiis Maronitarum, et similibus incertæ auctoritatis, a fortiori applicanda fore cuidam liturgiæ sub nomine S. Petri, in qua pro forma calicis hæc præcise verba ponuntur, *Hic est sanguis meus :* nam talis liturgia censetur omnino apocrypha, et primo (silentibus præcedentibus sæculis) edita est a Lindano episcopo Gandavensi. Fit quarto errare illos, qui, ut insinuavimus num. 23, dicunt D. Thomam ideo docuisse assertionem nostram, quia non viderat liturgias, nec illas sibi opposuerit, aliter docturus, si eas vidisset. Decipiuntur, inquam, et deficiunt in reverentia D. Thomæ debita : tum quia in liturgiis alicujus auctoritatis nihil est, quod non faveat sententiæ S. Doctoris, ut expendimus num. 28, et has omnes ipse complexus est in liturgia, sive Missa omnium probatissima, nempe Ecclesia Romana, quam pro se merito allegavit in argmento *Sed contra.* Tum quia in aliis nihil videt ponderis, quod excludere opus habuerit. Tum denique quia aliqua præsumuntur ejus tempore non extitisse, sed postea inventæ sunt, vel ab schismaticis, vel a quibusdam partiariis, et suas promovendi opinationes studiosissimis : qui sicut in novis Patrum editionibus curarunt aliqua ex patribus resecare, et demere, suis scilicet causis minime faventia, et præsertim quasdam homilias S. Joannis Chrysostomi ; ita e converso aliqua liturgiis addere curarunt, quæ suis studiis magis suffragari possent.

§ IV.

Major præjacti fundamenti confirmatio.

33. Propositum autem ab auctoritate, atque usu Ecclesiæ fundamentum magis roborat D. Thomas in corp. art. 3, his verbis : « Sunt alii, qui melius dicunt, « quod omnia sequentia sunt de substantia « formæ usque ad hoc, quod postea sequi- « tur, Hæc quotiescumque feceritis, quod « pertinet ad usum hujus sacramenti, unde « non est de substantia formæ. Et inde est, « quod sacerdos eodem ritu, et modo, sci- « licet tenendo calicem in manibus omnia « hæc verba profert. » Quod motivum potest ad hanc formam reduci : nam si in his tantum verbis, *Hic est calix sanguinis mei* consisteret essentialiter forma consecrationis ; deberet sacerdos non proferre eodem ritu, et modo verba sequentia, *Novi, et æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* : sed consequens est falsum utpote contra praxim, et præceptum Ecclesiæ catholicæ in Missali Romano : ergo essentialis forma ad consecrandum calicem non consistit in solis illis quinque prioribus verbis, sed complectitur etiam omnia subsequentia proxime relata. Minor, et consequentia patent. Major autem, sive sequela suadetur: tum quia cum sacerdos eodem ritu, et modo profert verba priora, et verba subsequentia , repræsentat omnibus illis verbis calicem consecrari : quod falsum esset, atque occasionem errandi fidelibus præberet, si res aliter se haberet, et calicis consecratio solis prioribus verbis perficeretur : ergo si res ita se haberet, sacerdos deberet non eodem ritu, et modo proferre verba priora, et sequentia. Tum etiam nam ideo sacerdos prolatis super panem his verbis :

Ratio ex D. Tho.

verbis : *Hoc est corpus meum*, statim sacramentum adorat, et adorandum proponit, quia illis tantum verbis fit consecratio, et transubstantiatur panis in corpus Christi : et aliter se gerendo, videlicet proferendo eodem modo, et ritu verba sequentia, non recte faceret : ergo pariter, si consecratio vini fit his tantum verbis, *Hic est calix sanguinis mei*, non deberet sacerdos eodem ritu , et modo sequentia verba super calicen proferre. Confirmatur : quia ut experientia liquet, nec sacerdos genuflectit coram calice , nec sacramentum sanguinis Christi adorat, nec populus ad ejus adorationem pulsatione campanulæ excitatur , quandiu durat prolatio subsequentium verborum, sed eis denique prolatis ; et quod hæc ita fiant, præcipiunt Rubricæ Missalis: ergo signum est consecrationem calicis non perfici prioribus tantum verbis ; sed posteriora etiam essentialiter complecti.

Fulcitur.

Aliquorum responsio.

34. Huic motivo duplici via occurrunt Adversarii : nam qui censentur extra scholam D. Thomæ (suffragantibus etiam Cajetano, et paucis Thomistis) dicunt sequentia verba essse omnino accidentalia consecrationi ; et consequenter concedunt consecrationem calicis simpliciter perfici in ultima syllaba istorum verborum : *Hic est calix sanguinis mei.* Dicunt tamen addi sequentia verba tum ad imitandum factum Christi, qui prioribus sequentia verba adjunxit : tum ex præcepto, quod aliqui dicunt esse de jure divino, alii autem ex solo jure Ecclesiastico.

Corruit.

Istorum tamen responsio minime satisfacit, sed impugnationes a nobis proxime factas in suo robore relinquit : quia si semel verba sequentia sunt accidentalia formæ ; tota forma simpliciter perficietur dicendo, *Hic est calix sanguinis mei*, ut ipsi admittunt. Quo concesso, infertur vanum, et quodammodo superstitiosum esse, quod sacerdos dicat sequentia verba eodem ritu, atque modo, nempe tenendo calicem in manibus, et demonstrando sensibiliter vinum : hinc enim occasionem dat, ut existimemus sanguinem Christi ibi non adesse usque ad ultimorum verborum prolationem : quod juxta illos est falsum : atque ideo ex vi illius modi agendi induceremur ad falsum judicium. Deinde non adorando sacramentum sanguinis, usque ad completam omnium verborum probationem, satis indicat antecedenter ad illam non adesse ibi sanguinem Christi : quod etiam juxta illos est falsum, et fundat idem inconveniens. Quare irrationabile foret subsequentia verba adeo immediate, et sub eodem ritu, et modo addere, si antecedenter ad illa Christi sanguis ibidem adesset. Quod autem dicitur hanc additionem fieri ad imitandum factum Christi, nihil valet : tum quia in modo celebrandi non imitamur omnia, quæ Christus primo celebrando gessit : alias non nisi post cœnam deberemus hoc sacramentum conficere. Tum quia Christus in consecratione panis dixit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* : et nihilominus, quia ultima verba sunt accidentalia consecrationi, tantum abest, quod dicantur eodem ritu, et modo, quod potius non dicuntur, ut constat ex praxi Ecclesiæ Latinæ ; unde satis evidenter nobis constat talia verba non pertinere ad essentialem formam consecrandi panem : ergo quamvis Christus consecrans calicem omnia illa verba dixerit ; si tamen posteriora non essent de essentia formæ ; non oporteret illa subjungere, sed magis omittere ad manifestandum sufficientiam priorum : et multo minus oporteret illa dicere eodem ritu, et modo, juxta quem omnes communiter fideles inducuntur ad credendum non adesse ibi sanguinem Christi, priusquam illa omnia dicantur eodem ritu.

Continuatur impugnatio.

Quod præterea addunt prædicta quidem verba recitari a sacerdote ex præcepto ; verum quidem est, et quod sacerdos committeret mortale sacrilegium illa omittendo. Hoc tamen nihil refert ad illorum patrocinium, sed magis promovet, ac fulcit doctrinam nostram. Nam tale præceptum in primis nequit esse divinum ex suppositione, quod prædicta verba sint mere accidentia formæ consecrationis. Hoc enim supposito, nequit fundari nisi in solo facto Christi Domini, et imitatione illius : cum aliunde tale præceptum non occurrat propositum in ulla scriptura canonica. Porro quæ Christus consecrans in cœna gessit, non inducunt generaliter præceptum : alias obligaremur celebrare hoc sacramentum cœnantes , et recumbentes ; quod est ridiculum. Ergo si subsequentia verba non sunt de essentia formæ, non obligamur jure divino illa præcedentibus annectere : et e converso si jure divino ad id obligamur ; ideo est, quia talia verba

pertinent ad essentiam formæ, ut nos affirmamus. Deinde facta tali suppositione, quod prædicta verba non sint formæ essentialia, nequit dici tale præceptum esse Ecclesiasticum : quia in ea hypothesi non posset Ecclesia præcipere, quod prædicta verba eodem ritu, et modo super calicem recitentur : quippe hujusmodi ritus in circumstantiis, quibus fit apertissime repræsentat, et ad credendum inducit, quod sanguis Christi ibi non adsit usque ad ultimi verbi prolationem : id autem est falsum juxta adversarios : atque ideo præcepto Ecclesiæ induceremur ad falsam existimationem in re adeo gravi, et ad subtrahendum adorationem debitam Christo præsenti, ut Adversarii volunt, antecedenter ad prolationem subsequentium verborum: quæ omnia sunt absurdissima, et sustineri non possunt. Fateri itaque opus habemus, quod si adest præceptum Ecclesiæ subjungendi eodem ritu sequentia verba (quod *ex rubricis Missalis*, et ex cap. *cum Martha de celebratione Missarum*, et ex Eugenio Papa *in instructione Armenorum*) ideo est, quia talia verba sunt de essentia formæ, ita quod Christus, nec sit præsens, nec est prout in sacramento adorandus, antequam proferantur omnia illa verba, quibus utitur Ecclesia in consecratione vini. Et sic procedit, persistitque fundamentum desumptum ex ritu consecrandi, in Ecclesia Romana usitato.

Aliorum responsio. 35. Propter hæc aliter respondent Soto, et communiter illi Thomistæ, qui nobis in hac causa repugnant, nempe verba illa, quæ quinque prioribus adduntur, non esse quidem essentialiter requisita ; sed tamen non propterea esse mere accidentalia, sed magis substantialia, et de substantiali integritate consecrationis. Unde quamvis ubi proferuntur hæc sola verba, *Hic est calix sanguinis mei*, salvetur essentia formæ consecrationis vini, et perficiatur simpliciter consecratio : nihilominus ubi addantur alia verba, *Novi, et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, hæc etiam pertinent ad integritatem talis formæ, et simul cum præcedentibus operantur transubstantiationis effectum. Unde merito talia verba proferuntur a sacerdote eodem ritu, et modo : vitaturque inconveniens a nobis objectum tum falsæ existimationis circa efficaciam prædictorum verborum, tum injustæ suspensionis in adorando sanguinem Christi, si adesset ibidem ante ultima verba. Nam juxta hanc responsionem, et prædicta verba simul cum præcedentibus operantur transubstantiationem, et sanguis Christi non ponitur sub speciebus vini, antequam proferantur, ubi proferuntur. In cujus doctrinæ confirmationem plura solent expendi exempla, tam in naturalibus, quam in moralibus : nam animal produceretur posita materia, et forma essentiali, licet deficerent digiti ; at ubi animal cum digitis producitur, totum fit eadem actione. In sacramento etiam pœnitentiæ salvatur ejus essentia, licet satisfactio non concurrat, quæ proinde non dicitur pars essentialis : cæterum ubi satisfactio concurrit, influit in peculiarem effectum sacramenti pœnitentiæ : et ideo appellatur pars integralis illius, et pertinet ad ejus substantiam. Et in hac etiam materia ultima syllaba formæ essentialis, v. g. *Hoc est corpus meum*, non est indivisibilis, sed habet prolationem successivam constantem ex pluribus partibus, in quibus proferendis potest sacerdos magis, aut minus immorari ; et licet aliquæ deficerent, adhuc teneret consecratio : cæterum prolatio illius ultimæ syllabæ, quoquo modo fiat, pertinet ad formam sacramenti, et concurrit ad operandum transubstantiationem. Ad hunc ergo modum licet consecratio vini possit simpliciter fieri his solis verbis, *Hic est calix sanguinis mei* : nihilominus ubi alia verba adjunguntur, hæc etiam tanquam partes integrales pertinent ad substantiam prædictæ formæ, et simul operantur eundem effectum : atque ideo vitantur illa inconvenientia, quæ opposuimus. Ita respondent prædicti Thomistæ, consentientibus Salmeron, Henriquez, Pensantio, Lugone, et aliis apud Pradum loco supra cit. num. 42.

36. Sed non satisfacit prædicta responsio : quia licet illa doctrina de distinctione inter partes essentiales, et partes substantiales sit alias vera, et aliis rebus adaptari possit ; nihilominus in præsenti, quam versamus, difficultate, locum non habet. Impugnatur. Pro quo nota primo, quod in aliis rebus datur latitudo, et divisibilitas, vel secundum diversas partes, vel saltem secundum diversos rei gradus : unde fieri valet, quod effectus secundum unam partem, aut gradum correspondeat suo principio essentiali, et secundum

secundum aliam partem, aut gradum correspondeat principio præcise integranti. Sicut videmus in sacramento pœnitentiæ partes essentiales, nempe dolorem, confessionem, et absolutionem causare primam gratiam remittentem peccata; partem vero integralem, nempe satisfactionem, non producere prædictam gratiam, sed alium effectum, videlicet remissionem pœnæ temporalis, auxilia ad conservandum gratiam, vel aliquod ejusdem gratiæ augmentum, juxta varias sententias, quæ occurrunt in explicando satisfactionis sacramentalis effectum, ut videri potest apud N. Francisc. tract. 6, cap. 10, punct. 1, et Gonet tract. 5, disp. 13, art. 3. Hæc autem distinctio ex parte effectus non habet locum in præsenti materia : nam effectus transubstantiationis est constituere indivisibiliter Christum sub speciebus : quod indivisibiliter fit, et in indivisibili instanti terminativo verborum formæ, ut constat ex dictis disp. 6, dub. 3, et 4, et tract. præced. disp. 4, dub. 5. Nota secundo, quod licet minister conficiens sacramenta possit applicare, aut non applicare materiam, et formam illorum, et prædicto modo non impedire, aut impedire tam sacramentorum valorem quam eorum effectum ; nihilominus ex suppositione, quod applicet materiam, et formam cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia ; manet impotens impotentia consequenti ad impediendum eorum valorem, et effectum. Tum quia cum sacramenta consistant in materia, et forma connotando legitimam intentionem ministri ; implicatorium est, quod hæc omnia adsint, et quod non perficiatur simpliciter sacramentum : sicut implicat adesse cuncta, ex quibus essentialiter constituitur homo, et hominem non existere. Tum etiam quia ad ministrum solum pertinet prædicta applicare, sive exhibere : quod autem cætera consequantur pertinentia tam ad valorem, quam ad effectum, provenit ex divina dispositione, et virtute. Tum denique quia sacramenta semel posita influunt tanquam causæ naturales : atque ideo causant, quod possunt, et quantum possunt, nihil jam impediente intentione ministri.

N. Fran. Gonet.

Formatur impugnatio.

Hinc ergo evertitur prædicta responsio : nam si forma consecrationis consistit essentialiter in his solis verbis, *Hic est calix sanguinis mei* ; necessario, et consequenter dicendum est quod ubi prædicta verba proferuntur a sacerdote supra materiam aptam, et cum debita intentione, statim adsunt omnia, quæ constituunt sanguinem Christi sub speciebus : ergo sequentia verba : *Novi, et æterni testamenti, qui pro vobis* etc. nihil operantur in transubstantiatione : atque ideo nequeunt dici partes substantialiter integrantes prædictam formam. Antecedens constat ex secundo notabili : quia ubi primo concurrunt omnia essentialia ad aliquod sacramentum, perficitur sacramentum. Prima vero consequentia patet ex primo: quia effectus transubstantiationis ponitur indivisibiliter: atque ideo ex vi priorum verborum constituetur Christus sub speciebus, et sequentia verba nihil ad hunc effectum operabuntur. Unde etiam patet secunda: quia substantiales sacramenti partes habent aliquem sacramentalem effectum : ergo vice versa ea, quæ nihil ejusmodi operantur, nequeunt dici partes substantiales.

Repelluntur exempla contraria.

37. Exempla autem, quibus prædicta responsio declarabatur, non prosunt : vel quia non admittuntur, vel quia habent rationes diversas. Unde primum excluditur assignando disparitatem : nam animal, sive consideretur ut causa : sive ut effectus, habet latitudinem, et divisibilitatem : atque ideo si animal inveniatur sine digitis, non impeditur simpliciter influere ; sed tamen ubi habet digitos, hi etiam concurrunt cum animali : et similiter potest animal produci sine digitis, at ubi producitur cum digitis, isti simul cum animali terminant eandem actionem. Cæterum sanguis Christi prout in sacramento est effectus indivisibilis, et indivisibiliter constituendus ; e converso autem ex parte verborum formæ datur latitudo, et divisibilitas ; atque ideo ex suppositione, quod producatur per verba essentialia (ut necessario produci debet ex suppositione, quod priora verba sint essentialiter tota forma) nihil relinquitur, quod sit terminus subsequentium verborum, quæ dicuntur partes ejusdem formæ substantiales, aut integrales. Secundum etiam excluditur : quoniam in effectu sacramenti pœnitentiæ datur latitudo : importat enim primam gratiam, et insuper remissionem pœnæ temporalis, auxilia, et gratiæ augmentum : unde licet sacramentalis satisfactio non concurrat ad primarium sacramenti effectum, qui est gratia, potest tamen concurrere ad alios effectus : atque ideo est pars prædicti sacra-

menti, non quidem essentialis, sed substantialis, et integralis. Id autem locum non habet in præsenti materia : nam effectus formæ sacramentalis, et transubstantiationis est Christus ut constituendus sub speciebus ; qui indivisibiliter constituitur : unde ex suppositione, quod constituatur per verba priora, et apud Adversarios simpliciter sufficientia, constitui non valet per verba, quæ subsequuntur : atque ideo ista nequeunt pertinere ad sacramenti formam vel essentialiter, vel substantialiter. Ultimum denique exemplum non admittitur : nam ex suppositione, quod ultima syllaba sit sufficienter prolata, perficitur simpliciter sacramentum ; et subsequens, aut continua ejusdem syllabæ prolatio nihil operatur : alias inferretur eum, qui ex industria ultimam syllabam hujus formæ *Hoc est corpus meum* protraheret per notabile spatium, utputa per quartam horæ partem, non perficere sacramentum, nec corpus Christi sub eo constitueret, nisi in fine talis temporis : quod est absurdum, et ridiculum. Unde prædictum exemplum impugnationem a nobis factam magis confirmat. Et hinc etiam incidenter excluditur aliud exemplum, quo Adversarii illam suam responsionem declarare solent, nempe baptismi, qui fieri simpliciter valet una immersione ; et tamen ubi tribus fit, omnes immersiones ad effectum baptismi concurrunt, et comparantur ut partes integrantes eandem essentialiter materiam proximam, Patet, inquam, ad hoc exemplum : nam si minister, cum prima vice immergit, dicat omnia verba essentialia formæ, perficitur simpliciter sacramentum, et subsequentes immersiones nihil operantur : quia antecedenter ad illas concurrerunt omnia essentialiter requisita ad baptismi valorem, et effectum. Quod magis doctrinam nostram confirmat, ut facile consideranti constabit. Sed ut baptismus fiat trina immersione, ultima etiam cum aliis concurrente, debet verborum prolatio fieri in ultima immersione ; vel ita simul successive cum immersionibus fieri, ut cum ultima simul moraliter terminetur, atque concurrat. Id autem locum non habet in nostro casu, ubi supponitur omnia verba essentialia dici supra materiam aptam, et deinde succedere alia verba subsequentia.

Nota.

38. Refellitur secundo eadem responsio manifestando amplius minorem Adversariorum consequentiam : nam ipsi communiter probant hæc sola verba, *Hic est calix sanguinis mei* esse formam essentialiter, et simpliciter sufficientem ad transubstantiandum vinum in sanguinem Christi, quia talia verba significant sufficienter prædictam transubstantiationem, sive conversionem : atque ideo debent illam efficere. Cum enim sacramentorum verba, seu formæ significando causent ; oportet efficientiam significationi commensurari. Ergo cum subsequentia verba, *Novi, et æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis, etc.*, non significent eam conversionem, sed supponant eam adæquate significatam per verba præcedentia, ut Adversarii discurrunt : sequitur subsequentia verba nihil operari ad prædictam transubstantiationem, sed illam supponere per verba anteriora factam. Qua ergo consequentia dicunt conversionem usque ad ultima verba, ubi proferuntur? Et qua proprietate salvant talia ultima verba esse partes formæ, licet non essentiales, tamen substantiales, et integrales?

Alia ejusdem responsionis confutatio.

Declaratur amplius prædicta inconsequentia, et insufficientia in diluendo inconveniens a nobis objectum : quia in forma consecrationis calicis illa verba v. g. *Qui pro vobis effundetur*, etc., etc., eodem modo comparantur ad præcedentia, *Hic est calix sanguinis mei* : sicut in forma consecrationis panis illa verba, *Quod pro vobis tradetur*, comparantur ad præcedentia, *Hoc est corpus meum*. Opinantur enim Adversarii, quod sicut ista, *Hoc est corpus meum* sunt essentialis forma ad consecrandum panem ; sic illa, *Hic est calix sanguinis mei* sunt essentialis forma ad consecrandum vinum. Atqui per verba, *Hoc est corpus meum* ponitur corpus Christi sub speciebus panis, subsequentibus verbis, *Quod pro vobis tradetur*, nihil ad hunc effectum cooperantibus. Ergo pariter per verba *Hic est calix sanguinis mei* constituitur Christi sanguis sub speciebus vini, subsequentibus verbis, *Qui pro vobis effundetur* nihil influentibus in prædictum effectum. Ergo sicut Adversarii dicunt formam consecrationis panis ita salvari in his verbis, *Hoc est corpus meum*, quod alia verba his addita non sunt de essentia, nec de substantia talis consecrationis, nec cooperantur ad ejus effectum : ita dicere debent formam consecrationis calicis ita salvari essentialiter in his verbis

Augetur eversio.

bis, *Hic est calix sanguinis mei*, quod cætera verba subsequentia non sunt de essentia, nec de substantia talis consecrationis, nec concurrunt ad effectum illius. Unde licet videantur dissentire ab Auctoribus primæ responsionis : solis tamen verbis dissentiunt, et re conveniunt, nisi inconsequenter agant. Quare in idem recidunt inconveniens, nempe sanguinem Christi constitui sub speciebus vini, ubi primo finiuntur hæc verba, *Hic est calix sanguinis mei*, et antecedenter ad verba subsequentia : et consequenter vanum, ac superstitiosum apparere, quod sequentia verba eodem prorsus modo, et ritu dicantur, tenendo uniformiter calicem in manibus, et non exhibendo reverentiam,quousque omnia verba finiantur. Quod cum absurdum sit dicere, et opponatur communi ritui Romanæ Ecclesiæ; oportet vice versa oppositum dicere, nempe omnia illa verba esse essentialia consecrationi calicis, et influere sicut et priora in transubstantiationem. Vel si Adversarii negant similitudinem, dicant, qua ratione Romana Ecclesia in consecratione panis non dicat illa verba. *Quod pro vobis tradetur* : et in consecratione vini dicat illa verba, *Novi, et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis,et pro multis effundetur in remissionem peccatorum?* Et qua re non defert sanguinis sacramento adorationem, priusquam hæc omnia verba finiantur ?

Objectio. 39. Nec refert, si opponas eadem inconvenientia sequi ex nostra sententia, et eisdem interrogationibus debere nos satisfacere. Nam concedimus non esse de essentia prædictæ formæ, quod aliqua verba in ea expresse recitentur, v. g. *æterni testamenti, et mysterium fidei*, et *pro multis* : et tamen quando hæc verba explicite recitantur, affirmamus talia verba esse partes formæ essentialis, et influere cum aliis verbis in eundem effectum. Idem ergo Adversarii dicere possunt de omnibus subsequentibus verbis; quamvis affirment non esse de essentia, sed de sola substantiali integritate consecrationis.

Corruit Id, inquam, non refert, sed dispellitur manifesta disparitate : nam modus, quo nos propriam assertionem explicamus, et tuemur, distat toto cœlo ab Adversariorum sententia, ejusque juxta solutionem secundam expositione. Nos enim supponimus certissimum principium, et tam illis, quam nobis commune, nempe variationem, transpositionem, aut ablationem etiam aliquorum verborum formæ non officere ipsius valori, atque essentiali integritati, quandiu retinetur eadem formalis significatio, sive idem objective sensus, qui verbis exprimitur. Et quia in forma consueta consecrationis calicis dantur aliqua verba, quæ possunt suppleri per alia, integra permanente totius consecrationis significatione; merito affirmamus non esse essentiale tali consecrationi, seu formæ, quod omnia verba, quæ habet, explicite recitentur; sed sufficere, quod in aliis implicite contineantur. Cæterum ubi expresse referuntur, continent etiam eandem significationem, et componunt totam formam : atque concurrunt cum aliis ad hujus effectum. Quod declaratur vulgari exemplo formæ sacramenti pœnitentiæ, quæ his verbis concipitur : *Ego te absolvo a peccatis tuis* : quæ omnia sunt essentialia. Et tamen in rigore pro integritate substantiali talis formæ sufficeret, quod sacerdos auditis peccatis diceret pœnitenti, *Absolvo te* : quia retineretur eadem formalis significatio : quippe ly *Ego* includeretur in verbo *Absolvo* : et ly *A peccatis tuis*, contineretur, attentis circumstantiis, in *Absolvo te* : at ubi omnia recitantur explicite, omnia componunt eandem sententiam, et operantur effectum absolutionis. Hæc autem doctrina nec apparenter adaptari valet Adversariorum sententiæ, et secundæ illius explicationi : nam affirmant ex tota ista periodo, *Hic est calix sanguinis mei, novi, et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, sola priora quinque verba esse de essentia formæ consecrationis, ita quod si sola illa recitentur, perficitur consecratio. Et tamen certum est priora illa quinque verba nec explicite, nec implicite continere omnia verba subsequentia, nec significare eundem sensum objectivum : quia priora solum significant conversionem vini in sanguinem Christi absolute sumptum ; sequentia vero significant sanguinem Christi pro mundi salute fusum, aut fundendum : qui sunt conceptus valde diversi. Quare si de essentia formæ consecrationis vini non sunt verba subsequentia ut explicite relata, nec esse possunt ut implicite in prioribus contenta (quin et negatur suppositum, quod ita contineantur) :

sed sunt simpliciter, et omnibus modis extra essentiam talis formæ. Unde quod explicite recitentur, et prioribus addantur, nihil confert ad hoc, quod sint partes vel essentiales, vel substantiales consecrationis; et similiter ad hoc, ut influant in consecrationis effectum. Sed perinde in ordine ad istas rationes se habent, ac si nullo modo ibi adessent, ut magis consequenter (licet absolute falso) docent Auctores nu. 34 relati.

§ V.

Congruentiæ ratio pro nostra assertione.

40. Cum ista, aut illa verba pertinere ad essentialem formam consecrationis, non fundetur necessario in aliqua ratione, sed in libera voluntate Dei ita, vel aliter disponentis; nequit legitima in hac causa resolutio inniti principaliter rationi : sed solidum ejus fundamentum in his stare debet, per quæ Dei voluntas nobis revelatur, ut vere sunt doctrina, et traditio Ecclesiæ. Quare ab his capitibus assertionem nostram præcipue stabilire in superioribus studuimus. Sed tamen non oportet omittere aliquam congruentem ejus dispositionis rationem : et optimam a D. Thoma (a quo et omnia) haurimus in præs. art. 3, ubi ait : « Dicendum est ergo, quod omnia « prædicta verba sunt de substantia formæ. « Sed per prima verba, cum dicitur, Hic « est calix sanguinis mei, significatur ipsa « conversio vini in sanguinem eo modo, « quo dictum est in forma consecrationis « panis. Per verba autem sequentia desi- « gnatur virtus sanguinis effusi in passione, « quæ operatur in hoc sacramento. Quæ « quidem ad tria ordinatur. Primo qui- « dem, et principaliter ad adipiscendum « æternam hæreditatem secundum illud ad « Hebr. 10: Habemus fiduciam in introitu « sanctorum in sanguine Christi. Et ad « hoc designandum dicitur, Novi, et æterni « testamenti. Secundo ad justitiam gratiæ, « quæ est per fidem, secundum illud ad « Rom. 3: Quem proposuit Deus propitia- « torem per fidem in sanguine ipsius, ut « sit ipse justus, et justificans eum, qui ex « fide est Jesu Christi. Et quantum ad hoc « subditur : Mysterium fidei. Tertio autem « ad removendum impedimenta utrius- « que prædictorum, scilicet peccata, secun- « dum illud ad Hebr. 9 : Sanguis Christi « emundabit conscientiam nostram ab « operibus mortuis, id est, a peccatis. Et « quantum ad hoc subditur: Qui pro vobis, « et pro multis effundetur in remissionem « peccatorum. » Hæc S. Doctor, quæ possunt ad sequentem formam reduci : nam oportebat in forma essentiali Eucharistiæ fieri mentionem passionis Christi, et effectuum ejus, nempe nostræ redemptionis, et salutis : sed hæc repræsentatio fit illis verbis, quibus consecrantes calicem utimur, *Novi, et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, ut optime declarat D. Thom. loco immediate relato : ergo talia verba pertinent ad essentialem formam Eucharistiæ. Cætera constant. Et major suadetur : nam cum sacramenta novæ legis sint quædam signa, quibus protestamur, et significamus bona spiritualia nobis a Deo per Christum communicata ; conveniens fuit institui aliquod sacramentum, in cujus essentiali forma significaretur passio Christi, et virtus ejus in ordine ad nostram salutem, et redemptionem : hoc autem est sacramentum Eucharistiæ : tum quia ex parte rei oblatæ est ipsummet sacrificium crucis : tum quia Christus illud instituens præcepit Apostolis, ut illud conficerent in ejus recordationem : ergo oportebat, quod in forma essentiali Eucharistiæ fieret mentio, sive expressio passionis Christi, et effectuum redemptionis, et salutis, quos derivavit ad nos. Quare sicut simili discursu solet probari hæc verba, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* esse essentialia in forma baptismi, quia videlicet oportebat institui aliquod sacramentum, in quo protestaremur fidem Trinitatis divinarum personarum, ut sic ingrederemur Ecclesiam : ita etiam suadetur verba relata esse de essentiali forma Eucharistiæ, quia nimirum oportebat institui aliquod sacramentum, in quo fieret expressa recordatio passionis Christi ; et hoc sacramentum est Eucharistia, ut patet ex tempore, et circumstantiis, in quibus Christus illud sacravit, et ex verbis, quibus illud celebrandum præcepit.

Congruentia assignata a D. Thoma.

Formatur.

41. Nec valet dicere hanc passionis Christi, et fructuum ejus repræsentationem sufficienter exprimi consecrando seorsim panem, et vinum, et constituendo ex vi verborum sub speciebus panis solum corpus,

Evasio.

pus, et sub speciebus vini solum sanguinem Christi : nam his ita dispositis, et aliis præcisis, sufficienter mystice significatur separatio sanguinis a corpore Christi, quæ contigit in passione. Id, inquam, non satisfacit : nam generaliter loquendo significatio per verba est perfectior, quam significatio per solas res : ex ideo in sacramentis perfectis (ut sunt sacramenta legis gratiæ) oportuit significationem fieri non solis rebus, sed etiam verbis ; et quod imperfecta illarum significatio determinetur per magis perfectam istorum significationem : unde provenit, quod res in nostris sacramentis habeant rationem materiæ, et verba comparentur per modum formæ, ut explicuimus Tractatu præcedenti disputatione 2, dub. 2. Ergo quamvis passio Christi posset utcumque, et imperfecte significari per conversionem panis in corpus, et per conversionem vini in sanguinem Christi ; nihilominus oportuit, ut hæc imperfecta significatio determinaretur, et compleretur per expressam significationem verborum, quæ recenserent passionem Christi, et fructus inde in nos provenientes, ut sunt illa, quæ calicem consecrando proferimus : aliter enim illorum symbolorum significatio obscura nimis foret, et imperfecta relinqueretur. Quod magis declaratur exemplo baptismi proxime inducto : nam licet ablutio exterior posset seorsim a verbis significare interiorem ablutionem, sive renovationem per gratiam: nihilominus convenientissimum fuit, quod in ipsa essentiali forma prædicta significatio exprimeretur per verbum *Ego te baptizo*, vel abluo, ut scilicet id ipsum, quod re, vel actione obscure significatur, magis explicetur per verbum. Sic igitur oportuit, quod significatio sacramentalis passionis Christi, et fructuum ejus fieret in sacramento Eucharistiæ (ad quod specialiter pertinet) non solum per res, sive symbola panis et vini seorsim consecratorum ; sed etiam per verba, in quibus essentialis ejus forma consistit. Et talis repræsentatio fieri non valet, nisi prædicando de sanguine Christi sequentia, aut æquivalentia verba : *Novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Præcluditur.

Objectio

42. Sed oppones præmissum discursum æqualiter applicari posse formæ consecrationis panis ; siquidem illa etiam species pertinet ad repræsentationem passionis Christi : atque ideo essentialis forma ad consecrandum panem consistet non solum in illis verbis, *Hoc est corpus meum*, sed complectetur etiam sequentia, *Quod pro vobis tradetur*. Consequens autem est falsum, ut constat ex supra dictis § 1. Ergo sicut prædictus discursus non probat applicatus formæ consecrationis panis, ita nec probat applicatus formæ consecrationis vini.

Diluitur

Respondetur veritatem a nobis assertam, cum dependeat ex libera Dei voluntate, non fundari principaliter in præmisso discursu, sed in aliis motivis supra propositis, ex quibus satis efficaciter colligitur Deum disposuissse, quod illa verba, *Quod pro vobis tradetur*, non sint de essentia consecrationis panis ; unde omittuntur juxta communem usum Ecclesiæ Catholicæ : illa autem, de quibus agimus, pertineant ad essentialem formam consecrationis vini ; quocirca communiter recitantur juxta usum omnium Ecclesiarum, ut ostendimus § 3 et quidem eodem ritu cum præcedentibus, ut expendimus § 5. Porro hujus disparis dispositionis, et providentiæ congrua ratio est, quod in forma adæquata hujus sacramenti debet significari passio Christi ut causa nostræ salutis. Et quia species sanguinis Christi aptior est ad repræsentandum Christi passionem, quam species corporis ejus ; ideo oportuit, quod verba, quibus consecratur sanguis, significarent passionem Christi ut nostræ salutis causam ; et non oportuit eandem repræsentationem fieri per verba, quibus corpus consecratur. Aptiorem vero esse ad prædictum effectum speciem sanguinis, recte declarat, et probat D. Thom. eodem loc. in resp. ad 2, his verbis : « Dicendum, quod « quia sanguis seorsum consecratus ex« presse passionem Christi repræsentat, « ideo potius in consecratione sanguinis « fit mentio de effectu passionis, quam in « consecratione corporis, quod est passionis « subjectum. Quod etiam designatur in eo « quod Dominus dicit : *Quod pro vobis tra« detur*, quasi diceret, Quod pro vobis pas« sioni subjicietur. » Et ad 7, addit : « Di« cendum, quod sicut dictum est, sanguis « seorsum consecratus a corpore expressius « repræsentat passionem Christi. Et ideo « potius in consecratione sanguinis fit « mentio de passione Christi, et fructu « ipsius, quam in consecratione corporis. »

D. Tho.

Et quæst. 76, artic. 2 ad 1, jam præmiserat : « Dicendum, quod quamvis totus « Christus sit sub utraque specie, non ta« men frustra. Nam primo quidem hoc « valet ad repræsentandam passionem « Christi, in qua seorsum fuit sanguis a « corpore separatus. Unde et in forma con« secrationis sanguinis fit mentio de ejus « effusione. » Hac itaque de causa oportuit repræsentationem passionis Christi, et fructuum ejus, quæ in hoc sacramento fieri debet, significari potius in verbis consecrantibus sanguinem, quam in verbis consecrantibus corpus. Unde ad formam essentialem consecrationis corporis non pertinent illa verba, *Quod pro vobis tradetur :* sed ad formam essentialem consecrationis sanguinis pertinent illa, *Qui pro vobis effundetur. etc.* Et utrumque optime suadet D. Thomæ discursus, supposita institutione divina, quæ per alia media innotescit.

Replica. 43. Insistes tamen : quia illa verba, *Qui pro vobis effundetur* etc. significant effectum sanguinis Christi, et sacramenti sanguinis: sed effectus non est de essentia sacramenti, ut ex se liquet ; ergo nec verba, quibus talis effectus significatur, sunt de essentia formæ sacramenti. Et confirmatur : quia prædicta verba cum illis, *Novi et æterni testamenti, mysterium fidei* significant aliquas proprietates sanguinis Christi in passione effusi : sed proprietates supponunt, et consequuntur essentiam rei : ergo talia verba supponunt transubstantiationem vini in sanguinem Christi : atque ideo nequeunt pertinere ad essentialem formam, qua transubstantiatio hujusmodi fit.

Confirmatio.

Dissolvuntur. Ad replicam respondetur omittendo præmissas, et negando consequentiam : nam licet sacramenti effectus extrinsece se habeat ad ipsum sacramentum ; nihilominus virtus causativa effectus, et significatio ipsius ad sacramentum intrinsece pertinent. Et ita comparantur ad sacramentum Eucharistiæ virtus, et effectus passionis Christi, quæ in sanguine seorsim consecrato repræsentantur. Unde oportuit hæc in forma consecrationis sanguinis expresse recenseri. Et verba, quæ hoc significant, pertinent essentialiter ad formam consecrationis talis speciei, ob ea, quæ supra diximus.

D. Tho. Confirmationem diluit optime, et eodem fere modo D. Thom. loc. cit. n. 25, quem hic repetere oportet : « Ad tertium, *inquit*, « dicendum, quod licet illa, quæ sequun« tur, sint ut proprietates consequentes « Christi sanguinem, in quantum hujus« modi : sunt tamen essentiales sanguini « Christi, in quantum est per passionem « effusus. Non autem seorsum a corpore « consecratur sanguis Christi, sicut neque « aliæ partes ejus, nisi pro eo, quod est in « passione effusus. Et ideo illa, quæ se« quuntur, sunt essentialia sanguini, prout « in hoc sacramento consecratur. Et ideo « oportet, quod sint de substantia formæ.» Itaque aliud est loqui de sanguine Christi Nota. secundum se, aliud vero est loqui de sanguine Christi prout de facto in passione effuso : nam in priori consideratione abstrahit a prædictis effectibus : quocirca et isti ad illum præcise comparantur tanquam accidentia, vel proprietates. Sed in secunda illos, vel ordinem ad ipsos essentialiter complectitur ; siquidem de facto passio Christi, et effusio sanguinis ipsius non aliter disposita fuit, et contingit, nisi propter illos effectus. In sacramento autem Eucharistiæ debet fieri repræsentatio sanguinis Christi, non quidem sumpti secundum se, sed prout effusi in passione. Unde videmus in hoc sacramento juxta institutionem Christi consecrari ejus sanguinem divisum et separatum a corpore, quantum est ex vi verborum consecrationis. Quare etiam oportet, quod verba formæ consecrationis sanguinis significent eundem non præcise consideratum secundum se, sed quatenus de facto pro hominum salute in passione effusum. Et ideo omnia prædictæ formæ verba, qua hujusmodi passionem, effusionem sanguinis, atque ejus effectus significant, ad eandem formam essentialiter pertinent. Potestque ista responsio magis explicari, et confirmari exemplo : nam licet gratiæ sanctificanti consideratæ secundum se accidat habere modum gratiæ regenerantis, vel gratiæ confirmantis, vel gratiæ reficientis etc. nihilominus prædictæ gratiæ, prout est effectus peculiarium sacramentorum, utputa Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, etc. non convenit accidentaliter, sed per se habere prædictos modos : unde formæ prædictorum sacramentorum debent significare gratiam, non quidem solitarie, aut secundum se consideratam, sed quatenus illos differentes modos importat : et consequenter illud, quod est accidentale gratiæ habituali considerataæ

sideratæ secundum se, convenit essentialiter eidem gratiæ, quatenus est effectus, et res significata per sacramenta. De quo videantur quæ diximus Tractatu præced. disp. 4, dub 9. Ad hunc igitur modum licet sanguini Christi secundum se sumpto accidentale fuerit effundi in passione, et effundi pro hominum salute : nihilominus hæc omnia essentialiter conveniunt prædicto sanguini, prout in sacramento Eucharistiæ quantum ad speciem vini repræsentatur : et ideo ad formam consecrationis vini essentialiter etiam pertinet, quod sanguinem Christi secundo modo consideratum significet.

§ VI.

Sententia principali assertioni contraria refertur, et diruuntur ejus motiva.

44. Formam consecrationis calicis consistere essentialiter in his tantum verbis, *Hic est sanguis meus:* cætera vero, nimirum quæ sequuntur, *Novi, et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis* etc. non pertinere ad essentiam talis formæ, atque ideo sine illis posse vinum simpliciter consecrari, docent plurimi. Ex Thomistis Cajetanus in præsenti, Victoria *in Summa de Eucharistia,* nu. 74, Soto in 4, dist. 11, quæst. 1, art. 3, Martinus de Ledesma 1 p. *Quarti,* q. 19, art. 3, dub 1, Petr. de Ledesma in tract. *de Eucharistia,* cap. 5, conclus. 2, difficult. 2, Nugnus in præsenti artic. 3, conclus. 4, Serra artic. 11, ad Sylvius artic. 3, Joannes a Cruce in directorio 2 part. *de Eucharistia,* quæstione 2, dubio 2, Joannes a S. Thoma in tractatu *de approbat. doctrinæ Divi Thomæ* disputatione 2, artic. 4, prope 6, Gravina tomo 3 *Præscriptionum* 1 part. controvers. 2, quæst. 1, artic. 18, dubio 2 ad 15. N. Gabriel disputatione 12, quæstione 2. Contenson dissert. 2, cap. 2, quæstione 2, et alii. Extra scholam vero D. Thomæ multo plures idem tuentur, Alensis 4 part. quæstione 10, memb. 4, artic 2. § 4, D. Bonaventura in 4, distinctione 8, part. 2, artic. 1, quæstione 2, Durandus eadem distinctione quæstione 2, num. 4, Major quæstione unica, Marsilius quæstione 6, Gabriel lect. 53, in Canon. litt. B. Henricus quodlib. 5, Bellarminus lib. 4, *de Eucharistia,* cap. 14 Toletus *in Summa* cap 26, Valentia disputatione 6, quæstione 6, punct. 1, Suarez disputatione 60, sectione 1, Vazquez disputatione 198 cap. 3, Granados controv. 6, tractatu 8, disputatione 4, Bonacina quæstione 3, punct. 2, Aversa quæstione 6, sectione 3, Villalobos tractatu 6, difficult. 13, Lugo disput. 11, sectione 4, Dicastillo disputatione 3, dub. 6, Trullench lib. 3, cap. 3, dub. 2, Leander disputatione 9, quæstione 21, et alii apud istos. Est autem inter prædictos Auctores differentia supra insinuata : nam Thomistæ relati ita concedunt sola priora verba esse de essentia formæ, quod nihilominus communiter fatentur succedentia verba esse de substantia illius : cæteri autem communiter docent priora solum verba esse de essentia, et substantia formæ, subsequentia autem esse mere accidentalia. Id vero, in quo omnes conveniunt, suadent pluribus motivis : ex quibus non pauca, nec leviora diluta relinquuntur in supra dictis.

(Cajet. Victor. Sotus. Uterque. Ledesm. Nugnus. Serra. Sylvius. Joan. a Cruce. Joan. a S. Tho. Grravin. N. Gab. Contens. Alensis. D. Bon. Durand. Major. Marsil. Gabriel. Henric. Bellarm. Toletus. Valent. Suarez. Vazq. Granad. Bonacin. Aversa. Villalob. Lugo.)

Arguitur tamen primo ab auctoritate Patrum : nam sicut dicunt hanc esse formam consecrationis panis, *Hoc est corpus meum,* sic etiam affirmant istam esse formam consecrationis vini, *Hic est sanguis meus* : ergo ex eorum sententia sicut essentialis forma consecrationis panis salvatur in his tantum verbis, *Hoc est corpus meum,* et alia verba sunt extra essentiam formæ talis consecrationis ; sic etiam essentialis forma consecrationis vini salvatur in istis præcise verbis, *Hic est sanguis meus,* et reliqua, quæ sequuntur, ad essentialem formam talis consecrationis non pertinent. Consequentia patet. Et antecedens constat ex Patrum testimoniis : nam Justinus Martyr *in apologia* 2, *ad Antonium Imp.* ait : « Apostoli in commentariis suis quæ « Evangelia dicuntur, ita sibi præcepisse « Jesum tradiderunt, eum accepto pane, « cum gratias egisset, dixisse, Hoc facite « in memoriam mei, Hoc est corpus meum. « Dixisse etiam accepto poculo, Hic est « sanguis meus, ipsisque solis dedisse. » S. Gaudentius tract. 2 *de Exodo* inquit : « Quod annuntiatum est, credas : quia « quod accipis, corpus est illius panis cœ- « lestis, et sanguis est illius sacræ vitis. « Nam cum panem consecratum, et vinum « discipulis suis porrigeret, sic ait, Hoc « est corpus meum, Hic est sanguis meus. « Credamus, cui credidimus : nescit men- « dacium veritas. Non infringamus os il-

(Argumentum 1. ab auctoritate. D. Just. D. Gaud.)

« lud solidissimum, Hoc est corpus meum, « Hic est sanguis meus. » Similiter loquuntur D. Damascenus lib. 4, *de fide*, cap. 14, Eusebius Emissenus in serm. *de corpore, et sanguine Domini*, cui initium, *Magnitudo cœlestium beneficiorum*, et alii. Quin et D. Thomas, qui præ cæteris rigidiori theologia ista versat, idem satis aperte significat in præsenti art. 1, ubi inquirit : « Utrum « hæc sit forma hujus sacramenti, Hoc est « corpus meum, et Hic est calix sanguinis « mei ? » Et respondet affirmative, idque probat : « quia forma hujus sacramenti « importat solam consecrationem materiæ, « quæ in transubstantiatione consistit, « puta cum dicitur, Hoc est corpus meum, « vel Hic est calix sanguinis mei. Ergo Patres dicunt hanc esse formam consecrationis vini, *Hic est sanguis meus*, sicut « dicunt, quod ista est forma consecrationis panis, *Hoc est corpus meum.*

D. Dam. Emissen. D. Tho.

Solutio. Respondetur omittendo antecedens, et negando consequentiam : quia Patres in eis locutionibus solum intendunt transubstantiationem fieri per verba illa, *Hoc est corpus meum, et Hic est calix sanguinis mei;* ita quod ex prædictorum verborum veritate efficaciter colligant veram, et realem præsentiam corporis, et sanguinis Christi in sacramento. Sed non diffiniunt, nec ex vi hujus diffinire intendunt, quænam sint verba essentialiter requisita ad perficiendum consecrationem. Adstruunt igitur veram præsentiam Christi juxta illorum verborum veritatem ; quod ad eorum intentionem referebat : et brevitati consulentes, atque prolixitatem vitantes non recensent alia verba subsequentia, quæ non apparent ita necessaria ad significandum transubstantiationem. Cæterum nec id negant, sed ab eo præscindunt. Et rem ita se habere liquet in Angelico Doctore, qui cum art. 1 hujus questionis statuerit in genere formam hujus sacramenti esse est, *Hoc corpus meum, et Hic est calix sanguinis mei;* nihilominus in sequentibus id magis in particulari, ut decebat Theologum, investigat. Nam. art. 2 inquirit : « Utrum hæc sit « conveniens forma consecrationis panis, « Hoc est corpus meum : » Et respondet affirmative. Et art. 3, inquirit : « Utrum « hæc sit conveniens forma consecrationis « vini, Hic est calix sanguinis mei, novi, « et æterni testamenti, mysterium fidei, « qui pro vobis, et pro multis effundetur in « remissionem peccatorum. » Et respondet affirmative, resolvens omnia ea verba esse de substantia, hoc est, de essentia formæ consecrationis calicis, diluitque argumenta illa, quæ modo nobis Adversarii opponunt. Unde liquet S. Doctorem in priori articulo solum docuisse in genere consecrationem hujus sacramenti fieri illis verbis, *Hoc est corpus meum, et Hic est calix sanguinis mei*: sed postea descendisse ad magis specialem considerationem sufficientiæ utriusque formæ : unde in secundo articulo resolvit ista verba, *Hoc est corpus meum* esse formam sufficientem pro consecrando panem, et alia verba non requiri : e contra in articulo tertio resolvit ista verba, *Hic est calix sanguinis mei* non esse formam sufficientem pro consecrando vinum, sed requiri verba sequentia, « Novi, et æterni testamenti, « mysterium fidei, qui pro vobis, et pro « multis effundetur in remissionem pecca- « torum, » ut ibidem luculenter probat, et approbat his verbis : « Propter hoc, sicut « alii melius dicunt, omnia sequentia sunt « de substantia formæ usque ad hoc, quod « postea sequitur, Hæc quotiescumque feceritis, quod pertinet ad usum hujus sacra- « menti : unde non est de substantia for- « mæ. Et inde est, quod sacerdos eodem « ritu, et modo, scilicet tenendo calicem « in manibus, omnia hæc verba profert. » Sicut igitur D. Thomas non obstante, quod ita senserit, potuit art. 1, in genere statuere formam hujus sacramenti esse, *Hoc est corpus meum, et Hic est calix sanguinis mei*, quia ad considerationem ejus loci propriam sufficiebat sic in genere id statuere ; sic etiam alii Patres in eodem sensu dicere potuerunt prædictis illis verbis perfici transubstantiationem, et confici sacramentum. Sed ex vi hujus minime determinarunt, an prædicta verba per se sufficiant, an vero debeant compleri, et determinari per alia : id enim pertinebat ad aliam considerationem diversam, subtiliorem utique, et magis theologicam, in qua versamur.

D. Tho.

45. Arguitur secundo : quia plures sunt liturgiæ tam Græcorum, quam aliorum, in quibus pro consecrando calicem non recitantur nisi hæc verba, *Hic est calix sanguinis mei*, vel *Hic est sanguis meus :* ergo forma essentialis ad consecrandum calicem in his præcise verbis sufficienter continetur. Antecedens constat ex pluribus liturgiis, Secundum argumentum.

Lugo. Arcud. giis, quas allegat Lugo, et expendimus supra num. 30. Quibus addimus testimonium Petri Arcudii Græcorum rituum peritissimi, qui lib. 3 *Concordiæ Ecclesiæ Orientalis, et Occidentalis*, cap. 16, inquit : « Forma consecrationis hujus sacramenti « apud Græcos sunt hæc certa, et determi- « nata, eaque sola verba, Hoc est corpus « meum, Hic est sanguis meus. Quæ sunt « verba Salvatoris, et ea extant in litur- « gia Græcorum. » Consequentia vero probatur : quia incredibile est Ecclesiam Græcam errare circa consecrationem calicis, et omittere illa verba, sine quibus consecratio non perficitur : inde enim ulterius fieret Græcos per tot sæcula non habuisse integrum Eucharistiæ sacramentum, et pro sanguine Christi adorasse vinum ; quæ sunt absurdissima, et nulla ratione sustineri possunt.

Aliquorum responsio. Ad hoc argumentum (quo tanquam insolubili plures Adversariorum convinci dicunt), respondet Prado, et post ipsum Gonet continere communem difficultatem, quæ circa materiam sacramenti ordinis, et circa formam sacramenti confirmationis vulgo objicitur. Nam apud Latinos ordinatio fit per instrumentorum ab Episcopo porrectorum contactum : apud Græcos autem fit per manuum impositionem. Deinde Latini in sacramento confirmationis utuntur hac forma, « signo te signo crucis, et « confirmo te Chrismate salutis in nomine « Patris etc. » Græci vero utuntur aliis verbis, ut puta, *signaculum donationis Spiritus Sancti* etc. Unde videtur Latinos, et Græcos non habere sacramenta ordinis, et confirmationis, quæ ejusdem rationis sint ; sed unam eorum Ecclesiam deficere in legitima istorum sacramentorum administratione ; cum Ecclesia mutare non valeat sacramentorum materias, et formas, ut constat ex dictis tract. præc. disp. 2, dub. 3. A qua communi difficultate, ut ibidem tradidimus, se expedire solent Theologi dicendo Christum determinasse materias, et formas aliquorum sacramentorum præcise in genere, et formaliter ; non autem in specie, vel individuo, et materialiter : quia videlicet voluit talem esse materiam, et formam aliquorum sacramentorum, ut effectum sacramentorum significarent : materialia autem verba, aut materiales res non omnino determinavit, quibus effectus ille significaretur : sed hanc ulteriorem determinationem permisit, non quidem cujuslibet personæ particularis arbitrio, sed soli auctoritati Ecclesiæ a Spiritu Sancto gubernatæ. Unde sub illa formali, et in genere Christi institutione, Ecclesia Latina determinavit materiam sacramenti ordinis, et formam sacramenti confirmationis : Ecclesia autem Græca aliam materiam materialiter diversam, et similiter aliam formam materialiter distinctam pro eisdem sacramentis assignavit. Et hujusmodi determinatione, et assignatione factis, talis materia, et talis forma pro unaquaque Ecclesia est essentialis : ita ut apud Latinos non teneat sacramentum ordinationis, si eorum proprio ritu non fiat : et similiter apud Græcos non valeat, nisi fiat juxta propriam eorum institutionem. Ad hunc igitur modum dicunt prædicti Auctores Ecclesiam Latinam, et Ecclesiam Græcam habere diversitatem materialem in forma, aut verbis, quibus calix consecratur ; retenta nihilominus formali ejusdem formæ identitate propter significationem ejusdem effectus. Et quia de facto Ecclesia Latina pro consecratione calicis elegit omnia ea verba, quæ præscribit Missale Romanum : ideo apud nos omnia illa sunt de essentia formæ consecrationis calicis : quidquid sit de tenore alterius formæ apud Græcos usitatæ, ut ex eorum liturgiis colligitur.

46. Sed licet prædicta responsio possit utcumque sustineri præsertim ad retundendum impetus Lugonis, et aliquorum Juniorum, qui eo argumento desumpto ex varietate liturgiarum se triumphare putant : cum tamen eodem argumento implicentur circa variationem materiæ, et formæ in quibusdam aliis sacramentis, illudque præmisso modo diluant, ut solutio bene expendit : illa nihilominus displicet absolute. Primo, quia etsi illa variatio in formis aliquorum sacramentorum inveniatur apud Latinos, et Græcos ; idem tamen formalis sensus retinetur propter æquivalentiam verborum, ut patet in his, *Ego te baptizo*, et *Baptizatur servus Christi* ; et simile quid accidit in forma sacramenti confirmationis : hæc autem æquivalentia, et formalis identitas sensus minime salvatur inter formam, qua utimur Latini, et illam, qua uti dicuntur Græci : quippe ista verba, *Novi, et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, nec formaliter, nec virtualiter, Improbatur.

aut æquivalenter continentur in his præcise verbis, *Hic est sanguis meus* : ergo minime salvari prædicta via potest hanc esse essentialem formam consecrationis apud Græcos, aliam vero uberiorem esse formam essentialem consecrationis apud Latinos. Secundo, quia illa variatio in materia, aut forma materialiter sumptis potest quidem secundum diversas Ecclesiarum institutiones admitti, ubi variatio est mere materialis : quia accidit idem significari per has, aut illas res : quo pacto matrimonium potest fieri verbis, scripto, aut signis : et eadem ratione traditio potestatis in sacramento ordinis potest significari tam porrectione instrumentorum, quam impositione manuum : unde in his recte dici, et intelligi valet, quod Christus materias talium sacramentorum non determinaverit in specie, et determinatione materiali ; sed solum in genere, et quantum ad formalem significationem. Cæterum prædicta doctrina locum habere non potest in his, quæ expresse habentur in Scriptura : in his enim non relinquitur Ecclesiæ arbitrio, quod ista, aut illa eligat, vel determinet ; sed omnino stare oportet Christi institutioni, et exemplo. Unde quia ipse Apostolis præcepit baptizare *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, sic omnino baptizare oportet, et Ecclesiæ non permittitur ista variare. Manifestum autem in Evangelio est Christum consecrasse determinatis verbis, quæ referunt Evangelistæ, ut expendimus dub. 1. Ergo minime dici valet Christum solum in genere instituisse formam hujus sacramenti, et reliquisse dispositioni Ecclesiarum, quod hæc, aut illa verba adhiberent pro consecratione calicis. Tertio, et adhuc urgentius, quia prædicta in illis verbis variatio, (si Adversariis liturgias, et Missas allegantibus credimus), reperitur non solum inter Latinos, et Græcos, verum apud ipsos Latinos inter se; quippe aliis, et aliis formis utuntur, et similiter contingit apud Græcos, ut facile deprehendet, qui convertat oculos ad ea, quæ Adversarii producunt. Incredibile autem apparet Christum reliquisse ad tot varietates auctoritatem, et in particularium Ecclesiarium, et Doctorum arbitrio posuisse, quod formas pro consecratione calicis determinarent.

His itaque, aliisque motivis prædictam responsionem non probamus : eo vel maxime, quod nec apud D. Thomam, nec apud alium gravem Doctorem ullum ejus vestigium reperiamus, vel levem insinuationem. Accedit eam responsionem plus æquo Adversariis deferre, et sine gravi motivo difficultati succumbere concedendo Græcos valide consecrare vinum illis solis verbis, *Hic est sanguis meus* : quo supposito necesse est gravi difficultatis onere premi , nec se facile posse expedire. Si qua vero via illa doctrina sustineri valeret, ea jam a nobis in superioribus insinuata fuit nu. 18, nempe Christum expresse instituisse, quod in consecratione Eucharistiæ fieret expressa mentio passionis suæ ; non determinando tamen, quod fieret in consecratione panis determinate, vel in consecratione calicis determinate ; sed hanc ulteriorem determinationem relinquendo Ecclesiarum electioni. Græci autem, aut saltem eorum aliqui utuntur verbis repræsentantibus Christi passionem in consecratione panis , cum dicunt, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Unde isti opus non habent eandem passionis memoriam repetere in consecratione calicis, sed simpliciter dicunt, *Hic est sanguis meus.* E converso autem cum Latini in consecratione panis non faciamus mentionem passionis Christi, sed præcise dicamus, *Hoc est corpus meum;* debemus in consecrando calicem ea verba proferre, quæ prædictam passionem repræsentant : unde hæc omnia dicimus, *Hic est calix sanguinis mei, novi, et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Igitur tam Latini, quam Græci convenimus in recensendo Christi passionem in consecratione Eucharistiæ juxta ejusdem Christi institutionem : sed distinguimur in eo, quod illi eam memoriam faciunt consecrando panem, nos autem consecrando vinum. Et hoc ultimum est rationabilius ob majorem sanguinis aptitudinem ad repræsentandum passionem, ut num. 41 vidimus ex D. Thoma. Est taque essentiale formæ adæquatæ hujus sacramenti, quod fiat verbis expresse significantibus passionem Christi: unde ex suppositione, quod similia verba non adhibeantur in consecratione panis, ut in Ecclesia Romana fit, necessarium omnino, et essentiale est adhiberi in consecratione calicis, sicut affirmamus. Sed a Græcis (ut Adversarii inculcant), omittuntur in calicis consecratione, quia proferuntur in consecratione panis. Quæ, si vera sunt, facile

Nota pro patrocinio præmissæ responsionis.

facile conciliant usus diversos utriusque Ecclesiæ, et nullum nostræ assertioni juxta morem Latinorum præjudicium important. Sed tamen nec in hac responsione quiescendum censemus, quia incerta assumit, et nullum habet pro se grave aliquod ab auctoritate fundamentum. Judicio autem Lectoris exponimus, qui eam, si approbet, magis fulciat.

Legitima argumenti dilutio. 47. Ad argumentum ergo aliter respondetur juxta doctrinam supra traditam toto § 3, nempe negando simpliciter, quod in ulla liturgia vel Græcorum, vel aliorum, quæ certæ, et probatæ auctoritatis sit, reperiantur pro consecratione calicis illa sola verba, *Hic est sanguis meus*, vel *Hic est calix sanguinis mei:* oppositum enim satis constat ex dictis loco citato, ubi ostendimus in omnibus liturgiis, quæ certæ auctoritatis sunt, proponi pro consecrando calice plura verba, eaque referentia Christi passionem: alias autem liturgias, in quibus hæc omittuntur, spurias esse, indignasque nostra fide. Quod autem modo additur in argumento ex Arcudio, nihil evincit: quia Auctor ille fallitur vehementer in his, quæ refert. Nam in primis non est apud Græcos una liturgia (ut non bene supponit), sed sunt plures, quibus indifferenter utuntur, ut liturgia D. Marci, liturgia D. Basilii, liturgia D. Chrysostomi, et aliæ. Rursus falsum omnino est in his Græcorum liturgiis solum contineri hæc verba, *Hic est sanguis meus*: oppositum enim evidenter constat ex liturgiis Sanctorum immediate relatis, in quibus fit expressa mentio sanguinis Christi fusi in passione pro nostra salute, ut productis illarum verbis expendimus num. 28. Cum igitur in istis tam manifeste Arcudius decipiatur, aut decipiat; nullum ejus testimonium potest argumento addere auctoritatem. Sed præsumendum est illum (qui non admodum antiquus est), nostrorum Adversariorum tenuisse sententiam, eaque relatione promovere voluisse. Illa vero cum in universum affirmat Græcos non aliter consecrare, suam falsitatem prodit; cum Græci potius in universum aliter consecrent calicem. De paucis autem vel idiotis, vel schismaticis nullam circa hæc existimationem habere oportet, ut num. 31 jam monuimus.

Tertium argumentum. 48. Arguitur tertio: quia illa dumtaxat verba sunt essentialia, sive de essentia formæ sacramentalis, quæ necessaria sunt ad significandum, et perinde ad causandum effectum formæ: sed hæc præcise verba, *Hic est sanguis meus* necessaria sunt, et sufficiunt ad causandum effectum formæ consecrationis calicis: ergo illa præcise verba sunt essentialia, sive de essentia formæ prædictæ consecrationis: atque ideo alia verba, quæ subsequuntur, non pertinent ad essentiam talis formæ. Cætera constant. Et minor suadetur: quia effectus formæ consecrationis calicis est transubstantiatio, sive conversio vini in sanguinem Christi: hæc autem conversio sufficienter significatur eis verbis, *Hic est sanguis meus:* sicut conversio panis in corpus Christi sufficienter significatur similibus verbis, *Hoc est corpus meum:* id enim paritatis ratio satis evincit.

Ostenditur invalidum. Respondetur hunc discursum, quæ Caietanus, et alii vocant rationem a priori, satis manifeste elidi: nam ipsi negare non valent Christum Dominum potuisse instituere, quod omnia verba, quibus utimur in consecrando essent de essentia formæ talis consecrationis, et quod transubstantiatio, sive conversio vini in suum sanguinem non aliter fieret, quam dependenter ab illis, et ab ultima omnium dictione. Quippe manifestum est in nullo istorum contradictionen inveniri, sed omnia potius fieri posse juxta liberam Christi institutionem. Hac autem suppositione præmissa, idem omnino argumentum formari valeret, nempe priora illa tantum verba, *Hic est calix sanguinis mei*, sufficientia esse ad significandum formæ sacramentalis effectum, nempe conversionem vini in sanguinem Christi. Et tamen nec conversio fieret per ea præcise verba, nec in illis tantum consisteret essentialis forma consecrationis, ut supponitur. Oportet igitur, quod data tali suppositione diluant ipsi argumentum a se factum. Et eodem modo illud diluemus, qui affirmamus eam suppositionem non solum esse possibilem, sed de facto occurrere, ut motiva supra posita satis efficaciter evincunt.

Dispellitur. Respondemus igitur significationem formæ sacramentalis non esse mere grammaticalem, sed practicam, et effectivam juxta Christi institutionem. Et in hoc sensu concessa majori, negamus minorem: quia licet hæc præcise verba *Hic est sanguis meus*, grammaticaliter significent conversionem vini in sanguinem Christi; nihilominus practice, et sacramentaliter illam non

significant (sicut nec efficiunt), nisi completa, et determinata per verba subsequentia: quia Christus ita instituit, ut supra ostendimus. Minoris autem probatio non amplius evincit: concedimus namque, quod hæc verba, *Hic est sanguis meus* significant grammaticaliter conversionem vini in sanguinem Christi, sicut ista, *Hoc est corpus meum* significant conversionem panis in ejus corpus: concedimus etiam Christum potuisse disponere, quod conversio vini in sanguinem fieret per illa sola verba, sicut disposuit conversionem panis in corpus fieri per alia similia: et in his omnibus decurrit similitudinis paritas. Sed tamen adest discrimen in significatione practica, aut sacramentali: nam Christus disposuit hæc sola verba *Hoc est corpus meum* significare tam grammaticaliter, quam sacramentaliter, et practice conversionem panis in suum corpus: sed disposuit, quod alia verba, *Hic est sanguis meus*, quæ significant grammaticaliter, et quasi speculative conversionem vini in suum sanguinem, non haberent practice, et sacramentaliter hanc significationem nisi dependenter ab aliis verbis subsequentibus, et significantibus passionem suam, et fructum ejus. Porro hujus disparis dispositionis prima radix fuit libera voluntas Dei ita decernentis: quæ satis nobis revelatur per varias liturgias, et usum Ecclesiæ Romanæ, ut ostendimus § 3, et 4. Congruentiæ autem ratio, ut Deus ita providerit, fuit ipsa convenientia repræsentationis passionis Christi in sanguine pro nobis fuso, ut expendimus § 5. Quæ doctrina, ut argumentum magis retundatur, confirmari facile potest exemplo aliorum sacramentorum: nam in hac forma sacramenti baptismi. *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, si ad solam significationem speculativam, et grammaticalem attendamus, sola priora verba *Ego te baptizo* sufficientia sunt ad significandum effectum sacramenti, nempe ablutionem inter orem, et renovationem spiritualem. Quo non obstante certum est prædicta verba nec esse totam formam illius sacramenti, nec sufficere ad significandum practice, et sacramentaliter ejus effectum: quia Christus statuit, quod prædicta verba non inducerent effectum hujusmodi nisi completa, et determinata per subsequentia, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Unde essentialis baptismi forma ista, et illa verba complectitur. Et idem contingit in forma sacramenti confirmationis, ut facile consideranti constabit. Ad hunc ergo modum licet hæc verba, *Hic est calix sanguinis mei* præcisive ab aliis significent speculative, et grammaticaliter conversionem vini in sanguinem Christi: nihilominus illam non significant sacramentaliter, et practice, nisi compleantur per subsequentia, *Novi, et æterni etc.* quia Christus ita voluit, et providit. Illum vero ita voluisse, et providisse constat nobis per media, quibus assertionem nostram confirmamus.

Declaratur, ac fulcitur responsio.

49. Arguitur quarto: nam verba, quæ sunt de essentia formæ hujus sacramenti, dicuntur a sacerdote non mere recitative, sed significative, ut dub. seq. videbimus: atqui verba illa, *Qui pro vobis effundetur* dicuntur a sacerdote solum recitative: ergo talia verba non pertinent ad essentialem formam consecrationis hujus sacramenti. Probatur minor: nam illa verba, *Qui pro vobis effundetur* significant de futuro: atque ideo essent falsa, nisi a sacerdote dicerentur mere recitative: quia simpliciter falsum est, quod post verba a sacerdote dicta sanguis Christi effundendus sit. *Quartum argumentum.*

Diruitur.

Respondetur negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est eam particulam *effundetur*, licet significet de futuro, non dici a sacerdote mere recitative, sed etiam significative: quia sanguis Christi erat fundendus de futuro, quando Christus illa verba primo dixit: et sacerdos illa profert in persona Christi, ac si ipse Dominus esset tunc in ultima cœna cum discipulis suis: ob quam repræsentationem potest nunc vere, et significative dicere, *Qui pro vobis effundetur*, ut magis constabit dub. sequent.

50. Arguitur quinto: quia aliqua ex verbis sequentibus non sunt de essentia formæ consecrationis calicis: ergo idem de omnibus verbis sequentibus dicendum est: atque ideo totum hoc, *Novi, et æterni testamenti, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, est extra essentiam formæ consecrationis calicis. Utraque consequentia patet: quoniam non est major, aut diversa ratio de aliquibus verbis, quam de aliis. Antecedens autem suadetur: quia nullus Evangelistarum, nec omnes simul referunt omnia illa verba proxime relata: et tamen incredibile apparet omnes omisiess *Quintum marguentum.*

sisse aliquod verbum, quod sit de essentia consecrationis. Eo vel maxime, quod illa verba *æterni, et mysterium fidei* non solum non reperiuntur in Scriptura Canonica, sed neque in pluribus liturgiis, utputa Jacobi, Clementis Papæ, Basilii etc.

Solvitur. D. Tho. Respondetur negando antecedens. Cujus probationem diluit D. Thom. art. 3 ad 9, his verbis: « Dicendum, quod Evangelistæ « non intendebant tradere formas sacra- « mentorum : quas in primitiva Ecclesia « oportebat esse occultas, ut dicit Dionysius « in fine Ecclesiast. Hierarch. Sed inten- « derunt historiam de Christo texere. Et « tamen hæc omnia fere verba ex diversis « Scripturæ locis accipi possunt. Nam quod « dicitur, Hic est calix, habetur Lucæ 22, « et 1, ad Corinth. 11. Matthæi autem 36, « dicitur, Hic est sanguis meus novi testa- « menti, qui pro multis effundetur in « remissionem peccatorum. Quod autem « additur æterni, et mysterium fidei, ex « traditione Domini habetur: quæ ad Eccle- « siam per Apostolos pervenit, secundum « illud 1, ad Corinth. 11. Ego accepi a « Domino, quod et tradidi vobis. » Unde liquet omnia verba, quibus in consecrando calicem utimur, si ly *æterni, et* ly *mysterium fidei* excipiamus, contineri in Scriptura, et recitari ab Evangelistis. Et quamvis isti varient in ordine verborum : nihilominus talis variatio est mere materialis, ac retenta semper eadem sententia, et formali significatione : sicut etiam in liturgiis contingere observavimus num. 29. Porro, quod ly *æterni* et ly *mysterium fidei* inaliquibus liturgiis non reperiantur, nihil refert : tum quia inveniuntur in aliis probatissimis, et præsertim in Missali Romano. Tum quia prædicta verba non sunt de essentia formæ ut explicite prolata : sufficienter enim, licet implicite continentur in aliis, quæ supersunt, ejusdem formæ verbis, ut explicuimus num. 21. Hinc factum est, ut in aliquibus (et majoris auctoritatis), liturgiis expresse recitentur ; in aliis autem non explicite recenseantur. Sed tamen in omnibus retinetur eadem formalis sententia, et idem significatur.

DUBIUM IV.

An verba consecrationis dicantur a sacerdote solum recitative, vel solum significative, an utroque modo ?

Post notitiam verborum, quæ ad consecrandum concurrunt, succedit, ut videamus, qualiter illa verba proferantur a sacerdote consecrante. Pro cujus difficultatis introductione, et luce observandum est dupliciter posse aliquem aliqua verba dicere : primo mere *recitative*. Quod tunc contingit, cum quis aliquid refert ut præcise ab alio dictum, non illud absolute asserendo, vel absolute negando, sed præcise illud ut ab alio dictum ennuntiando, ut cum David scripsit : *Dixit impius in corde, non est Deus*, hæc posteriora verba dicta sunt a propheta mere recitative: quia istam ultimam propositionem non asseruit, sed introduxit dictam ab impio. Et eodem modo loquimur, cum referimus aliorum errores, quos non probamus, ut cum dicimus, *Aristoteles dixit mundum esse ab æterno*. Quæ autem ita pronuntiantur, dicuntur etiam mere historice, et materialiter, ut satis ex ipsis terminis liquet. Secundus modus loquendi est *significative*; et contingit, quando per verba, quæ proferimus, intendimus aliquid affirmare, aut negare, ut cum dicimus, *Deus est unus in natura, et trinus in personis*. Et quæ hoc modo pronuntiantur, dicuntur formaliter, et assertive. Porro nulla apparet repugnantia in eo, quod aliquis eadem verba pronuntiet simul *recitative*, et *significative* : quia nec repugnat, quod quis referat aliquem aliqua verba dixisse, quæ tamen ipse etiam dicat ex intentione asserendi, aut significandi, ut si quis dicat : *Christus nos docuit ita orare, Pater noster, qui es in cœlis etc.* Nam illa verba, quatenus referuntur dicta a Christo, dicuntur mere recitative, aut historice, et materialiter: sed quatenus pronuntiantur ex intentione orandi, et manifestandi conceptum loquentis, dicuntur *significative*, sive assertive, et formaliter. Videndum itaque est, utro ex prædictis modis consecrationis verba dicantur a consecrante.

Nota pro terminorum intelligentia.

§ I.

Defenditur communis, et vera sententia.

Conclusio. 51. Dicendum est sacerdotem proferre verba consecrationis recitative, et significative, atque ideo simul utroque modo. Ita D. Tho. (D. Tho.) in hac quæst. art. 5, ubi loquens de veritate istorum verborum, *Hoc est corpus meum*, ait: « Dicendum, quod etiam « quando proferuntur a sacerdote, significative, et non tantum materialiter sumuntur. » Ubi supponit hæc verba dici a sacerdote materialiter, sive recitative ut primo dicta a Christo: sed insuper addit sacerdotem non hoc præcise modo illa proferre, sed etiam significative. Et hoc ipsum clarissime docet super caput 26 *Matthæi*, vers. 26, ubi statuit: « Dicendum, quod « recitative dicuntur, et simul recitative, « et significative. » Unde id ipsum defendunt unanimiter Thomistæ, Soto in 4, dist. 11, quæst. 1, art. 5, Nugnus, et Serra in præsenti. articu. 5, N. Cornejo, et N. Philippus, quos refert, et sequitur N. Franciscus capite 5, puncto 3, num. 51, Prado quæst. 78, dub. 7, § 2, Gonet, disp. 7, art. 4, et alii plures. Idem etiam ex aliis docent Suarez disp. 58, sect. 4, Henriquez lib. 8, cap 16, Lugo disp. 11, num. 110, Dicastillo disp. 3, dub. 9, Granados tract. 8, disp. 6, num. 6, Bonacina quæst. 3, punct. 3, et alii multi, quos refert, et sequitur Leander disp. 9, quæst. 29.

(Soto. Nugnus. Serra. N. Corn. N. Phil. Franc. Prado. Gonet. Suarez. Henriq. Lugo. Dicastil. Granad. Bonac. Leand.)

Fundamentum assertionis quoad primam partem. Quia vero conclusio habet duas partes, oportet majoris claritatis gratia illas seorsim probare. Prima igitur, nempe verba consecrationis proferri a consecrante recitative, suadetur: quoniam proferre aliqua *recitative* est proferre illa, aut repetere illa tanquam ab alio dicta, ut supra observavimus: sed sacerdos profert verba consecrationis ut prius dicta a Christo: ergo sacerdos profert verba consecrationis recitative. Minor, in qua poterat esse difficultas, ostenditur ex Canone Missæ, in quo sacerdos ait: « Qui, *nempe Christus Dominus*, pridie quam pateretur, accepit pa- « nem in sanctas, et venerabiles manus « suas, et elevatis oculis in cœlum, ad te « Deum patrem suum omnipotentem, tibi « gratias agens benedixit, et fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et « manducate ex hoc omnes: Hoc est enim « corpus meum. » Ex quorum omnium verborum contextu, et facti historia liquet ea verba sacramentalia, *Hoc est corpus meum* referri tanquam a Christo dicta. Idque magis liquet tum ex dictione illa dicens, quæ denotat evidenter Christum eo verba dixisse: tum ex particula *enim*, quæ nisi verba sequentia dicerentur ut dicta a Christo, minus congrue fuisset ab Ecclesia introducta: additur namque ad connectendum ly *Hoc est corpus meum*, cum verbis immediate præcedentibus, *Accipite et manducate*, quæ sunt verba Christi, et recitantur a sacerdote. Confirmatur: quia ille sensus non est denegandus verbis consecrationis, quem omnes fideles illa audientes communiter concipiunt: sed omnes fideles, cum audiunt sacerdotem recitantem Christum *dedisse, et dixisse, manducate, Hoc est corpus meum*, communiter concipiunt sacerdotem, sicut narrat alia gesta, et dicta Christi, narrare etiam illa verba ab ipso dicta *Hoc est corpus meum*: ergo verba illa proferuntur a sacerdote recitative. Confirmatio.

52. Nec refert, si huic discursui opponas illum ad summum probare, quod verba consecrationis, prout continentur in canone, et simul cum eo proferuntur, dicantur recitative. Cæterum non est de essentia prædictorum verborum, ut consecrationem operentur, quod adjungantur verbis canonis antecedentibus, vel sequentibus: sed sufficit, quod vel præcisa ab omnibus aliis dicantur super debitam materiam, et cum legitima intentione. Unde si sacerdos immediate introduceret hæc verba, *Hoc est corpus meum*, consecrationem, et transubstantiationem simpliciter perficeret, ut statuimus supra dub. 2. In qua suppositione, nec applicari valet discursus noster, nec urgere: quippe cum sacerdos nihil recitet, aut narret antecedenter ad illa verba. Cum igitur verba consecrationis eodem modo significent, et operentur, sive dicantur cum canone sive dicantur independenter ab illo; sequitur, quod etiam de facto, et quando proferuntur in canone non dicantur recitative. Addenturque objectioni vires, attendendo quod illa verba, *Qui pridie quam pateretur* multis annis in Canone non fuerunt, sed ab Alexandro Primo addita sunt. Quin totum Canonem ordinavit Gelasius Papa quinquagesimus primus a B. Petro ut testatur Innocentius Tertius lib. 3, *de mysterio Missæ*, cap. 18. Objectio. Innoc. 3.

Non,

Responsio. Non, inquam, hæc objectio refert, sed dispellitur dupliciter. Primo concedendo, quod quando illa verba *Hoc est corpus meum* dicuntur extra Canonem, et independenter ab omnibus aliis verbis introducentibus primæ consecrationis historiam, non proferuntur recitative, sed solum significative. Ex quo tamen non sequitur, quod de facto, prout dicuntur in Canone, non dicantur recitative : oppositum enim constat ex præmisso discursu : qui (sicut, et communis assertio nostra) procedit de facto, et prout sacerdotes consecrant juxta consuetum modum Ecclesiæ. Unde est latum discrimen inter modum proferendi illa verba significative, et modum proferendi illa recitative, quod prior modus est verbis sacramentalibus essentialis tam intra, quam extra Canonem : nec aliter possunt transubstantiationem efficere, ut ex infra dicendis magis constabit. Sed posterior modus est eisdem essentialis : quia sicut prædicta verba possunt pronuntiari independenter ab omni anteriori narratione, sic etiam proferri possunt non recitative, sive ut ab alio dicta. Sic docent Suarez, et Lugo locis supra relatis, et quidem satis probabiliter. (Suarez.) Juxta quam doctrinam præ oculis habere oportet hæc duo multum distingui : « Sacerdos loquitur in persona « Christi, et Sacerdos loquitur ut minister « Christi. » Nam ad hoc ultimum sufficit, quod agat ex potestate a Christo accepta, sicut prætorius dicit, et agit nomine regis. Ad primum autem requiritur, quod induat ipsam Christi personam, et sit repræsentative ipse Christus, sicut Angelus loquens Moysi Exod. 3, dixit, *Ego sum Deus tuus*. In casu ergo, quo sacerdos omitteret Canonem, et rationem historiæ consecrationis, ageret quidem ut minister Christi, sive per potestatem ab ipso acceptam : sed non ageret in persona Christi, nec historiam repræsentaret : unde solum loqueretur significative, et causaliter, non autem recitative. Modo autem cum antecedenter ad verba consecrationis recitet canonem, non solum profert illa significative (de quo statim) sed etiam recitative, ut ex ipso Canone liquet, et supra explicuimus.

Alia responsio. Secundo, et melius respondetur, quod adhuc in præmissa hypothesi sacerdos diceret verba consecrationis recitative ; non quidem ita evidenter, sicut quando recitat Canonem, sed tamen implicite ex institutione Christi, et intentione Ecclesiæ. Et ratio est : quia sicut non obstante, quod sacerdos nullis Canonis verbis, vel Missæ ritibus præmissis se applicet ad consecrandum dicendo, *Hoc est corpus meum*, adhuc tamen repræsentat passionem Christi, et loquitur gerens ejus personam (et si hæc excluderentur minime consecraret ; quippe consecratio est intransitive immolatio, et sacrificium modo incruento) : sic etiam ea verba proferendo repræsentaret Christum illa prius protulisse : atque ideo illa pronuntiaret ut a Christo prius dicta ; quod est illa dicere recitative : cujus responsionis doctrina satis constat ex supra dictis dub, 2, num. 10, et traditur satis manifeste a D. Thoma art. 1 hujus quæst. ubi cum (D. Tho) sibi opposuisset hæc verba *Hoc est corpus meum* non sufficere ad consecrationem : quia si proferrentur sine aliis, non dicerentur a sacerdote in persona Christi ; quod tamen necessarium est ad perficiendum transubstantiationem, respondit : « Ad quartum dicendum, quod quidam « dixerunt hoc sacramentum perfici non « posse prædictis verbis prolatis, et aliis « prætermissis, præcipue quæ sunt in ca- « none Missæ. Sed hoc patet esse falsum « tum ex verbis Ambrosii supra inductis. « Tum etiam quia canon Missæ non est « idem apud omnes, nec secundum omnia « tempora ; sed diversa sunt a diversis « apposita. Unde dicendum est quod si sa- « cerdos sola verba prædicta proferret cum « intentione conficiendi hoc sacramentum « perficeretur hoc sacramentum : quia in- « tentio faceret, ut hæc verba intelligeren- « tur quasi ex persona Christi prolata ; « etiam si verbis præcedentibus hoc non « recitaretur Graviter tamen peccaret « sacerdos sic conficiens hoc sacramentum, « utpote ritum Ecclesiæ non servans. » Juxta quam doctrinam tenendum est verba consecrationis prolata a sacerdote ex intentione faciendi, quod fecit Christus, semper significare eodem modo, nempe recitative, sive dicantur cum præcedentibus Canonis verbis, sive absque illis : quia eo ipso quod sacerdos velit illa pronuntiare ex intentione faciendi, quod fecit Christus, ibi implicite vult referre, quæ Christus gessit, idque ipsa verborum expressione refert : quod est proferre illa verba ut a Christo dicta. Sed ea intentio, et relatio manifesta-

tur explicite proferendo verba Canonis, ut communiter fit.

Fundamentum assertionis quoad secundum ejus partem.

53. Altera autem assertionis pars; nempe illa verba proferri a sacerdote significative, etiam ostenditur. Primo quidem auctoritate; et ratione D. Thom. in præs. art. 5, ubi ait: « Dicendum, quod « circa hoc fuit multiplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod in hac locutione, Hoc est corpus meum, hæc dictio, « Hoc, importat demonstrationem ut conceptam, et non ut exercitam: quia tota ista « locutio sumitur materialiter, cum recitative proferatur: recitat enim sacerdos « Christum dixisse, Hoc est corpus meum. « Sed hoc stare non potest: quia secundum « hoc verba hæc non applicarentur ad materiam corporalem præsentem, et ita « non perficeretur sacramentum: dicit « enim Augustinus super Joann. Accedit « verbum ad elementum, et fit sacramentum. » Itaque si sacerdos mere recitative, aut historice pronuntiaret hæc verba, *Hoc est corpus meum*, li *hoc* non referretur ad materiam præsentem, sed ad illam, quam Christus in ultima cœna consecravit: quippe quæ præcise repræsentarent conversionem illius materiæ, quam Christus tunc habuit in manibus, et transubstantiavit in proprium corpus: id vero est omnino falsum, et absurdum; cum inde fieret panem, quem sacerdos habet præsentem, non consecrari; siquidem, juxta sententiam D. Augustini non aliter sacramentum fit, quam verbo accedente ad elementum, sive ad ejus consecrationem directo: ergo minime asseri valet, quod sacerdos solum recitative proferat verba consecrationis. Pronuntiat ergo illo significative, et assertive demonstrando mateiam præsentem.

D. Tho.

Præcluditur effugium

Nec momenti est, quod aliqui, ut præmisso inconvenienti occurrant, ausi sunt respondere Christum in Cœna verba protulisse, quæ virtualiter extensa sunt ad omnem materiam, supra quam sacerdotes eadem consecrationis verba recitarent: sicut Patres docere solent Christum per contactum aquæ Jordanis, cum baptizatus fuit, sanctificasse omnes alias aquas, quibus homines postea baptizarentur. Id, inquam, nihil valet, sed gravius adhuc inconveniens inducit: nam inde sequitur sacerdotes de facto non transubstantiare panem in corpus Christi, sed omnem transubstantiationem, quæ de facto fit, fieri utique, et unice per verba, quæ Christus in cœna protulit. Id vero nulla ratione sustineri valet; cum excludat, destruatque proprium sacerdotum munus in conficiendo sacramentum, et perficiendo sacrificium. Porro exemplum, quo utuntur, non est ad rem, nec illorum intentioni favet: nam Christum per contactum aquæ Jordanis consecrasse aquas ad aliorum baptismum, ut Patres asserere solent, non est aliud, quam Christum per institutionem baptismi in materia aquæ effecisse, ut omnis aqua naturalis sit materia idonea huic sacramento: sed id non impedit, quod aqua, cum postea assumitur, elevetur, et operetur ad præsentem hominum sanctificationem. Et quo ad summum sequitur, quod ex vi primæ consecrationis, et institutionis Eucharistiæ in materia panis, et vini, omnis panis, et vinum fuerit materia ex tunc consecrata, id est, dedicata, et idonea, ut in ea sacerdotes conficerent sacramentum. Cæterum cum hoc cohæret, et necessario salvari debet, quod sacerdotes pronuntiantes verba consecrationis consecrent de præsenti, et efficiant transubstantiationem materiæ. Id vero minime efficere queunt, nisi quando pronuntiant, *Hoc est corpus meum*, li *Hoc* significet materiam præsentem, et ad illam dirigatur. Sic autem agentes non loquuntur mere recitative, aut historice; sed enuntiant assertive, et significative, ut satis ex se liquet. Et in hoc sensu aptius procederet exemplum sanctificationis aquarum, ut optime tradit D. Thomas loco cit. ubi subjungit: « Et « ideo dicendum est, quod etiam quando « illa proferuntur a sacerdote; significative. et non tantum materialiter sumuntur. Nec obstat, quod sacerdos ea recitative profert quasi a Christo dicta: quia « propter infinitam virtutem Christi, sicut « ex contactu carnis suæ vis regenerativa « pervenit non solum ad illas aquas, quæ « Christum tetigerunt, sed ad omnes ubique terrarum per omnia futura sæcula » (quia deputatæ ex tunc fuerunt pro baptismi materia); « ita etiam ex prolatione ipsius « Christi hæc verba virtutem consecrativam sunt consecuta, a quocumque sacerdote dicantur, ac si Christus ea præsentialiter proferret. » Unde sicut Christus, cum ea protulit, locutus est significative, et assertive, ut S. Doctor ibi probat: sic etiam proportionabiliter

D. Tho.

proportionabiliter significative, et assertive loquitur sacerdos, quando eadem verba pronuntiat, ut magis constabit ex immediate dicendis.

Secunda pro eadem parte ratio.

54. Probatur secundo eadem assertionis pars alio motivo : quoniam si sacerdos recitative tantum, aut historice referret verba consecrationis a Christo prius dicta ; fieret sacerdotem consecrantem non loqui, et agere in persona Christi : consequens est falsum : ergo sacerdos profert consecrationis verba non mere recitative, aut historice, sed significative, et assertive. Sequela est manifesta : nam ut quis referat præcise verba ab alio dicta, non requiritur, quod induat ejus personam, illamque in se exprimat, et representet, ut patet in David, qui ut recitaret impii verba referendo, *Dixit impius in corde suo, non est Deus*, opus non habuit induere personam impii, ant loqui, et agere in ejus persona, ipsum scilicet in se repræsentando. Falsitas autem consequentis ostenditur : quoniam sacerdotem consecrantem gerere personam Christi, sive loqui, et agere in Christi persona, est communis sententi apud Patres, et Theologos, ut specialiter videri potest in D. Ambrosio lib. 4, *de sacramentis*, cap. 4, et in Concilio Florentino in decreto unionis. Nec valet respondere sacerdotem consecrantem ideo dici agere in persona Christi, quia loquitur, et agit per potestatem sibi a Christo communicatam ; non vero quia ipsius personam induat, illumque in loquendo repræsentet. Nam contra hoc est, quod sacerdos in hoc specialiter sacramento dicitur agere, et loqui in persona Christi : unde Patres, et Theologi cum Concilio Florentino id tribuunt sacerdoti consecranti, non autem aliis ministris alia sacramenta conficientibus. Manifestum est autem omnes alios ministros conficientes sacramenta agere per potestatem sibi a Christo communicatam. Ergo ut sacerdos consecrans dicatur specialiter agere in persona Christi, non sufficit, quod agat per potestatem sibi a Christo communicatam ; sed insuper requiritur, quod induat ejus personam, et ipsum in se loquentem repræsentet.

D. Amb. Concil. Florent.

Confutatur quædam responsio.

§ II.

Diruuntur argumenta adversantium opinionum.

Prima opinio contraria.

55. Prima sententia nostræ assertioni contraria docet verba consecrationis proferri a sacerdote solum recitative non autem significative. Ita Innoc. III, lib. 4, *de myster. Missæ*, cap. 17, Picus Mirandul. *in apolog.* q. 10, Catherinus in opusc. *de verbis consecrationis*, Salmeron tom. 9, *in Evang.* tract. 13, Glossa in cap. *Timorem, de consecrat.* dist. 2, Major in 4, dist. 8, quæst. unica ad 2, et alii. Probatur primo: quia sacerdos ante verba consecrationis præmittit, *Qui pridie quam pateretur etc. benedixit dicens, Accipite, et manducate, Hoc est corpus meum.* Sed hæc verba *Accipite, et manducate* proferuntur a sacerdote mere recitative, et solum tanquam a Christo dicta. Ergo eodem modo profert verba immediate sequentia, *Hoc est corpus meum.* Patet consequentia : quia incredibile videtur, quod ex verbis tam immediatis, et eodem ordine dictis aliqua dicantur pure recitative, et aliqua significative.

Innoc. III. Picus. Cather. Salmer. Glossa. Major.

Primum argumentum.

Diluitur

Respondetur primo negando minorem : quia illa etiam verba, *Accipite et manducate* possunt dici a sacerdote non solum recitative, sed etiam significative : sicut enim loquitur in persona Christi, cum ait, *Hoc est corpus meum ;* sic etiam potest loqui in persona Christi, cum dicit, *Accipite et manducate.* Quippe sacerdos non substituitur, ut præcise narret, aut recitet, quod alii etiam non sacerdotes facere queunt : sed ad loquendum nomine Christi, sicut loqueretur Christus ipse, si ibidem existeret secundum naturalem præsentiam. Et quod illa verba *Accipite etc.* dicat significative, magis congruit toti sententiæ, et ordini verborum, aliter enim sensus esset Christum dixisse, *Accipite, et comedite. Hoc enim*, quod nunc ego sacerdos in manibus habeo, *est corpus meum :* quæ minus congrue significantur. E contra vero sincere, et liquido decurrit tota sententia, si sacerdos ut gerens Christi personam, illumque repræsentans dicat significative. *Accipite, et manducate : Hoc est enim corpus meum.* Respondetur secundo omittendo minorem, et negando consequentiam : quia nulla est repugnantia, aut inordinatio

in eo, quod sacerdos ex illis verbis quædam dicat solum recitative, nempe, *Accipite, et manducate*, et quædam significative, nimirum, *Hoc est corpus meum.* Ipsa namque consecratio poscit, ut hæc posteriora verba sumantur significative, ut supra ostendimus : sed non exigit necessario, quod priora illa eodem modo significative dicantur ; cum valor simpliciter consecrationis ab eis non dependeat. Nec inde sequitur confusio : quia ipsa celebratio mysterii, et intentio sacerdotis externis signis expressa satis manifestant aliqua ex illis verbis dici recitative, aliqua vero significative.

Secundum argumentum. 56. Arguitur secundo : quia si sacerdos diceret verba consecrationis non tantum recitative, sed et significative, et formaliter ; hoc faceret vel loquens in propria persona, vel in persona Christi : atqui neutro modo potest pronuntiare illa verba significative : ergo in eis non loquitur significative. Probatur minor : nam in primis si loqueretur in propria persona, falsum esset totum illud *Hoc est corpus meum :* non enim illud est corpus sacerdotis, sed corpus Christi. Deinde si loqueretur in persona Christi ; falsum esset in consecratione calicis ly *Qui pro vobis , et pro multis effundetur*, siquidem sanguis Christi gloriosus amplius effundendus non est.

Diruitur. Respondetur negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est sacerdotem proferre in persona Christi omnia verba, quæ sunt de essentia consecrationis calicis, atque ideo et illa, *Qui pro vobis, et pro multis effundetur.* Et ad hujus partis impugnationem respondemus hæc verba proferri a sacerdote ut gerente personam Christi loquentis in ultima cœna ; perinde scilicet ac si ipse Christus cum discipulis recumbens diceret : *Bibite ex hoc omnes : Hic est enim calix sanguinis mei, qui pro vobis, et pro multis effundetur.* Quæ verba, quatenus ad illud tempus, ac repræsentationem trahuntur, verissime enuntiari possunt.

Nota. Et quamvis sacerdos intendat (sic tacitæ occurrimus objectioni,) consecrare materiam tunc sibi præsentem, non autem vinum, quod fuit materia consecrata in ultima Christi cœna ; minime id obstat prædictorum verborum veritati : quia vinum præsens convertitur in ipsissimum numero Christi sanguinem, qui fuit terminus conversionis in ultima cœna . de quo vere dictum est, et nunc vere per retractionem ad illud tempus dicitur, *Qui pro vobis, et pro multis effundetur.* Porro sacerdotem constituere se præsentem illi tempori, in quo Christus consecravit (per quod magis confirmatur præmissa doctrina), et similiter repræsentare materiam ut præsentem illi tempori, quo Christus sacramentum hoc instituit ; vel ex eo liquet, quod sacerdos ait : *Et accipiens hunc præclarum calicem in sanctas, ac venerabiles manus suas* etc. In quibus verbis manifestum est, quod sacerdos calicem illum, quem in manibus habet, præsentem facit illi tempori, in quo Christus consecravit. Idem itaque dicendum est de vino : idemque a fortiori de sanguine, qui est terminus transubstantiationis.

57. Nec refert, si insistas, quod si sacerdos ea verba, *Qui pro vobis, et pro multis effundetur* diceret modo, quem affirmamus, nempe assertive, et formaliter, non comprehenderetur ipse sacerdos in ly *pro vobis, et pro multis* : quia significative loquendo non significat se ipsum, sed alios. Consequens autem est absurdum ; siquidem Christus fudit sanguinem non tantum pro aliis, sed etiam pro sacerdote. Id, inquam, non refert : quia sacerdos potest considerari ut persona privata : quo pacto continetur in illis verbis *pro vobis, et pro multis,* sicut et omnes alii, qui indigent redemptione per Christum. Potest etiam considerari, ut induit personam Christi, et loquitur in ejus persona (et sic loquitur, quando loquitur significative) et hac ratione non continetur in illis verbis, *pro vobis,* sed est repræsentative ipse Christus illa verba proferens. Replica. Solutio.

58. Arguitur tertio : nam ut sacerdos posset vere significative dicere, *Hoc est corpus meum,* deberet ibi supponere corpus Christi antecedenter ad prolationem prædictorum verborum : sed id non contingit ; cum corpus Christi ibi ponatur per conversionem panis ex vi verborum consecrationis : ergo sacerdos non profert illa verba significative sed solum recitative. Major suadetur : quia illa verba significative dicta demonstrant id quod jam est ; non vero quod fiet, aut post illa erit. Tertium argumentum.

Respondetur negando majorem. Et ad probationem dicendum est veritatem prædictorum verborum non esse speculativam, quæ sumitur ab objecto, illudque proinde supponit : Evertitur.

supponit : sed esse practicam, sacramentalem, et factivam objecti : unde sufficit, quod illud præsens habeat in ultimo instanti prolationis verborum. Quod negare non possunt Adversarii, si eorum argumentum applicetur verbis eisdem, quibus Christus consecravit : nam Christus ea protulit non recitative, sed assertive, et formaliter : et tamen non supposuit objectum, sive transubstantiationem passivam, sed hæc prædictis verbis induxit. Idem itaque contingit in sacerdote, cum significative loquitur in persona Christi. Quam doctrinam egregie tradit D. Thomas art. 5 cit. ubi relatis, et rejectis pluribus aliorum expositionibus circa significationem, et veritatem illorum verborum, tandem concludit : « Et ideo aliter dicendum est, « sicut prædictum est, hæc locutio habet « virtutem factivam conversionis panis in « corpus Christi. Et ideo comparatur ad « alias locutiones, quæ habent solum vim « significativam, et non factivam, sicut « comparatur conceptio intellectus practici, « quæ est factiva rei, conceptioni intellec« tus nostri speculativi, quæ est accepta a « rebus : nam verba sunt signa intellec« tuum secundum Philosophum. Et ideo « sicut conceptio intellectus practici non « præsupponit rem conceptam, sed facit « eam : ita veritas hujus locutionis non « præsupponit rem significatam, sed facit « eam. Sic enim se habet verbum Dei ad « res factas per verbum. Hæc autem con« versio non fit successive, sed in instanti, « sicut dictum est art. 2. Et ideo oportet « quidem intelligere prædictam locutionem « secundum ultimum instans prolationis « verborum : non tamen ita, quod præsup« ponatur ex parte subjecti id, quod est « terminus conversionis, scilicet quod « corpus Christi sit corpus Christi : neque « etiam illud, quod fuit ante conversionem, « scilicet panis : sed id, quod communiter « se habet quantum ad utrumque, scilicet « contentum in generali sub istis specie« bus. Non enim faciunt hæc verba, quod « corpus Christi sit corpus Christi ; neque « quod panis sit corpus Christi : sed quod « contentum sub his speciebus, quod prius « erat panis, sit corpus Christi. » Hæc S. Doctor breviter, subtiliter, et perspicue.

D. Tho.

59. Secunda sententia eidem assertioni contraria docet verba consecrationis proferri a sacerdote solum significative, non autem recitative. Ita Gabriel lect. 48 in can. *Missæ*. Marsilius in 4, quæst. 6, articul. 1, ad 6 dubium. Vazquez disput. 200, cap. 2, Amicus disput. 24, sect. 4, Bernal disput. 39, sectione 4 et alii. Probatur primo : quia sacerdos consecrans eodem sensu loquitur, quo locutus est Christus, cum primo istud sacramentum consecravit : sed Christus locutus est solum significative, non autem recitative : ergo idem de sacerdote nunc consecrante dicendum est. Minor liquet : nam Christus consecrans non recitavit alterius factum, aut verba ; sed propria verba direxit ad materiam sibi præsentem, illam illis transubstantiando : quod est loqui formaliter, et assertive.

Secunda sententia contraria. Gabriel. Marsil. Vazq. Amicus. Bernal. Primum argumentum.

Respondetur concedendo præmissas, et negando consequentiam, quæ minus recte ex illis colligitur : nam ut sacerdos consecrans loquatur in eodem sensu, quo Christus, quando consecravit, sufficit sacerdotem induere Christi personam, et proferre ex ejus persona prædicta verba formaliter, et assertive : sic enim locutus fuit Christus consecrans. Quæ quidem vera sunt, ut supra ostendimus. Sed ulterius habet sacerdos, quod referat factum, et verba Christi (quod Christus primo consecrans non habuit), et secundum hanc rationem pronuntiat sacerdos prædicta verba recitative, et materialiter, nempe ut a Christo dicta. Unde licet loquatur in eodem sensu, quo locutus est Christus, videlicet formaliter, et significative ; loquitur nihilominus in alio etiam sensu, in quo Christus locutus non fuit, nempe recitative, et materialiter. Providit enim Christus, quod in hoc mysterio sic adesset facti veritas, ut simul esset repræsentatio ejus, quod in cœna contigit. Unde dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*. Et Ecclesia canit : *Quod in cœna Christus gessit, faciendum hoc expressit in sui memoriam.*

Solvitur.

60. Sed replicabis (et sit secundum argumentum) quia impossibile est sacerdotem proferre verba consecrationis simul significative, et recitative : sed sacerdos illa pronuntiat significative, ut concedimus : ergo non profert illa recitative. Probatur major : tum quia verba dici significative est dici formaliter ; et verba proferri recitative est proferri materialiter : sed impossibile est eadem verba accipi simul materialiter, et formaliter : ergo et

Secundum argumentum.

quod sacerdos illa dicat simul significative, et recitative. Tum etiam, quia si sacerdos dicat recitative *Hoc est corpus meum*, pronomen *Hoc* demonstrat illas species, quas Christus habuit in manibus : si autem illa verba significative pronuntiet, ly *Hoc* demonstrat eas species, quas ipse sacerdos in manibus habet : impossibile autem videtur, quod pronomen *Hoc* unas, et alias demonstret ; cum sint adeo diversæ, et constitutæ sub tam differentibns circumstantiis. Confirmatur : nam qui recitat verba alterius, non habet intentionem significandi, vel asserendi per illas ; unde provenit, quod qui refert mendacium, vel hæresim alterius, non ideo mentiatur, aut hæreticus sit : ergo si sacerdos comparatur ut recitans verba Christi, non potest per ea significative loqui ; et e converso si illa verba significative pronuntiat, nequit illa proferre recitative.

Confirmatio.

Satisfit argumento.

Ad argumentum respondetur negando majorem : nulla enim est implicatio in eo, quod eadem verba ab eodem proferantur simul recitative, et significative : potest enim quis intendere dicere aliqua verba tum ut ab alio dicta, tum ut dicta a se, atque explicantia proprium conceptum, intentionem, aut desiderium. Sic enim sacerdos in Missa recitat Orationem Dominicam ut a Christo dictam, et simul orat per eam. Et hoc etiam modo sacerdos consecrans refert factum, et verba Christi primo consecrantis, et simul ipse assertive loquitur transubstantiando materiam præsentem. Unde ita se gerit, ac si dicat : « Christus Dominus accepit panem dicens « super eum, quod ego in persona ejus « dico super istum panem, Hoc est corpus « meum. » Ubi manifestum est verba sumi utroque modo, nempe recitative, ut referuntur a Christo dicta ; et simul significative, ut proferuntur a sacerdote in persona Christi. Ad primam autem probationem in contrarium dicendum est vocem aliquam dupliciter sumi materialiter. Uno modo si sumatur pro se ipsa entitative, et non pro aliqua re significata : et sic repugnat eandem vocem sumi materialiter, et formaliter : sicut et quod habeat, et non habeat significationem. Alio modo, si ejus significatio sumatur ut concepta, et ab alio expressa : et ita non implicat eandem vocem sumi materialiter, et formaliter : quia non implicat aliquem referre alterius verbum, et velle etiam per illud significare, ut supra diximus. Ad secundam probationem dicendum est ly *Hoc* significare contentum sub speciebus, ut num. 57 vidimus ex D. Thoma. Et nulla est implicatio in eo, quod sacerdos illo pronomine referat Christum dixisse id, quod habeat in manibus, esse corpus suum ; et simul in persona Christi loquens affirmet id, quod tunc habet in manibus, esse corpus suum, id est, Christi.

Evertitur confirmatio.

Ad confirmationem respondemus fieri posse, ut ille, qui recitat alterius verba, non intendat per illa significare, aut loqui : et sic referentes aliorum mendacia, solent a mendacio excusari, sicut David se gessit referendo impium dixisse, *Non est Deus*. Sed tamen nec repugnat, quod referens verba alterius idem sentiat, atque intendat significare : unde posset quis eisdem verbis mentiri, et hæresim prodere, ut si quis cum impio sentiens, et eandem impietatem explicare volens proferret : *Dixit impius in corde suo, Non est Deus*. Et eodem proportionabiliter modo se gerit sacerdos consecrans, cum ex una parte refert, quæ Christus gessit, et dixit ; atque ex alia parte vult in ejus persona eadem dicere, et facere pronuntiando : *Hoc est corpus meum*.

Alia dubia remissive.

61. In fine hujus disputationis advertere duximus (ne forte lector plura in illa dubia desideret), aliquos sub ejus titulo alias difficultates versare, quas alibi, nempe in suis sedibus discussas reliquimus. Unde illas insinuare hoc loco sufficiet, et ad propria remittere. Prima est, an verba consecrationis sint forma sacramenti Eucharistiæ, et utrum illud intrinsece constituant? Ad quam difficultatem constat ex dictis tract. præced. disp. 2, dub. 2, per totum. Secunda difficultas, utrum verbis consecrationis insit aliqua virtus realis effectiva transubstantiationis : sive, et in idem redit, an verba consecrationis concurrant instrumentaliter physice ad convertendum panem, et vinum in corpus, et sanguinem Christi ? Quam quæstionem attigit D. Thomas specialiter in art. 4 hujus quæst. Sed quid in ea responderi debeat, diximus ex professo tract. cit. disp. 4, dub. 3 et 4, quin opus sit alia addere. Tertia difficultas est, in qua duratione prædicta verba causent suum effectum, sive transubstantiationem ? Ad quam ex professo respondimus loco

loco immediate citato, dub. 5, tradentes generalem resolutionem pro omnibus sacramentis. Quarta difficultas est, et proponitur a D. Thoma in art. 6 hujus quæstionis, utrum forma consecrationis panis consequatur suum effectum, antequam perficiatur forma consecrationis vini? Cujus difficultatis resolutio constat ex supra dictis disp. 4, dub 5. Unde nihil jam sub hujus disputationis titulo nobis occurrit, pro quo opus sit novum dubium aperire.

QUÆSTIO LXXIX.

De effectibus sacramenti Eucharistiæ, in octo articulos divisa.

Deinde considerandum est de effectibus hujus sacramenti, Et circa hoc quæruntur octo. Primo.

ARTICULUS I.

Utrum per hoc sacramentum conferatur grat.a?

Ad primum sic proceditur. Videtur quod per hoc sacramentum non conferatur gratia. Hoc enim sacramentum est nutrimentum spirituale. Nutrimentum autem non datur nisi viventi Cum ergo vita spiritualis sit per gratiam, non competit hoc sacramentum nisi habenti gratiam. Non ergo per hoc sacramentum confertur gratia, ut primo habeatur, similiter etiam nec ad hoc quod augeatur: quia augmentum spirituale pertinet ad sacramentum Confirmationis, ut dictum est. Non ergo per hoc sacramentum gratia confertur.

Præterea: Hoc sacramentum confertur ut quædam spiritualis refectio. Sed refectio spiritualis magis videtur pertinere ad usum gratiæ, quam ad gratiæ collationem. Ergo videtur quod per hoc sacramentum gratia non conferatur.

Præterea: Sicut supra dictum est, in hoc sacramento corpus Christi offertur pro salute corporis, sanguis autem pro salute animæ. Sed corpus non est subjectum gratiæ, sed anima: ut in secunda parte habitum est. Ergo ad minus quantum ad corpus per hoc sacramentum gratia non confertur.

Sed contra est quod Dominus dicit Joan. 6: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Sed vita spiritualis est per gratiam. Ergo per hoc sacramentum gratia confertur.

Respondeo dicendum, quod effectus hujus sacramenti debet considerari, primo quidem, et principaliter ex eo quod in hoc sacramento continetur, quod est Christus. Qui sicut in mundum visibiliter veniens, contulit mundo vitam gratiæ (secundum illud Joan 1 Gratia, et veritas per Jesum Christum facta est) ita in hominem sacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur: secundum illud Joan. 6. Qui manducat me, vivet propter me. Unde et Cyril. dicit, vivificativum Dei verbum, uniens seipsum propriæ carni, fecit ipsam vivificativam: decebat ergo eum nostris quodammodo uniri corporibus per sacram ejus carnem, et pretiosum sanguinem, quæ accipimus in benedictionem vivificativam in pane, et in vino. Secundo, consideratur ex eo, quod per hoc sacramentum repræsentatur, quod est passio Christi sicut supra dictum est. Et ideo effectum, quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentum facit in homine. Unde super illud Joan. 19. Continuo exivit sanguis et aqua, dicit Chrysost. Quia hinc suscipiunt principium sacra mysteria cum accesseris ad tremendum calicem ut ab ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas. Unde et ipse Dominus dicit Matth. 26: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Tertio consideratur effectus hujus sacramenti ex modo, quo traditur hoc sacramentum, quod traditur per modum cibi, et potus. Et ideo omnem effectum, quem cibus et potus materialis facit quantum ad vitam corporalem (quod scilicet sustentat, auget, reparat, et delectat) hoc totum facit hoc sacramentum quantum ad vitam spiritualem. Unde Ambros. dicit in lib. de sacramentis. Iste panis est vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Et Chrysostom. dicit super Joan. Præstet se nobis desiderantibus et palpare, et comedere, et amplecti. Unde et ipse Dominus dicit Joan. 6: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Quarto consideratur effectus hujus sacramenti ex speciebus, in quibus traditur hoc sacramentum. Unde August. ibidem dicit, Dominus noster corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis: namque aliud, scilicet panis, ex multis granis in unum constat, aliud, scilicet vinum in unum ex multis acinis confluit. Et ideo ipse alibi dicit super Joan. O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum charitatis Et quia Christus et ejus passio est causa gratiæ et spiritualis refectio, et charitas sine gratia esse non potest, ex omnibus præmissis manifestum est, quod hoc sacramentum gratiam confert.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc sacramentum ex se ipso virtutem habet gratiam conferendi: nec aliquis habet gratiam ante susceptionem hujus sacramenti, vel nisi ex aliquo voto ipsius, vel per seipsum, sicut adulti: vel voto Eclesiæ, sicut parvuli: sicut supra dictum est Unde ex efficacia virtutis ipsius est, quod etiam ex voto ipsuis aliquis gratiam consequatur, per quam spiritualiter vivificetur. Restat igitur, ut cum ipsum sacramentum realiter sumitur, quod gratia augeatur, et vita spiritualis perficiatur. Aliter tamen quam per sacramentum Confirmationis, in quo augetur et perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Chrissi. Per hoc autem sacramentum augetur gratia, et perficitur spiritualis vita, ad hoc quod homo in seipso perfectus existat per conjunctionem ad Deum.

Ad secundum dicendum, quod hoc sacramentum confert gratiam spiritualiter cum virtute charitatis. Unde Damascen. comparat hoc sacramentum carboni, quæ Isaias vidit, Isai. 6: Carbo enim lignum simplex non est, sed unitum igni: ita et panis communionis non simplex panis est, sed unitus divinitati Sicut Greg. dicit in hom. Pentecost. Amor Dei non est otiosus; magna enim operatur, si est. Et ideo per hoc sacramentum quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiæ et virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum. secundum illud 2 ad Corinth 5: Charitas Christi urget nos. Et inde est, quod ex virtute hujus sacramenti anima spiritualiter reficitur per hoc quod anima spiritualiter delectatur, et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ: secundum illud Cantic. 5: Comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi.

Ad tertium dicendum, quod quia sacramenta operantur salutem, quam significant: ideo secundum quandam assi-

milationem dicitur, quod in hoc sacramento corpus offertur pro salute corporis, et sanguis pro salute animæ, quamvis utrumque ad salutem utriusque operetur, cum sub utroque totus sit Christus, ut supra dictum est Et licet corpus non sit immediatum subjectum gratiæ, ex anima tamen redundat effectus gratiæ ad corpus, dum in præsenti membra nostra exhibemus arma justitiæ Deo (ut habetur Rom 6.) et in futuro corpus nostrum sortietur incorruptionem et gloriam animæ.

Conclusio est affirmativa.

DISPUTATIO X.

De effectu sacramenti Eucharistiæ.

Postquam D. Thomas *in præcedentibus quæstionibus* absolvit considerationem eorum, quæ essentialiter pertinent ad sacramentum Eucharistiæ, ut sunt ejus propria ratio, unitas, et materia, ac forma, ex quibus constituitur : incipit ab hac quæst. 79, agere de aliis, quæ se habent extrinsece ad hoc sacramentum, ut sunt ejus effectus, usus, subjectum, et minister. Quæ quæstiones majori ex parte ad praxim pertinent, et non ita gravibus difficultatibus scholasicis implicantur. Unde qui moralia magis curant, cum ad hunc locum accedunt, videntur sibi ab scopulis emersisse, et gratissimam tenere planitiem. Sed nobis, qui ex instituto scholastica tractare suscepimus, his adhuc, et potissimum incumbendum est : et plane non pauca, nec admodum facilia occurrent, quæ superemus. Primo autem loco, ut ordinem D. Thomæ sequamur, de effectu hujus sacramenti dicamus. Unde sit

DUBIUM I.

Qui sint præcipui sacramenti Eucharistiæ effectus ?

Cum Eucharistia participet communem sibi, et aliis sacramentis conceptum, et insuper addat peculiarem sibi rationem differentialem, secundum quam cunctis aliis præeminet, ut explicuimus tract. præcedenti disp. 9, *dub.* 2, § 2, consequens est, quod habeat effectus sibi, et aliis sacramentis communes, de quibus fuse egimus tract. cit. disp. 4, per totam , et insuper vindicet aliquos effectus sibi peculiariter convenientes. Quare priores illos sufficiet, ubi opus sit, delibare ; ultimis autem expedit majorem applicatione mentis intentionem. Et in hoc sensu.

§ I.

Communis veritas asseritur.

1. Dicendum est sacramentum Eucharistiæ habere plurimos, et præstantissimos effectus. Hæc conclusio est communis vox Ecclesiæ Catholicæ in Conciliis, et Patribus. Ejus autem veritas evidenter constabit recensendo aliquos (omnes enim nequit intellectus creatus), ejus effectus in particulari, quos infra proponemus. Nunc vero satis erit aliqua testimonia inducere, quæ illam in communi suadeant. Concilium Tridentinum sess. 13, cap. 2, ait : « Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad « Patrem, sacramentum hoc instituit, in « quo divitias divini sui erga homines « amoris velut effudit, memoriam faciens « mirabilium suorum. » Unde Joannes agressurus narrationem ultimæ cœnæ, et introducturus institutionem Eucharistiæ, summo consilio præmisit, *Sciens*, nempe Jesus, *quia omnia dedit ei Pater in manus :* quia cum tanto sacramento omnia a manibus illam porrigentibus transfudit ad nos. Catechismus Romanus editus jussu S. Pii Quinti, agens de hoc sacramento ait : « Immensæ ejus utilitates, et fructus nulla « oratione explicari possunt. » Et infra : « Vere, ac necessario Eucharistia fons « omnium gratiarum dicenda est. » Quare ipsa eminenti ratione præhabet, et præstat, quidquid in aliis sacramentis, aut remediis tanquam in rivulis participamus. D. Hieronymus in cap. 3, Ecclesiast. « Hoc « solum habemus in præsenti sæculo « bonum, si vescamur carne ejus, cruore- « que potemur. » Div. Thomas in 4, distinctione 8, quæstione 1, artic. 2, quæstiunc 2 ad 4. « Omnium sacramentorum « effectus huic sacramento possunt adscribi, « in quantum perfectio est omnis sacra- « menti, habens quasi in capitulo, et « Summa, quæ alia sacramenta continent « sigillatim. » Div. Bonaventura in opusc. *de præparat. ad Missam :* « Tolle hoc sacra- « mentum de Ecclesia, et quid erit in « mundo, nisi error ? Et populus Christia- « nus erit quasi grex porcorum dispersus. Sed omnium luculenter S. Laurentius Justinianus in lib. de *casto connub. Verbi, et animæ,* capite 24 : « O memoriale salvifi- « cum ! O sacrificium singulare ! O hostia « acceptabilis Deo Patri ! Panis vitæ, pabu-

lum

Conclusio. Concil. Trident. Catech. Pii V. D. Hier. D. Tho. D. Bon. D. Laur. Justin.

« lum suave, refectio jucunda, saginate « vitule, immaculate agne, mellifluum « manna, quis digne potest te sumere, suf- « ficienter laudare, ad plenum intelligere, « sincero affectu venerari, et totis deside- « riorum suorum præcordiis tenere ? Defi- « cit cor meum cogitando de te : non valet « lingua mea loqui de te : nec, quantum « capio sufficio magnificare te. Da mihi, « Domine, eruditum sensum, linguam « magniloquam ad tui sacramenti pro- « menda magnalia. Non enim quanta sunt, « humanus valet explicare sensus, neque « Angelicus intellectus. Solus ille novit « ista, qui solus voluit facere tanta, ac « talia. » Et hæc in communi satis probant assertionem : quæ constabit magis descendendo ad peculiares effectus. Et primo occurrit.

§ II.

Prima gratia sanctificans.

Concil. Trident. 2. Fides docet sacramentum Eucharistiæ conferre gratiam. Diffinivit enim Concilium Tridentinum sess. 7, can.6 : « Si quis dixe- « rit sacramenta novæ legis non continere « gratiam, quam significant, aut gratiam « ipsam non ponentibus obicem non con- « ferre etc. anathema sit. » Diffinivit prætere Eucharistiam esse vere, et proprie sacramentum novæ legis, ut constat ex eadem sess. can, 1, ubi statuit : « Si quis « dixerit sacramenta novæ legis esse plura, « vel pauciora, quam septem, videlicet « Baptismum, Confirmationem, Eucharis- « tiam etc. aut etiam aliquod horum sep- « tem non esse vere et proprie sacramen- « tum ; anathema sit. » Unde consequens est juxta diffinitionem Ecclesiæ sacramentum Eucharistiæ continere, et causare gratiam. Quod generali ratione a nobis ostensum fuit tractatu præced. disp. 4, dub. 1. Cæterum cum gratia sit duplex, alia scilicet actualis, sive per modum auxilii ; alia vero habitualis, sive per modum formæ, et naturæ : et rursus cum gratia habitualis possit considerari vel quantum ad primam sui infusionem, et substantiam, vel quantum ad sui augmentum : dubitari de his omnibus valet. Sed prius dicemus de gratia habituali ut primo, et quoad substantiam infusa.

Nota. Pro quo observare oportet (quod ex professo tradidimus tract. præced. disp. 4, dub. 7), dupliciter intelligi posse, quod aliquod sacramentum causet primam gratiam : uno modo per se, sive ex vi suæ institutionis, et significationis : alio modo per accidens, quia cum proprium, et per se effectum causare non valeat, aliquid aliud inducit. Idque facile intelligitur juxta doctrinam communiter receptam, quod sacramenta mortuorum ordinantur per se, sive ex propria institutione, et significatione ad causandum primam in suscipiente gratiam : sed cum aliquando contingat hanc in subjecto præsupponi, contingit etiam talia sacramenta causare per accidens, non quidem primam gratiam, sed ejus augmentum. Et eadem ratione fieri potest, quod sacramenta vivorum, quæ per se ordinantur ad causandum augmentum gratiæ, quam per se in suscipiente supponunt, causent per accidens primam gratiam : quando videlicet hæc in subjecto non præsupponitur, et aliunde non occurrit obex pro ejus infusione. Unde loco citato generaliter statuimus omnia sacramenta novæ legis causare primam gratiam, nempe vel per se, quod convenit sacramentis mortuorum ; vel saltem per accidens, quod convenit vivorum sacramentis.

3. Loquendo itaque de causalitate per se, tenendum est sacramentum Eucharistiæ non causare primam gratiam sanctificantem. Quoniam Eucharistia est sacramentum vivorum, quod proinde supponit in suscipiente primam vitam gratiæ. Unde instituta est in specie cibi, et potus, qui non ordinantur ad revocandum mortuis vitam, sed ad vitæ præexistentis conservationem. Per se itaque loquendo non causat primam gratiam. Nec obest, quod Eucharistia solet dici medicina pecccatorum : medicina autem prodest per se male habentibus. Et in Post communione oramus, « Hæc nos communio Domine, purget a « crimine, » et rursus, « Sit intercessio « salutaris ad veniam, sit ablutio scelerum etc. » Nam respondendum est Eucharistiam dici medicinam, non solum quia remittit venialia quoad culpam ; et quia delet aliquem reatum, sive partem pœnæ temporalis pro mortalibus debitæ, (in quo sensu explicandæ sunt auctoritates inductæ, et aliæ similes, ut infra dicemus), verum etiam quia est contra peccata mortalia, non quidem ea per se excludendo ; sed

An Eucharistia causet primam gratiam?

In quo sensu medicina?

ab illis per se præservando, ut explicabimus. Quod duplex genus medicinæ in spiritualibus admittendum est, sicut in naturalibus admittunt, et docent curandorum corporum periti : aliqua enim sunt, quæ non prosunt primæ saluti adquirendæ, sed ejus robori, ac permanentiæ.

Si vero loquamur de causalitate per accidens, negari non debet Eucharistiam causare aliquando primam gratiam sanctificantem. Sic expresse docet D. Thom. in præsenti quæstione artic. 3, ubi ait : « Potest hoc sacramentum operari remissionem peccati dupliciter. Uno modo non perceptum actu, sed voto : sicut cum quis primo justificatur a peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conficientiam, et affectum non habet : forte enim primo non fuit sufficienter contritus : sed devote, et reverenter acccedens consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, et remissionem peccati.» Et similia tradit in 4 sent. dist. 9, q, 1, art. 3, quæstiunc. 2, et dist 12, quæst. 2, art. 2 quæstiunc. 2 ad 1, et dist. 23, quæst. 1, artic. 2, quæstiunc. 1. Unde sic docent D. Thomæ discipuli, et alii plures, quos allegavimus loco cit. Et probatur breviter ex ibidem dictis : tum quia omnia sacramenta novæ legis habent vim causandi primam gratiam vel per se, vel per accidens : Eucharistia autem est sacramentum novæ legis, et non causat primam gratiam per se, ut proxime vidimus : ergo causat illam saltem per accidens. Tum exemplo sacramentorum mortuorum, quæ licet per se non causent gratiæ augmentum, sed primam gratiam ; nihilominus possunt causare per accidens augmentum gratiæ : ergo pariter sacramenta vivorum, cujusmodi est Eucharistia, licet per se non causent primam gratiam, sed ejus augmentum ; possunt tamen causare per accidens primam gratiam. Tum ratione satis efficaci, quia sacramenta novæ legis communicant gratiam subjecto non ponenti obicem, ut docet Concilium Tridentinum supra relatum : sed fieri valet, quod quid existens sine prima gratia accedat ad Eucharistiam, et nullum obicem ponat : ut plane contingit in eo, qui nullius peccati mortalis (quo tamen maculatur), conscientiam habet ; et aliunde habet attritionem, et displicentiam de omnibus peccatis in communi : ergo sacramentum Eucharistiæ homini sic accedenti communicat gratiam : sed non supponit in eo subjecto aliam gratiam : ergo communicat illi gratiam primam, sive gratiam sanctificantem secundum substantiam. Tum denique quia id non obscure significant Patres, et tota Ecclesia : nam D. Augustin. tract. 26, *in Joan.* ait : « Qui vult vivere, habet, unde vivat : accedat, credat, incorporetur, ut vivat. » D. Ambrosius *de benedict. Patriarch.* cap. 9. « Panis hic remissio peccatorum est. » P.N.D.Cyrillus lib. 4, *in Joan.* cap. 17. « Non solum mortem, verum etiam omnes morbos depellit. » S. Damascenus lib. 4, *de fide*, cap. 14 : « Eam vim habet, ut spurcitiam omnem abstergat. » D. Chrysost. hom. 45, *in Joan.* « Hic panis animarum nostrarum salus est : hoc lavatur anima. » Et similia proferunt alii Patres apud Pradum quæst. 79, dub. 6, § 2. Ecclesia etiam poscit, ut « hoc sacramentum sit ablutio scelerum, » quod magis proprie de mortalibus, quam de venialibus dicitur. Et in Concilio Tridentino sess. 13, can. 5, statuimus : « Si quis dixerit vel præcipuum sanctissimæ Eucharistiæ effectum esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire ; anathema sit. » Ubi supponitur remissionem peccatorum esse unum de effectibus Eucharistiæ. Et sermo est de mortalibus : nam dirigitur contra Lutherum, qui asserebat præcipuum Eucharistiæ effectum esse mortalium remissionem, ut bene observavit Bellarmin. lib. 4, *de Euchar.* cap. 18. Ea vero, quæ contra hanc resolutionem ab aliquibus objiciuntur, diluta fuerunt loc. sup. cit. unde non oportet circa hoc magis immorari.

[Marginalia: D. Tho. — Ratio. — D. Aug. — D. Amb. — N. Cyril. — D. Dam. — Prado. — Concil. Trident. — Bellarm.]

§ III.

Augmentum gratiæ, modus gratiæ sacramentalis, et gratia auxilians.

4. Alensis in 4 p. q. 41, memb. 2, juxta editionem antiquam : et in nova editione q. 10, memb. 8, art. 2, asseruit per Eucharistiam non augeri gratiam habitualem secundum substantiam, sed solum secundum robur tam ad vincendum tentationes, quam ad vitandum venialia, mediantibus auxiliis gratiæ actualis, quæ nobis

[Marginalia: Falsa aliquorum sententia.]

bis virtute Eucharistiæ dantur. Et id ipsum significat D. Bonav. in 4, dist. 12, p. 2, art. 1, q. 3, et Richard. ibid. art. 5, q. 2. Fundamentum Alensis erat ab inconvenienti : quia si gratia habitualis secundum substantiam in nobis augeretur ; cresceret in nobis in immensum sanctitas substantialis per frequenter repetitam hujus sacramenti sumptionem : quod tameh apparet incredibile, et admitti non debet.

Alensis. D. Bon. Richard.

Repellitur. Sed de fide esse censemus (censent etiam communiter Theologi moderni), quod Eucharistia causat augmentum gratiæ proprie dictum, sive secundum substantiam, et non prodesse quantum ad auxilia actualia. Nam de fide est sacramenta novæ legis causare gratiam in non ponentibus obicem, ut diffinivit Concil. Trid. sed Eucharistia est sacramentum novæ legis : ergo causat gratiam in non ponentibus obicem : sed non causat per se primam gratiam, ut num. præcedenti vidimus : ergo causat augmentum prædictæ gratiæ : quod plane non consistit in auxiliis postea supervenientibus, sed in ipsa substantiali gratiæ intentione. Et sic satis aperte docet Ecclesia : nam concil. Florentinum in decreto Eugenii § *Tertium est* inquit : « Hujus sacramenti effectus, quem in anima « operatur digne sumentis, est adunatio « hominis ad Christum. Et quia per gratiam « homo Christo incorporatur, et membris « ejus unitur ; consequens est, quod per « hoc sacramentum in sumentibus digne « gratia augeatur. » Ubi manifestum est sermonem esse de gratia habituali, seu sanctificante : quia per hanc Christo incorporamur. Similiter Concilium Trident. sess. 13, cap. 2, loquens de Cristo Domino ait : « Sumi autem voluit sacramentum hoc « tanquam spiritualem animarum cibum, « quo alantur, et confortentur vita illius, « qui dixit : Qui manducat me, et ipse « vivet propter me : et tanquam anti« dotum, quo liberentur a culpis quoti« dianis, et a peccatis mortalibus præser« vemur. » Clem. V, *in Clement. Si Dominum de reliquiis, et venerat. Sanct.* de hoc sacramento agens inquit : « In quo a malo « retrahimur, et bono confortamur, et ad « virtutum, et gratiarum proficimus incre« menta. » Denique ut alia ejusmodi omittamus, Angelicus Doctor in præs. 1 ad 1 ait : « Dicendum quod hoc sacramentum « ex se ipso virtutem habet gratiam con« ferendi : nec aliquis habet gratiam ante « susceptionem hujus sacramenti, vel nisi « ex aliquo voto ipsius ; vel per se ipsum, « sicut adulti ; vel voto Ecclesiæ, sicut par« vuli, sicut supra dictum est in quæst. 73, art 3 » (et nos diximus disp. 3, dub. 1). « Unde « ex efficacia virtutis ipsius est, quod etiam « ex voto ipsius aliquis gratiam consequa« tur, per quam spiritualiter vivificetur. « Restat igitur, ut cum ipsum sacramen« tum realiter sumitur, quod gratia augea« tur, et vita spiritualis perficiatur. » Idque magis constabit ex dicendis num. sequenti. Motivum autem Alensis nullius momenti est, et quod dispellitur exemplo augmenti substantialis gratiæ, et charitatis, quod homo justus singulis diebus, et horis comparare sibi potest eliciendo ferventiores actus charitatis, et aliarum virtutum ex charitate. Si enim nullum est inconveniens, quod justus se exercendo in bonis operibus crescat in sanctitate apud Deum, et augeat gratiæ sanctificantis habitum : cur absurdum reputabitur, quod per frequentem Eucharistiæ susceptionem crescat similiter substantiali gratiæ incremento ? Et plane illud Alensis motivum eodem modo militat in sacramento pœnitentiæ, quod justus frequentissime suscipere valet repetendo antiquam præteritorum peccatorum materiam : et tamen in singulis absolutionibus recipit novum, et substantiale gratiæ sanctificantis augmentum, ut communiter docent omnes, et nemo reputat inconveniens.

Concil. Flore. — Concil. Triden. — Clem. V. — D. Tho. — Inconveniens objectum eliditur.

Major resolutionis explicatio. 5. Verum quia omnia vivorum sacramenta conveniunt in communicando per se gratiæ sanctificantis augmentum ; et aliunde oportet, quod singula sacramenta causent specialem, et unicuique respondentem gratiam sacramentalem, quæ supra communem sanctificantem addit peculiarem modum intrinsecum, ut ex professo tradidimus tract. præced. disp. 4, dub. 9, ideo oportet, quod Eucharistia causet gratiæ augmentum, non utcumque sumptum, sed speciali, et sibi correspondenti modo determinatum : et quod in hoc differat a cæteris sacramentis, et præsertim a Confirmatione, cujus etiam est præstare augmentum, et robur in vita spirituali. Id vero optime declarat D. Thom. in præs. art. 1, in corp. ubi ait : « Tertio conside« ratur effectus hujus sacramenti ex modo, « quo traditur hoc sacramentum, quod tra-

D. Tho.

ditur per modum cibi, et potus. Et ideo « omnem effectum, quem cibus, et potus « materialis facit quantum ad vitam cor- « poralem, quod scilicet sustentat, auget, « reparat, et delectat; hoc totum facit hoc « sacramentum quantum ad vitam spiri- « tualem. Unde Ambrosius dicit in lib. de « sacramentis, Iste panis est vitæ æternæ, « qui animæ nostræ substantiam fulcit. » Et in resp. ad 1, inquit : « Restat igitur, « ut cum ipsum sacramentum realiter « sumitur, quod gratia augeatur, et vita « spiritualis perficiatur. Aliter tamen, « quam per sacramentum confirmationis, « in quo augetur, et perficitur gratia ad « persistendum contra exteriores impu- « gnationes inimicorum Christi. Per hoc « autem sacramentum augetur gratia, et « perficitur spiritualis vita ad hoc, quod « homo in se ipso perfectus existat per « conjunctionem ad Deum. » Ex quibus liquet effectum hujus sacramenti esse augmentum gratiæ per modum cibi spiritualis reficientis, roborantis, et delectantis animam in se. Et constat in eo præsertim distingui ab effectu gratiæ, quæ confertur in sacramento confirmationis, quod ista datur principaliter in ordine ad actus externos propugnandi fidem contra inimicos : gratia vero propria Eucharistiæ alit spiritualiter hominem in se, reparando, confortando, et delectando, ut magis ex actibus harum gratiarum constabit juxta immediate dicenda.

Quid de auxiliis? 6. Quia vero gratiæ sacramentali, sive (et in idem redit), gratiæ sanctificanti ut per peculiares modos sacramentorum proprios determinatæ correspondent, et dantur auxilia actualia ad actus peculiares prædictæ gratiæ correspondentes, ut explicuimus loco citato : consequens est, quod Eucharistiæ, et gratiæ per illam communicatæ correspondeant peculiaria auxilia gratiæ actualis. Unde sicut gratiæ sacramentali confirmationis debentur auxilia ad confitendum, et tuendum fidem coram persecutores ; et gratiæ sacramentali ordinis debentur auxilia ad exercendum sancte, et legitime actus hierarchicos ; et gratiæ sacramentali matrimonii debentur auxilia ad castam vitam matrimonialem, et sustinendum onera matrimonii : sic etiam gratiæ sacramentali Eucharistiæ debentur auxilia ad peculiares actus, nempe ad actualem unionem cum Deo per exercitium amoris charitatis, et dulcem quietem in ipso : ut sic animus impinguetur, et roboretur, ut corpori contingere solet in corporalis cibi, et potus sumptione, et optime declarat D. Thom. loco cit. in resp. ad 2, his verbis : « Dicendum, quod hoc sacra- « mentum confert gratiam spiritualiter « cum virtute charitatis. Unde Damascenus « comparat hoc sacramentum carboni, « quem Isaias vidit. Carbo enim lignum « simplex non est, sed unitum igni. Ita et « panis communionis non simplex panis « est, sed unitus divinitati. Sicut autem « Gregorius dicit in hom. Pentec. amor « Dei non est otosius : magna enim opera- « tur, si est. Et ideo per hoc sacramentum, « quantum est ex sui virtute non solum « habitus gratiæ, et virtutis confertur ; sed « etiam excitatur in actus, secundum illud 2 « ad Corinth. 5. Charitas Christi urget nos. « Et inde est, quod ex virtute hujus sacra- « menti anima spiritualiter reficitur per « hoc, quod anima spiritualiter delectatur, « et quodammodo inebriatur dulcedine « bonitatis divinæ, secundum illud Cantic. « 5. Comedite amici, et inebriamini Cha- « rissimi, » ut statim magis confirmabimus. D. Tho.

§ IV.

Devotio, et dulcedo spiritualis.

7. Est hic peculiaris effectus sanctissimæ Eucharistiæ. Cum enim alimentum non solum reparet vires, sed alacres ad operandum faciat ; quo nobilius fuerit, eo expeditiores faciet, perfundetque suæ suavitatis deliciis. Unde Eucharistia, quæ instituta est per modum alimenti, est que omnium præstantissimum, utpote continens omnis virtutis, et dulcedinis auctorem, expeditos, et devotissimos ad omne bonum suscipientes reddit, jucundissimam instillando animi dulcedinem, cordisque lætitiam, ut res omnes divini obsequii hilari, celerique animo aggrediantur. Et sic Patres frequenter prædicant, diversa in id accommodantes Scripturæ loco, ut Isaiæ 60 illud Isai. 60. *Mammilla Regnum lactaberis*, et illud ejusdem Prophetæ cap. 25. *Faciet Dominus exercituum in monte hoc* (nempe in Ecclesia) *convivium pinguium, et convivium vindemiæ; convivium pinguium medullatorum, et convivium vindemiæ defæcatæ.*

catæ. Quia videlicet maximæ, et castissimæ in convivio Eucharistico nobis exhibentur voluptates, ut præter alios (quos in copiosa adeo segete omittimus) luculenter expendit D. Cyprianus in serm. *de Cœna Domini* his verbis : « Quam præclarus est « calix iste! quam religiosa hujus potus « ebrietas! per quam accedimus Deo, et « quæ retro sunt, obliti, ad anteriora « extendimur, non habentes sensum hujus « mundi, cruci hæremus, sanguinem sugi- « mus, et intra ipsa Redemptoris nostri « vulnera figimus linguam, quo interius, « exteriusque rubricati a sapientibus hujus « sæculi judicamur amentes. Ut manna « sic, et hic panis omne delectamentum « in se habet; virtute mirifica omnibus, « qui digne, et devote sumunt, secun- « dum suum desiderium sapit, implet, « satiat edentium appetitus, et omnium « exuperat dulcedinum voluptates. Esus « igitur carnis hujus quædam aviditas est, « et quoddam desiderium manendi in Chris- « to, per quod sic imprimimus, et eliqua- « mus in nobis dulcedinem charitatis, ut « hæreat palato nostro, et visceribus sapor « dilectionis infusus, penetrans, et im- « buens omnes animi, corporisque reces- « sus. » Non possumus non addere ex Angelico Doctore in opusc. 57, quo utitur Ecclesia in hujus mysterii festivitate : « Suavitatem denique hujus sacramenti « nullus exprimere sufficit, per quod spi- « ritualis dulcedo in suo fonte gustatur : « et recolitur memoria illius, quam in sua « passione Christus monstravit excellentis- « simæ charitatis. »

D. Cyp. — D. Tho.

Objectio. 8. Sed occurrit hic vulgaris objectio, et non minus communis plurium quærimonia, qui cum in statu justitiæ ad istud sacramentum accedant, nihil tamen hujusmodi dulcedinis, et affectuosæ devotionis experiuntur; sed arenti palato panem hunc comedunt : ergo hujus sacramenti effectus non est illa devotio, sive spiritualis dulcedo, quam Patres tot elogiis exaggerant. Et heu nos miseri, qui ad sacramentum istud quotidie accedimus, qui hæc scribimus, qui in his circa ipsum speculationibus versamur : et nihilominus in numero objicientium, atque lugentium sumus, atque prædictam dulcedinem non tam gustamus, quam credimus.

Solutio. Respondetur differentiam esse inter effectum primarium hujus sacramenti, qui est augmentum gratiæ per modum cibi spiritualiter sustentantis, ac roborantis; et inter hunc effectum secundarium, qui est spiritualis dulcedo : nam prior ille infallibiliter datur omni accedenti in statu gratiæ, quamvis aliam dispositionem actualem non habeat, ut dub. 3 videbimus : sed posterior effectus exigit aliquam actualem dispositionem ex parte suscipientis, utputa reverentem attentionem, et ardens desiderium : unde qui non ita accedit, sed cum animi distractione, prædictum effectum non suscipit; quamquam sacramentum, quantum est de se, illum conferret. Et ubi id ab hac radice provenit, dignum plane ploratu est : non enim contingit absque aliquibus peccatis venialibus, et imperfectionibus in ipsa tam summi sacramenti susceptione. Verum enimvero contingit aliquando prædictum spiritualis dulcedinis effectum tunc non dari, cum sacramentum suscipitur; sed ex divina providentia servari in meliorem occasionem. Sicut enim sacramentum extremæ unctionis non semper causat sanitatem corporis; sed quando, et ubi oportet : sic præsumendum est sacramentum Eucharistiæ non semper causare hanc dulcedinem, et spiritualem fervorem, præsertim sensibilem, et redundantem ad vires inferiores; sed quando oportet secundem Ordinem dispositionis divinæ. Unde piissimus ille Thomas de Kempis lib. 4, cap. 15, monebat : « Oportet te devotionis gratiam instanter « quærere, desideranter petere, patienter, « et fiducialiter expectare, gratenter reci- « pere, humiliter conservare, studiose cum « ea operari, ac Deo terminum, et modum « supernæ visitationis, donec veniat, com- « mittere. Humiliare præcipue te debes, « cum parum, aut nihil devotionis interius « sentis : sed non nimium dejiici, nec inor- « dinate constristari. Dat sæpe Deus in uno « brevi momento, quod longo negavit tem- « pore. Dat quandoque in fine, quod in « principio orationis distulit dare. Si cito « semper gratia daretur, et pro voto ades- « set, non esset infirmo homini bene por- « tabile. Propterea in bona spe, et humili « patientia expectanda est devotionis gra- « tia. » Kempis.

Et observandum est (ut relinquatur nobis miseris istud consolationis, aut excusationis genus), quod Divus Antoninus 3 part. tit. 13, cap. 6, § 15, plures rationes Nota ex D. Ant.

et radices assignat, ob quas subtrahi solet hæc delectatio, sive dulcis devotio in susceptione Eucharistiæ. Et inter alia affirmat subtrahi aliquando sine culpa, ob bonas scilicet occupationes, aut distractiones studiorum, vel regiminis. Nam cum animæ nostræ virtus finita sit; ubi multum evacuatur per attentionem in studendo, fieri nequit, quod ita colligatur ad suscipiendum devotionis spiritum. Unde forte provenit, quod similem devotionis spiritualis dulcedinem magis aliquando gustent idiotæ, aut simplices, quam litterati. Quibus proponenda sunt, quæ hujus sacramenti devotissimus Divus Thomas tradit opusc. D. Tho. 58, capite 22, his verbis : « Sicut medicus « quandoque quibusdam dat medicinam « dulcem palato corporis; et quandoque « non sic, sed dulcem palato mentis : quæ « quamvis non gutturi, tamen bene sapit « rationi pro eo, quod sanam mentem « delectat. Sic Dominus dat suis fidelibus « dulce semper corpus : sed dulcedinem « suam alio modo istis, alio istis; prout « cuilibet expedire novit. Hinc est, quod « quidam dulcedinem istam sapiunt per « affectum, et ardentiori delectantur devo- « tione; et alii eandem dulcedinem sapiunt « per pium intellectum, et sufficienti refi- « ciuntur utilitate in eo, quod credunt, et « intelligunt per hunc cibum sanctum « veram vitam obtinere. Igitur quamvis « non sapis dulcedinem Domini primo « modo, id est, per affectum firmæ devo- « tionis : sapi tamen secundo modo, sci- « cet per intellectum multæ utilitatis. »

§ V.

Unio cum Christo, et inter fideles.

Unio cum Christo. 9. Hunc etiam specialem effectum habet Eucharistia. unire scilicet illam digne suscipientem cum Christo. Unde ipse dixit Joan. 6. Joann. 6 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in eo.* Et Concilium Florentinum in decreto Concil. Florent. supra citato docet « adunationem hominis « ad Christum esse effectum hujus sacra- « menti. » Patres etiam mire prædicant istam cum Christo unionem, N. Cyrillus N. Cyr lib. 4, *in Joann.* cap. 17. « Si quis ceræ « liquefactæ aliam ceram infuderit, alte- « ram cum altera per totam commisceat, « necesse est : sic qui carnem, et sangui- « nem Domini recipit, cum ipso ita con- « jungitur, ut Christus in ipso, et ipse « in Christo inveniatur. » Et lib. 11, cap. 13, addit : « Unde considerandum est non « habitudine solum, quæ per charitatem « intelligitur, Christum in nobis esse, « verum etiam et participatione naturali.» D.Hilar. S. Hilarius lib. 8, *de Trinitate* inquit : « Quisquis ergo naturaliter, Patrem in « Christo negabit, neget prius naturaliter, « vel se in Christo, vel Christum sibi « inesse : quia in Christo Pater, et Chris- « tus in nobis unum in his esse nos « faciunt. »Et infra :« Quomodo voluntatis « unitas asseritur,cum naturalis per sacra- « mentum proprietas perfectæ sacramen- « tum sit unitatis. » Et inferius. « Quod « autem in nobis naturalis hæc unitas sit, « ipse ita testatus est, Qui edit carnem « meam, et bibit sanguinem meum, in me « manet, et ego in eo. » Et D. Chrysosto- D.Chrys. mus hom. 88, *in Matth.* et hom. 45, *in Joann.* hanc unionem vocat *substantialem, naturalem, et corporalem.* Similia proferunt alii Patres significantes, quod sicut per matrimonium est tanta unio inter virum, et uxorem, ut dicantur duo in carne una, ob mutuam scilicet unius conjugis in alterius corpus potestatem : sic etiam maxima unio intercedit inter Christum, et suscipientem ipsum in Eucharistia : quia Christus se in hoc sacramento suscipienti dat, et suscipiens se vicissim Christo tradit. Unde S. Ephren in lib. *de extremo judicio* S. Ephr. inquit : « Est anima nostra sponsa sancta « facta immortalis sponsi. Nuptiarum au- « tem copulæ divina sunt sacramenta, per « quæ sancta anima conjungitur sponso, « dum cum timore, et tremore digne su- « muntur. »

Quibus testimoniis tantum aliqui deferunt, ut affirment fideles per hoc sacra- Aliquorum sententia. mentum digne sumptum consequi unionem cum Christo, non solum charitatis, et affectus, sed etiam realem, physicam, naturalem, substantialem, et propriam : ita quod caro Christi ; et caro suscipientis se tangant, et mirabili modo uniantur. Sic olim Cardinalis Mendoza Episcopus Mendoz. Burgensis publice docebat : et idem postea asseruit Granados controver. 6, tract. 9, Granad. disp. 1, per decem sectiones. Idem etiam in re tuetur Bernal disput.41, sect.6, quam- Bernal. vis hic Auctor observet prædictam unionem non esse in rigore physicam ; nec esse præcise

præcise moralem : sed appellandam plusquam pure moralem, et plusquam pure effectivam.

Minime probatur. 10. Sed sentimus cum communi sententia prædictum dicendi modum esse simpliciter falsum. Unde veritas explicanda est per sequentes propositiones. Prima est, physice loquendo datur aliqua unio inter corpus Christi, et corpus suscipientis ; non quidem formalis, et immediata, sed alterius rationis ; videlicet per modum continentis, et contenti, aut per modum causæ, et effectus. Primum facile constat : quia corpus Christi mediis speciebus existit, et continetur intra corpus sumentis, sicut etiam habet esse in sacrario. Sed hæc unio minime sufficit, ut caro Christi dicatur tangere corpus sumentis : quia Corpus Christi sub speciebus habet esse modo spirituali, et indivisibili : unde prout ibidem nec tangere, nec tangi valet, ut diximus disput. 6, dubio 5. Secundum etiam, quia ex sumptione Christi in sacramento resultant aliqui effectus ad corpus sumentis, ut infra declarabimus § 7 : ergo corpus Christi comparatur ad corpus sumentis tanquam causa ad passum, vel effectum. Sed prædicta unio, aut conjunctio non est formalis, sed virtualis, aut causalis ; eo proportionali modo, quo Angelus assistit cœlo, tangitque cœlum, quod movet. Secunda propositio : physice loquendo, non datur alia unio inter Christum, et suscipientem illum præter assignatam, quæ improprie loquendo vocatur unio ; cum re ipsa non sit aliud, quam conjunctio, sive indistantia. Ratio est perspicua : quia ex Christo, et sumente non fit aliquod unum unione substantiali, nec per identitatem, nec in natura, nec in persona nec mixtione, ut in elementis solet contingere, nec conversione, ut panis fit corpus Christi : rursus non fit aliquod unum unione accidentali, vel per modum accidentis, et subjecti, vel per continuationem unius corporis cum alio : denique fictitium, et voluntarium est ponere aliam unionem non revelatam, et incognitam. Nulla itaque datar unio physica, et propria tnter suscipientem Eucharistiam, et Christum sub speciebus receptum. Unde Divus Cyprianus *in serm. de Cœna Domini*, inquit : « Fidei nostræ infirmitas edocetur « visibilibus sacramentis in esse vitæ « æternæ effectum, et non tam corporali, « quam spirituali transitione nos Christo « uniri. » Sit tertia propositio : unionem inter Christum, et digne suscipientem esse moralem, et mysticam sive affectivam propter consensionem voluntatum in eodem volito. Hæc deducitur ex præcedentibus : nam inter Christum, et digne suscipientem datur aliqua unio, ut constat ex dictis num. præcedenti : et talis conjunctio non est mere sacramentalis (hanc enim etiam habet indigne suscipiens) : sed nec est physica, et propria, ut immediate statuimus : sequitur ergo sufficienti partium dinumeratione, quod sit spiritualis, et mystica propter consensionem affectuum, et similitudinem in operando. Idque, et non amplius haud obscure colligitur ex verbis Christi Domini *Joann*. 6. Nam postquam dixit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo,* per quæ verba significavit unionem inter ipsum, et suscipientem ; statim immediate quasi explicans hujus unionis conditionem subjunxit : *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter patrem : et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Id est sicut ergo diligo Patrem, et omnia refero ad Patris gloriam : ita me suscipiens diliget me, et omnia diriget ad gloriam meam. Ac si diceret, exponit Divus Augustinus tract. 26. in Joan. « Ut ergo vivam propter Patrem, « id est, ad illum tanquam ad majorem re« feram vitam meam, exinanitio mea fecit, « in qua me misit. Ut autem quisquam « vivat propter me, participatio facit, qua « manducat me. Ego itaque humiliatus vivo « propter Patrem : ille erectus vivit prop« ter me. » Accedit unionem suscipientis Eucharistiam cum Christo explicandam proportionabiliter esse, sicut unionem suscipientium Eucharistiam inter se : nam eadem habitudine comparantur membra cum suo capite, et inter se : unio autem, quam fideles suscipientes Eucharistiam consequuntur inter se, non est physica, et propria, sed spiritualis, mystica, et affectiva, ut nu. seq. dicemus.

Assertio nostra. D. Cyp. Alia. Joan. 6. D. Aug.

Diruitur oppositum fundamentum. Testimonia vero Patrum, quibus Adversarii utuntur, non urgent : quia Patres solum intendunt dari unionem inter Christum, et ipsum suscipientem : veram quidem, et valde intimam ; sed tamen mysticam, et affectivam. Quamvis autem utantur exemplis, in quibus adest unio physica ; hanc tamen non intendunt : nec alias in exemplis requiritur æqualitas, sed

quædam analogia, et similitudo. Præsertim cum impossibile sit inter Christum, et suscipientem Eucharistiam inveniri tantam unionem, quanta datur inter duas ceras liquefactas, et commixtas, quo exemplo utitur Divus Cyrillus : et tantam, quanta invenitur inter Patrem, et Filium in una natura divina, quo exemplo utitur Hilarius. Sunt itaque Patres pie in legitimo sensu accipiendi, et tanquam locuti per exaggerationem, ad quam excitat ardens in hoc mysterium devotio. Videatur Glossa in capit. *in Christo Pater, de consecrat.* dist. 2, ubi circa verba Divi Hilarii, quæ ibi proposuit Gratianus, notat littera *A* : « Verba « Sancti Hilarii prudenter, et diligenter « intelligenda sunt : quia licet planum sit, « quod intendit dicere, tamen obscuris, et « scrupulosis utitur verbis inclitus Doctor : « et ut dicit Sanctus Hieronymus, Gallicano cothurno extollitur, longis semper « periodis involvitur, et a locutione simplicium fratrum procul est. » Qui plura (nobis hæc sufficientia videntur) de hoc argumento voluerit, legat Turrecrematam in *prædictum caput in Christo.* Vazquium disput. 204, capit. 4, Lugum disput. 12, sect 2, Pradum in hac quæstione dubio 3, et alios apud istos.

Glossa.

Turrec. Vazq. Lugo. Prado.

Unio communicantium inter se.

11. Porro cum fideles Eucharistiam suscipientes uniantur cum Christo prædicto modo, nempe mystice, et affective, consequens est, quod similem unionem inter se habeant : nam ut vulgo dicitur, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Quare Christus in Eucharistia est quasi centrum, in quod fideles veluti lineæ confluunt, et uniuntur. Et in hoc sensu plures exponunt verba Christi *Joann.* 17 : *Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut, et nos unum sumus.* Sed multo evidentiora sunt verba Apostoli 1 *Ad Corinth.* 10 : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ? Quoniam unus panis unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Unde Concilium Tridentinum session. 13, cap. 5, docet, Christum voluisse Eucharistiam esse : « Symbolum « unius illius corporis, cujus ipse caput « existit, cuique nos tanquam membra arctissima fidei, spei, et charitatis connexione astrictos esse voluit, ut id ipsum « omnes diceremus, nec essent in nobis « schismuta. » Hinc Christus talem materiam pro isto sacramento providit, quæ significaret sanctorum societatem, et suscipientium unitatem. « Propterea quippe, » inquit Divus Augustinus tract. citato, « sicut etiam ante nos intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesus Christus « corpus, et sanguinem suum in eis rebus « commendavit, quæ ud unum aliquid re« diguntur ex multis. Namque aliud in « unum ex multis granis conficitur : et « aliud in unum ex multis acinis con« fluit. » Manifestum est autem fideles non uniri inter se unione physica, sed morali, mystica, et affectiva, nempe ut loquitur Concilium Tridentinum : *arctissima fidei, spei, et charitatis connexione.* Et hinc facile colligitur (quod supra dicebamus) simili unione uniri cum Christo in hoc sacramento. Hinc autem discant sacerdotes nostri peccata contra charitatem, et unionem fraternam habere specialem oppositionem cum hoc unitatis sacramento, et dictum sibi putent illud Matth. 5 : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversus te : relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens offeres munus tuum.* Et nisi ita se gerant. dulcemque hunc Eucharistiæ effectum sentiant, cæteros merito debent desperare fructus. Ut enim egregie monet Divus Chrysostomus homil. 33, in 1, *ad Corinth.* : Et « si sexcenta miracula edant, dum dissident « inter se, ridiculi cæteris erunt. Quemad« modum etiam si nullum signum edant, « diligant autem sese vere, suscipiendi, in« victique omnibus mortalibus permane« bunt. Nam et Paulum eam ob rem mira« mur ; magis autem quam ob mortuos sus« citatos, leprasve mundatas. Stupenda « vox est : Quis infirmatur, et ego non in« firmor ? Quis offenditur. et ego non uror ? « Sexcenta narra mihi miracula : nullum « huic æquiparandum adduces. » Sed de hoc alias.

Joan. 17.

1 Ad Corinth. 10.

Concil. Trident.

D. Aug.

Nota.

Matth. 5.

D. Chry.

§ VI.

Peccatorum remissio, et ab eis præservatio.

Distinguenda in peccatis.

12. Peccata alia sunt mortalia, et alia venialia : rursum utraque possunt considerari, vel quantum ad maculam, sive culpam, vel quantum ad reatum, sive pœnam

pœnam : tandem possunt considerari, vel quatenus commissa delentur, vel quatenus committenda vitantur. Et quantum ad hæc omnia habet Eucharistiam specialem effectum, nam ut inquit Concilium Tridentinum sess. 13, cap. 2, Christus voluit a nobis sumi hoc sacramentum « tanquam antidotum, quo liberemur a culpis venialibus, et a peccatis mortalibus præservemur. » Et de his omnibus breviter sua ordine dicemus.

Concil. Trident.

Resolutio.

Et quod ad remissionem peccatorum quantum ad culpam attinet ; tenendum est Eucharistiam non causare per se remissionem peccati mortalis ; posse tamen per accidens illam inducere. Liquet utrumque ex supra dictis num. 3 ; nam sacramentum Eucharistiæ eodem modo concurrit ad delendum maculam peccati mortalis, quo concurrit ad causandum primam gratiam justificantem, per quam illa macula excluditur : quamvis autem sacramentum Eucharistiæ non causet per se primam gratiam justificantem ; illam tamen potest per accidens efficere, ut loco citato ostendimus : ergo idem de remissione peccati mortalis quantum ad maculam dicendum est.

Alia.

13. Sed quod spectat ad venialia, sacramentum Eucharistiæ habet per se virtutem illorum maculas delendi. Idque statuit, et optime probat Divus Thomas in art. 4 præsentis quæst. his verbis : « Dicendum « est, quod in hoc sacramento duo possunt « considerari, scilicet ipsum sacramentum, « et res sacramenti. Et ex utroque apparet, « quod hoc sacramentum habet virtutem « ad remissionem venialium peccatorum. « Nam hoc sacramentum sumitur sub specie cibi nutrientis. Nutrimentum autem « cibi est necessarium corpori ad restaurandum id, quod quotidie deperditur per « actionem caloris naturalis. Spiritualiter « autem aliquid quotidie in nobis deperditur ex calore concupiscentiæ per peccata « venialia, quæ diminuunt fervorem charitatis, ut in 2 parte habitum est. Et « ideo competit huic sacramento, ut remittat peccata venialia. Unde et Ambrosius dicit in lib. de sacramentis, quod « iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Res autem « hujus sacramenti est charitas non solum « quantum ad habitum, sed etiam quantum « ad actum, qui excitatur in hoc sacramento, per quem peccata venialia solvuntur. Unde manifestum est, quod virtute hujus sacramenti remittuntur peccata venialia. » Hic autem statim animum pulsat quæstio circa modum, quo istud sacramentum venialia delet, an videlicet sit immediatus, scilicet per formam, aut modum, quem efficiat, eisdem venialibus incompossibilem ; an vero mediatus, videlicet mediis actibus charitatis, ad quos excitat, et concurrit mediante primario effectu gratiæ, quam efficit. Sed quæstionem ex professo versavimus tract. 15, disp. 2, dub. 8. Et juxta ibidem dicta tenendum est hoc posterius : quod satis evidenter significatur a S. Doctore tum verbis relatis : « Res hujus sacramenti est charitas non « solum quantum ad habitum, sed etiam « quantum ad actum, qui excitatur in hoc « sacramento, per quem peccata venialia « solvuntur. » Tum et evidentius in resp. ad 1, nam huic quæstioni occurrens respondit : « Dicendum, quod peccata venia« lia, etsi non contrariantur charitati « quantum ad habitum ; contrariantur « tamen ei quantum ad fervorem actus, « qui excitatur per hoc sacramentum, ra« tione cujus peccata venialia tolluntur. » Cætera vero, et præsertim quomodo cum hoc cohæreat, quod sacramentum Eucharistiæ inducat remissionem venialium ex opere operato, videatur loco citato.

D. Tho.

Idem

Alia.

14. Veniamus ad remissionem peccatorum mortalium, et venialium quantum ad reatum, sive pœnam. Et observandum est Eucharistiam posse considerari in ratione sacrificii, et in ratione sacramenti. Loquendo igitur de Eucharistia in ratione sacrificii, dubium non est, quod habet virtutem remittendi per se, et directe pœnas pro peccatis debitas : quia quatenus sacrificium est, habet vim satisfaciendi, et placandi Deum, ut infra declarabimus disp. 13, dub. 5, § 4. Si vero loquamur de Eucharistia considerata in ratione sacramenti, tenendum est non remittere pœnas peccatorum directe, et ex vi sacramenti, bene autem indirecte, concomitanter, et quasi ex consequenti. Primum constat : quia hoc sacramentum non est per se institutum ad satisfaciendum pro peccatis, sicut sacramentum pœnitentiæ ; sed institutum fuit ob alios fines, quos assignavimus disp. 1, cap. 4, § 1. Secundum etiam liquet : tum quia non contingit saltem communiter loquendo remissio peccati quoad cul-

pam sine aliqua ejus remissione quoad pœnam : sacramentum autem Eucharistiæ habet vim remittendi peccata quoad culpam in sensu, quem num. præced. præmisimus : ergo vim etiam habet remittendi peccata quoad pœnam saltem indirecte, et ex consequenti. Tum etiam quia hoc sacramentum excitat fervorem charitatis, ut diximus § 4 ; sed amor charitatis remittit non solum culpas, sed etiam pœnas pro illis debitas, magis videlicet, aut minus juxta ejusdem amoris perfectionem : ergo Eucharistia potest saltem prædicto modo culparum reatus excludere. Et quia omnes nostræ resolutionis partes optime com-
D. Tho. plexus est D. Thomas in artic. 5 hujus quæst. transcribemus ejus verba : « Dicendum, quod hoc sacramentum simul est « sacrificium, et sacramentum. Sed rationem sacrificii habet, in quantum offertur ; rationem autem sacramenti, in « quantum sumitur. Et ideo effectum sacramenti habet in eo, qui sumit ; effectum autem sacrificii in eo, qui offert, vel « in his, pro quibus offertur. Si igitur consideretur ut sacramentum, habet effectum dupliciter. Uno modo directe ex vi « sacramenti : alio modo quasi ex quadam « concomitantia, sicut et circa continentiam sacramenti dictum est. Ex vi quidem sacramenti directe habet illum effectum, ad quem est institutum. Non est « autem institutum ad satisfaciendum, sed « ad spiritualiter nutriendum per unionem « ad Christum, et ad membra ejus, sicut « nutrimentum unitur nutrito. Sed quia « hæc unitas fit per charitatem, ex cujus « fervore aliquis consequitur remissionem « non solum culpæ, sed etiam pœnæ ; inde « est, quod ex consequenti per quandam « concomitantiam ad principalem effectum, « homo consequitur remissionem pœnæ, « non quidem totius, sed secundum modum « suæ devotionis, et fervoris. In quantum « vero est sacrificium, habet vim satisfactivam. »

Alia. Et hanc quidem vim habet Eucharistia respectu peccatorum preteritorum : sed non minorem energiam habet ad præservandum a futuris, et ad muniendum hominem contra omnes tentationes. Unde in Ps. 22, dicitur : *Parasti in conspectu meo mensam*
Ps. 22. *adversus omnes, qui tribulant me*. Et S. Igna-
D. Igna. tius in epist. *ad Ephesios* monebat : « Studete frequenter accedere ad Eucharistiam « Dei, et gloriam : quando enim hoc ipsum « assidue agitur, expelluntur Sathanæ potestates, qui suos actus convertit in sagittas ad peccatum. » Divus Ambrosius D. Amb.
serm. 8, in ps. 118 : « Cum hospitium tuum « adversarius viderit occupatum cœlestis « fulgore præsentiæ, intelligens locum « tentamentis suis interclusum per Christum esse, fugiet. » D. Cyprianus epist. 45 : D. Cyp.
« Idoneus non est ad martyrium, qui ab « Ecclesia non armatur ad prælium : quia « mens deficit, quam recepta Eucharistia « non erigit, et accendit. » Et similia occurrunt passim in Patribus. Sed inter omnes optime aperuit hujus potestatis radices Angelicus Doctor in art. 6, præsentis quæstionis his verbis : « Dicendum, quod pec- D. Tho.
« catum est quædam spiritualis mors animæ. « Unde hoc modo præservatur aliquis a « peccato futuro, quo præservatur corpus a « morte futura. Quod quidem fit dupliciter. « Uno modo in quantum natura hominis « interius roboratur contra interiora corruptiva : et sic præservatur a morte per « cibum, et medicinam. Alio modo per hoc, « quod munitur contra exteriores impugnationes : et sic præservatur per arma, « quibus munitur corpus. Utroque autem « modo hoc sacramentum præservat a peccato. Nam primo quidem per hoc, quod « Christo conjungit per gratiam, roborat « spiritualem vitam hominis tanquam spiritualis cibus, et spiritualis medicina, « secundum illud Ps. 103: Panis cor hominis confirmat. Et Augustin. dicit super « Joan. Securus accede, panis est, non venenum. Alio modo, in quantum est quoddam signum passionis Christi, per quam « victi sunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem. Unde Chrysostomus dicit super Joan. Ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus, terribiles effecti diabolo. » Addit in resp. ad 3, (per quod magis explicatur, quomodo Eucharistia præservet a venialibus, vitando, ne plura committantur : « Dicendum, quod licet hoc sacramentum « non directe ordinetur ad diminutionem « fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget « charitatem, quia sicut Augustin. dicit in « lib. 83 quæstionum, augmentum charitatis est diminutio cupiditatis. Directe autem « confirmat cor hominis in bono, per quod « etiam præservatur homo a peccato. »

§ VIII.

§ VII.

Corporis sanctificatio, et reformatio.

15. Inter alios hujus mirabilis sacramenti effectus computandum est quod corpora digne suscipientium sanctificat, et ad meliorem frugem reducit. Si enim olim vestes Christum attingentes, et nunc vasa ipsum continentia sanctificantur ; non inferiori ratione corpora illum suscipientia, et aliquo modo ipsum, ut n. 10 explicuimus, consequuntur. Unde D. Chysostomus hom. 3, super illud 2, *ad Corinth.* 15 : « Salutate invicem in osculo sancto, *inquit:* « Quo non oportet igitur esse puriorem « tali fruentem sacrificio ? Quo solari radio « non splendidiorem manum carnem hanc « dividentem ? os, quod spirituali igne re- « pletur, linguam, quæ tremendo nimis « sanguine rubescit ? Cogita quali sis insi- « gnitus honore, quali mensa fruaris. » Et Cyrillus Hierosolim. catech. 4, mystagog. in eodem sensu generaliter statuit hoc sacramentum : « Corpus et animam, sanctifi- « *care.* » Et D. Damascenus lib. 4, *de fide* cap. 14, affirmat, quod « cedit in animi « corporisque præsidium. »

D.Chrys. — D. Cyr. Hieros. — D. Dam.

Hinc provenit quædam corporis reformatio præcipue refulgens in fomitis mitigatione, atque in virtutum residentium in appetitu sensitivo, præsertim vero castitatis augmento. Unde quidam merito explicant in hoc sensu illud Apostol. 1 *ad Corinth.* 6: *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi. Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis?* Et Angelicus Doctor opusc. 58, cap. 21, in hoc sensu usurpat illud Oseæ 14: Ego *quasi ros. et Israel germinabit quasi lilium* : quod est symbolum castitatis. Quare factum credimus, ut ipse S. Doctor fuerit castissimus, quia hujus sacramenti devotissimus ; et quod insignem habuerit in hoc mysterium devotionem, et maxima ejus secreta penetraverit, quod innocenti prædictus fuerit puritate. Si enim Naturalistæ ferunt recumbentes in quadam herba, quam agnum castum vocant, castos evadere ; pie credere possumus D. Thomam e jugi per sedulam attentionem ad hoc sacramentum accubitu evasisse castissimum. Generaliter namque veram censemus illam D. Bernardi regulam serm. *in cœna Domini :* « Si quis vestrum « non tam sæpe modo, nec tam acerbe sen- « tit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, « aut cæterorum hujusmodi ; gratias agat « corpori, et sanguini Domini : quoniam « virtus sacramenti operatur in eo. » Et S. Paschasius lib. *de corpore, et sanguine Domini* cap. 21, alludens ad illud Zachar. 9: « Quid est bonum ejus, et quid est pulchrum « ejus, nisi frumentum electorum, et vi- « num germinans virgines ? *inquit* : Felix « fructus ubertatis, ex quo virginitas ger- « minatur : nam hoc nostri generis vino « castitas corrumpitur, ab isto vero virgi- « nes procreantur. »

1. ad Corinth. 6. — D. Tho. Oseæ 14. — D. Bern. — D. Pasc. Zach. 9.

Sicut autem reformat corpus in hac materia, sic et in aliis credendum est, et ob idem etiam motivum. Unde P. N. S. Cyrillus lib. 4, in Joan. cap. 14, in universum statuit : « Sedat, cum in nobis manet « Christus sævientem membrorum nostro- « rum legem, pietatem corroborat, et per- « turbationem animi extinguit. » Et Catechismus Pii V *de Eucharistia* agens affirmat : « Dum charitatis igne animos magis « accendit, concupiscentiæ ardorem extin- « guat, necesse est. » Et aliqui pie censent ex gratia sacramentali, quam Eucharistia in anima producit, redundare in corpus quandam ejus æquivocam participationem, et affluentiam : et inde provenire, quod ex devota Communione sequatur quædam cordis quasi jubilantis palpitatio, vultus lætitia, coloris vivacitas, oculorum modestia, linguæ refrenatio, maturitas in incessu, modestia in gustibus externis, et totius corporis reformatio. Quin et M. N. D. Theresias in via perfectionis cap. 34, observavit (quod experta fuerat,) devotam hujus sacramenti perceptionem excludere aliquamdo omnes dolores, et infirmitates. Quod dignum assensu est. Si enim indigne sumptum inducit interdum infirmitatem, imbecillitatem, et mortem, ut juxta plurium Patrum expositionem insinuavit Apostolus 1, *ad Corinth* 11, illis verbis : *Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi :* a contrario sensu credi potest, quod sancte, et devote receptum morbos depellit, salutem roborat, et ad vitæ diuturnioris proficit incrementa.

Extensio doctrinæ. — N. Cyril. — Catech — Ther. — 1. ad Corinth 11.

16. Major difficultas esse poterat circa modum, quo Eucharistia inducit effectus corporeos proxime relatos, præsertim vero

Incidens dubium

diminutionem fomitis, ut motus appetitus compescantur, et actus honesti cum majori agilitate exerceantur. Nam aliqui insinuarunt id fieri per hoc, quod sacramentum istud digne susceptum imprimat corpori aliquas supernaturales qualitates. Sed Suarez disp. 64, sect. 1, tam tenaciter id negat, ut dicat oppositum non esse opinionem probabilem, sed novam temeritatem. Ipse vero piam, et probabilem tenet sententiam prius indicatam a B. Laurentio Justiniano in serm. *de Eucharistia*, quod causet in corpore aliquas qualitates naturales, quibus ardor concupiscentiæ temperetur, et impetus fomitis antiquantulum compescantur. Quod etiam docet Nugnus, Granados, Lugo, Claudius Sainctes, et alii. Quidam autem censent nec hoc (saltem regulariter) concedendum esse : sed melius dici, quod intuitu Eucharistiæ conferantur in occasionibus specialia auxilia, quibus excitantur piæ cogitationes ad illum finem accommodatæ, et arceantur dæmones, ne concupiscentiæ incendium augeant. Ita Coninckus, Bonacina, Trullench, et alii, quibus relatis subscribit Prado in hac quæst. dub. 5, num. 8.

Variæ opiniones.

Suarez.

Prado.

Propria sententia.

Nos vero non dubitamus, quod intuitu Eucharistiæ conferantur auxilia actualia in occasionibus, ut tenet hic ultimus dicendi modus : sed tamen censemus dari ex parte suscipientium aliquid intrinsecum, et habituale modale, cui talia auxilia debeantur, et quasi connaturaliter respondeant, juxta generalem doctrinam, quam tradidimus tract. præcedenti disput. 4, dub. 9, ubi statuimus gratiam sacramentalem unicuique sacramento correspondentem addere aliquid hujusmodi supra gratiam habitualem communiter dictam. Et hoc supposito veram putamus illam sententiam (si legitime explicetur), quam Suarez tam dure damnat. Nam ex gratia habituali residente in anima dimanant aliquæ virtutes corporeæ, et supernaturales residentes in appetitu sensitivo, quæ scilicet ad moderandum ejus actus in ordine ad finem supernaturalem necessariæ sunt, ut ex proposito docuimus tract. 12, disput. 3, dub. 2. Sicut autem a gratia dimanant istæ virtutes ; sic etiam a gratia sacramentali, sive a gratia habituali participanti modum sacramenti, possunt resultare modi supernaturales ad virtutes residentes in appetitu, qui illum specialiter cohibeant, et subordinent respective ad finem, et effectum proprium uniuscujusque sacramenti. Unde nullum inconveniens videmus in eo, quod dicatur sacramentum Eucharistiæ causare in corpore effectus supra relatos prædicto modo, nimirum causando in appetitu sensitivo aliquas qualitates supernaturales modales, sive modificantes virtutum habitus, qui a gratia resultant. Sicut nec est inconveniens dicere, quod virtutes residentes in eodem appetitu tam naturales, quam supernaturales participent aliquem modum intrinsecum de linea charitatis, per quem dirigantur ad tendendum in proprium charitatis finem, ut docuimus tract. 19, disp. 7, dub. 3. Quin positive censemus hoc probabilius, quam illud, quod Suarez cum aliis approbat de virtutibus naturalibus per Eucharistiam inductis : tum quia cum Eucharistia sit causa supernaturalis, melius explicatur ejus virtus in supernaturalibus effectibus : tum quia illa fomitis diminutio, aut compressio est in ordine ad supernaturalem finem. Per quod non excluditur, quod quandoque causet aliquem effectum naturalem, utputa valetudinem corporis, quando conducit ad æternam, et supernaturalem animæ salutem.

Nota contra Suarium

§ VIII.

Perseverantia in gratia, et adeptio gloriæ.

17. *Qui manducat meam carnem*, dixit Christus Dominus, *et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Mansionis vero nomen perseverantiam, et permanentiam significat juxta illud ejusdem Salvatoris, *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Unde perseverantia in justitia, per quam Christo unimur, Eucharistiæ in præmissis verbis repromittitur. Porro ut Eucharistia digne suscepta perseverantiam in nobis causet, multiplex ratio assignari potest. Tum quia perseverantia in accepta semel justitia solum impeditur per peccatum mortale : sed Eucharistia est remedium præservans a mortalibus, ut vidimus § 6 ; ergo est etiam remedium ad perseverandum in gratia. Tum etiam quia Eucharistia instituta est per modum alimenti spiritualis : unde ita comparatur ad spiritualem vitam, quam per gratiam ducimus, sicut corporale alimentum comparatur ad vitam naturalem; sed alimentum corporale præstat ad continuationem naturalis vitæ,

vitæ, reparando scilicet vires labescentes, et novas conferendo: ergo pariter Eucharistia præstat ad perseverantiam vitæ spiritualis per gratiam. Quare illi accommodari potest, quod de alimentis naturalibus dicitur in Ps. 103 Ps. 103: *Educas panem de terra, et vinum lætificet cor hominis, et panis cor hominis confirmet.* Tum denique quia Eucharistiæ intuitu communicantur nobis plura auxilia actualia ad superandum tentationes carnis, Eucharistia quare viaticum et diaboli, quæ impedire possent nostri perseverantiam in bono. Hinc merito factum est, ut hoc sacramentum viaticum appelletur: quia nos fulcit in via, ut in patriæ terminum perseveranter tendamus. D. Hier. Quare D. Hieronymus in cap. 15 *Matth.* inquit: « Non vult Jesus dimittere jejunos, « ne deficiant in via. Periclitatur ergo, qui « sine cœlesti pane ad optatam mansionem « pervenire festinat. Unde Angelus ad « Eliam: Surge, et manduca, quia gran- D. Gau. « dem viam ambulaturus es. » Et S. Gaudentius tract. 2, *in Exod.* « Hoc est via- « ticum itineris nostri, quo in hac vita « modo alimur, et nutrimur, donec ad « ipsum perveniamus de hoc sæculo rece- « dentes. Unde dicebat idem Dominus: « Nisi manducaveritis carnem meam, et « biberitis meum sanguinem, non habe- « bitis vitam in vobis. »

Extensio doctrinæ. 18. Ad hæc autem consequens est, quod Eucharistia conferat adeptionem gloriæ, sive introitum ad beatitudinem: est enim perseverantia velut janua, per quam electi intrant palatium cœleste: quare si Eucharistia causat perseverantiam, oportet etiam, quod causet gloriæ adeptionem. Et sic ex D. Tho. professo statuit D. Thomas in præs. art. 2. et suadetur primo ex verbis Christi Domini. Joan. 6: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum:* constat enim vitam æternam esse vitam gloriæ. Secundo, quia hoc sacramentum est *pignus futuræ nostræ gloriæ, et æternæ felicitatis*, ut loquitur Concilium Trident. sess. 13, cap. 2. Subinfert autem D. Thom. opusc. 58, cap. 23: « Si « ergo corpus Christi sumptum pignus est « vitæ æternæ; et pignus non dimittitur, « donec id, pro quo impignoratur, acci- « piatur, profecto per hoc ad vitam æter- « nam producimur. » Causat ergo Eucharistia adeptionem gloriæ. Tertio quia hoc sacramentum institutum est tanquam testamentum Christi: unde ipse dixit, *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Testamentum autem confert jus ad hæreditatem, sive ad bona testatoris, juxta illud Apostoli *ad Hebræ.* 9. *Novi testamenti* Ad Hebræ. *mediator est, ut morte intercedente etc. qui vocati sunt accipiant repromissionem æternæ hæreditatis.* Ergo oportet, quod in virtute Eucharistiæ consequamur hæreditatem æternæ beatitudinis. Quarto denique quia Eucharistia causat gratiam, quæ est semen, et radix gloriæ, ut vidimus § 1, et 2: ergo causat saltem mediate ipsam gloriam. Sed hoc commune illi est cum cæteris sacramentis.

Nec refert communis objectio, quod posita causa sufficienti ponitur effectus: Objectio et ejus dilutio. sed multi recipiunt sacramentum Eucharistiæ, qui non consequuntur gloriam, ut expresse docet D. Augustinus lib. 21, *de civit. Dei*, cap. 21: ergo hoc sacramentum D. Aug. non est causa adeptionis gloriæ. Nam respondetur eandem objectionem fieri posse de passione Christi, quæ est causa gloriæ omnium sufficientissima: et tamen multi, pro quibus passus est Christus, gloriam non consequuntur. Fieri etiam potest de virtute gratiæ, et charitatis, quæ præstat sufficientes vires ad vitandum peccata, et superandum quaslibet dæmonis tentationes: quo non obstante plures gratiam consecuti ab illa excidunt peccando, et tentationibus succumbendo. Major itaque objectionis solum verificatur in causis mere naturalibus, sive agentibus absque potestate ad oppositum: secus autem in causis liberis, quæ cum tali potestate agant, possunt principiis sufficientissimis non uti, sed illa a se excutere, et in agendo deficere. Et sic contingit in præsenti materia, et in exemplis immediate propositis. Quod ergo Eucharistia causet perseverantiam, et adeptionem gloriæ, intelligi debet de se, et quantum est ex virtute sacramenti. Sed tamen simul servari debent jura libertatis creatæ, secundum quam potest homo prædictæ virtuti non cooperari, nec consequi fructum illius. Unde D. Thom. loc. cit. eidem objectioni occurrens inquit: « Dicendum, quod sicut D. Tho. « passio Christi non habet suum effectum « in his, qui se ad eam non habent, ut « debent: ita et per hoc sacramentum non « adipiscuntur gloriam, qui indecenter « ipsum suscipiunt. Unde Augustin. dicit « super Joan. (exponens illa verba: Aliud « est sacramentum, et aliud virtus sacra- « menti), Multi de altari accipiunt, et acci-

« piendo moriuntur. Panem ergo cœles« tem spiritualiter manducate, innocen« tiam ad altare apportate. Unde non est « mirum, si illi, qui innocentiam non ser« vant, effectum hujus sacramenti non « consequantur. »

§ IX.

Corporum resurrectio, et glorificatio.

19. Pervenimus tandem ad extremum hunc nostræ salvationis terminum, et Eucharistiæ effectum : tenendum namque est, quod sicut perfectio animæ per gratiam, et gloriam redundabit ad corpus; sic etiam virtus Eucharistiæ non solum se extendit ad animæ sanctitatem, et gloriam, ut in superioribus vidimus, sed porrigit etiam se ad redundantiam in corporibus nostris, concurrendo ad illorum resurrectionem, et gloriosam claritatem. Quod haud obscure colligitur ex verbis Christi Joan. 6. Domini *Joan.* 6 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Nam Patres illa in hoc sensu accipiunt. D. Tho. Unde D. Thom. ad eundem locum lect. 7, inter alios hujus sacramenti effectus recenset nostrorum corporum resurrectionem, ad idque inducit testimonium D. Augustini: « Verbum resuscitat animas : sed Verbum « caro factum resuscitat corpora. » Quippe in hoc sacramento est Verbum non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum veritatem carnis : unde oportet, quod causet resurrectionem corporum, juxta I ad Corinth. 15. illud 1, *ad Corinth.* 15: *Per hominem resurrectio mortuorum.* D. Iren. Tertullian. D. Hil. D. Chry. Jam olim S. Irenæus lib. 4, adversus hæreses cap. 34, disputans contra Valentinianos negantes carnis resurrectionem arguebat : « Quomodo autem « rursus dicunt carnem in corruptionem « devenire, et non percipere vitam, quæ a « corpore Domini, et sanguine alitur. » Et similia reperiuntur in Tertulliano lib. *de resurrect. carnis*, Hilario lib. 8, *de Trinit.* Chrysostomus homil. 24, in 1, *ad Corinth.* et Ignat. in epist. *ad Ephesios*, ubi Eucharistiam vocat « pharmacum immortalita« tis præservativum contra mortem. » Concil. Nicænum. Quin Concilium Nicænum illam appellavit *Symbolum resurrectionis.* Sed qui ista uberrime docuit, is est P. N. D. Cyrillus P. N. Cyril. sæpissime *super Joan.* et præsertim lib. 4, cap. 2, inquit : « Fieri prorsus nequit, ut qui « secundum naturam vita est, corruptio« nem non superet, ac vincat mortem. « Proinde licet mors, quæ per prævarica« tionem nos invasit, humanum corpus « corruptionis necessitati subjiciat : tamen « quia Christus per suam ipsius carnem « in nobis est, omnino resurgemus. Incre« dibile enim est imo vero impossibile, « ut vita eos, in quibus fuerit, non vivifi« cet. Quemadmodum enim scintillam « multis paleis inserimus, ut semen ignis « servemus : sic etiam Dominus noster « Jesus Christus per carnem suam in nobis « vitam integit, ac veluti quoddam semen « immortalitatis inserit, quæ totam, quæ « in nobis est, corruptionem abolet. »

20. Nec refert, si dicatur Eucharistiam non impedire, quominus illa pasti moriantur : unde inferri videtur, quod immortalitas non sit Eucharistiæ effectus. Objectio. Solutio. Nam id evertit S. Pater observando, quod licet Eucharistiam suscipientes moriantur in pœnam peccati originalis; nihilominus per virtutem secundi Adam corporibns nostris mediante Eucharistia inseminatam resurgent. « Qui panem, *inquit*, vitæ in se « suscipiunt, præmium immortalitatis ha« bebunt; et corruptionis, cæterorumque « malorum expertes ad perpetuum, et « æternum illud Christianæ vitæ spatium « ascendent. Nec obstat, quod iis, qui facti « sunt Christi participes, necessario mors « degustanda sit : nam licet humanitus eis « mors accidat; tamen ut Paulus ad Rom. « 6, ait, moriuntur Deo victuri. »

Alia objectio. Nec iterum refert, si dicatur plures infideles non suscipere hoc sacramentum, plures etiam fideles illud suscipere indigne: et tamen omnes resurgent : unde manifestum videtur resurrectionem corporum non esse effectum Eucharistiæ digne susceptæ. Nam id eleganter dispellit S. Pater asserendo non qualemcumque resurrectionem, sed solum beatam, et gloriosam esse effectum Eucharistiæ. Responsio. « Sed dicet forsam ali« quis (inquit loco cit.) resurrectionem « mortuorum mentis oculo attente consi« derans : Enimvero qui fidem in Chris« tum non susceperunt, nec facti sunt ejus « participes, resurrectionis tempore non « reviviscent? Quid ergo? Nonne omnis « creatura quæcumque in mortem lapsa « est, revocabitur ad vitam? Ita sane, « resurget omnis caro. Suscitatum enim iri

« iri mortuos Propheta prænuntiat. Ad « omnem quippe humanitatem illud per « resurrectionem Christi mysterium per- « tinere statuimus: et in ipso, ac primo om- « nem nostram naturam corruptione libe- « ratam esse credimus. Et quemadmodum « in primo Adam inclusi sumus in mor- « tem : sic in eo rursum, qui primogeni- « tus est propter nos, a mortuis cuncti « resurgent. Sed qui bona quidem egerint, « in resurrectionem vitæ, ut scriptum est « Joan. 5. Qui vero mala egerint, in resur- « rectionem judicii. Resurgere vero ad « pœnam, et ad sola supplicia excitari, « morte ipsa longa acerbius esse judico. »

Alia objectio. Nec tandem refert, si opponatur quemlibet justum perseverantem in gratia consecuturum corporis resurrectionem, et glorificationem, licet Eucharistiam nunquam susceperit, ut apparet præsertim in parvulis baptizatis qui ante usum rationis decedunt : ergo prædicta resurrectio, et glorificatio non est effectus Eucharistiæ, nec ejus intuitu confertur. Diluitur. Id, inquam, non refert, sed dispellitur negando consequentiam, quæ minus legitime ex antecedenti infertur : quia eadem res potest conferri ex multis titulis, sicut gloria corporis fuit debita Christo primo ratione unionis humanitatis ad Verbum, secundo ratione gloriæ animæ et tertio ratione meritorum. Unde nullum est inconveniens, quod corporis resurrectio, et glorificatio, quæ aliquibus confertur independenter ab exercita Eucharistiæ sumptione, ut contingit in parvulis baptizatis, conferatur communicantibus tum ob alios titulos aliis communes, tum illo speciali titulo, quod participes fuerint Eucharistiæ : unde consequentur corporum resurrectionem, et glorificationem ob plures titulos, quam alii : idque conducet ad majorem eorum quandam gloriam accidentalem. Aliquorum opinio. Sunt tamen, quibus hæc sola circa eandem rem titulorum multiplicatio nec arrideat, nec satisfaciat, et proinde addunt eis, qui sumpserint Eucharistiam, tribuendum esse in corpore specialem aliquam claritatem, vel rnatum ad instar aureolæ. Nam si Moyses in hac vita mortali ex conversatione cum Angelo, qui loco Dei illi loquebatur, tantam in facie contraxit claritatem, ut *non possent* (sic testatur Apostol. 2, *ad Corinth.* 13) *intendere filii Israel in faciem Moysis propter gloriam vultus ejus* : a fortiori di- 2 ad Corinth. 13.

cendum videtur magnam claritatem contractura corpora beatorum, qui corpus Christi gloriosum susceperunt, et contrectaverunt in Eucharistia. De quo videri potest Granados controver. 6, tract. 9, disp. 8, num. 2, in fine. An probandam. Verum sicut id non reputamus impossibile, ita nec censemus firmum; sed magis incertum, et levi fundamento subnixum, ut etiam censuit Suarez disp. 64, sect. 2, § *Prima sententia.* Suarez. Quare standum est primæ responsioni.

Occurrens difficultas. 21. Major est difficultas circa modum, quo Eucharistia sancte suscepta causat prædictum effectum, an scilicet sit mere moralis, an autem physicus instrumentalis. Et primum illud docent omnes, qui generaliter sentiunt sacramenta nostra causare suos effectus non physice, sed moraliter : idem enim docent de sacramento Eucharistiæ in ordine ad omnes effectus, quos causat in anima, vel in corpore. Quidnon nulli censeant? Sed generalem istorum resolutionem rejecimus tractatu præcedenti disputatione 4, dub. 4, ubi oppositum statuimus. Porro ex his, qui nobiscum sentiunt circa causalitatem sacramentorum, Joannes a S. Thoma hic disp. 40, art. 5, concl. 4, Prado dub. 5, § 2, nu. 12, et Gonet disp. 8, artic. 1, nu. 19, Joan. a S. Tho. Prado Gonet. sentiunt, quod Eucharistia non causat prædictum effectum physice, sed moraliter. Et præcipuum eorum fundamentum est, quod cum corpora Sanctorum resurgent, Eucharistia, quam susceperunt, non est in se physice, ut satis de se liquet : nec potest dici, quod maneat physice virtualiter in ipsis corporibus, quæ tam multis transmutationibus obnoxia sunt : ergo non potest effectum physice causare. Unde sicut sacramenta quæ actu existunt, causant physice; secus autem, quando causant recedente fictione; tunc enim solum influunt moraliter : sic de causalitate Eucharistiæ ad prædictos effectus censendum est.

Verior aliorum sententia. Sed longe veriorem, et magis consequentem judicamus contrariam sententiam : tum quia vera causalitas moralis solum reperitur in actibus humanis : sed sacramentum Eucharistiæ non est hujusmodi, ut ex se liquet : ergo nequit causare ulla vera causalitate morali : ergo vel nullo modo concurrit vere ad resurrectionem corporum, quod opponitur testimoniis patrum nu. 19 allegatis ; vel concedendum est Eucharistiam sancte susceptam influere instrumentaliter physice in

resurrectionem eorum qui eam sancte susceperunt. Videantur, quæ diximus tractatu præcedenti disputatione 5, dub. 2, ubi ostendimus sacramenta nostra solum non esse de facto causas morales gratiæ, sed nec esse posse. Tum etiam quia Eucharistia sancte suscepta manet aliquo modo physice tempore, quo corpora Sanctorum resurgent, ut statim explicabimus : ergo corruit motivum contrariæ sententiæ asserentis Eucharistiam eo tempore non posse physice influere. Unde hanc nostram sententiam amplectuntur Soto in 4, distinctione 11, quæstione 2, art. 2 ad 3, Nugnus in præs. art. 2, dub. unico, et art. 3, difficult. 3, Contenson dissert. 3, cap. 2, sub titulo *Nonus effectus*, et alii. Et istam partem magis indicat D. Thom. in præs. artic. 2, ubi cum sibi opposuisset, quod nihil agit ultra suam speciem : sed adeptio gloriæ (ad quam ut consummatam pertinet corporum resurrectio, et glorificatio), est majus quid, quam sacramentum : ergo sacramentum Eucharistiæ nequit esse causa adeptionis gloriæ, respondit : « Ad « tertium dicendum, quod hoc, quod Christus sub aliena specie sumitur, pertinet « ad rationem sacramenti, quod instru« mentaliter agit. Nihil autem prohibet « causam instrumentalem producere po« tiorem effectum, ut ex supra dictis patet ;» nempe quæst. 62, art. 3 et 4, ubi de causalitate nostrorum sacramentorum in gratiam sanctificantem agit. Sicut ergo ex ejus, et communi discipulorum doctrina sacramenta concurrunt instrumentaliter physice ad producendum gratiam, ut loco supra citato dub. 4, § 1, juxta illius sententiam ex professo ostendimus : sic etiam ex ejus sententia tenendum est, quod Eucharistia concurrit prædicto modo ad causandum adeptionem gloriæ, ad quam pertinet corporum resurrectio. Eo vel maxime, quod sicut Eucharistia non manet in se tempore resurrectionis corporum, sic etiam non manet in se tempore, quo anima gloriam consequitur : ergo sicut hoc non obstante, manet sufficienti modo, ut possit in adeptionem gloriæ physice instrumentaliter influere, ut statis evidenter docet D. Thom. in verbis immediate relatis; sic etiam manet sufficienter, ut valeat prædicto modo concurrere ad corporum resurrectionem.

Soto. Nugnus. Contensom. D. Tho.

22. Unde corruit Adversariorum fundamentum. Respondemus enim sacramentum Eucharistiæ sancte susceptum, licet non maneat formaliter in se tempore resurrectionis, permanere tamen virtualiter in aliquo effectu, qui tunc adest. Quare sicut passio Christi, quæ prout in se est formaliter physice transacta, potest nihilominus de facto influere instrumentaliter physice in gratiam, quæ nobis datur ; quia permanet virtualiter in aliquo effectu, nempe in sacra humanitate ut determinata sacris stigmatibus : sic etiam Eucharistia permanet, et potest proportionali modo influere in resurrectionem eorum, qui illam sancte susceperunt.

Evertitur motivum oppositum.

Si autem ulterius disquiramus modum vel effectum, in quo Eucharistia remanet : respondet Contenson loco citato remanere in aliqua virtute supernaturali, et seminali gloriæ, quæ corporibus suscipientium Eucharistiam imprimitur, eisque inest usque ad illorum resurrectionem. Sed prædicto dicendi modo minime subscribimus : quia nullum fundamentum habemus ad asserendum hujusmodi qualitatem : et quamvis non esset impossibilis, ejus tamen post tot corporum transmutationes permanentia plura miracula involvit. Eo vel maxime quod juxta communem Thomistarum doctrinam talis qualitas nequit recipi immediate in sola materia prima : recepta vero in toto composito destruetur ad ejus corruptionem : quocirca toties producetur, quoties corpora in materia hominis succedentia variantur. Id vero apparet fictitium. Relicto itaque hoc dicendi modo tenendum est Eucharistiam rite susceptam manere virtualiter physice in proprio effectu, nempe in gratia sacramentali, quam in anima producit juxta superius dicta § 3. Quæ gratia perseverat in anima etiam separata a corpore. Unde Eucharistia prout in illa perseverans potest concurrere instrumentaliter physice ad ejusdem animæ cum corpore reunionem in resurrectione futura : sicut passio Christi manens virtualiter in sacris stigmatibus, vel in humanitate ut eis determinata, concurrit ad ejusdem passionis effectus.

Contensonis placitum

Rejicitur.

Quod autem præmisso fundamento addebatur, nihil valet, sed magis retorqueri debet : nam ut sacramenta recedente fictione causent, debent tunc existere physice aliquo modo : si enim nullo modo physice existant, nullo etiam modo vel physice, vel

vel moraliter causant, ut ex professo ostendimus loco citato dub. 6. Ergo ut Eucharistia causet vere resurrectionem corporum, debet aliquo modo physice tunc manere: et si nullo modo physice maneat, nullo modo physice, vel moraliter in illam influet. Cumque hoc ultimum sit contra doctrinam Sanctorum, tenendum est illud primum.

DUBIUM II.

Quando Eucharistia conferrat effectum gratiæ?

Licet sacramentum Eucharistiæ plures. ac satis nobiles effectus habeat, ut constat ex relatis dub. præcedenti; merito tamen præsens difficultas revocatur ad effectum, quem per se, et immediate causat, nempe ad gratiam cibantem: tum quia hic est omnium principalior: tum quia semper causatur in omnibus digne Eucharistiam suscipientibus: tum quia hunc omnes Doctores admittunt, licet circa alios controver-
Nota 1 tant. Supponunt autem idem prædictum effectum repromissum esse reali, ac sacramentali Eucharistiæ sumptioni. Et quidem merito: nam ita palam significat Scriptura
Joan. 6. *Joan.* 6: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et rursus: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Et iterum: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Unde communiter colligunt, quod si Eucharistia miraculose constitueretur in stomacho hominis volentis eam recipere, non causaret suum effectum: quia hic correspondet Eucharistiæ non utcumque, sed ut manducatæ, aut sumptæ sacramentaliter per modum cibi, vel potus: quod in tali suppositione minime salvaretur. Eo vel maxime, quod de alio modo, quo gratiam causet, nihil nobis cum solido fundamento con-
Quorundam conjectura refellitur. stat. Quod vero Lugo, Leander, et Amicus, (qui oppositum dicunt esse probabile,) opponunt cibum naturalem, si intra stomachum miraculose ponatur, eodem modo nutrire, ac si manducaretur; ac subinde idem dici posse de isto spirituali cibo: invalidum prorsus est. Quia nutritio naturalis fit per applicationem cibi materialis ad stomachum: unde quolibet modo illa applicatio fiat, id est, tam dependenter quam independenter a manducatione, sequitur naturalis nutritio. Cæterum gratia cibans Eucharistiæ repromissa producitur non necessitate naturali, sed juxta divinam dispositionem istud sacramentum instituentem: de qua institutione nobis constat per testimonia relata, quod alligaverit eum effectum reali, et sacramentali Eucharistiæ manducationi: unde nullum rationabile motivum habemus ad asserendum: quod etsi non manducetur, sed aliter applicetur, effectum proprium inducat.

Hoc autem supposito, adhuc est difficul- Nota 2.
tas circa durationem, in qua Eucharistia producit talem effectum: quia in ipsa manducatione invenitur temporis latitudo, et operationum diversitas. Nam alimentum primo sumitur in ore: secundo transmittitur per guttur: tertio attingit stomachum, et in eo reponitur: quarto denique digeritur. Unde merito dubitatur, quando, vel in quo istarum actionum exercitio Eucharistia producat proprium effectum gratiæ nutrientis? Quæ difficultas decisa a nobis videtur tract. præced. disp. 4, dub. 5, ubi in genere controvertimus quando sacramenta nostra causent gratiam; et resolvimus, quod causant in ultimo instanti terminativo: ex quo ulterius sequitur verba consecratoria, quibus fit Eucharistia, efficere transsubstantionem in ultimo instanti prolationis eorum, ut observavimus disput. præced. nu. 60. Sed tamen hic occurrit nova, et diversa difficultas: quia cætera sacramenta consistunt in usu, sive applicatione, et similiter prolatio verborum consecrationis importat successivam prolationem: quæ autem ejusmodi sunt, non operantur nisi in suo termino, sive per ultimum mutatum esse: quia antecedenter ad hæc supponitur imperfecta. At sacramentum Eucharistiæ non consistit in usu, sed est sacramentum permanens: de quo proinde non videatur eadem ratio.

§ I.

Defenditur vera, et communior sententia.

23. Dicendum est sacramentum Eucha- Conclusio.
ristiæ causare in suscipientibus proprium effectum gratiæ nutrientis in illo instanti, in quo verificatur species sacramentales manducatas esse, et stomachum attigisse. Sic docent communiterThomistæ, Soto in

Soto. Arauxo. Nugnus. Serra. Cornejo N. Gab. N. Fran. Prado. Gonet. Valent. Bonacin. Palaus. Leand.

4, dist. 11, q. 2, art. 1, § *Colligitur*, Arauxo in præs. dub. 3, nu. 1, dicens omnes Theologos in hoc convenire. Nugnus, Serra, N. Cornejo, N. Gabriel, quos refert, et sequitur Prado in hac quæst. dub. 2, nu. 9, N. Franciscus cap. 6, puncto 1, nu. 4, Gonet disp. 8, art. 2, et alii. Idem etiam tuentur Valentia, Coninckus, et alii, quibus subscribit Bonacina disp. 4, quæst. 4, puncto 2, Palaus puncto 9, nu. 5, Henriquez, Granados, Hurdado, et alii plures, quos refert, et sequitur Leander disp. 11, quæst 14. Probatur : quia sicut gratia baptismalis datur dependenter ab ablutione corporis sub certa verborum forma : et propterea sacramentum Baptismi non producit talem gratiam, nisi in instanti, in quo primo verificatur finitam esse ablutionem, et finitam esse prolationem verborum : ita similiter gratia nutriens. quæ est effectus Eucharistiæ, datur dependenter ab ejus manducatione, aut bibitione ; quippe manducanti, et bibenti repromissa est, ut ab ipso dubii limine supposuimus : ergo produci debet in illo instanti, in quo primo verum sit hominem manducasse species panis, aut bibisse species vini. Id vero minime verificatur, priusquam prædictæ species perveniant ad stomachum : nam antecedenter ad hoc, quamvis species sumantur in ore, aut transeant per guttur ; manducatio tamen, et bibitio sunt in fieri, non autem in facto esse. Ergo sacramentum Eucharistiæ tunc primo causat gratiam, quando verificatur species sacramentales manducatas, aut bibitas esse, et stomachum attigisse.

Fundamentum.

Confirmatio.

Confirmatur primo : quia ex eo, quod cibus ore sumatur, et in ore sit, non dicitur manducari : unde fieri valet, quod qui sumpsit cibum, et in ore habuit, si illum non transglutit, sed expuat, possit remanere naturaliter jejunus ; quod minime salvari posset, si in illis actionibus, aut motibus consisteret manducatio : ergo ad verificandum, quod homo manducat, aut bibit Eucharistiam. minime sufficit, quod ore sumat ejus species. Similiter, quando cibus primo attingit guttur, et incipit per guttur transire, non dicitur adhuc comestus esse, sed esse in via, ut comedatur : ergo ut quis dicatur manducasse Eucharistiam, non sufficit, quod incipiat deglutire species. Restat igitur a sufficienti partium dinumeratione tunc dari hujus sacramenti manducationem, quando post sumptionem, et glutionem primo pervenit ad stomachum, seu ventriculum. Confirmatur secundo : quia aliqua duratio assignari debet, in qua Eucharistia efficiat suum effectum in suscipiente : sed nulla congruentior assignari valet, quam instans, in quo primo verificatur species sacramentales ad stomachum pervenisse : ergo Eucharistia producit suum effectum in illo instanti. Minor suadetur : quia ex una parte Eucharistia non producit suum effectum successive, et in tempore : quandiu enim durat manducationis motus, non est manducatio facta, sed in fieri, ut usu, et applicatione cæterorum sacramentorum explicari valet juxta doctrinam generaliter traditam loco supra citato. Ex alia vero parte nullum instans aptius assignari valet, quam illud, in quo species attingunt stomachum : nam in antecedentibus durat motus manducationis, et quæ post illud succedunt, præsupponunt manducationem finitam.

Alia.

24. Contra hanc communem sententiam circumferuntur aliqui peculiares dicendi modi. Primus docet Eucharistiam causare suum effectum, ubi ore sumitur, aut dentibus conteritur. Ita Becanus cap. 22, *de Eucharistia*, quæst. 6, n. 2. Unde aliqui colligunt, quod infirmus, qui habens Eucharistiam in ore, antequam illam trajiciat, moritur, consequetur illius fructum, ut insinuat Vazquez disp. 203, cap. 2. Et moventur : quia verbum *manduco* non aliud significat, quam ore cibum sumere, et dentibus atterere : ergo si Eucharistiæ gratia illius manducationi promissa est, ut omnes supponunt; sequitur Eucharistiam illam causare. ubi primo ore sumitur; et incipit dentibus atteri. Sed falsitas prædictæ sententiæ liquet ex immediate dictis: nemo enim dicitur manducasse illum cibum, quem ore sumpsit, et cœpit masticare, si illum expuat. Et similiter qui ore sumit aquam, et ea partes oris refrigerat, si illam ex ore projiciat, non dicitur bibere, aut bibisse, sed potest manere naturaliter jejunus. Unde dicitur de Christo Domino Matth. 27 : *Cum gustasset, noluit bibere*. Ergo ut quis dicatur manducare species panis, et bibere species vini, minime sufficit illas ore sumere, aut in ore tractare : sed aliquid aliud addendum est. Et ita corruit fundamentum oppositum : nam ut quis

Prima opinio contraria.

Becanus.

Vasquez

Quam falsa?

Matth 27

quis dicatur manducare, aut bibere proprie etiam juxta communem modum loquendi, non sufficiunt priores illæ actiones, sed aliquid aliud addendum est.

Secunda opinio contraria. Suarez. Secundus dicendi modus, quem Suarez disp. 63, sect. 4, probabilem vocat, est Eucharistiam causare suum effectum, quando transmittitur, et per guttur diffluit : quia in hac deglutione salvatur vera manducatio. Improbatur. Sed hic dicendi modus non satisfacit : quia quandiu illa transmissio durat, et cibus, vel aliqua cibi pars non pervenit ad stomachum, manducatio est in via, et fieri : atque ideo non est simpliciter posita conditio, a qua dependet Eucharistia, ut fructum producat. Idque declaratur exemplo cæterorum sacramentorum quæ consistunt in usu, sive applicatione : non enim producunt suum effectum, quandiu sunt in fieri, et via, sed quando primo verificatur, quod adest illorum factum esse, v. g. quod corpus ablutum, quod unctum est, ut ostendimus loco cit. ex tract. præced. ergo licet sacramentum Eucharistiæ non consistat in usu, vel applicatione ; quia tamen causat suum effectum dependenter ab applicatione, quæ est manducatio; oportet talem manducationem esse perfectam, sive in facto esse : quod non salvatur, quandiu cibus intelligitur transire per guttur, et non pervenisse ad stomachum. Et hinc satis constat ad oppositum fundamentum.

Tertia opinio contraria. 25. Tertius dicendi modus est Eucharistiam causare gratiam toto illo tempore, quo durat ejus sumptio. Ita Major in 4, dist. 9, quæst. 1 ad 5 arg. et ex mente Major. Ledesm. aliquorum Thomistarum posse probabiliter defendi dicit Petrus de Ledesma cap. 10 *de Eucharistia* ante 3 concl. Et fundamentum eorum est, quod tota illa sumptio appellatur manducatio; et huic gratia repromittitur. Refellitur. Cæterum hæc sententia facile refellitur : tum ex proxime dictis, quippe sacramenta, quæ consistunt in usu, sive applicatione, non causant gratiam toto tempore, quo fit actio, sed in ejus termino, v. g. cum verificatur corpus ablutum, vel unctum esse : ergo idem dici debet de Eucharistiæ manducatione; quamvis hæc non sit sacramentum, nec sacramenti pars, sed conditio, ut sacramentum causet. Tum etiam quia omnia sacramenta præcisive a majori, vel minori dispositione suscipientium, habent ex se, et coram Deo determinatum aliquem in intensione gratiæ effectum; juxta majorem, aut minorem sacramentorum perfectionem; quamvis talis determinatio nos lateat, ut statuimus tract. præced. disp. 4, dub. 8 ; id vero minime salvari valet, si causent toto tempore, quo applicantur : cum in ea temporis successione possit dari maxima latitudo, et variatio. Tum denique quia ex opposito dicendi modo datur occasio suscipiendi Eucharistiam cum majori mora, sive detentione in manducando illam : quod apparet superstitiosum, et contra consuetudinem Ecclesiæ. Et fundamentum oppositum jam in superioribus convulsum fuit : oportet enim manducationem, cui gratia hujus sacramenti repromittitur, habere esse quietum, et in suo termino, sicut exemplo aliorum sacramentorum consistentium in usu facile declaratur.

Quarta opinio contraria. Quartus dicendi modus est Eucharistiam causare gratiam, quando species sacramentales corrumpuntur, et in substantiam aliti convertuntur, ut simul corpus nutriatur, et simul anima de Deo saginetur. Ita aliqui, quos suppresso nomine refert Contenson disp. 3, cap. 2, quæst. 4. Et probant : quia cibus corporalis non nutrit, nisi media corruptione, sive postquam corruptus est : ergo cum hoc sacramentum institutum sit in specie cibi, non nutrit spiritualiter, nisi corruptis speciebus sacramentalibus. Est valde absurda. Hæc tamen sententia est valde absurda. Primo, quia incredibile apparet, quod hoc sacramentum permanens non causet, quando est : et causet, quando non est : sic autem contingeret, si, ut ista sententia vult, non causaret gratiam nisi corruptis speciebus. Secundo, quia in moribundis sæpe contingeret species præ debilitate non concoqui, et in substantiam aliti transmutari : unde ulterius fieret plures moribundos sumpto, et manducato sacramento, orbari ejus effectu : quod est durissimum, et minime concedendum. Tertio, quia promissio gratiæ hujus sacramenti non est facta digerenti, aut concoquenti species, sed manducanti, ut a limine dubii præmisimus : et manducatio salvatur antecedenter ad cibi corruptionem, aut digestionem. Fundamentum autem oppositum nullius roboris est ob satis notam disparitatem : quia cibus corporalis nutrit per sui conversionem in substantiam aliti : unde ut nutriat, debet prius in se corrumpi ; cum nequeat trans-

ire ad alienam speciem, nisi destruatur in propria. Sed cibus hic cœlestis nutrit per conversionem sumentis in se ipsum : unde non oportet corrumpi, ut agat : quin potius desideratur, quod nutriat prædicto modo, priusquam corrumpatur : quippe unumquodque est aptum agere, quando est.

Quinta opinio contraria.

Quintus dicendi modus docet incertum esse, quando Eucharistia causet suum effectum, an scilicet in tempore, vel in instanti : quia dependet ex principiis Philosophiæ circa compositionem continui, an nimirum constet ex partibus, vel ex solis indivisibilibus. Ita Lugo disp. 12, sect. 2, quamvis ipse judicet Eucharistiam causare in tempore, juxta doctrinam, quam agens de sacramentis in genere statuerat disp. 4, sect. 6. Sed in refellendo istam sententiam non oportet immorari : huic enim operi incubuimus loco supra citato, statuentes doctrinam Lugoni contrariam, et vere communem. Quod vero dicitur de incertitudine illorum principiorum in Philosophia, nihil refert, et apud illos tantum vires habebit, qui nihil volunt esse certum, et commune : quia vera, et communis Philosophorum assertio est omnia continua habere tum partes, tum indivisibilia tam continuativa, quam terminativa, ex quibus constituuntur. Et facta communi hac suppositione, procedendum est in iis Theologicis. Unde circa hæc immorari amplius non expedit : sed recolere, quæ diximus loco citato. Ex præmissis autem magis firmatur nostra, et communis assertio : quoniam oportet assignare aliquam durationem, in qua Eucharistia causet suum effectum : nulla autem magis congruenter assignatur, quam illud instans, in quo primo verificatur species sacramentales manducatas esse, et stomachum, aut ventriculum attigisse : cæteri enim dicendi modi sunt falsi, et insufficientes, ut ostendimus : ergo tenendum est Eucharistiam causare suum effectum in prædicto instanti, sive ultimo momento illius temporis, in quo manducatio fit.

Lugo. — Confutatur. — Instauratio fundamenti.

§ II.

Consectarium principale nostræ assertionis.

Gravis difficultas, et aliquorum sententia.

26. Ex dictis sequitur decisio incidentis, et gravis difficultatis, an scilicet Eucharistia causet continuo gratiam toto tempore, quo in stomacho conservantur species sacramentales incorruptæ, et subinde realis Christi præsentia sub illis. Ad quam plures respondent affirmative. Ita Cajetanus in hac quæst. art 1, § *Secundus igitur*, Sylvius ibi § *Non est tamen*, Nugnus art. 8, ubi Arauxo dub. 3, Bartholomeus ab Angelis dialogo 4, § 104, N. Gabriel disp. 13, quæst. 1, difficult. 3, Gonet disp. 8, art. 2, concl. 2, Major in 4, dist. 9, quæst. 1, arg. 5, Suarez disp. 63, sect. 7, Lugo disp. 12, sect. 2, Leander disp. 11, quæst. 15, Coninckus. Valentia, Reginaldus, et alii, quos refert, et sequitur Aversa quæst. 7, sect. 4. Est vero inter hos Auctores aliqua differentia, quod Cajetanus, et aliqui alii indicant Eucharistiam, quandiu manet in stomacho, causare gratiam, etiam si non addatur alia nova dispositio : Suarez vero, et cæteri illud docent dependenter a conditione, quod homo, quandiu conservat species magis, ac magis denuo se disponat. Id vero, in quo conveniunt, probant sequentibus motivis.

Cajet. Sylvius. Nugnus. Arauxo. Barth. ab Angelis. N. Gabr. Gonet. Major. Suarez. Lugo. Leander. Aversa.

Motiva.

Primo : quia cum Christus sit lux mundi. et fons gratiæ ; rationi consentaneum apparet, quod quandiu in nobis sacramentaliter perseverat, animam illuminet lumine gratiæ, hanc continuo producendo, juxta illud ejusdem Christi *Joannis* 9: *Quandiu in mundo sum, lux sum mundi :* ergo præsumere oportet, quod hoc sacramentum, quandiu manet in stomacho, causat continuo gratiam. Secundo : quia hoc sacramentum institutum est per modum cibi: unde juxta doctrinam Concilii Florentini in decreto sæpius allegato causat spiritualiter in anima eosdem effectus, quos cibus corporalis causat in corpore : sed cibus corporalis toto tempore, quo manet in stomacho nutrit, et addit corpori : ergo idem de hoc sacramento dicendum est in ordine ad nutritionem spiritualem per gratiam. Tertio : quia promissio gratiæ hujus sacramenti non tam facta est manducationi, quam Christo sumpto per modum cibi juxta illud *Joan.* 6: *Qui manducat me, vivet propter me :* sed in actu manducationis causatur gratia, ut affirmamus : ergo quandiu Christus manet applicatus, causat continuo gratiam. Sicut enim lucidum, cum spatio applicatur, causat primo totam lucem, quam tunc potest ; et si magis applicetur, majorem continuo lucem diffundet : ita Eucharistia, cum primo sumitur, causat suam

Joan. 9 — Joan. 6.

suum gratiæ effectum ; sed si magis applicetur, præsertim per novos, et ferventiores actus, novum, et majorem gratiæ effectum quasi magis propinqua communicabit. Quarto : quia id sentire, congruit dignitati hujus sacramenti : et aliunde multum confert ad hoc, quod suscipientes conservent attentionem, et devotionem, atque excitentur ad ferventes amoris actus, toto tempore, quo post communionem species sacramentales conservant : trahuntur enim gratiæ augescendæ desiderio ad hujusmodi exercitia. Hinc aliqui, et nominatim Gonet ubi supra n. 44, colligunt contingere posse, quod quis suscipiat, et manducet Eucharistiam in peccato mortali; et tamen si ante quam species in stomacho existentes corrumpantur, eliciat contritionem, vel attritionem, quam contritionem putat ; justificetur, et consequatur primam gratiam virtute hujus sacramenti in ipso manentis.

Consectarium apud aliquos.

Rejicitur ea sententia, et probatur opposita

27. Sed juxta nostram assertionem longe veriorem censemus sententiam negativam, quæ docet Eucharistiam ad stomachum transmissam non causare continuo ex opere operato effectum gratiæ, quantumvis adsit tunc nova, et ferventior dispositio : sed augmentum gratiæ, si tunc contingat, fieri ex opere operantis, nempe juxta quantitatem actuum, quos homo eo tempore elicit. Sic colligitur ex D. Thom. quæst. seq. art. 8, ubi proponit hoc argumentum : « Non minor reverentia debetur huic sacramento jam sumpto, quam ante sumptionem: sed sumpto sacramento licet « cibum, aut potum sumere : ergo et « ante sumptionem. » Cui respondet : « Ad sextum dicendum, quod maxima « devotio requiritur in ipsa sumptione « hujus sacramenti, quia tunc percipitur sacramenti effectus. Quæ quidem « devotio magis impeditur per præcedentia, quam per sequentia. Et ideo magis « est institutum, quod homines jejunent « ante sumptionem hujus sacramenti, quam « post. » In quibus verbis notandum est Sanctum Doctorem dicere absolute, quod effectus hujus sacramenti percipitur in ejus sumptione : aperte significans hujus sacramenti effectum non percipi ante, vel post sumptionem : quod falsum esset, si causaret gratiam, quandiu manet in stomacho suscipientis. Tum quod docet magis esse jejunandum ante sumptionem, quam post illam, quia effectus sacramenti in ipsa sumptione causatur : ergo sentit, quod post primam sumptionem non causatur, alias eodem modo oporteret habere devotionem, et jejunare post sumptionem; quod ipse negat. Tum quia nisi ita docuerit, sequitur non satisfecisse argumento ; ut facile consideranti constabit ; quod de tanto Doctore dici non debet. Et similia omnino tradit in 4, dist. 8, quæst. 1, art. 4, quæstiunc. 3 ad 2. Ergo ex sententia D. Thomæ Eucharistia non causat suum gratiæ effectum post sumptionem, et quandiu species in stomacho retinentur. Unde sic frequentius docent Thomistæ, Soto in 4, dist. 11, quæst. 2, art. 2, Martinus de Ledesma 1 part. Quarti, quæst. 20, art. 1, Victoria in summa *de Eucharistia*, num. 79, Petrus de Ledesma capite 10, de *Eucharistia*, conclus. 2, dist. 3, Joannes a Cruce quæst. 5, dub. 1, conclus. 2, N. Cornejo in hac quæst. dubio 4, N. Philippus disput. 7, dubio 6, N. Franciscus capite 6, puncto 1, num. 12, Serra artic. 1, conclus. 3, Prado dub. 2, § 3, et alii. Idem etiam tuentur Henriq. lib. 8, capite 43, Vazq. disp. 203, cap. 2, Granados tract, 9, disp. 7, sect. 1, Luysius *in selectis* cont. 3. dub. 28, Filliutius tract. 4, num. 174, Bernal disp. 41, sect. 4, § 3, Trullench lib. 3, cap. 5, dub. 2, Villalobos, Bonacina, Castro Palao, Gaspar Hurtado, et alii, quos refert, et sequitur Pasqualigus *in sacra Morali*, disp. 11, sect. 5.

D. Tho.

Soto. Martin. Ledesm. Victoria. Pet. Led. Joan a Cruce N Corn. N Phil. N Fran. Serra. Prado. Henric. Vazq. Granad. Luysius. Filliut. Bernal. Trullen. Hurtad. Pasqual.

Fundamentum

Probatur primo : quia gratia hujus sacramenti non est promissa, nec subinde datur, nisi illud manducanti, aut bibenti, ut constat ex § præced. sed toto tempore, quo Eucharistia post sumptionem manet in stomacho, non manducatur, aut bibitur ; nec proprie dicitur tunc hominem manducare, aut bibere : ergo Eucharistia postquam sumpta est, et manet in stomacho, non causat suæ gratiæ effectum. Et confirmatur : quia tantum abest, ut perseverantia specierum in stomacho sit manducatio, aut bibitio, ut potius sit digestio, et inchoata corruptio : qui actus longe distat ab actu manducandi, et bibendi, ut satis ex se liquet. Nec prodest commune Adversariorum effugium, nempe gratiam hujus sacramenti non tam repromitti manducationi, quam Christo, qui sacramentaliter sumitur : manducatio enim solum habet rationem conditionis : quare sufficit, quod Christus sacramentaliter manducat, ut hoc

Præcidium fuga

sacramentum influat suum effectum. Nam contra est : licet ita res se habeat, quod manducatio sit mera conditio ; tamen gratia Eucharistiæ non repromittitur, nisi dependenter ab ista conditione : ergo ubi non adest talis conditio, Eucharistia non influit : et consequenter cum toto tempore, quo Eucharistia manet in stomacho, non detur vera, et propria ejus manducatio ; sequitur Eucharistiam toto illo tempore non causare gratiam. Sicut enim quia manducatio requiritur ad causalitatem hujus sacramenti, omnes docent Eucharistiam non causare gratiam ante sui manducationem : sic etiam non causat illam, postquam manducatio cessat, et vere non est.

Aliud fundamentum

28. Probatur secundo : quia sacramenta semel applicata, et rite suscepta causant ad instar causarum naturalium, nempe quantum possunt juxta dispositionem subjecti : ergo si Eucharistia, quandiu conservatur in stomacho, causat suum effectum ; sequitur, quod continuo causet majorem, et majorem gratiam. Id vero esse falsum ex eo constat, quod si Eucharistia, quando primo manducata fuit, causavit gratiam verbi causa ut duo ; nulla est ratio, quare causet majorem gratiam, quandiu manet in stomacho ; cum subjectum possit eodem tunc modo se habere, sicut se habuit, quando primo Eucharistiam suscepit. Unde melius hic applicatur exemplum luminis, quo Adversarii utuntur : tum si a principio causavit in spatio lucem ut quatuor, et deinde non additur major dispositio ex parte medii, non causabit majorem lucem, quamvis idem lumen in eodem perseveret.

Responsio Suarez evertitur.

Propter hoc Suarez (cui subscribunt communiter alii Recentiores hujus sententiæ patroni) respondet, quod ut Eucharistia in stomacho manens causet majorem gratiam, debet connotare ex parte subjecti majorem dispositionem propter ferventiores actus, et devotionis continuationem. Sed minime satisfacit, et inconsequentiæ arguitur : nam ipse cum communi sententia (quam dub. sequenti stabiliemus), docet non requiri aliam dispositionem ex parte suscipientis, ut sacramentum Eucharistiæ primo causet suæ gratiæ effectum, quam habitualem statum gratiæ : ergo si dum in stomacho conservatur, causat gratiam, non exiget ad hunc effectum aliam dispositionem, quam prædictum statum ; in his enim, quæ sunt per se, ita se habet magis ad magis, sicut simpliciter ad simpliciter. Et sic procedit argumentum, quomodo scilicet Eucharistia, quæ a principio causavit gratiam præcise ut duo, causet postea gratiam ut quatuor, et ut octo, stante eadem dispositione ex parte subjecti ?

Aliud fundamentum

29. Tertio suadetur eadem veritas : quia contraria sententia dat occasionem communicantibus suscipiendi majorem hostiam, vel plures hostias, ad conservandum scilicet diuturniori tempore Eucharistiam in stomacho, et consequendum magis copiosum gratiæ sacramentalis effectum. Id vero aliquam superstitionem redolet contra communem usum Ecclesiæ. Unde sacrum Inquisitionis tribunal id non semel prohibuit, ut testantur Granados, et Joannes a Cruce locis supra relatis, et constat ex edicto Inquisitionis Generalis anno 1623, die nono Maii. Nec satisfacit, quod respondet Gonet, loco cit. nu. 43, majorem gratiæ copiam non sequi per se ad susceptionem majoris hostiæ, vel plurium hostiarum, sed solum per accidens : quia prædictæ sententiæ Auctores non tribuunt illum augmenti effectum majori permanentiæ specierum præcise, sed majori dispositioni, quæ toto illo tempore exercetur, et quæ si ab initio extitisset, totus ille gratiæ cumulus tunc productus esset. Non, inquam, satisfacit, sed inconveniens objectum intactum relinquit : quoniam licet ipsi asserant requiri novam dispositionem (an inconsequenter, constat ex num. præced.) nihilominus simul affirmant sacramentum Eucharistiæ toto tempore, quo manet in stomacho, causare posita illa dispositione suum gratiæ effectum ex opere operato : ergo dant occasionem procurandi, et suscipiendi majorem hostiam, vel plures hostias, nempe ut sacramentum diutius maneat, et causet majorem gratiam ex opere operato, licet cum dependentia ab eorum, qui communicant, dispositione.

Solutio Gonet corruit.

Aliud fundamentum

30. Quartum fundamentum est : quia ex prædicta sententia sequitur peccare mortaliter peccato specialis sacrilegii, non solum qui sumit indigne hoc sacramentum ; sed eum etiam, qui postquam illud digne suscepit, post aliquod notabile spatium, utputa quartam partem horæ (tandiu, et plus possunt species sacramentales in stomacho permanere) labitur in aliquod peccatum mortale, v. g. furtum in materia gravi.

Probatur

Probatur sequela : quia ponit obicem effectui sacramenti, quod eo adhuc tempore gratiam causare potest juxta Adversarios. Hi vero diversimode occurrunt. Nam Suarez concedit sequelam per se loquendo : in qua nullum vidit inconveniens ob irreverentiam, quæ contra Christum tunc præsentem committitur. Sed per accidens poterit homo excusari vel ob inadvertentiam, vel quia sequitur nostram opinionem. Arauxo autem negat sequelam : quia homo non debet tollere obicem pro omni duratione, sed quando primo manducat, et suscipit sacramentum. Sed neutra responsio satisfacit. Non prima, quia est nimis dura, et contra communem sententiam : nemo enim damnandus est culpæ gravis, nisi cum certo, et solido fundamento. Quod tamen in proposito casu non occurrit : nam Theologi cum Apostolo 1, *ad Corinth.* 11, eos tantum, qui manducant, et bibunt indigne Eucharistiam, dicunt manducare, et bibere sibi judicium : sed nemo dixit manducare, aut retinere sibi judicium. qui post Eucharistiam digne sumptam, illam indigne retinet propter aliquod de novo superveniens peccatum grave : nec fideles ex hoc reputant se sacrilegos. Non pariter secunda : quia peccatum sacrilegii commissum in manducando Eucharistiam indigne stat in eo, quod impeditur effectus gratiæ, quam Eucharistia quantum est de se, communicat, et qui supponit in suscipiente, per se loquendo, vitam gratiæ. Hoc autem motivum etiam militat ex suppositione, quod Eucharistia causet, quantum est de se, gratiam toto tempore, quo retinetur in stomacho, ut Adversarii affirmant : quia tunc peccans impedit effectum Eucharistiæ, qui vitam gratiæ supponit. Unde non videtur consequenter dictum, quod homo tenetur tollere obicem, cum Eucharistiam primo suscipit, secus autem tempore sequenti, quo illam conservat : nam Adversariis concedentibus, Eucharistia causat, quantum est de se, gratiam non solum, cum primo sumitur, sed etiam cum tempore sequenti in stomacho censervatur.

Variæ responsiones confutantur.

Ultimum fundamentum.

31. Denique suadetur conclusio quia non adest grave aliquod, et solidum fundamentum ad asserendum rem adeo magnam, ut constabit diluendo motiva contraria, quæ nostro judicio sunt multum debilia. Ad primum respondetur probare si quid valet, quod Christus, quandiu manet in stomacho, causet gratiam ex opere operato independenter ab omni alia actuali dispositione subjecti : sic enim causat, cum primo Eucharistia sumitur : quod esse falsum constat ex dictis, et concedunt communiter Auctores contrariæ sententiæ. Testimonium autem, quod in contrarium allegatur, non est ad rem : quia non limitat influxum Christi ad sacramenta, nec ad gratiam sacramentalem : sed significat Christum nos illuminare, et esse causam omnis gratiæ, quæ nobis, vel ex opere operato, vel ex opere operantis communicatur. Ad secundum constat ex n. 25 differentia inter cibum materialem, et hunc cibum spiritualem : unde omittendo præmissas, negamus consequentiam : quia effectus Eucharistiæ est repromissus manducationi, et manducanti : unde confertur in ultimo instanti manducationis, ut statuimus n. 23, et non confertur cessante manducatione, quamvis Eucharistia in stomacho perseveret. Quæ limitatio non occurrit in materiali cibo respectu corporalis nutritionis. Ad tertium patet ex dictis n. 27, quod licet manducatio sit conditio; requiritur tamen ex institutione Christi, ut Eucharistia causet suum gratiæ effectum. Ad quartum respondetur nostram erga sanctissimum hoc sacramentum fidem, et devotionem non egere falsis persuasionibus, aut minus prudentibus credulitatibus. Et ut conemur cum summa reverentia, et attentione nos gerere toto tempore, quo prudenter putamus conservare Eucharistiam in pectore ; non requiritur majus illud spirituale lucrum augmenti gratiæ ex opere operato: sed sufficit nobis ipsa Christi præsentia independenter ab alio commodo. Præterquam quod ipsa nos excitat ad actus amoris, et aliarum virtutum, quibus in augescendo gratiam proficimus ex opere operantis. Unde colligendum est oppositum ejus, quod contraria sententia inferebat, et statuendum eum, qui manducavit Eucharistiam in peccato, non consequi in ejus virtute primam gratiam per se vel per accidens : quamvis tempore, quo illam in pectore conservat, eliciat dispositionem attritionis, vel contritionis. Et ratio patet ex dictis : quia videlicet Eucharistia illo tempore non causat suum effectum ex opere operato : quare justificatio, si eo tempore contingat, fiet eodem modo, quo fieret, si Eucharistia sumpta non fuisset.

Corollarium observandum.

Habebit itaque ab illa generalem eam dependentiam, quam supra statuimus disp. 3, dub. 1, sed non dependebit ab ipsa exercite in genere causæ efficientis.

§ III.

Alia ejusdem assertionis corollaria.

Secundum assertionis corollarium.

32. Pergamus ad alias conclusionis nostræ appendiculas. Et infertur secundo contingere posse, ut aliquis digne suscipiat Eucharistiam, et nihilominus non recipiat ejus fructum. Ratio est : quia Eucharistia non causat suum effectum, nisi manducetur, et perveniat ad stomachum, ut statuimus n. 23; contingere autem potest, quod post dignam Eucharistiæ in ore, aut etiam in gutture sumptionem, vel non pertingat ad stomachum, vel cum pertingit, non reperiat in subjecto congruam pro suo effectu dispositionem : quippe cum a prima in ore sumptione usque ad primam in stomacho receptionem consummetur aliquod tempus ; datur etiam latitudo ad hujusmodi varietatem : ergo contingens est, quod Eucharistia digne suscepta non causet effectum suum. Quod magis declaratur exemplis, sive peculiaribus casibus. In primis ejus, qui cum suscipit Eucharistiam, est in statu gratiæ : et antequam illam ad stomachum deglutiat, committit, (ut fieri potest) aliquod peccatum mortale: tantum enim abest, ut recipiat Eucharistiæ fructum, ut potius committat sacrilegium adversus illam. Deinde ejus, qui post susceptam rite Eucharistiam moritur antequam illam ad stomachum transmittat : non enim recipit ejus fructum, ut communiter tradunt Doctores contra Becanum supra relatum. Denique ejus, qui post susceptam sancte Eucharistiam tandiu illam in ore retinet, quod species corrumpantur, antequam deglutiantur, vel ad stomachum perveniant : et similiter ejus, qui antequam species ad stomachum descendant, non valens illas retinere, ipsas expuit, aut evomit, ut cum Bonacina, Diana, et aliis notat N. Franciscus loco cit. n. 6. Nemo enim ex relatis in præmissis casibus manducat Eucharistiam manducatione completa, et perfecta, sed dumtaxat imperfecta, et inchoata.

Varii casus.

N. Fran.

Nota.

Si quis autem, postquam species sacramentales ad stomachum pervenerunt, illas statim, et immediate evomeret, adhuc posset recipere gratiam, et hujus sacramenti effectum : hic enim dependet quidem ex manducatione perfecta, quæ in eo casu adest : non vero ex digestione specierum : vomitus autem non opponitur prædictæ manducationi, quin potius illam supponit, sed opponitur soli digestioni. Unde elucet discrimen jam supra insinuatum n. 25, inter cibum materialem, et cibum istum spiritualem, quod ille non nutrit nisi mediante digestione : quare ut nutriat, debet in stomacho retineri, et concoqui. Sed hic spiritualis cibus non nutrit mediante digestione specierum, sed antecedenter ad illam : quocirca opus non est, quod in stomacho permaneat, sed sufficit manducari manducatione completa, sive ad stomachum pervenisse.

Tertium corollarium.

33. Infertur tertio contingens etiam esse oppositum præcedenti corollario, nempe quod quis peccet suscipiendo Eucharistiam, et nihilominus recipiat ejus fructum. Et ratio est eadem, nempe consumi tempus inter sumptionem Eucharistiæ in ore, et transmissionem ejus ad stomachum : unde possunt ea, quæ videntur adeo repugnantia, salvari. Ut si quis existens in peccato mortali a se cognito suscipiat Eucharistiam, in quo ipso graviter peccat : et deinde antequam illam deglutiat, vel cum transmittit, eliciat actum contritionis, (quod non implicat : licet, ut putamus, rarissime continget) tunc enim virtute contritionis consequitur gratiam : atque ideo cum Eucharistia primo attingit stomachum (tempore scilicet, aut instanti, in quo causatura est) reperit subjectum aptum, et vivum, ut in eo producat effectum suum, sive gratiæ augmentum. Contingens itaque est, ut suscipiens indigne Eucharistiam recipiat tandem fructum ipsius.

Quartum corollarium.

34. Infertur quarto, quod quando communicans recipit successive plures hostias, aut plures hostiæ partes, recipit totum sacramenti effectum, cum prima hostia, vel hostiæ pars pervenit ad stomachum ; reliquæ autem hostiæ, vel unius hostiæ partes, quæ post primam illam succedunt, non causant distinctum gratiæ effectum. Sic docent Soto, Suarez, Valentia, N. Cornejo, Coninckus, et alii, quos refert, et sequitur N. Franciscus loco cit. num. 7. Joannes a Cruce, Aversa, Leander, et alii quibus subscribit Prado ubi supra dub. 2, § 4. Et omnes

Soto.

N. Fr.

Prado.

omnes supponunt licitum esse ad exhauriendum, et purificandum pixidem, quod sacerdos sumat successive, aut sæculari suscipiendas successive porrigat plures hostias, aut formulas, quando omnes simul non possunt decenter ingeri per modum unius. In quo casu per omnes simul aut divisive producitur idem sacramenti effectus, ut expresse tradit Divus Thomas in hac quæst. art. 7 ad 3, his verbis : « Nihil « plus est virtutis in multis hostiis consecratis, quam in una ; cum sub omnibus, « et sub una non sit, nisi totus Christus. « Unde nec si aliquis simul in una Missa « multas hostias consecratas sumat, participabit majorem effectum sacramenti. « In pluribus vero Missis multiplicatur « sacrificii oblatio : et ideo multiplicatur « effectus sacrificii, et sacramenti. » Quo supposito, probatur prima illationis pars : quia effectus sacramenti Eucharistiæ producitur : quando tale sacramentum pervenit ad stomachum, ut num. 23 statuimus : sed cum prima hostia, aut formula, aut pars pervenit ad stomachum, verificatur sacramentum Eucharistiæ ad stomachum pervenisse ; si quidem talis hostia, et quælibet hostiæ pars est vere sacramentum Eucharistiæ : et in hac ratione non dependet ab aliis, qui post ipsam succedunt : ergo qui plures hostias, vel hostiæ partes successive suscipit, recipit effectum sacramenti, cum prima hostia, vel hostiæ pars pervenit ad ejus stomachum. Eo vel maxime, cum per accidens omnino sit, quod aliæ hostiæ, aut particulæ sumantur, aut non. Secunda vero ejusdem consectarii pars etiam ostenditur : tum quia est expressa D. Thomæ, ut proxime vidimus. Tum quia, vel in physicis videmus causam supervenientem, et habentem de se vim ad producendum aliquemeffectnm non producere illum,si reperiat productum in eo gradu, quem ipsa posset efficere: quod in præsenti contingit, ut consideranti constabit.

D. Tho. — Suadetur.

Objectio. Nec refert si opponas sumptionem secundæ hostiæ, vel partis esse tam veram manducationem corporis Christi, sicut primam : et similiter gratiam hujus sacramenti esse repromissam tam primæ quam secundæ manducationi : ergo si sumptio primæ hostiæ, vel partis causat gratiam, ut affirmamus ; idem oportet dicere de sumptione secundæ. Id, inquam, non refert : nam respondetur manducationem primæ hostiæ, et manducationem secundæ hostiæ, quando successive sumuntur esse distinctas manducationes physice ; sed esse unam manducationem moraliter, et reputari pro eadem sacramenti sumptione : unde cum istud causet suum effectum, ubi primo pervenit ad stomachum ; sequitur totam illam manducationem causare suum effectum, ubi sacramentum in prima hostia, vel hostiæ parte ad stomachum descendit. Unde quod aliæ partes, vel hostiæ non inducant alium, aut distinctum effectum, non provenit ex eo, quod careant virtute : sed ex eo, quod supponunt eundem effectum jam productum. Sicut si eidem materiæ applicarentur successive plures ignes, quilibet eorum haberet virtutem igniendi : sed tamen si primus convertisset materiam in ignem, cæteri advenientes non producerent effectum : quia per accidens supponerent, et reperirent prædictum effectum productum per primum ignem, aut per ignem primo applicatum. Unde objectio dispellitur concedendo antecedentis propositiones, et negando consequentiam.

Solvitur.

Contra primam hujus consectarii partem (quæ vere est doctrina communis) sentiunt Claudius Sainctes repet. 10, cap. 3, et Bellarminus lib. 4, *de Eucharistia*, cap. 2 ad 4, quatenus docent in prædicto casu non produci gratiam, antequam sumatur secunda hostia, aut particula : quia una sumitur cum intentione sumendi aliam, et ibi consummatur communio. Adversatur etiam eidem parti Salmeron to. 9, *in Evang.* tract. 36, quatenus affirmat effectum sacramenti produci per unam, et alteram speciem, et per omnes ; ita tamen, quod non producatur majus gratiæ augmentum, quam si homo in una tantum specie communicaret. Sed non videmus in his sententiis grave aliquod, aut rationabile motivum, cui opus sit satisfacere. Nam quod sacramentum causet, suppositis aliis conditionibus, et applicationibus, non dependet ab intentione suscipientis ; quippe qui suppositis eis conditionibus, sacramenti effectum suspendere non valet. Prima autem hostia ad stomachum perveniens habet hoc ipso omnes conditiones, ut suum effectum inducat : et per accidens est, quod sumantur aliæ particulæ, et quod suscipiens primam, intendat cæteras sumere. Unde dubitandum non est sacerdotem, si post sumptam primam hostiæ fractæ par-

Sententia contraria. — Sainctes Bellarm. — Salmeron — Præoccupantur motiva

tem moriatur, sumere sacramentum, et consequi ejus effectum : sicut si voluntarie decrevisset solam illam partem accipere.

Incidens quæstio

35. Sunt tamen adhuc circa hujus corollarii casum duæ difficultates. Prima, an qui per susceptionem primæ hostiæ, aut particulæ suscepit sacramenti effectum, ut resolvimus, si ante susceptionem aliarum hostiarum, aut particularum eliciat ferventiores actus, recipiat majus augmentum gratiæ per illas ex vi sacramenti. Et affirmativam partem indicat N. Franciscus loc. cit. dum communem, et nostram resolutionem statuit illis verbis : « Per reliquas « vero sumptiones non causatur gratia dis- « tincta, si dispositio non augeatur »: hac enim limitatione significat dari distinctam gratiam, si post primam dispositionem augeatur dispositio. Quod forsan desumpsit ex Auctoribus, quos ibi allegat, licet nullum afferat hujus limitationis fundamentum. Sed insinuatum magis explicat num. 11.

Opinio quædam

Præfertur, et probatur opposita.

Sentimus tamen per subsequentes sumptiones nullum dari augmentum gratiæ ex opere operato, sive virtute sacramenti ; sed augmentum, quod forte succedentibus actibus ferventioribus contingit, fieri præcise ex opere operantis, ac perinde sicut contingeret non succedentibus sumptionibus aliarum particularum. Probatur primo : quia sumptio successiva plurium hostiarum est moraliter una sumptio, et unius sacramenti : sed istud causavit jam suum effectum in sumptione primæ particulæ : ergo succedentes actus ferventiores non sunt dispositiones ad effectum talis sacramenti : et consequenter ita comparantur ad talem effectum, sicut si ibidem non esset, aut sicut, si sumptio aliarum particularum non succederet. Quod declaratur exemplo ejus, qui postquam suscepit Eucharistiam in stomacho, et ante corruptionem specierum elicit ferventiores actus : non enim propterea consequitur majus augmentum gratiæ ex opere operato : quia sacramentum jam sumptum fuerat, et pepererat suum effectum, ut ostendimus § præced. et idem proportionabiliter in præsenti casu contingit. (Per quod patet ad fundamentum pro parte contraria insinuatum.) Secundo : quia ex opposito fieret nunquam sumi digne primam particulam, quin eo ipso per susceptionem secundæ augeretur gratia ex opere operato : quod tamen est contra ipsum Franciscum, et contra communem sententiam n. præced. propositam. Sequela ostenditur : nam dispositio ad effectum hujus sacramenti est status gratiæ, nec alia simpliciter requiritur, ut dub. seq. videbimus : sed per primam sumptionem augetur gratia : ergo ex vi prioris sumptionis manet homo magis dispositus : atque ideo si verum est sumptionem succedentium particularum augere gratiam ex opere operato : ubi reperit majorem dispositionem ; sequitur nunquam contingere, quod sumptio primæ particulæ rite fiat, quin sequentes sumptiones augeant gratiam ex opere operato. Tertio : quia contraria sententia præbet occasionem sumendi successive plures particulas, et ut sacerdos v. g. qui potest duas partes hostiæ simul sumere, sumat unam post aliam eliciendo actus tempore intermedio ; et cum possit species vini uno haustu sumere, sumat successive pluribus haustibus, prætextu scilicet augendi gratiam ex opere operato, concurrentibus ejus actibus. Quæ nobis videntur redolere aliquam superstitionem, et abusum : sicut contingeret in eo, qui eodem prætextu curaret sumere hostiam majorem, aut plures simul hostias, ut supra diximus. Deservient itaque illi ferventiores actus eliciti inter diversas successive sumptiones ad majus augmentum gratiæ ex opere operantis; non autem ex opere operato.

Alia occurrens quæstio

36. Secunda in prædicto casu sumptionis successivæ plurium hostiarum, aut particularum difficultas est, an si quis, cum primam sumpsit erat in statu peccati mortalis, sed statim post illam elicuit actum contritionis, et sic sumpsit secundam, recipiat effectum hujus sacramenti, nempe gratiæ augmentum supra gratiam debitam contritioni ? Negat Bonacina quæst. 4, punct. 2, num. 6. Et movetur fundamento sæpius a nobis stabilito : quia videlicet effectus hujus sacrementi producitur per ejus sumptionem, et manducationem in prima ipsius parte, quæ sumatur : sed homo in sumptione primæ partis non erat dispositus ad effectum sacramenti, ut supponitur : ergo non recipit effectum hujus sacramenti, licet se disponat, antequam alias partes suscipiat ; sed perinde se habet ea dispositio, ac si non conjungeretur cum sacramento. Confirmatur : quia omnes sumptiones successive factæ, licet sint

Opinio Bonacinæ

physice

physice plures, reputantur moraliter una manducatio, et sumptio, ut diximus n. 34, et rursus prima sumptio est sacrilega, et in qua homo dicitur manducare judicium juxta Apostolum 1, *ad Corinth.* 11 ; ergo sequentes sumptiones, quamvis supponant dispositionem, non causant gratiam, aut effectum sacramenti Probatur consequentia : quia incredibile apparet, quod idem homo, et per eandem moraliter manducationem conquirat sibi mortem, et vitam, judicium, et gloriam.

Præfertur contraria. Vera tamen, et communis sententia, cui subscribimus, affirmat hominem in prædicto casu recipere effectum sacramenti per secundam, aut succedentem sumptionem. Ita Soto, Suarez, Trullench, Aversa, quos refert, et sequitur Prado dub. 2, § 4, n. 36. Nugnus, N. Cornejo, Coninckus, Reginaldus, Castro Palao, et Bartholomæus ab Angelis, quos refert, et sequitur N. Franciscus loco cit. num. 10. Probatur urgenti motivo : quia cum homo primo recipit digne sacramentum Eucharistiæ, participat ejus effectum : sed in proposito casu, quando homo recipit secundam hostiam, aut particulam, tunc primo recipit digne sacramentum Eucharistiæ : ergo in secunda sumptione participat effectum hujus sacramenti. Consequentia patet. Et major videtur manifesta : qui in illa recensentur omnes conditiones, quæ necessariæ videntur, ut Eucharistia suum effectum inducat : quia ex una parte adest digna illius susceptio, et ex alia non adest ejus effectus antecedenter productus : unde nihil deficit vel ex parte subjecti, vel ex parte dispositionis, et applicationis ad participationem talis effectus. Minor denique constat : nam homo in prædicto casu digne suscipit sacramentum Eucharistiæ; siquidem supponitur existere in statu gratiæ: et aliunde tunc primo illud digne suscipit, quippe antecedenter susceperat indigne, et non susceperat ejus fructum. Confirmatur, et declaratur amplius : quia sacramentum Eucharistiæ, quantum est de se, causat gratiam in omni suscipiente recte disposito, nisi effectum ejusdem sacramenti in illo supponat, ut num. præced. dicebamus : sed in casu proposito suscipiens est recte dispositus, cum sumit in secunda hostia sacramentum Eucharistiæ; et aliunde non supponitur cum effectu ejusdem sacramenti : ergo sacramentum Eucharistiæ in tali casu causat re ipsa proprium effectum augmenti gratiæ.

Soto. Suarez. Prado. N. Corn. N. Fran.

Fundamentum.

37. Juxta quam doctrinam diruitur oppositum fundamentum : nam major solum verificatur per se loquendo, et ubi in prima hujus sacramenti sumptione datur sufficiens dispositio ad ejus effectum : tunc enim talis effectus primo fit, et præcludit locum, ne secunda sumptio producat sacramenti effectum, cum illum supponat productum. Sed in præsenti casu aliter omnia contingunt : nam prima Eucharistiæ sumptio non habuit effectum ob indispositionem subjecti : unde secunda sumptio est simpliciter prima in ratione dignæ, et effectum non præsupponit : et consequenter debet illum inducere. Ad confirmationem negamus majorem quoad secundam partem : quia licet prima sumptio, et secunda sumptio sint moraliter una sumptio in ratione unius manducationis successivæ ; nihilominus sunt moraliter plures in ratione communionis : quia prima sumptio est communio sacrilega, et secunda est communio digna. Ubi autem occurrit tanta differentia, mirum non est, nec incredibile, quod prima sumptio sit manducatio mortis, et judicii, secunda vero sit manducatio vitæ, et gratiæ. Ubi incidenter nota (et sic tacitæ occurrimus objectioni) differentiam inter eum, qui postquam in statu peccati sumpsit, et transmisit Eucharistiam ad stomachum, antequam species corrumpantur, elicit actum contritionis : et eum, qui post sumptam indigne primam Eucharistiæ particulam, elicit prædictum actum, et sic sumit sequentem, aut succedentem particulam. Nam Eucharistia ut in stomacho perseverans non est signum gratiæ diversum ab eadem Eucharistia ut primo sumpta ; nec ibi datur diversa manducatio, aut applicatio sacramenti : quare si ubi primo pervenit ad stomachum, non causavit gratiam, nec illam postea causare poterit, quamvis adsit alia dispositio ex parte subjecti, ut resolvimus num. 31. Cæterum secunda hostia, vel hostiæ pars est diversum signum, et sacramentum a prima, præsertim in nostra sententia, quæ tot esse numerosacramenta dicit, quot fuerint specie sacramentales : rursus adest in secunda sumptione diversa manducatio, et applicatio : unde oportet, quod in secunda sumptione, cum sancte fiat, producatur effec-

Eliduntur objecta.

Nota.

tus sacramenti, qui fuerat impeditus in prima.

DUBIUM III.

Quæ dispositio requiratur ad consequendum Eucharistiæ effectum?

Sæpe contingit causam, quæ de se potest inducere aliquem effectum, impediri ab ejus communicatione ob carentiam dispositionum, aut conditionum ex parte subjecti, vel passi requisitarum. Unde videndum est, an sacramentum Eucharistiæ exigat hujusmodi dispositionem, et qualem? Sed ut ad punctum specialis controversiæ accedamus, expedit præmittere communiora.

§ I.

Præsupponenda in hoc dubio.

Plures Eucharistiæ effectus.

38. Et primo loco recolendum est, quod in dubio primo statuimus, nempe sacramentum Eucharistiæ habere plures effectus, utputa augmentum gratiæ, gratiam spiritualis dulcedinis, remissionem culparum venialium, et remissionem pœnæ debitæ tam pro mortalibus, quam pro venialibus, perseverantiam in justitia, quin et primam (licet per accidens in aliquo casu) gratiam justificationis excludentem peccatum mortale. Sed tamen proprius, et primarius ejus effectus est gratia sanctificans, non quidem ut prima, sed secundum augmentum, et in ratione cibantis spiritualem vitam, quam per se loquendo supponit. Nam ex communi conceptu sacramenti legis gratiæ efficit gratiam sanctificantem : et quia est sacramentum vivorum, supponit per se in subjecto gratiam, causatque ejus augmentum : ac denique ex particulari institutione sub specie alimenti causat illud augmentum in ratione gratiæ cibantis. Cæteri vero effectus, quos confert, sunt minus principales respectu illius, et conferuntur secundario, concomitanter, aut ex consequenti. Unde dubium revocatur ad augmentum gratiæ in ratione cibantis, et propterea in ejus titulo (quin et in totius disputationis) non diximus effectus, sed *effectum*.

Principalis de quo dubium.

Sed tamen oportet non nihil dicere de dispositione requisita ad effectus alios. Et primo supponendum est, quod ad recipiendum gratiam spiritualis refectionis, et dulcedinis, non sufficit merus, et solus status gratiæ; sed requiritur attentio, et devotio actualis excludens mentis distractionem, et peccata venialia actu commissa. Sic sentiunt communiter Doctores apud N. Franciscum cap. 6, punct. 4, num. 58, et tradit D. Thomas in artic. 8 hujus quæst. his verbis : « Effectus hujus sacramenti non « solum est adeptio habitualis gratiæ, vel « charitatis; sed etiam quædam actualis « refectio spiritualis dulcedinis : quæ qui- « dem impeditur, si aliquis accedat ad hoc « sacramentum, per peccata venialia mente « distractus. » Et similia docet in 4, dist. 12, quæst. 2, art. 1, quæstiunc. 3. Ratio etiam idem persuadet : nam actualis refectio spiritualis dulcedinis consistit in sanctis cogitationibus, et affectionibus : manifestum autem est istas impediri per actus contrarios distractionis, indevotionis, et affectionis inordinatæ : requiritur ergo ad prædictum Eucharistiæ effectum attentio, et devotio actualis excludens distractionem mentis, et peccata venialia actu commissa. Eo vel maxime, quod intellectus, et voluntas hominis, cum sint potentiæ finitæ, nequeunt ad plura (et præsertim opposita) simul ferri: ergo si tempore sumptionis Eucharistiæ occupantur circa vana ; fieri non potest, ut simul recipiant divinas illustrationes, et affectiones, in quibus gratia spiritualis refectionis consistit.

Dispositio ad effectum spiritualis dulcedinis.

39. Similiter intelligendum est, quod ad percipiendum alios effectus non sufficit nudus, et solus status gratiæ. Nam in primis quod pertinet ad remissionem peccatorum venialium, hæc fit ex opere operato in hoc sacramento mediante actu charitatis, vel contritionis, qui in eo excitatur, et est formalis, vel saltem virtualis venialium retractatio, ut diximus num. 13; ergo ad remissionem venialium per hoc sacramentum non sufficit solus status gratiæ : nec simul cum tali remissione cohæret, quod communicans voluntarie distrahatur, et ad venialia afficiatur. Deinde remissio pœnæ temporalis pro mortalibus, aut venialibus debitæ, quæ solet in susceptione Eucharistiæ contingere, non fit immediate per Eucharistiam ut est sacramentum (neque enim in id ordinatur per se,) sed fit concomitanter, aut ex consequenti, videlicet per fervorem charitatis, aut contritionis, qui

Quæ requiratur ad alios effectus?

in

in hoc sacramento excitatur, et satisfactorius est, ut diximus num. 14; ergo ad prædictum effectum aliquid aliud requiritur præter habitualem statum gratiæ. Præterea perseverantia in gratia communiter, et per se loquendo non contingit absque pluribus actibus, qui in decursu vitæ christianæ necessarii sunt ad implendum mandata, et superandum tentationes occurrentes : ergo ut Eucharistia communicet prædictum effectum, aliqui actus per se loquendo requiruntur præter gratiam habitualem. Idemque intelligendum est de adeptione gloriæ, quæ est perseverantiæ terminus. Et diximus per se loquendo : quia contingere potest, ut quis statim, sive immediate moriatur post sumptam Eucharistiam, et subinde quod non occurrat adimpletio præcepti, nec victoria tentationis : sed hoc est per accidens. Denique quod attinet ad primam gratiam justificantem, et remissionem peccati mortalis (quas Eucharistiam posse per accidens causare diximus num. 12), manifestum est non contingere absque aliquo actu contritionis, vel saltem attritionis. Non itaque sufficit sola gratia habitualis ut Eucharistia causet prædictos effectus.

40. Ab his itaque expediti pervenimus ad proprium, et principalem gratiæ effectum, qui est præsentis dubii subjectum, nempe ad augmentum gratiæ in ratione cibantis, sive secundum eum peculiarem modum sacramentalem, qui est effectus Eucharistiæ. Et circa hujusmodi effectum distinguendum ulterius est : nam potest considerari vel secundum illud quasi minimum gratiæ, quod sacramentum causat ex opere operato posita minima dispositione, aut conditione, ut causet; vel secundum majorem perfectionem, aut intensionem supra illud minimum. Et loquendo in hac secunda consideratione supponendum etiam est non sufficere pro prædicto effectu merum, et habitualem statum gratiæ, sed ulterius desiderari aliquem actum. Nam sacramenta novæ legis, cum semel applicata causent ad instar causarum naturalium, eo ex opere operato intensiorem gratiam producunt, quo subjectum melius dispositum inveniunt; sed merus, et habitualis status gratiæ est conditio communis, ut Eucharistia causet gratiæ augmentum, sicut statim dicemus : ergo ut Eucharistia causet intensius, sive majus gratiæ augmentum, non sufficit habitualis status gratiæ, sed ulterius requiritur aliquis actus, quo communicans se coaptet ad majorem illam gratiæ intensionem. Ex qua etiam radice provenit, quod peccata venialia, et animi distractiones impediant hunc effectum intensioris augmenti, sicut numero præcedenti de aliis effectibus dicebamus. Quare præsentis controversiæ punctum revocatur ad augmentum priori modo consideratum, sive ad augmentnm gratiæ in ratione cibantis secundum se, et præcisive ab incremento intensionis.

Quid ad causandum incrementum gratiæ cibantis?

Et in hoc sensu supponimus, ut Eucharistia prædictum effectum (nempe proprium, et principalem, ut sæpius diximus), inducat, requiri statum gratiæ, sive absentiam peccati mortalis. In hoc conveniunt omnes Catholici contra Lutherum, qui dicebat sufficere fidem, aut confidentiam de obtinenda gratia per hoc sacramentum : cujus hæresis reprobata fuit a Leone Decimo, et damnata in Concilio Tridentino sess. 13, cap. 7, et can. 5, et 11. Probatur : quia sacramenta vivorum non causant per se primam gratiam, sed illam per se in subjecto præsupponunt, sicut et vitam spiritualem, ad quam augescendam, et perficiendam ordinantur, ut constat ex dictis tract. præc. disp. 4, dub. 7, § 1; sed Eucharistia est sacramentum vivorum : ergo Eucharistia requirit tanquam dispositionem, aut conditionem ex parte subjecti, quod sit in statu gratiæ. Confirmatur urgentius : quia illa dispositio requiritur in subjecto ad suscipiendum sacramenti effectum, quæ requiritur ad suscipiendum ipsum sacramentum; siquidem manifestum est effectum sacramenti non contingere nisi mediante sacramento. Ad suscipiendum autem sacramentum Eucharistiæ requiritur, quod subjectum sit in statu gratiæ, sive quod nullius peccati mortalis sibi non dimissi conscius sit. Quin tanta puritas requiritur ut non satis sit peccata expiare per contritionem (quod sufficere solet ad suscipiendum alia vivorum sacramenta), sed omnino requiritur per se loquendo, quod homo illa subjiciat clavibus Ecclesiæ in judicio, et sacramento Pœnitentiæ. Ergo ad suscipiendum effectum sacramenti Eucharistiæ requiritur status gratiæ, et exclusio peccati mortalis.

Ad proprium et principalem Eucharistiæ effectum requiritur status gratiæ.

41. Quæ principia concernunt plures difficultates ad Theologiam practicam per-

tinentes, et quas proinde nec hoc loco, nec in sequentibus in animo habemus discutere. Quare satis censemus prædicta principia ostendere solidissima doctrina, et diffinitione Concilii Tridentini, ad quam tandem a quibusvis dicta revocanda sunt. Capite ergo citato inquit : « Si non decet « ad sacras ullas functiones quempiam « accedere, nisi sancte; certe quo magis « sanctitas, et divinitas cœlestis hujus « sacramenti viro Christiano comperta est; « eo diligentius cavere ille debet, ne absque « magna reverentia, et sanctitate ad id « percipiendum accedat. Præsertim cum « illa plena formidine verba apud Apostolum legamus : Qui manducat, et bibit « indigne, juducium sibi manducat, et « bibit, non dijudicans corpus Domini. « Quare communicare volenti revocandum « est in memoriam ejus præceptum : Pro- « bet se ipsum homo. Ecclesiastica autem « consuetudo declarat eam probationem « necessariam esse, ut nullus sibi conscius « peccati mortalis, quantumvis sibi con- « tritus videatur, absque præmissa sacra- « mentali confessione ad sacram Eucharis- « tiam accedere debeat. Quod a Christia- « nis omnibus, etiam ab illis sacerdotibus, « quibus ex officio incubuerit celebrare, « hæc sancta Synodus perpetuo servandum « esse decrevit, modo non desit illis copia « confessoris. Quod si ncessitate urgente, « sacerdos absque prævia confessione cele- « braverit, quam primum confiteatur. » Deinde can. 11, statuit : « Si quis dixerit « solam fidem esse sufficientem præpara- « tionem ad sumendum sanctissimæ Eu- « charistiæ sacramentum, anathema sit. « Et ne tantum sacramentum indigne, « atque ideo in mortem, et condemnatio- « nem sumatur; statuit, ac declarat ipsa « sancta Synodus illis, quos conscientia « peccati mortalis gravat quantuncumque « etiam se contritos existiment, habita « copia confessoris, necessario præmitten- « dam esse confessionem sacramentalem. Si « quis autem contrarium docere, prædi- « care, vel pertinaciter asserere, seu etiam « publice disputando defendere præsumpse- « rit, eo ipso excommunicatus existat. » In cujus canonis prima parte damnatur hæresis sententia Lutheri dicentis ad suscipiendum Eucharistiam non requiri statum gratiæ; sed sufficere fidem, seu fiduciam de consequendo gratiam per Eucharistiam. In secunda vero parte ab illis verbis, *Et ne tantum sacramentum* rejicitur, et excluditur sententia aliquorum Theologorum, et Canonistarum, qui ante prædictum Concilium asserebant nullum dari præceptum divinum, vel ecclesiasticum, ut ille, qui commiserat peccatum mortale, et reputabat se habere de illo contritionem, sacramentaliter confiteretur, etiam habita confessoris copia. Quam sententiam non anathematizat Concilium tanquam hæresim præcedentem : reprobat autem illis verbis *Statuit, declarat*, et illam prohibendo sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. Unde docere contrarium esset ad minus erroneum. Hinc vero plures difficultates excitari possent tum circa jus obligans ad præmittendum confessionem ; tum circa casus in quibus potest non præmitti ; tum circa gravitatem peccati sacrilegæ communionis, tum aliæ plures : quas omnes omittimus ex motivo jam insinuato, quia videlicet pertinet majori ex parte ad Theologos moralistas, seu practicos. Videantur N. Franciscus cap. 7, punct. 3, et alii innumeri apud illum. Prado quæst. 80, dub. 4, cum tribus seq. Et non nihil addemus disp. seq. dub. 3.

[Margin: Concil. Trident. — Propositiones Concilii. — N. Fran. Prado.]

Regrediendo itaque ad considerationem nostram, seclusis aliis Eucharistiæ effectibus, de quibus supra diximus, et applicato dubio soli effectui ejus primario, nempe augmento gratiæ in ratione cibantis ; et supposito quod ad hujusmodi effectum requiritur status gratiæ, ut immediate præmisimus : punctum præsentis difficultatis stat in eo, utrum ultra prædictum statum requiratur aliqua dispositio actualis, utputa, devotio, aut attentio, ita quod effectus hujus sacramenti impediatur per carentiam talis dispositionis, aut per concurrentiam peccatorum venialium, quæ illam dispositionem actualem excludant. In quo sensu

[Margin: Speciale dubii punctum]

§ II.

Præfertur sententia communis.

42. Dicendum est dispositionem, seu conditionem sufficientem ex parte suscipientis ad consequendum Eucharistiæ effectum esse statum gratiæ habitualis excludentis omnia peccata mortalia : atque ideo non requiri pro tali effectu actualem attentionem, vel devotionem, quæ excludat peccata

[Margin: Conclusio.]

cata venialia vel habitualia, vel actu exercita. Ita docet D. Thomas, ut statim ostendemus : cui plures ex discipulis subscribunt, Soto in 4, dist. 12, quæst. 2, art. 8, Martinus de Ledesma quæst. 20, dub. 4, Victoria *in Summa de Eucharistia*, num. 66, N. Cornejo art. 8, disp. unica, dub. 1, ubi Arauxo dub. 2, Nugnus difficult. unica, Sierra dub. unico, N. Franciscus cap. 6, puncto 4, Gonet disp. 8, art. 3, conc. 1. Petrus de Ledesma, cap. 10, *de Eucharistia*, concl. 15, Prado dub, 11, § 2, dicens ita sentire omnes recentiores Thomistas. Idem etiam docent B. Albertus in 4, dist. 13, art. 25, Suarez disp. 63, sect. 3, Vasquez disput. 206, cap. 2, Lugo disp. 14, sect. 3, Aversa quæst. 7, sect. 5, Gabriel, Adrianus, Cordova, Filliutius, Valentia, Coninckus, Bonacina, Granados, Reginaldus, Enriquez, Fagundez, Villalobos, et alii, quos refert N. Franciscus loco citato.

D. Tho Soto. Victor N. Cor. Arauxo. Nugnus Sierra N. Fran. Gonet. Prado. B. Alb. Suarez Vasq. Lugo. Aversa. Bonacin.

Ostenditur de mente D. Tho.

Probatur primo ex D. Thoma art. 8 hujus quæst. ubi hæc habet : « Dicendum, « quod peccata venialia dupliciter accipi « possunt. Uno modo, prout sunt præterita: « alio modo, prout sunt actu exercita. « Primo quidem modo peccata venialia « nullo modo impediunt effectum hujus « sacramenti: potest enim contingere, quod « aliquis post multa peccata venialia com- « missa, devote accedat ad hoc sacramen- « tum, et plenarie hujus sacramenti con- « sequatur effectum. Secundo autem modo « peccata venialia non ex toto impediunt « hujus sacramenti effectum, sed in parte. « Dictum est enim (nempe art. 1, et 2, « ejusdem quæst.) quod effectus hujus « sacramenti non solum est adeptio habi- « tualis gratiæ, vel charitatis, sed etiam « quædam refectio spiritualis dulcedinis. « Quæ quidem impeditur, si aliquis acce- « dat ad hoc sacramentum per peccata « venialia mente distractus. Non autem « tollitur augmentum habitualis gratiæ, « vel charitatis. » Ergo ex sententia S. Doctoris augmentum gratiæ habitualis, quod est proprius, et principalis hujus sacramenti effectus, de quo loquimur, non impeditur per peccata venialia actualia, nec per hoc, quod quis mente distractus ad communicandum accedat. Et quamvis Cajetanus art. 3 hujus quæst. duas, aut tres adhibeat expositiones, ut vim prædicti testimonii declinet; nulla tamen quadrat, et omnes dispelluntur sincera ejusdem loci intelligentia, quæ summæ ipsius claritati respondeat. Præsertim cum S. Doctor primo loco istud argumentum proponat : « Videtur, quod per veniale peccatum non « impediatur effectus hujus sacramenti. « Dicit enim Augustinus super illud Joan. « 6: Patres vestri manducaverunt manna « etc. Panem cœlestem spiritualiter man- « ducate : innocentiam ad altare apportate: « peccata, etsi sunt quotidiana, non sint « mortifera. Ex quo patet, quod peccata « venialia, quæ quotidiana dicuntur, spi- « ritualem manducationem non impediunt. « Sed spiritualiter manducantes, effectum « hujus sacramenti percipiunt. Ergo peccata « venialia non impediunt effectum hujus « sacramenti. » Ad quod argumentum, si S. Doctor esset in opposita nobis sententia, facile responderet negando, (ut negant Cajetanus, et alii Adversarii), quod peccata venialia actualia non impediant spiritualem manducationem. At non ita se gessit, sed respondit juxta præmissam in corpore distinctionem, et resolutionem, quod peccata venialia actualia impediunt effectum hujus sacramenti actualem, sive consistentem in actu refectionis spiritualis dulcedinis : sed non impediunt effectum habitualem, sive consistentem in augmento habitualis gratiæ. « Ad primum, *inquit*, dicendum « quod ille, qui cum actu venialis peccati « ad hoc sacramentum accedit, habituali- « ter quidem manducat spiritualiter, sed « non actualiter. » (Quia videlicet conservat habitum gratiæ sanctificantis, licet non habeat actum devotionis.) « Et ideo habi- « tualem effectum hujus sacramenti perci- « pit, non autem actualem. »

Excluduntur Caietani interpretationes.

43. Secundo probatur ex Concilio Tridentino sess. 13, cap. 7, ubi agit de dispositione ad suscipiendum hoc sacramentum, sub isto titulo : *De præparatione, quæ adhibenda est, ut digne quis Eucharistiam accipiat.* Nam Concilium eo loco nullam aliam dispositionem exigit, nisi statum gratiæ, sive absentiam peccati mortalis, ut patet ex ejus verbis : « Communicare volenti « revocandum est in memoriam hoc Apos- « toli præceptum, Probet autem se ipsum « homo. Ecclesiastica autem consuetudo « declarat eam probationem necessariam « esse, ut nullus sibi conscius peccati mor- « talis, quantumvis sibi contritus videa- « tur, absque præmissa sacramentali con- « fessione, ad sacram Eucharistiam acce-

Fundamentum ex Tridentino.

« dere debeat. » Nullam autem ibi mentionem facit actualis devotionis, nullam absentiæ peccatorum venialium. Ergo ex sententia Concilii ut sacramentum Eucharistiæ causet proprium effectum, nempe augmentum gratiæ habitualis, ut cibantis, non requiritur devotio actualis, nec carentia peccatorum venialium actualium; sed sufficit simpliciter status gratiæ, et carentia peccati mortalis. Nec valet dicere, quod Concilium non agit de dispositione, quæ requiritur ad effectum sacramenti; sed quæ desideratur ad vitandum sacrilegam communionem. Nam contra est: tum quod si Concilium solum ageret de dispositione ad communionem non sacrilegam, secus autem ad fructuosam; mancam, et imperfectam reliqueret doctrinam de præparatione ad hoc sacramentum; siquidem nec ibi, nec alibi recenset, aut proponit aliam dispositionem: id autem absque injuria Concilii dici non valet. Tum etiam, et urgentius nam Concilium expresse agit de præparatione, *ut digne quis Eucharistiam accipiat*, sicut constat ex titulo illius capitis: præparatio autem, qua quis digne Eucharistiam accipit, est dispositio ad effectum Eucharistiæ: nemo enim digne accipit hoc sacramentum, qui non percipiat ejus effectum, et fructum, ut magis constabit ex immediate dicendis.

Confutatur quædam evasio.

Aliud pro assertione motivum

44. Tertium nostræ assertionis fundamentum desumitur ex præmisso testimonio Concilii, et reducitur ad hanc formam: omnia sacramenta novæ legis conferunt ex opere operato gratiam habitualem, vel hujus gratiæ augmentum omnibus ea suscipientibus, et non ponentibus obicem, ut constat ex dictis tractatu præcedenti disputatione 4, dub. 1 et 7: ergo idem de sacramento Eucharistiæ dicendum est; sed qui Eucharistiam suscipit in statu gratiæ, licet mente distractus, et venialia committens non ponit obicem; siquidem nec mentis evagatio, nec carentia devotionis, nec peccata venialia actualia opponuntur gratiæ, et charitati, vel harum augmento: ergo qui in statu gratiæ, licet illis imperfectionibus affectus, Eucharistiam suscipit, recipit prædicti sacramenti effectum, nempe aliquod augmentum gratiæ habitualis ex opere operato.

Roboratur.

Confirmatur: quia si accedens ad sacramentum Eucharistiæ cum distractione mentis, et venialibus actualibus poneret obicem sacramenti effectui; sic accedens, et communicans peccaret mortaliter: sicut generaliter qui ponit obicem aliorum sacramentorum effectui mortaliter peccat. Consequens est durissimum, et incredibile: tum quia est contra omnium fidelium mentem: tum quia parat viam innumerabilibus scrupulis: tum quia revocat homines etiam justos ab hujus sacramenti frequentia: tum denique quia id dicere nec habet fundamentum in rerum naturis, nec in peculiari aliqua Christi institutione. Ergo accedens ad Eucharistiam in statu gratiæ, quamvis voluntarie distrahatur, et licet peccata venialia committat, non ponit obicem sacramento, vel ejus fructui primario.

Aliquorum responsio

Sunt, qui respondeant distinguendum esse duplicem obicem: alium positive, et contrarie repugnantem effectui sacramenti, et hic est mortale sacrilegii peccatum: alium vero mere negativum consistentem in mera carentia dispositionis requisitæ; et hic non est peccatum mortale, sed veniale: quia solum concomitanter se habet ex humana infirmitate, quæ venialia facile admittit, et ex tepiditate negligit. Unde quod quis hoc ultimo modo ponat obicem Eucharistiæ, et impediat ejus fructum, non est peccatum mortale. Ita Contenson dissert. 4, cap. 1, sub titulo, *Devota mentis attentio ad consequendum Eucharistiæ effectum necessaria.* Verum hæc responsio propositum fundamentum non diruit, sed in suo robore relinquit. Primo, quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* non alium obicem agnoscit ad dignam hujus sacramenti susceptionem, nisi conscientiam peccati mortalis: ergo omnis alius defectus non est obex contrarius, vel negativus, ut prædictum sacramentum suscipiatur digne, et cum fructu. Secundo, quia recipere sacramentum cum ea dispositione, quæ impediat ejus effectum, est obex non solum negativus, sed privativus, contrarius, et graviter peccaminosus, ut inductive patet in aliis sacramentis: nunquam enim contingit, quod quis scienter vel apponendo indispositionem contrariam, vel non apponendo dispositionem requisitam, impediat sacramentorum fructum, quin ex hoc ipso graviter peccet: ergo pariter accedens ad sacramentum Eucharistiæ sine dispositione, quæ juxta Adversarios ad percipiendum ejus fructum necessaria est, graviter peccabit:

Contenson.

Proteritur.

bit : atque ideo accedere ad Eucharistiam sine devotione, vel cum peccatis venialibus actualibus erit peccatum-mortale, et obex privativus, atque contrarius. Unde Adversariorum responsio petit principium, dum dicit carentiam illius dispositionis, quam supra statum gratiæ exigit, esse obicem non contrarium, sed negativum.

Ultimum motivum 45. Ultimo probatur nostra conclusio; quia contraria sententia in eo, quod asserit necessitatem actualis attentionis, aut devotionis, et exclusionem peccatorum venialium actualium, nullum habet solidum fundamentum ; ergo non debet admitti. Antecedens præterquam quod ex solutione argumentorum constabit, suadetur sequenti discursu : nam prædicta necessitas in primis non fundatur in naturis rerum : tum quia efficacia hujus sacramenti nequit ex sola natura rerum diffiniri ; cum dependeat ex institutione divina et in quantitate, et in modo. Tum quia augmentum gratiæ non pugnat cum peccatis venialibus actualibus : quippe nulla est contradictio in eo, quod quis ex se peccet, et ex virtute sacramenti consequatur gratiæ augmentum. Deinde talis necessitas non fundatur in institutione Christi : de hac enim minime constat. Ipse enim solum dixit : *Qui manducat me, vivet propter me.* Quod Apostolus explicuit de manducante digne; et sic manducare, qui prius se probat, et ita panem illum manducat. Porro Ecclesia in Concilio Tridentino ex doctrina Patrum, et ipsius Ecclesiæ consuetudine, et traditione probationem illam non in alio constituit, quam in eo : « Ut nullus sibi conscius « peccati mortalis, quantumvis sibi contri« tus videatur, absque præmissa sacramen« tali confessione ad sacram Eucharistiam « accedere debeat. » Et nullam aliam adhibuit necessitatem dispositionis per attentionem, aut devotionem actualem. Ergo asserere necessitatem hujus dispositionis nullum habet fundamentum.

Confirmatio. Confirmatur primo : quia augmentum gratiæ nutrientis in facto esse consideratum non habet oppositionem cum carentia devotionis actualis, nec cum peccatis venialibus : ergo carentia devotionis actualis, et peccata venialia actualia nequeunt impedire, quod sacramentum Eucharistiæ causet hujusmodi augmentum. Antecedens est certum : quoniam ubi homo consecutus fuit tale augmentum, minime illud postea amittit ex hoc, quod venialiter peccet, aut actuali devotione careat : quod tamen contingeret, si inter prædicta daretur oppositio : ergo augmentum gratiæ nutrientis in facto esse non habet oppositionem cum carentia actualis devotionis, nec cum peccatis venialibus actualibus. Consequentia vero suadetur : quia exclusa oppositione inter prædicta extrema non est, cur ex carentia actualis devotionis, vel ex peccatis venialibus impediatur sacramentum Eucharistiæ producere suum effectum ; nisi fiat recursus ad voluntariam Christi institutionem de opposito : hanc autem hic non occurrere jam ostendimus in argumento. Confirmatur secundo, et declaratur amplius : nam si illum, qui existens in statu peccati (sed id non cognoscens) accedit cum sola attritione ad Eucharistiæ sacramentum, comparemus cum illo, qui existens in statu gratiæ accedit cum peccatis venialibus actualibus ad idem sacramentum suscipiendum ; reperiemus profecto priorem illum non esse magis dispositum, quam secundum. Nam attentis omnibus melius se habet existens in statu gratiæ cum multis peccatis venialibus actualibus, quam existens in statu peccati, licet habeat attritionem : prior enim est simpliciter vivus vita gratiæ, posterior vero est simpliciter mortuus. Sed primus habet sufficientem dispositionem ad recipiendum effectum Eucharistiæ : unde per illud consequitur gratiam ex opere operato, ut constat ex distis num. 9, et 12, et concedunt communiter Adversarii. Ergo idem a fortiori dicendum est de secundo : atque ideo consequetur per Eucharistiam ex opere operato aliquod præexistentis gratiæ augmentum. Alia.

§ III.

Satisfit contrariæ opinionis motivis.

46. Oppositam nobis sententiam docent graves Auctores, Alensis 4 part. quæst. 41, membro 3, art. 2, D. Bonaventura in 4, dist. 12, art. 2, quæst. 1, ubi Durandus quæst. 4, ad 2, Paludanus quæst. 1, art. 2, D. Antoninus 3 p. tit. 13, cap. 6, § 8, Sylvester verbo *Eucharistia* in fine, Cajetanus in hac quæst. art. 3, Petrus de Soto lect. 12, *de Eucharistia*, Contenson loco supra cit. et alii. Quam probant primo ex doctrina Patrum, qui frequenter docent pro Alensis. D. Bona. Durand. Paluda. D. Ant. Sylvest. Cajetan. Petrus Soto. Contens. Primum argumentum.

digna hujus sacramenti susceptione necessarium esse magnam animi puritatem ; et non solum peccata venialia actualia obsistere ejus fructui, verum et affectum ad venialia, atque statum imperfectionis : ergo ex sententia Patrum ad dignam, atque ideo fructuosam Eucharistiæ susceptionem necessaria est carentia peccatorum venialium actualium, et actualis attentio, sive devotio. Antecedens constat ex D. Basilio lib. 1, *de baptismo*, cap. ult. D. Augustino *de Ecclesiasticis dogmat*. cap. 53, D. Anselmo super 1, *ad Corinth*. cap. 11. Et ne in re non necessaria prolixi fiamus, videri possunt D. Dionysius. D. Cyprianus, D. Ambrosius, D. Hieronymus, D. Chrysostomus, Theoderetus, Gennadius, D. Gregorius, D. Bernardus, S. Franciscus Salesius, Magister Avila, Venerabilis Granatensis, Marianus Victorius, et alii, quorum testimonia uberi manu congessit Contenson dissert. 4, cap. 2, ut probaret modum habendum esse circa frequentem, aut quotidianam communionem.

D. Basil. D. Aug. D. Ans.

Confirmatio ex D. Tho.

Confirmatur specialiter ex Angelico Doctore in 4, dist. 12, quæst. 2, art. 1, quæstiunc. 3, ubi præsentem difficultatem tractans inquit : « Omnis perfectio acquirenda « impeditur per remotionem propriæ dis- « positionis. Sicut autem dispositiones ma- « teriales se habent ad perfectionem formæ: « ita actus se habent ad perfectionem finis. « Unde cum hoc sacramentum perficiat « conjungendo fini : ad hoc, quod effectum « plene habeat in sumente, oportet, quod « adsit actualis devotio. Et quia interdum « absque mortali peccato actualis devotio « impediri potest ; cum distractiones variæ « ipsam impediant, et peccata venialia « virtutum actum tollant : absque peccato « mortali potest effectus hujus sacramenti « impediri. Ita quod aliquis augmentum « gratiæ non consequatur : nec tamen rea- « tum peccati mortalis incurrat : sed forte « reatum venialis peccati ex hoc, quod im- « puratus accedit. » Et magis se explicans addit in resp. ad 3 : « Nec tamen dicen- « dum, quod omne peccatum veniale im- « pediat effectum hujus sacramenti : sed « solum illud, quod tollit actualem devo- « tionem , quæ exigitur in hoc sacra- « mento. » Ex quibus satis liquet D. Thomam exigere actualem devotionem, ut homo percipiat hujus sacramenti effectum, quem expresse recenset augmentum gratiæ.

Satisfit argumento.

Ad fundamentum desumptum ex Patrum testimoniis respondetur illos loqui non de qualibet dispositione ad minimum augmentum gratiæ, quod Eucharistia ex opere operato communicat ; sed de dispositione ad uberiores hujus sacramenti effectus, præsertim vero ad fervorem charitatis, et refectionem spiritualis dulcedinis : pro quibus effectibus fatemur non sufficere merum statum gratiæ, sed requiri magnam animæ a venialibus, et imperfectionibus puritatem simul cum mentis attentione, et devotione, ut observavimus num. 38. Addimus Patres hortari ad illam dispositionem, quæ non tantum sufficiat ad capessendum Eucharistiæ effectum ; sed quæ magis deceat sacramenti reverentiam, et Christi dignitatem, qui in eo suscipitur. Ad quæ attendens omnis communicans, licet charitate fervens, et omni puritate nitens, potest, et debet dicere, *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum* : nempe ob summam et semper salvandam distantiam inter creatorem, et creaturam.

Solvitur confirmatio.

Ad confirmationem respondetur primo concedendo, quod D. Thomas eo loco ita senserit : sed tamen eam sententiam revocavit in posteriori scripto, ut satis evidenter constat ex dictis num. 42. Potest secundo responderi S. Doctorem in eo loco non asserere simpliciter. quod peccata venialia, distractio, et indevotio impediant omnino effectum hujus sacramenti, sed hujus effectus plenitudinem. Sic enim ait : « Ad hoc, quod effectum suum plene habeat « in sumente, oportet, quod adsit actualis « devotio. » Et in eodem sensu accipiendum est, quod postea subdit contingere posse, ut quis in hoc sacramento « absque « peccato mortali augmentum gratiæ non « consequatur : » loquitur enim de gratiæ augmento non secundum minimum, quod sacramento ex opere operato correspondet : sed de prædicto augmento ut associato tum majori intensioni, tum gratiæ actuali spiritualis refectionis. Hujusmodi enim augmentum non assequitur accedens indevote, et cum venialibus actualibus, ut § 1 præmisimus. Sed tamen non negat simpliciter sacramenti effectum, ut constat ex limitatione, qua loquitur : « Ad hoc, quod effectum suum plene habeat etc. »

Secundum argumentum.

47. Arguitur secundo : quia istud sacramentum institutum est per modum cibi nutrientis spiritualiter animam, et cum analogia

analogia ad modum, quo cibus materialis nutrit corpus : sed cibus materialis non nutrit corpus viventis, nisi vivens agat in alimentum actione caloris naturalis : ergo pariter hoc sacramentum non nutrit, nisi illud suscipiens exerceat erga ipsum aliquam operationem, mediante attentione, et affectus devotione : atque ideo ad percipiendum hujus sacramenti effectum non sufficit solus status gratiæ, sed addere supra illum oportet aliquam attentionem, et devotionem.

Diruitur Respondetur omittendo præmissas, et negando utramque consequentiam. Ratio autem disparitatis sæpius in superioribus insinuata est : quoniam cibus materialis est quid inanime, et convertitur in substantiam viventis : unde non agit (quantum per se exigit nutritio), in vivens : et ideo e converso vivens debet agere erga ipsum. Sed cibus hic spiritualis est vivens, et qui non convertitur in sumentem ; sed sumentem potius convertit, et trahit ad se : quare pro nutritione spirituali non requiritur necessario, quod homo agat in, vel circa spiritualem cibum ; sed sufficit simpliciter, quod ipse cibus agat in suscipientem producendo in illo aliquod augmentum gratiæ. Ex qua inter utrumque cibum differentia etiam provenit, quod cibus corporeus non nutrit, nisi in re sumatur : sed iste cibus spiritualis nutrit vel in voto sumptus, ut egregie D. Tho- tradit D. Thom. supra quæst. 73, art. 5, ubi ait : « Ad secundum dicendum, quod hæc « est differentia inter alimentum corporale, « et spirituale, quod alimentum corporale « convertitur in substantiam ejus, qui nu- « tritur : et ideo non potest homini valere « ad vitæ conservationem alimentum cor- « porale, nisi realiter sumatur. Sed ali- « mentum spirituale convertit hominem « in se ipsum, secundum illud, quod Au- « gustinus dicit in lib. Confess. quod quasi « audivit vocem Christi ducentis sibi : Nec « tu me mutabis in te, sicut cibum carnis « tuæ ; sed tu mutaberis in me. Potest « autem aliquis in Christum mutari, et ei « incorporari voto mentis, etiam sine hujus « sacramenti perceptione. Et ideo non est « simile. » Potest autem data a nobis responsio urgenter confirmari retundendo magis arguentium intentionem, si observemus fuisse olim consuetudinem in Ecclesia, ut infantibus post baptismum daretur sacramentum Eucharistiæ : de quo infra disp. 11, dub. 2. Solet etiam nunc ministrari Eucharistia phreneticis in articulo mortis, ubi non adest periculum alicujus indecentiæ, aut irreverentiæ erga sacramentum. Indicium urgens Manifestum est autem nec in infantibus, nec in phreneticis dari usum rationis, atque ideo nec ullam attentionem, seu devotionem actualem, qua spirituali per Eucharistiam nutritioni cooperentur. Porro negari nequit in prædictis casibus dari talem nutritionem per alicujus gradus gratiæ incrementum : quia administratio sacramenti in his, in quibus non est habitura effectum, est illicita, et superstitiosa. Signum igitur satis manifestum est, quod pro hujusmodi spirituali nutritione Eucharistiæ non requiritur necessario aliqua cooperatio ex parte suscipientis, qui nutritur, sed quod sufficit habitualis status gratiæ. Sed quia posset opponi in adultis non contingere, quod suscipiant gratiam, vel ejus augmentum absque liberi arbitrii motu, seu cooperatione : addendum est pro his in præsenti materia sufficere voluntatem suscipiendi Eucharistiam. Recolantur, quæ diximus tract. præced. disp. 8, dub 1, § 2.

48. Arguitur tertio : quia si peccata venialia actualia non impedirent effectum hujus sacramenti ; accedere ad hoc sacramentum cum peccatis venialibus non esset novum, et distinctum peccatum : consequens est falsum : ergo et antecedens. Sequela ostenditur : nam quod quis committat peccata venialia, cum recipit Eucharistiam, non potest aliunde oriri, nisi quia ita communicans impedit effectum sacramenti : ergo si iste non impeditur, ut concedimus ; sequitur, quod accedere cum peccatis venialibus actualibus ad sacramentum, non sit novum, et distinctum peccatum, Falsitas autem consequentis videtur manifesta : quia negari non valet, quod communicare peccando simul venialiter, sit aliqua irreverentia contra sacramentum : ergo est aliquod novum, et distinctum peccatum. Tertium argumentum.

In diluendo istud argumentum divisi sunt Theologi nostræ conclusionis patroni. Nam aliqui concedunt sequelam : quam adeo legitimam existimant, ut communicare cum voluntaria animi distractione nullum reputent peccatum. Ita Joannes Sanctius in selectis disp. 23, distinguens communionem ab oratione, quam fatetur attentionem postulare : et dicens commu- Diversæ circa materiam argumenti opiniones Joan. Sanctius.

nionem prout ab oratione distinctam, non exigere attentionem ex præcepto, sed ex consilio ; et consequenter nullum esse peccatum communicare cum distractione voluntaria. E contra vero Nugnus loco supra citato in resp. ad 2, tam severe censet, ut dicat : « Si formali intentione vult illo « tempore esse cum distractione, credo, « quod peccat mortaliter, atque ideo nullum consequitur effectum sacramenti : « quia irreverentia illa gravis est. » Quam sententiam suscipit et tuetur Contenson loco supra citato, et præsertim pag. 753, ubi concludit : « Ergo qui meditato Eucha- « ristiam distracte, et indevote recipit, « in grave peccatum incurrit : et longe « satius, utiliusque foret a communione « abstinere, quam sancta, et ipsum Sanc- « tum Sanctorum sancte tractare. » Quidam autem distinguunt inter peccata venialia : nam aliqua opponuntur directe recto usui hujus sacramenti, et reverentiæ quæ illi debetur, ut est voluntaria distractio, et indevotio : et hæc dicunt inducere novum peccatum veniale propter improportionem actus non solum in se, sed in ordine ad illum usum. Alia autem sunt peccata venialia, quæ prædicto usui non opponuntur, sed mere concomitanter tunc se habent, ut verbum otiosum, affectus inordinatus ad ludum, vel cibum etc. et ista dicunt non inducere novum peccatum veniale, quia supra propriam suæ speciei malitiam non important irreventiam erga sacramentum. Ita Gonet loco cit. n. 59. Et quantum ad ultimam partem eandem sententiam a fortiori tuentur Vazquez, Saa, Pasqualigus, Dicastillo, et Diana apud Pradum quæst. 80, dub. 4, num. 32, cum seq.

Nugnus

Contens.

Gonet.

Discutiuntur.

49. Sed prædictos dicendi modos non possumus omnino probare. Non quidem primum (quem Gonet censet non solum falsum, sed erroneum) : quia nimis abjecte sentit de sacra communione, nullam attentionem in communicante petens ; cum tamen ipsa attentionis carentia sit quoddam et non infimum irreverentiæ genus, ut patet in eo, qui aliquod donum de manu principis terreni suscipiens, ad illud non attenderet, sed voluntaria distractione illius considerationem, et æstimationem parvi faceret. Et si id in politicis contingit, quare non in his moralibus, cum de indivisibili Christi manu suscipimus corporis, et sanguinis sui sacramenta ? Secundus videtur nimis durus, et fideles a suscipiendo istud sacramentum deterrere ; cum tam proclives omnes simus in voluntarias animi evagationes. Aliunde vero voluntaria distractio, seclusis perversioris intentionis circumstantiis, non importat gravem injuriam, aut indecentiam erga sacramentum, ut propterea homo peccaturus sit mortaliter, exuatque gratiam sanctificantem, quam prius habebat. Tertius denique licet verum in priori parte dicat, non est probandus in ultima : quia non solum irrogat aliquam sacramento injuriam, qui peccat venialiter contra ejus usum ; sed etiam qui peccat venialiter in ejus usu, quamvis talia peccata de se disparate se habeant ad sacramentum, ut ipsa exempla, quibus illa sententia se declarat, satis ostendunt, et facile consideranti constabit. Præsertim cum nullius generis peccatum veniale communicans admittat, quin in eo ipso necessitate consequenti distrahatur voluntarie ad ejus materiam : voluntaria autem distractio est speciale peccatum contra reverentiam debitam sacramento, ut hic ultimus dicendi modus concedit : ergo fieri non potest, ut quis actu communicans peccet venialiter in aliqua materia, quin eo ipso peccet etiam venialiter specialiter contra reverentiam Eucharistiæ debitam, et propriam actualis communionis.

Legitima argumenti solutio

Quare aliter distinguendum censemus : nam peccata illa, quæ in usu communionis contingerent (sive directe opponantur recto illius usui, ut voluntaria distractio, et indevotio ; sive non habeant illam oppositionem, ut verbum otiosum, vel actualis inclinatio ad ludum), possunt ex duplici radice oriri. Primo ex contemptu formali, aut virtuali sacramenti : secundo non ex isto contemptu, sed vel ex fragilitate, ut communiter fit, vel ex dictamine, quod homo in his graviter non peccat, sed tantum leviter, quamvis determinate ex intentione, et malitia, quibus meditato illa admittit. Igitur in priori sensu concedimus distractionem voluntariam, et quodlibet aliud peccatum (licet ex suo genere veniale,) in sacra communione commissum esse mortale : et in hoc probamus sententiam Nugni, et Contensonis : quia cum contemptus hujus sacramenti sit grave peccatum ; oportet, quod quidquid ex ea radice oritur, sive sit distractio, sive verbum

bum otiosum, induat eandem malitiam. Sed in secundo sensu non distinguimus inter illas species peccatorum (quamvis alias distinguantur), quin potius sentimus omnia peccata illa ex hoc ipso, quod committantur in usu, et susceptione Eucharistiæ, opponi aliquomodo reverentiæ debitæ sacramento, atque ideo habere ab hac parte novam, et specialem deformitatem: et subinde nunquam contingere, quod quis accedat ad Eucharistiam cum peccatis venialibus actualibus, quin ex hoc ipso novum, et distinctum peccatum veniale committat. Et ratio constat ex dictis, nempe aliquam fieri irreverentiam sacramento, quæ nequit non esse aliquod peccatum saltem veniale. Et hæc videtur communis sententia, quam tuentur Soto, Cajetanus, Nugnus, Suarius, Toletus, Fagundez, Lugo, N. Cornejo, Ochagavia, Ludovicus de S. Joan. Filliucius, Aversa, Villalobos, Reginaldus, Layman, Serra, et alii, quibus r latis subscribit Prado ubi supra.

Juxta quam doctrinam respondetur ad argumentum negando sequelam. Ad cujus probationem negandum est antecedens: nam quod quis in prædicto casu peccet venialiter, non oritur ex eo, quod impedit simpliciter effectum sacramenti; sed ex eo, quod irreverenter erga sacramentum, et Christum sub eo latentem se gerit: quod importat specialem aliquam deformitatem independenter a sacramenti fructu. Unde licet fieret suppositio (forte non impossibilis) quod istud sacramentum, et Christus in eo contentus non causarent gratiam; adhuc exigerent ex natura rei reverentiam: contra quam ageret, qui peccans actu venialiter ad sacramentum accederet.

eplica 50. Sed insistes: quia nullus actus peccaminosus potest augere gratiam, cum nihil sanctitati magis opponatur, quam peccatum: sed accedere ad Eucharistiam cum peccatis venialibus est peccatum saltem veniale, ut immediate diximus: ergo per susceptionem Eucharistiæ cum peccatis venialibus non augetur gratia: atque ideo ut istud sacramentum causet proprium effectum, non sufficit status gratiæ habitualis, sed insuper desideratur carentia peccatorum venialium. Declaratur hoc amplius: nam ex nostra assertione, et ex doctrina proxime tradita sequitur hominem simul peccare, et crescere in gratia. Id vero apparet implicatorium: præsertim, ubi sumptio est peccaminosa juxta dicta num. præced.

Ad replicam respondetur distinguendo majorem, quæ concedenda est in eo sensu, quod nullus actus peccaminosus potest augere gratiam ex opere operantis, seu virtute ejusdem actus. Sed loquendo de augmento ex operato ulterius distinguendum est, et concedendum, quod nullus actus peccaminosus potest adhuc prædicto modo gratiam augere per modum dispositionis ad ipsam gratiam: implicat enim peccatum ad sanctitatem disponere. Cæterum potest augere gratiam per modum conditionis, dependenter a qua sacramentum causet suum effectum: quippe nulla est repugnantia in eo, quod sacramentum in causando gratiam, dependeat a suscipientis consensu, qui est alias peccaminosus: sicut etiam potest eodem modo dependere ab intentione ministri, licet alio ex capite prava. Et ita contingit in præsenti. Unde patet ad difficultatis additamentum: nullum enim est inconveniens, quod communicans simul peccet venialiter, et suscipiat augmentum gratiæ: quia primum accidit ex opere operantis, et secundum ex opere operato. Et rursus sumptio peccaminosa non dat gratiam: sed hanc communicat sacramentum, dependenter tamen a sumptione, ut explicuimus. Dissolvitur.

51. Arguitur quarto: quia ex nostra sententia sequitur sacerdotes quotidie celebrantes, sed tepide, indevote, et cum peccatis venialibus actualibus, consequi quotidie nova gratiæ, et charitatis incrementa; siquidem affirmamus prædictum effectum per eas indispositiones non impediri; consequens est falsum: ergo et sententia nostra, ex qua deducitur. Probatur minor quoniam si tales sacerdotes crescerent in gratia, et charitate: forent utique devotiores, et ferventiores: ut enim inquit D. Gregorius hom. 50, *in Evang.* « Nunquam est amor « Dei otiosus, operatur enim magna, si est: « si vero operari renuit; amor non est. » Sed tantum abest, ut videamus similes sacerdotes proficere, quod potius experiamur ipsos languidos, tepidosque in exercitio virtutum, ac similes nodosis, et veternosis arboribus, quæ non crescunt. Ergo falsum est sacerdotes quotidie celebrantes licet tepide, et indevote, suscipere quotidianum gratiæ, et charitatis incrementa. Quartum argumentum. D. Greg.

Responsio. Hujus argumenti difficultatem jam supra attigimus num. 4. Et ingenue fatemur nos eo percelli ; timendum namque vehementer est, quod defectus fervoris, quem patimur quotidie celebrantes, indicet occultam indispositionem, et gratiæ carentiam : quo nihil miserabilius foret in recipientibus tam continuo sanctitatis fontem. Si autem res ita se habet (quod, ut diximus, in pluribus timendum est), ex hoc ipso evacuatur argumenti difficultas : nam prædicti non habent statum gratiæ, qui est dispositio necessaria, ut Eucharistia communicet suum effectum consistentem in gratiæ augmento. Sed absolute argumento respondendum est concedendo sequelam, et negando minorem. Ad cujus probationem respondemus, quod licet illi sacerdotes non exerceant egregia virtutum opera, sed potius tepide vivant, aut indevote se gerant, et plura venialia committant ; non inde colligitur ipsos per quotidianam Missæ celebrationem in statu gratiæ non consequi quotidianum gratiæ augmentum : sed prædicta duo simpliciter possunt cohærere. Primo, quia in illis, qui tepide, et cum venialibus communicant, illud augmentum est omnium minimum : unde opus non est, quod per quotidianam communionem fiat magnum, ut ad egregia opera progrediatur. Secundo, quia habitus gratiæ, et charitatis, licet quotidiano illo incremento augeantur, nihilominus ad eliciendum actus indigent auxiliis actualibus : hæc autem denegantur tum ob alia peccata venialia, tum præsertim ob ea, quæ celebrando indevote, et cum animi distractione committuntur. Tertio, quia insignia virtutum opera non solum supponunt gratiam, et substantiale ejus augmentum ; sed procedunt per se loquendo ex magno charitaris fervore : quamvis autem peccata venialia non excludant gratiam, nec ejus augmentum, impediunt tamen fervorem charitatis. Quarto, quoniam habitus infusi gratiæ, et charitatis non excludunt habitus vitiorum materialiter sumptos, nec difficultates materiæ, nec pravas consuetudines ; et inclinationes : et ideo post infusionem gratiæ, et ejus augmentum potest homo eisdem assuetus, in eadem propendere : et communiter illis (venialiter saltem) succumbet ; nec præstabit nobiliores fructus, nisi per studium mortificationis, et exercitium laudabilium operationum se exerceat. Addendum tamen est augmentum gratiæ ad quotidianam, licet indevotam, aut tepidam Missarum celebrationem, aut communionem subsecutum satis manifestari in eo, quod sacerdos, aut communicans vitet longo tempore peccata mortalia, et in statu gratiæ perseveret. Hic enim est etiam egregius effectus Eucharistiæ, et in quo sanctitas non mediocris refulget, ut constat ex dictis nu. 15 et 17.

DUBIUM IV.

Utrum Eucharistia in duabus speciebus det plus gratiæ, quam in una ?

Quamvis ex præmissis habeamus sacramentum Eucharistiæ causare gratiam, quod commune est omnibus novæ legis sacramentis : ulterius videre oportet, an sumptum sub utraque specie, ut fit a sacerdotibus celebrantibus, causet majorem gratiam, quam sumptum præcise sub una specie, ut de facto contingit in laicis. Duo autem in præsenti difficultate supponenda sunt. Primum species panis, et species vini non Nota. esse duo Eucharistiæ sacramenta adæquate distincta : nec esse partes homogeneas, sive ejusdem rationis componentes idem sacramentum : sed esse partes ethereogeneas, sive diversæ rationis, ita quod adæquata ratio specifica sacramenti Eucharistiæ non salvatur in sola specie panis seorsim sumpta, nec in specie vini seorsim accepta ; sed in una, et altera simul sumptis : institutum namque fuit hoc sacramentum per modnm convivii perfecti, quod necessario constat cibo, et potu. Videantur supra dicta disp. 2, dub. 3, ubi ex professo ostendimus doctrinam hujus suppositionis. Secundum, quod hæc difficultas procedit per se loquendo, et attenta conditione Eucharistiæ in una, aut duabus prædictarum specierum, secundum quod causat ex opere operato, seu virtute sacramenti. Nam si attendamus ad diversas communicantium dispositiones, et ad gratiam, quæ datur ex opere operantis, nulla certa regula in hac comparatione assignari valet ; fieri enim potest, quod laicus suscipiens unam tantum speciem, sit magis dispositus, quam sacerdos recipiens unam, et alteram : et subinde laicus consequatur majorem grapiam ex opere operantis, et majorem etiam ex

ex opere operato : sacramenta enim eo perfectiorem effectum causant, quo uberiorem ad ipsum dispositionem inveniunt. Et pariter, atque ob idem motivum contingere valet, quod communicans in utraque specie recipiat plus gratiæ, quam in una tantum specie communicans; nihil itaque certi in præmisso sensu stabiliri potest. Quare procedendum est attenta præcise comparatione inter sumptionem unius tantum speciei, et inter sumptionem duarum, supposita æquali dispositione ex parte communicantium : an scilicet in præmisso sensu plus gratiæ consequatur sacerdos celebrans, quam laicus communicans. In quo sensu tam probabilia motiva pro parte tam affirmativa, quam negativa occurrunt, ut Nugnus quæst. 80, art. 12, difficult. 3, hinc, inde agitatus dixerit : « In hac quæstione « quodlibetica diversæ sunt sententiæ inter « modernos, et utraque est sufficienter « probabilis. » Atque inferius : « Quia « igitur utraque sententia probabilis est, « ut supra diximus, oportet utramque pro- « blematice sustinere, et ad omnia argu- « menta posita respondere. » Et eodem modo se gerit (sicut, et alias frequenter) N. Franciscus cap. 6, punct. 1, num. 15, nihil aliud diffiniens quam, « Unde merito « utramque sententiam probabilem censent « Diana, Suarez etc. » Sed quia hunc procedendi modum inutilem semper censuimus, utpote in quo nec scriptor suffragium addit, nec ullam partem fulcit, sed in eadem suspensione animum legentis relinquit : ideo proponere, et suadere curabimus, quod judicamus verius, et præcedentibus magis cohærens.

Punctum difficultatis. Nugnus. N Franc.

§ I.

Opinio affirmans eligitur.

52. Dicendum est Eucharistiam susceptam in duabus speciebus panis, et vini plus gratiæ causare, quam si præcise sumatur in una. Sic docent ex Thomistis Arauxo quæst. 80, art. 12, difficult. 3, N. Cornejo ibidem disp. unica, dub. 2, N. Gabriel *de sacrificio Missæ* quæst. 6, in fine, et multi alii ex Thomistis, quos suppresso nomine refert Nugnus loco lit. Idem etiam tuentur Alensis 4 par. q. 11, memb. 2, art. 4, § 3, Vazquez disp. 215, c. 2, Lugo disp. 12, sect. 3, Bernal disp. 41, sect. 2, Gasp. Hurtado disp. 10, diffic. 6, Hieronym. Garcia trac. 3, diffic. 6, dub. 3, Diana p. 5, tr. 13, resol. 29, Ludovicus de S. Joann. quæst. 7, art, 13, diffic. 1, Leand. disp. 11, q. 25, Joannes Sicardus in tract. *de dispositione ad Communionem*, num. 51, et num. 115, dicens sic sentire gravissimos Theologos. Arboreus, Cassalius, Meratius, Martinon, Castro Palao, Caspensis, et alii apud Pradum quæst. 80, dub. 19, num. 1.

Conclusio. Arauxo. N. Corn. N. Gab. Alensis. Vazq. Lugo. Bernal. Hurtad. Garzia. Diana. Ludovic. Leand. Sicard.

Probatur primo ab auctoritate, quam possumus generalibus, sed valde verosimilibus, considerationibus inducere. Primo quidem : quoniam certum est Ecclesiam juxta antiquum usum dedisse laicis communionem in utraque pecie : certum etiam est laicos non celebrasse sacrificium ; istud enim conficere ad solos sacerdotes spectat : certum denique est Ecclesiam negasse laici, speciem sanguinis ob periculum effusionis. Unde concluditur Eucharistiam sumptam in una, et altera especie majorem gratiam communicare : quia si non res ita se haberet ; nimis stultus (sic loquitur Nugnus) fuisset usus antiquus : quippe exponeretur sanguis Domini periculo effusionis sine aliqua utilitate ; siquidem talis in laicis usus, nec esset necessarius ad sacrificium, nec illis conferret majorem gratiam. Ad quid ergo deserviebat ? Quod enim aliqui respondent deservisse ad majorem gratiam ex opere operantis, nihil valet : quia illi fini possent deservire plura alia media absque periculo effusionis Dominici sanguinis, utputa sumendo novam aliam, et distinctam panis speciem. Sentiebant ergo antiqui fideles majorem sibi gratiam per communionem in utraque specie communicari. Quamvis nunc Ecclesia justissimis de causis usum illum interdixerit, ut videbimus disp. seq. dub. 6. Secundo quia Summus Pontifex Clemens VI in speciali Bulla concessit cuidam regi (sive fuerit Angliæ ut referunt Vazquez, Tannerus, et alii, sive fuerit Galliæ, ut referunt Suarez, Henriquez, et alii) ut communicaret sub utraque specie *ad majus* (dixit Pontifex) *gratiæ augmentum*. In quo Pontifex falleret, si Eucharistia sumpta in utraque specie majus per se gratiæ augmentum non conferret. Recurrere enim ad augmentationem ex opere operantis ob majorem regis suscipientis devotionem, quæ ex Pontificio illo privilegio excitaretur, ridiculum plane apparet : nam major

Primum fundamentum. Clemens VI.

devotio, et major gratia ex opere operantis posset pluribus aliis mediis contingere, et independenter ab insolito illo, et singulari privilegio. Unde nisi res ita se habeat, ut Pontifex significavit, videtur fuccum regi fecisse: quod indignum est veritate, et auctoritate Papæ. Tertio: quia Concilium Tridentinum, quod sibi maxime favere putant Adversarii, (sed decipiuntur, ut n. 61 videbimus) id ipsum haud obscure significavit sess. 21, cap. 3, ubi hæc habet: « Insuper declarat, quamvis Redemptor « noster, ut antea dictum est, in suprema « illa cœna hoc sacramentum in duabus « speciebus instituerit, et Apostolis tradi- « derit: tamen fatendum esse etiam sub « altera tantum specie totum, atque inte- « grum Christum, verumque sacramentum « sumi: ac propterea quod ad fructum atti- « net, nulla gratia necessaria ad salutem « eos defraudari, qui unam speciem solam « accipiunt. » In quo loco notandum est, quod Concilium non dixit totum, atque integrum sacramentum; sicut dixit *totum, atque integrum Christum:* sed summo consilio subjunxit *verumque sacramentum:* quia licet quælibet species seorsim sumpta sit verum sacramentum, et gratiam conferat nihilominus non est *totum, et integrum Sacramentum* Eucharistiæ: istud enim in sua specifica quidditate unam, et alteram speciem essentialiter complectitur, ut cum communi sententia statuimus disp. 2, dub. 3. Deinde principaliter notari debet Concilium non casu, sed caute dixisse eos, qui unam tantum suscipiunt speciem *nulla gratia necessaria ad salutem defraudari;* cum posset dicere, (si veram censeret sententiam nobis oppositam) *nulla gratia defraudari.* Sed tamen ita dixit supponens eum, qui unam solum speciem suscipit non consequi omnem gratiam, quam posset si susciperet utramque. Et consulto addidit non propterea defraudari aliqua gratia *necessaria* ad salutem, quia ita res se habet, quod gratia, quæ per unam, aut alteram speciem datur, ad salutem non requiritur. Unde hoc additamento obstruxit os hæreticorum, qui contra Ecclesiam Catholicam latrant, quod communionem sub utraque specia sæcularibus non permittat.

Concil. Trident. — Nota 1. — Nota 2.

Ratio. 53. Ratio autem fundamentalis nostræ assertionis debet esse Christi instituentis istud sacramentum voluntas: certum enim est, quod sicut potuit disponere, quod per utramque speciem non causaretur major gratia, quam per unam; sic etiam potuit disponere oppositum. Porro hoc ultimum voluisse colligitur ex his, quæ huic sacramento conveniunt ex vi suæ institutionis, et declaratur sequenti discursu: quoniam sacramentum Eucharistiæ eo plus gratiæ causat, quo plus gratiæ significat: sed sacramentum Eucharistiæ in una, et altera specie plus gratiæ significat, quam in una tantum specie: ergo sumptum in utraque specie plus gratiæ causat, quam sumptum præcise in una. Consequentia patet, et major videtur manifesta ex generali conditione sacramentorum legis novæ: sunt enim signa practica, sive efficientia, quod significant, ut constat ex dictis tract. præced. disp. 1, fere per totam, et præsertim dub. 4; ergo eo plus gratiæ efficiunt, quo plus gratiæ significant: atque ideo idem de Eucharistia dicendum est. Recolantur, quæ diximus eo tract. disp. 9, dub. 2, § 2, ubi ab hac radice ostendimus, quod quanto sacramenta nostra se excedunt in ratione signi, seu sacramenti, tanto perfectiorem producunt gratiæ sacramentalis effectum. Minor denique ostenditur: nam de ratione sacramenti Eucharistiæ ex communi conceptu sacramenti legis novæ est significare gratiam: sed conceptus signi vel sacramenti Eucharistiæ non salvatur perfecte, et adæquate in qualibet specie seorsim sumpta, utputa in specie panis sine specie vini, nec in vini specie sine specie panis: salvatur autem adæquate, et perfecte in utraque specie: unde una, et altera species panis non constituit nisi unicum Eucharistiæ sacramentum in specie infima, ut tenet communis sententia, quam statuimus disp. 2, dub. 3: ergo prædictum sacramentum plus gratiæ significat in utraque specie, quam præcise in una.

54. Respondent communiter Adversarii prædictum discursum solum evincere, quod sacramentum Eucharistiæ in utraque specie sit perfectius signum, quam in una, si attendamus ad modum significandi; secus vero, si attendamus ad rem significatam. Quia licet utraque species simul significet eum majori expressione, et extensione; nihilominus quælibet species seorsim sumpta significat eandem rem, nempe Christum sub illa contentum, et gratiam nutrientem, quæ per Eucharistiam nobis communicatur. Adversariorum occursus.

tur. Ad hoc autem ut propositus discursus concluderet, requirebatur, quod Eucharistia in utraque specie esset perfectius signum, quam in una ex parte rei significatæ : sic enim suaderet Eucharistiam in utraque specie efficere plus gratiæ, aut majorem gratiam. Sed quod sit perfectius signum ex parte modi significandi, solum suadet unam,et eandem rem significari per Eucharistiam in utraquesimul specie,et per Eucharistiam in una tantum specie : sed magis perfecte per Eucharistiam in utraque specie, quam per Eucharistiam in una.

Repelluntur. Sed communis hæc illorum responsio duplici via præcluditur. Primo quidem admittendo, quod concedit, nempe Eucharistiam in utraque specie esse perfectius signum saltem in modo significandi. Quoniam sacramenta, cum sint signa practica, eo perfectiorem inducunt effectum, quo sunt signa perfectiora : sed signum, quod perfectiori modo significat, est perfectius signum : ergo sacramenta quanto sunt perfectiora in modo significandi, tanto perfectiorem producunt effectum : atque ideo si sacramentum Eucharistiæ in utraque specie acceptum est perfectius signum in modo significandi,quam si sumatur in una tantum specie ; sequitur sacramentum Eucharistiæ in utraque specie sumptum efficere perfectiorem effectum. Utraque consequentia patet ex præmissis. Major autem suadetur tum inductione, nam quia sacramenta nostra sunt perfectiora in modo significandi, quam sacramenta antiqua ; ideo significant, et causant nobiliorem effectum : et rursus facta comparatione inter nostra sacramenta, illud quod perfectiori modo significat, habet effectum perfectiorem, et sublimiorem : a qua radice Eucharistia habet esse primum sacramentum ordine perfectionis, ut statuimus tract. præced. disp. 9, dub. 2, § 2; ergo sacramenta eo perfectiorem effectum causant, quo sunt signa perfectiora. Tum etiam ratione, quia virtus, et perfectio causæ debet relucere in effectum : sed sacramenta, cum signa practica sint, habent rationem causæ : ergo quanto perfectiora signa sunt, tanto perfectiorem causant effectum. Minor denique suadetur : quoniam perfectio respectivorum attenditur penes modum respiciendi terminum, ut inductive potest ostendi in causis, potentiis, habitibus, et similibus : in quibus omnibus, ut regulemus eorum perfectionem, non tam attendimus terminum, aut effectum in se, quam ad modum illum attingendi, et respiciendi : sed signum et ex communi conceptu signi, et ex peculiari conceptu signi practici est aliquid respectivum, ut ex se liquet : ergo signum, quod perfectiori modo significat, est perfectius signum. Ex quibus concluditur,quod si Eucharistia in utraque specie est signum perfectius saltem in modo significandi, quam eadem Eucharistia in una tantum specie, ut responsio concedit : debeat Eucharistia in utraque specie habere nobiliorem effectum.

55. Secunda, et magis compendiosa via ad refellendum prædictam responsionem est hujusmodi : Eucharistia in utraque specie sumpta est perfectius signum non solum ex parte modi significandi, ut responsio concedit, sed etiam ex parte rei significatæ. quam Eucharistia in una tantum specie : ergo Eucharistia, cum sit signum practicum, sive efficiens effectum gratiæ, quam significat, sumpta in utraque specie plus gratiæ causat, quam sumpta in una præcise. Consequentia patet. Et antecedens probatur : nam Eucharistia significat refectionem spiritualem quæ gratia nutriente fit : instituta enim est per modum spiritualis refectionis. et convivii, ut omnes docent, et constat ex dictis disput. 2, dub. 3; sed Eucharistia sumpta in utraque specie significat majorem refectionem spiritualem, quam si in una tantum specie sumatur : ergo priori modo est perfectius signum non solum in modo significandi, sed etiam ex parte rei significatæ. Minor hujus syllogismi ostenditur : quoniam sicut perfectior refectio est, quæ fit per cibum, et potum simul, quam quæ fit præcise per potum : (unde perfectum convivium non consistit in solo cibo, aut in solo potu, sed in utroque simul) : ita major refectio spiritualis significatur, quando significantur cibus, et potus spiritualis simul, quam ubi significatur præcise vel solus cibus, vel solus potus : atqui Eucharistia sumpta in specie panis, et vini significat integram refectionem spiritualem per modum cibi, et potus ; cum expresse significet corpus, et sanguinem Christi : e contra vero Eucharistia in sola specie panis non significat integram eam refectionem, sed solam refectionem per modum cibi, repræsentando

Confutatur amplius.

expresse corpus Christi, non autem ejus sanguinem (et idem proportionabiliter constat in sola specie vini) : ergo Eucharistia sumpta in utraque specie significat majorem refectionem spiritualem, quam si una tantum specie sumatur.

Adversariorum responsio.

56. Occurrunt Adversarii dicendo unamquamque specierum Eucharistiæ divisim sumptam significare integram refectionem spiritualem; si attendamus ad id, quod unaquæque continet tam per se, et ex vi verborum, quam per realem concomitantiam. Quia sicut non obstante, quod species panis non contineat per se, aut ex vi verborum, nisi corpus Christi ut condistinctum a sanguine, nihilominus etiam sanguinem continet realiter per concomitantiam, (idemque proportionabiliter contingit in specie vini) : sic etiam significat refectionem spiritualem per modum cibi, et potus. Unde non sequitur Eucharistiam in utraque specie sumptam significare majorem refectionem spiritualem, quam si præcise sumatur in una tantum specie Eo vel maxime, quod in his spiritualibus id ipsum est, quod satiat famem, et extinguit sitim, sive quod habet rationem cibi et potus, gratia justificans.

Evetitur.

Hæc tamen responsio, licet apud Adversarios communis, nimis crassa videtur, et parum subtiliter in istis signis discurrere. Et ab hoc ultimo incipiendo negari non debet, quod etsi idem sit habitus gratiæ sanctificantis, quæ subit rationem cibi, et rationem potus; nihilominus importat modos, et effectus diversos. Tum quia sunt res signatæ per signa specie partiali distincta : quorum institutio, et multiplicatio superflua profecto foret, si non repræsentarent effectus diversos. Tum quia gratia Eucharistiæ ut habet rationem cibi, confert specialem effectum confortandi, ad idque habet annexa specialia auxilia : eadem vero gratia, ut subit officium potus, confert specialem effectum lætificandi hominem, et refrigerandi, seu temperandi ardentes cupiditates, pro quo exigit auxilia specialia. Ergo non idem omnino significatur per Eucharistiam in specie panis, et per Eucharistiam in specie potus; sed effectus formaliter satis diversus. Idque facile declaratur exemplo aliorum sacramentorum : nam eadem plane in specie est gratia sanctificans, quæ in omnibus illis communicatur: sed tamen quia importat diversos formaliter modos, et effectus, petit significari, et fieri per diversa sacramenta specie distincta, utputa gratia regenerans per baptismum, gratia corroborans per confirmationem, gratia nutriens per Eucharistiam, gratia reparans per pœnitentiam, et sic de aliis. Ex qua etiam radice provenit, quod prædictæ gratiæ sacramentales addant aliquid supra gratiam habitualem communem, et quod inter se specifice modaliter distinguantur, ut explicuimus tract. præced. disp. 4, dub. 9. Cum igitur similis distinctio inveniatur inter gratiam communicatam per modum cibi, et gratiam communicatam per modum potus (licet utraque pertineat ad integram refectionem spiritualem per modum unius convivii) : fit, quod per diversa specifice signa significari valeant : et quod plus ex parte rei significatæ repræsentetur per unum et alterum signum simul, quam præcise per unum tantum : quamvis utrumque pertineat ad idem specie Eucharistiæ sacramentum, quia institutum fuit per modum integri convivii, complectentis proinde speciem cibi, et speciem potus.

Ulterior eversio.

Unde magis repellitur illud motivum : quia non obstante, quod gratia, quæ nos regenerat, sit etiam gratia, quæ nos spiritualiter nutrit : nihilominus aliud est sacramentum, quod significat gratiam ut regenerantem, et aliud est sacramentum, quod significat gratiam ut nutrientem, ut patet in baptismo, et Eucharistia : et plus gratiæ significatur, et confertur per utrumque sacramentum, quam per unumquodque divisim. Ergo pariter non obstante, quod gratia, quæ habet rationem cibi, sit etiam gratia habens rationem potus ; nihilominus aliud est signum significans gratiam in ratione cibi, et aliud est signum significans gratiam in ratione potus ; et plus gratiæ communicatur per utrumque signum, aut sacramentum simul, quam per quodlibet eorum seorsim acceptum. Quamvis intersit discriminis inter exemplum illud, et rem præsentem : quod signa gratiæ regenerantis, et gratiæ nutrientis sunt duo sacramenta totalia, et adæquate diversa; quia ita se habent eorum significato, et non uniuntur in una ratione significata proxime. Cæterum signum gratiæ per modum cibi, et signum gratiæ per modum potus sunt signa partialia, et inadæquate distincta, constituuntque idem signum

signum totale, et adæquatum, nempe sacramentum Eucharistiæ: quoniam res signatæ, nempe cibus, et potus spiritualis constituunt idem adæquate in specie significatum, nempe spirituale convivium, quod constare debet cibo, et potu. Sed id minime impedit, quod unumquodque signum seorsim sumptum causet suum peculiarem effectum : et simul sumpta causent effectum totalem, majorem scilicet, quam ille, qui unicuique divisim accepto respondet.

Major ejusdem responsionis confutatio. 57. Sed veniamus ad principalem responsionis partem, quæ ita refellitur : nam quod sacramentum Eucharistiæ causet suum effectum, nempe majorem, aut minorem gratiam, convenit illi secundum quod continet per se, ex vi verborum, non autem secundum quod continet per concomitantiam : atqui species panis non continet per se sanguinem Christi, sed ejus corpus ; ac perinde nec continet gratiam per modum potus, sed gratiam per modum cibi : ergo species panis seorsim sumpta solum causat gratiam per modum cibi, non autem per modum potus : atque ideo cum sacramentum Eucharistiæ adæquate sumptum in utraque specie significet, et causet utramque gratiam, nempe gratiam in ratione potus ; sequitur plus gratiæ significari et causari per Eucharistiam in utraque specie sumptam, quam per Eucharistiam in una tantum specie. Utraque consequentia patet. Et major videtur manifesta; nam cum sacramenta nostra sint signa practica, eo proportionali modo causant, quo significant : oportet enim utrumque commensurari : sed quod significent hanc, aut illam gratiam, majorem, aut minorem; convenit illis, secundum quod habent per se ; non autem secundum quod habent per accidens : (alioquin variarentur in significatione, et subinde in ratione signi, per quam essentialiter constituuntur : quod repugnat, cum essentiæ rerum sint invariabiles) : ergo sacramenta causare hanc, aut illam gratiam majorem, aut minorem, convenit illis, secundum id, quod habent per se, non autem secundum id, quod habent per accidens. Minor denique constat ex supra dictis disp. 7, dub. 1, cum seq. et vel ex eo, quod species panis non continet sanguinem Christi, nisi corpus, et sanguis Christi supponantur ad extra unita in eadem humanitate : quod est prorsus accidentale respectu speciei panis in propria sacramenti ratione consideratæ.

58. Quæ omnia, nempe et motivum nostrum, et impugnationes pro ejus defensione propositæ queunt simul in hunc modum confirmari. Sacramentum Eucharistiæ sub una tantum specie sumptum non est majoris nunc eficaciæ, quam fuisset in triduo mortis Christi : sed in eo triduo non tribueret tantam gratiam, quantam tribuisset sumptum in utraque specie : ergo idem de facto dicendum est. Minor probatur : quoniam sacramentum Eucharistiæ pro illo triduo solum contineret in specie panis corpus Christi, non autem ejus sanguinem: atque ideo solum causaret gratiam per modum cibi : sed sumptum adæquate in utraque specie causaret gratiam per modum cibi et causaret gratiam per modum potus : ergo sacramentum Eucharistiæ sumptum in una tantum specie non causaret tantam gratiam quantam causaret sumptum adæquate in utraque specie. Quod magis declaratur explicando causalitatem per continentiam: nam in utraque simul specie contineretur corpus, et sanguis Christi : in neutra vero seorsim sumpta contineretur totum hoc ; sed in panis specie corpus, sine sanguine, et in vini specie sanguis sine corpore. Præmissorum confirmatio.

Dupliciter huic confirmationi respondet Gonet post alios. Primo negando majorem: et disparitas sumitur ex immediate a nobis dictis : quia species panis in triduo non contineret realiter sanguinem Christi ; nunc autem continet illum saltem per realem concomitantiam : unde mirum non est, quod talis species sit nunc majoris efficaciæ in causando gratiam, quam tunc fuisset. Secundo negando minorem : nam gratia, quæ per modum potus tribuitur, non est entitative distincta ab illa, quæ tribuitur per modum cibi : unde licet species panis tunc non contineret sanguinem Christi, tamen eandem et tantam gratiam tribueret, quæ et quanta communicaretur per utramque speciem simul. Præsertim cum vel in sola specie panis existeret idem suppositum Verbi divini, a quo quælibet species, et ambæ simul habent principaliter suam virtutem : unde non oporteret minus gratiæ causari per unam tantum, quam per utramque simul. Duæ ex Gonet responsiones.

59. Sed neutra prædictarum responsionum satisfacit. Non quidem prima : quia cum sacramentum Eucharistiæ sit signum practicum gratiæ; fieri non potest, quod Prior corruit.

varietur in efficacia ipsam producendi, et quod non varietur essentialiter in ratione sacramenti : sed species panis tam in triduo mortis Christi, quam nunc est idem essentialiter, et specie sacramentum : ergo nunc non est majoris efficaciæ, quam fuisset in triduo : atque ideo si tunc non causaret gratiam per modum potus, idem etiam nunc de illo dicendum est. Nec valet dicere illam variationem esse accidentalem seu penes magis, et minus intra eandem speciem. Nam contra hoc est : tum quod illa variatio est in ipso conceptu essentiali sacramenti, quod constituitur in genere signi practici : variatio autem, vel additio in prædicatis essentialibus variat ipsas rerum essentias : unde vulgo dicitur species rerum se habere ad instar numerorum : in quibus cujuslibet unitatis additio, vel subtractio variat illorum species : ergo si sacramentum Eucharistiæ in specie panis esset nunc majoris efficaciæ, quam fuisset in triduo, non esset idem essentialiter sacramentum, quod in triduo tunc fuit. Tum etiam quia nequit signum practicum non variari essentialiter, ubi variatur ejus significatio non solum in modo significandi, aut causandi, sed etiam ex parte rei significatæ, et productæ : sed juxta præmissam responsionem species panis in triduo mortis Christi solum significaret et causaret gratiam in ratione cibi spiritualis ; nunc autem significat, et causat gratiam in ratione tam cibi, quam spiritualis potus : ergo tunc prædicta species esset distinctum essentialiter sacramentum, ac nunc est.

Posterior evertitur. Non magis satisfacit secunda responsio : quia si vera esset, eodem modo salvaret alia sacramenta v. g. baptismum causare gratiam per modum cibi, aut potus : quia gratia, quam baptismus per modum formæ regenerantis communicat, non distinguitur entitative a gratia, quæ tribuitur per modum cibi, aut potus. Id vero confundit sacramenta non satis subtiliter distinguens proprias eorum rationes. Præterquam quod causalitas sacramentorum, ut sæpius diximus, commensuratur eorum significationi : species autem non continens sanguinem Christi non significat gratiam in ratione potus spiritualis : atque ideo nequit causare gratiam secundum prædictam rationem. Quod vero in hac responsione additur, nihil valet : quia licet divinum Verbi suppositum esset sub specie panis in triduo mortis Christi per realem concomitantiam propter unionem ad sacrum cadaver, sicut modo est propter unionem ad corpus vivum ; nihilominus prædictum suppositum nec modo est, nec tunc esset vel significatio formalis sacramentum constituens, vel virtus intrinsece, et immediate illud elevans. Sed perinde se haberet tam ad significationem formalem, quam ad causalitatem immediatam, ac si ibidem non esset. Quare cum species panis in illo triduo non contineret sanguinem Christi ; pariter illam non repræsentaret, ac perinde nec causaret gratiam per modum potus spiritualis. Et ita persistit vis nostræ confirmationis : quia sacramentum Eucharistiæ in utraque specie sumptum significaret, et causaret gratiam tam per modum cibi, quam per modum potus, et quantum ad omnes effectus refectionis spiritualis adæquatæ : sumptum autem in sola specie panis non significaret totum hoc, sed præcise gratiam per modum cibi : ergo in illo triduo sacramentum Eucharistiæ in una sola specie sumptum non significaret, et causaret tantam gratiam, quantam significaret, et causaret sumptum in utraque specie. Constat autem sacramentum Eucharistiæ tunc, et nunc esse ejusdem essentialis rationis, atque efficaciæ, ut impugnando primam responsionem ostendimus. Ergo idem de facto dicendum est.

§ II.

Fundamenta adversæ opinionis convelluntur.

Cajet. Soto. Ledesm. Huert. Serra. Prado. Gonet, Contens. Bellarm. Suarez. Pasqual. Aversa.

60. Sententia nostræ assertioni contraria est valde communis. Illam enim ex Thomistis docent Caietanus q. 2, de communione sub utraque specie ad calcem sequentis quæstionis. Soto in 4, dist. 12, quæst. 1, art 12, § *Postremum argumentum.* Petrus de Soto lect. 12, de Eucharistia. Petrus de Ledesma cap. 16, concl. 5, in fine, Marcus Huertos in compendio quæst. 80, ubi Serra art. 12, dub. unico, Prado dub. 19, § 2, Gonet disput. 8, artic. 4, Contenson dissert. 4, cap. 1, speculat. 2, et alii. Cum eisdem etiam sentiunt Bellarminus, Canisius, Alanus, et alii, quos refert, et sequitur Suarez disp. 63, sect. 3, Pasqualigus disp. 117, sect. 3, Aversa quæst. 7, sect. 3, Salmeron, Valentia, Henriquez, et alii apud Pradum loco citato num. 8. Pro qua sententia

Arguitur

Primum argumentum. Arguitur primo ab auctoritate: nam Concilium Tridentinum loc. relato num. 52, docet sacramentum Eucharistiæ institutum fuisse in duabus speciebus panis, et vini: sed tamen subjungit, « fatendum « esse sub altera specie totum, et integrum « Christum, verumque sacramentum su- « mi; ac propterea, quod ad fructum atti- « net, nulla gratia necessaria ad salutem « eos defraudari, qui unam speciem solam « accipiunt. » Ergo ex sententia Concilii tantam gratiam tribuit hoc sacramentum in una specie, quantam in duabus: ex opposito enim suscipiens illud in una tantum specie defraudaretur aliqua gratia: quod est contra Concilii doctrinam. Nec satisfacit dicere, quod Concilium non dicit communicantem in una tantum specie non fraudari aliqua gratia; sed non fraudari aliqua gratia necessaria ad salutem: quod verissimum est, licet communicans in una specie recipiat majorem gratiam, quam communicans in sola una: quia gratia, quam iste non recipit, non est ad salutem necessaria. Non, inquam, satisfacit hæc expositio: quoniam Concilium vel loquitur de gratia simpliciter necessaria ad salutem, vel de gratia pro salute necessaria secundum quid, et ad melius esse. Primum dici non potest: quia licet aliquis privaretur actuali susceptione Eucharistiæ in omni, et sub qualibet specie, non privaretur gratia simpliciter necessaria ad salutem: quippe posset habere gratiam per alia media, utputa per Contritionem, Baptismum, Pœnitentiam etc. nec enim sacramentum Eucharistiæ prout in re susceptum est simpliciter ad salutem necessarium, ut constat ex dictis disput. 3, dub. 1. Tenendum igitur est secundum, nempe Concilium loqui de gratia necessaria secundum quid, et ad melius esse pro consecutione salutis. Et in hoc sensu sequitur juxta sententiam nostram communicantes sub una tantum specie defraudari aliqua gratia necessaria ad salutem; siquidem privatur illo gradu gratiæ, vel illa gratia majori, quam tribueret sacramentum in utraque specie susceptum: nam quælibet gratia est necessaria ad salutem necessitate secundum quid, et ad melius esse.

Concil. Trident.

Præoccupatur responsio

Confirmatio D. Thom. Confirmatur ex D. Thoma, qui pro hac sententia stare videtur: nam quæst. seq. art. 12 ad 3, inquit: « Potest autem a « populo corpus sine sanguine sumi. Nec « ex inde sequitur aliquod detrimentum: « quia sacerdos in persona omnium san- « guinem offert, et sumit: et sub utraque « specie totus Christus continetur, ut su- « pra habitum est. » Ergo ex mente S. Doctoris communicans in una tantum specie nullum patitur detrimentum: quod falsum esset, si privaretur vel aliqua minima gratia, quæ, ut nos affirmamus, per alteram speciem communicaretur. Et ratio, qua utitur Div. Thom. idem suadet, nempe quod totus Christus sub utraque specie continetur. Hoc enim vel nihil probat, vel probat sive unam, sive aliam, sive utramque speciem conferre eandem gratiam. Quod autem recte probet, liquet ex alio D. Thomæ testimonio in præsenti quæst. art. 7 ad 3, ubi ait: « Nihil plus est virtutis in multis « hostiis consecratis, quam in una: cum « sub omnibus, et sub una non sit, nisi « totus Christus. Unde si aliquis simul in « una Missa multas hostias consecratas « sumat, non participabit majorem effec- « tum sacramenti. » Sicut ergo ex eo, quod aliquis sumat plures species panis, non consequitur majorem gratiam, quam si præcise communicaret in una; quia totus Christus est in omnibus, et singulis: sic etiam, et ob idem motivum communicans in speciebus panis, et vini non consequitur majorem gratiam, quam si præcise communicet in specie panis: quia sicut totus Christus est in una, et altera specie simul, sic etiam est totus Christus in qualibet earum divisim.

61. Ad argumentum respondetur testimonium illud Concilii multum favere nostræ assertioni, ut loc. cit. expendimus: quia non dixit communicantem sub una tantum specie *nulla gratia defraudari* sed propositionem modificavit dicendo *nulla gratia necessaria ad salutem defraudari*, haud obscure indicans illum quidem non accipere omnem gratiam, quam alias posset communicando sub utraque specie; sed tamen eam gratiam non esse necessariam ad salutem. Et sic approbamus responsionem inter arguendum adhibitam, quæ optima est. Ad cujus impugnationem respondemus eligendo primam dilemmatis partem, nempe communicantem sub una tantum specie non privari aliqua gratia ad salutem simpliciter necessaria. Et cum subinfertur idem posse dici de tota Eucharistia, et adæquata ejus Satisfit argumento.

sumptione; siquidem non requiritur simpliciter ad salutem: respondendum est ita quidem rem se habere. Sed tamen vel hac veritate supposita oportuit, quod laicis daretur Eucharistia in sola specie panis, non autem in specie vini: quia in sumptione panis nullum imminet irreverentiæ periculum in Dominicum corpus: unde non expedit laicos privari ejus effectu, quamvis ad salutem non requiratur simpliciter. Sed in sumptione Eucharistiæ in specie vini occurrunt per se plura inconvenientia respectu multitudinis tum ob periculum effusionis Dominici sanguinis, tum ob horrorem, et nauseam bibentium ex eodem vase, et attingendi eandem partem: quibus attentis, et quod gratia, quæ est effectus illius communionis, non requiritur simpliciter ad salutem, merito Ecclesia negat sæcularibus communionem calicis. Nam longe præponi debet reverentia debita sacramento utilitati, quam sæculares capere possent ex gratia sibi necessaria solum secundum quid. Præsertim cum talis gratiæ defectus compensari alias queat per alia media, maxime vero per obedientiam erga Ecclesiam eis præcipientem, et per summam reverentiam erga sacramentum, et per humilem recognitionem propriæ indignitatis. Hac itaque via se gessit Concilium eo loco, ut clamores hæreticorum calicem petentium obrueret. De quo plura dicemus, disp. seq. dub. 6.

Solvitur confirmatio. Ad confirmationem respondetur mentem D. Thomæ in eo loco esse illammet, quam Concilium Tridentinum postea magis expressit, ut proxime explicuimus, nempe sæculares ex privatione calicis non pati aliquod detrimentum in necessariis simpliciter ad salutem: quia hujus sacramenti gratia ad prædictum effectum non requiritur simpliciter, sed solum secundum quid, et ad melius esse. Quam utilitatem cedere oportet reverentiæ debitæ Sacramento, ut optime tradit D. Thomas in corpore ejusdem art. his verbis: « Circa « usum hujus sacramenti duo possunt con« siderari: unum ex parte ipsius sacra« menti, aliud ex parte sumentium. Ex « parte quidem ipsius sacramenti convenit, « quod utrumque sumatur, scilicet corpus, « et sanguis: quia in utroque consistit per« fectio sacramenti. Et ideo quia ad sacer« dotem pertinet hoc sacramentum conse« crare, et perficere; nullo modo debet « corpus Christi sumere sine sanguine. « Ex parte autem sumentium requiritur « summa reverentia, et cautela, ne aliquid « accidat, quod vergat ad injuriam tanti « mysterii. Quod præcipue posset accidere « in sanguinis sumptione: qui quidem si « incaute sumeretur, de facili posset ef« fundi. Et quia crevit multitudo populi « Christiani, in qua continentur senes, et « juvenes, et parvuli, quorum quidam « non sunt tantæ discretionis, ut cautelam « debitam circa usum hujus sacramenti « adhibeant: ideo provide in quibusdam « Ecclesiis observatur, ut populo sanguis « sumendus non detur, sed solum a sacer« dotibus sumatur. » Hæc S. Doctor: in quibus ponderandum est, quod si ipse teneret contrariam circa præsens punctum opinionem, facillime salvaret calicis negationem in laicis, dicendo sacramentum Eucharistiæ non plus gratiæ causare in utraque specie, quam in una sola, sicut Adversarii discurrunt, et hac via defendunt dispositionem Ecclesiæ. Sed D. Thomas nec id leviter insinuavit, attendens ad solam reverentiam tanto mysterio debitam, et cui postponi debent aliæ utilitates spirituales non necessariæ simpliciter ad salutem. Quin et S. Doctor nostram assertionem satis expressit illis verbis: « In « utroque consistit perfectio sacramenti: » nam ad sacramenti perfectionem pertinet non solum significatio, sed et causalitas. Unde conclusit sacerdotem debere omnino sumere corpus, et sanguinem: quia ad sacerdotem pertinet sacramentum conficere, et perficere. Quod vero in ea responsione addiderit communicantem in una tantum specie non pati aliquod detrimentum, quia in qualibet specie totus Christus continetur; nihil refert, sed magis adhibitam responsionem confirmat: nam loquitur de detrimento in necessariis simpliciter ad salutem: quod minime subeunt fideles hoc ipso, quod in qualibet specie toti Christo uniantur, sicut de facto contingit: gratia enim, quæ per quamlibet speciem divisim communicari valet, non est ad salutem simpliciter necessaria. Merito autem dixit in alio loco sumentem multas hostias ejusdem rationis in una Missa non consequi ex vi hujus plus gratiæ, quam si sumeret unam tantum; quia totus Christus est in

qnalibet,

D. Tho.

qualibet, et in omnibus non solum in esse rei, sed etiam in esse principii per modum rei, et sacramenti simul: et omnes illæ hostiæ sunt ejusdem rationis in conceptu sacramenti. Sed prædictum motivum non tenet in speciebus diversæ rationis, nempe panis, et vini: quia tales species distinguuntur essentialiter partialiter in ipsa ratione sacramenti: unde oportet, quod licet totus Christus in qualibet earum sit in esse entis, tamen existat diverso modo in ratione principii, et quod communicet diversas gratias sacramentales partialiter distinctas: et subinde quod sumptus in utraque specie causet plus gratiæ, quam sumptus præcise in una.

Secundum argumentum. 62. Arguitur secundo, et impugnatur doctrina proxime tradita: nam si utraque species simul causaret plus gratiæ, quam in una; talis inæqualitas proveniret vel ex speciebus, vel ex re contenta sub eis, vel ex illarum significatione: sed nihil horum dici valet. Non quidem, quod ex speciebus: quia secundum se non habent vim productivam gratiæ. Nec ex re contenta: nam idem, et totus Christus est in qualibet earum. Nec denique ex significatione: quia licet expressior sit significatio per duas species, quam per unam; tamen totum hoc præcise pertinet ad modum significandi, quod minime sufficit ad causandum majorem, aut perfectiorem effectum, ut patet in baptismo, qui per immersionem factus significat magis expresse consepulturam baptizati cum Christo, quam factus per solam aquæ aspersionem; et tamen non causat diversum effectum: idemque contingit in matrimonio facto per verba, quæ expressius significant, qnam nutus, aut scripturæ; quo non obstante causat semper eundem effectum ex opere operato.

Confirmatio. Confirmatur speciali motivo Caietani: quia in sacramento Eucharistiæ causat non solum illud, quod ibi continetur per se ex vi verborum: sed etiam quod continetur per concomitantiam: alias Divinitas, quæ ibi est per concomitantiam, non causaret gratiam hujus sacramenti, quod est absurdum: sed in specie panis est sanguis Christi per concomitantiam; ergo sanguis Christi sumptus in specie panis causat suum effectum: et consequenter qui communicat in specie panis, recipit illam gratiam, quæ datur communicanti in specie vini, aut in utraque specie. Nullum itaque est fundamentum ut dicamus communicantem in utraque specie plus gratiæ recipere, quam communicantem in una tantum.

Diluitur argumentum. Ad argumentum constat ex motivo, quod pro nostra assertione expendimus. Juxta quod respondemus inæqualitatem illam provenire ex omnibus illis capitibus, minus, aut magis proxime, sicut ipsa ad sacramentum se habent. Provenit in primis ex ipsis speciebus, quæ distinguuntur specie partiali in ordine ad constituendum integrum convivium. Provenit etiam suo modo ex ipso Christo, qui licet de facto sit totus in qualibet specie; nihilominus formaliter ex vi verborum, aut sacramenti continetur secundum corpus in specie panis, et secundum sanguinem in specie vini; et secundum utrumque in utraque specie simul. Provenit denique in diversa significatione specierum, quæ non solum est expressior in modo, sed etiam major ex parte rei significatæ: nam species panis significat gratiam præcise quantum ad modum cibandi; et sub specie vini significat gratiam præcise quantum ad modum refrigerandi, et lætificandi: sed utraque species simul significat integram refectionem spiritualem per modum comestionis, et potationis. Gratia autem ut importans utrumque modum est major se ipsa, prout importat unum modum præcise. Unde excluduntur exempla in contrarium allata: quia significatio in baptismo, aut matrimonio solum est major, sive expressior ex parte modi, non autem ex parte rei significatæ: et propterea idem semper producitur effectus. Sed aliter contingit in re præsenti, ut explicuimus. Cujus differentiæ evidens signum est, quod integrum sacramentum Baptismi, et Matrimonii salvatur in quolibet illorum modorum, quibus fieri valet; et neuter illorum modorum potest dici sacramentum partiale, et pars sacramenti Baptismi, aut Matrimonii. Cæterum integrum sacramentum Eucharistiæ non salvatur in qualibet specierum seorsim, sed essentialiter adæquate importat utramque: et similiter earum quælibet est verum sacramentum licet partiale, et distinguitur specifice partialiter ab altera specie: unde opus est quamlibet earum habere effectum majorem, uni, et alteri speciei correspondentem. Quare aptius Nota.

exemplum ad rem declarandam desumitur ex sacramento Ordinis, quod constat pluribus sacramentis partialibus, quorum quodlibet causat gratiam : et per omnia illa simul, sive per totum sacramentum Ordinis adæquate sumptum causatur major gratia, quam per quemlibet ordinem in particulari, et divisim sumptum, ut Gonet, (qui hoc argumentum nobis opponit,) tradit in tract. *de Ordine* disput. 2, art. 1, per totum, et præcipue num. 27. Aptius etiam exemplum desumeretur ex sacramento Extremæ-unctionis, quod importat plures in diversis partibus unctiones; et juxta probabilem sententiam aliquorum (præsertim Soti nobis in hac causa contrarii,) in qualibet unctione causatur gratia, in prima unus gradus, in secunda alius, et sic de cæteris : unde major absolute gratia producitur per omnes unctiones simul, quam per earum quamlibet divisim acceptam. Sic ergo proportionabiliter in præsenti materia dicendum est.

Gonet.

Fit satis confirmationi.

Ad confirmationem respondetur, quod licet ea, quæ sunt per concomitantiam in hoc sacramento, causent ejus effectum ; nihilomimus aliter, et aliter causant : nam prout continentur in una specie, causant effectum illius speciei ; et prout sunt in alia, causant effectum alterius. Quod exemplo ipso in contrarium allato declaratur : nam Divinitas prout existens per concomitantiam in specie panis, causat gratiam in ratione cibi spiritualis : et prout existens in specie vini, causat gratiam in ratione spiritualis potus : et prout existens in utraque specie simul, causat integram refectionem spiritualem per gratiam. Quare concesso, quod sanguis Christi sit realiter per concomitantiam in specie panis, et quod prout ibidem existens causat gratiam : tamen causat gratiam præcise secundum modum cibi spiritualis : quia ibi causat ratione corporis, quod nunc comitatur. In propria autem specie vini causat per se ut sanguis, et efficit gratiam secundum modum spiritualis potus. Unde semper salvatur, quod hoc sacramentum in utraque specie, sicut est majus in ratione sacramenti, sic etiam causat majorem gratiam, quam si in una tantum specie sumatur.

Tertium argumentum.

63. Arguitur tertio : quia virtus, qua agit sacramentum Eucharistiæ, est corpus, et sanguis Christi : sed idem est corpus, et sanguis Christi tam in una sola specie, quam in utraque simul : ergo eadem est virtus hujus sacramenti, sive sumatur in una specie, sive in duabus : et consequenter cum unumquodque causet secundum virtutem, quam habet ; sequitur Eucharistiam causare eodem modo, et eundem effectum tam in una specie, quam in duabus. Cætera constant. Et major, in qua fundatur totus discursus, et de qua poterat esse difficultas, probatur ex D. Thom. supra quæstione 73, artic. 1, ad 2, ubi ait : « Sicut se habet virtus Spiritus « Sancti ad aquam baptismi, ita se habet « corpus Christi verum ad species panis, et « vini. Unde species panis, et vini non efficiunt aliquid nisi virtute corporis Christi « veri. » Ergo virtus, qua agit sacramentum Eucharistiæ, est corpus et sanguis Christi.

D. Tho.

Solvitur.

Respondetur explicando majorem, et testimonium D. Thomæ pro ejus probatione relatum : etenim sicut virtus Spiritus Sancti est, id cui sacramentum Baptismi in agendo subordinatur ; sed tamen præter virtutem increatam Spiritus Sancti datur virtus creata elevans prædictum sacramentum in ratione instrumenti physici ad causandum suum effectum, gratiam videlicet regenerantem, juxta generalem doctrinam, quam circa omnia sacramenta legis nostræ tradidimus tractatu præcedenti disputatione 4, dub. 4. Ita similiter corpus Christi verum est id, cui sacramentum Eucharistiæ in agendo subordinatur: sed ultra hæc oportet, quod istud sacramentum elevetur intrinsece secundum species, in quibus consistit essentialiter formaliter, et in recto, ut supra diximus disputatione 2, dub. 2. Unde oportet, quod alia virtus recipiatur in specie panis, et alia in specie vini : sicut enim sunt diversa sacramenta partialia, et habent diversas significationes ; sic etiam habere debent diversas virtutes, et causalitates. Quare argumentum magis retorqueri debet in opponentes : quia licet virtus (sive sit Spiritus Sanctus, sive corpus Christi), cui tanquam principaliori species in agendo subordinantur sit una, sicut est ipse Deus primo, et principaliter influens : tamen virtus, qua species intrinsece elevantur, et immediate agunt, est multiplex juxta ipsarum specierum pluralitatem : et ideo oportet majorem esse hujusmodi virtutem in duabus speciebus, quam in una : ex quo ulterius sequitur plus

plus causare ambas species simul, quam unam tantum.

Quartum argumentum. 64. Sed insistes cum Suario (et sit quartum argumentum) : quia unum sacramentum, quamvis pluribus partibus constet, si ad unum finem, et ad unum formalem effectum ordinatur, non habet nisi unum, et quasi indivisibilem effectum, ad quem totum sacramentum concurrit, ut explicari valet exemplo Extremæ-unctionis compositæ ex pluribus unctionibus partialibus : sed sacramentum Eucharistiæ, licet constet ex duabus speciebus panis, et vini, est unum sacramentum, et ordinatur ad eundem finem, et effectum formalem uniendi hominem cum Christo, et causandi fervorem charitatis : ergo non habet nisi unum, et quasi indivisibilem effectum : et consequenter idem effectus est, qui causatur per unam speciem seorsim ab alia, et qui causatur per utramque speciem simul.

Responsio. Respondetur hanc instantiam se destruere, et regerendam esse in opponentem : nam si res ita se habet, ut Suarius describit, et exemplo extremæ-unctionis confirmat ; sequitur effectum sacramenti Eucharistiæ non produci in sumptione primæ speciei panis, sed expectare secundam speciem vini. Ubi enim sacramentum constituitur ex pluribus partibus, et ordinatur ad eundem finem, sicut non perficitur ante omnes partes, ex quibus constat, sic etiam non causat. antequam illæ ponantur in re, et influat dependenter ab illis. Et hoc probat exemplum extremæ-unctionis : nam quia quinque unctiones in locis quinque sensuum sunt de necessitate hujus sacramenti, quod ordinatur ad unum finem determinatum ; nulla illarum est sacramentum partiale, et in nulla illarum confertur gratia prædicti sacramenti, priusquam omnes absolvantur, ut cum communi tum Suarii,

N. Franc. tum aliorum sententia docet N. Franciscus tractatu 7, cap. 3, puncto 2, num. 3. Si ergo sacramentum Eucharistiæ hoc modo se habet, et constituitur ex duabus panis, et vini speciebus ; sequitur nullam speciem seorsim sumptam esse verum, adhuc inadæquate sacramentum, et gratiam prædicti sacramenti non conferri ante sumptionem secundæ speciei. Hæc autem non solum sunt falsa, sed erronea : quia laicus communicans in una specie recipit verum sacramentum Eucharistiæ, licet non totale : et similiter recipit aliquam gratiam hujus sacramenti : quin et sacerdos celebrans per susceptionem primæ speciei consequitur aliquem hujus sacramenti effectum, antequam suscipiat secundam : unde si in eo medio moriatur, non privatur omni sacramenti fructu. Oportet igitur recognoscere, quod argumentum excessive probat, et temperari debet. Respondemus itaque vel negando majorem universaliter sumptam, vel illam distinguendo : nam ubi unum, et idem sacramentum constat ex multis partibus præcise ut partibus, et ordinatur ad unicum finem proximum tam inadæquatum, quam adæquatum ; non habet nisi unum, et quasi indivisibilem effectum, ut bene probatur, et declaratur exemplo proxime inducto sacramenti extremæ-unctionis. Cæterum ubi idem, et unum sacramentum totale constat ex partibus, quæ sunt vera sacramenta licet partialia ; atque ita ordinatur ad unum finem totalem, et consummatum, quod simul habet diversos fines inadæquatos proximos : tunc fieri optime valet, quod habeat diversos effectus partiales correspondentes partibus, aut sacramentis partialibus, ex quibus constat. Quod bene explicatur exemplo sacramenti Ordinis : nam hoc sacramentum constat ex multis ordinibus, qui sunt non solum partes unius sacramenti, aut ordinis totalis, sed etiam vera sacramenta partialia ordinata ad diversos fines inadæquatos, utputa ad diversas ministrationes : et propterea diversi ordines producunt distinctos effectus tum gratiæ sacramentalis, tum characteris : et per unius ordinis collationem non datur tanta gratia, quanta per omnes simul ordines communicatur. Ad hunc ergo modum se habet sacramentum Eucharistiæ : nam constat ex duabus speciebus panis, et vini, quæ sunt non solum partes prædicti sacramenti, sed etiam vera sacramenta partialia, ut necessario concedendum est, siquidem laicus in una specie communicans recipit verum sacramentum Eucharistiæ, licet non totale, aut secundum omnes partes. Rursus illæ species ordinantur ad diversos fines partiales proximos : nam species panis ordinatur ad communicandum gratiam in ratione cibi ; species autem vini ad communicandum gratiam in ratione potus. Unde consequens est, quod producant diversos effectus partiales, et divisibiles. Atque ideo plus gratiæ producitur per ambas species simul, sive per

sacramentum adæquate sumptum, quam per unam tantum speciem seorsim acceptam.

Quintum argumentum. 65. Quinto, et ultimo arguitur ex Cajetano : quia communicans in utraque specie, vel in una, et altera communione est cum eadem dispositione; vel in communione secunda est cum meliori dispositione? Si eligatur hoc ultimum; nemo est, qui neget majorem communicari gratiam in secunda communione, quam in prima, ob majorem scilicet subjecti suscipientis coaptationem : unde in prædicto sensu manifestum est communicantem in utraque specie plus gratiæ reportare, quam communicantem in una. Si vero eligatur primum ; nulla est ratio, quare communicans in prima, et secunda specie recipiat in secunda aliquod majus augmentum gratiæ, quam in prima : nam utrobique est idem agens, et est idem passum æqualiter dispositum : unde nullum occurrit caput, in quod effectus inæqualitas revocetur.

Convellitur. Respondetur istud argumentum procedere ex peculiari illa Cajetani sententia, quod ut sacramentum Eucharistiæ causet suum effectum ex opere operato, debet dari aliqua dispositio actualis ex parte suscipientis. Sed eam sententiam jam exclusimus dub. præced. statuentes oppositum, nempe ad prædictum effectum ex parte suscipientis sufficere statum gratiæ habitualis. Unde cum prima species reperit subjectum ita dispositum, producit in eo aliquem gradum gratiæ habitualis cum peculiari modo gratiæ sacramentalis in ratione cibi : et rursus secunda species reperiens subjectum ita dispositum producit alium gradum gratiæ habitualis cum peculiari, et distincto modo gratiæ sacramentalis in ratione potus : et consequenter plus producunt prædictæ species simul, quam una tantum. Quare juxta prædictam responsionem ad propositum dilemma respondendum est eligendo secundam ejus partem : nam quidquid fuerit de dispositione actuali, quam ad prædictos effectus necessariam non esse supponimus; semper secunda species reperit subjectum magis dispositum : quia supponit gratiam productam per primam speciem, et illi aliquid addit; cum tamen prima species illum gradum non reperiat in subjecto. Nec est eadem ratio in suscipiente duas, aut plures species ejusdem rationis : quia cum unius rationis sint, et sumantur per modum unius, non causant, nisi quando in prima sui parte suscipiuntur : unum enim sacramentum partiale non causat nisi semel, et unum effectum, ut fusius explicuimus dub. 2, num. 34. Idque verum est, quamvis inter sumptionem unius, et alterius speciei ejusdem rationis augeatur dispositio actualis, ut ostendimus ibidem num. 35. Cæterum ubi species sunt diversæ rationis, et distincta specie partiali sacramenta, occurrit oppositum motivum, et constat ex hactenus dictis.

DUBIUM V.

Utrum sacramentum Eucharistiæ prosit aliis, quam sumentibus?

66. Cum bonum sit diffusivum sui, quo majus, eo in alia virtutem suam profundere magis natum ; expedit, ut postquam vidimus, quos effectus, quibus modis, et quando Eucharistia causet in suscipiente, videamus ulterius, utrum aliis non sumentibus etiam prosit? Quam difficultatem eisdem vocibus proposuit D.Thom. *art.* 7 hujus quæstionis. Pro cujus resolutione observat, quod « hoc sacramentum non solum est sa« cramentum, sed etiam est sacrificium. In « quantum enim in hoc sacramento repræ« sentatur passio Christi, qua Christus ob« tulit se hostiam Deo, ut dicitur ad Ephes. « 5, habet rationem sacrificii. In quantum « vero in hoc sacramento traditur invisibi« lis gratia sub visibili specie, habet ratio« nem sacramenti. » Et *art.* 5, dixerat : « Hoc « sacramentum simul est sacrificium, et « sacramentum. Sed rationem sacrificii « habet, in quantum offertur : rationem « autem sacramenti, in quantum sumitur. » Et quidem quod verum sacramentum sit, ostendimus ex proposito *disp.* 2, *dub.* 1, et esse vere sacrificium probabimus *disp.* 13, *dub.* 1. Nota ex D. Tho.

Juxta quam distinctionem supponendum est Eucharistiam prodesse etiam non sumentibus consideratam saltem in ratione sacrificii. Id statuit D. Thom. illo art. 7, his verbis : « Sed aliis, qui non sumunt, « prodest per modum sacrificii, in quan« tum pro salute eorum offertur. Unde in « canone Missæ dicitur : Memento Domine « famulorum, famularumque tuarum, pro « quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt Quid supponendum ex D. Thom.

« runt hoc sacrificium laudis, pro se, « suisque omnibus, pro redemptione ani- « marum suarum, pro spe salutis, et in- « columitatis suæ. Et utrumque modum « proficiendi Dominus expressit dicens « Matth. 26, et Luc. 22. Qui pro vobis, « scilicet sumentibus, et pro multis, scili- « cet aliis, effundetur in remissionem pec- « catorum. » Et hoc ipsum in argumento *Sed contra* probat : « Quia in celebratione « hujus sacramenti fit pro multis aliis de- « precatio. Quod frustra fieret, nisi aliis « prodesset. Hoc ergo sacramentum non « solum sumentibus prodest. » Quod ad minus intelligendum est de isto sacramento considerato in ratione sacrificii. Sed quia hæc consideratio pertinet ad disp. citatam, ad illum usque locum reservanda est. Quare præsens difficultas procedit circa Eucharistiam consideratam in ratione sacramenti, sicut hactenus de illa egimus. Pro cujus resolutione observandum est Eucharistiam in ratione sacramenti causare posse duobus modis, nempe ex opere operato, et ex opere operantis, nempe vel immediate virtute suæ institutionis, et significationis, vel præcise mediate, aut indirecte, virtute alicujus operationis honestæ, quæ illius sumptionem comitatur, aut subsequitur. Quæ distinctio satis constat ex generaliter dictis tract. præced. disputatione 4, dub. 1, et specialiter declaratur exemplo ipsius Eucharistiæ : nam gratiam aliquam nutrientem causat ex opere operato vi suæ significationis, licet nullam reperiat in suscipiente dispositionem actualem, ut diximus dub. 3 ; sed remissionem pœnæ temporalis nec in ipso suscipiente causat, nisi ex opere operantis, videlicet ratione alicujus operationis laudabilis, quæ in ejus sumptione exercetur, ut novavimus dub. 1, § 6. His suppositis

Punctum difficultatis.

§ I.

Communis sententia duabus assertionibus explicatur.

Prima conclusio.

67. Dicendum est primo Eucharistiam in ratione sacramenti non prodesse ex opere operato nisi solis sumentibus. Hanc conclusionem docet D. Thom. in præs. art. 7 ; nam licet illam cum hac expressione non statuerit, illam tamen multis modis significavit. Tum quia dixit Eucharistiam « prodesse sumentibus, et per modum sacramenti, et per modum sacrificii : quia pro omnibus offertur. Dicitur « enim in canone Missæ : Quotquot ex hac « altaris participatione sacrosanctum filii « tui corpus, et sanguinem sumpserimus, « omni benedictione cœlesti, et gratia re- « pleamur. » Tamen ubi de non sumentibus agit, limitavit propositionem ad fructum per modum sacrificii, dicens: « Sed aliis « qui non sumunt, prodest per modum sa- « crificii. » Et minime dixit, quod prosit per modum, aut in ratione sacramenti. Tum quia cum sibi opposuisset alia sacramenta non prodesse nisi suscipientibus, atque ideo idem dicendum esse de Eucharistia, respondit : « Ad primum dicendum, « quod hoc sacramentum præ aliis habet, « quod est sacrificium. Et ideo non est si- « milis ratio. » Ubi manifeste significat solum prodesse non sumentibus in ratione sacrificii : in conceptu autem sacramenti eandem ac in cæteris sacramentis regulam observari, ut non nisi suscipientibus prosit. Tum denique et evidentius, quia in resp. ad. 3, ait : « Dicendum, quod sump- « tio pertinet ad rationem sacramenti : « sed oblatio pertinet ad rationem sacri- « ficii. Et ideo ex hoc, quod aliquis sumit « corpus Christi, vel etiam plures ; non « accrescit aliis aliquod juvamentum. » Ex quibus liquet Div. Thomam sensisse, quod licet Eucharistia in ratione sacrificii prosit et sumentibus, et non sumentibus ; tamen in ratione sacramenti solis sumentibus prodest. Idque intelligendum est, ut decet, de Eucharistia influente ex opere operato : qui est proprius causandi modus sacramenti in esse sacramenti præcisive ab aliis accidentaliter concurrentibus. Et sic censent communiter Theologi ad prædictum art. D. Thomæ. Videantur Cajetanus to. 2 opusc. tract. 3, quæst. 2, Soto in 4, dist. 11, quæst. 2, art. 5, et art. 7, ad 3, Petrus de Ledesma cap. 10, concl. 13, in fine, Prado dub. 10, num. 5, Suarez, et Filliutius, quos refert, et sequitur N. Franciscus cap. 6, punct. 4, num. 58, et alii.

D. Tho.

Cajet. Soto. Ledesm. Suarez. Prado. N. Fran.

Probatur ratione : quia sacramenta illud dicuntur causare ex opere operato, quod causant ut signa, sive juxta suam significationem: sicut baptismus causat emundationem spiritualem per modum ablutionis, et Extrema-unctio causat per modum cujusdam

Ratio fundamentalis.

curationis : sed Eucharistia ut sacramentum secundum significationem suam nequit causare gratiam, vel alium effectum in non sumentibus ipsam : ergo nihil horum causat in non suscipientibus : atque ideo per modum sacramenti, sive signi significantis non prodest, nisi solis sumentibus. Cætera constant. Et minor suadetur : quoniam Eucharistia instituta est in speciebns panis, et vini significantibus spiritualem nutritionem : sed cibus, et potus non habent effectum nisi in sumente, nec alium quam sumentem nutriunt : ergo Eucharistia ut sacramentum, sive signum sanctificans, aut juxta suam significationem nequit causare gratiam, vel alium effectum, nisi in suscipientibus.

Confirmatio. Confirmatur primo exemplo cæterorum omnium sacramentorum, quæ nisi sumantur, non prosunt : unde solum in suscipientibus habent effectum ; ergo idem de Eucharistia considerata in ratione sacramenti dicendum est. Quod enim Eucharistia distinguatur ab aliis sacramentis in eo, quod simul sit sacrificium ; probat ad summum Eucharistiam consideratam in ratione sacrificii prodesse etiam non sumentibus; minime vero quod illis prosit ut sacramentum, et ex opere operato. Et ratio generalis in omnibus sacramentis est,quam proxime proposuimus, nempe omnia sacramenta vel ex materia. vel ex forma,vel ex modo, quo fiunt, determinari ad significandum suos effectus in suscipientibus, quibus talia sacramenta conferuntur. Alia. Confirmatur secundo præcludendo tacitum effugium : nam si Eucharistiæ sacramentum dicitur causare in suscipiente ex opere operato remissionem alicujus pœnæ temporalis saltem concomitanter, et indirecte ; ideo est quia sacramentum Eucharistiæ causat ex opere operato in suscipiente gratiam, et auxilia, ut eliciat actus charitatis, et aliarum virtutum,qui satisfactorii sunt, ut pœna remittatur. (Licet in rigore, et proprietate remissio pœnæ prædicto modo magis fiat ex opere operantis, quam ex opere operato.) Sed hunc modum causalitatis non habet nisi in solis suscipientibus : quippe non habet annexam promissionum gratiam, et auxiliorum in aliis, sed in solo suscipiente, juxta illud, *Qui manducat me, vivet propter me*, et, *Qui manducat me, vivet in æternum*, et *Manet in me, et ego in eo :* effectus autem non excedit promissionem. Ergo Eucharistia per modum sacramenti non causat gratiam, vel alios effectus ex opere operato, nisi in solis suspientibus.

68. Dicendum est secundo sacramentum Eucharistiæ posse aliis, quam sumentibus, prodesse ex opere operantis. Hæc assertio est non minus communis, quam præcedens, et illam specialiter decent Theologi, quos num. seq. referemus. Et ut illam evidentius probemus, duo principia certa præsupponenda sunt. Primum est Eucharistiæ sacramentum prodesse sumenti ad remissionem pœnæ, ut tradidimus loco supra cit. et docet optime D. Thomas in hac quæst. art. 5, ubi ait : « Si Eucharistia consideretur ut sacramentum, « habet effectum dupliciter. Uno modo di- « recte ex vi sacramenti : alio modo quasi « ex quadam concomitantia, sicut et circa « continentiam sacramenti » (nempe vel ex vi verborum, vel ob concomitantiam realem) « dictum est. Ex vi quidem sacra- « menti directe habet illum effectum, ad « quem est institutum. Non est autem insti- « tutum ad satisfaciendum, sed ad spirita- « liter nutriendum per unionem ad Chris- « tum, et ad membra ejus : sicut et « nutrimentum unitur nutrito. Sed quia « hæc unitas fit per charitatem, ex cujus « fervore aliquis consequitur remissionem « non solum culpæ, sed etiam pœnæ : inde « est, quod ex consequenti per quandam « concomitantiam ad principalem effectum « homo consequitur remissionem pœnæ, « non quidem totius, sed secundum mo- « dum suæ devotionis, et fervoris. » Ex quibus liquet sacramentum Eucharistiæ prodesse sumenti ad remissionem alicujus pœnæ temperalis : licet hæc remissio fiat dependenter immediatius ab aliqua suscipientis operatione. Secundum est hanc pœnæ remissionem posse aliis per suscipientem Eucharistiam applicari. Quia remissio pœnæ extrinseca est, et eam potest quilibet pro aliis, quibus charitate conjungitur, Deo offerre : et quod sibi proprium est per laborem, in cæteros amore diffundere, absque ulla sanctitatis internæ, quæ est per gratiam, detrimento. Hoc enim postulat Sanctorum Communio, sive communicatio, quam in Symbolo fidei profitemur, et in qua exultabat David dicendo: ***Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.***

Secunda conclusio. Nota 1. Nota 2.

Ex

Fundamentum. Ex his principiis facile, et breviter suadetur conclusio : quoniam sacramentum Eucharistiæ causat in suscipiente remissionem alicujus pœnæ temporalis : sed hanc potest suscipiens Eucharistiam aliis applicare : ergo sacramentum Eucharistiæ prodest aliis, quam suscipienti, in ordine ad prædictum effectum, saltem indirecte, et ex opere operantis. Qui discursus quantum ad omnes propositiones desumitur ex D. Thom. nam in 4, dist. 20, q. 1, art. 2, questiunc, 3, ad 1, inquit : « Quantum ad « pœnæ remissionem unus alteri mereri « potest : et actus unius efficitur alterius « charitate mediante, per quam unum sumus « in Christo. » Et in eadem 4, dist. 45, q. 2, art. 3, quæstiunc. 1, ait : « Ad charitatem « autem sacramentum Eucharistiæ præcipue pertinet, cum sit sacramentum Ecclesiasticæ unitatis, continens illum, in quo « tota Ecclesia unitur, et consolidatur, « scilicet Christum. Unde Eucharistia est « quædam charitatis origo, sive vinculum. »

D. Tho.

Consectarium observandum. 69. Hinc sequitur sumptionem Eucharistiæ vel a mulieribus, et laicis factam, si pro animabus Purgatorii applicetur, eis prodesse : atque talem communionem ex eo fine factam esse consulendam, ut animæ Purgatorii omnibus modis, et quam maxime juventur. Sic colligunt, et consulunt communiter Theologi, Alensis 4 p. q. 11, memb. 2, art. 4, § 1. Raynerus *in Pantheologia verbo Eucharistia* cap. 27, Gerson p. 3, in epist. *de pia memoria defunctorum* circa finem, Suarez disp. 63, sect. 10, in fine, Granados tract. 9, disp. 5, n. 8, Trullench lib. 3, cap. 5, dub: 1, Prado ubi supra n. 12. Contenson dissert. 3, cap. 2, specul. 3, et latissime cum aliis pluribus Thomas Hurtado variar. resolut. p. 2, tract. ultimo, resolut. 11. Secunda nostri consectarii pars patet ex prima, quin opus habeat alia probatione. Prima vero suadetur ex dictis : nam sacramentum Eucharistiæ potest prodesse aliis non suscipientibus ad remissionem pœnæ temporalis, saltem ex opere operantis : ergo similiter prodesse potest animabus Purgatorii, quas inter et nos datur vinculum charitatis. Adde primo sumptionem Eucharistiæ religiose factam esse actum religionis, atque ideo de se satisfactorium ex opere operantis : omne autem opus bonum, et satisfactorium a viventibus elicitum potest prodesse defunctis, si pro ipsis applicetur, ut inductive valet ostendi in omnibus aliis operibus, quæ ejusmodi fuerint. Adde secundo orationem habere vim impetrandi non solum pro orante, sed etiam pro aliis vivis, et defunctis : oratio autem, quam sumptio Eucharistiæ excitat, solet esse ferventior, et efficacior propter præsentiam realem Christi, et propter affectuosam animæ transformationem in ipsum, juxta illud, *In me manet, et ego in eo ;* ut anima tunc orans sit quasi ipse Christus petens : ergo hac etiam via, nimirum per modum impetrationis sacræ Eucharistiæ sumptio prodest animabus in Purgatorio.

Alensis. Rayner. Gerson. Suarez. Granad. Trullen. Prado. Contens. Hurtad.

70. Contra propositas assertiones præmisso modo explicatas non reperimus sententias notabiles, quæ probentur Auctoribus. Aliquam tamen eisdem litem excitasse videntur duo docti Recentiores studio promovendi suas peculiares opinationes. Nam Thomas Hurtado loco cit. et præsertim § 7, adeo propendet in sententiam certissimam, quod animas Purgatorii adjuvare possimus sacræ Communionis subsidio, ut significet eam vel a laicis factam prodesse non tantum ex opere operantis, quod proxime statuimus, sed etiam ex opere operato. Cæterum id dixit ardore oppugnandi Adversarium, et tandem recognoscens se declinasse ad extremum incertum. Nihil autem grave pro hac parte occurrit nisi testimonium supra relatum ex D. Thom. in 4, dist. 45, in resp. ad 3, ubi ait : « Baptismus est quædam spiritualis regeneratio : unde sicut « per generationem non acquiritur nisi « generatio : ita baptismus non habet efficaciam, nisi in eo, qui baptizatur, quantum est ex opere eperato : quamvis ex « opere operantis, vel baptizantis, vel baptizati possit aliis prodesse, sicut et cætera « meritoria. Sed Eucharistia est signum Ecclesiasticæ unionis ; et ideo ex ipso opere « operato ejus efficacia in alterum transire « potest : quod non contingit de aliis sacramentis. » Hæc S. Doctor : in quibus aperte significat hanc esse Eucharistiæ inter cætera sacramenta excellentiam quod non suscipientibus prodest ex opere operato. Sed cum tam evidenter D. Thomas asseruerit nostram, et communem sententiam in posteriori scripto, ut vidimus n. 67, non opprimimur eo loco, qui modo opponitur. Præterquam quod facile explicatur absque ulla oppositione cum aliis

Quid voluerit Hurtado.

D. Tho.

scriptis : nam sensus est Eucharistiam hoc habere peculiare inter alia sacramenta, quod prodest non suscipientibus ex opere operato : sed tamen hoc ideo habet, quia inter omnia sacramenta est simul sacramentum, et sacrificium : et in quantum sacrificium potest pro aliis offerri, illisque prodesse ex opere operato. In quo sensu similem difficultatem diluit ipse S. Doctor loco cit. n. 67, dicens : « Hoc sacramentum præ aliis habet, quod sit sacrificium. Et ideo non est similis ratio. » Unde omnia dicta cohærent.

Explicatur.

Quid intenderit Raynaudus?

Oppositum extremum tenuit Theophylus Raynaudus : namut acrius oppugnaret asserentes communionem laicorum prodesse mortuis ex opere operato, summe extenuavit ejus valorem et utilitatem ex opere operantis, ut constat ex toto opusc. inscripto, « Error popularis de « communione pro mortuis agenda. » In quo plane excessit : nam manifestum est sumptionem Eucharistiæ esse opus de se bonum, ac religiosum, posseque tam ipsum, quam alios actus charitatis, et aliarum virtutum in tali sumptione exercitos, ordinari per modum tam satisfactionis, quam impetrationis ad adjuvandum animas in Purgatorio existentes. Unde videmus, quod sicut Summi Pontifices concedunt indulgentias visitantibus hanc, aut illam Ecclesiam : sic etiam concedere solent suscipientibus sacram communionem. Et nemo catholicorum dicet sumptionem Eucharistiæ esse opus minus pium, aut proficuum, quam sit Ecclesiæ visitatio : aut quod minus adjumenti possit animabus Purgatorii ex eo provenire. Et tamen ille Auctor non dubitavit communionem pro mortuis factam appellare « sordem non ferendam, « escam falsi fructus, et stropham prætextu « pietatis tectoriam falsitatis. » Et quod transcribere erubescimus, scribere non erubuit. « Consensus connubiales mortuis « magis Eucharistia prodesse : Eucharis- « tiam nihil habere peculiare præter ma- « trimonium : et mirari se Adversarios « non invitare fideles ad illud pro mortuis « ineundum. » Erubescimus, inquam, vel referre, quod sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, in quo scilicet realiter adest Christus omnis puritatis fons descendere cogatur ad comparationem cum amplexibus maritalibus : aut quod vel ex parte possit homo religiosus ita exhortari ad frequentes nuptias, sicut ad frequentem sanctissimi Sacramenti sumptionem. Sed hæc ut modo non necessaria omittimus, qui scimus librum illum Raynaudi per sacram Congregationem ex auctoritate Apostolica sibi commissa proscriptum esse, ut refert Contenson ubi supra pag. 646. Et quod ad rem attinet, non dubitamus melius fuisse consilium Joannis Gersonis loco supra cit. qui ait : « Quotiescumque « etiam ad perceptionem corporis Christi « te præparas, et perceptum tecum habes ; « esto, quæso, memor fidelium defuncto- « rum : et implora tanto ardentius mise- « ricordiam ejus, quanto certius retines in « te pignus æternæ redemptionis. »

Refellendus.

QUÆST. LXXX.

De usu, seu sumptione hujus sacramenti in communi, in duodecim articulos divisa.

Deinde considerandum est de usu, sive sumptione hujus sacramenti. Et primo quidem in communi : secundo quomodo Christus est usus hoc sacramento ? Circa primum quæruntur duodecim. Primo, etc.

ARTICULUS I.

Utrum distingui debeant duo modi manducandi corpus Christi ?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod non debeant distingui duo modi manducandi corpus Christi, scilicet sacramentaliter, et spiritualiter. Sicut enim baptismus est spiritualis regeneratio (secundum illud Joan. 3 : Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, etc.) ita etiam hoc sacramentum est spiritualis cibus, unde Dominus de hoc sacramento loquens, dicit Joan. 6 : Verba, quæ ego

locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Sed circa baptismum non distinguitur duplex modus sumendi, scilicet sacramentalis, et spiritualis. Ergo neque circa hoc sacramentum debet hæc distinctio adhiberi.

Præterea : Ea, quorum unum est propter alterum non debent adinvicem dividi : quia unum ab alio speciem trahit. Sed sacramentalis manducatio ordinatur ad spiritualem, sicut ad finem. Non ergo debet sacramentalis manducatio contra spiritualem dividi.

Præterea : Ea, quorum unum non potest esse sine altero, non debent contra se dividi. Sed videtur quod nullus possit manducare spiritualiter, nisi etiam sacramentaliter manducet : alioquin antiqui patres hoc sacramentum spiritualiter manducassent ; frustra etiam esset sacramentalis manducatio, si sine ea spiritualis esse posset. Non igitur convenienter distinguitur circa hoc sacramentum duplex manducatio, scilicet sacramentalis, et spiritualis.

Sed contra est, quod super illud I Corinth. 11. Qui manducat, et bibit indigne etc. dicit glosa. Duos dicimus esse modos manducandi : unum sacramentalem, et alium spiritualem.

Respondeo dicendum, quod in sumptione hujus sacramenti duo sunt consideranda, scilicet ipsum sacramentum, et effectus ipsius, de quorum utroque jam supra dictum est. Perfectus igitur modus sumendi hoc sacramentum, est quando aliquis ita hoc sacramentum suscipit, quod percipit ejus effectum : contingit autem quandoque (sicut supra dictum est) quod aliquis impeditur a percipiendo effectu hujus sacramenti. Et talis sumptio hujus sacramenti est imperfecta. Sicut igitur perfectum contra imperfectum dividitur ; ita sacramentalis manducatio, per quam sumitur solum sacramentum sine effectu ipsius, dividitur contra spiritualem manducationem : per quam quis percipit effectum hujus sacramenti, quo spiritualiter homo Christo conjungitur per fidem, et charitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod etiam circa baptismum, et alia hujusmodi sacramenta similis distinctio adhibetur. Nam quidam suscipiunt tantum sacramentum, quidam vero sacramentum, et rem sacramenti. In hoc tamen differunt, quia cum alia sacramenta perficiantur in usu materiæ, percipere sacramentum, est ipsa perfectio sacramenti : hoc autem sacramentum perficitur in consecratione materiæ, et ideo uterque usus est consequens hoc sacramentum. In baptismo etiam, et in aliis sacramentis characterem imprimentibus, illi qui accipiunt sacramentum, recipiunt aliquem spiritualem effectum, scilicet characterem, quod non accidit in hoc sacramento. Et ideo magis in hoc sacramento distinguitur usus sacramentalis a spirituali, quam in baptismo.

Ad secundum dicendum, quod sacramentalis manducatio, quæ pertingit ad spiritualem non, dividitur contra spiritualem, sed includitur ab ea. Sed illa sacramentalis manducatio contra spiritualem dividitur, quæ effectum non consequitur ; sicut imperfectum quod non pertingit ad perfectionem speciei, dividitur contra perfectum.

Ad tertium dicendum, quod (sicut supra dictum est) effectus sacramenti potest ab aliquo percipi, si sacramentum habeat in voto, quamvis non accipiat in re. Et ideo sicut aliqui baptizantur in baptismo flaminis propter desiderium baptismi, antequam baptizentur baptismo aquæ ; ita etiam aliqui manducant spiritualiter hoc sacramentum antequam sacramentaliter sumant. Sed hoc contingit dupliciter. Uno modo propter desiderium sumendi ipsum sacramentum, et hoc modo dicuntur baptizari, et manducare spiritualiter : et non sacramentaliter, illi, qui desiderant sumere hæc sacramenta jam instituta. Alio modo propter figuram : sicut dicit Apost. I Corint. 10 : Quod antiqui patres baptizati sunt in nube, et in mari, et quod spiritualem escam manducaverunt, et spiritualem potum biberunt. Nec tamen frustra, adhibetur sacramentalis manducatio : quia plenius inducit sacramenti effectum ipsa sacramenti susceptio, quam solum desiderium : sicut supra circa baptismum dictum est.

Conclusio : *Duo sunt modi sumendi hoc sacramentum : alius imperfectus, in quo tantum sumitur sacramentum, non autem res, sive gratia sacramenti : alius autem perfectus, in quo recipitur, et sacramentum, et etiam res sacramenti.*

Consequenter ad præcedentes quæstiones agit in præsenti D. Thomas de usu sacramenti Eucharistiæ. Nam cum in hoc a cæteris distinguatur, quod est sacramentum permanens, atque antecedens sui usum, sive sumptionem ; oportuit prius agere de ejus essentia, materia, forma ; et effectibus : quibus absolutis succedit ordine optimo consideratio circa illius usum. Et quia usus explicari non valet, nisi respective ad sumentem ; propterea D. Thomas sub usus, aut sumptionis titulo comprehendit etiam plura subjecta, de quibus dubitari poterat, an sint capacia Eucharistiam suscipiendi, ut liquet ex art. 2 et art. 3 et 4 et 9, ubi de diversis susceptoribus disputat. Quare juxta prædictum methodum occurrit

DISPUTATIO XI.

De Eucharistiæ usu, et de illam suscipientibus.

Plurima in hac disputatione occurrunt, quæ pertinent ad Theologiam moralem : plurima etiam, quæ ex dictis in superioribus constant : in quibus proinde curabimus breviter procedere attingendo præcise ad considerationem scholasticam necessaria ; cætera remittentes vel ad alios Auctores practicos, vel ad alia hujus operis loca. Rerum vero hic occurrentium multitudo haud expeditum satis ordinem admittit ; quem tamen ut magis servemus, primo dicemus de subjectis suscipientibus Eucharistiam, et postea de usu, sive sumptione. Sed prius discutere oportet

DUBIUM I.

Quot sint modi sumendi Eucharistiam?

Ordimur disputationem ab isto dubio, non quia notabilem aliquam difficultatem contineat ; sed quia ejus explicatio subsequentibus deserviet, præfigendo scilicet modum determinatum, secundum quem de Eucharistiæ sumptione loquamur. Unde,

cum res ita non multa exposcat, breviter tradetur.

§ UNICUS

Propositæ quæstionis decisio.

Conclusio. 1. Dicendum est Eucharistiam posse sumi duobus modis, nempe realiter, sive in se ipsa, et spiritualiter, sive in voto : et rursus sumptionem realem Eucharistiæ aliam esse perfectam, sive fructuosam, aliam vero imperfectam, et non fructuosam. Veritatem hujus assertionis, his, aut aliis vocibus explicetur, docent communiter Theologi cum D. Th. in præs. art. 1 et 2, quam facile est suadere sola terminorum explicatione. Prima itaque sumptionis divisio declaratur, et suadetur : quia sicut in aliis sacramentis contingit, quod quis dicatur illa sumere, nempe vel re ipsa suscipiendo sacramenta per eorum in propriis materia, et forma applicationem, ut cum quis abluitur ab alio in nomine Patris etc. vel solum in affectu, desiderio, et proposito, ut cum afficitur ad baptismum, et statuit ipsum suscipere, quando possit : et prior sumptio dicitur realis, quia pertingit ad ipsa sacramenta in re : posterior vero dicitur spiritualis, tum contrapositive ad realem, tum quia præcise spiritualiter fit, tum quia consequitur spiritualem aliquem fructum, ut patet in baptismo flaminis : sic etiam Eucharististia potest percipi dupliciter, uno modo recipiendo re ipsa species sacramentales, altero modo in solo affectu, et voto illas suscipendi. Primus itaque modus tam in hoc, quam in aliis sacramentis dicitur realis, sive in re; alter vero dicitur spiritualis, sive in voto. Quam distinctionem tradit D. Thomas in hac quæst. art. 1, ad 3, ubi inquit : « Effectus sacramenti potest ab aliquo percipi, « si sacramentum habeat in voto, quamvis « non accipiat in re. Et ideo sicut aliqui « baptizantur baptismo flaminis propter « desiderium baptismi, antequam baptizentur baptismo aquæ : ita etiam aliqui « manducant spiritualiter hoc sacramentum, antequam sacramentaliter sumant. « Sed hoc contingit dupliciter. Uno modo « propter desiderium sumendi ipsum sacramentum : et hoc modo dicuntur baptizari, et manducare spiritualiter, et non « sacramentaliter illi, qui desiderant sumere hæc sacramenta jam instituta. Alio « modo propter figuram, sicut dicit Apostolus 1, ad Corinth. 10, quod antiqui « Patres baptizati sunt in nube, et in mari, « et quod spiritualem potum biberunt. Nec « tamen frustra adhibetur spiritualis manducatio : quia plenius inducit sacramenti « effectum ipsa sacramenti susceptio, quam « solum desiderium. » Ex quibus liquet dari communionem, sive sumptionem hujus sacramenti tum realem, sive in re, tum spiritualem. Liquet etiam hanc ultimam bipartiri in susceptionem spiritualem hujus sacramenti in desiderio sumendi ipsum, postquam institutum est ; et in susceptionem hujus sacramenti in aliqua ipsius figura, sicut contingebat antiquis manducantibus manna. Cæterum hic secundus modus potest ad priorem sumptionem spiritualem reduci : quia veteres manducantes spiritualiter Christum in aliqua figura, manducabant ipsum aliquo desiderio, et voto saltem implicito. Unde spiritualis susceptio supponit simpliciter pro susceptione in voto. Alios duos modos sumendi spiritualiter hoc sacramentum expendit Soto in 4. dist. 12, quæst. 1, art. 1, ad 3. Sed revera reducuntur ad assignatos, et nihil claritatis afferunt ; quare a nobis omittuntur.

Sumptio realis, et spiritualis — D. Tho. — Nota — Soto.

2. Sed veniamus ad subdivisionem susceptionis realis in eam, quæ dicitur perfecta, sive fructuosa, et in illam, quæ dicitur imperfecta, et non fructuosa. Ad cujus divisionis intelligentiam sufficit ipsa littera D. Thomæ in primo hujus quæstionis articulo, ubi ait : « Dicendum, quod in sumptione hujus sacramenti duo sunt consideranda, scilicet ipsum sacramentum, et « effectus ipsius : de quorum utroque jam « supra dictum est. Perfectus igitur modus « sumendi hoc sacramentum est, quando aliquis ita hoc sacramentum suscipit, quod « percipit ejus effectum. Contingit autem « quandoque, sicut supra dictum est, quod « aliquis impeditur a suscipiendo effectu « hujus sacramenti. Et talis sumptio hujus « sacramenti est imperfecta. Sicut igitur « perfectum contra imperfectum dividitur : « ita sacramentalis manducatio, per quam « sumitur solum sacramentum sine effectu « ipsius, dividitur contra spiritualem manducationem, per quam quis percipit « effectum hujus sacramenti, quo spiritualiter homo Christo conjungitur per fidem, et

Sumptio realis perfecta, imperfecta — D. Th.

« et charitatem. » Unde constat legitimus sensus præmissæ divisionis. Et ulterius constat, quod quando D. Thomas in ultimis verbis sumptionem perfectam, sive fructuosam hujus sacramenti vocat *spiritualem*, non utitur hac voce in significatione superius proposita, videlicet pro sola communione in affectu, aut figura : quippe in hoc primo articulo agit de sumptione reali Eucharistiæ ipso sacramento. Sed vocat *spiritualem* contra mere realem, et sacramentalem, ut liquet tum ex illis verbis : « Per quam quis percipit effectum hujus « sacramenti,quo spiritualiter homo Christo « conjungitur. » Tum ex aliis in resp. ad 2, ubi ait : « Illa sacramentalis mandu« catio contra spiritualem dividitur, quæ « effectum non consequitur : sicut imper« fectum, quod non pertingit ad perfectio« nem speciei, dividitur contra perfec« tum. »

Nota.

Præmissas autem divisiones in modo suscipiendi istud sacramentum docuit breviter,et perspicue Concilium Trident. sess. 13, cap. 8, his verbis: « Quoad usum autem « recte, et sapienter Patres nostri tres ra« tiones hoc sanctum Sacramentum acci« piendi distinxerunt. Quosdam enim « docuerunt sacramentaliter tantum id « sumere, ut peccatores. Alios tantum spi« ritualiter, illos nimirum, qui voto pro« positum illum panem cœlestem edentes « fide viva, quæ per dilectionem operatur, « fructum ejus, et utilitatem sentiunt. Ter« tius porro sacramentaliter, et spiritua« liter : hi autem sunt, qui ita se prius « probant, et instruunt, ut vestem nuptia« lem induti, ad divinam hanc mensam « accedant. » Et eadem manducationum distinctio jam olim tradebatur in can. *Qui discordat*, et can. *Sancta*, et canone *Qui est, de Consecratione* disp. 2. Porro ex prædictarum divisionum membris sola realis, et sacramentalis Eucharistiæ susceptio (sive ea fuerit perfecta, et cum fructu, sive fuerit imperfecta, et sine fructu), est subjectum proprium præsentis disputationis : nam circa sumptionem mere spiritualem nihil grave, quod discutiamus, præsertim cum disp. 3, dub. 1, et 2, dixerimus, quomodo votum hujus sacramenti necessarium sit ad primam hominis justificationem, et ad perseverandum in gratia.

Concil. Trident.

3. Duo tamen dubiola (ne id intactum relinquamus), circa spiritualem hujus sacramenti susceptionem occurrunt. Primum, an in illa conferatur aliqua gratia ex opere operato ; an vera solum ex opere operantis, et cum adæquatione ad operis dignitatem, et exigentiam ? Ad quod respondendum est amplectendo hanc ultimam partem cum Nugno in præs. art. 1, difficult. unica, Prado quæst. 80, dub. 1, n. 10, Suarez disp. 62, sect. 1. Vazquez disp. 212, cap. 1, et aliis Theologis contra unum, aut alterum Juniorem, qui oppositum insinuarunt : quamvis Vazquez dicat se nullum legisse, aut audivisse, qui oppositum docuerit. Ratio autem est satis manifesta : quia causari, aut conferri aliquem effectum ex opere operato, est conferri immediate virtute sacramenti supra meritum, aut dispositionem subjecti, ut explicuimus tract. præced. disp. 4, dub. 1 ; sed ad hoc requiritur realis usus, sive sumptio sacramenti : ergo cum aliquis suscipit Eucharistiam non realiter, sed mere spiritualiter, nec in re, sed præcise in voto, nullam consequitur gratiam ex opere operato, sed præcise ex opere operantis, sive juxta quantitatem meriti, aut dispositionis in tali voto. Idque magis confirmari valet exemplo aliorum sacramentorum : nam licet quis ad illa afficiatur, vel desideret ipsa suscipere ; non propterea recipit majorem gratiam, quam correspondeat merito talis effectus, aut desiderii. Nec dicitur gratia dari per ordinem ad sacramentum, quia detur major gratia ; sed quia datur eadem gratia per ordinem ad sacramentum, illoque concurrente non effective (quod est proprium sacramenti), sed per modum objecti terminantis desiderium, aut votum. Et in hoc sensu procedit D. Thomas in resp. ad. 3, cujus verba dedimus num. 1.

In manducatione spirituali non datur gratia ex opere operato.

Nugnus. Prado. Suarez. Vazq.

4. Secundum dubium est, ad quos pertineat, quod Eucharistiam spiritualiter manducent. Et respondendum est solum hominem viatorem esse subjectum, cui competere possit spiritualis hæc manducatio. Ita D. Thomas, ut statim videbimus. Suarez in comment. ad art. 2, hujus quæst. Prado dub. 2, § 1, et 3, et alii communiter. Probatur ratione : quia spiritualis manducatio consistit in affectu, aut voto suscipiendi Eucharistiam in re : ergo illi tantum possunt Echaristiam spiritualiter manducare, qui suntcapacessuscipiendiEucharistiamin re : sed solus homo viator est hujusmodi : sacramenta quippe non sunt instituta nisi

Spiritualis manducatio non convenit nisi solis hominibus viatoribus.

D. Tho. Suarez. Prado.

pro hominibus viatoribus, ut ex professo ostendimus tract. præced. disp. 3, dub. 6; ergo solus homo viator est subjectum, cui competere possit spiritualis hujus sacramenti manducatio.

Angeli, et Beati non manducant spiritualiter Eucharistiam.

Hinc colligitur primo Angelos, et homines beatos non manducare spiritualiter hoc sacramentum. Ita D. Thomas art. 2 hujus quæst. qui licet verbis non recenseat homines beatos, utitur tamen discursu eos similiter comprehendente: « Dicendum, *inquit*, quod in hoc sacramento continetur « ipse Christus: non quidem in specie propria, sed in specie sacramenti. Dupliciter « ergo contingit manducare spiritualiter « ipsum Christum. Uno modo, prout in « sua specie consistit. Et hoc modo Angeli « manducant spiritualiter ipsum Christum, « in quantum ei uniuntur fruitione charitatis perfectæ, et visione manifesta (quem « panem expectamus in patria), non per « fidem, sicut nos ei hic unimur. Alio « modo contingit spiritualiter manducare « Christum, prout est sub speciebus hujus « sacramenti: in quantum scilicet aliquis « credit in Christum cum desiderio sumendi hoc sacramentum. Et hoc non « solum est manducare spiritualiter Christum, sed etiam spiritualiter manducare « hoc sacramentum: quod con competit « Angelis. Et ideo licet Angeli manducent « spiritualiter Christum: non tamen convenit eis spiritualiter manducare hoc « sacramentum. » Qui discursus æqualiter probat in animabus, et hominibus beatis, ut ex se liquet: quia omnes beati manducant spiritualiter Christum in propria specie, in quantum ei uniuntur manifesta visione, et charitate fruitiva. Unde in eodem sensu in resp. ad 2: « Ad societatem « corporis mystici pertinent quidem et « homines, et Angeli. Sed homines (*intellige, viatores*) per fidem; Angeli autem « per manifestam visionem. Sacramenta « autem proportionantur fidei, per quam « veritas videtur in speculo, et ænigmate. « Et ideo proprie loquendo non Angelis, « sed hominibus (intellige, viatores), convenit manducare spiritualiter hoc sacramentum. »

D. Tho.

Objectio

Nec refert, si opponas illud Ps. 77: *Panem Angelorum manducavit homo*: quod Glossa exponit de corpore Christi. Unde consequens videtur, quod Angeli manducent panem Eucharisticum, si non sacramentaliter, saltem spiritualiter. Nam objectionem diluit, et eum locum præclare exponit D. Thom. his verbis: « Ad primum dicendum, quod sumptio Christi « sub hoc sacramento ordinatur ad fruitionem patriæ sicut ad finem eo modo, « quo Angeli eo fruuntur. Et quia ea, quæ « sunt ad finem, derivantur a fine: inde « est, quod ista manducatio Christi, qua « eum sumimus sub sacramento, quodammodo derivatur ab illa manducatione, « qua Angeli fruuntur Deo in patria. Et « ideo dicitur homo manducare panem Angelorum: quia primo, et principaliter « est Angelorum (*idem intellige de aliis « beatis*), qui eo fruuntur in specie propria: secundario autem est hominum « (*nempe viatorum*) qui Christum sub sacramento accipiunt. » Adde locum illum intelligi ad litteram immediate de manna, quod formabatur ministerio Angelorum in cœlo aereo pro Hebræorum sustentatione, ut exponunt D. Basilius, Theodoretus, Arnobius, Lyra, et alii communiter. In quo sensu cessat objectio. Sed cessat etiam juxta responsionem D. Thomæ, admissa alia intelligentia Glossæ desumptæ ex D. Hieronymo, Euthimio, Cassiodoro, et aliis, qua utitur Ecclesia in solemnitate Corporis Christi.

Solutio ex D. Tho.

Aliquorum opinio circa animas Purgatorii.

5. Colligitur secundo animas existentes in Purgatorio non manducare spiritualiter Eucharistiam, saltem proprie intra lineam manducationis spiritualis. Oppositum hujus consectarii docuerunt Nicolaus Cabasilas in expositione *Liturgiæ*. Valverde *in Apologetico pro purgatorio igne*, et Thomas Hurtado tom. 2 *Variar.* tract. ult. resolut. 11, § 9. Sed nostra resolutio est communis, et probatur proposito jam fundamento, quod denuo roboratur ex D. Thom. in 4, dist. 9, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 4, ubi ait: « Manducat spiritualiter Christum, qui « fidem, et charitatem ad ipsum habet, « sine ordine ad hoc sacramentum. Non « manducat talis spiritualiter hoc sacramentum: sed solum ille, qui habet fidem, « et charitatem ad Christum, cum devotione, et proposito sumendi hoc sacramentum, etiam si sacramentaliter non « manducet. » Unde arguitur: ille manducat spiritualiter sacramentum Eucharistiæ, qui habet propositum, votum, aut desiderium illud suscipiendi: sed nihil horum datur in animabus Purgatorii: ergo nec

Cabasi. Valver. Hurtado

Refellitur ex D. Tho.

spiritualis

spiritualis hujus sacramenti manducatio. Minor suadetur : quia tales animæ non sunt in statu illud sumendi realiter, et sacramentaliter; cum institutum fuerit pro solis hominibus viatoribus, sive existentibus in carne mortali : ergo animæ in Purgatorio existentes nequeunt concipere desiderium, sive propositum suscipiendi Eucharistiam in re, sicut de Angelis, et de hominibus beatis proportionalibiliter dicebamus. Quod si pro eludendis his motivis fiat recursus ad quosdam affectus conditionatos sumendi Eucharistiam, si possent ; ille facile præcidetur : tum quia sumptio spiritualis proprie dicta non consistit in simili affectu conditionato, sed in desiderio, et proposito absolutis : tum quia omnia subjecta, de quibus diximus, in eo statu sunt, in quo non afficiuntur ad ea, quæ recognoscunt impossibilia secundum prædictum statum ; sed alios affectus simpliciter absolutos, et illi statui non repugnantes exercent. Quin vanum apparet in illis conditionatis detineri, qui alios actus nobiliores, et absolutos exercere possunt.

Præciditur fuga.

Observatio.

Diximus prædictas animas non manducare spiritualiter Eucharistiam, « saltem « proprie intra lineam manducationis spi- « ritualis : » quia minus proprie loquendo dici valet, quod habent desiderium Eucharistiæ. Primo, quia desiderant, quod pro ipsis offeratur in sacrificio Missæ : nam illis multum prodest, ut citius purgentur. Secundo quia desiderant etiam, quod laici pro ipsis communicent : quia talis sumptio non infime illas adjuvat, ut vidimus disp. præced. dub, ult. Sed id non est appetere sumptionem Eucharistiæ in se, et prout ab ipsis exercendam : quod tamen ad spiritualem manducationem proprie dictam requirebatur : alii enim affectus proxime explicati solum respiciunt illam indirecte, et prout ab aliis.

DUBIUM II.

Quod sit subjectum capax suscipiendi sacramentaliter Eucharistiam ?

Expediti jam a modo manducationis mere spiritualis, qui ad præsentem considerationem non multum refert, procedimus ad agendum de altero modo, videlicet de sumptione sacramentali. Et prima difficultas occurrit circa subjectum capax illius. Cum autem sumptio sacramentalis sit duplex; alia, quæ solum suscipit sacramentum sine re, aut fructu sacramenti, quæ dicitur imperfecta ; et alia, quæ suscipit non solum sacramentum, sed etiam ejus gratiam, et fructum : principalior in proposita difficultate consideratio magis dirigitur ad sumptionem sacramentalem secundum se, et præcisive ab effectu : quamvis ex consequenti se extendat ad communionem ut fructuosam. Et rursus sumptio sacramentalis potest talis dici dupliciter, nempe tam ex parte principii, quam termini, ut cum non solum sumitur sacramentum, sed sumitur a potente mediate vel immediate cognoscere rationem sacramenti, quod suscipit : qui enim aliter sumit, suscipit quidem sacramentum, sed tamen non suscipit ex parte sua modo sacramentali, ut infra videbimus ex D. Thom. His suppositis, oportet generalem regulam circa quæstionem propositam statuere.

§ I.

Resolutio difficultatis.

Conclusio.

6. Dicendum est subjectum capax suscipiendi sacramentaliter Eucharistiam esse omnem, et solum hominem viatorem, et baptizatum : qui si in statu gratiæ existat, erit etiam subjectum capax susceptionis sacramentalis fructuosæ, sive perfectæ. Conclusio hæc est communis apud Theologos, ut ex dicendis constabit. Et secunda ejus pars patet ex prima, suppositis supra dictis disp. præced. dub. 2, ubi statuimus, quod pro suscipiendo effectu hujus sacramenti non requiritur (aliis conditionibus essentialibus concurrentibus), alia dispositio, quam status gratiæ : ergo supposito, quod subjectum capax susceptionis sacramentalis Eucharistiæ secundum se sit homo viator, et baptizatus : liquido infertur eundem hominem existentem in statu gratiæ esse subjectum capax susceptionis sacramentalis, et fructuosæ Eucharistiæ.

Fundamentum.

Prior autem ejusdem assertionis pars ostenditur : nam in primis sacramenta nostra, cum sint signa sensibilia, et protestativa fidei, pro solis hominibus viatoribus instituta sunt : hi enim tantum, et non alia subjecta, queunt sensibiliter cognoscere, et ambulare per fidem, ut ex professo ostendimus tract. præced. disp.

3, fere per totam, et præsertim dub. 6 : ergo solus homo viator est capax suscipiendi sacramentaliter Eucharistiam. Deinde baptismus est primum sacramentum ordine generationis, et quòd januam aperit ad reliqua suscipienda, ut diximus in eodem tract. disp. 9, dub. 2, § 1 : ergo ut homo suscipiat sacramentaliter Eucharistiam, debet esse baptizatus. Unde concluditur solum hominem viatorem, et baptizatum esse subjectum capax prædictæ susceptionis Quod vero prædictæ conditiones sufficiant, constat tum exemplo aliorum sacramentorum, quæ cum illas supponunt, valide suscipiuntur. Tum etiam quia si aliqua desideretur, maxime status gratiæ : hic autem licet necessarius sit ad suscipiendum sacramenti effectum, nempe gratiam nutrientem ; non tamen ad solam, et veram susceptionem sacramentalem, quæ a fructuosa et non fructuosa præscindit, ut liquet in aliis sacramentis, quorum simpliciter valor salvatur præcisive a fructu, sive effectu : ergo ut homo possit suscipere sacramentaliter Eucharistiam, sufficit, quod sit viator, et baptizatus. In quo non oportet plus immorari : quia ex immediate dicendis evidentius constabit.

§ II.

Plura ejusdem resolutionis consectaria.

Corrollarium 1. 7. Ex præmissa autem assertione plura colliguntur. Primo Angelos, et animas separatas non posse suscipere sacramentaliter Eucharistiam. Tum quia non sunt homines, neque existunt in statu viæ. Tum quia nequeunt manducare spiritualiter sacramentum Eucharistiæ ut dub. præced. vidimus : ergo multo minus possunt Eucharistiam sacramentaliter suscipere.

Corrollarium 2. 8. Colligitur secundo bruta, licet comedant species sacramentales, non suscipere sacramentaliter Eucharistiam. Patet ex motivis num. præced. propositis, quæ a fortiori militant in brutis. Sed insuper illustratur doctrina D. Thomæ in præs. art. 3 ad 3, ubi sequentia tradit observatione digna : « Dicendum, quod etiam si « mus, vel canis hostiam consecratam « manducet, substantia corporis Christi « non desinit esse sub speciebus, quandiu « species illæ manent : hoc est, quandiu « substantia panis manet, sicut etiam si « projicerentur in lutum. Nec hoc vergit in « detrimentum dignitatis corporis Christi, « qui voluit a peccatoribus crucifigi absque « diminutione suæ dignitatis : præsertim « cum mus, aut canis non tangat ipsum « corpus Christi secundum propriam spe- « ciem, sed solum secundum species sacra- « mentales. Quidam autem dixerunt, quod « statim cum sacramentum tangitur a « mure, vel cane, desinit esse ibi corpus « Christi. Quod etiam derogat veritati sa- « cramenti sicut supra dictum est. Nec « tamen dicendum est, quod animal bru- « tum sacramentaliter corpus Christi man- « ducet : quia non est natum uti eo ut sa- « cramento. Unde non sacramentaliter, « sed per accidens corpus Christi man- « ducat : sicut manducaret ille, qui sume- « ret hostiam consecratam nesciens eam « esse consecratam. Et quia id, quod est « per accidens non cadit in divisione ali- « cujus generis : ideo hic modus mandu- « candi corpus Christi non ponitur tertius « præter sacramentalem, et spiritualem. »

D. Tho.

9. Infertur tertio hominem non baptizatum, sive careat fide, sive fidem habeat, non esse subjectum capax recipiendi sacramentaliter Eucharistiam. Ratio constat ex dictis : quia baptismus est primum omnium sacramentorum ordine generationis, et janua ad illorum susceptionem. Et confirmatur probando magis specialiter secundam corollarii partem : nam si aliquis non baptizatus posset suscipere sacramentaliter Eucharistiam, maxime qui antecedenter ad baptismum fluminis esset baptizatus baptismo flaminis per amorem charitatis, et fidem formatum, ut solet contingere in aliquibus cathecumenis : sed nec isti suscipere valent sacramentaliter Eucharistiam : unde non legimus, nec audivimus, quod Ecclesia aliquando Eucharistiam cathecumenis ministraverit : ergo nullus homo non baptizatus potest suscipere sacramentaliter Eucharistiam. Et ita contra Marsilium, qui significavit cathecumenum in casu necessitatis posse Eucharistiam suscipere, docent omnes Theologi, ut testatur Suarez disp. 62, sect. 3. Videatur D. Thom. supra quæst. 12, art. 6, ubi probat neminem posse recipere sacramentum confirmationis, nisi prius receperit sacramentum baptismi : quia « confirmatio ita ad baptismum comparatur, sicut augmentum ad generationem :

Corollarium 3.

Suarez. D. Tho.

« nem : et manifestum est, quod nullus « potest promoveri in ætatem perfectam, « nisi prius fuerit natus. » Quod motivum æqualiter procedit in Eucharistia : quia prius quis debet spiritualiter generari in baptismo, quam suscipere sacramentum Eucharistiæ, quod ordinatur ad spiritualem nutritionem.

Objectio Nec huic communi doctrinæ opponitur Innocentius Tertius in cap. 3, *de Presbytero non baptizato*, ubi significat eum, qui est baptizatus baptismo flaminis, posse Eucharistiam suscipere. « Cum illud, *inquit*, non sit generaliter verum neque « de novis, nec de veteribus sacramentis, « quod baptismus sit fundamentum il- « lorum : quoniam et sacramentum con- « jugii, et Eucharistia a non baptizatis « recipi potest ; » videlicet a cathecumenis baptizatis baptismo fluminis, ut explicat Glossa ibid. n. 1. Non, inquam, opponitur Pontifex : quia ea verba protulit disputando adductis hinc inde rationibus, quas non oportet omnes esse veras, aut concludentes. Sed simpliciter tamen concludit reliqua sacramenta ante baptismum non esse valida. Potest etiam exponi, quod loquatur de sumptione non sacramentali, sed mere materiali Eucharistiæ : sicut dicit, quod homines ante baptismum sunt capaces conjugii : id vero nemo admittit de matrimonio in esse sacramenti, sed materialiter in ratione cujusdam contractus. An autem cathecumenus possit sumere saltem spiritualiter Eucharistiam ; quæstio est minoris momenti. Ad quam respondetur affirmative cum N. Francisco cap. 7, punct. 1, n. 2, quoniam cathecumenus potest esse in statu gratiæ, et affici ad Eucharistiam illo desiderio, aut voto, ut baptismo suscepto illam suscipiat : quod pro communione spirituali satis apparet juxta doctrinam dub. præced. traditam.

Inno. III — Glossa. — Dispellitur. — N. Fran-

10. Quarto colligitur peccatores baptizatos posse suscipere sacramentaliter Eucharistiam. Ratio est : quia in hujusmodi subjecto concurrunt omnes conditiones ad susceptionem sacramentalem requisitæ, nempe esse hominem, et viatorem et baptizatum. Sed rem magis ex professo demonstrat D. Thomas in præs. art. 3, tum in arg. *sed contra*, ubi ait : « Super illud Joan. 6. Pa- « tres vestri manducaverunt manna in de- « serto, et mortui sunt, dicit Augustinus : « Multi de altari accipiunt, et accipiendo « moriuntur : unde dicit Apost. Judicium « sibi manducat, et bibit. Sed non moriun- « tur sumendo, nisi peccatores. Ergo pec- « catores corpus Christi sacramentaliter « manducant. » Tum in corp. art. ubi inquit : « Dicendum, quod circa hoc quidam « antiqui erraverunt dicentes, quod cor- « pus Christi nec etiam sacramentaliter a « peccatoribus sumitur ; sed quam cito la- « biis peccatoris contingitur, tam cito sub « speciebus sacramentalibus desinit esse « corpus Christi. Sed hoc est erroneum : « derogat enim veritati hujus sacramenti, « ad quam pertinet, sicut supra dictum « est, quod manentibus speciebus corpus « Christi sub eis esse non desinat. Species « autem manent, quandiu substantia panis « maneret, ut supra dictum est. Manifes- « tum est autem, quod substantia panis « assumpta a peccatore non statim esse « desinit ; sed manet, quandiu per calo- « rem naturalem digeratur. Unde tandiu « corpus Christi sub speciebus sacramen- « talibus manet a peccatoribus sumptis. « Unde dicendum est, quod peccator sa- « cramentaliter corpus Christi manducare « potest, et non solum justus. »

Quartum corollarium. — D. Tho.

Nec refert, si opponas posse dari peccatorem baptizatum, qui non habeat fidem, nec illam unquam habuerit : sed hic non potest suscipere sacramentaliter Eucharistiam : quippe quæ in sui consecratione appellatur mysterium fidei : ergo falsum est omnes peccatores baptizatos posse Eucharistiam sacramentaliter suscipere. Id, inquam, non refert, sed diluitur in primis negando suppositum consequentis : nos enim non asseruimus omnes peccatores baptizatos posse suscipere sacramentaliter Eucharistiam : sed indefinite diximus posse peccatores baptizatos etc. per quod præcise significavimus statum peccati in baptizatis non impedire, suppositis aliis conditionibus, quod susceptio Eucharistiæ sacramentalis sit. Sed si dentur aliqui baptizati ignorantes omnino mysterium, et comedentes sine discretione Eucharistiam ut alium panem communem ; ab istis facta sumptio non est sacramentalis, sed materialis, et per accidens, sicut in comestione Eucharistiæ per animalia bruta contingere diximus num. 8. Diluitur secundo negando minorem : quia fieri valet, ut baptizatus, qui fidem nec habet, nec habuit, cognoscat aliqua ratione mysterium Eucharistiæ, et alia

Objectio. — Responsio. — Alia responsio.

suscipiat intentionem faciendi, quod fieri a Christianis videt. In quo casu dicendum est, quod exequitur sumptionem sacramentalem : nec ullum occurrit motivum, ut id negemus; licet enim suscipiens sit infidelis, suscipit tamen illud, quod est objective mysterium fidei propter occultum modum continendi Christum, et gratiam. Quæ responsio quoad utramque partem est D. Thomæ loco cit. in resp. ad 2, ubi ait : « Dicendum, quod etiam si infi-« delis sumat species sacramentales, cor-« pus Christi sub sacramento sumit. Unde « manducat Christum sacramentaliter, si « ly *sacramentaliter* determinat verbum ex « parte manducati. Si autem ex parte « manducantis; tunc proprie loquendo « non manducat sacramentaliter : quia « non utitur eo, quod accipit ut sacra-« mento, sed ut simplici cibo. Nisi forte « infidelis intenderet recipere illud, quod « Ecclesia confert; licet non haberet fidem « veram circa alios articulos, vel etiam « circa hoc sacramentum. » Et hæc omnia, quæ in isto consectario diximus, solum procedunt respective ad valorem susceptionis sacramentalis præcisive a fructu; quidquid fuerit de peccato indignæ sumptionis, propter oppositionem ad rem sacramenti. Supponimus enim ex dictis disp. præced. dub. 3, quod pro consequendo effectum Eucharistiæ requiritur status gratiæ : idque magis constabit ex dicendis dub. seq. ubi agemus de impedientibus hujus sacramenti sumptionem.

D. Tho.

Quintum corollarium.

11. Sequitur quinto infantes (ita nunc vocamus omnes, qui propter defectum ætatis carent usu rationis), si baptizati sint, posse Eucharistiam suscipere tam sacramentaliter, quam spiritualiter, sive cum fructu. Prima hujus corollarii pars conceditur ab omnibus, et facile deducitur ex communi regula § 1 proposita : quia tales sunt homines viatores baptizati. Et quod careant usu rationis, non obstat : quia sufficit eis consensus interpretativus, et per alios sicut et in susceptione baptismi. Cujus oppositum contingit in adultis, quoniam sunt liberi, et proprii consensus capaces. Secundam vero partem (quæ a fortiori priorem confirmat), negarunt Alensis, Major, Gabriel, Cajetanus, et alii apud Pradum in hac quæst. dub. 12, § 5, num. 30. Sed eam docent communiter Theologi, Victoria, Martinus de Ledesma, Petrus de Ledesma, Nugnus, et Serra, quos refert, et sequitur idem Prado loco cit. Suarez, Vazquez, Coninckus, Castro Palao, Layman, et alii, quibus relatis subscribit N. Franciscus cap. 7, punct. 1, num. 6, Gonet disp. 9, art. 2, num. 48, et alii. Probatur ratione : quia sacramentum valide receptum confert suum effectum subjecto recte disposito : atqui dispositio pro suscipiendo effectu sacramenti Eucharistiæ non est necessario aliquis actus, sed sufficit status gratiæ habitualis, ut diximus disp. præcedenti dub. 3 ; ergo cum infantes habeant hujusmodi dispositionem, sequitur, quod cum recipiunt Eucharistiam, recipiunt illam non solum sacramentaliter, sed etiam spiritualiter, sive fructuose, et cum augmento gratiæ.

Prado. N. Fran. Gonet.

Ratio.

Confirmatur urgenter ex usu primitivæ Ecclesiæ, quæ consuevit infantibus post baptismum Eucharistiam conferre, ut constat ex D. Dionysio *de Ecclesiast. Hierarch.* cap. ult, D. Cypriano in serm. *de lapsis* a num. 89. D. Augustino epist. 23, *ad Bonifacium*. D. Paulino epist. 12, D. Gregorio Magno *in ejus Missali veteri*, D. Leone epist. 22, Evagrio lib. 4 Histor. cap. 35, Nicephoro lib. 16, Histor. cap. 25, Alcuino cap. *de Sabbatho Sancto Paschæ*, et aliis. Cujus consuetudinis cum meminisset Concilium Tridentinum (post Toletanum 11, can. 11), illam minime reprobavit, quin potius dixit Patres antiquos habuisse probabilem ejus consuetudinis causam, ut statim constabit referendo integrum locum Concilii. Si autem Eucharistia non conferret infantibus proprium gratiæ effectum, talis consuetudo, omnino reprobari, atque damnari deberet tanquam superstitiosa : quia illicitum ab intrinseco est conferre sacramentum subjecto, in quo effectum habere non possit. Ergo fateri necesse est, quod Eucharistia infantibus data causat in eisdem fructum, seu gratiæ augmentum.

Roboratur.

D. Dion. D. Cyp. D. Aug. D. Paul. D. Greg. D. Leo. Evag. Nicep. Alcuin. Concil. Trident. Concil. Tolet. II

Nec refert, si opponatur hinc sequi, quod Ecclesia injuste prohibuerit hanc in infantibus communionem : siquidem privat illos gratia, quam suscipiendo Eucharistiam percipere possent : quod tamen dicere est absurdum. Nam respondetur negando sequelam : quia talis gratia non est parvulis ad salutem necessaria : et ex alia parte non possent plures erga sacramentum indecentiæ communiter evitari. Unde sicut ob hæc motiva Ecclesia prohibuit rationabiliter

Objectio.

Solutio.

sæcularium

sæcularium communionem in calice, ut videbimus dub. 6, sic etiam mandare potuit, ne infantibus Eucharistia porrigatur: de quo mandato constat per præsentem, et universalem Ecclesiæ consuetudinem, secundum quam nulli infanti datur Eucharistia. Unde Concil: Trid. sess. 21, cap. 4, inquit : « Denique eadem sancta Synodus « docet parvulos usu rationis carentes « nulla obligari necessitate ad sacramen- « talem Eucharistiæ communionem ; si- « quidem per baptismi lavacrum regene- « rati, et Christo incorporati, adeptam « jam filiorum Dei gratiam in illa ætate « amittere non possunt. Neque ideo tamen « damnanda est antiquitas, si eum morem « in quibusdam locis aliquando servavit. « Ut enim Sanctissimi illi Patres sui facti « probabilem causam pro illius temporis « ratione habuerunt : ita certe eos nulla « salutis necessitate id fecisse, sine contro- « versia credendum est. » Juxta quam doctrinam tenendum est, quod si sacerdos nunc conferret Eucharistiam infanti, sacerdos quidem peccaret mortaliter; sed tamen infans augmentum gratiæ consequeretur. Ita observant Victoria, Bellarminus, Granados, et alii communiter apud Pradum dub. 12, num, 38, et N. Franciscum loco cit. num. 7. Primum constat : quia sacerdos ita agens se opponeret usui Ecclesiæ in re gravissima. Secundum etiam liquet : quia Ecclesiæ dispositio nihil diminuit de virtute sacramenti : istud autem operatur per modum causæ naturalis, nempe quantum potest : et infantes non sunt modo minus capaces, quam olim : ergo sicut olim recipiebant Eucharistiam communione non solum sacramentali, sed etiam fuctuosa; ita et nunc reciperent, si eisdem conferretur.

Concil. Trident. — Nota.

12. Unde fit (et sit sextum corollarium,) idem dicendum esse de pueris pervenientibus ad usum rationis. Possunt enim suscipere Eucharistiam tam sacramentaliter, quam fructuose, ut motiva, quæ pro infantibus expendimus, in his a fortiori convincunt. Sed interest discriminis inter istos, et illos, quod infantibus in nullo casu est conferenda Eucharistia : quia nullo modo est eis necessaria. Sed pueris habentibus ætatem discretionis porrigenda est ex obligatione in mortis articulo: quia potest eisdem esse non solum utilis, sed etiam necessaria, si forte commiserint aliquod peccatum grave, quod non cognoscant, et habeant attritionem supernaturalem saltem in communi, juxta doctrinam traditam disput. præced. dub. 1, § 6, ut cum Suarez, et aliis recte observat N. Franciscus capite cit. num. 15. Sed præter illum articulum potest Eucharistia pueris concedi citius, aut serius, et magis, aut minus frequenter juxta probatam eorum capacitatem secundum prudentis confessarii judicium, qui in his omnibus maxime attendere debet ad debitam tanto sacramento reverentiam. Unde D. Thomas in hac quæst. artic. 9 ad 3, postquam statuit, quod infantibus non est danda communio, subdidit : « Sed quando jam pueri incipiunt « aliqualem usum rationis habere, ut pos- « sint devotionem concipere hujus sacra- « menti, tunc potest eis hoc sacramentum « conferri. » Quin Joannes Sanctius tota disput. 26, et alii pauci docent pueros habentes usum rationis statim obligari ad communionem ; nec posse excusari ab obligatione communionis annuæ nisi ex confessoris consilio; sed eodem modo obligari lege ecclesiastica ad confessionem, et communionem. Cæterum ea sententia communiter rejicitur, et merito : quia lex ecclesiastica optime declaratur per communem praxim Ecclesiæ, quæ pueros ad communionem annuam non compellit : quin potius in usu habet, et ipso usu consulit, ut pueri prius longo tempore recipiant sacramentum Pœnitentiæ, in eoque exerceantur ; quam suscipiant Eucharistiam. De quo videndi sunt Soto in 4, distinctione 12, quæstione 1, artic. 14, Suarez disp. 70, sect. 1, Dicastillo disput. 10, dub. 5, et alii communiter. Quo autem determinato ætatis anno pueri censeantur sufficientem discretionem habere ad suscipiendum Euchatistiam non possumus signate diffinire : dependet enim ex diversa puerorum complexione, et ingenio, et magna ex parte a diversa illorum educatione, et instructione. Sed id relinquendum est prudentis confessarii judicio, ut communiter fit.

Sextum corollarium. — N. Fran. — D. Th. — Joannes Sanchez refellitur. — Soto. Suarez. Dicast.

13. Sequitur septimo, quid dicendum sit de amentibus ; seu fatuis. Nam si eorum vitium est perpetuum, ita quod nunquam usum rationis habuerunt, eodem modo de illis, ac de infantibus judicandum est : quare nec in vita, nec in articulo mortis danda est illis Eucharistia. Si autem conferretur, illam susciperent non solum sacramentali-

Septimum corollarium.

ter, sed etiam fructuose, ut de infantibus proxime dicebamus. Idem enim occurrit fundamentum omnibus his commune. Si autem modo fatui habuerunt aliquando usum rationis, et ostenderunt signa devotionis erga hoc sacramentum, et incidant in periculum mortis, Eucharistia tunc illis porrigenda est, secluso tamen periculo vomitus, expuitionis, vel alterius indecentiæ. Et hæc est communis sententia Theologorum, quos prolixe recenset N. Franciscus loco cit. num. 9. Et ratio est : quia ex una parte isti amentes censentur habere voluntatem saltem virtualem, et interpretativam communicandi ; et ex alia communio potest esse illis non solum utilis, sed necessaria, ut de pueris censtitutis in eodem articulo dicebamus num. præced. Quæ est doctrina D. Thomæ art. 9, hujus quæstionis ubi ait : « Alio modo dicuntur aliqui « non habere totaliter usum rationis. Aut « igitur nunquam habuerunt usum rationis, sed sic a nativitate permanserunt. « Et sic talibus non est hoc sacramentum « exhibendum : quia in eis nullo modo « præcessit hujus sacramenti devotio. Aut « non semper caruerunt usu rationis : et « tunc si prius quando erant compotes suæ « mentis, apparuit in eis devotio hujus sa- « cramenti, debet eis in articulo mortis « hoc sacramentum exhiberi; nisi forte « timeatur periculum mortis, vel expui- « tionis. Unde in Concilio Carthaginensi « legitur (et habetur in Decret. 26, quæst. « 2) : Is, qui pœnitentiam in infirmitate « petit, si casu dum ad eum sacerdos invi- « tatus venit, oppressus infirmitate ob- « mutuerit, vel in phrænesim conversus « fuerit, dent testimonium, qui eum au- « dierunt, et accipiat pœnitentiam. Et si « continuo creditur moriturus, reconcilie- « tur per manus impositionem, et infun- « datur ori ejus Eucharistia. » Similia ordinantur in Catechismo Rom. nu. 49, et in Rituali Pauli V, tit. *de Eucharistia*.

N. Fran. — Tho. — Catech. — Rituale.

Appendix ejusdem corollarii. — D. Tho.

De semifatuis, (inter quos aliqui computant Indos præsertim recenter conversos propter eorum stoliditatem, et debilem capacitatem rerum fidei ; quod an verum sit, Missionarii viderint), hæc habet D. Tho. loc. cit. « Dicendum, quod aliqui dicuntur non « habere usum rationis dupliciter. Uno « modo, quia habent debilem usum ratio- « nis : sicut dicitur non videns, qui male « videt. Et quia tales possunt aliquam de- « votionem hujus sacramenti concipere, « non est eis hoc sacramentum denegan- « dum. » Idque confirmatur : quia prædicti sunt capaces peccandi : ergo oportet fateri, quod habent capacitatem, et jus suscipiendi remedia contra peccatum : inter quæ computatur sacramentum Eucharistiæ. Unde Joan. Sanctius disp. cit. concludit his posse, et debere conferri Eucharistiam, non solum in articulo mortis, sed etiam quoties rationabiliter petunt. Verum enimvero et D. Thomæ doctrina, et hujus Auctoris resolutio prudenter accipienda sunt. Nam in semifatuis datur magna latitudo : quidam enim sunt magis capaces tam doli, quam devotionis ; quidam vero minus, et de quibusdam dubitatur, an aliquem usum rationis habeant, ut ipsa experientia liquet. Unde semifatui multum assimilantur pueris attingentibus illam ætatem, quæ communiter censetur ad usum aliquem rationis sufficere : videmus enim magnam esse illorum inæqualitatem in discretione, ut num. præced. insinuavimus. Quare censemus idem proportionabiliter judicium de perpetuo semifatuis, ac de pueris illis formandum esse. Et in eodem sensu intelligimus D. Thomam nempe Eucharistiam non esse denegandam semifatuis in mortis articulo : quia ex una parte possunt habere sufficientem devotionem ; et ex alia parte contingere valet, quod Eucharistia sit eis non tantum utilis, sed necessaria, ut in simili supra expendimus. Quod vero dicit Sanctius his ministrandam esse Eucharistiam, quoties eam rationabiliter petunt; verum quidem est : sed tamen ipsi non petunt rationabiliter toties, quoties petunt, ut ille tandem concludere videtur. Sed judicium de rationabili petitione relinquendum in his, sicut in pueris est, confessarii prudentis arbitrio, et eorum informationi, qui cum semifatuis vivunt, et eorum actiones observant . haberi enim in his omnibus debet non sola utilitas, sed summa etiam erga sacramentum reverentia. Unde alii Theologi cum majori moderatione procedunt : aliqui enim censent sufficere quod semifatuis ab hac vita discessuris detur Eucharistia ; alii, quod detur semel in singulis annis; alii, quod detur aliquoties, ut videri potest apud Pradum loc. cit. n. 13. At nostro judicio nulla regula in communi assignari potest propter magnam diversitatem inter semifatuos,

Sanctius — Nota contra Sanctium.

semifatuos, et semifatuos, et ejusdem semifatuitatis intervalla. Unde hæc relinquenda censemus confessariorum, et parachorum prudentiæ attendentium ad omnes circumstantias occurrentes.

Octavum corollarium. 14. Octavo colligitur surdos, et mutos a nativitate esse capaces suscipiendi sacramentaliter Eucharistiam : nam possunt esse homines viatores baptizati : quo nihil amplius pro valida susceptione requiri supra generaliter statuimus. Sed quod ad fructuosam, ac perinde licitam hujus sacramenti ministrationem, et sumptionem pertinet, aliqui prædictos mutos, et surdos in classe fatuorum constituunt, et eodem modo, ac de istis censent. Ita Isambertus in præs. quæst. disp, 4, art. 2, et Bauny tom. 1, tract. 5, tit. *de suscipienibus*, q. 5, addens oppositum non videri probabile. Moventur primo : quia surdus, et mutus a nativitate non præsumitur habere intellectuum ; sed comparatur mortuo, et mente capto, ut constat ex Leg. *Servo invito*. §. *Si pupillo*, ff. *ad Trebel. ley. Jubemus Cod. de testament.* et cum pluribus notat Mascardus *de probat.* conclus. 1079; constat autem nec mortuis, nec mente captis a nativitate posse licite conferri Eucharistiam, ut diximus num. præced. ergo illicitum est Eucharistiam præbere mutis, et surdis a nativitate. Moventur secundo : quoniam ad licitam hujus sacramenti ministrationem, et susceptionem debet suscipiens habere fidem illius : sed muti, et surdi a nativitate nequeunt habere fidem hujus mysterii ; siquidem fides est ex auditu, et necessario exigit propositionem, et explicationem mysteriorum : ergo prædictis nequit licite administrari Eucharistia.

Sententia Isamberti et Bauny.

Exploditur. Cæterum ea sententia in ea universalitate, qua procedit, est singularis, et valde falsa. Tum quia opponitur torrenti Theologorum communiter docentium surdos, et mutos a nativitate non fore ex vi hujus excludendos a participatione Eucharistiæ. Tum etiam quia motiva, quibus utitur, æqualiter excludunt prædictos homines ab usu aliorum sacramentorum : et tamen Ecclesia illos admittit ad celebrationem matrimonii. Tum præterea quia muti, et surdi a nativitate capaces sunt peccandi, ut experientia liquet : ergo ad suavem, et communem Dei providentiam pertinet illam discretionem eis conferre, ut possint sacramenta suscipere, et circa illorum fidem instrui : præsertim cum circa actum charitatis, aut contritionis (quo alias justificari possent), occurrat eadem difficultas : unde contraria sententia desperationem introducit de horum hominum salute. Tum denique, quia motiva, quibus innititur, haud obscure expediuntur. Nam ad primum respondetur eam comparationem tenere in foro civili, et quantum ad civiles actiones, et in dubio, an aliqui muti habeant usum rationis : secus vero in foro interiori, et Ecclesiastico, quando ex signis constat illos habere intellectum, ut in matrimonio muti juxta communem Ecclesiæ usum contingit. Præsertim cum in dubio possimus censere in favorem animarum, pro quarum bono instituta sunt sacramenta. Ad secundum dicendum est, quod licet muti, et surdi nequeant instrui circa hujus, vel aliorum mysteriorum fidem per verba, quæ audiant; possunt tamen instrui per verba, quæ legant, et per alia signa, quæ videant : unde experientia compertum est istorum non paucos pollere ingenio, et multa explicatu difficilia percipere, atque aliis manifestare, ut bene observat Sanchez lib. 4, *de matrimonio* disp. 8, num. 12, Quare universaliter negari non debet, quod muti, et surdi a nativitate possint istud, et alia sacramenta licite, ac fructuose suscipere. Videantur Marchantius tract. 4, cap. 3, quæst. 1, casu 4, Castro Palao tom. 4, tract. 21, disp. unica, puncto 10, Hieronymus Garcia *in Summa*, tract. 3, difficult. 4, dub. 2, punct. 2, Diana 5 part. tract. 6, resolut. 6, Prado dub. 12, § 3, Pasqualigus disp. 110, sect. 4, et alii communiter apud istos. Diximus tamen *universaliter*, aut, *in ea universalitate* etc. quia non dubitamus dari aliquos surdos, et mutos a nativitate, qui cum ob stoliditatem, cum ob defectum instructionis tanquam amentes, et saltem semifatui reputari debent, præsertim in ordine ad sacra, quæ fidem exigunt. Quare de istis idem judicium fieri debet, ac de infantibus, et de fatuis, vel ad summum de semifatuis juxta resolutiones supra propositas, et prout nulla, vel aliqua signa, quæ capacitatis, et fidei dederint. Et hæc relinquenda sunt prudentum arbitrio : quia pendent ex singularibus in actu exercito occurrentibus.

Dissolvuntur motiva contraria.

Sanchez.

March. Palao. Garzia. Diana. Prado. Pasqual.

Nota.

Nonum corrollarium. 15. Ultimo infertur, quid dicendum sit de energumenis, sive arreptitiis, et obsessis a dœmone. Duo namque istorum genera

inveniuntur : quidam sunt amentes, seu mente capti habitualiter, vel quasi habitualiter. Et de istis idem dicendum est ac de fatuis, aut semifatuis juxta majora, aut minora signa usus rationis. Sed sunt plures alii, qui non laborant hoc vitio, sed usum rationis habent. Et his concedi debet Eucharistia juxta prudentis confessarii, aut superioris arbitrium, qui maxime cavere debent periculum vomitus, aut expuitionis ; eo autem imminente, aut per experientiam cognito, minime exhiberi debet sacra Eucharistia : cujus potius reverentia, quam proximi utilitas attendi debet : præsertim cum hoc sacramentum necessarium simpliciter non sit vel ad salutem, vel ut obsessus a dœmone liberetur. Et sic consuluimus circa quandam fœminam, quam non absque horrore audivimus compelli ad sacram communionem magna ministrorum violentia, nempe, ut species ore reciperet, et rursus ut retineret, tegendo videlicet, et comprimendo ministrorum manibus ejus faciem, et os per longum spatium, ne illas expueret, sicut aliquando contingit. Quod minus prudenter, quin satis imprudenter, et peccaminose fieri censuimus, tum ob minorem reverentiam erga tantum sacramentum, tum ob periculum castitatis in sic attingendo adolescentulam. Secluso autem hujusmodi periculo, procedit nostra resolutio, quam communiter docent Theologi cum D. Thom. in hac quæst. art. 3, ad 2. Videantur Raphael de la Torre 2, 2, quæst. 90, art. 2, Suarez disp. 69, sect. 3, dub. 4, Granados tract 10, disp. 5. num. 5, N. Franciscus ubi supra num. 14, Prado dub. 12, § 4, et alii In cujus favorem (præter motiva communia supra posita) occurrit Consilium Cassiani collat. 7, cap. 30, ubi ait : « Magis « namque, ac magis inimicus insultabit « obsesso, cum eum a cœlesti medicina « viderit segregatum : tantoque dirius, ac « frequentius attentabit, quanto eum a « spirituali remedio longius senserit abdi- « catum. » Et quod arreptitii soleant blasphemias dicere, non refert ; quia non sunt liberi in loquendo, movente dœmone eorum linguas ; atque ideo talia verba non sunt humana, nec proinde proprie blasphemiæ.

D. Tho. Torre. Suarez. Granad. N. Fran. Prado. Cassian.

Opponi tamen communiter solet sententia D. Dionysii lib. de *Eccles. hierarchia*, cap. 3, ubi docet arreptitios vel ab inspectione hujus sacramenti arceri debere : ergo multo magis repelli debent ab ejus susceptione. Sed optime respondet D. Thomas duabus explicationibus. Nam loco cit. ait : « Dicendum, quod Dionysius lo- « quitur de energumenis nondum bapti- « zatis, in quibus scilicet nondum est vis « dœmonis extincta, quæ viget in eis per « originale peccatum. Sed de baptizatis, « qui corporaliter ab immundis spiritibus « vexantur, est eadem ratio et de aliis « amentibus. Unde Cassianus dicit : Eis, « qui ab immundis vexantur spiritibus « communionem sacrosanctam a seniori- « bus nostris nunquam meminimus inter- « dictam. Sed in 4, dist. 9, quæst. 1, art. « 5, quæstiunc. 3, ad 2, ait : Dœmoniacis « non est deneganda communio, nisi forte « certum sit, quod pro aliquo crimine a « diabolo torqueantur. Et de talibus loqui- « tur Sanctus Dionysius. » Et ita quidem res se habet : nam si certo constat illos commisisse aliquod peccatum grave, et nullum de eo signum pœnitentiæ dedisse, minime admittendi sunt ad participationem corporis Christi, sicut nec publici peccatores. Quin Paludanus eadem dist. quæst. 4, art. 2, docet « eos tali casu haben- « dos esse pro excommunicatis, qui sunt « traditi Satanæ. » Unde curandum est, quod similes dæmoniaci prius peccatum deleant in sacramento pœnitentiæ, et sic recte dispositi accedant ad suscipiendum Eucharistiam, sicut generaliter contingit in aliis peccatoribus.

D. Tho. explicat Dionys.

DUBIUM III.

Quæ impediant licitam Eucharistiæ sumptionem.

Sæpe contingit susceptionem alicujus sacramenti esse simpliciter validam, et nihilominus non esse licitam : quia quamvis adsint omnia simpliciter requisita pro valore susceptionis, occurrunt tamen aliqua impedimenta, ne licite exerceantur. Unde quamvis ex dictis dub. præced. satis constet, quando sit valida, sive sacramentalis, sumptio Eucharistiæ, nempe ubi sumitur a subjecto capaci : adhuc videndum succedit, quæ talem sumptionem impediant, ne licite fiat. Possunt autem hujusmodi obstacula ad duas classes reduci : nam quædam se tenent

nent ex parte animæ, et quædam ex parte corporis, Unde majoris claritatis gratia curabimus illa seorsim recensere.

§ I.

Proponuntur impedimenta ex parte animæ.

Primum ex parte animæ. 16. Primum, et præcipuum est status peccati : unde qui cognoscit se esse in tali statu, nequit Eucharistiam suscipere, sed tenetur vel prius culpam diluere, vel ab Eucharistia abstinere. Id docent omnes Theologi esse de fide contra Lutherum asserentem ad licitam sumptionem Eucharistiæ sufficere fidem, seu confidentiam de consequendo per illam gratiam ; quin, et homines esse paratiores ad ejus susceptionem, quanto magis se vident peccatis onustos, dummodo habeant illam fiduciam. Sed Catholica doctrina probatur refellendo simul hæresim contrariam : Resolutio catholica contra Luther. nam Apostolus 1, *ad Corinth.* 11, agens de isto sacramento inquit : *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit corporis, et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ubi disserte asserit eum, qui indigne suscipit Eucharistiam, esse reum corporis, et sanguinis Christi, et sumere sibi judicium. Nulla autem major indignitas esse potest, quam status peccati : ergo qui est in tali statu, nequit licite suscipere Eucharistiam. Unde monet Apostolus, quod homo prius se probet : ubi notum est sermonem non fieri de probatione fidei, sed conscientiæ peccatorum per diligentem Ratio. eorum discussionem. Deinde probatur ratione theologica : quia cum Eucharistia sit instituta per modum cibi spiritualis, est sacramentum vivorum ; ac proinde debet supponere vitam gratiæ, ut generaliter statuimus tract. præced. disp. 4, dub. 7, § 1; ergo qui cognoscit se esse in statu non gratiæ, sed peccati, ex hoc ipso impeditur Amb. ad Eucharistiam accedere. Unde D. Ambrosius lib. 6, *in Lucam*, cap. 9, inquit : « Ubique ergo in hoc mysterio iste ordo « servatur, ut prius per remissionem pec« catorum vulneribus medicina tribuatur, « postea alimonia mensæ cœlestis exube« ret. » Confirmatur discursu D. Thom. in hac quæst, art. 4, ubi ait : « Dicendum, Roboratur ex D. Tho « quod in hoc sacramento sicut in aliis, « id, quod est sacramentum, est signum « ejus, quod est res sacramenti. Duplex « autem est res hujus sacramenti. Una « quidem, quæ est significata, et contenta, « scilicet ipse Christus : alia autem est « significata, et non contenta, scilicet cor« pus Christi mysticum, quod est societas « sanctorum. Quicumque ergo hoc sacra« mentum sumit, ex hoc ipso significat se « esse Christo unitum, et membris ejus « incorporatum. Quod quidem fit per fidem « formatam, quam nullus habet cum pec« cato mortali. Et ideo manifestum est, « quod quicumque cum peccato mortali « hoc sacramentum sumit, falsitatem in hoc « sacramento committit : et ideo incurrit « sacrilegium tanquam sacramenti viola« tor. Et propter hoc mortaliter peccat. » In articulo autem immediate sequenti inquirit : « Utrum accedere ad hoc sacra« mentum cum conscientia peccati sit « gravissimum omnium peccatorum ? » Et re discussa, concludit : « Sic ergo patet, « quod hoc peccatum est multis aliis gra« vius secundum suam speciem, non tamen « est omnium gravissimum. » Sed circa hoc (in quo aliqui multum immorantur), recolat lector, quæ ex professo tradidimus tract. 13, disp, 9, dub. 2, et 3, ubi egimus de comparatione peccatorum.

17. Inquires, an sit possibilis casus, in Specialis casus, et opinio. quo existens in peccato mortali possit absque novo peccato, et subinde licite Eucharistiam suscipere? Affirmant Vazquez disp. Vazq. 207, cap. 1, Lugo disp. 14, sect. 1, Pasqualigus disp. 112, sect. 1, Dicastillo disp. 9, Lugo. Pasqual. Dicast. Leand. dub. 1, Leander disp. 7, quæst. 2, Gaspar Hurtado, Thomas Hurtado, Pellizarius, Diana, et alii. Casus est, si sacerdos publice celebrans, vel laicus coram multitudine proxime communicaturi recordentur alicujus peccati mortalis, et pro angustia temporis nequeant ad perfectam contritionem excitari : tunc, inquiunt, suscipere Eucharistiam in statu peccati non est novum peccatum mortale : quia hoc præceptum non obligat cum tanto dispendio, ut homo debeat cum sui honoris nota, et populi scandalo a communione cessare, multo minus a sacrificio.

Sed omnino tenendum est, et practican- Vera. et communis sententia. dum oppositum, quod ante Vazquium docebant communiter Theologi, ut B. Alber-

tus, D. Thomas, Sylvester, uterque Soto, et alii plurimi, quibus subscripsit Suarez disp. 66, sect. 1, § *Sed objicies.* Et probatur primo : quia præcepta negativa juris divini obligant pro semper, ut non mentiri etc. Sed præceptum non sumendi Eucharistiam in statu peccati est præceptum negativum juris divini, ut patet ex verbis supra relatis Apostoli illud promulgantis : ergo nunquam licet sumere Eucharistiam in statu peccati. Et est bene observandum sumptionem Eucharistiæ in tali statu esse quoddam mendacium, dum homo ea sumptione profitetur se habere unionem ad Christum, et incorporationem ad ejus membra ; cum tamen res aliter se habeat, ut optime tradit Div. Thomas num. præced. relatus : quare sicut non est excogitabilis casus, in quo homo possit licite mentiri, ita nec in quo possit suscipere licite Eucharistiam in statu peccati. Probatur secundo evertendo oppositum fundamentum : quia non est dabilis casus, in quo homo non possit elicere contritionem perfectam, et eo modo purgari a peccato secundum ordinariam providentiam, et communia gratiæ auxilia : ergo homo nequit ex hoc capite excusari, dum Eucharistiam suscipit in statu peccati : si enim faceret, quod absolute potest, justificaretur ante communionem : quod vero alio distractus non valeat, est impotentia simpliciter consequens, quæ nec inducit involuntarium absolute, nec excusat a peccato. Per quod satis constat ad oppositum motivum. Sed addimus cum Soto in 4, dist. 13, quæst. 2, art. 6, § *Secundo arguitur*, quod « potius debet dare summum scandalum (*et pati quamcumque infamiam*) quam sumere sacramentum in peccato : quia sic est illud intrinsece malum ut nulla de causa excusari possit. Et ideo si eum non pœnitet, postquam in sua est potestate (*et semper est propter promissa, et oblata gratiæ auxilia*) necessaria consequentia peccabit tam sumendo, quam relinquendo sacramentum etc. » Videatur D. Thom. infra quæst. 83, art. 2, ad 2.

D. Tho.

Eversio oppositi fundamenti.

Soto.

18. Impedimentum etiam est, quod quid commiserit peccatum grave, et ejus absolutionem consecutus non fuerit in sacramento pœnitentiæ, licet ab eo purgatus sit per actum contritionis perfectæ. Unde nemo præteriti peccati conscius potest ad Eucharistiam licite accedere, nisi confessione præmissa. Negarunt id olim aliqui Doctores. Sed controversiam substulit Concilium Trident. sess. 13, cap. 7, et can. 10, ubi statuit : « Ne tantum sacramentum indigne, atque ideo in mortem, et condemnationem sumatur ; statuit, ac declarat ipsa sancta Synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat. » Unde liquet non sufficere pro licita communione contritionem de peccato præterito, sed necessaria præmitti debere confessionem sacramentalem. Liquet etiam non deberi in hac causa trahi similitudinem aliorum sacramentorum vivorum, quæ quis digne suscipit cum sola contritione : quia cum sanctitas Eucharistiæ sit longe major quippe quæ realiter continet ipsum Christum, majorem longe puritatem, et præparationem in suscipiente requirit. Unde nominatim de hoc sacramento dixit Apostolus, *Probet autem se ipsum homo etc.*

Secundum ex parte animæ impedimentum.

Concil. Trident.

19. Sed circa hoc præceptum inquires primo, quo jure obliget? Respondetur, quod divino. Ita Soto, Covarrubias, Suarez, Vazquez, N. Cornejo et alii plures, quos refert et sequitur N. Franciscus cap. 7, punct. 3, num. 25, Gonet disp. 9, art. 2, num. 22, et pluribus relatis Prado dub. 6, § 3, num, 18. Probatur : quia hoc præceptum continetur in verbis Apostoli, *Probet autem se ipsum homo*, ut declaravit Concilium sess. 13, cap. 7. Apostolus autem satis aperte significat proponere illud præceptum non ut a se primo inventum aut latum, sed ut a Christo Domino acceptum, ut constat ex verbis antecedentibus : *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis :* ergo hujusmodi præceptum est divinum. Unde Concilium Tridentinum non condidit novam aliquam circa hoc legem, sed Ecclesiæ consuetudinem, et sensum juxta Apostolicam traditionem declaravit, ut liquet ex his ejus verbis loco cit. « Communicare volenti necessario revocandum est in memoriam, ejus (nempe Apostoli) præceptum. Probet autem se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo

Tale impedimentum est de jure divino.

N. Fran, Gonet. Prado.

declarat

« declarat eam probationem necessariam « esse, ut nullus sibi conscius peccati « mortalis, quantumvis sibi contritus vi« deatur, absque præmissa sacramentali « confessione, ad sacram Eucharistiam « accedere debet. »

Comprehendit etiam peccata dubia. 20. Inquires secundo, an hoc præceptum extendatur ad peccata dubia, illa scilicet quæ nequit homo sibi probabiliter persuadere, vel non commisisse, vel commissa confessum fuisse? Respondetur affirmative cum communi, et certa sententia, quam tuetur Sanchez lib. 1 *Summæ*, cap. 10, relatis pro eadem quadraginta Auctoribus, et plurimos alios referre possemus, qui post illum scripserunt. Probatur ratione satis efficaci : nam certum est Christum potuisse obligare ad confessionem peccatorum dubiorum : quod autem de facto obligaverit, constat ex communi sensu fidelium, non solum vulgarium, sed etiam sapientium : nullus enim, aut fere nullus invenitur, qui oppositum absolute ausus fuerit docere. Et confirmatur destruendo fundamentum contrarium, quod unus, vel alter Junior indicavit, nempe Concilium loqui de illis, « quos conscientia peccati « mortalis gravat; » id quod non videtur habere locum in peccatis dubiis, quorum videlicet non est scientia, nec conscientia, sed dubium. Hoc tamen levissimum est, et juxta communem omnium sensum dispellitur : nam ubi homines dubitant, an consenserint in aliquod peccatum grave, tunc dicuntur gravari in conscientia per notitiam talis peccati : unde constat conscientiam in loco Concilii non importare præcise scientiam certam peccati, verum etiam notitiam, quam homo contraria scientia, aut probabilitate non depellit, sed retinet, quandiu dubitat.

Sanchez. Corruit motivum contrarium.

Comprehendit oblita. Idem omnino dicendum est de peccatis oblitis, ut si quis confessionem præmittat, et antequam ad altare accedat, recordetur alicujus peccati mortalis non confessi, teneatur illud confiteri, priusquam communicet. Oppositum significarunt aliqui auctores eo moti fundamento, quod prædictus homo jam confessus fuerit, et modo sit in statu gratia, ut digne valeat ad communionem accedere. Sed omnino standum est propositæ resolutioni, quam Suarez apud Pradum dub. 7, § 2, num. 12, dicit esse « omnium Doctorum sensum, » et ipse Prado vocat « certam et indubitatam. » Lugo disp. 15, sect. 6, asserit esse « praxim, et consensum omnium fidelium, » Diana par. 5, tract. 14, resolut. 5, testatur, quod jussu S. Inquisitionis deleta fuerit opposita sententia ex quodam Auctore alias gravissimo, et sapientissimo. Fundamentum est satis clarum : nam præceptum istud non est confitendi utcumque, sed confitendi ante communionem omnia peccata mortalia : atque in proposito casu homo non est confessus illud peccatum, cujus postea recordatur : ergo tenetur illud confiteri, antequam ad communionem accedat. Et quod per priorem confessionem constitutus fuerit in gratia, nihil refert : quia idem contingere posset, si justificaretur per contritionem; et tamen Concilium præcipit confiteri eos, « quos conscientia peccati mortalis gravat, « quantumcumque se contritos existiment. » Voluit enim, quod præcederet judicium Confessarii. Idque in isto casu, vel ex eo maxime locum habet, quod non semel contingit, vel unum peccatum plus gravare, et majorem exigere in confessario prudentiam, quam plura peccata alias confessa.

Suarez. Prado. Lugo. Diana.

Quædam exceptio 21. Inquires tertio, an prædictum præceptum ita obliget, ut nunquam homini quamvis contrito liceat accedere ad communionem, nisi præmissa confessione peccati mortalis? Respondetur negative : quia deficiente copia confessoris, et urgente gravi necessitate, potest homo contritus non præmissa confessione ad suscipiendum Eucharistiam accedere. Liquet hoc ex ipso Concilio, quod cum ista expressa moderatione procedit : nam in cap. 7, ait : « Modo « non desit illis copia confessoris. » Et rursus : « Quod si necessitate urgente « sacerdos absque prævia confessione cele« braverit. » Et denique can. 11 : « Decla« rat, habita copia confessoris, necessario « præmittendam esse confessionem sacra« mentalem. » Ergo ubi non datur copia confessoris, et occurrit necessitas urgens, licitum est, quod ille, qui commisit grave peccatum, de quo sufficientem contritionem se habere certo moraliter cognoscit, accedat ad suscipiendum Eucharistiam. Et in hoc conveniunt omnes Doctores. Conveniunt præterea in eo, quod illa duo debent simul concurrere, et minime sufficere unum sine alio, v. g, quod desit confessor, si necessitas communicandi non urget, vel quod detur urgens necessitas, sed tamen confessor non desit : horum enim

Concil. TridEn.

quolibet non concurrente, non occurrit ille casus, quem excipit Concilium, ut quis licite communicet confessione non præmissa.

Quando verificetur non dari confessoris copiam? Hic autem latissimus campus aperiebatur ad proponendum plurimos casus, in quibus censeatur, vel non illa duo concurrere. Sed illi remittendi sunt ad Theologos morales. Satis sit in communi dicere, quod quantum ad effectum copiæ confessoris spectat, tunc censetur dari hoc requisitum, quando non adest sacerdos in eo loco; vel de facili venire non possit; vel non habeat jurisdictionem; vel prudenter timeatur, quod revelabit peccatum, aut provocabit ad malum; aut grave aliquod nocumentum confessionem consequeretur. In his, enim, et similibus casibus vere non datur copia confessoris: deficit enim, vel physice, vel moraliter juxta prudentum judicium. E contra vero non est dicendum, quod deficiat copia confessarii, si adsit jurisdictionem, vel ordinariam, vel ex privilegio habens, licet ita opportunus, aut gratus pœnitenti non sit. Ut si desit proprius sacerdos, aut parochus; detur tamen alius, qui ex privilegio possit absolvere; si respectu religiosi non adsit confessarius ejusdem ordinis, ubi adest alius, quamvis respectu illius majorem verecundiam habeat in manifestando aliquod crimen. Si absit confessarius sanctior, aut doctior, cui pœnitens ordinarie, et cum majori devotione confitetur, sed adest alius, qui licet pœnitenti minus gratus possit pœnitentiæ sacramentum administrare. Quare in prædictis, et similibus casibus minime dici debet, quod desit copia confessoris; et subinde nec quod homo valeat non præmissa confessione communionem suscipere.

Quando adsit necessitas communicandi? Eodem proportionabiliter modo censendum est de necessitate celebrandi, aut communicandi; non enim sufficit quælibet utilitas, sed requiritur gravis, et urgens necessitas. Talis autem judicatur, si ex omissione celebrationis, vel communionis sequatur communicaturo grave damnum spirituale, aut corporale. Verbi gratia si moriturus esset sine viatico, quod ei præbere possit Diaconus. Si postquam accessit ad celebrandum, vel ad locum communionis non possit absque infamia, et scandalo recedere. Si teneatur ex officio dicere Missam, quia est parochus, et non habet alium ministrum, qui suppleat ejus defectum. Istæ, et similes censentur prudenter graves, et urgentes necessitates, ut possit homo contritus communicare, licet non præmittat confessionem, quia confessarium non habet. Oppositum autem censendum est de aliis, quæ non tam sunt necessitatis, quam devotionis, vel in quibus ob rationabiliorem causam excluditur obligatio celebrandi, aut communicandi. Ut si quis habeat consuetudinem communicandi, et opus sit illam interrumpere. Si speret majorem devotionem ex communione. Si occurrat dies magnæ solemnitatis. Si aliquis moriatur, et sacerdos velit ex devotione pro anima celebrare. Ista namque manifestum est non importare urgentem necessitatem, sed relinqui liberæ devotioni. Idem censemus, quamvis instet præceptum communionis Paschalis: quia non obligat, quando non potest impleri convenienter ad aliud præceptum superius præmittendi confessionem. Et censendum etiam est de sacerdote, quando præceptum audiendi sacrum cadit in ipsum, et non datur alius sacerdos, cujus Missam audiat: non enim obligatur, quin nec potest dicere Missam, non præmissa confessione, ut illi præcepto satisfaciat: quia tunc istud præceptum non obligat inexcusabiliter; cum nequeat convenienter adimpleri propter occurrentiam gravioris præcepti interdicentis communionem, nisi præmittatur confessio. Quare istæ, et similes necessitates non sunt dicendæ graves, aut urgentes, ut a præmittendo confessionem sacramentalem deobligent. Qui plura voluerit, vel hæc ipsa diffusius tradita, legat Suarium disp. 66, sect. 3, cum seq. Petrum de Ledesma cap. 11, de Eucharistia, Bonacinam disp. 4, quæst. 4, N. Franciscum cap. 7, punct. 3, Pradum quæst. 80, dub. 6, § 4, et alios communiter in hac quæst. Suarez. Ledes. Bonacin. N. Fran. Prado.

22. Quamvis autem Concilium Tridentinum declaraverit hominem peccati mortalis conscium, contritum tamen, et non habentem copiam confessoris posse urgenti necessitate suscipere sacramentum Eucharistiæ; præcepit nihilominus, ut quam primum confiteretur. Sic enim habet: « Quod si, necessitate urgente, sacer- « dos absque prævia confessione celebra- « verit, quamprimum confiteatur. » Circa quod præceptum duo dubia occurrunt. Primum Duo dubia circa mentem Concil. Trident.

mum, quod spatium temporis longum, aut breve importet ly quamprimum, quo utitur Concilium, aut quid illa voce significaverit? Secundum est, quas personas communicantes comprehendat illud præceptum?

Extremæ de primo sententiæ.

Circa primum dubium duæ sunt sententiæ extreme contrariæ. Una nimis laxa, quam tradit Fagundez præcep. 3, lib. 3, num. 9, nimirum Concilium non aliud voluisse, aut præcepisse, quam quod homo confiteretur illud peccatum ante aliam celebrationem, aut communionem. Alia nimis stricta, et scrupulosa, quam docet Joannes Sanctius disp. 32, num. 14, nempe debere communicantem statim, ac ab altari recesserit, quærere confessarium, et illi confiteri illud peccatum. Sed prima sententia, inquit Prado dub. 7, n. 29, « est « improbabilis extrinsece, et intrinsece. » Et refellitur efficaciter ex reprobatione (quam Prado non vidit illa tunc scribens) prædictæ sententiæ ab Ecclesia. Nam inter propositiones, quas condemnavit SS. D. N. Alexander VII, hæc est num. 39. Illa particula, quam primum, « intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur. » Deinde rejicitur talis explicatio: nam in regulis Missalis Romani illa dictio, « quamprimum declaratur per hanc, « Cum primum poterit : » sed manifestum est, quod poterit homo confiteri longo tempore ante aliam celebrationem, et communionem ; cum possit totas pro suo arbitrio differre ad sex, vel octo menses : ergo antecedenter ad aliam celebrationem, aut communionem, atque independenter ab illis tenetur homo confiteri illud peccatum: et oppositum dicere contradicit, tam Concilio, quam regulæ Missalis. Eo vel maxime, quod incredibile sit concilium eam brevitatem in confitendo tale peccatum præcepisse, quæ vere nulla est, et ad quam homo tenetur independenter ab ipso Concilii præcepto: quippe conscius peccati, quod confessus non fuit, debet illud confiteri, antequam communicet. Unde talis sententia communiter refellitur, ut videri potest apud Lugonem disp. 14, sect. 7.

Fagund.

Sanctius.

Refellitur prima.

Damnatur.

Posterior confutatur.

Secunda etiam non minus frequenter rejicitur, et quidem merito : nam ly *quam primum*, et *cum primum poterit*, non sunt accipienda mathematice, sed moraliter, ut in aliis præceptis regulariter contingit : unde item valent, ac *cito*, vel *valde cito* : atque ideo admittunt aliquam moderatam dilationem. Sicut etiam particula *illico* habet eandem significationem : et nihilominus permittit dilationem duorum, aut etiam trium dierum, ut notant Mascardus de probation conclus. 1084, num. 2, et Gonzalez ad regul. 8, Cancell. glossa 43, numer. 51. Ergo præsumendum est Concilium non eo rigore præcepisse, nec voluisse, aut significasse, ut quis statim, ac recederet ab altari, confessarium adiret, et ab illo peccato absolveretur, sed majorem aliquam moram permisisse. Unde vera, et communis sententia est, quæ hoc medium, et temperamentum admittit. Pro qua videri possunt Lugo disp. 14, sect. 7, Pasqualigus disp. 116, sect. 7, Villalobos tract. 7, difficult. 37, Aversa quæst. 8, sect. 7, et Prado dub. 7, a num. 31. Quanta vero possit esse dilatio, non est exploratum apud omnes : nam aliqui id relinquunt prudentis arbitrio ; aliqui, quod possit differri confessio usque ad diem crastinam : aliqui, quod non est gravis dilatio, nec subinde gravis culpa, si confessio fiat intra triduum, præsertim, ubi homo expectat commoditatem, vel confessarii ordinarii, vel alterius, cum quo majori ex animi satisfactione confiteatur. Et hoc ultimum videtur nobis posse sine scrupulo practicari.

Mascar.

Gonzal.

Vera. et communis dubii resolutio

Lugo. Pasqual. Villob. Aversa. Prado.

Decisio alterius dubii.

Circa secundum dubium tenendum est illud præceptum Concilii solos sacerdotes celebrantes comprehendere. Quoniam Concilium de his nominatim loquitur, ut liquet ex illis verbis : « Quod si necessitate « urgente, sacerdos absque prævia con- « fessione celebraverit, quam primum « confiteatur. » Quare cum illud præceptum sit pœnale, extendi non debet ad alios, nisi ad quos verba legislatoris in propria significatione se extendunt. Comprehendit itaque illud præceptum solos sacerdotes celebrantes. Et liquet ex fine, sive intentione Concilii volentis compescere audaciam sacerdotum, quibus ex officio incumbit celebrare, et qui hoc prætextu, nempe titulo necessitatis celebrandi, sæpe celebrabant cum conscientia peccati mortalis, et non præmissa sacramentali confessione. Unde fit laicos eo modo communicantes non obligari ex vi illius præcepti ad confitendum quam primum : sed posse ejus peccati confessionem usque ad aliam communionem differre. Fit secundo idem etiam dicendum esse de sacerdotibus communi-

cantibus more laicornm, sive non celebrantibus Missam : quia præceptum illud, ut vidimus, solos sacerdotes celebrantes comprehendit.

Tertium impedimentum ex parte animæ. 23. Tertium impedimentum est excommunicatio: quia nemo excommunicatus existens potest licite Eucharistiam recipere : tum quia excommunicatio supponit peccatum grave : tum quia generale est, ut quis prius liberetur ab excommunicatione, quam sacramenta suscipiat. Sed tamen circa hoc impedimentum (si sit occultum) idem proportionabiliter dicendum est, quod de peccati gravis conscientia diximus. Et limitamus, *si sit occultum* : nam si publicum esset, eo ipso committeretur peccatum grave propter scandalum intuentium publicum excommunicatum celebrare, aut suscipere Eucharistiam. Nota. Sed præscindendo ab hac publicitate, cætera supra dicta tum de occurrentia gravis necessitatis, tum de aliis causis non excusantibus, possunt applicari illi, qui conscientiam habet excommunicationis contractæ, licet occultæ. Quare pro omnibus his impedimentis (ut ab eis tandem expediamur) transcribendum duximus locum D. Thomæ infra quæst. 83, artic. 6, ad 2, ubi ait : « Dicendum, quod « ubi difficultas occurrit, semper est accipiendum illud, quod habet minus de « periculo. Maxime autem periculosum « circa hoc sacramentum est, quod est « contra perfectionem hujus sacramenti : « quia hoc est immane sacrilegium. Minus « autem est illud, quod pertinet ad qualitatem sumentis. Et ideo si sacerdos post « consecrationem incœptam recordetur se « aliquid comedisse, vel bibisse, nihilominus debet perficere sacrificium, et sumere sacramentum. Similiter si recordetur se peccatum aliquod commisisse, « debet pœnitere, et satisfacere cum proposito confitendi : et sic non indigne, sed « fructuose sumet sacramentum. Et eadem ratio est, si meminerit se excommunicationi cuicumque subjacere : debet enim assumere propositum humiliter absolutionem petendi : et sic per « invisibilem Pontificem Jesum Christum « absolutionem consequetur quantum ad « hunc actum, quod peragat divina mysteria. Si vero ante consecrationem, alicujus prædictorum sit memor, tutius « reputarem, maxime in casu manducationis, et excommunicationis, quod Missam incœptam desereret : nisi grave scandalum timeretur. » Quod plane communiter loquendo vitari non valet.

(margin: D. Tho.)

§ II.

Alia impedimenta ex parte corporis recensentur.

24. Cum sacramentum Eucharistiæ sanctissimum sit, exigit in suscipiente non tantum animæ sanctitatem, sed et magnam corporis decentiam, et puritatem : atque ideo sicut ex parte animæ dantur aliqua impedientia licitam Eucharistiæ sumptionem, sic etiam ex parte corporis. Unde oportet ut post illa jam relata, ista explicemus. Primum igitur impedimentum ex parte corporis est, quod aliquis aliquid comederit, aut biberit. Pro quo supponendum est dari præceptum jejunii naturalis (in quo scilicet nihil comeditur, vel bibitur adhuc in exigua quantitate) ut quis licite ad Eucharistiam accedat. De quo præcepto constat tum ex consuetudine Ecclesiæ, quæ ab Apostolis provenisse creditur. Tum ex variis Conciliis, in quibus proponitur. Carthaginensi 3, can. 29. Toletano 7 can. 2, Constantiensi sess. 13, et aliis. Et de eadam traditione, et obligatione testantur communiter Patres. Sed pro omnibus sufficiat audire Divum Augustinum epist. 118, ad Januarium, ubi ait : « Placuit Spiritui « Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, « prius in os Christiani Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam « ideo per universum orbem mos iste servatur. »

(margins: Primum ex parte corporis impedimentum. — Concilia diversa. — D. Aug.)

Unde fit, ut qui aliquid cibi, vel potus sumpsit, impediatur Eucharistiam ea die suscipere. Nec id eget alia probatione. Sed tamen referemus Divum Thomam artic. 8 hujus quæst. ubi ait : « Dicendum, quod « aliquid impedit sumptionem hujus sacramenti dupliciter. Uno modo secundum se : sicut peccatum mortale, quod « habet repugnantiam ad significatum hujus sacramenti, ut supra dictum est. « Alio modo propter prohibitionem Ecclesiæ. Et sic impeditur aliquis a sumptione hujus sacramenti post cibum, et « potum assumptum, triplici ratione. Primo quidem, sicut Augustinus dicit, in « honorem hujus sacramenti : ut scilicet « in os hominis intret nondum aliquo cibo, vel

(margin: D. Tho.)

« vel potu infectum. Secundo propter significationem, ut scilicet detur intelligi, « quod Christus, qui est res hujus sacramenti, et charitas ejus, debet primo fundari in cordibus nostris secundum illud « Matth. 6. Quærite primum regnum Dei. « Tertio propter periculum vomitus, et « ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex « hoc, quod homines inordinate cibis « utuntur, sicut, et Apostolus dicit 1, ad « Corinth. 11 : Alius quidem esurit, alius « autem ebrius est. » Diximus eadem die : quia quantum ad hoc idem dici debet de isto jejunio naturali pro sumendo Eucharistiam, ac de jejunio ecclesiastico. Unde

Idem. Divus Thomas loco citato in resp. ad 5, subjungit : « Cum dicitur, quod hoc sacramentum prius, quam alii cibi, debet in « os Christiani intrare, non est absolute « intelligendum respectu totius temporis : « alioquin qui semel comedisset, vel bi- « bisset, nunquam posset postea hoc sacra- « mentum accipere. Sed est intelligendum « quantum ad eundem diem. Et licet « principium diei secundum diversos di- « versimode sumatur : nam quidam a meridie, quidam ab occasu, quidam a media « nocte, quidam ab ortu solis diem inci- « piunt : Ecclesia tamen Romana diem a « media nocte incipit. Et ideo si post me- « diam noctem aliquis sumpserit aliquid « per modum cibi, vel potus; non potest ea- « dem die hoc sumere sacramentum : po- « test vero, si ante mediam noctem etc. » Quod si quis dubitet, utrum cibum, vel potum (de cujus sumptione certus est) sumpserit ante, vel post mediam noctem, non potest communicare : nam lex jejunii est

Sanchez. in possessione, ut recte tradit Sanchez *in summa* lib. 3, disp. 41, num. 40. Si autem dubium sit circa ipsam sumptionem, tunc licite potest communicare : quia tunc possidet libertas, et proprium jus.

Quibus violetur jejunium naturale? 25. Inquiri autem solet, quarum rerum sumptio violet jejunium naturale? Circa quod aliqui divagare solent recensendo casus particulares, ut videri potest apud N. Franciscum capit. 7, punct. 5, a num. 66. Sed magis expressam, et universaliorum oportet statuere regulam. Pro quo observandum est sola manducatione cibi (idem intellige de bibitione potus) violari naturali jejunium, non autem aliis actionibus, vel rebus : quia istæ nullam cum tali jejunio, oppositionem habent. Porro manducatio cibi dicit verum cibum, dicit etiam veram masticationem, et quod cibus sumatur ut cibus. Unde ubi hæc omnia concurrunt, adest violatio jejunii naturalis communionem impediens. Sed ubi aliquod horum deficit, tenendum est non violari naturale jejunium, nec communionem inde impediri.

Corollarium. Juxta quam regulam non violatur istud jejunium per trajectionem salivæ, vel sanguinis, vel humoris a capite defluentis : quia ista non habent rationem veri cibi : hic enim debet esse ab extrinseco, et ab extrinseco sumi. Et ob eandem rationem non violatur, licet quis, cum os lavat, deglutiat guttam aquæ per modum salivæ, cui admiscetur : quia illa gutta sequitur conditionem salivæ. Et similiter istud jejunium non violat, qui frustula præcedentis cœnæ inter dentes hærentia transmittit ad stomachum : quia ista non censentur cibus; cum non adveniant ab extrinseco per novam comestionem. Item non violatur hoc jejunium, si quis casu per modum respirationis transglutiat muscam, miccam panis, vel quid simile : quia licet hæc sint alias cibus, non trahuntur per modum cibi, vel per veram comestionem. Nec similiter violatur, si quis per nares respiratione attrahat fumum, vel pulverem tabaci; licet ista ad stomachum perveniant : quia (præterquam quod ista non sunt vere cibus) nec illa actio est manducatio, nec prædicta sumuntur per modum cibi. Denique non solvitur prædictum jejunium, licet quis ore sumat, et ad stomacum trajiciat lapillum, nummum, partem ligni, vel ferri, et similia : quia nihil horum habet rationem cibi.

Aliud oppositum. Contrarium autem omnino tenendum est, ubi omnia requisita ad veram comestionem substantialiter concurrunt; quamvis in modo daretur aliqua variatio. Unde qui saccarum præcedenti nocte ori imponeret, ut liquefactum ad pectus paulatim descenderet, re ita post mediam noctem, vel contingenti, vel continuata, jejunium solveret, et non posset communicare : quia illa materia est vere cibus, et ori imponitur, ut paulatim deglutiatur : unde tandiu durat ejus comestio, quandiu liquefactio, et transmissio. Idem sentimus de masticante folia tabaci, si partem horum, vel aliquem succum ab eis haustam transmittat ad stomachum : quia ibi adest aliquis cibus, et

substantialiter comeditur; licet, et cibus, et comestio non habeant modum ordinarium. Idem etiam dicimus de eo, qui cum vel sine advertentia mordet ungues, masticat, et aliquid ab eis deglucit : nam et cibus esse possunt, et vere comeduntur. Et similiter diceremus de comedente papyrum, et alia, de quibus certo constaret esse cibum. Sed in pluribus non constat : nec potest scientia ad singulares adeo casus descendere. Unde cætera remittimus prudentum judicio. In casu autem dubii, quod quis comederit, aut non comederit ; præsumendum est non comedisse : quia possessio stat pro libertate, et jure ad communicandum. Cæterum ubi certo supponitur aliqua comestio, sed dubitatur, an fuerit veri cibi ; judicandum est in favorem præcepti non communicandi, quod durante illo dubio possidet ; unde non liceret sumere communionem.

Licitum aliquando est, quod non jejunus communicet. 26. Verum cum præceptum istud sit mere ecclesiasticum, dubitari non debet, quod licet regulariter, et per se loquendo obliget ; possit tamen necessitas in diversis circumstantiis occurrere, ut quis licite, etsi non jejunus, possit Eucharistiam suscipere. Et sic docent communiter Doctores, quos allegat Noster Franciscus loco citato a num. 74, et alii plures, quos refert, et sequitur Prado toto dub. 11. Primus, et frequens casus est infirmitatis. Unde D. Thomas post verba num. 24 relata, statim subjunxit : « Ab hac tamen generali regula « excipiuntur infirmi,qui statim communi- « candi sunt etiam post cibum,si de eorum « periculo dubitatur, ne sine communione « decedant : quia necessitas legem non « habet. Unde dicitur de Consecrat. dist. « 2: Presbyter infirmum statim communi- « cet, ne sine communione moriatur. » Quin durantibus per aliquos dies infirmitate, et periculo licere infirmum non jejunum aliquoties communicare, docent satis probabiliter plures Theologi. Qui non parum variant in assignando tempus servandum inter communionem, et communionem : sed reservandum censemus arbitrio prudentum, attentis tum consuetudine loci, tum sanctitate, et desiderio infirmi, tum aliis occurrentibus circumstantiis. Nunquam tamen bis conferenda est Eucharistia in eadem die : et oppositam sententiam non videri probabilem docet Gonet disp. 9, art. 2, num. 35.

(N. Fran. Prado.) (D. Tho.) (Primus casus.) (Gonet.)

Alii casus. Et quod diximus de communione a non jejuno in periculo mortis ob infirmitatem, extendendum est ad periculum, vel potius instantiam mortis ex sententia judicis, vel violentia alterius ; nisi mors differri valeat ad diem sequentem, ut homo jejunus communicet. Et ita observat. N. Franciscus ubi supra num. 74. Quin et posset non jejunus celebrare, et communicare ad vitandum mortem, quam alius sibi comminaretur, nisi celebraret, et communicaret : quia Ecclesiæ præcepta non obligant cum tanto dispendio. Sed id tantum admittendum est, ubi tyrannus ille id non præcipit in contemptum religionis, sed ex alio fine : nam primum illud est intrinsece malum, ut cum aliis docet Diana 5 part. tract. 3, resolut. 39. Extendenda etiam et ob idem fere motivum est resolutio ad casum, in quo nisi non jejunus communicaret, sequerentur gravia damma, utputa scandalum multitudinis, et sacerdotis infamia : unde si postquam sacerdos inchoavit Missam coram populo, advertat se non esse jejunum, potest nihilominus prosequi, et communicare ad vitandum prædicta incommoda : quia leges positivæ non obligant cum tanto damno, ut cum aliis Auctoribus resolvit N. Franciscus loco citato num. 79.

Alii. 27. Sunt etiam alii casus, in quibus id licet. Si sacerdos v. g. post consecrationem unius speciei recordetur se non esse jejunum : debet enim perficere sacrificium, ut docet D. Thomas relatus num. 24. Si sumpsit aquam loco vini ; debet rursus ponere vinum, consecrare, et sumere, ne sacramentum imperfectum relinquat. Et ob idem motivum si celebrans post consecrationem subito moriatur, debet adhiberi alius sacerdos etiam non jejunus (si alius sacerdos jejunus non inveniatur), qui species consecratas ab alio sumat, et sacrificium absolvat. Si species panis ita palato ob nimiam ejus, aut faucium siccitatem hæreant, ut descendere non possint ; licitum est sumere aquam, qua paretur via ad transmissionem specierum. Et similes alii casus excogitari possunt, in quibus licet sacramentum sumi a non jejuno, tum ad perficiendum sacrificium, tum ob majorem reverentiam erga Sacramentum. Unde qui certo sciret, et vehementer timeret gravem irreverentiam inferendam Sacramento esse, nisi ipse non jejunus illud sumat : quia nimirum veniet in manus hæretico-rum,

rum, et conculcabitur, et comburetur, vel dabitur brutis in pabulum : non solum potest, sed debet Eucharitiam etsi non jejunus sumere. Quippe in tali casu prævalere debet præceptum naturale divinum vitandi, ubi potest, irreverentiam sacramenti : et subinde obligare tunc non potest præceptum, ut suscipiatur a jejuno : quod est positivum, et ecclesiasticum.

Casus non admittendus.

28. Addunt aliqui pauci, et non magni nominis Auctores alium casum, in quo licitum putant, quod non jejunus celebret, et communicet, nempe ad conferendum viaticum infirmo, alioquin sine illo morituro. Sed id non admittit communis sententia, quam relatis pluribus Auctoribus sequitur N. Franciscus ubi supra num. 77. Et quidem merito : quoniam hoc sacramentum non est tantæ necessitatis, ut non potius debeat servari reverentia erga ipsum, quam quod infirmus communicet : præsertim cum ipse infirmus tunc a susceptione viatici excusetur, cum non habeat copiam illius. Unde sicut in prædicto casu non licet consecrare in pane fermentato, nec unam speciem sine alia, nec in alio loco, nisi in altari, nec absque vestibus sacris : ita licitum minime est quod non jejunus consecret Eucharistiam.

N. Fran.

Quæ possent opponi, corruunt

Quod si Adversarii opponant propter eam proximi necessitatem posse sacerdotem celebrare, licet habeat conscientiam peccati mortalis, et non habeat copiam confessarii ut constat ex dictis num. 21, neganda est consequentia ob satis manifestam disparitatem : nam confessio suppleri potest per contritionem, ita ut sacerdos in statu gratiæ celebret : quod licere urgenti gravi necessitate eo loco diximus. Sed nequit suppleri jejunium : quod quamvis sit de præcepto ecclesiastico, fundatur tamen in jure divino de reverentia erga istud sacramentum. Et si instent idem dici posse de ipso infirmo, atque ideo nisi jejunum non posse viaticum suscipere : negabimus iterum consequentiam. Tum quia opposita Ecclesiæ consuetudo oppositum declaravit, ut experientia liquet. Tum etiam (et est ratio a priori hujus disparitatis) quia necessitas ex parte infirmi, ut non jejunus communicet, est ab intrinseco, et frequentissima : necessitas vero ex parte sacerdotis ministraturi est ab extrinseco, et raro contingens, supposita Ecclesiæ providentia in servando Eucharistiam pro infirmis. Eo vel maxime quod cum istud sacramentum non consistat in usu, sed fiat, cum consecratur materia ; major longe reverentia, et hujus reverentiæ signa adhiberi debent, cum consecratur, quam ubi jam consecratum sumitur. Unde videmus consecrationem non fieri nisi in Missa multo rerum, et cæremoniarum apparatu : sed consecratum solet sine istis conferri, ut patet in communione infirmorum. Ita ergo infirmus potest non jejunus communicare : sed sacerdos pro communione infirmi nequit celebrare non jejunus. Unde sententia Joannis Majoris asserentis sacerdotem, ne moriturus absque viatico moriatur, posse post prandium consecrare secreto buccellam panis fermentati, sine Missa, et sine vestibus sacris, sed dicendo præcise verba consecrationis super panem, communiter censetur improbabilis, et temeraria.

Refellit. Major.

Alii casus.

29. Denique addendum est, quod cum istud præceptum, ne Eucharistia sumatur nisi a jejuno, non sit divinum, sed ecclesiasticum ; potest Summus Pontifex justa de causa in eo dispensare. Et sic dispensat singulis annis, ut unus Cardinalis celebret in vigilia Nativitatis Domini circa horam decimam post meridiem. Dispensavit etiam cum Imperatore, ac nostro Rege Carolo V Maximo, ut non jejunus posset Eucharistiam suscipere, sicut refert Famianus Strada lib. 1, *de bello Belgico*. Et forte cum aliis etiam dispensatum fuit.

Famianus.

Secundum ex parte corporis impedimentum.

30. Sed prosequamur alia ex parte corporis impedimenta : et secundo loco occurrit pollutio. Pro quo impedimento declarando omnes communiter supponunt cum D. Thoma in præs. art. 7, pollutionem posse tribus modis contingere. Nam vel est absolute voluntaria in se, vel in causa : et tunc est peccatum mortale. Vel est simpliciter, et omnibus modis involuntaria : et tunc nullum est peccatum. Vel denique est involuntaria simpliciter, et voluntaria secundum quid : et tunc est peccatum veniale. Deinde distinguendum est circa modum, quem pollutio in homine relinquit : nam vel relinquit ardorem, et commotionem carnis cum turpibus cogitationibus, et magna mentis perturbatione : vel non relinquit hos effectus, saltem notabiliter, sed homo ita fere se habet ac si pollutio non præcessisset.

Igitur si pollutio fuerit peccatum mor-

Resolutiones, ubi præcessit poleutio. tale, idem de illa dicendum est ac de aliis mortalibus peccatis ; et quid de istis dicendum sit; explicuimus § præced. Si autem non fuerit peccatum mortale, sed præcise veniale, vel nullum, aut licet peccatum mortale fuerit, deletum tamen est per sacramentalem confessionem : tunc omnes affirmant non esse peccatum mortale, quod ea die pollutus accedat ad Eucharistiam : nam homo est simpliciter in statu gratiæ, quæ est dispositio sufficiens ad effectum hujus sacramenti, ut diximus disp. præced. dub. 3. An autem sit saltem peccatum veniale, determinandum existimamus non tam penes malitiam, vel malitiæ carentiam, quam habuerunt pollutiones ; quam et multo magis penes effectus, quos reliquerunt : hinc enim regulari debet, an sit, vel non sit indecentia accedere ad sacramentum. Nam si nullus, aut quasi nullus relictus fuerit effectus ; nulla indecentia, ac subinde nulla vel venialis culpa (quantum est ex vi hujus), erit sacramentum suscipere. Si autem maneat in homine prava illa dispositio, quam proxime significavimus ; aliqua indecentia, atque ideo culpa venialis est accedere ad Eucharistiam, propter oppositionem ad puritatem magnam tum corporis, tum animi, quam istud sacramentum pro summa sua dignitate requirit. Unde sic dispositis per se loquendo consuleremus a communione abstinere. Sed tamen quia hæc decentiæ obligatio levis est, posset ob rationabiles causas, licet leves, non urgere, et absque ulla culpa prætermitti : ut si ex omissione communionis, vel celebrationis oriretur aliqua nota : si dies magnæ solemnitatis occurrat; si homo speret hoc medio superare ipsarum tentationum molestiam etc. In his, et similibus circumstantiis nullum esse videtur peccatum, quod pollutionem passus ad Eucharistiam accedat. Unde a fortiori probanda est resolutio D. Thom. loco cit. ubi ait : « Quandoque pollutio provenit ex sola « nequitia dœmonum volentium impedire « hominem a sumptione hujus sacramenti. « Unde legitur in Collationibus Patrum, « quod cum quidam frater pateretur pol- « lutionem semper in festis, in quibus erat « communicandum, seniores comperto, « quod nulla causa ab ipso præcesserat, « decreverunt, quod propter hoc a com- « munione non cessaret ; et ita cessavit « illusio dœmonum. » D. Tho.

31. Unde facile colligitur, quid dicendum sit de conjugibus, qui post copulam conjugalem ea die habitam volunt communicare. Nam eum, qui illam habuit ex ardenti carnis concupiscentia, et voluptatis capiendæ gratia, probabilius est peccare venialiter accedendo ad Eucharistiam, ut cum Sanchez, et Suarez docet N. Franciscus loco cit. num. 63. Quin ab his actui illi accidentalibus præscindendo, putamus per se loquendo consulendum, quod conjuges post copulam ea die habitam non communicent : quia ille actus causat majorem corporis alterationem, et mentis distractionem, atque hebetudinem, quam pollutio voluntaria, vel involuntaria. Cæterum sicut ex rationabilibus causis occurrentibus licitum est sumere communionem post pollutionem ea die habitam, ut proxime diximus : sic etiam post copulam conjugalem. Quæ omnia optime tradidit D. Thom. art. cit. in resp. 2, ubi ait : « Coitus con- « jugalis, si sit sine peccato, puta si fiat « causa prolis generandæ, vel causæ red- « dendi debitum, non alia ratione impedit « sumptionem hujus sacramenti, nisi sicut « dictum est de pollutione nocturna, quæ « accidit sine peccato : scilicet propter im- « munditiam corporalem, et mentis dis- « tractionem. Ratione cujus Hieronymus « dicit super Matth. Si panes propositionis « ab his, qui uxores tetigerant, comedi non « poterant; quanto magis ille panis, qui « de cœlo descendit, non potest ab his, qui « conjugalibus paulo ante hæsere comple- « xibus, violari, atque contingi ? Non quod « nuptias condemnemus, sed quod eo tem- « pore, quo carnes agni manducaturi su- « mus, vacare a carnalibus operibus « debeamus. Sed quia secundum congrui- « tatem, et non secundum necessitatem « est intelligendum ; Gregorius dicit, quod « talis est suo judicio relinquendus. Si vero « non amor procreandæ sobolis, sed vo- « luptas dominatur in opere, ut ibidem « Gregorius subdit, tunc prohiberi debet « (*nempe sub veniali*) ne accedat ad hoc sa- « cramentum. »

Quid supposita copula conjugali ? N. Fran. D. Tho.

32. Denique ad puritatem ex parte corporis, si non ex præcepto, saltem ex concilio ad suscipiendum istud sacramentum requisitam pertinet, quod mulier tempore menstrui ab illo abstineat ; præsertim si speretur communio brevi tempore suscipienda sine illa corporali turpitudine. Sed si Alii casus.

si rationabilis causa occurrat; nullum erit peccatum, quod vel ita disposita communicet. Et idem dicimus de patiente fluxum sanguinis : si cito illa impuritas cessabit, et communio differri commode potest. At si fluxus diuturnus sit, non est relinquenda consueta communio. Præterea leprosus, vel alia infirmitate horribili, aut contagiosa infectus propter horrorem populi ab altaris ministerio removetur : sed tamen potest secreto celebrare, aut communicare. Tandem, qui non lotis manibus celebrat, peccat venialiter, ut significavit D. Thom. loco citato dicens : « Unde et volentes tan-« gere aliquid sacrum manus lavent, » et patet ex opposita indecentia. Unde Divus Augustinus serm. 244, tom. 10, ait : « Erubescimus, et timemus Eucharistiam « manibus sordidis tangere. »

DUBIUM IV.

Utrum detur præceptum divinum, et ecclesiasticum sumendi Eucharistiam ?

Quod sacramentum Eucharistiæ sit utile ad salutem, constat ab ejus fructibus, sive effectibus, quos recensuimus disp. præced. dub. 1. Ulterius autem videre oportet, an sit etiam necessarium. Dupliciter autem potest aliquid dici necessarium ad salutem : nempe vel in voto, aut proposito, vel in re susceptum. Et quod sacramentum Eucharistiæ sit necessarium ad salutem saltem prout in voto, supra ex professo statuimus disp. 3, dub. 1. Unde discutiendum superest, an sit necessarium in re. Idque adhuc bifariam contingere potest : nam aliquid solet esse necessarium in re necessitate medii, quoties nimirum finis sine illo in re posito obtineri non valet : sicut baptismus est necessarius parvulis, et dolor de peccatis est necessarius peccatoribus. Et in hoc sensu omnes supponunt sacramentum Eucharistiæ non esse necessarium ad salutem : quia plures illam consequuntur absque illo in re suscepto, ut patet non solum in parvulis, sed etiam in aliquibus adultis, qui cum nequeant Eucharistiam in re suscipere, nihilominus salvantur. Restat itaque, quod istud sacramentum prout in re susceptum solum esse possit necessarium necessitate præcepti : a cujus adimpletione sæpe excusatur homo: vel ob impotentiam, vel ob ignorantiam,

Plures necessarii acceptiones.

absque præjudicio salutis. Cum autem præceptum possit esse vel divinum, id est, positum a Deo ; vel humanum ecclesiasticum, id est, positum ab Ecclesia : videndum est, an aliquod ejusmodi detur de susceptione Eucharistiæ.

§ I.

Decisio dubii quoad priorem partem cum aliis quæstionibus incidentibus.

33. Dicendum est dari præceptum divinum sumendi Eucharistiam. Ita D. Thomas in hac quæst. art. 11, ubi concludit : « Et ideo manifestum est, quod homo te-« netur hoc sacramentum sumere, non so-« lum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato « Domini. » Unde sic docent communiter discipuli. Soto in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 11, Nugnus ad art. cit. D. Thomæ difficult. 1, Prado dub. 16, § 1, N. Franciscus cap. 8, punct. 1, num. 1, Gonet disp. 9, art. 1, concl. 1, Petrus de Ledesma cap. 15, *de Eucharistia*, ubi testatur sic docere omnes Thomistas. Idem etiam docent Durandus, Gabriel, Richardus, Suarez, Villalobos, Sainctes, et alii passim apud N. Franciscum loco cit. Et hoc præcipue fundamento movemur ad idem amplectendum, quod videamus esse hoc tempore commune placitum Theologorum. Et Prado num. 2, affirmat id esse certum, et nullum Scholasticorum illud omnino negasse.

Conclusio. D. Tho. Soto. Nugnus. Prado. N. Fran. Gonet. Ledesm.

Probatur primo ab auctoritate, quam possumus ita introducere : nam ex istis verbis Joan. 3 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, recte colligitur dari præceptum suscipiendi sacramentum Baptismi. Et ex istis verbis Luc. 13 : *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis*, efficaciter deducimus dari præceptum pœnitentiæ. Ergo pariter ex illis verbis Joan. 6 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, efficaciter deducitur dari præceptum suscipiendi carnem, et sanguinem Christi in sacramento Eucharistiæ. Probatur consequentia : quia omnia prædicta proponuntur eodem tenore verborum, ut ex ipsis satis liquet : ergo non est major ratio, ut quædam contineant præceptum, et quædam non : quare cum in prioribus certum sit contineri præceptum ;

Fundamentum ab auctoritat. Joan. 3. Luc. 13. Joan. 6.

idem de ultimis dicendum est. Unde ulterius fit, quod sicut præceptum in prioribus est divinum, quia propositum a Christo Domino; sic etiam præceptum contentum in posterioribus est divinum, utpote ab eodem Christo Demino inductum.

Fulcitur. Confirmatur aliis Christi verbis, quæ ita introducit D. Thom. loc. cit. « Homo « tenetur hoc sacramentum sumere ex « mandato Domini dicentis Luc. 22 : Hoc « facite in meam commemorationem. » Nec vim hujus loci declinabit, qui dicat Dominum prædicta verba dixisse Apostolis, quos tunc sacerdotes ordinavit, non autem ad totam fidelium multitudinem : unde non sequitur hanc obligari divino præcepto ad suscipiendum Eucharistiam. Nam hæc evasio præcluditur attendendo ad vim illorum verborum, *Hoc facite:* præcepit enim Christus illis sacerdotibus, quod quemadmodum ipse consecravit, et discipulis ministravit; sic ipsi ministrarent Eucharistiam populo Christiano : unde in eodem præcepto comprehenditur populus, ut suscipiat Eucharistiam, quam sibi sacerdotes aliquando ministrabunt. Et hunc prædictæ sententiæ sensum semper retinuit Ecclesia, illumque expressit in Concilio Tridentino sess. 13, cap. 2, ubi ait : « Ergo Salvator noster discessurus ex hoc « mundo ad Patrem, sacramentum hoc « instituit, in quo divitias divini sui erga « homines amoris velut effudit, memoriam « faciens mirabilium suorum : et in illius « sumptione colere nos sui memoriam « præcepit, suamque annuntiare mor- « tem, donec ipse ad judicandum mundum « veniat. » Præcepit itaque Christus, ut fideles Eucharistiæ sumptione colerent ejus memoriam, et commemorarent ipsius mortem : atque ideo præcepit eisdem Eucharistiæ sumptionem. Nam qui præcipit ut per aliquod opus fiat commemoratio alicujus beneficii accepti, ex ipso modo præcipiendi mandat, quod opus fiat, ut recte expendit Vazquez disp. 113, cap. 2. Merito itaque D. Thomas supposuit, asseruitque Christum eo loco sumptionem Eucharistiæ omnibus præcepisse.

Concil. Trident. — D. Tho. Vazq.

Ratio congruentiæ. 34. Ratio a priori hujus assertionis alia assignari non valet, quam voluntas Christi præcipientis (cum liberum ipsi fuerit ponere, aut non ponere præceptum:) de qua voluntate constat per media proxime assignata, adjuncto satis communi Theologorum consensu. Sed tamen supposita Eucharistiæ institutione, fine, necessitate, efficacia, et utilitate, de quibus egimus locis supra relatis; consequens erat, quod homines obligarentur ad ejus usum : cumque talis institutio fuerit a Christo, ab eodem etiam credendum est ortum duxisse præceptum Eucharistiam suscipiendi. Idque optima congruentiæ ratio declarat : nam Christus instituit hoc sacramentum sub specie panis, et vini ad vitam spiritualem conservandam, atque nutriendam. Unde sicut quia homo nequit naturalem vitam ducere absque cibo, et potu, tenetur congruis temporibus ista sumere ; et nisi sumeret, peccaret : ita quia moraliter fieri non potest, quod homo in vita spirituali perseveret absque cælesti hujus sacramenti alimonia; conveniens fuit, quod Christus homines obligaret ad ejus sumptionem. Et plane cum idem Dominus imposuerit specialia præcepta suscipiendi baptismum, et pœnitentiam; præsumendum non est, quod omiserit præceptum suscipiendi Eucharistiæ sacramentum, quod est omnium sacramentorum finis, utpote sacramentum unionis, et charitatis, quæ virtutum est major, et vinculum perfectionis.

35. Pro contraria sententia negante, quod præcepto aliquo divino obligemur suscipere Eucharistiam, solent referri aliqui ex antiquioribus, Alensis 4 p. quæst. 51, membro 4, D. Bonaventura in 4, dist. 12, in 2, parte distinctionis, artic. 1, quæstione 1, Gabriel lect. 87, in can. *Missæ*, Sylvester verbo *Eucharistia*, tertio, et alii. Cajetanus etiam in præsenti, licet fateatur, quod sententia asserens præceptum divinum est tutior, addit tamen non apparere rationem cogentem, qua id probetur : unde ipse magis inclinat in hanc sententiam negantem. Et principale omnium motivum est illud jam insinuatum ex Cajetano, nimirum non dari fundamentum urgens ad stabiliendum istud præceptum. Sed ad hoc patet ex dictis : nam quæ proposuimus satis efficaciter evincunt nostram, et communem assertionem, præsertim accedente universali consensu Theologorum hujus temporis. Opponi etiam solet auctoritas D. Thom. in 4, distinctione 9, quæst. unica, art. 1, quæstiunc. 2, et distinctione 12, quæstione 3, art. 2, quæstiunc. 1, ubi videtur oppositum docuisse. Sed cum evidens sit S. Doctorem asseruisse aperte sententiam communem

Sententia contraria. — Alensis. D. Bon. Gabriel. Sylvest. Cajet. — Convelluntur motiva. — Mens D. Tho.

communem in posteriori scripto, nempe artic. 11 hujus quæst. ut supra expendimus : non est, cur urgeamur scripto anteriori, et ab ipso saltem virtualiter retractato. Eo vel maxime, quod nec evidens sit oppositum in 4 sententia docuisse ; sed possit non obscure explicari juxta id, quod ipse tradit loco citato ex distinctione 12, ubi ea responsione ad 1, inquit : « Hoc « sacramentum de sui institutione prima « quamvis non sit de necessitate salutis ; « tamen ex institutione Ecclesiæ necessa- « rium efficitur. Et sine hoc etiam neces- « sarium esset, non simpliciter, ut sine « quo non esset salus : sed ex suppositione « finis, si scilicet homo in vita spirituali « firmus persistere vellet. » Ubi aperte recognoscit, quod licet sumptio Eucharistiæ non sit absolute simpliciter necessaria ad salutem, quippe quæ posset per alia media contingere; est tamen necessaria simpliciter ex suppositione finis, nempe quod homo intendat longo tempore in vita gratiæ persistere. In qua profecto necessitate fundatur divinum præceptum.

Divinum de communione præceptum ad quas personas extendatur?

36. Sed quamvis Theologi conveniant in asserendo præceptum istud; dissidere solent cirga non pauca ad ipsum pertinentia, ut constabit resolvendo sequentes quæstiones. Et primo inquiritur quas personas obliget? Et supponitur non obligare parvulos, ut expresse declaravit Concil. Trident. sess. 21, cap. 4, dicens « parvulos « usu rationis carentes nulla obligari ne- « cessitate ad sacramentalem Eucharistiæ « communionem etc. » Supponitur etiam adultos, sive usum rationis, hoc est, discretionem pro cognoscendo cœlesti isto cibo habentes, ligari hujusmodi præcepto: id enim evidenter deducitur ex nostra, et communi assertione, et satis constat ex supra dictis dub. 2, ubi egimus de suscipientibus hoc sacramentum. Unde quæstio devolvitur ad solos infideles, sive ad homines non baptizatos. In quo sensu Suarez disp. 69, sect. 2, dubio 1, suffragantibus Vazquio, Lugone, Conincko, Reginaldo, Becano, Ochagavia, Trullencho, et aliis, affirmat hoc divinum præceptum obligare etiam non baptizatos, et infideles. Tum quia generale est sine determinatione ad peculiares homines, ut constat ex illis verbis : *Nisi manducaveritis etc.* loquebatur enim Christus cum Capharnaitis, quorum magna pars non erat baptizata, et forte nec baptizanda. Tum quia Christus proposuit hoc præceptum potestate divina, quæ ad omnes homines tam baptizatos, quam non baptizatos extendi valet. Tum denique quia etsi sumptio licita Eucharistiæ supponat baptismum ; tamen non est, cur obligatio sumendi Eucharistiam debeat baptismum præsupponere : quin potius homo potest specialiter obligari ad baptismum, ut eo sumpto, queat Eucharistiam suscipere. Sicut quis post peccatum grave nequit communicare, nisi confessione sacramentali præmissa : sed tamen ex hoc ipso obligatur ad confessionem, ut scilicet digne ad Eucharistiam accedat. Unde colligunt hujus sententiæ patroni Cathecumenum, qui in fine vitæ baptismum, et Eucharistiam voluntarie omittit, committere duo peccata mortalia : quia violat duo præcepta divina diversa, et per se obligantia.

Concil. Trident. — Aliquorum opinio circa infideles

Vera sententia. — Soto. Sanchez. Prado. Gonet. — Motiva.

Verior tamen, ac communior est contraria, et negans opinio, quam tuentur Soto in 4, distinctione 18, quæst. 1, artic. 3, Thomas Sanchez lib. 1, *in Decalog.* cap. 12, num. 15, Nugnus, Serra, Candidus, Castro Palao, Fagundez, Bonacina, Diana, Leander, Aversa, Machado, Kellison, Pasqualigus, et alii quos refert, et sequitur Prado in præsenti dub. 16, § 2. Gonet ubi supra num. 7, et alii plures. Probatur : quia licet aliqua lex sit universalis, admittit nihilominus restrictionem juxta habilitatem subjectorum, ut dicitur in leg. *Ut gradatim.* § *Etsi. Cod. de muner. et onor.* ergo licet præceptum istud sit universale, restringi tamen debet ad personas habiles, et capaces : atqui homines non baptizati non sunt capaces suscipiendi sacramentum Eucharistiæ; siquidem baptismus est janua unica ad suscipiendum reliqua sacramenta : ergo præceptum sumendi Eucharistiam non obligat homines non baptizatos. Confirmatur, et declaratur : quia præceptum non habet locum in subjectis, in quibus non est capacitas obligationis ; sed in hominibus non baptizatis non est capacitas obligationis suscipiendi Eucharistiam ; cum tales homines non sint capaces actus præcepti, qui est exercita Eucharistiæ sumptio : ergo istud præceptum non habet locum in hominibus non baptizatis. Quod magis adhuc explicat Soto his fere verbis : Jus divinum supernaturale obligat quidem totum orbem ad suscipiendum Evangelium. Sed tamen obligatio ad diversa sa-

cramenta non exurgit, nisi ex ipsa professione fidei, quæ fit in baptismo: sicut qui facit votum simplex religionis, tenetur quidem ad suscipiendum religionem, non tamen tenetur ad particularia ejus instituta, seu vivendi modum, priusquam illam profiteatur. Unde colligendum est, quod sicut ligatus illo voto suscipiendi, aut profitendi religionem, non peccat omittendo media, aut peculiaria instituta, quæ in tali religione sunt; quia ista non respicit immediate, sed mediante professione: ita similiter homo non baptizatus non peccat in non suscipiendo Eucharistiam; quia ad illam non obligatur immediate, sed mediante baptismo, quem adhuc non suscepit. Quare catechumenus, qui in articulo mortis voluntarie omittit baptismum, et Eucharistiam, non committit duo peccata, sed unum tantum contra præceptum profitendi fidem christianam in susceptione baptismi.

Dispelluntur objecta. Et motiva contraria non urgent. Nam ad primum concedimus præceptum istud generale esse, et in communi propositum fuisse a Christo: sed tamen restrigendum esse intelligitur juxta diversa subjecta, ut proxime diximus. Homo autem non baptizatus non est capax suscipiendi immediate Eucharistiam: atque ideo nec obligationis immediatæ ad talem susceptionem. Et Christus proposuit illud Capharnaitis: non quia obligarentur immediate ad suscipiendum Eucharistiam; sed ut scirent se saltem mediate ad id teneri, id est, post baptismum, ad quem omnes immediate obligantur. Ad secundum concedimus potestatem, qua Christus hanc legem tulit, fuisse divinam, et potuisse ad omnes immediate obligandos se extendere. Sed non habemus fundamentum, ut ita contigisse dicamus; quin magis habemus oppositum: nam juxta ejusdem Christi Domini dispositionem homo non baptizatus non est proxime capax suscipiendi sacramentaliter Eucharistiam. Ad tertium constat ex dictis hominem non baptizatum non esse subjectum immediate capax obligationis suscipiendi Eucharistiam, quia non est simpliciter capax talis susceptionis. Et ad exemplum in contrarium allatum, concesso antecedenti, negamus consequentiam. Et disparitas est, quod homo baptizatus est simpliciter capax suscipiendi Eucharistiam: et ideo licet sit in statu peccati tenetur illam suscipere, et se disponere ad dignam susceptionem, ac perinde ad confessionem sacramentalem, quæ peccatum diluat. Sed homo non baptizatus non est simpliciter, et proxime capax suscipiendi Eucharistiam: et ideo ad id non tenetur: quare licet Eucharistiam non suscipiat, minime peccat contra præceptum illam suscipiendi. Tenetur tamen suscipere baptismum, et eo suscepto ad sumptionem Eucharistiæ.

37. Secundo inquiritur an istud præceptum obliget aliquoties in vita, et præcisive a periculo mortis? Respondetur affirmative cum communi sententia. Et ratio desumitur ex fine institutionis Eucharistiæ, et hujus præcepti: instituta namque est sub specie panis, et vini ad nutriendum, et confortandum spiritualiter animam: unde sicut ad sustentationem vitæ corporalis non sufficit una tantum vice, vel altera sumere cibum; sed sumendus est, quoties opus fuerit propter debilitatem subjecti, et continuam actionem caloris naturalis humidum radicale depascentis: sic non sufficit semel, aut iterum in vita sumere cœlestem cibum; sed illum sumere obligamur, quando necessarium judicaverimus ad vitæ spiritualis conservationem. Et si ulterius inquiras, quoties obligemur ex hoc divino præcepto Eucharistiam sumere? Respondemus id non posse universaliter, et signate diffiniri propter diversas subjectorum dispositiones, et tentationes. Sed tamen censemus, quod per se loquendo satisfit prædicto præcepto suscipiendo Eucharistiam semel in anno. Tum quia hæc non videtur excessiva dilatio in sumendo panem cœlestem. Tum quia Ecclesia videtur sufficienter determinasse divinum præceptum ad tempus istud; frequentiorem præceptura communionem, si communio annualis non sufficeret. Et ita etiam sentiunt Suarez disp. 70, sect. 7, et plures alii, quibus relatis subscribit N. Franciscus loco cit. num. 15. Et diximus *per se loquendo*: quia per accidens potest homo obligari ad majorem Eucharistiæ frequentiam, ut satis colligitur ex præmisso a nobis fundamento: nam contingens est hominem ob insurgentes tentationes, et periculosas occasiones indigere frequentiori cibo spirituali, quo roboretur ad resistendum, et ad perseverandum in gratia.

An aliquoties oblig. Communis resolutio. Suarez. N. Fran.

38. Tertio inquiritur, an istud præceptum

An instet per se in articulo mortis? tum divinum obliget per se in articulo mortis? Negant Cajetanus in summa, verbo *Communio sacramentalis*. Armilla eodem verbo, num. 4, Sylvester *verbo Eucharistia*. 3, Martinus de Ledesma, et alii: qui consequenter asserunt non peccare mortaliter eum, qui in articulo mortis omittit viaticum, secluso contemptu: præsertim si alio tempore, v. g. Paschæ communicaverat. Et eorum motivum est, quod nullum solidum fundamentum adsit oppositæ obligationis: nullibi enim reperimus præceptum divinum specialiter jubens communionem in mortis articulo. (Aliquorum opinio.)

(Vera sententia.) Sed vera, sicut et communis, est contraria sententia, quam tuentur Soto in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 11, Petrus de Soto lect. 9, *de Eucharistia*, § *Secundum*, Prado dub. 16, § 3. Contenson dissert. 4, cap. 1, speculat. 1, § *Hinc sequitur*, Gonet ubi supra num. 4, N. Franciscus loco cit. num. 4, qui pro eodem refert D. Thom. in præs. art. 11, (sed id in S. Doctore non reperimus.) Suarium, Vazquium. Valentiam, Bonacinam, Leandrum, et alios. Et Leander ipse disp. 2, quæst. 4, affert viginti quatuor Auctores. Et alios plurimos refert Pasqualigus disp. 118, sect. 3. Probatur destruendo simul motivum oppositum: nam juxta generalem regulam propositam a D. Aug. lib. 3, *de baptismo*, cap. 24, indicium divini juris est, quod aliquid in tota Ecclesia servetur, cujus initium ignoratur: id enim non aliunde promanasse intelligendum est, quam a Christo Domino, et ad nos derivari per traditionem Apostolorum. Sed quod fideles in articulo mortis recipiant Eucharistiam per modum viatici est hujusmodi, ut patet ex Concilio Niceno can. 13, (et refertur in can. *De his* 26, quæst. 6,) ubi dicitur: « De his, qui decedunt de corpore, antiqua legis regula « observabitur etiam nunc: ita ut si quis « forte recedat ex corpore, necessario vitæ « suæ non fraudetur viatico. » Ubi ly *legis* significat præceptum: aliunde vero dicitur antiqua, et nullum ejus principium assignatur. Et eodem fere modo se gerunt Concilium Carthaginense Quartum cap. 77, et 78, Arausicanum cap. 13, Arelatense 2, cap. 11, Toletanum 11, cap. 18, Anciranum cap. 12, et alia, supponentia obligationem fidelium, ne absque Eucharistia moriantur, et præcipientia, ut ministri eam illis præbeant. Ergo indicium est obligationem fidelium ad suscipiendum viaticum in articulo mortis esse ex præcepto divino. Confirmatur: nam cum præceptum divinum suscipiendi Eucharistiam sit affirmativum; aliquod tempus assignandum est, in quo obliget: sed nullum aliud aptius assignari valet, quam articulus mortis: ergo homines in eo constituti tenentur ex præcepto divino illam tunc suscipere. Probatur minor: tum quia hoc sacramentum institutum est ad roborandum spirituales animæ vires: nunquam autem homo magis hoc subsidio indiget, quam in articulo mortis, ubi diabolus vehementiores tentationes, et magis periculosas insidias molitur, sciens, quia modicum tempus habet. Tum etiam quia expedit morientem signo aliquo externo testari se mori in communione catholica: ad quod potissimum deservit ex suo fine Eucharistia, quæ est signum Christianæ unitatis: ergo articulus mortis est tempus opportunissimum, in quo recipiatur. Tum denique quia præcepta eo tempore maxime urgent, in quo res præcepta censetur valde necessaria ad finem præcepti: sed finis Eucharistiæ est unio cum Deo, quæ maxime necessaria est in articulo mortis contra insidias inimici: ergo illud tempus est valde opportunum, in quo specialiter urgeat præceptum divinum de Eucharistia suscipienda. Et per hæc satis constat ad oppositum fundamentum. (Soto. Prado. Contens. Gonet. N. Fran. Suarez. Leand. Pasqual. — Motivum. — Concil. Nicen. — Plura Concilia.)

(Dubium incidens circa idem.) 29. Hinc autem oritur quarta quæstio, an qui non longe ante periculum mortis, v. g. tribus, sex, aut octo diebus susceperat Eucharistiam vel ex præcepto tempore Paschali, vel ex devotione in aliquo festo, obligetur adhuc in eo articulo constitutus denuo suscipere Eucharistiam ad satisfaciendum præcepto divino, quod in præcedentibus statuimus? Affirmant Vazquez disp. 214, cap. 6, Castro Palao, Leander, et alii, quos refert, et sequitur N. Franciscus ubi supra num. 7, et 8. Fundamentum eorum est: quia obligatio hujus præcepti instat specialiter in articulo mortis, et tempore præcedenti non instat: ergo tali obligationi satisfieri non potest per communionem tribus, vel sex diebus prius factam. Et confirmatur exemplo: nam si quis in articulo mortis constitutus omittat suscipere Eucharistiam, licet postea convalescat non tenetur ex vi hujus Eucharistiam suscipere; quia videlicet præceptum (Aliquorum opinio. — Vasq. N. Fran.)

divinum suscipiendi viaticum instat specialiter tempore mortis, eique alligatur: ergo pariter nequit tali præcepto satisfieri per communionem susceptam ante articulum mortis: quippe obligatio hæc determinatur illi tempori, et non occurrebat in præcedenti.

Vera sententia. Sed probabiliorem censemus sententiam contrariam, et negativam: quam tuentur Paludanus in 4, dist. 9, quæst. 1, Soto in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 11, § *Ex his ergo*. Serra in præs. art. 11, § *Ex his*. Suarez, Bonacina, Coninckus, Trullench, Lugo, et alii, quos refert, et sequitur Prado dub. 16, num. 40. Et probatur: nam cum divinum præceptum sumendi Eucharistiam in articulo mortis non habeat formam expressam in Scriptura, vel in aliquo Concilio; explicandum est juxta finem, ad quem ordinatur. Hic autem est, ne homines aggrediantur viam æternitatis absque isto subsidio: in quo datur latitudo moralis, et non occurrit alligatio ad illum articulum mathematice, vel ad durationem aliquantulum præcedentem: præsertim cum ex Eucharistia paulo ante sumpta possit infirmus habere easdem vires spirituales, quas si illam susciperet in eo articulo. Ergo qui tribus, aut sex diebus ante articulum mortis susceperat Eucharistiam, non obligatur præcepto divino ad illam iterum in eo articulo suscipiendam. Et confirmatur destruendo oppositum fundamentum: nam si istud præceptum ita esset alligatum articulo mortis, ut per communionem factam uno, aut duobus diebus antecedentibus non excusaretur homo a suscipiendo Eucharistiam in illo articulo; pariter non excusaretur, qui una, vel duabus horis prius illam sumpserat, et deinde vel ex violentia infirmitatis, vel ex vulnere incideret in mortis periculum: atque ideo deberet iterum sumere Eucharistiam per modum viatici. Id autem est absurdum et contra consuetudinem Ecclesiæ. Ergo sicut per communionem una, vel duabus horis prius factam excusatur homo a suscipiendo Eucharistiam; non obstante, quod in præcedenti hora non urgebat specialiter præceptum suscipiendi viaticum in mortis articulo; quia hæc accipienda sunt non mathematice, sed moraliter, et per respectum ad finem talis præcepti: ita etiam, et ob idem motivum dici debet, ubi communio præcessit tribus, aut sex diebus. Et sic corruit præcipuum Adversariorum motivum. Non latet nos quosdam Regulares id, quod tanquam absurdum in hac confirmatione deduximus, practicare, ut videre licet apud Dianam tom. 6, tract. 6, resolut. 18, et ita fecisse cum quodam eorum Generali, refert Amicus in præs. disp. 77. Unde isti forte admittent, quod pro inconvenienti opposuimus. Sed sufficit, si vel tale sit juxta communem sententiam, et Ecclesiasticum usum, ut supra observavimus n. 26. Et plane D. Thom. in præs. art. 10 ad 4, ita supponit, cum ait: « Dicendum, quod quia Dominus dicit, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, non est pluries in die communicandum: ut saltem per hoc, quod aliquis semel in die communicat, repræsentetur unitas passionis Christi. »

Palud. Soto. Serra. Suarez. Prado. Motiva. Nota. Diana. Amicus.

Evertitur oppositum fundamentum. Ex quibus patet ad fundamentum contrariæ opinionis: nam licet præceptum divinum sumendi viaticum obliget determinate in articulo mortis; nihilominus talis determinatio non est indivisibilis, sed admittit latitudinem moralem per comparationem ad finem talis præcepti: ad quem parum, aut nihil interest, quod Eucharistia sumatur in illo articulo, vel paulo ante; cum infirmus possit utroque modo habere easdem vires spirituales. Unde non dubitamus eum, cui ex divina revelatione constaret, se post tres, aut quatuor dies constituendum esse in articulo mortis, posse tertio, aut quarto ante illud periculum die suscipere Eucharistiam in ordine ad finem adimplendi istud præceptum, illique satisfacere. Et quod prius non cognoscatur, est per accidens. Sufficit autem, quod postea cognoscat homo se tali præcepto per communionem antecedentem satisfecisse. Sicut si quis audiat Missam in die, quam ignorat esse festum: quamvis enim id postea cognoscat, non obligatur aliam Missam audire, sed rationabiliter judicat se adimplevisse præceptum per primum sacrum. Ad confirmationem concesso antecedenti, negamus consequentiam. Et ratio est: quia præceptum obligat in articulo mortis cum alligatione ad prædictum articulum, ut constat ex fine talis præcepti, nempe ut homo habeat tunc majores vires spirituales, quales illius articuli pericula postulant. Unde etsi quis peccaverit non suscipiendo in eo articulo Eucharistiam; tamen eo transacto non tenetur eam suscipere:

Nota.

pere:

pere : quia cessavit tempus, et finis obligationis, ut cum Bonacina, et aliis communiter docet N. Franciscus ubi supra n. 10. *N. Fran.* Cæterum prædicto fini satis occurritur per sumptionem Eucharistiæ vel in ipso articulo, vel paulo ante, ut supra ostendimus: unde in qualibet harum durationum sumatur, præcepto satisfit, et cessat obligatio.

Aliquorum opinio circa pueros in articulo mortis 40. Quinta quæstio est, an pueri doli capaces, licet nunquam susceperint sacramenta pœnitentiæ, et Eucharistiæ, teneantur in articulo mortis istud sacramentum suscipere? Negant Navarrus, Vazquez, Granados, et alii. Quorum fundamentum est istos pueros non comprehendi in præcepto Ecclesiæ de annua communione, sed probandos esse arbitrio prudentis confessarii, ut supra diximus n. 12; ergo pariter non comprehenduntur in præcepto divino sumendi Eucharistiam in articulo mortis.

Vera sententia. Sed longe verior est sententia contraria obligans pueros istos, ut insinuavimus loco cit. cum Suario, Lugone, et aliis docet N. Franciscus num. 12. Quoniam in his pueris doli capacibus occurrit etiam finis prædicti præcepti : possunt enim, et solent in eo articulo constituti agitari tentationibus, et insidiis diaboli, sicut et alii adulti : ergo oportet ipsos, sicut et alios adultos, suscipere tunc Eucharistiam, et ab hoc divino præcepto obligari. Præsertim cum istud universale sit respectu adultorum : et de materiali se habeat ad rationem adulti, quod sit paucorum annorum, vel plurium ; cum possit esse malitia, et discretio sufficiens. Et confirmatur diluendo simul motivum contrarium : nam quantum ad communionem, quæ fit extra articulum mortis, non erat determinatio ad certum tempus ex divino præcepto : unde oportuit, quod Ecclesia tale præceptum determinaret ad confessionem annuam, ut § seq. videbimus; et quod parvulorum communionem relinqueret confessariorum judicio, propter diversam illorum capacitatem, et instructionem. Sed Ecclesia opus non habuit simili determinatione quantum ad articulum mortis : quia quantum ad illud tempus divinum præceptum est determinatum pro omnibus adultis. Unde pueri doli capaces independenter ab alia determinatione per Ecclesiam, obligantur divino præcepto Eucharistiam in articulo mortis suscipere.

41. Sexto dubitari potest, an qui constitutus in eo articulo indigne communicat, satisfaciat huic præcepto? Affirmat Lugo disp. 6, num. 44, quia præceptum hoc solum obligat ad communionem secundum substantiam. Unde colligit idem Auctor, quod si iste resipiscens confiteatur hoc peccatum cum aliis, non obligatur saltem intra breve tempus suscipere viaticum. *Aliud dubium pro eodem articulo.* *Lugo.*

Vera sententia. Sed hanc sententiam censemus valde falsam : nam quidquid sit de potestate Ecclesiæ in ordine ad actus internos (de quo infra n. 45), dubitandum non est divinum præceptum obligare ad dignam communionem : sed præceptum suscipiendi Eucharistiam in articulo mortis est divinum, ut prædictus Auctor cum communi sententia concedit : ergo obligat non solum ad communionem secundum substantiam, sed ad communionem dignam ; atque ideo sacrilege communicans non satisfacit tali præcepto. Unde non videmus, qualiter ea doctrina effugiat damnationem, qua Sanctissimus D. N. Innocentius XI inter alias propositiones reprobavit hanc in numero 55 : «Præcepto communionis annuæ satisfit « per sacrilegam Domini manducationem.» Sed de hoc iterum sermo redibit loco cit. Licet autem res ita se habeat; tamen fatendum est infirmum, qui post digne susceptum viaticum peccat mortaliter, non teneri suscipere iterum in eodem articulo viaticum. Tum quia jam satisfecit præcepto divino illud suscipiendi. Tum quia uti potest aliis mediis ad salutem, ut contritione, confessione, et extrema unctione. Et quamvis in horum usu includatur votum eucharistiæ, ut diximus disp. 3, dub. 1, tamen suscipere bis viaticum in eodem mortis articulo, et intra paucos dies, non est communiter receptum, et Parochi talem obligationem minime agnoscunt, ut observat Prado dub. 16, n, 56. Consuleremus tamen, ut secluso scandalo Eucharistia tali infirmo conferretur. *Nota.* *Prado.*

Duo circa hanc materiam observanda 42. Duo denique, antequam hanc partem absolvamus, circa istud præceptum observanda sunt. Primum minime obligare moribundum ad susceptionem Eucharistiæ cum periculo vomitus : quia attendi in his omnibus maxime debet reverentia erga sacramentum. Quomodo autem possit circa id experientia fieri in hostia non consecrata, alii communiter exponunt, et videri potest apud N. Franciscum num. 14. Secun-

dum reos damnatos ad mortem teneri divino isto præcepto ad suscipiendum viaticum : militat enim in illis eadem ratio ac in aliis ex infirmitate morituris. An autem judex teneatur id illis permittere, et necessarium tempus ad id concedere, alia quæstio est. Et olim quidem in Hispania hoc subsidium ultimo supplicio afficiendis negabatur. Sed nunc oppositum practicatur juxta mandatum S. Pii V, in motu proprio edito anno 1569. Idemque regia pietate, et auctoritate confirmavit Philippus II, et habetur leg. 9, lib. 1, titul. 2, *novæ Recollectionis*. Et ita per se loquendo fieri oportebat, ut bene observat Suarez disp. 69, sect. 3. Apud Gallos autem esse contrarium usum scimus ex Gamachæo 3, p. quæst. 79, cap. 2. concl. ultima. Pro quo usu tuendo videri possunt, quæ olim sapientissimus Soto in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 11, § *De illa autem* scribebat in patrocinium consuetudinis Hispanorum. Videatur etiam Contenson et ipse Gallus, dissert. 4, cap. 1, specul. 1, ubi observat non esse obligationem ministrandi Eucharistiam singulis reis ad mortem damnatis : quia licet singuli debeant illam optare, et sibi oblatam recipere ; ejusdem tamen dispensandæ modum, et rationem Christus Ecclesiæ pastoribus permisit : et horum judicio standum est juxta varias temporum, et nationum consuetudines. Apud omnes autem tenendum est, quod si reus intra assignatum sibi tempus noluerit Eucharistiam suscipere ; potest judex licite ad mortem ejus procedere : ne alias detur ejusmodi hominibus occasio non sumendi Eucharistiam, ut se a morte eripiant eludendo publicam potestatem, sicut optime tradit Soto lib. 5, de just. et jure quæst. 1, art. 2.

Pius V. Suarez. Gamach. Soto. Conten. Nota ex Soto.

§ II.

Secundæ partis dubii resolutio.

Præceptum Ecclesiasticum.

43. Veniamus jam ad præceptum ecclesiasticum de Eucharistia suscipienda. Et notat D. Thom. in præs. art. 10, ad 5 : « quod secundum diversum statum Ecclesiæ diversa circa hoc statuta emanaverunt. Nam in primitiva Ecclesia, quando « magna vigebat devotio fidei Christianæ, « statutum fuit, ut quotidie fideles com« municarent. Unde Anacletus Papa (re« fertur in cap. Episcopus, de consecrat. « disp. 1), dicit : Peracta consecratione « omnes communicent, qui noluerint Ec« clesiasticis carere liminibus. Sic enim « et Apostoli statuerunt, et Sancta Romana « tenet Ecclesia. Postmodum vero dimi« nuto fidei fervore, Fabianus Papa (re« fertur in cap. Et si non frequentius, de « consecrat. dist. 2), indulsit, ut si non « frequentius, saltem ter in anno omnes « communicent, scilicet in Pascha, Pente« coste, et Natali Domini. Soter etiam Papa « dicit in cœna Domini esse etiam commu« nicandum, ut habetur in Decreto con« secrat. dist. 2, (nempe cap. in Cœna). « Postmodum propter iniquitatis abundan« tiam refrigescente charitate multorum, « Innocentius Tertius, ut saltem semel in « anno in Pascha fideles communicent. » Porro decretum Innocentii Tertii relatum in cap. *Omnis utriusque sexus, de pœnitentiis, et remiss.* ita se habet : « Omnis utrius« que sexus fidelis, postquam ad annos dis« cretionis pervenerit, semel saltem in « anno confiteatur, suscipiens reverenter « adminus in Pascha Eucharistiæ sacra« mentum : nisi forte de proprii Sacerdotis « consilio ob aliquam rationabilem cau« sam ad tempus ab hujusmodi percep« tione duxerit abstinendum. Alioquin et « vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et « moriens ecclesiastica careat sepultura. » Fuit autem valide conveniens, ut Pontifex ita decreverit : quia ex una parte datur divinum præceptum de sumendo aliquoties Eucharistiam, quod tamen non determinat tempus, et ex alia parte Christiani nimis desides erant in hoc sacramento suscipiendo, cum magno suarum animarum periculo ob transgressionem divini mandati : unde oportuit Ecclesiam illud tempus determinare : idque factum est decreto Pontificis assignantis unam communionem annuam in tempore Paschæ. Nec enim id tempus nimis longum est, ut culpabiliter differatur obedientia ad præceptum divinum: nec est nimis breve, ut propterea tepidi Christiani clamarent se illo multum gravari. Unde apparet summa impudentia Lutheri, et Calvini pessime de isto decreto, judicantium. Ille in serm. *de confess. et sacram. Euchar.* asseruit « errare illos graviter, « qui cogunt homines sub peccato mortali « in festo Paschatis Euchariastiam acci« pere. » Iste vero lib. 4 *Instit.* cap. 17,

Obligans ad communionem annuam. Luther. Calvin.

§ 46, furiosus evomuit : « Hæc consuetudo, « quæ semel quotannis communicare jubet, « certissimum est diaboli inventum, cu- « juscumque tandem ministerio invectum « fuerit. » Sed blasphemas istorum voces compescuit Concilium Trident. sess. 13, can. 9, diffiniens : « Si quis negaverit « omnes, et singulos fideles utriusque « sexus, cum ad annos discretionis perve- « nerint, teneri singulis annis, saltem in « Paschate ad communicandum, juxta « præceptum sanctæ matris Ecclesiæ ; ana- « thema sit.

Damnantur in Tridentino.

Tempus, pro quo obligat hoc præceptum.

44. Pro majori autem hujus præcepti, et ad illud pertinentium notitia, animadvertendum est primo, quod nomine Paschæ, aut Paschatis, quo utuntur Innocentius, et Concilium, non intelligitur solus dies Paschæ, sive Dominica Resurrectionis ; sed intelligitur quindena illa, quæ a Dominica in Ramis usque ad Dominicam in Albis inclusive protrahitur. Nam ita declaravit Eugenius IV, *in Extravag.* quæ incipit, *Fide digna*, et cujus mentionem faciunt Sylvester verbo *Eucharistia* 3, quæst. 15, num. 17, Suarez disp. 70, sect. 2, et alii communiter. Et ita res se habet de jure communi. Sed in aliquibus Provinciis consuetudine introductum est, ut in quolibet die Quadragesimæ usque ad Dominicam in Albis possint fideles præceptum hoc annuæ communionis adimplere. Et ita plures testantur practicari in Germania, in Mediolano, in Valentia, et Lusitania, ut refert Prado quæst. 80, dub. 17, num. 27. Quin et in Hispania posse idem fieri affirmant non pauci, quos refert, et sequitur Leander disp. 3, quæst. 12, idque probant ex quadam speciali concessione Clementis Septimi. Sed tamen Suarez loco cit. non immerito dubitat de tali concessione. Et forte, si aliquando extitit, facta fuit vivæ vocis oraculo : atque ideo revocata manet decreto Urbani Octavi. Et Barbosa *in Collect.* 209, refert contrariam Cardinalium declarationem. Et certe, quidquid olim fuerit de contrario usu vel per privilegium, vel per consuetudinem introducto ; nunc omnes in Regnis Castellæ, Legionis, Aragoniæ, et Navarræ curant satisfacere tali præcepto juxta jus commune, ut experientia liquet, et etiam ex Constitutionibus Synodalibus singularum Diœcesum.

Sylvest. Suarez.

Leand.

Barbos.

Observandum est secundo fideles, ut huic præcepto satisfaciant, debere accipere communionem in propria Parochia, et de manu proprii pastoris, hoc est vel Summi Pontificis in toto orbe, vel sui Espiscopi in sua Diœcesi, vel denique proprii Parochi in sua Parochia. Nam ita disponitur in dicto cap. *Omnis supra allegato*, et docent unanimiter Auctores, et ipsa consuetudine constat. Fuitque ista dispositio satis rationabilis, ut Christianus ibi susciperet alimenta vitæ, ubi primum in Christo vitam spiritualem accepit : et ne videretur pastorem oblivisci, qui ab eo pane vitæ pasci nunquam curaret. Sed ab hac communi regula plures excipiuntur. In primis habentes contrarium privilegium. Deinde qui habent licentiam Parochi ad oppositum. Et hi duo casus expresse excipiuntur in cap. citato. Præterea sacerdotes ubivis celebrantes : nam præceptum illud solum dirigitur ad laicos, vel ad laicali more communicantes. Insuper sæculares Regularium familiares, in eorum domibus, vel locis a cura Parochorum exemptis habitantes : hi enim possunt communionem annuam suscipere in prædictis locis : quia Regulares gaudent hoc privilegio pro suis famulis. Item peregrini forenses, et quilibet alii extra suum domicilium existentes, ita ut commode non valeant ad proprios parochos accedere : hi enim juxta declarationem Eugenii IV, possunt suscipere communionem de manu cujuslibet sacerdotis vel regularis, vel sæcularis facultatem ministrandi Eucharistiam habentis. Deinde, qui tempore Paschæ in aliena Parochia degit, satisfacit præcepto, si in tali Parochia communicet : quia ita etiam declaravit Eugenius. Denique qui cum licentia pastoris certo præsumpta, sive moraliter certa communicat in Ecclesia Regularium vel in ipso die Paschæ, etiam satisfacit præcepto : quia habens talem certitudinem moralem vere agit cum Parochi licentia : quod esse licitum supra diximus. Et circa omnes hos casus, qui diffusiorem notitiam desiderat, consulat Thomam Sanchez lib. 3, *de matrimonio* disp. 23, Bonacinam disp. 4, q. 6, punct. 2, Lugum disp. 18, sect. 2, Dicastillum disp. 10, dub. 7, et alios apud N. Franciscum cap. 8, punct. 2, a num. 28.

Quo loco, et a quo ministro ?

Limitationes.

Sanchez. Bonacin. Lugo. Dicastil. N. Fran.

Aliquorum opinio circa communionem sacrilegam.

45. His circa existentiam, et legitimam intelligentiam prædicti præcepti suppositis, aliqua dubia in ordine ad ejus adimpletionem occurrunt. Et primo inquiritur, an

quis illi satisfaciat per voluntariam Eucharistiæ susceptionem licet indignam, et sacrilegam. Affirmarunt Suarez disp. 70, sect. 3, Vazquez disp. 214, cap. 4, Lugo disp. 16, sect. 4, Dicastillo, Azor, et alii plures, quos retulit, et olim sequutus fuit N. Franciscus cap. 8, punct. 2, num. 25. Quam suadebant : quia Ecclesia nequit præcipere actus internos, sed solam materiam externam : ergo præcipiendo communionem annuam solum præcipit communionem materialem, sacramentalem, et realem : ergo qui hanc exequitur, satisfacit illi Ecclesiæ præcepto : quidquid fuerit de dispositione interna, secundum quam sacrilege communicat. Idque declaratur exemplo præcepti audiendi Missam : in quo licet Ecclesia intendat attentionem, devotionem, et profectum fidelium ; ista nihilominus non sunt materia præcepti, sed finis præcepti, qui sub præcepto non cadit. Et ideo tali præcepto satisfacit, qui re vera Missam audit, tametsi ejusmodi auditio sit prava ex fine, aut aliis capitibus. Idem ergo de præcepto communionis annuæ, et ejus adimpletione dicendum est.

Suarez. Vazq. Lugo. N. Fran. Fudamentum.

Sed prædicta sententia reprobata est per SS. D. N. Innocentium XI, inter alias plures propositiones, quarum in numero hæc est 55 : « Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem. » Et ita omnino tenendum est oppositum. Quod vel antecedenter ad illam condemnationem docuerunt Capreolus in 2, dist. 41, quæst. 1, art. 3, Nugnus in præs. art 11, dub. 5, Sylvius quæsito 2, Gonet disp. 9, art. 1, num. 13, Huertos in compendio quæst. 80, in fine, Contenson dissert. 4, cap. 1, speculat. 1, in fine, Bartholomeus ab Angelo dialog. 46, § 176, Pasqualigus disp. 118, sect. 13. Probatur primo : nam per confessionem sacrilegam non fit satis præcepto Ecclesiæ de annua confessione : ergo nec per communionem sacrilegam satisfit præcepto de communione annua. Consequentia videtur evidens a paritate. Et antecedens est omnino certum : nam inter propositiones reprobatas, et condemnatas per SS. D. N. Alexandrum VII, reperitur ista in num. 14 : « Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ. » Probatur secundo : quia hoc ecclesiasticum præceptum est determinatio præcepti divini, ut non obscure constat ex dictis num. 43, unde Ecclesia talem communionem præcipit fieri in singulis annis, qualem Christus sine hac determinatione fieri præcepit. Sed Christus præcepit manducationem piam et salutarem ; siquidem illam præcepit tanquam medium ad conservationem vitæ spiritualis : unde dicebat Joan. 6: *Et qui manducat me, vivet propter me.* Ergo Ecclesia præcipit fieri singulis annis hujusmodi communionem piam, et salutarem : atque ideo qui sacrilege communicat, non satisfacit huic Ecclesiæ præcepto. Idque magis declaratur exemplo præcepti naturalis sumendi cibum ut medium ad conservationem corporalis vitæ : cui minime satisfacit, qui sumit cibum cum veneno; quippe ponit obicem, ut vitam nutriat. Et idem contingit in eo, qui sumit panem cælestem cum veneno peccati, in quo est, juxta illud Augustini tract. 26, in Joann. « Nonne bucella Dominica venenum fuit Judæ? Et tamen accepit. Et cum accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. »

Reprobatur. Vera, et certa sententia. Capreol. Nugnus Sylvius. Gonet. Huertos. Contens. Pasqual. Urgentia motiva. Joann. 6. D. Aug.

Juxta quæ evertitur oppositum fundamentum : tum quia licet hoc præceptum quantum ad determinationem peculiaris temporis sit ecclesiasticum ; nihilominus quoad substantiam est divinum : et dubium non est, quod Deus possit præcipere actus mere internos. Tum quia principium ab Adversariis assumptum est ruinosum, et plures habens exceptiones, licet enim Ecclesia non possit præcipere primario, et directe actus internos ; potest tamen illos præcipere secundario, et indirecte : quando videlicet necessarii sunt ad actum externum directe præceptum. Unde videmus, quod Ecclesia *in Clementina* 1, *de hæreticis*, cap. *Multorum* circa finem, excommunicat Inquisitores, qui ex amore, vel odio omittunt contra aliquem procedere, vel præsumunt aliquem vexare. Et in cap. *Dolentes de celebrat. Missar.* præcipit clericis, ut celebrent officium divinum *studiose, et devote.* Cur ergo non potuit præcipere, ut fideles sumerent communionem sancte, seu non sacrilege ? Præcepit plane, ut constat ex verbis supra relatis Innocentii Tertii: « Suscipiens reverenter Eucharistiæ sacramentum. » Unde excluduntur exempla particularia in hac, vel illa materia, ut est illud de audiente Missam : præterquam

Corruunt objecta.

quam quod et iste debet aliquam attentionem habere; et si omni careat, non satisfacit Ecclesiæ præcepto.

Dubium de non communicante tempore Paschatis. 46. Inquiritur secundo, an ille, qui vel ex malitia, vel ex impotentia non communicavit tempore Paschatis, teneatur postea quam primum communicare? Negant D. Antoninus 3 part. tit. 14, cap. 19, § 3, Sylvester verbo *Eucharistia* 3, quæst. 15, conclus. 3, Soto in 4, dist. 18, quæst. 1, art. 4, in fine, Bonacina disp. 4, quæst. 7, punct. 2, Valentia, Henriquez, et Toletus, quos refert, et sequitur Granados tract. 10, disp. 4, num. 7. Plurium opinio, et motivum. Et commune omnium fundamentum est, quod quando aliquid præcipitur pro tempore aliquo determinato, elapso eo tempore, cessat obligatio. Unde nullus tenetur supplere omissum jejunium, vel omissam Missam, vel omissam recitationem officii divini. Ergo idem dici debet de omittente sacram communionem in Paschate. Eo vel maxime, quod præceptum communionis fuerit huic tempori alligatum propter memoriam Dominicæ Cœnæ, et Passionis: quare tali tempore transacto cessat hic finis, atque ideo obligatio orta ex præcepto sumendi illo tempore Eucharistiam.

Vera sententia. Sed vera est, sicut, et longe communior, contraria sententia, quam defendunt Paludanus in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 5, num. 15, Viguerius in Instit. cap. 16, § 3, vers. 19, Petrus de Ledesma cap. 15, conclus. 3, in fine, Nugnus in præs. art. 11, dub. 3, Sylvius ibidem, Prado dub. 17, § 4, num. 35, Gonet ubi supra num. 12, Contenson loco cit. § *Ejusdem etiam*, N. Franciscus cap. 8, punct. 2, num. 21, Suarez disp. 70, sect. 2, Leander disp. 3, quæst. 29, Pasqualigus disp. 118, sect. 10, Vazquez, Azor, Coninckus, Layman, et plures alii apud Franciscum loco citato. (Palud. Viguer. Ledesm. Nugnus. Prado. Gonet. Contens. Suarez. Leand.)

Fundamentum. Et probatur: quia præceptum ecclesiasticum sumendi Eucharistiam tempore Paschatis est determinatio divini præcepti obligantis ad sumendum Eucharistiam pro conservatione vitæ spiritualis. Unde tempus Paschale non assignatur ab Ecclesia tanquam terminus præfixus ad finiendam obligationem: sed ne ultra illud differatur communio, ut satis expressit Innocentius Tertius dicens: « Suscipiens reverenter ad « minus in Pascha Eucharistiæ sacramen- « tum: nisi forte de proprii sacerdotis con- « silio ob aliquam rationabilem causam ad « tempus ab hujusmodi perceptione duxerit « abstinendum. » Constat autem, quod quando terminus non assignatur ad finiendum obligationem, sed ne ultra illum protendatur satisfactio, vel solutio, tunc qui in eo tempore non solvit; minime liberatur ab obligatione solvendi, aut satisfaciendi, quam primum possit. Unde obligatus solvere centum aureos tempore Paschatis, si tunc non solvat, quia vel non vult, vel non valet, minime eximitur a debito solvendi, ubi primum queat, ut sumitur ex leg. Celsus, § *sed ipse, ff. de receptis arbitris*. Ergo qui tempore Paschæ, vel ob impotentiam, vel ob malitiam non suscipit communionem, vel illam sacrilege sumit juxta dicta n. præced. minime liberatur a præcepto suscipiendi communionem, sed manet sub eadem obligatione suscipiendi illam, ubi primum possit. Unde patet ad motivum contrariæ opinionis: nam in aliis præceptis solet assignari terminus ad finiendam obligationem: unde elapso termino, cessat obligatio. Sed in præsenti assignatur terminus, ut communio ultra non differatur: quare illo etiam transacto, durat obligatio communicandi. Et ita evacuatur difficultatis augmentum: nam motivum principale hujus ecclesiastici præcepti est, ne diutius differatur communio contra præceptum divinum: ex consequenti vero attendit Ecclesia ad solemnitatem temporis, quod congruentius apparuit. Unde particulæ, *ad minus*, et *saltem*, quibus utuntur Innocentius, et Concilium Trident. sunt præcise subsidiariæ ut cum Baldo, Menochio, et aliis bene observat Pasqualigus loco citato. Atque ideo non limitant obligationem ad illud præcise tempus, sed relinquunt locum, ut eidem satisfiat in alio tempore, si in assignato non fuerit. Quæ omnia valide confirmantur ex praxi prælatorum, et parochorum, qui urgere curant eos, qui in Paschate non communicaverunt, ut adhuc communicent. Nec procedunt quasi imponendo novum præceptum: sed insistendo in adimpletione communis Ecclesiæ præcepti. Durat itaque illius obligatio. (Diruitur oppositum. Pasqual.)

Consectarium. Juxta quam resolutionem consequenter dicendum est eum, qui in Paschate non communicavit, teneri sub peccato mortali suscipere communionem, quam primum moraliter possit: atque ideo peccare de novo mortaliter, quoties potest, et non com-

municat. Quod facile declaratur exemplo ejus, qui debet solvere pecuniam, et non solvit, cum possit: hic enim non solum est quasi in continuo peccato; sed peccat etiam de novo, ubi omittit occasiones solvendi, in quibus valet. Sed quid dicemus de eo, qui communionem distulit usque ad sequens Pascha? Tenebitur ne ad duas communiones? Videtur, quod non: nam sic practicatur circa præceptum confessionis, licet quis in pluribus annis non susceperit sacramentum pœnitentiæ. Et ex opposito fieret eum, qui triginta annis omisit Eucharistiam accipere, debere triginta vicibus communicare, ubi resipiscit. Nota. Quod tamen a nemine concedetur, et est contra consuetudinem Ecclesiæ.

An teneatur quis anticipare communionem? 47. Inquiritur secundo, an qui prævidet, quod tempore Paschali assignato non poterit communicare ob aliquod superveniens impedimentum, v. g. quia eo tempore navigaturus est, teneatur communionem anticipare? D. Antonius, Durandus, Cano, Petrus de Ledesma, Joannes a Cruce, Vazquez, et plures alii apud Pradum loco Qui affirmant cit. § 5, n. 39, absolute affirmant: tum ratione, quia hoc præceptum non obligat cum omnimoda determinatione ad tempus Paschale, sed ne ultra differatur communio, ut vidimus n. præced. ergo qui prævidet, quod postea non poterit adimplere istud præceptum, tenetur anticipare adimpletionem. Tum exemplo, nam qui in die festo prævidet, quod non poterit audire sacrum hora decima, vel duodecima, tenetur anticipare audiendo sacrum in alia hora: ergo idem dicendum est in præsenti casu. E contra vero Azor, Suarez, Coninkus, Candidus, Pasqualigus, Leander, et Qui negant. plures alii apud eundem Pradum n. 42, absolute negant: quia hoc sicut, et alia præcepta non obligant ad præventionem anticipatam, ubi prævidetur impossibilitas futura: unde nemo obligatur hodie jejunare, vel audire sacrum, quia cras non poterit. Per quod solvitur exemplum præcepti audiendi sacrum in die festo, quo utitur sententia contraria: nam illa obligatio durat per totum mane diei festi: quare qui non potest in una hora, tenetur audire sacrum in alia. Nec etiam obstat resolutio, quam num. præced. stabilivimus: quoniam assignatio temporis Paschalis non ponitur ad extinguendum obligationem, sed ad sollicitandum ejus adimpletionem, ne ulterius differatur. Sed tamen nullum præceptum inducit obligationem, pro tempore antecedenti illud, quod tale præceptum assignat. Nulla itaque est obligatio præveniendi communionem.

Utraque sententia absolute procedendo, Propria sententia. sive rem in genere determinando, est probabilis, secunda probabilior: sed neutra, (quia absolute, et sine distinctione procedit) scopum veritatis attingit. Distinguendum ergo est cum doctis Recentioribus statim referendis. Nam cum hoc præceptum ecclesiasticum sit determinatio præcepti divini; duo claudit, nempe ne communio ultra annum differatur, quæ obligatio oritur ex præcepto divino: et ut communio fiat determinate tempore Paschali, quæ obligatio oritur ex decreto Ecclesiæ. Rursus distinguere oportet: nam ille, qui prævidet, quod tempore Paschali non poterit Eucharistiam suscipere, aut suscepit in illo anno communionem, aut saltem videt se posse illam accipere post tempus Paschale intra eundem annum, v. g. uno, aut duobus mensibus post Pascha: vel, qui ita prævidet, non suscepit in illo anno communionem, et simul cognoscit, quod nec post tempus Paschale poterit illam suscipere, quia suscepturus est longissimam v. g. navigationem. Igitur loquendo de hoc ultimo, veram censemus primam sententiam, et omnino practicandam: nam præceptum ecclesiasticum suscipiendi Eucharistiam in Paschate includit præceptum divinum negativum non differendi communionum ultra annum: quia ita necessarium est ad fovendum, et conservandum spiritualem animæ vitam. Unde qui in hoc anno non communicavit, et prævidet, quod non poterit communicare tempore Paschali, nec in sequenti, tenetur omnino communionem prævenire antecedenter ad Pascha; ne scilicet se privet illo cœlesti subsidio contra divinum præceptum. Si autem de primo loquamur, veram putamus secundam opinionem: nam quod attinet ad divinum præceptum de non differendo communionem ultra annum, satis illi facit, qui in eo anno communicat; et saltem illud non violat, qui certo sperat se intra illum annum communicaturum, idque statuit apud se. Quod autem pertinet ad circumstantiam adimpletionis tempore Paschatis, ex præcepto Ecclesiæ, illi quidem

dem tempori alligatur propter festi solemnitatem:et propterea qui prævidet tunc non posse communicare, non obligatur ex vi illius præcepti communionem prævenire, ut docet prædicta opinio, et recte declarat exemplo aliorum præceptorum jejunandi ; audiendi sacrum, et similium, quæ alligantur determinatæ durationi aliquarum festivitatum. Hanc responsionem insinuaverant Layman tract.4, cap. 5, Lugo disp. 16, sect. 4, et expressius tradit Gonet loco cit. n. 11, ad illamque accedit N. Franciscus ubi supra. n. 22.

Layman. Lugo. Gonet. N. Fran.

Illatio.

48. Juxta quam resolutionem consequenter dicendum est eum, qui propter futurum impedimentum prævisum anticipavit communionem, non sequuto postea impedimento, teneri communicare iterum in Paschate. Oppositum docuit Diana 2 p. tract. 4, resolut. 42, referens pro se Suarium. Sed nostra resolutio probatur: tum quia est communis, ut testatur Suarez disp. 70, sect. 2, dicens, quod neque aliquis Doctorum aliud docuit, nec aliud est in usu Ecclesiæ. Et ipse expresse profitetur se non audere docere contrarium. Unde constat, quod illum Diana immerito pro se allegaverit, ut observant Lugo proxime relatus num. 77, et alii. Tum etiam, quia ut immediate diximus præceptum communicandi singulis annis in Paschate duo includit : unum communionis annuæ propter hujus necessitatem, et ne diutius differatur : alterum communionis in ea circumstantia temporis propter ejus solemnitatem, et memoriam institutionis hujus sacramenti. Quamvis autem per communionem ante Pascha factam satisfiat præcepto annuæ communionis ut annuæ, et quantum ad observantiam præcepti divini in ecclesiastico inclusi : tamen non fit satis præcepto communionis paschalis ut talis ; cum communio facta fuerit extra illud tempus. Quare eo adveniente, si non occurrat impedimentum, tenetur homo communicare : quia lex ecclesiastica ita præcipit; et non est cur homo excusetur, cum eam valeat observare. Quæ omnia respondent optime tam resolutioni præmissæ, quam omnibus ejus principiis.

Diana. Suarez. Lugo.

—

DUBIUM V.

Utrum detur præceptum divinum sumendi Eucharistiam in utraque specie ?

Cum Eucharistiæ sacramentum adæquate consideratum constat essentialiter specie panis, et specie vini, ut ostendimus disp. 2, dub. 3, succedit, ut postquam dub. præced. vidimus, quod datur præceptum divinum sumendi Eucharistiam, videamus ulterius, utrum istud præceptum obliget ad sumptionem Eucharistiæ in ambabus speciebus : ita ut fideles illi non satisfaciunt, nisi utramque suscipiendo. Quam difficultatem aliter proposuit D. Thom. hac. quæst. art. 12, sub isto titulo, *Utrum liceat sumere corpus Christi sine sanguine ?* Sed sensus idem est, ut ex se liquet; quamvis prout a nobis proponitur, pressior sit : secluso namque divino præcepto, posset dari præceptum ecclesiasticum sumendi simul utramque speciem ; et tunc non liceret sumere corpus absque sanguine, licet obligatio non oriretur ex præcepto divino. Sic autem proponimus, ut cum majori distinctione procedamus : nam hoc dubio dicemus, ad quid obliget præceptum divinum ? in sequenti videbimus, quid disposuerit Ecclesia ?

Dubium a D. Thom. propositum.

49. Sed prius distinguere oportet inter suscipientes : nam aliqui sunt sacerdotes, qui hoc sacramentum conficiunt in sacrificio Missæ : alii autem sunt laici, vel sacerdotes laicorum more communicantes, qui sacramentum istud prius, et ab alio confectum sumunt. Ut enim sæpius diximus, et præsertim disp. 2, dub. 2, sacramentum istud distinguitur ab omnibus aliis in eo, quod cætera consistunt in usu,sive applicatione ad subjecta ; sed hoc est simpliciter permanens, habetque essentiam suam antecedenter ad sumptionem, sive applicationem : unde in sacrariis servatur. Potest itaque proposita difficultas tractari vel in ordine ad sacerdotes celebrantes, vel in ordine ad solos laicos præcise communicantes : sed tamen præcipue proponitur propter communionem laicorum. Nam quod ad sacerdotes celebrantes spectat, omnes Theologi docent eos debere utramque speciem suscipere, ut tradit, et probat D. Thom. loco cit. his verbis : « Dicendum, quod circa « usum hujus sacramenti duo possunt con- « siderari. Unum ex parte ipsius sacra- « menti ; aliud ex parte sumentium. Ex

Nota.

Suppositio communis.

« parte quidem ipsius sacramenti con-« venit, quod utrumque sumatur, scili-« cet et corpus, et sanguis : quia in « utroque consistit perfectio sacramenti. « Et ideo quia ad sacerdotem pertinet hoc « sacramentum consecrare, et perficere; « nullo modo debet corpus Christi sumere « sine sanguine. » Idque magis confirmat in respons. ad 2, testimonio Concilii Toletani (nempe 12, cap. 5, et refertur in cap. *Relatum de consecrat.* dist. 2,) in quo dicitur : « Quale erit sacrificium, cui nec ipse « sacrificans particeps esse dignoscitur ? » Sacrificium autem essentialiter complectitur corpus, et sanguinem. Confirmat ulterius in resp. ad 1, testimonio Gelasii Papæ (relato in cap. *Comperimus, de consecrat.* dist. 2,) qui ait : « Comperimus, quod qui-« dam sumpta tantummodo corporis sacri « portione a calice sacrati cruoris absti-« nent : qui proculdubio, quoniam nescio, « qua superstitione docentur astringi, aut « integra sacramenta percipiant, aut ab « integris arceantur. » Nam ut explicat D. Thom. « loquitur quantum ad sacerdotes, « qui sicut totum consecrant sacramentum, « ita etiam toti communicare debent. »

Sacerdos celebrans tenetur ex præcepto divino sumere utramque speciem.

Quamvis autem aliqui dubitaverint, an hæc in sacerdotibus celebrantibus obligatio sit de jure divino, ut Claudius repet. 10, cap. 3, Alanus cap. 45, et Suarez disp. 75, sect 5, in fine : quin Gabriel lect. 53, in can. *Missæ*, et Adrianus q. 6, *de Eucharist.* dixerint consecrationem hujus sacramenti in utraque specie non esse de jure divino, et pro eadem sententia referant Albertum, et Alexandrum : nihilominus tenendum est sacerdotes celebrantes divino jure, et præcepto obligari ad consecrandum, et sumendum utramque hujus sacramenti speciem. Quod cum aliis nominatim affirmant Sebastianus Perez Episcopus Oxomensis ad hunc art. 12, diffic. 1, fol. 115, Soto in 4, dist. 13, q. 2, art. 1, § *Quo circa*, Coninckus in præs. dub. unico, concl. 1, n. 120, dicens nullum circa hoc videri esse dubium. Et probatur primo ratione D. Thom. supra proposita : nam id revocat ad conditionem sacrificii, et perfectionem consecrationis : unde supposita divina hujus sacramenti institutione, ex eadem provenit quod sacerdotes celebrantes debeant illud in utraque specie suscipere. Secundo ex verbis Christi Domini, *Hoc facite in meam commemorationem :* quibus tam Apostolis, quam aliis sacerdotibus præcepit, ut similiter facerent, nempe in substantialibus : cum igitur ipse Dominus utramque speciem consecraverit, et sumpserit; sequitur, quod ejus mandatum obliget sacerdotes celebrantes ad Eucharistiam in utraque specie suscipiendam. Tertio ex testimonio Concil. Trident. sess. 21, cap. 1, ubi aii : « Sancta ipsa « Synodus declarat, ac docet nullo divino « præcepto laicos,et clericos non conficien-« tes obligari ad Eucharistiæ sacramentum « sub utraque specie sumendum. » Ubi non sine consilio adhibita est illa restrictio *non conficientes* : et eadem cautela processerunt Concil. Basiliense sess. 30, et Constantiense sess. 13. Ergo cum exceptio unius firmet regulam in contrarium circa alia ; sequitur, quod ex mente Conciliorum sacerdotes hoc sacramentum conficientes debeant ex divino præcepto suscipere illud in utraque specie. Quarto ex ipsa Ecclesiæ praxi, quæ licet severe prohibeat, ne Eucharistia nisi a jejuno naturali sumatur : nihilominus præcipit, quod si forte sacerdos post sumptas species deprehendat , quod aqua loco vini posita fuerit; iterum vinum ponat, consecret, et accipiat : qua dispositione satis indicat præceptum consecrandi simul utramque speciem, et communicandi simul in utraque specie, non esse primario ab ipsa Ecclesia, sed de jure divino : alioquin ipsa facilius providere posset omittendo consecrationem, et sumptionem illius speciei jure divino non necessarias.

Refelluntur de hoc dubitantes. Ratio. D. Thom. Concil. Trident. Concilia.

Punctum difficultatis.

Supposita igitur præmissa resolutione circa sacerdotes celebrantes, difficultas dubii devolvitur ad laicos, et sacerdotes laicorum more communicantes, quos omnes possumus laicorum vocabulo comprehendere. In quo diluendo breviter procedemus: quia licet latissimam materiam offerat, res tamen est, quæ magis pertinet ad Theologos controversistas, quam ad scholasticos, et de qua diffuse contra hæreticos scripserunt Turrecremata in cap. *Comperimus de consecrat.* dist. 2, Cajetanus quæst. 1, *de communione sub utraque specie*, Bellarminus lib. 4, *de Eucharist.* a cap. 20. Sebastianus Perez loco cit. Iodocus Coccius *in Thes. cathol.* lib. 6, art. 3, Contenson dissert. 4, cap. 1, speculat. 2, et alii plures. Unde magis curabimus ab aliis fuse tradita abbreviare et ordinare, quam in re adeo discussa diffluere : nec enim hæc dogmatica tractamus nisi propter ordinem dicendorum, et com-

Turrec. Cajet. Bellarm. Perez. Jodoc. Contens.

plementum

plementum materiæ juxta methodum D. Thomæ.

§ I.

Defenditur veritas catholica.

Conclusio. 50. Dicendum est non dari præceptum divinum, ut laici, sive non celebrantes suscipiant Eucharistiam in utraque specie. Hæc conclusio est de fide : quia ita diffinivit Ecclesia. Concil. Trident. Unde Concilium Trident. sess. 21, cap. 1, inquit : « Itaque sancta ipsa Sy« nodus a Spiritu Sancto, qui spiritus est « sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, « et pietatis edocta ; atque ipsius Ecclesiæ « judicium, et consuetudinem secuta, de« clarat, ac docet nullo divino præcepto « laicos, et clericos non conficientes obli« gari ad Eucharistiæ sacramentum sub « utraque specei sumendum: nec illo pacto, « salva fide, dubitari posse, quin illis al« terius speciei communio ad salutem suffi« ciat. » Et conformiter ad hanc doctrinam decrevit can. 1, ejusdem sess. « Si quis di« xerit ex Dei præcepto, vel necessitate sa« lutis omnes, et singulos Christi fideles « utramque speciem sanctissimi Eucharis« tiæ sacramenti sumere debere ; anathe« ma sit. » Similiter diffinivit Concilium Concil. Constant. Constantiense sess. 13, addens : « Quapro« pter dicere, quod hanc consuetudinem, « et legem » (nempe, quod laici non communicent sub utraque specie) «observare sit « sacrilegum, aut illicitum, censeri debet « erroneum. Et pertinaciter asserentes op« positum præmissorum, tanquam hæretici « arcendi sunt, et graviter puniendi per « Diœcesanos locorum, aut Inquisitores « hæreticæ pravitatis. Item præcipimus sub « pœna excommunicationis, quod nullus « presbyter communicet populum sub utra« que specie panis, et vini. » Unde sic unanimiter docent omnes Catholici.

Motivum. Probatur primo : quia in Ecclesia primitiva, et Apostolis vicina dari solebat communio sub una tantum specie: sed hoc esset absurdum, et incredibile, si omnes tenerentur ex divino præcepto communicare sub utraque specie : quippe indignum omni fide est, quod Ecclesia tunc erraverit agendo contra divinum præceptum ; (quam alias certum est non posse in similibus errare :) ergo non datur prædictum obligans singulos fideles ad communicandum sub utraque specie. Cætera constant. Et major ostenditur : quia Tertullianus lib. 2, *ad uxorem*, cap. 5, Tertull. Clemens Alexandrinus lib. 1, *Stromat.* circa principium. Clemens Alex. D. Cyprianus in serm. *de lapsis*, D. Cyp. D. Basilius epist. *ad Cæsariam Patritiam*, D. Basil. et alii Patres, qui in quatuor, et quinque primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, expresse testantur Christianos, cum metu persecutorum, non possent tam facile, et tam frequenter ad Ecclesiam, et sacram Synaxim convenire, solitos esse Eucharistiam in domos suas deferre, et servare illam in loco decenti, ut suis temporibus eam acciperent. Porro illam non deferebant in specie vini, sed in sola specie panis : tum quia D. August. serm. 152, *de tempore*, D. Aug. et lib. 2, *contra litteras Petiliani* refert, quod mulieres illam recipiebant, et deferebant in linteolo mundo : quod nulla ratione intelligi valet de Eucharistia quantum ad speciem vini. Ad quem morem alludit canon 36 Concilii Altisiodorensis : Concil. Altisiod. « Non licet mulieri nuda manu Eucharis« tiam sumere, et canon 39 : Unaquæque « mulier, quando communicat, dominica« lem suum habeat, » id est, linteum mundissimum. Tum etiam quia illicitum erat, quod laici sanguinem Domini, aut calicem sanguinus manu attingerent, ut testantur D. Gregorius Nazianzenus in oratione con- D. Naz. tra Arianos, et alii. Tum denique quia species vini facile acescunt, et corrumpuntur, sicut et ipsum vinum : unde non possent in domibus, aut desertis pro communione servari. Erat igitur consuetudo in primis illis temporibus communicandi sub una tantum specie.

Confirmatio. Confiimatur primo ex alio antiquissimo usu, quem Hugo de S. Victore lib. 1, *de sacram.* cap. 20, vocat « primariam Ecclesiæ « institutionem : » Hugo de S. Vict. nam infantibus dabatur Eucharistia, et cum illi non possent solidum aliquem cibum sumere ; aliquid sanguinis Domini instillabatur in eorum os per Presbyterum, vel Diaconum : erat ergo tunc in usu sumptio Eucharistiæ in una tantum specie. Alia. Confirmatur secundo : quia sicut modo in Ecclesia catholica fit, sic etiam priscis temporibus servabatur Eucharistia pro moribundis sacro Viatico muniendis, ut colligitur ex Concil. Nicæno 1, Concil. Nicen. Ancyr. Arelat. can. 12, et Ancyrano can. 6, et Arelatens. can. 12. Unde Eusebius lib. 6, *Histor. Ecclesiast.* cap. 44, Euseb. narrat Presbyterum dedisse puero particulam Eucharistiæ defe-

rendam cuidam seni ægroto, et præcepisse, ut eam prius madefactam seni porrigeret : quia nimirum species panis diu servatæ induruerant, et non poterant ab infirmo deglutiri. Quem morem nunc etiam Græcos observare testatur rituum illius gentis peritissimus Arcudius lib. 4, cap. 53 et 55. Id vero, quod pro moribundis servabatur, non erat species vini, sed panis ; tum quia ita constat ex communione, quam refert Eusebius : tum quia species vini longo tempore servatæ facile corrumperentur. Sequitur igitur morem antiquissimum fuisse suscipiendi aliquando Eucharistiam in una tantum specie. Confirmatur tertio ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, quod in die Parasceves Eucharistia in sola specie panis a sacerdote officium celebrante sumatur. Cujus consuetudinis memoriam habemus in sexta Synodo in Trullo can. 52, et Divo Gregorio Magno *in suo Sacramentali,* et Innocentio Primo epist. 1, cap. 4. Ergo idem quod prius.

Arcud. Alia. Sexta Synod. D. Greg. Innoc. I.

Alterum motivum. 51. Secundo probatur ratione, quæ juxta qualitatem materiæ potest appellari a priori : quoniam non sunt asserenda præcepta divina, nisi vel contineantur in verbis Dei, vel habeant necessariam connexionem cum fine salutis, ad quam procurandum divina lege obligamur : cum enim Dei præcepta pendeant ex ejus libera voluntate, nequit eorum existentia nobis aliter innotescere. Atqui communio sub utraque specie respectu laicorum nec continetur in verbis Dei, nec habet ex natura rei, vel institutionis hujus sacramenti necessariam connexionem cum fine salutis. Ergo laici nullo præcepto divino obligantur ad sumendum Eucharistiam sub utraque specie : sed possunt, quantum est ex vi præcepti divini, illam vel ita sumere, vel in una tantum specie. Cætera constant. Et minor probatur quoad utramque prrtem. Nam in primis, quod in nullis verbis Christi aut instituentis, aut proponentis hoc sacramentum contineatur præceptum de communione laicorum, sive omnium fidelium sub utraque specie, satis manifeste constabit explicando, quæ opponunt Adversarii, ut § sequenti præstabimns. Sed ne ista pars relicta modo sine probatione videatur, suadetur sequenti discursu : nam si in aliquibus verbis Christi contineretur hoc præceptum, maxime in illis apud Joan. 6: *Nisi manducaveritis carnen Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* In eis autem non continetur. Tum quia illud præceptum est de re ipsa, videlicet de sumendo in Eucharistia corpus, et sanguinem Christi ; non autem de modo sumendi secundum unam, aut duas species : quamlibet enim divisim laicus sumat, ibi manducat, et bibit, id est sumit corpus, et sanguinem Christi ; cum in earum qualibet totus Christus secundum corpus, et sanguinem contineatur, ut explicuimus disp. 7, dub. 1. Christum autem in eo sensu verba protulisse constat ex eo, quod ea verba dixit ad Capharnaitas, qui inter se litigabant dicentes : *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Illi vero non litigabant de modo sumendi in una, vel in duabus speciebus ; sed de re ipsa, et substantia, quomodo scilicet Christus posset eis vere, et realiter dare suum corpus ad manducandum ? Nec ullum de sumptione sanguinis mentionem fecerunt. In hoc itaque sensu protulit Christus, *Nisi manducaveritis etc.* inducens videlicet necessitatem Eucharistiæ quantum ad rem ipsam, non autem quantum ad modum sumendi. Tum etiam quia ut hristus Dominus magis manifestaret sensum præmissum, nempe se loqui de reali sui corporis, et sanguinis sumptione, non autem de modo sumendi ; cum non nisi quater mentionem fecisset sui corporis, et sanguinis simul ; undecies tamen fecit mentionem hujus sacramenti sub specie panis, sicut cum dixit: *Quid manducat hunc panem vivet in æternum:* nempe ut evidentius significaret vel solam speciem panis sufficere fidelibus ad salutem : quod falsum esset, si utriusque speciei sumptio esset necessaria ex divino ejus præcepto, sicut egregie coram Concilio Basileensi expendit Magister Joannes de Ragusio Ordinis Prædicatorum, et refertur tom. 4 Concil. inter Basileensia fragmenta. Et eodem discursu usum postea fuit sacrum Concil. Trident. sess. 21, cap. 1, ubi ait : « Sed « neque ex sermone illo apud Joan. 6, « recte colligitur utriusque speciei com« munionem a Domino præceptam esse : « utcumque juxta varias Sanctorum Pa« trum, et Doctorum interpretationes « intelligatur. Namque qui dixit : Nisi « manducaveritis carnem Filii hominis, et « biberitis ejus sanguinem non habebitis « vitam in vobis, dixit quoque : Si quis

Joan. 6.

manducaverit

« manducaverit ex hoc pane, vivet in æter- « num. Et qui dixit: Qui manducat meam « carnem, et bibit meum sanguinem, ha- « bet vitam æternam, dixit etiam: Panis, « quem ego dabo, caro mea est pro mundi « vita. Et denique qui dixit: Qui manducat « meam carnem, et bibit meum sangui- « nem, in me manet, et ego in illo, dixit « nihilominus: Qui manducat hunc panem « vivet in æternum. »

Nota. Et notandum est Christum Dominum totum illum de Eucharistia sermonem, aut disputationem hac via, et ultima conclusione absolvisse: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, ut constat ex Evangelio citato: ut evidentius significaret totam rem re ipsa contineri in panis specie, eamque in suo genere sufficere ad vitam æternam sumentis; quamvis in sacrificantibus alia major expressio, ob aliud scilicet motivum, desideretur. Notandum etiam Concilium in illis verbis: « Ut- « cumque juxta varias Sanctorum Patrum, « et Doctorum interpretationes etc. » indicare alias esse aliorum expositiones. Et

Cajet. quidem Cajetanus loco supra citato § *Quoad quartum docuit*, quod S. Augustinus, et alii Patres, et Doctores, et contextus ipse insinuant verba illa intelligenda esse non de manducatione corporis, et sanguinis Christi in sacramento: sed de incorporatione in Christum per fidem, quæ est manducatio spiritualis. Et hanc expositionem probant communiter ipsi hæretici: qui nisi ita agant, in pluribus dogmatibus circa Eucharistiam, et realem Christi in illa præsentia jugulantur. Unde nisi inconsequenter agendo, nequeunt ex prædicto loco deducere necessitatem sumendi Eucharistiam in

Nota. utraque specie. Sed tamen expositio Caietani communiter refellitur his temporibus, et quidem merito: quia licet eo loco sermo fiat de manducatione spirituali per fidem; nulla est ratio, cur excludatur sententia de manducatione sacramentali; cum idem Scripturæ locus plures soleat sensus habere: et iste in utroque sensu a multis Patribus exponatur. Et plane Concilium Tridentinum de manducatione sacramentali locum exposuit: unde hanc intelligentiam

Suarez. magis probavit. Addit tamen Suarez disp. 71, sect. 2, § *Quatuor igitur* istud consilium: « Quando nulla alia ratio subesset « subterfugiendi vim horum verborum, « nisi hanc (*nempe Cajetani*,) expositione « admittendo, (*quam ipse non approbat*,) « quilibet fidelis, ac prudens deberet po- « tius hoc eligere, qnam receptam Ecclesiæ « consuetudinem, sensumque damnare. » Sed aliam expositionem addemus n. 55, quamvis jam præmissa solida sit, et sufficiens.

52. Sed veniamus ad aliam minoris partem, nempe manducationem Eucharistiæ in utraque specie nec ex natura rei, nec ex vi institutionis esse necessariam ad consequendum æternæ salutis finem. Et ita ostenditur: nam si attendamus ad rem contentam in hoc sacramento, sicut totus Christus est in utraque specie, sic etiam est in earum qualibet: unde non minus suscipit totum Christum communicans in una tantum specie, quam communicans in utraque. Si autem loquamur de ipso sacramento, seu signo: licet in una specie sola non salvetur integra, sive adæquata ratio sacramenti Eucharistiæ; salvatur nihilominus vera ratio sacramenti Eucharistiæ significantis gratiam nutrientem, ut explicuimus disput. 2, dub. 3, nam quælibet causat gratiam per se, sive independenter ab alia. Sicut autem pro consequendo salutem vel minima gratia sufficit; sic in ordine ad consequendum prædictum finem sufficit sacramentum gratiam conferens: et nihil refert, quod sacramentum, aut signum illam significans sit, vel non sit adæquatum in ratione signi. Denique si sermo fiat de ipso sacramenti effectu, valde probabile est, quod non plus gratiæ producitur per ambas species simul sumptas, quam per earum quamlibet divisim acceptam, ut constat ex dictis disputatione præcedenti dub. 4, § 2. Et quamvis nos cum aliis oppositum teneamus, ut ibidem statuimus § 1, tamen illud gratia augmentum non est necessarium ad salutem. Sicut etiam qui quotidie communicaret, plus gratiæ, quantum est ex vi sacramenti, consequeretur, quam rarius communicans: sed tamen ea communionum frequentia necessaria non est pro fine consequendæ salutis. Quod vero sacerdotes celebrantes debeant communicare in utraque specie, ut num. 49 diximus, non provenit ab hac radice; sed ex eo, quod ab eis sacramentum fit, et debet fieri perfectum: et similiter quia consecrantes sacrificant, et utraque species est de ratione sacrificii. Quæ rationes in laicis communicantibus minime occurrunt. Ergo

Continuatio probationis.

quod laici communicent in utraque specie nec ex natura rei, nec ex vi institutionis habet necessariam connexionem cum fine salutis.

Ultimum motivum

53. Tertio, et ultimo probatur conclusio argumento ad hominem contra Adversarios : nam si susceptio Eucharistiæ esset de jure divino, et præcepto Christi necessaria ad salutem communicantium ; nulla potestas humana posset in hoc dispensare permittendo communionem laicorum in una tantum specie : consequens est falsum: ergo et antecedens. Probatur minor : nam ipsi hæretici in suis ordinationibus ecclesiasticis (si ita appellari possunt), dispensant permittendo, quod abstemii, et alii odoris, aut saporis vini impatientes suscipiant Eucharistiam sub una tantum panis specie: et nec infirmis, nec aliis, qui vini speciem bibere nequeunt, negant speciem panis. In quo quam inconsequenter se gerant, tam apertum est, ut expendere opus non sit. Sed ista, et majora devorare non erubescunt, ne ab studio persequendi Ecclesiam desistant. Unde Calvinus lib. 4 *Institutionum* cap. 17, § 39, recognoscens antiquissimum morem Ecclesiæ conservantis Eucharistiam in sola specie panis pro communione infirmorum, subdidit : « Sed enim « qui sic faciunt, habent veteris Ecclesiæ « exemplum, fateor. Verum in re tanta, et « in qua non sine magno periculo erratur, « nihil tutius est, quam ipsam veritatem « sequi. » O impudentia ! quasi inter Ecclesiam veterem, et novam, et semper unam, quæ columna est veritatis, et veritatem ipsam fuerit discordia circa rem tantam, in qua non sine magno periculo erratur. Sed relictis eorum vocibus, expendamus jam motiva.

Nota.

Calvin.

§ II.

Refertur sententia hæreticorum, et ejus fundamenta convelluntur.

Auctores.

54. Quis primo docuerit omnes fideles etiam laicos obligari divino præcepto, et jure ad suscipiendum Eucharistiam in utraque specie, non satis liquet. Caietanus loco cit. hanc hæresim in Nestorianos, et Pelagianos revocat. Sed id minime constat : quia Pelagiani negabant majori ex parte necessitatem sacramentorum ad salutem. Castro autem verbo *Eucharistia* tribuit hunc errorem Græcis antiquis : quod refellit Vazquez disput. 216, cap. 1. Plesseus Calvinista lib. 1 *Institutionum* cap. 7, affirmat Auctores hujus dogmatis fuisse Joannem Hus, et Hieronymum de Praga. Quod falsum censemus : nam inter eorum errores ex professo recensitos in Concilio Constantiensi prædictum dogma non numeratur. Porro quod magis constat, est Waldenses in professione fidei ad Vladislaum asseruisse utramque speciem ex præscripta lege Christi esse singulis fidelibus ad salutem necessariam. Et eandem hæresim tenuerunt Bohemi, ducibus Petro Dresdendi, et Jacobo Misnensi, ut refert Æneas Sylvius cap. 35 *historiæ Bohemicæ*. Quam hæresim condemnatam in Concilio Constantiensi renovarunt (ut alias) Lutherus in lib. *de captivitate Babylonica*, Calvinus lib. 4 *Institutionum* cap. 17, § 47. Brentius, Kemnitius, Hermanus, et alii apud Bellarminum loc. supra citato.

Wald.

Bohem.

Luther. Calvin.

Et primum hujus dogmatis argumentum formant ex diversis Scripturæ testimoniis. Nam in primis Christus dixit Joan. 6: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ubi copulative dixit *manducaveritis, et biberitis*. Ergo utrumque copulative est necessarium juxta Christi præceptum. Dicere autem (quod nos num. 51 dicebamus), carnem, et sanguinem Christi accipi in qualibet divisim specie, non videtur satisfacere : nam Christus determinate præcepit bibere; qui autem sumit solam speciem panis, non bibit. Deinde Christus Matth. 26, dixit : *Bibite ex eo omnes* : omnes igitur debent ex præcepto Christi bibere ejus sanguinem. Nec valet dicere hæc dicta fuisse solis Apostolis, aut pastoribus, qui soli tunc aderant. Nam contra est, quod si soli pastores, aut sacerdotes tenerentur ex vi præcepti Christi calicem bibere, quia illi soli tunc aderant ; sequitur laicos non teneri sumere speciem panis : quiæ similiter illis, quibus tunc porrexit panem, erant soli sacerdotes. Id vero nulla ratione dici debet. Unde D. Paschasius lib. *de corpore Christi*, cap. 15, affirmat ly *omnes* significare tam ministros, quam cæteros credentes. Præterea cum Christus dixit Apostolis Luc. 22 : *Hoc facite in meam comemorationem*, præcepit, ut idem illi facerent, quod Christus ipsis faciebat. Cum igitur Christus utramque speciem Apostolis dederit; sequitur

Primum argumentum.

Joan. 6

Matt. 26

D. Pas.

Luc. 22

tur Apostolos, et eorum successores debere utramque speciem fidelibus ministrare. Denique Paulus 1, *ad Corinth.* 11, præcepit : *Probet autem se ipsum homo , et sic de pane illo edat, et de calice bibat :* quæ diriguntur non ad solos sacerdotes, sed ad omnes fideles. Ergo omnes tenentur de pane edere, et de calice bibere. Sicut si rex præciperet militi, ut assumeret gladium, et pugnaret ; non satis obediret assumendo præcise gladium, sed pugnare deberet: quia utrumque a rege præceptum est.

ad Corinth.11.

Explicatur primum testimonium.

55. Hæc sunt difficiliora, quæ ab scriptura opponuntur, sed quæ haud obscure explicantur. Ad primum patet ex dictis num. 51, communicantes in specie panis sumere carnem , et sanguinem Christi : quod est quantum ad rem manducare, et bibere. Quod vero nunc additur, nihil refert : quia licet Christus dixerit, *Et biberitis ;* nihilominus idem significat , ac *Et sumpseritis* : quia non erat sermo de modo sumendi, sed de reali sumptione carnis, et sanguinis Christi, juxta præmissam Judæorum dubitationem, et objectionem, *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum ?* Sed addenda est alia expositio satis consentanea, nempe particulam *Et* non semper copulative , sed disjunctive usurpari juxta consuetudinem Scripturæ, atque ideo idem valere, quod *vel.* Sic Exodi 21, dicitur : *Qui percusserit patrem, et matrem, moriatur :* ubi manifestum est sensum non esse copulativum, sed disjunctivum : non enim ut quis mereretur pœnam mortis, opus erat percussisse simul patrem, et matrem ; sed sufficiebat vel percutere patrem, vel percutere matrem. Sic Actorum 3, dixit Petrus, *Argentum, et aurum non est mihi :* quo loco non esse sensum copulativum, sed disjunctivum, liquet ex eo, quod ad eleemosynam non requirebatur argentum, et aurum simul ; sed eorum quodlibet sufficiebat. Unde sensus est. *Non habeo argentum , vel aurum :* aut aliter, *Neque argentum est mihi, neque aurum.* Sic etiam Paulus dixit 1 *ad Corinth.* 11 : *Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit.* Ubi sententiæ sensus est, *Qui manducat, vel bibit indigne.* Nam ut quis incurrat judicium æternæ damnationis, opus non est utramque speciem indigne sumere ; sed sufficit vel indigne sumere solam speciem panis. Sic ergo cum Christus dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis,et biberitis ejus sanguinem etc.* sensus est, *Si non manducaveritis carnem Filii hominis, vel biberitis ejus sanguinem,* aut aliter, *Si neque manducaveritis carnem Filii hominis, neque biberitis ejus sanguinem , non habebitis vitam in vobis.* Unde non sequitur, quod utriusque simul speciei sumptio præcipiatur in ordine ad finem æternæ vitæ ; sed quod unius saltem speciei sumptio sit necessaria ex divino præcepto ad prædictum finem. Quam expositionem esse legitimam , et necessario admittendam constat tum ex eo, quod ipse Dominus promisit æternam vitam sumenti speciem panis, *Qui manducat,* inquit, *hunc panem, vivet in æternum :* non est itaque ad hunc finem indispensabiliter necessaria in utraque specie communio. Tum quod ipsi hæretici dispensant cum abstemiis, ne sumant speciem vini, ut supra vidimus : quod facere minime possent , si prædictorum verborum sensus esse ille, quem modo objiciunt. Et mirum est ista opponi ab hominibus, qui obstinate credunt Christum in toto illo sexto Joannis capite non loqui de Eucharistia, sed de spirituali Christi manducatione, sive receptione per fidem. Quod si verum esset , impetum eorum retunderet, et difficultatem pœnitus evacuaret.

Exod.21.

Act. 3.

1 Cor. h.11.

Secundum testimonium recte exponitur de solis Apostolis, quo Christus præsentes habebat, et quibus dixit, *Bibite ex eo omnes*, ut constat ex Marci 14, qui subjunxit : *Et biberunt ex illo omnes,* significans illos omnes ex eo bibisse, quibus dictum fuerat. *Bibite omnes.* Ubi manifestum est non includi omnes fideles postea communicaturos. Ad impugnationem autem concedimus obligationem fidelium ad sumendum Eucharistiam non fundari in illis verbis *Bibite,* aut *comedite*, sed in aliis utputa, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis.* Expositio autem Paschasii ita accipi debet, quod nolit Apostolos, sive sacerdotes, et reliquos fideles bibituros eodem modo sanguinem Christi : sed consecrantes formaliter in propria vini specie : non consecrantes vero concomitanter in specie panis, in qua Christi sanguis realiter continetur. Hic autem observet lector hæreticorum summam inconsequentiam : nam quamvis Christus omnibus Apostolis, et præsertim Petro dederit potestatem ligandi, atque solvendi ; talem potestatem adeo personis

Secundus locus.

Marc.14.

Nota.

Apostolorum, et Petri restringunt, ut neque ad Presbyteros sacerdotii successores, ad Episcopos jurisdictionis hæredes, nec ad Romanum Pontificem in cathedra Petri sedentem illam potestatem extendant. Ubi autem audiunt Christum ad Apostolos dixisse *Bibite ex eo omnes*, continuo potestatem sumendi calicem larga manu porrigunt non solum ad sacerdotes, sed ad omnes sine limitatione fideles, homines, et mulieres. Sed has inconsequentias, has contrarietates summe distantes unit odii glutino ardens, et idem studium turbandi Ecclesiam Catholicam.

Tertius locus. 56. Ad tertium locum respondemus Christum illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem* non præcepisse Apostolis, ut ipsi aliis facerent, quidquid ipse eisdem fecerat. Manifestum namque est non præcepisse, ut ipsi omnes alios facerent sacerdotes; cum tamen ipse omnes sibi præsentes sacerdotes ordinaverit : quod imaginari summa profecto stultitia foret. Et similiter non præcepit plura, quæ ipse Dominus tunc gessit. utputa, quod consecratio Eucharistiæ fieret nocte, et post cœnam etc. Per illa itaque verba *Hoc facite in meam commemorationem* ordinavit, ut Apostoli, eorumque in sacerdotio successores offerrent illud sacrificium, ut exponit Concilium Tridentinum sessione 22, can. 2, diffiniens : « Si « quis dixerit illis verbis, Hoc facite in « meam commemorationem Christum non « instituisse Apostolos sacerdotes, aut non « ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offer- « rent corpus, et sanguinem suum; anathe- « ma sit. » Et notandum est, quod Lucas illa verba refert dumtaxat post consecratum panem, et ante consecrationem calicis. Unde ex vi testimonii Lucæ, quod hæretici opponunt, nequit colligi necessitas sumendi utramque speciem, cum Evangelista illa immediate applicet speciei panis, et ejus consecrationi. Cæterum Apostolus 1 *ad Corinth.* 11. similia verba refert post calicis consecrationem. *Similiter*, inquit, *et calicem postquam cœnavit dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* Sed tamen ut ex ipsis Apostoli verbis liquet, sermo, et mandatum non procedunt absolute, sed hypothetice, sive ex suppositione, quod quis calicem consecret, aut suscipiat. Unde non est sensus, quod quilibet debeat calicem suscipere : sed quod suscipiens calicem debeat illum suscipere in commemorationem Christi. Et consequenter ex prædictis verbis non possunt Adversarii suadere, quod omnes fideles debeant Eucharistiam suscipere sub calicis aut vini specie : sed ut id probent, ad alia loca compellendi sunt.

(Concil. Trident. — Nota.)

Explicatur ultimus locus. Juxta quam doctrinam explicatur ultimum testimonium ex Apostolo : *Probet autem se temipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* Non enim ibi præcipit absolute vel se probare, vel sumere panem, et calicem Domini. Sed agit de modo digne suscipiendi communionem : et loquitur hypothetice, quod si quis velit edere de illo pane, et bibere de illo calice. debet prius se probare, ne indignus accedat ad manducandum, et bibendum. Et quod non præcipiat Apostolus communionem absolute in utraque specie, ut volunt hæretici; liquet satis manifeste ex eo, quod præmittit propositionem simpliciter disjunctivam, et eorum intentioni contrariam dicendo : *Itaque quicumque manducaverit panem. vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, et sanguinis Domini.* Unde constat probationem, quam præcipit, esse in ordine ad sumendum Eucharistiam, non determinate in utraque specie, sed vel sic, vel in qualibet specie seorsim.

Secundum argumentum. 57. Secundum argumentum desumunt hæretici ex diversis testimoniis Patrum, qui significare videntur omnes suscipientes Eucharistiam debere unam, et alteram speciem accipere, et in utraque communicare. Nam Gelasius Papa *relatus in cap. Comperimus de consecrat*, distinctinctione 2, et à D. Thom. in primo argumento artic. 12, ait : « Comperimus, quod quidam « sumpta tantummodo corporis sacri por- « tione a calice sacri cruoris abstinent : « qui proculdubio, quoniam nescio, qua « superstitione docentur adstringi, aut « integra sacramenta percipiant, aut ab « integris arceantur. » Et idem significat D. Leo Magnus serm. 4, *de Quadragesima*, ubi de eisdem loquens, qui unam speciem accipiebant, et non aliam, inquit : « Ore « indigno Christi corpus accipiunt : san- « guinem autem redemptionis nostræ om- « nino haurire declinant. » S. Justinus *apologia* 2, describit communionem Christianorum sub utraque specie, et subdit : « Apostoli in Evangeliis ita sibi Christum « præcepisse tradiderunt. » D. Cypria-

(Gelas. Papa — D. Leo — D. Justinus — D. Cyprianus)

nus

nus in serm. *de Cœna Dsmini*, inquit : « Lex esum sanguinis prohibet : Evange- « lium præcipit, ut bibatur. » Et lib. 2, « epist. 3, ait : « Quidam vel ignoranter, « vel simpliciter in calice Domini sancti- « ficando, et plebi ministrando non hoc « faciunt, quod Christus fecit, et docuit. » Ubi liquido supponit Christum docuisse, quod calix sanguinis ejus plebi ministraretur. D. Augustinus in lib. *Quæstionum in Levit.* quæst. 47, ait : « Ad bibendum san- « guinem omnes exhortantur, qui volunt « habere vitam. » Denique Div. Bernardus serm. 3, *in Domin. palmarum*, inquit : « Alimoniam corporis, et sanguinis Domi- « ni in prima cœna Domini exhibitam, « deinceps frequentari mandatur. » Ergo ex Patrum sententia omnes fideles debent suscipere utramque speciem corporis, et sanguinis, juxta Christi Domini doctrinam, atque mandatum.

D. Aug. D. Bern.

Eliditur. Respondetur Patres communiter loqui juxta usum antiquis temporibus satis frequentem, quo fideles communicabant in Missa in utraque specie : sed minime docuisse, quod talis modus communicandi esset ex præcepto Christi. Unde hæretici nequeunt ex ejusmodi testimoniis suam intentionem fulcire, ut singula explicando constabit. Ad primum respondet D. Thom. loc. cit. « Quod Gelasius loquitur quantum « ad sacerdotes, qui sicut totum consecrant « sacramentum, ita etiam toti communi- « care debent. Ut enim legitur in Concil. « Toletano, quale erit sacrificium, cui ne- « que ipse sacrificans particepsesse dignos- « citur. » Et quamvis Gelasius posset exponi (et ab aliquibus exponatur), in eo sensu,quo statim explicabimus D. Leonem nihilominus præferenda est D. Thomæ interpretatio : quia Gelasius ut probet sumendam esse utramque speciem, subdit : « Quia divisio unius, ejusdemque mysterii « sine grandi sacrilegio provenire non « potest. » Quæ ratio probat bene in celebrantibus, ad quos pertinet efficere, et perficere istud mysterium,sive sacramentum : at non recte applicari valet laicis, qui hoc sacramentum non efficiunt ; sed de eo a sacerdotibus facto participant.

Observandus sensus Leonis. 58. Ad locum D. Leonis respondetur esse potius pro nostra, et catholica assertione. Agit namque ibidem specialiter S. Pontifex de Manichæis,qui vinum tanquam fel principis tenebrarum repudiabant, et ideo Eucharistiam in vini specie sumere abhorrebant. Et monet Ecclesiæ ministros, ut illos hoc signo deprehensos recognoscere satagant, ut referendo plura ejusdem loci verba constabit. « Cum (Manichæi) ad tegendam infidelitatem suam, nostri au- « deant interesse mysteriis, ita in sacra- « mentorum communione se temperant, « ut interdum tutius lateant, quod ore « indigno Christi corpus accipiunt, sangui- « nem autem redemptionis nostræ omnino « haurire declinant. Quod ideo voluimus « vestram scire sanctitatem, ut vobis ejus- « modi homines et his manifestantur in- « diciis, et quorum deprehensa fuerit « sacrilega simulatio, notati, et proditi a « Sanctorum societate, sacerdotali auctori- « tate pellantur. » Hos itaque, nempe Manichæos reprehendit, non quia non sumebant simpliciter sanguinem Christi ; sed quod illum nolebant suscipere ex superstitiosa apprehensione, quod vinum esset malum, et fel dæmonis. Quare ex prædicto loco magis colligitur communionem in una, vel duabus speciebus fuisse eo tempore licitam,et a fidelibus indifferenter frequentatam. Nam si omnes fideles communicabant in utraque specie ; minime possent Manichæi latere tutius suscipiendo unam tantum speciem panis : quippe ipso insolito modo suscipiendi unam speciem deprehensi, facile cogniti fuissent, atque rejecti. Quod itaque hac via se dissimularent, et inter fideles communicantes degerent, inde proveniebat, quod plures fideles unam panis speciem accipiebant, et in ea tantum communicabant.Cui mori se accommodantes Manichæi(licet hæretici, et pessime de Eucharistia quantum ad speciem vini sentientes) securius, sicut et secretius degebant inter Catholicos. Unde monuit S. Leo hæc attendere, ut deprehendantur, et pellantur. Et satis probabile est, quod S. Pontifex in execratione impietatis Manichæorum interdixerit eo tempore usum unius tantum speciei, licet per se licitum, et a Deo non prohibitum,quin potius a fidelibus tunc usurpatum,ut ex eodem loco evincitur : eam enim tunc prohibitionem exigebat temporis ratio. Sed cessavit postea. extincta videlicet Manichæorum perfidia, ut ex præsenti Ecclesiæ statu satis patet, Quia vero tempora Leonis, et Gelasii non fuerunt admodum distantia, quidam putaverunt Gelasium in testimonio supra relato

idem sentire cum Leone, et eodem modo explicandum esse. Sed congruentior longe est interpretatio, quam ex D. Thom. adhibuimus.

Patrum. Alii Patres facilius explicantur. Nam Justinus solum significat Dominum *præcepisse* consecrationem Eucharistiæ in utraque specie; non autem, quod omnes in utraque specie communicarent. Idque inde colligitur, quod idem Justinus ibidem refert Diaconos deferre Eucharistiam ad illos, qui illius consecrationi in Missarum solemniis interesse non valebant. Ad absentes autem non poterat communiter deferri Eucharistia in specie sanguinis propter periculum effusionis, ut supra diximus numero 50. Divus Cyprianus, et Divus Augustinus loquuntur juxta morem tunc usitatum in Ecclesia Africana sumendi Eucharistiam in utraque specie, ad illumque servandum hortantur fideles. Et cum circa hoc exprimunt præceptum Dominicum, loquuntur de sumptione sanguinis quoad rem ipsam : non autem quantum ad modum sumendi ; quia caro, et sanguis Christi sumi debent ab omnibus ex ejusdem Christi præcepto, ut dubio præcedenti statuimus : sed modus sumendi in una, vel duabus speciebus non est præceptus : quia vere caro, et sanguis Christi continentur in qualibet specie, et in qualibet sumuntur. Eodem modo, et potiori jure explicatur Divus Bernardus : non enim asserit mandari, quod edamus, et bibamus carnem, et sanguinem Christi ; « sed alimoniam corporis, et sanguinis Domini frequenter. » Hæc autem alimonia in specie panis continetur, et sumitur. Eodem modo explicandæ sunt aliquorum aliorum Patrum sententiæ, quæ videntur contrariæ, sed non sunt : quia in prædicto sensu loquuntur, et exponi debent : unde opus non habuimus alios referre.

Tertium argumentum. 59. Arguitur tertio : nam sacramentum Eucharistiæ non salvatur in sola specie panis, vel in sola vini, sed in utraque simul, ut diximus disput. 2, *dub*. 3; ergo qui suscipit unam solam Eucharistiæ speciem, non suscipit integrum, et perfectum Eucharistiæ sacramentum : sed hoc est quoddam sacrilegium jure divino prohibitum, ut patet in aliis sacramentis, quæ propterea non licet dimidiata suscipere ; ergo prohibetur divino jure communio in una tantum specie. Confirmatur : quia usus hujus sacramenti debet esse juxta primam Christi institutionem : sed Christus instituit hoc sacramentum in duabus speciebus, et easdem administravit fidelibus in ea cœna concurrentibus : ergo fideles debent hoc sacramento uti in utraque specie : et oppositus usus contrariatur Eucharistiæ instutionis, ac subinde Christi præcepto. Alia argumenta modo non addimus, quia congruentius proponentur dub. sequenti.

Satisfit argumento. Ad argumentum respondetur concedendo sacramentum Eucharistiæ in ratione signi, et sacramenti non salvari in una tantum specie : quia institutum est per modum convivii, quod constat specie cibi, et specie potus, ut loco citato explicuimus. Sed tamen totum hoc convivium tam in ratione corporis Christi, quam in ratione sanguinis Christi continetur realiter in qualibet specie vel seorsim accepta, propter realem inter corpus, et sanguinem Christi concomitantiam, ut vidimus disput. 7, dub. 1, et 3. Unde quantum ad rem ipsam in qualibet specie sumitur, quidquid continetur in duabus : licet una sola species non sit integrum signum, vel sacramentum. In hoc itaque sensu concesso antecedenti, et prima consequentia, negamus minorem subsumptam : quia nulla est indecentia, atque ideo nec sacrilegium, quod quis ex Eucharistia, quæ prius supponitur facta, et perfecta in ratione sacramenti, sumat unam partem, et non aliam. Sicut convivium, si non pararetur cum cibo, et potu, esset imperfectum in ratione convivii, et hoc vitio verteretur auctoris ejus. Sed quod ex convivio ita parato aliquis sumat cibum, et non sumat potum, nulla est imperfectio respectu convivii, nulla etiam injuria invitantis. Quam responsionem insinuando simul disparitatem ad alia sacramenta, quarum exemplo utitur argumentum, tradidit breviter, et optime Divus Thom. in præsenti articulo 12 ad 2, his verbis : « Dicendum, « quod perfectio hujus sacramenti non est in « usu fidelium; sed in consecratione materiæ. Et ideo nihil derogat perfectioni « hujus sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo sacerdos « consecrans sumat utrumque. » Nam hoc sacramentum non fit, cum sumitur, sicut alia sacramenta ipso usu fiunt : sed fit antecedenter a sacerdote consecrante, et parante spirituale convivium : qui proinde debet consecrare utramque speciem. Et

D. Th.

quod

quod debeat utramque sumere, provenit ex eo, quod consecrans simul est sacrificans, et debet sumendo consummare, ac perficere sacrificium, *ut num.* 49 præmisimus. Nulla autem harum obligationum concurrit in laicis sacramentum jam ab alio factum participantibus. Recolantur, quæ diximus disput. 3, num. 47.

Diruitur confirmatio. Ad confirmationem admittendo præmissas, negamus utramque consequentiam : nam ex facto Christi Domini minime infertur omnem communicantem debere in utraque specie communicare. Tam quia Christus instituendo hoc sacramentum, et consecravit, et sacrificavit : et ad utrumque exposcit concursum utriusque speciei, ut proxime diximus : at nihil horum præstant laici communicantes : curat autem Ecclesia, quod eadem fiant a sacerdotibus in Missa. Tum etiam quia omnes, quos Christus tunc habuit præsentes, ordinavit sacerdotes : unde expediens fuit, quod omnibus conferret utramque speciem docendo modum perficiendi tam sacramentum, quam sacrificium : quæ ratio nec apparentem locum habet in laicis communicantibus. Tum præterea, quia sufficit id, quod Christus tunc fecit, regulariter in Ecclesia fieri ; licet non ab omnibus, et singulis fiat ; sed a ministris consecratis, et ad id deputatis. Tum ultimo, quia non omnia, quæ Christus tunc gessit, omnibus facienda, et eodem modo facienda præcepit : alias Eucharistia solis viris, et nullis mulieribus præsentibus fieri deberet : et similiter ubique terrarum deberet in azymo consecrari, juxta ea, quæ diximus disp. 1, cap. 3, § 4 et 5. Consequens autem esse absurdum satis liquet. Oportet itaque usum hujus sacramenti esse juxta primam Christi institutionem in substantialibus, et quantum ad personas sacerdotum, qui illud consecrant, et offerunt Christi nomine. Sed non oportet hanc correspondentiam servari quantum ad alias circumstantias accidentales, nec quantum ad laicos. Unde prædictæ institutioni minime adversatur, quod isti in una, vel in duabus speciebus Eucharistiam sumant.

—

DUBIUM VI.

An Ecclesia juste, et rationabiliter prohibuerit laicis usum Eucharistiæ in utraque specie?

Quamvis nullo divino præcepto obligentur omnes fideles ad sumptionem Eucharistiæ in utraque specie : tamen nec ullo divino præcepto interdicitur aliquis fidelium, ut Eucharistiam in utraque specie accipiat : sed res ista est quantum ad jus divinum indifferens. Idque vel ex eo sufficienter ostenditur, quod nullum potest assignari præceptum divinum, quod communionem in una, et altera specie prohibeat. **Suppositio.**

60. Sed insuper id constat : quia in primitiva Ecclesia populus fidelis communicabat in utraque specie, ut constat 1 *ad Corinth.* 11, et *ex Liturgiis* SS. Jacobi et Marci. Qui mos durabat tempore S. Cypriani, ut liquet ex ejus epist. 2, et ex serm. *de lapsis.* Et eamdem consuetudinem, cum apud aliquos fuisset immutata, innovavit S. Leo Magnus ad deprehendendum, et coercendum Manichæos, qui vinum superstitiose execrabantur, ut num. 58 vidimus. Viguit etiam idem usus in pluribus Provinciis. Nam de Græcis constat ex D. Joan. Chrysostomo hom. 18 in 2 *ad Corinth.* De Italis, ex D. Ambrosio in lib. *de his qui initiantur,* cap. 9, et *ex historia S. Laurentii,* in qua legitur, quod ille dixerit S. Sixto : « Experire, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti « Dominici sanguinis dispensationem. » Erat enim ejus Diaconus, et ad Diaconum pertinebat ministrare populo sanguinem. Ad idque utebatur calice, qui dicebatur *ministerialis,* quod non ad consecrandum, nec ad offerendum sacrificium, sed ad ministrandum populo sanguinem præconsecratum deserviret. De nostris denique Hispanis (ut alios prætermittamus), etiam constat ex Concilio Toletano 4, cap. 18, et ex Toletano 11, cap. 11, et ex epist. Silonis Asturiarum Regis ad Cyxillam Antistitem Totetanum tempore, quo ille, et alii in ea civitate Mixtarabes sub servitute Maurorum erant, in qua inquit : «Regina» (scilicet Adosinda ejus conjux) « mittit pro nova « vestra Ecclesia S. Tyrsi Martyris, quam « jam audivi, quod absolvistis, quædam « munuscula, calicem argenteum et patenam, cum aquamanili, et cum suo vaso,

Usus primitivæ Ecclesiæ. **D. Cyp. D. Leo.** **D. Chrys. D. Amb.** **Concil. Toletan.**

« et in operculo corona nostri regni cum « nomine suo, et meo per compendium, sic « C. S. (id est, Cyxilla, et Silo.) Serviet ad « dandum sanguinem Domini populo. Deus « vos custodiat. Amen. In Pravia. 24 Fe- « bruarii Æra 815. » Fuit annus Christi 777. Ex quibus satis constat usum prædictum sumendi communionem in utraque specie, et antiquissimum fuisse. Sed modo videmus Ecclesiam Romanam hanc consuetudinem prohibuisse, et e converso præcepisse, ut laici unam tantum Eucharistiæ speciem suscipiant, et hanc panis, non autem vini. Unde dubium occurrit, utrum in hac dispositione juste, et rationabiliter processerit : de opposito enim illam accusant hæretici.

§ I.

Assertio catholica cum aliquibus appendicibus.

Conclusio. 61. Dicendum est Ecclesiam juste, et rationabiliter prohibuisse laicis susceptionem Eucharistiæ in utraque specie, sive usum calicis. Hæc conclusio est adeo certa, ut qui illam negaret, esset manifestus hæreticus. Unde pro illa pugnant omnes Catholici : ex quibus videri poterunt supra relati n. 49. Fundamentum principale desumitur ab ipsius Universalis Ecclesiæ (quæ in hujusmodi rebus errare non valet), diffinitionibus, et doctrinis. Nam in Concilio Constantienti sess. 13, sic statuit : « Cum in « nonnullis mundi partibus quidam teme- « rarie asserere præsumant populum Chris- « tianum debere sacramentum Eucharis- « tiæ sub utraque panis et vini specie sus- « cipere : et non solum sub specie panis, « sed etiam sub specie vini populum lai- « cum passim communicent, et post Cœ- « nam, vel alias non jejunos communi- « candos esse pertinaciter asserant contra « laudabilem Ecclesiæ consuetudinem ra- « tionabiliter approbatam. Hinc est, quod « hoc Generale Concilium declarat, decer- « nit, et definit contra hunc errorem, quod « licet Christus post Cœnam instituerit, « et suis discipulis administraverit sub « utraque specie panis, et vini hoc venera- « bile sacramentum : tamen hoc non obs- « tante, sacrorum Canonum auctoritas, et « approbata Ecclesiæ consuetudo servavit, « et servat, quod hujusmodi sacramentum « non conficiatur post Cœnam, nec suma- « tur a non jejunis nisi in casu infirmita- « tis, aut alterius necessitatis a jure, vel « Ecclesia admisso, vel concesso. Et simi- « liter quod licet in primitiva Ecclesia « hujusmodi sacramentum reciperetur a « fidelibus sub utraque specie : tamen hæc « consuetudo ad vitandum aliqua pericula, « et scandala est rationabiliter introducta, « quod a conficientibus sub utraque spe- « cie, et a laicis tantummodo sub specie « panis suscipiatur ; cum firmissime cre- « dendum sit, et nullatenus dubitandum « integrum Christi corpus, et sanguinem « tam sub specie panis, quam sub specie vini « veraciter contineri. Quapropter dicere, « quod hanc consuetudinem, et legem ob- « servare sit sacrilegum, aut illicitum, « censeri debet erroneum. Et pertinaciter « asserentes oppositum præmissorum tan- « quam hæretici arcendi sunt, et graviter « puniendi per Diœcesanos locorum, aut « Inquisitores hæreticæ pravitatis. Item « præcipimus sub pœna excommunicatio- « nis, quod nullus Presbyter communicet « populum sub utraque specie panis, et « vini. » Et in Concilio Trident. sess. 21, cap. 2, decrevit : « Præterea declarat hanc « potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, « ut in sacramentorum dispensatione, salva « illorum substantia, statuerit, vel mutaret, « quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum « sacramentorum venerationi, pro rerum, « temporum, et locorum varietate magis « expedire judicaret. Id autem Apostolus non « obscure visus est innuisse, cum ait : Sic « nos existimet homo ut ministros Christi, « et dispensatores mysteriorum Dei. Atque « ipsum quidem hac potestate usum esse « satis constat cum in multis aliis, tum in « hoc ipso sacramento, cum ordinatis non- « nullis circa ejus usum, Cætera, inquit, « cum venero, disponam. Quare agnoscens « sancta mater Ecclesia hanc suam in ad- « ministratione sacramentorum auctori- « tatem, licet ab initio Christianæ Reli- « gionis non infrequens utriusque speciei « usus fuisset, tamen usu temporis latis- « sime jam mutata illa consuetudine, gra- « vibus, et justis causis adducta hanc con- « suetudinem sub altera specie communi- « candi approbavit, et pro lege habendam « decrevit. Quam reprobare, aut sine ipsius « Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare « non licet. » Et conformiter ad hæc diffi-

nivit

nivit can. 2. « Si quis dixerit sanctam « Ecclesiam Catholicam non justis, et « rationibus adductam fuisse, ut laicos, « atque etiam clericos non conficientes sub « panis tantummodo specie communicaret, « aut in eo errasse; anathema sit. » Hæc omnia Ecclesia Catholica in utroque Generali Concilio.

Ratio. 62. Ex quibus depromitur solidum assertionis fundamentum, quod possumus ad hanc formam reducere : nam Ecclesia habuit simpliciter potestatem prohibendi sæcularibus usum calicis : deinde habuit causas justas, et rationabiles utendi hac potestate : ergo Ecclesia juste, et rationabiliter interdixit laicis usum calicis, sive communionem in utraque specie panis, et vini. Consequentia est evidens. Major autem ostenditur : tum quia nullum datur præceptum divinum, quod jubeat laicos communicare in utraque specie, ut constat ex dubio præced. secluso autem divino præcepto, nulla est ratio negandi Ecclesiæ potestatem, ut possit sæcularibus communionem in utraque specie prohibere. Tum etiam quia salva, et retenta sacramentorum substantia juxta Christi institutionem, Ecclesia habet potestatem disponendi circa modum, et alia accidentia pertinentia ad illorum dispensationem : sic enim Paulus statuerat aliqua hujusmodi disponere : sic etiam Ecclesia providit, ne matrimonii sacramentum celebretur nisi coram Parocho, et testibus. Sed quod laici suscipiant Eucharistiam in duabus speciebus, vel in una tantum specie, non pertinet ad substantiam sacramenti Eucharistiæ, quippe quod non consistit in usu, sive communione, sed habet esse perfectum in se antecedenter ad sumptionem, sive usum passivum. Ergo Eccclesia habet potestatem prohibendi sæcularibus usum calicis, sive præcipiendi, quod laici communicantes in una tantum specie communicent.

Minor autem, in qua poterat esse difficultas, manifestatur recensendo aliqua rationabilissima motiva, quæ Ecclesia habuit ad utendum ea potestate. Primum proponit D. Thomas in præs. art. 12, his verbis : « Ex parte autem sumentium requiritur « summa reverentia, et cautela, ne aliquid « accidat, quod vergat ad injuriam tanti « mysterii. Quod præcipue posset accidere « in sanguinis sumptione, qui quidam si in- « caute sumeretur, de facili posset effundi. « Et quia crevit multitudo populi Christiani « in qua continentur senes, et juvenes, et « parvuli, quorum quidam non sunt tantæ « discretionis, ut cautelam debitam circa « usum hujus sacramenti adhibeant ; ideo « provide in quibusdam Ecclesiis obser- « vatur, ut populo sanguis sumendus non « detur, sed solum a sacerdote sumatur. » Sicut ergo propter hoc motivum particulares Ecclesiæ, ita providebant, sic etiam, et multo magis providere potuit Ecclesia universalis. Secundum, et satis urgens motivum fuit necessitas ex una parte compescendi hæreticorum perfidiam, et ex altera providendi quorundam Catholicorum rudium scrupulis. Nam hæretici dicebant necessarium esse usum calicis tum ad suscipiendum totum Christum, quem integrum non credebant in qualibet specie; sed sub specie panis dicebant esse corpus exsangue, et sub specie vini sanguinem purum : tum ad satisfaciendum juri divino, quod singulos fideles obligare ad sumendum speciem utramque temere prædicabant : et utrumque assertum est falsum, et hæreticum, ut vidimus dub. præced. et locis ibidem relatis. Rudes etiam, et aggrestes, licet Catholici, proclives erant, ut videntes nunquam speciem panis sumi sine specie vini existimarent in neutra specie sola Christum integrum contineri. Videntes etiam diversas circa distributionem Eucharistiæ in ecclesiis consuetudines dubitabant, quænam esset pro obtinendo salutem opportunior. Ad temeritatem itaque hæreticorum compescendam in sua radice, oportuit Ecclesiam negare communionem laicis in utraque specie, ut sic magis directe hæreticis refragaretur : et ad tollendos simplicium scrupulos, et dubietates, conveniens fuit assignare unam determinate panis speciem. Tertium fuit, quod Ecclesia maxime procurare debuit, quod fideles in hoc unitatis sacramento magnam, quantum fieri potest, servarent uniformitatem. Quæ plane non ita servari posset, si usus calicis laicis permitteretur. Nam eorum plures speciem vini susciperent. Et eorum plures illam non susciperent, nempe abstemii, qui vinum bibere non valent : infirmi aliqui, quibus vinum noxium est, vel saltem ob imaginationem horribile; et denique incolæ plurium provinciarum, in quibus est magna vini penuria, et pro communione multitudinis afferri non posset nisi ingentibus

expensis. Ergo ut Ecclesia negaret usum calicis, causam rationabilem habuit in hac ipsa difformitate circa laicorum communionem vitanda. Quartum, et præcedenti affine motivum est, quod Ecclesia promovere debet frequentem usum hujus sacramenti, quod est velut commune centrum pietatis, et devotionis. Hanc autem frequentiam non præmovebat, sed plurimum retardabat communio laicorum in specie vini. Tum propter vini in aliquibus regionibus carentiam. Tum propter ejusdem vini conservandi difficultatem : quippe in Provinciis Septemtrionalibus gelu rigeret, in Australibus autem facile acesceret. Tum propter vini horrorem in aliquibus sumentibus. Tum et multo magis propter horrorem calicis ministerialis, ex quo omnes sumerent, sordidi, graveolentes, nauseabundi, leprosi, menstruatæ etc. Plura igitur (et plura possemus expendere) gravia, justa, et rationabilia motiva habuit Ecclesia, ut usum calicis sæcularibus interdiceret, præcipiendo eorum communionem in una tantum, pura, communissima, et usitatissima panis specie.

Dubium incidens. 63. Si autem inquiras, an modo Ecclesia possit disponere oppositum, permittendo scilicet sæcularibus usum calicis, quem primitivis temporibus habuerunt ? Respondetur affirmative : quia Ecclesia semper habet eandem potestatem disponendi circa modos, et administrationem sacramentorum, salva eorum substantia. Unde sicut non obstante, quod in primis Ecclesiæ sæculis fideles poterant indifferenter Eucharistiam sumere, vel in utraque, vel in una tantum specie, ut satis constat ex dictis dub. præced. nihilominus tempore S. Leonis Magni occurrit necessitas præcipiendi positive communionem in specie vini, nempe ad compescendos, et deprehendendos Manichæos, qui speciem vini tanquam inventum diaboli execrabantur : sic etiam contingere potest, ut occurrat similis in Ecclesia ejusdem providentiæ necessitas. Adque ideo in tali casu poterit Ecclesia uti sua potestate præcipiendo, quod nunc prohibet, sicut tempore S. Leonis præcepit.

Alia quæstio occurrens. 64. Et si rursus inquiras, an non obstante prædicto Ecclesiæ præcepto, licitum aliquando laicis sit sumere Eucharistiam in specie vini ? Respondetur affirmative. Et probatur assignando duos peculiares casus. Primus est, si periculum foret, quod species vini consecrati devenirent in manus infidelium, qui eas ludibrio exponerent : ut contingeret, si sacerdos celebrans moriatur subito ante sumptionem talium specierum, infidelibus jam adventantibus. Tum enim magis urgeret præceptum de evitando sacramenti contemptu, quam præceptum interdicens laicis calicis sumptionem. Unde quilibet laicus in eo casu posset, et deberet sumere vini species, si sacerdos non adsit, qui eas consumat. Et sic docent communiter omnes. Secundus est, si adsit periculum, quod tales species acescant, et in acetum convertantur : ut si sacerdos ante sumptum calicem moriatur, et nullus alius sacerdos inveniatur, qui sumat illas species. Nam licet Soto in 4, dist. 13, quæst. 2, artic. 6, § *Circa hoc*, suffragantibus Serra, Ludovico de S. Joan. et aliis, sentiat, quod in prædicto casu permittendum sit tales species corrumpi, et in piscinam projici ; et quod a laico minime sumi debeant : nihilominus probabilior est sententia contraria, quam docent Petrus de Ledesma cap. 25, *de Eucharistia*, concl. 4, difficult. 3, Suarez disput. 71, sect. 3, Prado dubio 19, num. 24, dicens esse sententiam communem, et alii plures, quos refert, et sequitur Leander disput. 10, quæst. 20. Probatur : quia præceptum prohibens, ne laici sumant Eucharistiam in utraque specie est mere ecclesiasticum, et ordinatum ad majorem hujus sacramenti venerationem : ergo ubi occurrit major ejusdem sacramenti reverentia, non obligat cum tanto rigore, ut sæcularis nequeat species vini accipere : ut earum venerationi magis consulat, vitando scilicet illarum corruptionem.

Soto. Ledesma. Suarez. Prado. Leand.

Quidam addunt tertium casum, nempe si infirmus sumpturus viaticum nequeat species panis deglutire, possit autem species vini. In quo casu licite infirmo porrigi posse species vini docent Leander ubi proxime quæst. 31, et Ochagavia quæst. 18, num. 9. Quod probant, quia præceptum divinum sumendi Eucharistiam in articulo mortis præferri debet præcepto ecclesiastico prohibenti laicis communionem in specie vini : ergo licitum est in tali casu, quod hæc species infirmo administretur, et ab ipso suscipiatur. Sed in primis casus est moraliter impossibilis, et subinde impracticabilis : nam infirmus potens suscipere species vini, poterit deglutire

Speciali casus, et aliquorum opinio. Leand. Ochagavia.

tire

tire minimam partem specierum panis, aquæ, vel vino immissam. Prædicto tamen casu admisso, censemus resolutionem illorum Auctorum non esse satis securam, ut ad praxim possit trahi : tum quia opponitur totius Ecclesiæ consuetudini : tum quia dat occasionem indiscretis ministris prædictam licentiam ampliandi, admittendo similes casus sine urgenti necessitate. Et ita censuerunt Nugnus in præs. articulo 12, difficult. 1, § *Sed est dubium*, et Suarez, disp. 71, sect. 3, in fine. Quare simpliciter tenendum est non licere ministris conferre quibusvis ægrotis Eucharistiam in specie vini : sicut nec liceret pro eorum communione consecrare in pane fermentato, aut sine vestibus sacris, ut supra diximus dub. 3, num. 28. Et ad oppositum fundamentum dicendum est in prædicto casu non præferri simpliciter jus humanum juri, aut præcepto divino : sed adesse eas circumstantias, quæ declarant præceptum positivum juris divini tunc non urgere, ut liquet etiam in exemplis proxime insinuatis : in quibus non licet Eucharistiam consecrari a non jejuno, et non habente sacra ornamenta, licet infirmus decessurus sine viatico sit. Præsertim cum talibus circumstantiis occurrentibus, nec infirmus ipse teneatur Eucharistiam suscipere. Videantur etiam Dicastillo disput. 10, dubio 11, et Diana parte 5, tract. 3, resolut. 34, qui cum aliis hanc opinionem tuentur.

Vera sententia. Nugnus. Surez. Dicast. Diana,

§ II.

Hæreticorum querimoniæ, et ad illas responsio.

65. Illi, quos recensuimus num. 54, ut Ecclesiam Romanam erroris, impietatis, et nequitiæ liberius insimulent, quærimonias ejaculantur, et simplicibu obtrudunt quod injuste, et irrationabiliter prohibuerit aliquibus fidelibus, nempe laicis, Eucharistiam in vini specie. Unde Lutherus in lib. *de captivit. Babylonica* non erubuit scribere « omnes esse impios, qui « utriusque speciei communionem laicis « denegant. Et rursus negare utramque « speciem laicis esse impium, et tyranni- « cum, nec in manu ullius Angeli, necdum « Papæ, et Concilii cujuscumque. » Amarius luget Calvinus lib. 4 instit. cap. 17, § 47, effutiens « ex diaboli officina prodiisse « constitutionem illam, quæ dimidiam « cœnæ partem meliori populo Dei nume- « ro, vel furata est, vel eripuit, nempe « symbolum sanguinis, quod laicis, et pro- « phanis interdictam paucis rasis, et unc- « tis » (sic vocat Episcopos, et sacerdotes) « in peculium cessit. » Similiter quæritantur alii sectari. Sed videamus lamentationum causas, et perpendamus argumenta. Primum est : quia nullus inferior potest prohibere, vel impedire jus concessum a superiori : sed Christus quamvis omnibus, et singulis non præceperit usum calicis, (ut dubio præcedenti statuimus, et nunc arguentes omittunt) nihilominus omnibus fidelibus concessit jus ad illum, ut constat ex illis verbis Lucæ 22: *Bibite ex eo omnes :* ergo Ecclesia non nisi injuste, et irrationabiliter interdicit sæcularibus usum calicis. Confirmatur : nam istud sacramentum est testamentum ultimum, quo Christus morti proximus filiis suis, id est, omnibus fidelibus, corpus suum, et sanguinem loco pretiosæ hæreditatis reliquit : ergo Ecclesia agit contra justitiam privando fideles hac hæreditate. Præsertim cum ipsa non sit domina, sed administratrix sacramentorum.

Luther. Calvin. Argumentum. Confirmatio.

Ad argumentum respondetur Christum dedisse quidem fidelibus jus exigendi sacramenta, et etiam usum calicis; at non absolute, sed cum subordinatione ad Ecclesiam: sic enim exigebat recta in gubernando providentia. Quemadmodum autem Ecclesia in aliquo tempore habuit justas causas permittendi, quin et præcipiendi fidelibus, ut communicarent sub utraque specie : sic etiam succedentibus temporibus, et occurrentibus novis pravorum dogmatum, et abusuum occasionibus, habuit justas causas (nempe assignatas num. 62, et alias), præcipiendi, ne laici in utraque specie communicent. Et huic, sicut, et aliis mandatis tenentur Ecclesiæ filii obedire. Nec adversarii possunt aliquod jus ad oppositum fundare in illis verbis, *Bibite ex eo omnes,* quia illa Christus non dixit ad omnes fideles, sed ad solos Apostolos, quos ordinavit sacerdotes, et præsentes habebat, ut constat ex dictis n. 53. Ad confirmationem, concesso antecedenti, negamus consequentiam, et oppositum consequentis : quia licet Ecclesia aliquos fideles, nempe laicos privet usu calicis, illos tamen non privat corpore, et san-

Convelluntur.

guine Christi, cum hæc integra suscipiant in specie panis. Nec illos privat gratia hujus sacramenti; cum istam communicando in qualibet specie possint suscipere. Et esto, priventur aliqua gratia; hæc tamen non est necessaria ad salutem. Unde non sequitur, quod Ecclesia aliquos privet hæreditate, quam suscipiendi jus habent ex testamento Christi; sive illa explicetur per gloriam, sive per gratiam, sive per Christi corpus, et sanguinem, ut facile declarari potest tum exemplo parvulorum, tum exemplo abstemiorum apud ipsos hæreticos, qui nequeunt aliquam partem hujus sacramenti suscipere.

Secundum argumentum. 66. Arguitur secundo: quoniam Ecclesia in principio legis Evangelicæ optime gubernavit fideles: sed eo tempore minime prohibuit, quod omnes fideles communicarent in utraque specie: ergo quod Ecclesia modo prohibeat, non pertinet ad rectam gubernationem, sed ad invidiam, et tyrannidem erga laicos. Incredibile enim est, quod Ecclesia sit modo perfectior, quam tunc. *Confirmatio.* Confirmatur primo: quia sicut Ecclesia nequit fideles privare gratia Dei, ita nec illos privare valet mediis ad majorem gratiam comparandam: sed Eucharistia sumpta in utraque specie dat majorem gratiam, quam si in una tantum specie sumatur, ut diximus disp. præced. dub. 4: ergo Ecclesia nequit ullos fideles privare communione in utraque specie. Et dum aliter disponit, favet suis sacerdotibus cum injuria, atque invidia sæcularium. *Elia.* Confirmatur secundo præcludendo tacitum effugium: nam propterea illa Ecclesiæ dispositio honestari posset, quia gratia ex usu hujus sacramenti in specie vini suscepta non est necessaria ad salutem: hoc autem motivum nihil valet: ergo Ecclesia nequit laicos privare usu calicis, nisi injuste, et irrationabiliter. Probatur minor: quia nec gratia sacramenti confirmationis, et sacramenti matrimonii, quin nec gratia Eucharistiæ in omnibus suis speciebus, est simpliciter necessaria ad salutem: posset enim ista obvenire per alia media: et nihilominus Ecclesia nequit fideles privare sacramentis confirmationis, matrimonii, et Eucharistiæ in aliqua specie: ergo quod gratia ex sumptione calicis proveniens non sit ad salutem necessaria, minime probat Ecclesiam posse rationabiliter ulli fidelium usum calicis interdicere.

Satisfit argumento. Ad argumentum, concessis præmissis, negamus consequentiam, quæ inepte ex illis colligitur: nam eadem est Ecclesia nunc, et in principio legis Evangelicæ fideles gubernans: sed ipsa rectæ gubernationis ratio postulat, quod pro varietate temporum, et necessitatum diversæ sint gubernantis dispositiones, et leges: quædam enim requiruntur tempore belli, quæ superfluerent tempore pacis, et e converso: et idem sapiens medicus diverso modo consulit bene valentibus, et curat ægrotos. In principio itaque Ecclesiæ non oportuit adhibere hanc prohibitionem: tum quia erat minor multitudo fidelium, et major illorum circunspectio: tum quia non fuerat exorta hæresis negantium totum, et integrum Christum esse in qualibet specierum. Sed in ultimis his sæculis fuit convenientissima hujusmodi prohibitio: et quia excessive crevit multitudo fidelium diversarum ætatum; unde sacramentum in specie vini exponebatur pluribus indecentiis: et quia plures hæretici asserebant totum Christum non contineri in specie panis, pervicaciter contra doctrinam Ecclesiæ asserentes sumptionem calicis esse simpliciter necessariam ad salutem. Unde Ecclesia justissimam causam habuit statuendi oppositum, prohibendo laicis usum calicis, ut simplices evidentius cognoscerent illud ad salutem non requiri, et totum Christum contineri in qualibet specierum.

Eversio primæ confirmationis. Ad primam confirmationem respondetur posteriorem majoris partem solum verificari per se loquendo, et ubi major erga sacramenta reverentia oppositum non exposcit: si enim contrarium contingat, nullum est inconveniens, quod Ecclesia interdicat illa media, quæ possent aliquod augmentum gratiæ conferre: quippe non minus consulendum est sacramentorum religioni, quam suscipientium utilitati. Sic plane sacra communio repetita in diversis ejusdem diei horis majus incrementum gratiæ ex opere operato conferret, quam una tantum communio: et tamen Ecclesia rationabiliter propter majorem erga sacramentum reverentiam disposuit, ne fideles nisi semel in die communicent. Quod nec ipsi hæretici negare valent, qui suam cœnam non celebrant nisi semel in die. Quod vero tam sæpe obtrudunt de augmento gratiæ per usum calicis, levissimum plane est: quia illud augmentum est modicum, atque

atque ejusdem gratiæ cum illa, quam confert species panis. Cui comparando apertissimum campum Ecclesia relinquit, permittendo fidelibus, quod frequenter communicent. Sed quod aliquorum clamor pro calice non oriatur ab ea radice, liquet ex eo, quod cum frequentissime potuerint ad Eucharistiam accedere, adeo tepidi fuerint, et in studio majoris gratiæ comparandæ desides, quod Ecclesia opus habuerit præcepto, ut eos compelleret ad annuam saltem communionem. Irridendi itaque sunt isti zelatores, qui cum animas perdant, deplorant adeo illarum jacturam ob calicem sibi interdictum. At iidem pro calice pugnantes reliqua sacramenta, media scilicet salutis oppugnant, et de medio tollere satagunt. Quod vero inculcant Ecclesiam consuluisse suis sacerdotibus cum laicorum detrimento et invidia; mera calumnia est: quia Ecclesia non prohibet laicos uti aliis mediis, quibus cumulatissimam gratiam sibi comparent ut immediate vidimus. Præterquam quod sacerdotes sunt sacrificantes, et in digniori statu constituti, obliganturque ad majorem sanctitatem: unde congruit illos pro sua dignitate, et fine uti mediis opportunioribus.

Diruitur secunda. Ad secundam confirmationem vel neganda, vel explicanda est major: quia ratio illi inserta non fuit motivum, ut Ecclesia prohibuerit laicis usum calicis, sed aliæ a nobis supra relatæ. Quod vero gratia ex usu calicis comparanda non sit necessaria ad salutem, solum deservit ad vitandum inconveniens ab hæreticis objectum, nempe privari homines eis mediis, quæ ad salutem desiderantur. Et in hoc ultimo sensu negamus minorem. Ad cujus probationem concessis præmissis negatur consequentia. Et ratio disparitatis est, quod res, quam versamus, et illa exempla toto cœlo distant: nam in sacramentis matrimonii, et confirmationis non est duplex materia, sive species partialis, in quarum qualibet salvetur propria ratio, et gratia talium sacramentorum. Et ideo si Ecclesia illa sacramenta interdiceret, privaret simpliciter fideles eis sacramentis; cum tamen pro eisdem instituta fuerint a Christo: quod Ecclesia facere non valet. Et idem dicendum est de prohibitione adæquata Eucharistiæ in omnibus, et singulis speciebus tam simul, quam divisim. Sed quod Ecclesia aliquibus, nempe laicis interdicat usum ambarum simul specierum, nullum est inconveniens: quia in una specie sola salvatur vera ratio sacramenti Eucharistiæ, et propria gratia hujus sacramenti ad salutem sufficiens. Addimus exemplum matrimonii magis favere nostræ sententiæ: nam Ecclesia potest aliquos impedire, ne illud sacramentum suscipiant. Nec hoc est inconveniens, cum gratia illius sacramenti non sit necessaria ad salutem; et hanc prohibitionem in aliquibus fidelibus postulet ipsa major erga sacramentum matrimonii reverentia. Idem itaque in nostro casu dicendum est.

67. Arguitur tertio: nam ex eo, quod Ecclesia Romana prohibuerit laicis usum calicis, plura sunt orta schismata, plures hæreses, nempe hominibus nolentibus obedire præcepto, quod injustum, tyrannum, et durissimum censuerunt: ergo valde imprudenter, et inique se gessit Ecclesia ita præcipiens, ut quæ tot malis occasionem dedit; cum posset fideles gubernare permittendo ipsis utramque speciem, sicut se gerit Ecclesia Græca. Confirmatur: nam si motiva, quæ Ecclesia habuit ad interdicendum sæcularibus usum calicis aliquid valet; sequitur Ecclesiam non posse aliter disponere, nec usum calicis aliquando permittere: consequens est absurdum, utpote auctoritati, et potestati ejusdem Ecclesiæ derogans: ergo fatendum est illa motiva non fuisse sufficientia, atque ideo Ecclesiam injuste processisse in ea prohibitione. Tertium argumentum. Confirmatio.

Ad argumentum respondetur illud procedere ab spiritu hæreticorum, qui ultimum finem videntur posuisse in summo odio ad Romanam Ecclesiam, et ejus Antistites, quasi hi pro libito, et sine causa usum calisis sæcularibus prohibuerunt contra Christi vel præceptum, vel permissionem. Sed aliter omnino res se habet: nam Ecclesiam Romanam concessisse olim communionem laicis in utraque specie, quin et illam precepisse ad tollendum aliquos errores, constat ex dictis num. 58. Deinde in Concilio Florentino minime improbavit, (cum absolute posset,) morem Græcorum in utraque specie communicantium. Præterea, Martinus V etiam post Concilium Constantiense, in quo prohibitus fuit laicis calicis usus, et in quo, et a quo ipse in Pontificem summum electus est, Romam regressus dedit communionem laicis sub utraque specie, ut scilicet aperiret animum id indulgendi cessantibus scandalis, et Soluitur argumentum. Nota.

schismatibus. Et illud editum fecit Concilium Constantiense, sive Ecclesia universalis in eo Concilio, nullo Romano Pontifice præsidente, nullo etiam ejus Legato : siquidem edictum factum fuit sess. 13, et electio Pontificis per ipsum Concilium contigit sess. 41. Unde liquet hæreticos sola rabie actos traducere in hac causa, sicut in aliis, Romanos Pontifices. Negandum est itaque antecedens : nam illa schismata, et hæreses, et inobedientiæ quorundam pessimorum non processerunt ab isto Ecclesiæ præcepto ; sed profundiores, et magis veternosas radices in eorum cordibus habuerunt. Et ideo quamvis calix non fuisset interdictus, adhuc tamen illi hæretici, et schismatici forent. Cujus signum est, quod Concilium Basil. post interdictam laicis calicis sumptionem, postea sess. 30, pro bono pacis, et unitatis permisit Bohemis, et Moravis sub utraque specie Eucharistiam accipere : et tamen nihilo meliores facti sunt, sed in statu hæresis, et schismatis permanserunt. Deinde Paulus III in bulla trium Legatorum, quos in Germaniam ad Catholicissimum Carolum V, misit, dabat locum indulgendi calicem iis, qui cum tribus conditionibus ejus usum admittere profiterentur, nempe tantum sub una, quantum sub utraque contineri : non minus recipere una pastum, quam duabus : et denique in omnibus aliis unitatem Ecclesiæ Catholicæ retinere, et Sedi Apostolicæ subjectos fideliter fore. Sed noluerunt hæretici hæc (alias ad salutem necessaria) concedere. Quare constat hanc negationem calicis esse merum schismatis prætextum ab hæreticis conquisitum, ut suis erroribus hæreant. Constat etiam concessionem calicis non videri medium opportunum ad revocandos Lutheranos, et Calvinistas, de quo alias.

Nota.

Diluitur confirmatio.

68. Ad confirmationem negamus sequelam : quia possent inconvenientia cessare, et alia motiva novæ convenientiæ occurrere, ut Ecclesia licite, et prudenter non solum permitteret, sed etiam præciperet usum calicis : sicut olim fiebat, et specialiter contigisse tempore Leonis Magni diximus nu. 58. Ad probationem vero sequelæ jam supra respondimus motiva adæquata prohibendi calicem non esse illa præcise, quæ ibi assignantur ; sed necessitatem potius excludendi illorum errorem, qui putant non integrum Christum in qualibet specie contineri. Quo errore cessante, et convulsis summa diligentia inconvenientibus periculi effusionis calicis, vel superveniente aliquo urgentiori motivo dipensandi laicis calicem ; posset rationabiliter Ecclesia sua potestate uti, illum indulgendo. Quando autem omnes ad id necessariæ circumstantiæ concurrant, vel non, et cum quanta extensione, nostrum non est diffinire. Nec Patres Concil. Tridentin. id determinare voluerunt, sed id in supremum Romani Pontificis arbitrium revocarunt, ut constat ex decreto post totam sess. 22, proposito, ubi dicitur : « Insuper cum eadem sancta « Synodus superiori sessione duos articu- « los, alias propositos, et tunc nondum « discussos, videlicet, An rationes, quibus « sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, ut « communicaret laicos, atque etiam non « celebrantes sacerdotes sub una tantum « panis specie, ita sint retinendæ, ut nulla « ratione calicis usus cuiquam sit permit- « tendus. Et : An si honestis, et Christiani « charitati consentaneis rationibus conce- « dendus alicui vel nationi, vel regno « calicis usus videatur ; sub aliquibus « conditionibus concedendus sit, et quæ- « nam illæ sint : in aliud tempus oblata « sibi occasione examinandos, atque de- « finiendos reservaverit. Nunc eorum, « pro quibus petitur, saluti optime « consultum volens, decrevit integrum « negotium ad Sanctissimum Dominum « nostrum esse referendum, prout præsenti « decreto defert. Qui pro sua singulari « prudentia id efficiat, quod utile Reipu- « blicæ Christianæ, et salutare petentibus « usum calicis, fore judicaverit. »

Concil. Trident.

Plures in hac materia dispensationes.

Qua potestate, et prudentia usi Summi Pontifices cum aliquibus nationibus, et personis circa sumptionem calicis dispensarunt, si vera sunt, quæ aliqui referunt. Nam Paulus Tertius concessit Bohemis communionem in utraque specie, dummodo ab aliis erroribus recederent, ut refert Aversa quæst. 8, sect. 5. Deinde dispensatum fuisse cum Germanis, et cum Ruthenis sub Pio Quarto refert Amicus disp. 29, sect. 7. Præterea consuetudinem communicandi in utraque specie observari etiam nunc Parisiis in monasterio Dionysiano refert Diana par. 8, tract. 1, resol. 25, quod fieri credendum est ex concessione, et privilegio Pontificis. Quo etiam solemniter celebrante, Cardinales duos, nempe Diaconum, et Subdiaconum

Aversa.

Amicus.

diaconum suscipere etiam ex calice refert Lugo disp. 12, sect. 3, idque alii extendunt ad reliquos Cardinales concurrentes; quod tamen ille negat num. 6. Insuper Imperator, cum coronatur, communicat sub utraque specie, ut refert Henriquez lib. 8, cap. 44, § 7. Fertur insuper Clementem Sextum dispensasse cum Rege Galliæ, et Clementem Septimum cum Rege Angliæ Henrico Octavo ad communicandum in utraque specie. Denique Græci retinent adhuc usum hujus communionis: quod illis absque ulla reprehensione permittitur a Romano Pontifice; cum alias non errent vel in præsentia totius integri Christi in qualibet specie, vel in necessitate similis communionis ad salutem.

Lugo.

Henriq.

DUBIUM VII.

Utrum expediat omnes laicos existentes in gratia communicare quotidie?

Hæc tandem difficultas ad Eucharistiæ usum spectat, et acres his ultimis temporibus excitavit controversias, quibusdam negantibus in universum, aliis e contra in universum concedentibus. Sed quia prudens resolutio pendet, ut putamus, ex distinctione; oportet aliqua præmittere, ut termini in titulo positi magis explicentur, et controversia ad punctum speciale reducatur.

§ I.

Prælibantur communia, et aperitur status quæstionis.

Distinctio inter licitum, et conveniens.

69. Sæpissime contingit aliquid esse licitum, et tamen non esse expediens, sive conveniens: ad primum enim sufficit non esse peccatum, seu malum, ad secundum autem requiritur, quod non sit malum, et non sufficit esse bonum, sed insuper desideratur, quod sit melius, et perfectius, quam oppositum: quod enim magis expedit, est materia consilii, idque providere debet meliora. Hinc cuncti dicemus omnes homines posse licite contrahere matrimonium: sed non dicemus, nisi desipiamus, expedire, quod omnes ducant uxores; cum Apostolus e contra consulat virginitatem. Ad hunc ergo sensum valde diversa sunt, quod omnes existentes in gratia licite possint sumere quotidie Eucharistiam; et quod expediat, sitque salutare consilium, quod omnes existentes in gratia quotidie communicent. Primum illud supponimus: nam ut quis licite, sive non indigne contrarie ad Eucharistiam accedat, sufficit ipsum existere in statu gratiæ, etsi aliam dispositionem non habeat, ut constat ex dictis in hac disp. dub. 3, et in præced. dub. 3. Unde dubium præsens procedit in secundo sensu attendente ad majorem convenientiam, et ideo inquirit, *Utrum expediat etc.*

Dubium comprehendit solos laicos.

Deinde communicantes alii sunt sacerdotes, qui ad efficiendum Eucharistiam, et offerendum Missæ sacrificium, et orandum pro populo consecrantur: alii autem sunt laici, sive non sacerdotes, qui ad nihil horum ex officio dedicati sunt. Dubium autem præsens non procedit de sacerdotibus; quamvis et de eis aliquid dicemus *num.* 90, sed restringitur ad solos laicos, ut titulus expresse proponit: non enim oportet eandem habere rationem de populo, ac de sacerdote, ut liquet in aliis, et nominatim in usu calicis, ut vidimus *dub. præced.* et diversa motiva, diversæque obligationes sacerdotum, et laicorum satis evincunt.

Aliquibus laicis consuli potest quotidiana communio.

70. Præterea ad laicos sermonem restringendo, observandum est, quod dupliciter de eis loqui possumus, primo in communi, et collective: secundo in particulari, et divisim. Dubitari enim potest, utrum toti multitudini laicorum existentium in gratia conveniens sit communicare quotidie? et utrum huic particulari laico, aut illi, v.g. Joanni, vel Mariæ consulendum sit quotidie communicare? Et in hoc ultimo sensu manifestum est expedire aliquibus particularibus laicis, sive conveniens esse respectu aliquorum, quod suscipiant quotidie Eucharistiam. Quia dubitandum non est dari aliquas personas tam in Religionibus, quam in sæculo, insignis sanctitatis, quæ Dei amore ardent; quæ summo studio vitant peccata venialia, atque imperfectiones; quæ carnem suam, et affectus crucificant pro Christo; quæ se continuo præparant ad sacram communionem, appetuntque charitatis impetu Christo sponso incorporari, nullum ex hac frequentia sentientes detrimentum, sed incrementa potius amoris, humilitatis, et reverentiæ. Nemo namque negabit hujus generis fuisse D. Francis-

cum, D. Isidorum Agricolam, D. Catharinam Senensem, Seraphicam M. N. S. Theresiam, et similes. Nunquam enim in Ecclesia militante deficiunt aliquæ personæ hujus, vel similis sanctitatis, quamvis non semper, nec ab omnibus cognoscantur. His itaque dubio procul non solum licet, sed expedit per se loquendo quotidianam porrigere communionem, ut novis carbonibus spiritualis eorum ardor in immensum augeatur : quamvis non negemus prudentis medici, seu confessarii esse vel iisdem aliquando communionem non concedere, tum pro mortificationis studio, tum ad capiendum humilitatis, et subjectionis experimentum. Et hanc suppositionem censemus his temporibus communem ; licet olim aliqui spirituales parcius se gesserint, assignando (vel pro his perfectionis adeo studiosis) peculiares, ac determinatos communicandi dies. Sed differunt hominum ingenia : et arduum est conciliare cunctorum vota ; ut propterea omittamus diversa licet gravium, et spiritualium Patrum indicia, in quibus recensendis plus alii perplexitatis, quam lucis afferunt. Satis sit nostram

D. Tho. hanc suppositionem esse Angelici Doctoris in 4, dist. 12, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 2, ubi ait : « Si aliquis experimentaliter co« gnosceret ex quotidiana communione « fervorem devotionis augeri, et reveren« tiam non minui, talis deberet quotidie « communicare. » Ubi ly *deberet* non est præcepti, ut ex se constat, sed consilii. Et idem docet in præs. quæst. art. 10, dicens, quod « ex parte sumentis requiritur, ut « cum magna devotione, et reverentia ad « hoc sacramentum accedat. Et ideo si ali« quis se quotidie ad hoc paratum inve« niat, laudabile est, quod quotidie sumat. « Unde Augustinus cum dixisset, Accipe « quotidie, ut quotidie tibi prosit, subjun« git : Sic vive, ut quotidie merearis acci« pere. » Deinde in resp. ad 3, egregie observat, « quod reverentia hujus sacra« menti habet timorem amori conjunctum. « (Unde timor reverentiæ ad Deum dicitur « timor fidelis, ut in 2 part. dictum est). « Ex amore enim provocatur desiderium « sumendi ; ex timore autem consurgit hu« militas reverendi. Et ideo utrumque « pertinet ad reverentiam hujus sacra« menti, et quod quotidie sumatur, et « quod aliquando abstineatur. » Idque confirmat testimonio D. Augustini. Sed tamen concludit hoc modo : « Amor tamen, et « spes, ad quæ semper Scriptura nos pro« vocat, præferuntur timori. Unde et cum « Petrus dixisset, Exi a me Domine, quia « homo peccator ego sum ; respondit Jesus, « noli timere. » Ex sententia ergo tanti Doctoris aliquibus laicis consuli potest, ut quotidie communicent. Ubi incidenter, Nota. (quod dicendum est num. 84.) notabit lector temeritatem eorum, qui cum videant aliquam personam sæcularem communicare quotidie, statim inardescunt ad detrahendum tam illi, quam ejus confessario, quod sit nimia tanta frequentia : et tamen murmuratores tepidi sunt, et qui omnino ignorant optimam communicantis dispositionem soli Deo, aut confessario patentem.

71. Relicta itaque particularium personarum consideratione, quæ ad confessarios spectat judicantes in individuo : difficultas dubii præsentis devolvitur ad communitatem, sive multitudinem laicorum existentium in statu gratiæ, an scilicet consulendum sit, et expediat, quod omnes isti communicent. Et circa istos adhuc distinguendum est : nam valde differunt, quod omnes prædicti communicent quotidie cum debita præparatione, et devotione ad tantam frequentiam ; et quod omnes communicent quotidie cum solo statu gratiæ, et cum sola dispositione ad non communicandum sacrilege, sive indigne contrarie. Et in priori sensu manifestum est oportere hortari, et provocare omnes tum concionibus, tum particularibus consiliis ad communicandum quotidie cum præparatione, et devotionne congruis tantæ frequentiæ. Nam et communio actus bonus est et medium præparationis, et devotionis illi fini proportionatum : unde nec ex parte actus, nec ex parte modi occurrit aliquid, ut omnes ad similem communionem quotidianam excitari non debeant. In quo sensu loquitur Concilium Tridentinum sess. 22, cap, 6, cum ait : « Optaret quidem sacro sancta « Synodus, ut in singulis Missis fideles « adstantes non solum spirituali affectu, « sed sacramentali etiam Eucharistiæ per« ceptione communicarent : quo ad eos « sanctissimi hujus sacrificii fructus ube« rior proveniret. » Nam communio sic sumpta utilissima plane est suscipienti ; et a majestate ejus, qui suscipitur, non aliena. Cæterum Concilium non dixit *Optat*, sed *Optaret* :

Punctum difficultatis.

Clara suppositio in uno sensu.

Concil. Trident.

Optaret : nam *optat* importat desiderinm absolutum ; *optaret* autem, cum sit præter ritum imperfectum subjunctivi, solum denotat quandam inclinationem ad aliquid, licet non futurum , aut etiam moraliter impossibile. Sicut vellemus omnes esse sanctos, et nullum habere peccatum veniale : sed id non volumus, nec desiderare possumus absolute. Et sic optaremus omnes, et singulos Christianos communicare quotidie cum præparatione, et dispositione proportionatis tantæ frequentiæ. Sed tamen id non cadit sub desiderio, quia nec est moraliter possibile, quod omnes ita quotidie accedant. Et tamen oportet in communi omnes ad id hortari, ut saltem consequamur, quod vel aliqui ita communicent.

72. Prætermisso igitur illo sensu, quem nemo negat, difficultas procedit in secundo, an scilicet expediat omnes, et singulos fideles communicare quotidie; licet non aliam majorem dispositionem habeant, quam merum statum gratiæ habitualis. Et quia consilium habet esse prudentiale, et attentis omnibus; observandum est cum D. Thoma in præs. art. 10, « quod circa « usum hujus sacramenti duo possunt « considerari. Unum quidem ex parte « ipsius sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris. Et ideo utile est quotidie « ipsum sumere, ut homo quotidie ejus « fructum percipiat. Unde Ambrosius dixit « in lib. de Sacramentis : Si quotiescumque effunditur sanguis Christi in remissionem peccatorum effunditur, debeo « semper accipere, qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Alio modo potest considerari ex parte sumentis etc. » Unde supponimus, quod quantum est ex parte sacramenti, et utilitatum ex ipso provenientium expedit omnes quotidie sumere communionem. Sed difficultas est, utrum conveniat attentis omnibus : et in hoc sensu procedit dubium propositum. In quo sensu sunt duæ sententiæ extreme contrariæ : una consulit, ut omnis laicus, qui credit se liberum a peccato mortali, quotidie communicet : alia negat id esse consulendum. Tam acriter autem utrimque his temporibus pugnatum est, ut quidam non dubitaverint mutuis censuris se percellere. Sed nos, qui eorum varietate, et rei difficultate impedire possemus, feliciores illis fuimus, securam regulam ad id diffiniendum (quam illi non viderunt,) habentes, nempe decretum SS. D. N. Innocentii XI. Et ejus decretum vocamus, quia licet factum fuerit a sacra Congregatione Cardinalium interpretum Concilii Tridentini : nihilominus prædictus Romanus Pontifex illud approbavit, et præcepit promulgari in tota Ecclesia illa solemnitate, qua reliquæ Constitutiones Apostolicæ promulgantur. Et quamvis aliqua alia contineat huc non attinentia; tamen integrum transcribendum duximus : quia nequeunt commode alia ab aliis separari. Distinguemus autem ejus clausulas numeris, ut facilius eas postea allegare possimus. Est igitur hujus tenoris.

D. Tho

Difficultas procedens in alio sensu.

Decretum Papæ.

DECRETUM

Circa communionem quotidianam.

1. Cum ad aures SS. D. N. fide dignorum testimonio pervenerit in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ Communionis etiam in feria sexta Parascevæ; et simul affirmari eandem quotidianam communionem præceptam esse a jure divino; quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse, videlicet quod aliqui non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, et domi, imo cubantes in lecto, et non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumunt sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secreto illos deferunt sacerdotes sæculares, aut regulares; aliique in communione accipiunt plures formas, ac particulas, aut grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem Sanctissimus hæc consideranda commiserit sacræ Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ; eadem sacra Congregatio prævia matura discussione, super prædictas unanimi sententias ita censuit. 2. Et si frequens, quotidianusve sacrosanctæ Eucharistiæ usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab illa abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomadus dies statuerunt : quos nec Concilium Tridentinum præscripsit: sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens,

quid cuperet, tantum indicavit, cum inquit : Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes sacramentali Eucharistiæ perceptioni communicarent. Idque non immerito : multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes ; multæ e contra gratiæ, et Dei dona parvulis concessa : quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cujusque dignitate, atque integritate, et consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. 3. Et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam accessus, confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus : qui ex conscientiarum puritate, et frequentiæ fructu, et ad pietatem processu, laicis negotiatoribus, et conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. 4. In conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi: eos serio admoneant tanto magis ob sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cœlestium epularum communionem esse conveniendum. 5. In hoc igitur diligentia Pastorum potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana sacræ communionis sumptione, unica præcepti formula aliqui deterreantur ; aut sumendi dies generaliter constituantur: sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putent. Illudque omnino provideant, ut nemo a sacro Convivio seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur : et nihilominus dent operam, ut unusquisque digne pro devotionis, et præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici corporis suavitatem degustet. 6. Itidem Moniales quotidie sacram communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent. Si quæ vero puritate mentis eniteant, et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur. 7. Proderit etiam præter Parochorum, et Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, et cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad SS. Sacramenti frequentiam (quod facere debent,) accenderint; statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant; generatimque ostendant eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negociatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini judicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri, et si quando se minus præparatos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. 8. Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga SS. Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ, et judicii temperamento alere debebunt, et ab eorum officio maxime postulari persuadebunt nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, aut scandali suspicio in veri, et immaculati agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur, Quod abunde continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio divina præstante gratia tenentur, seque sacratissimo pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, et charitate assueverint. Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, et se pretium in morte tradidit, atque in cœlesti regno se præmium est daturus, precatur sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem, et sumptionem largiatur. 9. Porro Episcopi, et Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes communionem quotidianam esse de jure divino. 10. Doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis ex dispensatione, seu privilegio Pontificis de manu sacerdotis sumendam SS. Eucharistiam : nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secreto tam ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant ; et ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publice, et cum pompa juxta formam Ritualis Romani : si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. 11. Curent etiam ut circa communionem in feria sexta Parescevæ Missalis rubricæ, et Ecclesiæ Romanæ usus serventur. 12. Insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. 13. Non permittant

permittant ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. 14. Si Parochi, aut Confessarii, etiam regulares, aut quicumque alii sacerdotes secus egerint, sciant Deo O. M. rationem reddituros esse, nec defuturam Episcoporum, et Ordinariorum justam, et rigorosam animadversionem in contra facientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu facultate ipsis Episcopis, et Ordinariis per hoc decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa. 15. Et facta de præmissis omnibus relatione, Sanctitas sua approbavit, ac præsens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum etc. Datum Romæ 12 Februarii 1679.

F. Card. Columna Præs.
S. Archiepisc. Brancaccius
Episc. Viterbien. Secret.

Die 15 mensis Februari 1679, supradictum decretum affixum, et publicatum fuit per Urbem ad valvas Curiæ, et in acie campi Floræ, ut moris est, per me Œgidium Fœlicem SS. D. N. PP. Cursorem. Pro D. Magistro cursorum Gregorius Staggin Apost. Curs.

Præmissa itaque hujus Pontificii decreti luce, et supposito legitimo istius dubii sensu, qui satis innotescit ex supra positis distinctionibus, arduum non erit eligere veram ejus resolutionem.

§ II.

Præfertur negans, et communior D. Thomæ sententia.

Conclusio. 73. Dicendum est non expedire, nec esse salubre consilium, quod omnes indiscriminatim laici existentes in gratia communicent quotidie. Sic evidenter docet D. Tho. D. Thomas, ut ejus testimoniis demonstratur. Nam *in præs. artic.* 10, præmittit distinctionem ex parte sacramenti, et ex parte sumentis, et postquam resolvit, quod attendendo ad virtutem sacramenti, utile est quotidie illud sumere, ut vidimus num. 72, statim subjungit : « Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione, et reverentia ad hoc sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie « sumat. Unde Augustinus cum dixisset, « Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit, « subjungit : Sic vive, ut quotidie merearis « accipere. Sed quia multoties in pluribus « hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter corporis indispositionem, vel animæ, non est utile « omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed quotiescumque se « ad illud homo invenerit præparatum. » Hæc S. Doctor, per quæ evertitur sententia contraria. Nam hujus Auctores consulunt, ut omnis, qui cognoscit se non esse in peccato mortali, quamvis tepidus, distractus, et pluribus venialibus maculatus, suscipiat quotidie Eucharistiam. E contra vero D. Thomas affirmat requiri, ut « cum magna « devotione, et reverentia accedat. » Magna autem devotio, et reverentia et addit multum supra communem statum gratiæ, et excludit tepiditatem, distractionem, et affectum ad venialia. Rursus in hoc sensu expendit illud *Sic sive* ex D. Augustino, quod habet emphasim, et denotat desiderium, et conatum ad vitam perfectam. Denique quia S. Doctor vidit pluribus impediri magnam devotionem, quam pro dispositione ad quotidianam communionem exegerat, conclusit absolute :« Non « est utile omnibus hominibus quotidie ad « sacramentum accedere. » Quæ est nostra conclusio. Unde irridendi sunt, qui ita D. Thomam exponere tentarunt, ut nihil aliud pro utilitate communionis quotidianæ voluerit, quam meram absentiam peccati mortalis, quæ cum tepiditate, indevotione, et pluribus peccatis venialibus potest contingi : cum tamen S. Doctor expresse petat magnam devotionem, et conatum ad perfectionem vitæ spiritualis.

Verum extorta illorum interpretatio evidentius adhuc falsitatis convincitur attendendo ad discursum D. Thomæ : « Sed « quia multoties, *inquit*, in pluribus ho- D. Tho. « minum multa impedimenta hujus devo« tionis occurrunt etc. » Videamus itaque ex sententia S. Doctoris unum saltem ex his impedimentis : et ibi recognoscemus non esse statum peccati, ut Adversarii dicunt, sed aliud quid cum statu gratiæ cohærens. Igitur in eadem quæst. art. 7, inquirit : « Utrum pollutio nocturna ali« quem impediat a sumptione hujus sacra« menti : » et resolvit, quod si pollutio sit peccatum mortale pœnitentia non dilutum,

impedit ex necessitate, et subjungit « Ex « quadam vero congruentia impedit quan- « tum ad duo : quorum unum semper ac- « cidit, scilicet quædam fœditas corporalis, « cum qua propter reverentiam sacramen- « ti non decet ad altare accedere (unde et « volentes tangere aliquid sacrum, manus « lavant), nisi forte talis immunditia sit « perpetua, vel diuturna, sicut est lepra, vel « fluxus sanguinus, vel aliquid hujusmodi. « Aliud autem est evagatio mentis, quæ se- « quitur pollutionem nocturnam, præsertim « quando cum turpi imaginatione contingit.» Ergo his impedimentis occurrentibus congruit, ac perinde melius consilium est hominem ea die non accedere ad communionem. Contra hanc autem resolutionem opponit quartum argumentum (et notet lector esse ipsissimum, et velut adæquatum Adversariorum motivum), quod ita se habet : « Peccatum veniale non impedit hominem « a sumptione hujus sacramenti : sed nec « etiam peccatum mortale post pœniten- « tiam. Sed dato, quod nocturna pollutio pro- « venerit ex aliquo peccato præcedenti (sive « crapulæ, sive turpium cogitationum) ple- « rumque tale peccatum est veniale ; et si « aliquando sit mortale, potest contingere, « quod homo de mane pœnitet, et peccatum « suum confitetur. Ergo videtur, quod non « debeat impediri a sumptione hujus sa- « cramenti ». Ecce argumentum, ecce contrariæ sententiæ fundamentum. Sed tamen Angelicus Doctor angelica puritate nitens persistit in proposita resolutione, et respondet : « Ad quartum dicendum, quod li- « cet per contritionem, et confessionem au- « feratur reatus culpæ, non tamen aufertur « corporalis immunditia, et distractio men- « tis ex pollutione consecuta. » Propter quas dixerat impediri communionem *ex quadam congruentia* sive juxta salubrius consilium. Quid diceret de pollutione voluntaria, de adulterio, de sacrilegio? Quid de illis turpitudinis furiis magis quam lapsibus, contra jura naturæ patratis? Et tamen nostri Adversarii non dubitant consulere, quod his patratis, sed in sacramento pœnitentiæ quantum ad culpam dilutis, fumantibus adhuc libidinum ardoribus, accedat homo ad tremenda mysteria sumendo agnum immaculatum. Longe ista exulant a D. Thomæ consilio.

D. Tho. 74. Sed non sunt minus evidentia alia ejusdem S. Doctoris testimonia. Nam in 4, dist. 12, quæst. 3, artic. 1, quæstiunc. 2, eandem versans difficultatem inquit : « Si « aliquis experimentaliter cognosceret ex « quotidiana sumptione fervorem amoris « augeri, et reverentiam non minui, talis « deberet quotidie communicare. Si autem « sentiret per quotidianam frequentatio- « nem reverentiam minui, et fervorem non « multum augeri « *perpendat lector hæc verba* » non multum augeri) talis deberet « interdum abstinere, ut cum majori reve- « rentia, et devotione postmodum accede- « ret. » Et in 1, ad Corinth. cap. 11, lect. 7, inquit : « Quia amor præfertur timori per « se loquendo, commendabilius esse videtur, « quod aliquis frequentius sumat, quam « quod rarius (*ut ex eodem vidimus num.* « 70.) Quia tamen quod est in se eligibi- « lius potest esse minus eligibile quantum « ad hunc, vel illum ; considerare quilibet « in se ipso debet, quem effectum in se ha- « beat frequens susceptio hujus sacramenti. « Nam si aliquis sentiat se proficere in fer- « vore dilectionis ad Christum, et in for- « titudine resistendi peccatis, quæ pluri- « mum consequuntur homines, debet fre- « quenter sumere. Si vero ex frequenti « sumptione sentiat aliquis in se minui re- « verentiam hujus sacramenti, monendus est « ut rarius sumat. » Dubitari autem minime potest plurimos reperiri, qui frequenter communicantes non crescunt in reverentia hujus sacramenti, nec in fervore dilectionis erga Christum, nec in fortitudine resistendi peccatis venialibus, quæ plurimum consequuntur homines : quin potius experimento compertum est non paucos communione suscepta redire immediate ad vanitates, distractiones, et delectationes mundi, in quibus non solum venialiter, sed etiam mortaliter non raro peccant. His ergo, atque ideo omnibus indiscriminatim in gratia existentibus consulendum non est ex sententia D. Thomæ, quod *frequenter* (ut ipse loquitur) et multo minus, quod *quotidie* suscipiant Eucharistiam. Unde assertionem nostram cum S. Doctore amplectuntur communiter ejus discipuli, D. Antoninus 3 part. tit. 14, cap. 12, § 5, Sylvester verbo *Eucharistia* 3, quæst. 15, Tabiena verbo *Communio*, num. 17, Paludanus in 4, dist. 12, quæst. 1, artic. 4, Soto ibidem quæst. 1, artic. 10, ad 3, proposito, Petrus de Soto *de instit Sacerdotum* lect. 9, in fine, Cajetanus in præs. artic. 10, Nugnus

D. Ant. Sylvest. Tabien. Palud. Soto. Cajet. Nugnus. Prado Medina. Ledems. Joannes. a Cruce.

Joan. a S. Tho. Tapia. Ludov. Granad. N. Fran. Contens. gnus ibi difficult, unica a concl. 7, Prado dub. 3, num. 14, Medina in *Summa de præcepto Ecclesiæ* num. 42, Petrus de Ledesma *de Eucharistia* cap. 14, concl. 4, Joannes a Cruce quæst, 5, *de Eucharistia*, dub. 6, concl. 2, Joannes a Sancto Thoma in explicat. *doctrinæ Christianæ* 1 part. *de Eucharistia* folio 86, Petrus de Tapia in eadem explicatione capit. 6, § 3, Venerabilis, et piissimus Doctor Ludovicus Granatensis tract. 3, *de Communione*, cap. 10, Noster Franciscus cap. 8, punct. 3, a num. 41. Contenson dissert. 5, cap. 2, ubi plura testimonia diversorum Auctorum pro hac assertione expendit.

D. Bon. Eandem etiam docent plures alii gravissimi Doctores. Seraphicus in 4, dist. 12, quæst. 2, et in lib. *de profectu Religionis*, cap. 77, ubi ait : « Vix aliquis ita Religio« sus esse videtur, et sanctus (exceptis « sacerdotibus) quin semel in septimana « sufficiat ei ex consuetudine communi« care ; nisi specialis causa quandoque, vel « ratio plus suadeat, vel infirmitas super« veniens, vel singulariter festivitas solem« nis etc. » B. Alb. Beatus Albertus Magnus dist. 6, *de Eucharistia*, tract. 4, cap. 3, inquit : « De his, qui mulieres omni die commu« cant, videtur mihi, quod acriter repre« hendendi sunt : quia nimio usu vilescere « faciunt sacramentum : vel potius ex « levitate mulierum putatur esse deside« rium, quam ex devotione causatum. » D. Fran. Sales. Sanctus Franciscus Salesius *in Philothea*, part. 2, cap. 20, inquit : « Ut quis octavo « quoque die Eucharistiæ communionem « percipiat, ab omni eum peccati mortalis « labe, ab omni peccatorum venialium « studio, ac voluntate immunem esse, ac « præterea Sacræ Eucharistiæ vehementi « desiderio flagrare oportet. » Quid diceret, ut homo quotidie sumeret Eucharistiam ? Venerabilis Pater Joannes de Avila Joan. Avila. 1, part. epist. 65. « Multum errant, qui « solam Communionis cupiditatem a con« suetudine potius, quam a ratione veriore « natam, pro idonea ad Eucharistiam præ« paratione habent. Quod si præterea dum « Christi corpus accipiunt, lacrymulam « extillent, magnopere se profecisse arbi« trantur. Verum eo falluntur, quod Com« munionis fructum, quem nullum capiunt, « non satis attendunt : nec intelligunt « unicum probæ communionis signum « animi profectum esse, atque ad pietatem « progressionem. Quam si assequantur, « recte ad Eucharistiam sæpius recurrunt: « sin minus, ab ea debent abscedere. » Similia tradit Mysticus, et illuminatus D. N. S. Joannes a Cruce lib. 1. *Noctis obscuræ*, cap. 6, ubi ait : « Quidam ex hac B. Joan. a Cruce. « cupiditate magis appetunt communicare « sancte, et perfecte : cum tamen illis « salubrius, et sanctius foret cum sentiunt « in se contrariam istam inclinationem, « rogare Confessarios, ne sibi præcipiant « tam frequenter ad Eucharistiam acce« dere. » Atque ejusdem dictaminis fuit Seraphica Virgo, et M. N. D. Theresia : S. Ther. nam disposuit, ne Moniales suæ Religonis, (quid diceret universaliter de omnibus sæcularibus?) communicarent uno die immediate post alium, ut constat ex Constitut. cap. 5, numero 4, et ne communicarent nisi bis in hebdomada : et quod si oppositum aliquando fieri expediat, id fiat de consilio, et licentia Superioris, qui id raro concedat. Candidissimus etiam nostri Ordi- S. Maria de Pazis. nis flos, Sancta Maria Magdalena de Pazis speciali Dei revelatione circa id instructa idem sentiebat. Quam revelationem cum expenderet Novarinus tom. *de Agno Eucharistico* lib. 5, cap. 121, adjecit : « Ad hanc « normam si communicaturos expendamus, « paucos reperiemus, qui ad quotidianam « communionem admitti possint. » Suarez Suarez. in præs. disput. 69, sect. 4, § *Dico tertio*, inquit : « In particulari non potest una « regula dari de frequentia, quæ omnibus « expediat, sed pro diversitate statuum, et « morum id est prudenti arbitrio definien« dum. Hæc conclusio tam per se nota est, « ut non indigeat probatione. Ut autem in « re morali rationem aliquam insinuemus « ad ferendum prudens judicium ; videtur « sane raro alicui consulendum, ut ordi« naria consuetudine frequentius, quam « octavo quoque die communicet. Ita signi« ficant Doctores citati, et ita sentiunt pru« dentes, et experti viri in hac materia, et « communiter usus Ecclesiæ non parum « favet. Ratio autem est, quia hoc modo et « sufficienter subvenitur fructui anima« rum, et ratio etiam habetur reverentiæ « debitæ sacramento. Nam regulariter lo« quendo tot sunt humanæ vitæ negotia, « et impedimenta, quæ et animum distra« hunt, et tempus occupant, ut non possint « homines frequentius accedere cum debita « dispositione, nec tantum temporis huic

« actioni dare, quantum par esset: hoc « tamen semel in hebdomada præstare « regulariter non est difficile. Imo hinc « sæpe eveniet, ut una communio facta « opportuno tempore cum majori fiat fructu, quam plures sine debita præpara- « tione, et gratiarum actione. » Idem etiam tuentur Magister in 4, dist. 12, in fine. Carthusianus ibidem quæst. 5, Durandus, Argentinas, Valentia, Vazquez, Henriquez, Coninckus, Lugo, Layman, Fagundez, Bonacina, Luysius de Torres, Theophilus Raynaudus, Perlin, Ludovicus a Conceptione, Rosas, Rosenda et alii plures tam ex antiquioribus, quam ex modernis, quos referunt, et sequuntur Noster Franciscus loco citato. Josephus Mendez in statera utriusque opinionis de hac materia, Joannes Baptista Sicardus in compendio de dispositione ad communionem fere per totum, et specialiter punct. 6. Matthæus de Moya tomo, 2, *selectar.* tract. 4, quæst. 2, § 2, et Joannes de Cardenas 3 part. *Crisis Theologicæ*, disp. 66.

Magis. Cartus. Durand. Mendez. Sicardus Moya. Carden.

Principale fundamentum.

75 Varia hujus veritatis fundamenta proponi solent : sed nostro judicio nullum firmius stabiliri valet, quam quod desumitur ex decreto Pontificio relato § præced. per quod opposita sententia antiquata, et rejecta manet. Potest autem sic formari : nam juxta prædictam sententiam omnibus indiscriminatim existentibus in gratia consulenda erat communio quotidiana : quippe quæ non aliam dispositionem pro tanta frequentia exigebat, quam absentiam peccati mortalis. Sed hæc omnia tam in se, quam in suis principiis rejiciuntur in prædicto decreto. Ergo non expedit, nec consuli debet, quod omnes laici existentes in gratia quotidie communicent. Cætera constant. Et minor demonstratur ex prædicto decreto. Primo quidem : nam in clausula 2, inquit : « Nihil certe de cujusque dignitate, « atque integritate, et consequenter de fre- « quentiori, aut quotidiano vitalis panis esu « potest constitui. » Ubi asseritur propositio contradictorie opposita Adversariorum doctrinæ, qui in communi docebant omnes laicos in universum existentes in gratia convenienter accedere quotidie ad sacram communionem. Secundo, quia *in Clausula* 5, inquit : « In hoc igitur Pasto- « rum diligentia potissimum invigilabit, « non ut a frequenti, aut quotidiana Sacræ « Communionis sumptione, unica præcepti « formula aliqui deterreantur, aut sumen- « di dies generaliter constituantur, sed « magis quid singulis permittendum, per « se, aut Parachos, aut Confessarios sibi « decernendum putent. » Ubi sicut præcipitur, ne fideles generaliter deterreantur a communione quotidiana : ita etiam præcipitur, ne generaliter admittantur ; sed pastores dijudicent, *quid singulis permittendum.* In quo evertitur contraria nobis sententia generalem regulam statuens, scilicet convenire omnibus laicis existentibus in gratia accipere quotidianam communionem. Tertio in eadem clausula dicitur : « Nihilominus Episcopus det operam, ut « unusquisque digne pro devotionis, et « præparationis modo rarius, aut crebrius « Dominici corporis suavitatem degustet. » Quibus verbis satis manifestatur aliis expedire communicare *rarius*, et aliis expedire communicare frequentius; et assignatur regula hujus discretionis, videlicet *pro modo devotionis, et præparationis.* Unde corruit lex generalis ab Adversariis asserta, nimirum sufficere pro convenienti quotidiana communione merum statum gratiæ, independenter ab alio modo devotionis, et præparationis. Quarto in clausula 4 tractans, an Monialibus sit concedenda communio quotidiana, statuit : « Si quæ « vero puritate mentis eniteant, et fervore « spiritus ita incaluerint, ut dignæ fre- « quentiori, aut quotidiana Sanctissimi « Sacramenti videri possint; id illis a Su- « perioribus permittatur. » Ubi manifestum est non permitti omnibus Monialibus quotidianam communionem ; sed his tantum, *quæ puritate mentis, et fervore spiritus incalescunt.* Quæ conditio non est communis omnibus Monialibus existentibus in statu gratiæ, et multo minus omnibus laicis. Ergo non expedit, quod omnes Moniales, et omnes laici existentes in gratia communicent quotidie. In quo directe contradicitur sententiæ contrariæ. Quinto, et ultimo in clausula 6, mandat decretum, quod concionatores, quando fideles excitant ad frequentiam communionis, simul doceant magnam præparationem ad illam, ut audientes debite accedant. « Et si quando, « *inquit*, se minus paratos senserint, ab ea « abstineant, seque ad majorem præpara- « tionem accingant. » Quibus verbis evertitur perspicue adversa sententia non aliud postulans pro decenti dispositione ad com-

Expenduntur plures Decreti propositiones, clare evertentes sententiam contrariam.

munionem quotidianam, quam quod fideles careant conscientia peccati mortalis : unde consulit sic se habentes, licet tepidos, indevotos, distractos, maculatos venialibus, sordidos materiali pollutione accedere quotidie ad hoc sacramentum. Pontifex autem non ita consulit, sed quod « si aliquando « se minus paratos senserint, abstineant, « seque ad majorem præparationem accin- « gant : » datur vero major et minor præparatio intra ipsam status gratiæ latitudinem, ut ex se liquet.

Urgens confirmatio. 76. Prædictum itaque fundamentum per se sufficit ad convulsionem prædictæ sententiæ, ut deinceps reputetur antiquata, et ad praxim non reducenda, adjuncta præsertim auctoritate Doctorum, quos allegavimus. Sed illud insuper aliquibus aliis motivis fulcire curabimus. Confirmatur ergo primo : nam si vera esset sententia contraria, consulendum esset omnibus existentibus in gratia communicare quotidie, quod prædicta sententia libenter concedit affirmans id non solum licitum, sed et melius esse : consequens est falsum: ergo et prædicta sententia. Probatur minor : nam juxta doctrinam approbatam ab Ecclesia, quæ errare nequit, consilium est, quod quis existens in statu gratiæ abstineat aliquo die a communione : ergo nequit esse materia consilii, quod omnes existentes in gratia suscipiant quotidie communionem : quippe evidens est ista duo consilia contradictorie opponi. Antecedens autem ostenditur : nam Rubricæ Missalis Romani continent doctrinam approbatam ab Ecclesia : in Rubrica autem nona de defectibus consulitur, ut quis existens in gratia non suscipiat in aliquo die communionem. Agit namque prædicta Rubrica num. 5, de defectu dispositionis corporalis propter præcedentem pollutionem, et ait : « Si « præcesserit pollutio nocturna, quæ cau- « sata fuerit ex præcedenti cogitatione, « quæ sit peccatum mortale, vel evenerit « propter nimiam crapulam, abstinendum « est a communione, et celebratione, nisi « aliud Confessario videatur. » Ubi manifestum est sermonem fieri de eo, qui post illud peccatum justificatus est in sacramento confessionis. Et nihilominus consulit Rubrica abstinendum esse a communione : ergo juxta doctrinam approbatam ab Ecclesia consilium est, quod aliquis existens in gratia aliqua die non communicet. Et idem a fortiori ostenditur ex sequentibus ejusdem Rubricæ verbis : « Si « autem certum est non fuisse in illa cogi- « tatione peccatum mortale, vel nullam « fuisse cogitationem, sed evenisse ex na- « turali causa, aut ex diabolica illusione, « potest communicare, et celebrare ; nisi « ex illa corporis commotione tanta eve- « nerit perturbatio mentis, ut abstinen- « dum videatur. » Igitur ubi evenit ea mentis perturbatio, licet non detur peccatum mortale, consilium est non communicare illa die, juxta approbatam ab Ecclesia doctrinam. Quam ipsissimam tradiderat Divus Thomas relatus num. 73, ut verba cum verbis conferenti constabit. Recolantur etiam, quæ num. 30 diximus.

Alia confirmatio. Confirmatur secundo motivo desumpto ex clausula 4 allegati Decreti, in qua dicitur : « In conjugatis autem hoc amplius « animadvertant (*Pastores*) cum B. Apos- « tolus nolit eos invicem fraudari, nisi « forte ex consensu ad tempus, ut vacent « orationi, eos serio admoneant, tanto « magis ob sacratissimæ Eucharistiæ reve- « rentiam continentiæ vacandum, purio- « rique mente ad cœlestium epularum « communionem esse conveniendum. » Ergo si non contineant, non est consilium, quod eadem die communicent. Idque amplius declaratur in hunc modum : quia nequit esse materia consilii, quod est peccatum veniale : sed conjuges post copulam eo die habitam accedere ad Eucharistiam est ut plurimum peccatum veniale, licet existant in gratia : ergo non omnibus in gratia existentibus indifferenter congruit, aut consiliari valet, quod quotidie communicent. Minor constat ex supra dictis num. 31, ubi cum Sanchez, et aliis gravibus Auctoribus diximus conjuges, qui post copulam ex ardore carnis, atque voluptatis capiendæ gratia habitam, accedunt in eadem die ad Eucharistiam, peccare per se loquendo (id est nisi rationabilis causa excuset), venialiter. Idque satis expresse docet D. Thomas loco cit. relatus : nam generaliter statuit coitum conjugalem si sit sine peccato, non aliter impedire sumptionem hujus sacramenti, nisi ut impedit pollutio nocturna sine peccato contingens, nempe propter immunditiam corporalem, et mentis distractionem. Quæ profecto magis consurgunt ex copula, quam ex pollutione involuntaria, vel voluntaria. Addi

tamen S. Doctor : « Sed quia hoc secundum « congruitatem, et non secundum necessi- « tatem est intelligendum : Gregorius dicit, « quod talis est suo judicio relinquendus. « Si vero non amor procreandæ sobolis, « sed voluptas dominatur in opere ; ut « ibidem Gregorius subdit, tunc prohiberi « (*nempe sub veniali*) debet, ne accedat ad « hoc sacramentum. » Et tamen totum hoc in conjugibus componi valet cum gratiæ statu.

Alia confirmatio. 77. Confirmatur tertio : quia nequit esse salubre consilium, quod in sua materia claudit aliquod peccatum licet veniale : sed consulere, quod omnis existens in gratia communicet quotidie, licet inveniatur cum indevotione, distractionibus, et peccatis venialibus, ut Adversarii consulunt, claudit ex parte materiæ, sive objecti talis consilii aliquod peccatum saltem veniale : ergo illorum sententia non præstat salubre consilium, adque ideo consulendum non est, quod omnis laicus existens in statu gratiæ communicet quotidie. Utraque consequentia patet. Et major est certa : nam cum consilium sit actus prudentiæ, quæ attendere debet ad omnes circumstantias ex parte materiæ, sive objecti in individuo occurrentes; nequit esse salubre consilium, quod ex parte materiæ, quam consulit, claudit aliquod vel minimum peccatum : implicat enim, quod peccare consonum prudentiæ sit. Minor denique ostenditur ex dictis disp. præced. dub. 3, num. 49, ubi cum communi sententia statuimus eum de novo, et specialiter contra reverentiam debitam Eucharistiæ peccare, qui cum peccatis venialibus actualibus, v. g. distractionis, verbi otiosi, accedit ad suscipiendum sacramentum : quippe specialis irreverentia (licet levis,) est, quod quis vel in ejus usu, vel contra ejus usum actualiter peccet. Sed cum Adversarii consulunt, quod omnis existens in gratia, quamvis maculatus innumeris peccatis venialibus, et imperfectionibus, suscipiat quotidie Eucharistiam, non excludunt ex parte materiæ, sive objecti talis consilii peccata venialia, quæ in ipsa sumptione committuntur : siquidem tales Auctores non aliam pro communione quotidiana, quam consulunt, dispositionem exigunt, nisi merum statum gratiæ habitualis, cum quo cohærent innumera peccata actualia in ipsa sumptione commissa, ut ex se liquet. Ergo consulere, quod omes laici existentes in gratia communicent quotidie, claudit ex parte materiæ, sive objecti talis consilii aliquod peccatum saltem veniale.

Alia confirmatio. Confirmatur quarto : quia imprudens consilium est consulere actum cum inferiori dispositione, quando major dispositio requiritur ; quippe cum tale consilium sit difforme, sive non habens adæquationem cum objecto : sed ita se habet consilium, quod præbet contraria sententia : ergo tale consilium est imprudens, atque ideo prædicta sententia sustineri non debet. Cætera constant. Et minor suadetur : quia talis sententia consulit, ut omnes laici suscipiant communionem quotidianam, licet non aliam dispositionem habeant nisi solum statum gratiæ habitualis ; quam dispositionem manifestum est requiri pro qualibet communione, licet semel in anno fiat : sed ad communionem quotidianam requiritur major dispositio, quam ad communionem divisim. aut raro factam: ergo consilium datum ab Adversariis consulit actum cum inferiori dispositione, quando major dispositio requiritur. Minor hujus secundi syllogismi ostenditur tum ex verbis Decreti Pontificii supra allegati, ubi clausula 5 dicitur, quod Pastor « det « operam, ut unusquisque digne pro devo- « tionis, et præparationis modo rarius, aut « crebrius Dominici corporis suavitatem « degustet : » ubi manifeste significatur majorem requiri præparationem, sive dispositionem ad communicandum crebrius, quam ad communicandum rarius. Et deinde claus. 6, dicitur de Monialibus : « Si quæ « vero puritate mentis eniteant, et fervore « spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequen- « tiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacra- « menti perceptione videri possint, id illis a « Superioribus permittatur. » Ubi non minus perspicue significatur non aliter illas judicandas fore dignas quotidiana communione, nisi magnam habeant animi puritatem, et spiritus fervorem. Et tamen hæc non requiruntur ad unam, et alteram communionem, ut ex se constat. Major igitur dispositio ex sententia Pontificis ad communicandum quotidie requiritur, quam ad semel communicandum. Tum etiam ex Divo D. Thom. Thoma loco citato, ubi proposito Divi Augustini consilio, « Sic vive, ut quotidie « merearis accipere, » subjungit : « Sed « quia multoties in pluribus hominum

multa

« multa impedimenta hujus devotionis « occurrunt propter corporis indispositio- « nem, vel animæ ; non est utile omnibus « hominibus ad hoc sacramentum acce- « dere. » Et tamen illa devotionis impedimenta non impediunt unam, aut alteram communionem. Ergo præter dispositionem pro qualibet communione requisitam, major dispositio requiritur ad communicandum quotidie, nempe quod homo, ut tradit ibi Sanctus Doctor, « cum magna devotione, « et reverentia ad hoc sacramentum acce- D Chrys. « dat. » Tum præterea ex Divo Chrysostomo homilia 17, in epistola *ad Hebræos*, ubi de hac ipsa re agens inquit : « Si quis « non est sanctus non accedat » (intellige quotidie, aut frequenter). « Non simpliciter « dicit, a peccatis mundus ; sed, sanctus. « Sanctum enim non mundatio peccati « tantum facit, sed etiam præsentia spiri- « tus, et bonorum operum opulentia. » Ubi pro quotidiana, aut frequenti communione exigit non solum mundationem a peccato, quæ requiritur, et sufficit ad unam, vel alteram communionem ; sed ulterius exigit actualem præsentiam Dei, et abundantiam bonorum operum. Major igitur ex ejus sententia dispositio requiritur ad communicandum quotidie, quam ad semel, vel iterum communicandum.

Nota observanda. Tum denique ratione, quam desumere possumus ex Divo Thoma in articulo 7 præsentis quæst. nam oportet, quo signa rebus correspondeant, et adæquentur ; alias continget deordinatio falsæ significationis : sed sicut qui communicat, ostendit, et significat se esse unitum Christo per gratiam ; ita qui communicat quotidie, ostendit, et significat se habere magnam unitatem, et familiaritatem cum Christo : sicut hanc cum Rege familiaritatem manifestat, qui quotidie illum in sua domo recipit, et cum eo agit : ergo ne illa significatio sit falsa, et perversa, oportet eum, qui quotidie communicat, habere magnam familiaritatem cum Christo super communem gratiæ statum, quem habent plures, licet imperfecti, tepidi, distracti, et ad peccandum proclives : et consequenter major dispositio requiritur, ut homo quotidie communicet, quam ut aliquando communicet. D. Tho. « Quicumque, » inquit Sanctus Doctor, « hoc Sacramentum sumit, ex hoc ipso « significat se esse Christo unitum, et « membris ejus incorporatum. Quod qui- « dem fit per fidem formatam, quam nul- « lus habet cum peccato mortali. Et ideo « manifestum est, quod quicumque cum « peccato mortali hoc sacramentum sumit, « falsitatem in hoc sacramento committit : « et ideo incurrit sacrilegium tanquam « sacramenti violator : et propter hoc mor- « taliter peccat. » Et idem (secluso tamen peccato mortali) proportionabiliter contingit in eo, qui quotidie communicando ostendit se esse Christo valde intimum, et familiarem ; cum talis vere non sit : (licet enim omnes in gratia existentes sint Christi amici ; tamen in hac amicitia, sicut et in ipsa gratia, datur magis, et minus, et non omnes amici vocantur charissimi, nec inebriantur ubertate spiritus) et ideo taliter se gerendo committit aliquam falsitatem. Sed tamen quia hæc, supposito statu gratiæ, est secundum quid : propterea in tali sumptione non committitur peccatum, saltem mortale.

§ III.

Convelluntur motiva sententiæ contrariæ.

78. Oppositam sententiam consulentem omni laico, qui credit se esse in statu gratiæ, ut quotidie communicet, docent Alensis 4 part. quæst. 51, memb. 3, Gabriel lect. 87, in can. *Missæ*, Gerson tract. 9, super *Magnificat*, Salmeron tom. 9, tract. 41, Molina *de instructione sacerdotum* tract. 9, Vincentius Marzilla *in memoriali ad Archiepiscopum Compostellanum, et in additionibus ad memoriale*, Maurus de Valderas *in certamine Theologico*, Joannes Sanctius *in selectis* disp. 22, Antonius Bernaldus de Braojos in quodam libello de hac materia, Martinus a S. Joseph in mon. *Confess.* tom. I, lib. 1, tract. 8, num. 2, Emmanuel Calasibeta *in exhortatione devota ad communionem quotidianam*, Joannes Falconi in tract. *de pane nostro quotidiano*, Antonius Velazquez Pinto *in thesauro Christianorum*, et alii, qui in peculiaribus libellis, suppresso tamen nomine hanc sententiam promovere curarunt. Est autem differentia inter prædictos Auctores, quod Alensis, Gabriel, Gerson, Salmeron, Molina, et Falconi usum quotidianæ in omnibus communionis submittunt judicio prudentis Confessarii, et tot limitationes apponunt pro sæcularibus, ut quantum ad praxim nihil a

Alensis. Gabriel. Gerson. Salmer. Molina. Marzil. Valder. Braoj Mart. a S. Jos. Calasib. Falconi. Pinto. Sanct.

Discordia inter eos.

nostra, et communi sententia differre videantur : unde non immerito Lugo eorum aliquos pro illa retulit disp. 17. Maurus etiam observat rusticis non esse consulendam quotidianam communionem nisi de licentia Confessarii, quia contingit eos incidere in aliquod peccatum, cujus gravitatem ignorant. Reliqui vero posthabitis his limitibus, liberam licentiam indulgent. Unde Marzilla asseruit omnes, qui probabiliter judicant se non esse in statu peccati, posse quotidie communicare, non solum absque licentia confessarii, sed illo etiam dissua-
Nota. dente, atque invito. Sanctius docet, quod semel obtenta absolutione a mortalibus, non est curandum de alia licentia ad quotiescumque, et quotidie communicandum. Et idem dicunt alii. Pinto observat hanc doctrinam convenienter deduci ad praxim in feria 6 Parasceve. Quin Calasibeta addit prælatum, qui prohibeat, vel impediat quotidianam in subdito communionem, peccare, et esse injustum, cœcum, præsumptuosum, crudelem, ac dignum gravi pœna. Addit ulterius subditum, quamvis prælatus illi sub obedientia præcipiat, ne quotidie communicet, non teneri ad obediendum : quia melius est communicare, quam obedire, et subditus jus absolutum ad communicandum habet. In his itaque appendicibus (de quibus § sequenti dicemus) differunt : sed in eo, quod consulendum omnibus sit ut quotidie communicent, conveniunt. Et pro hac parte,

Primum argumentum. Arguitur primo : nam consulendum est, quod Ecclesia primitiva (quæ fuit maxime perfecta) practicabat : sed in primitiva Ecclesia omnes fideles quotidie communicabant: ergo modo consulere oportet, quod omnes fideles quotidie communicent.

Confirmatio. Confirmat id latissime Pinto contendens id jam olim non solum consultum, sed etiam præceptum esse in canonibus Apostolorum : in quorum 10

Canon Apostolorum. dicitur : « Omnes fideles, qui ingrediuntur « Ecclesiam, et scripturas audiunt, non « autem perseverant in oratione, nec sanc- « tam communionem percipiunt, velut in- « quietudines Ecclesiæ commoventes, con- « venit communione privari. » Quibus verbis significari videtur, ut omnes fideles susciperent quotidie communionem sub pœna excommunicationis. Idem colligit ex Concilio Nicæno : quia illud Concilium

Concil Nicæn. (in quo graviter allucinatur putans fuisse primum Concilium Nicænum, cum revera ob eo allegatum sit secundum Nicænum, sive septima Synodus generalis), excepit canones, sive constitutiones Apostolorum. Denique in id allegat Concilium Basileense, Ravennatense, Toletana, et ut brevius dicamus, non minus quam viginti quatuor Concilia, alia Generalia, alia provincialia, Concil. plura. in quibus putat quotidianam omnium fidelium communionem præcipi, vel saltem consuli. Sed quod de re magis esse videtur, Trident. est illud Trid. sess. 22. c. 6, « Optaret « sacrosancta Synodus, ut in singulis « Missis omnes fideles adstantes non solum « spirituali affectu, sed sacramentali etiam « Eucharistiæ perceptione communica- « rent. » Quod enim optat sancta Synodus, dignum est, ut tanquam salubre consilium omnibus proponatur.

79. Respondetur his omnibus, et aliis, quæ Solutio. ab auctoritate objici queunt, uno verbo satisfieri distinguendo inter has propositiones : « Expedit omnes existentes in gratia « communicare quotidie : et Expedit omnes « existentes in gratia communicare quoti- « die cum devotione, et dispositione ad « quotidianam communionem requisitis. » Nam hæc posterior proposita verissima est ; cum communicare quotidie cum debita dispositione sit bonum tam ex parte objecti, quam ex modo, quo objectum attingitur. Et in hoc sensu dixit D. Thom. art. D. Thom. 10 : « Alio modo potest considerari ex parte « sumentis, in quo requiritur, quod cum « magna devotione, et reverentia ad hoc « sacramentum accedat. Et ideo si aliquis « se quotidie ad hoc paratum inveniat, « laudabile est, quod quotidie sumat. » Cæterum prior propositio nequit esse universaliter vera, quia licet determinet bonum objectum, nempe communicare quotidie, tamen non determinat bonum modum debitæ dispositionis circa tale objectum ; siquidem communio quotidiana potest fieri cum debita devotione, et reverentia, et potest fieri sine illis. Ubi autem Adversarii hanc indeterminationem, quam illa propositio includit, magis evolvunt, et explicant, aperte dicunt expedire, quod omnes existentes in gratia communicent quotidie licet indevote, cum distractione animi, et pluribus peccatis venialibus tam habitualibus, quam actualibus. In quo sensu prædicta propositio est determinate falsa, et merito negatur a communi sententia. Admittimus ergo Apostolos, Concilia, et

Patres

Patres consuluisse, ac desiderasse quotidianam omnium fidelium communionem ; sed tamen cum devotione, et reverentia, ac dispositione requisitis ad quotidianam communionem : non autem optarunt, nec consuluerunt eam communionem, qualem nostri adversarii depingunt, nempe vel factam cum pluribus peccatis venialibus, vel ipsam etiam venialiter peccaminosam. Similiter optarunt, et consuluerunt communionem faciendam ex consilio, aut saltem licentia confessariorum, et prælatorum Ecclesiæ ; non autem communionem faciendam pro arbitrio communicantium independenter a dictamine confessariorum, et aliorum superiorum ; et multo minus communionem faciendam contra eorum voluntatem, et præcepta.

80. Et per hæc satis constabat ad omnia, quæ ab auctoritate opponuntur. Sed insuper in particulari respondemus certum non esse, quod in primitiva Ecclesia omnes fideles quotidie communicaverint : quia nec certum est, quod quotidie celebrabatur Missa ; nec certum est, quod omnes quotidie conveniebant ; sed solum in diebus Dominicis, ut magna ex parte mos fuit, et adhuc modo est apud Græcos. Permisso autem, quod olim omnes in primitiva Ecclesia communicaverint, vel neganda est major ; vel illa, et minori concessis negamus consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod in primitiva Ecclesia omnes fideles non solum communicabant quotidie ; sed communicabant cum magna devotione, reverentia, et dispositione. « Et ita quotidie sumere laudabile est, » ut ex D. Thoma vidimus. Sed nostri adversarii, cum hinc alligunt expedire quotidianam communionem cum solo statu gratiæ, et absque alia actualiori, et meliori dispositione, quin cum indispositione innumerabilium peccatorum venialium, et imperfectionum ; manifeste paralogyzant : nam ex illo antecedenti magis inferendum erat contrarium consequens. Et hanc disparitatem assignavit Catechismus Romanus part. 2, cap. 4, sect. 61, ubi cum meminisset quotidianæ communionis in primitiva Ecclesia, subdidit : « Omnes enim, qui tunc fidem « Christianam profitebantur, vera, et sin« cera charitate ardebant, ut cum sine « intermissione orationibus, et aliis pieta« tis officiis vacarent, quotidie ad sacra Do« minici corporis mysteria sumenda parati « invenirentur. »

Ad confirmationem respondetur permittendo, quod canones Apostolorum præceperint quotidianam fidelium communionem : sed tamen hoc supposito, consequenter sentiendum est præcepisse communionem quotidianam cum devotione, reverentia, et dispositione requisitis ad eam frequentiam, et quales habebant fideles in Ecclesia primitiva. Sed tamen longe verius est Apostolos id nunquam præcepisse. Nec oppositum potest probari ex canone allegato : nam ibi non arcentur aliqui a sacra communione, quod quotidie non communicarent, sed quia indigni erant, et non recte sentiebant de sacra communione, ut manifeste colligitur ex eodem canone, ut nunc legitur in cap. *Si quis, de consecrat.* dist. 2, ubi sic dicitur : « Si quis intrat « Ecclesiam Dei, et sacras scripturas audit, « et pro luxuria sua avertit se a commu« nione sacramenti, et in observandis « mysteriis declinat constitutam regulam « disciplinæ ; illum talem projiciendum « de Ecclesia Catholica esse decernimus, « donec pœnitentiam agat, et possit com« munionem percepta indulgentia prome« reri. » Ubi Glossa illa verba *Pro luxuria sua* explicat, *Id est, superstitione sua, credens forte non esse communicandum.* Et Glossa marginalis ad idem verbum addit, *Vel contemnens communionem.* In quibus significatur aliquis error circa hoc mysterium, vel ejus usum. Qua de re præsenti non sunt. Concilia, quæ allegantur, non aliud docent, quam a nobis concessum nempe expedire, et convenientem esse communionem quotidianam faciendam cum devotione, reverentia, et dispositione requisitis ad quotidianam communionem : sed tamen non consulunt, et multo minus præcipiunt, quod communio quotidie sumatur ab illis, qui licet in statu gratiæ sint, nihilominus pluribus peccatis venialibus, distractionibus, aliisque mille imperfectionibus complicantur : quibus tamen nostri Adversarii consulunt, ut quotidie communicent. Et plane si hoc ipsum, quod illi inculcant, tot, et tanta Concilia docuerunt : mirum est Summum Pontificem in Decretali supra allegata oppositum docuisse. Unde obligantur inter Concilia a se allegata, et eam Decretalem discordiam ponere. Sed

Fit satis confirmationi.

Nota.

Glossa.

vere non datur : quia Concilia non aliud statuerunt, quam quod Pontifex asseruit. Ad id, quod additur ex Concilio Tridentino patet ex dictis tum immediate, tum supra num. 71.

Retorquetur Adversariorum motivum 81. Sed ut impetus Adversariorum hunc antiquæ Ecclesiæ morem in frequentia communionis opponentium magis retundatur; curabimus ejus exempli vim contraria forma, et evidentiori discursu in eos regerere. Nam profecto in antiqua Ecclesia plures justificati, sive in statu gratiæ existentes non admittebantur ad sacram communiouem. Si itaque oportet (et plane oportet) consulere in hac materia juxta antiquum Ecclesiæ usum : non bene consulunt Adversarii, qui indiscriminatim omnes laicos peccati mortalis non conscios ad communionem non solum admittunt, sed hortantur. Rem vero ita, ut diximus, se habuisse constat ex celebri testimonio D. Dion. Divi Dionysii in lib. *de Eccles.* hierarch. cap. 3, ubi refert sua ætate (et erat Apostolis proxima) hunc fuisse in Ecclesia morem, ut Evangelio pronuntiato, et scripturis lectis, qui ad Eucharistiam non erant idonei, foras pellerentur. Deinde recenset istos non idoneos : primum *mysteriis nondum initiatos*, nempe catechumenos, qui baptismum (aliorum sacramentorum januam) non receperant. Deinde, *qui a sanctitate vitæ desciverunt*, sive qui peccaverunt post baptismum. Ulterius *energumenos*, qui ad diaboli terrores facile commoventur. Tandem addit : « Præterea, qui a deteriore « quidem vitam jam discesserunt, sed ani- « mos a pristinæ impuritatis phantasmatis « nondum satis expurgatos gerunt habitu, « amoreque Dei purissimo, ac simplici. « Denique qui nondum soli Deo unice « adhærent, quique, ut scripturæ more lo- « quar, nonump omnino irreprehensibi- « les sunt, atque immaculati. » In quibus ultimis verbis manifestum est Dionysium loqui de hominibus quidem absolute justis, sive non existentibus in statu peccati. Et tamen his, quia adhuc erant imperfecti, non dabat Ecclesia antiqua Eucharistiam, ut ipse non minus perspicue testatur.

D. Amb. Idem etiam constat ex Divo Ambrosio in lib. 1, *de pœnitentia*, cap. 16, ubi ait : « Si quis igitur occulta crimina habens, « propter Christum tamen studiose pœni- « tentiam egerit; quomodo istum recipit, « si ei Communio non refunditur? Volo, « veniam reus speret, petat eam lacrymis, « petat gemitibus.... Et cum secundo, et « tertio fuerit dilata ejus communio, cre- « dat remissius se supplicasse, fletus augeat, « lavet fletibus, ut de ipso dicat Dominus « Jesus, Remissa sunt ei peccata multa, « quoniam dilexit multum. » Ex quibus constat, quod juxta antiquum Ecclesiæ morem non omnibus studiose pœnitentibus, ac perinde justis conferebatur statim Eucharistia : sed quod negabatur secundo, et tertio usque ad majora pœnitentiæ signa, et sanctitatis argumenta. Et idem aperte colligitur (ut formalia verba non transcribamus) ex D. Cypriano in tract. *de lapsis*, D. Cy D. Basilio lib. 7, *de Baptismo*, cap. 3, D. D. Ba D. Au Augustino epist. 118, et serm. 252, *de tempore*, D. Ch D. Chrysostomo hom. 23, in 1, *ad Corinth.* hom. 3, in epist. *ad Ephesios*, et hom. 17, in epist. *ad Hebr.* et aliis. Ergo juxta morem antiquæ Ecclesiæ non omnes existentes in gratia admittebantur statim ad communionem : sed præter illum statum ulterior, et sanctior præparatio exigebatur.

Objec Nec valet dicere in prædictis testimoniis sermonem esse de illis, qui habuerant peccata publica, et scandalosa. Nam hoc effugium efficaciter præcluditur : primo, quia D. Ambrosius expresse loquitur de illo, qui *occulta crimina* habuerat. Et S. Dionysius ad nihil horum attendit ; sed ad hoc, quod aliqui gratiam remissionis peccatorum consecuti « non sint satis a pristinis vitiis « expurgati, quod non gerant purissimum, « et simplicem Dei amorem, ut ipsi soli « unice hæreant. » Dilui Secundo, quia admissa illa responsione sequitur, quod juxta morem antiquæ Ecclesiæ, illi qui fuerant publici, et scandalosi peccatores, licet pœniterent, non statim admittebantur ad communionem : ergo contra usum antiquæ Ecclesiæ est consulere, quod omnis laicus hoc ipso, quod probabiliter judicat se esse in gratia, ad Eucharistiam accedat : fieri enim potest, ut qui hodie est in gratia, fuerit heri, et per plures annos publicus, et scandalosus peccator. Quomodo igitur hunc admittent nostri Adversarii ad communionem quotidianam juxta morem Ecclesiæ antiquæ? Ecce convulsum principale illorum fundamentum; ipsosque proprio argumento implicari. Reliqua leviora sunt, quæ jam submittimus.

82. Arguitur secundo : nam Patres reprehendunt

eliqua argu-menta. prehendunt eos, qui raro ad communionem accedunt, ut constat ex pluribus eorum testimoniis, quæ refert Theatrum vitæ humanæ verbo *Eucharistia* sub titulo *Frequens communio :* ergo juxta Patrum sententiam consulendum est, ut omnes fideles frequenter, atque ideo quotidie communicent. Arguitur tertio : quia hoc sacramentum institutum est sub specie alimenti, et dicitur panis quotidianus : sed expedit omnes sumere quotidie alimentum corporale, ne corporaliter deficiant; ergo pariter conveniens est omnes fideles sumere quotidie hoc sacramentum, ne deficiant spiritualiter. Arguitur quarto : quia consulendum est fidelibus, quod eisdem est magis utile : sed utilius est omnibus existentibus in gratia sumere quotidie communionem; siquidem ex qualibet communione suscipiunt aliquod augmentum gratiæ : quippe ut hoc sacramentum causet ex opere operato suum effectum, non indiget simpliciter alia dispositione ex parte suscipientis, nisi statu gratiæ, ut diximus disp. præced. dub. 3 : ergo omnibus consulendum est, ut frequentissime, atque ideo quotidie sumant communionem. Arguitur quinto : quia olim non negabatur communio quotidiana, nisi ob manifesta, scandalosa, et atrocia crimina : ergo ille, qui hæc non habet, sed est in statu gratiæ, consulendum est, ut quotidie communicet.

issol-ntur. Ad hæc reducuntur cætera, quæ adversarii solent opponere : sed omnia facile diluuntur juxta distinctionem supra traditam. ecun-m. Ad secundum igitur argumentum respondetur concedendo antecedens : nam quod quis valde raro accedat ad Eucharistiam, provenit ex eo, quod talis vel est in statu peccati, vel laborat summa tepiditate, atque indevotione. Unde similes merito a Patribus reprehenduntur. Sed cum Adversarii inde colligunt consulendam esse quotidianam communionem omnibus laicis, licet aliam dispositionem non habeant, quam gratiæ statum, peccant manifeste in consequentia : tum quia inter raram communionem, quam Patres reprehendunt, et quotidianam communionem, quam ipsi prædicant, datur medium, nempe communio non tam raro, nec tam frequenter, sed aliquoties sumpta juxta prudens confessarii, aut superioris arbitrium. Tum quia Patres non solum hortantur ad communionem, sed ad communionem cum magna devotione, reverentia, et præparatione, quæ addunt supra statum communionis justitiæ : unde ex eorum senten ia non est colligendum cum Adversariis expedire communionem quotidianam cum solo statu gratiæ : sed colligi debet esse utilem quotidianam communem cum devotione, reverentia, et dispositione requisitis ad tantam communionis frequentiam : cum plane docuerunt Patres, et nos aperte concedimus. Videatur D. Bonavent. loco supra cit. ex 4 D. Bon. sentent. ubi ait : « Si ergo quæritur, utrum « expediat frequentare alicui? Dicendum, « quod si videat se in statu Ecclesiæ pri- « mitivæ ; laudandum est quotidie com- « municare. Si autem in statu Ecclesiæ « finalis, utpote frigidum, et tardum ; « laudandum est, quod raro. Si autem « medio modo ; medio modo se debet ha- « bere : et aliquando debet cessare, ut ad- « discat reverentiam, aliquando accedere, « ut inflammetur amore. »

83. Ad tertium respondetur conceden- Tertium. do præmissas, et negando consequentiam. Nam si ille discursus aliquid evinceret, probaret utique non solum expedire quotidianam laicorum communionem, sed consulendum etiam aliquando esse, ut laici in eadem die plures susciperent Eucharistiam; quippe de alimento corporali loquendo non tantum potest sumi quotidie, sed frequenter expedit, ut in eadem die bis, aut sæpius sumatur, ut patet in quibusdam aliter vivere non potentibus. Consequens autem est adeo absurdum propter oppositionem ad usum, et prohibitionem Ecclesiæ, ut nemo adversariorum illud admittat. Quamvis juxta principia, quæ expendunt, obligandi forent ad illud concedendum : censent enim esse de jure divino posse sumere communionem : prohibitio autem sæpius in die illam sumendi solum est de jure ecclesiastico, quod cedere debet juri divino ; ubi communicans censet se perire ex defectu cibi spiritualis ob non repetitam ejus in eadem die sumptionem. Quare sicut Adversarii dicunt posse laicos existentes in gratia sumere communionem quotidianam non solum sine licentia confessarii et superioris, sed illis etiam contradicentibus, quia laici habent jus divinum ad hanc communionem (de quo iterum num. 85), sic etiam dicere possunt prædictos laicos posse sumere bis, aut sæpius in eadem die communionem, non obstante prohibi-

tione Ecclesiæ, quia habent jus divinum ad sumendum spirituale hoc alimentum, quoties sentiunt illud necessarium ad vitæ spiritualis conservationem. Hæc itaque dicent, si consequenter loquantur. Sed hæc dicere foret summa temeritas, Ecclesiæ auctoritati injuriosa. Unde oportet, recognoscant debilitatem argumenti desumpti ex analogia ad cibum materialem. Disparitas ergo inter unum et alterum cibum est, quod corporalis est unicum medium ad conservationem naturalis vitæ : unde homo non solum potest, sed tenetur illum sumere, quoties vita illum exposcit. Sed spiritualis cibus in re sumptus non est medium unicum ad conservationem vitæ spiritualis; cum ista possit per alia media, utputa sacramenta, et auxilia aliter conservari. Unde sicut manifestum est neminem jure divino obligari ad communicandum quotidie : ita etiam proportionabiliter constat, quod non semper utilius, aut consultius sit laicum suscipere quotidie communionem ; sed solum ubi habet dispositionem, ut quotidie communicet. Hæc autem dispositio non est merus status gratiæ, ut § præced. ostendimus.

Nota.

Quartum. Ex quibus patet ad quartum : nam in primis regula, quam assumit, non est certa : oportet enim in usu et administratione hujus sacramenti attendere non solum ad majorem utilitatem suscipientium, sed etiam ad majorem reverentiam sacramenti, quod suscipitur, et ad omnia, quæ Ecclesia circa ejus dispensationem ordinavit. Alias simili argumento conficeretur posse sacerdotes consecrare in pane fermentato, aut sine sacris vestibus, aut extra altare, ad subveniendum scilicet utilitati infirmi, qui, si hæc non fiant, decedet sine viatico. Id vero est omnino absurdum, et improbabile, ut diximus num. 28. Concluderetur etiam eodem argumento consulendum esse laicis, ut sumerent Eucharistiam in utraque specie, propter majorem scilicet utilitatem : plus enim gratiæ tribuit Eucharistia sumpta in duabus speciebus, quam in una, ut diximus disp. præced. dub. 4. Consequens autem est hæreticum, cum Ecclesia de facto præcipiat oppositum, ut supra vidimus toto dub. præcedenti. Sic ergo, quamvis utilius fidelibus foret communicare quotidie ; non inde sequeretur id consulendum esse attentis omnibus, et præsertim reverentia erga sacramentum servanda : quia fieri non valet, ut omnes laici existentes in gratia accedant cum magna devotione, reverentia, et dispositione, quæ ad communionem quotidianam requiruntur. Præsertim quia ad id procedere sine directione Confessarii foret periculosum : et omnes accedere cum tali directione, et notitia, esset moraliter impossibile. Deinde negamus assumptum : quia simpliciter non esset utile omnibus fidelibus existentibus in gratia communicare quotidie cum sola, et mera dispositione status gratiæ; sive non exclusis peccatis venialibus, et pravis animi affectionibus : licet enim Eucharistia vel ita sumpta conferat aliquem saltem minimum gratiæ gradum ex opere operato; tamen sic communicantes committerent non pauca peccata venialia, ut supra ostendimus num. 77. Utilius autem longe est hæc peccata vitare sumendo Eucharistiam non ita frequenter, sed cum majori dispositione. Plus enim Nota. gratiæ, attentis omnibus conferet una communio devote suscepta post aliquos dies, quam sex, vel octo communiones sumptæ sine devotione, et debita reverentia. Sicut plus fructus, et utilitatis affert unum granum seminis positum in terra pingui, et bene disposita, quam decem grana ejusdem seminis terræ aridæ, et impræparatæ commissa. Unde liquet Adversarios nostros non recte consulere, sed succum fidelibus facere, dum eos excitant ad communionem quotidianam, non aliam expostulantes dispositionem, quam gratiæ statum : indeque lucrum augescendæ gratiæ promittunt. Et tamen fideles non majorem utilitatem percipiunt, sed concipiunt potius spiritum teporis, et defraudantur majori gratiæ fructu, quam accedentes devotissime, licet rarius, in communione susciperent. Admonendi itaque sunt fideles ad frequentissimam non solum communionem, sed ad communionem devotissimam, hoc est, suscipiendam cum excellenti dispositione, quam tanta frequentia requirit, ut num. 77 expendimus.

Quintum. Ad quintum, et ultimum negamus antecedens : quia licet olim non interdiceretur communio, quatenus hæc prohibitio habet rationem pœnæ, nisi propter gravia, et publica peccata; nihilominus per modum consilii fiebat interdictio a sacra communione per aliquos dies etiam propter occulta peccata, quin et propter apparatum majoris

majoris dispositionis, et sanctitatis, quam exposcit frequens communio, ut satis constat ex dictis num. 81. Addimus S. Cæsarium Arelatensem hom. 8, ubi docet peccata venialia esse quotidie redimenda visitando infirmos, lavando hospitibus pedes, discordes concordando, et similia opera misericordiæ faciendo. « Pro capitalibus « vero criminibus, *inquit*, non hoc solum « sufficit, sed addendæ sunt lacrymæ, et « rugitus, et gemitus, continuata, et longa « protecta jejumia, ultro nos ipsos a Com« munione Ecclesiæ removentes, in luctu, « et tristitia multo tempore permanentes.» Et S. Prosper lib. 2, *de vita contemplat.* cap. 7, in eos invehitur, qui se graviter peccasse conscii « abstinere se ab altari « propter homines erubescant; nec ipsi in « se voluntariæ excommunicationis sen« tentiam ferunt. » Unde monet, « Ut ab « altari, cui ministrabant, non omnino, « sed officio separati vitam tanquam mor« tuam plangant, certi, quod reconciliato « sibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo, « non solum amissa recipient, sed etiam « cives supernæ civitatis effecti ad gaudia « sempiterna pervenient. » Quæ omnia procedunt independenter a pœnitentia publica, quam Ecclesia publice peccantibus per modum pœnæ applicabat. Procedunt itaque de voluntaria propter occulta crimina pœnitentia; et tam pœnitentes, quam confessarios probe informant de modo,quo qui peccarunt, accedere debeant ad Eucharistiam, vel ab illa pro tempore congruo abstinere.

S. Cesar

S. Prosp.

§ IV.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

Primum corollarium.

84. Ex dictis possumus aliqua colligere. Et infertur primo falsam esse sententiam illorum, qui generaliter statuebant indecens, aut illicitum esse, quod laici quotidie communicarent. Id, quod expresserat Ovandus loco cit. his verbis : « Indecens « est uno die post alterum laicos commu« nicare. » Sed ejusmodi resolutio refellitur ex supra dictis : quoniam laudabile est communicare quotidie cum devotione, et dispositione requisitis ad communicandum quotidie : fieri autem potest quod aliqui laici virtutis studiosi habeant hujusmodi devotionem, et dispositionem, ut diximus num. 70: ergo non omnibus generaliter laicis est indecens, aut minus consiliabile, quod quotidie communicent.

Rejicitur

Unde infertur secundo falsam etiam esse sententiam gravium alias Doctorum, qui pro communione laicorum generaliter assignarunt terminum certum v. g. diem Dominicam, vel aliquas alias festivitates. Et Moya loco cit. num. 24, dicit se cogi regula 26 sacerdotum suæ Societatis ad sæculares monendum « ne crebrius, quam octavo « quoque die accedant, præsertim, si ma« trimonio sint conjuncti. » Sed nostra resolutio probatur ex immediate dictis, quia contingens est dari aliquos, aut multos sæculares excellentis sanctitatis, qui se exacte disponant ad communicandum quotidie : qui proinde minus prudenter relegarentur ad dies determinatos; cum possint quotidie laudabiliter communicare, juxta illud D. Thom. in præs. art. 10: « Si « aliquis se quotidie ad hoc paratum inve« niat, laudabile est, quod quotidie su« mat. » Sed urgentior utriusque consectarii probatio stat in Decreto Pontificio supra relato : nam in clausula 2, inquit : « Et si frequens, quotidianusve sacrosan« ctæ Eucharistiæ usus a SS. Patribus « fuerit semper in Ecclesia probatus ; nun« quam tamen, aut sæpius illam præci« piendi, aut ab ea abstinendi certos sin« gulis mensibus, aut hebdomadis dies « statuerunt. « Et clausula 5, monet : » In « hoc igitur Pastorum diligentia potissi« mum invigilabit, non ut a frequenti, aut « quotidiana sacræ communionis sump« tione, unica præcepti formula aliqui « deterreantur; aut sumendi dies genera« liter constituantur : sed magis quid sin« gulis permittendum per se, aut Parochos, « aut Confessarios sibi decernendum putet: « illudque omnino provideat, ut nemo a « sacro convivio, seu frequenter, seu quo« tidie accesserit, repellatur : et nihilomi« nus det operam, ut unusquisque digne « pro devotionis, et præparationis modo « rarius, aut crebrius Dominici corporis « suavitatem degustet. » Quare omnes in hac parte oppositæ sententiæ antiquatæ relinquuntur.

Secundum corollarium.

Moya.

D. Tho.

85. Infertur tertio, quid censendum de hac propositione : « Communio quotidiana « omnium existentium in gratia est de jure « divino? » Quo loquendi modo utuntur aliqui Auctores ex relatis num. 78, et spe-

Tertium corollarium.

Pinto. cialiter Pinto disc. 4, cap. 12, et 16. Respondetur talem propositionem esse falsam, et reprobandam. Probatur ex cit. Decreto clausul. 1, ubi refertur pervenisse ad aures Summi Pontificis « ab aliquibus affirmari « communionem quotidianam esse præcep- « tam a jure divino. » Deinde in clausula 9 ponitur expressa reprobatio prædictæ propositionis in sensu adhuc magis universali, et præcisive a præcepto. Dicitur enim: « Porro Episcopi, et Parochi, seu Confes- « sarii redarguant asserentes communio- « nem quotidianam esse de jure divino. » Quod minus bene decerneretur, si talis propositio non esset simpliciter falsa. Idque magis evidenter constabit recensendo sensus, in quibus potest exponi. Nam significare valet communionem quotidianam esse præceptam de jure divino. In quo sensu est evidenter falsa : tum quia non est assignabile tale præceptum : tum quia ex opposito fieret omnes existentes in gratia obligari ad communicandum quotidie, et peccare non ita communicando : quod dicere est temerarium, et contra sensum fidelium et usum Ecclesiæ. Vel sensus prædictæ propositionis existentes in gratia habere ex jure divino aptitudinem ad communicandum quotidie. In quo sensu adhuc ulterius exponi valet : nam vel significat omnes existentes in gratia habere ex jure divino aptitudinem communicandi quotidie sine directione, et licentia confessariorum, et superiorum, quin eis invitis, et contradicentibus : vel præcise significat habere aptitudinem ad communionem quotidianam, sumendam tamen de consilio, et licentia confessariorum, et prælatorum. Et in priori sensu est plusquam falsa : quia nemo habet jus ad hoc sacramentum nisi ut sumendum juxta dispositionem Ecclesiæ, quæ fideles in usu sacramentorum gubernat mediis superioribus, et confessariis, ut magis expendemus num. sequenti. In secundo etiam sensu non est universaliter vera : plures enim existunt in statu gratiæ, quibus nec confessarii, nec alii possunt rationabiliter consulere, ut quotidie communicent : quia non habent dispositionem proportionatam ad communionem adeo frequentem, ut § 2 satis ostendimus. Merito itaque præcipitur in Pontificio decreto, quod « redarguantur asserentes « communionem quotidianam esse de jure « divino. »

86. Infertur quarto minime securam, sed valde falsam esse doctrinam plurium ex Auctoribus num. 78 relatis, asserentium omnes laicos existentes in gratia posse sumere communionem quotidianam non solum absque licentia confessarii, aut prælati, sed eis etiam invitis, et contradicentibus. Constat hæc resolutio ex prædicto decreto, quod non aliter docet fideles posse suscipere frequenter, aut etiam quotidie communionem, nisi cum directione, et licentia confessariorum, aut superiorum, ut constat ex clausula 3, ubi dicitur : « Quod ad negotiatores ipsos attinet, fre- « quens ad sacram alimoniam percipien- « dam accessus Confessariorum secreta « cordis explorantium judicio est relin- « quendum. Qui ex conscientiarum puri- « tate, et frequenti fructu, et ad pietatem « processu, laicis negociatoribus, et con- « jugatis, quod prospicient eorum saluti « profuturum, id illis præscribere de- « beunt. » Et in clausula 5, dicitur : « In « hoc igitur Pastorum diligentia potissi- « mum invigilabit, non ut a frequenti, aut « quotidiana sacræ communionis sum- « ptione, unica præcepti formula aliqui « deterreantur, aut sumendi dies genera- « liter constituantur : sed magis quid sin- « gulis permittendum per se, aut Parochos, « aut Confessarios sibi decernendum putet. « Illudque omnino provideat, ut nemo a « sacro convivio, seu frequenter, seu quo- « tidie accesserit, repellatur : et nihilomi- « nus det operam, ut unusquisque digne « pro devotionis, et præparationis modo « rarius, aut crebrius Dominici corporis « suavitatem degustet. » In quibus manifestum est committi prælatorum, et confessariorum arbitrio, ut præscribant, et decernant juxta uniuscujusque statum, occupationes, et devotionis, ac præparationis modum, quando rarius, aut crebrius fideles suscipiant communionem. Quod irritum, et vanum esset disponere, si quilibet existentium in gratia, inconsultis confessariis, ac prælatis, quin contradicentibus, possent sumere quotidianam communionem. Ergo doctrina oppositum asserens non est secura, sed valde falsa, utpote huic Pontificio decreto tam directe repugnans.

Quartum corollarium.

Sed insuper refellitur ex doctrina certa, in hac materia de sacramentis frequentissima, quam statuit Concilium Trident. sess.

Concil. Trident.

sess. 24, cap. 2, sub titulo, *Ecclesiæ potestas circa dispensationem sacramenti Eucharistiæ*, ubi dicitur : « Præterea declarat hanc « potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, « ut in sacramentorum dispensatione, « salva illorum substantia statueret, vel « mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu « ipsorum sacramentorum venerationi pro « rerum, temporum, et locorum varietate, « magis expedire judicaret. » Ubi quamvis Concilium principaliter loquatur de potestate, quam habent prælati Ecclesiæ circa dispensationem sacramentorum in communi : incidenter tamen, et satis aperte significatur prælatos habere potestatem ad disponendum pro singulis talem, aut tantum usum sacramentorum, prout ipsorum suscipientium utilitati magis expedire judicaverint. Cum qua doctrina minime conciliari potest alia nobis opposita, affirmans posse singulos existentes in gratia suscipere communionem quotidianam non solum absque notitia, ac licentia confessariorum, ac prælatorum, sed eis etiam invitis, et repugnantibus. Refellitur ulterius, nam cum ad hoc, quod communio quotidiana fit communicanti expediens, et consulenda, requiratur non solum status gratiæ, sed insuper magna devotio, et vitæ puritas, ut ostendimus § 2, qui docet laicos inconsultis, quin contradicentibus confessariis, et prælatis, posse quotidie communicare; hanc eisdem laicis auctoritatem committit, ut judicent de magna sua puritate, et perfectione, atque in propria causa, et in sui favorem. Quod nequit esse salubre consilium; cum multis præbeat occasionem ruinæ spiritualis superbiendo, et præsumptuose censendo de propria virtute, posthabito patris spiritualis dictamine. Nota Quin tale consilium satis proximum videtur habere confinium cum doctrina pessima pessimi Michaelis de Molinos, cujus erat hæc propositio 67, inter condemnatas ab Ecclesia : « Dicere quod internum manifestandum est exteriori tribunali Præpositorum, et quod peccatum sit id non « facere, est manifesta deceptio : quia Ec- « clesia non judicat de occultis : et pro- « priis animabus præjudicant his decep- « tionibus, et simulationibus. » Quod practice affectant, qui inconsulto, et renitente confessario, aut superiori, tentant quotidie communicare. Aliæ confutationes consurgent ex immediate dicendis.

87. Infertur quinto minime securam, sed valde falsam esse doctrinam eorum, qui dixerunt subditum, quamvis prælatus sub obedientia illi præcipiat, ut hac, vel illa die non communicet, minime obligari isto præcepto : tum quia subditus habet jus absolutum communicandi si est dispositus: tum quia licet obedientia sit bona, melior tamen est communio. Id, et his motivis docuit Calasibeta in tract. cit. num. 25, et majori ex parte Joannes Sanctius loco citato. Sed hujusmodi doctrina evertitur ex prædicto decreto: nam decretum committit judicio superiorum, ut censeant de dispositione, et perfectione subditorum, et conformiter ad hæc provideant, quod rarius, aut crebrius, aut quotidie communicent : sed totum hoc vanum, et frustraneum foret, si subditus non deberet obedire suo prælato, ubi sub obedientia præcipit, ne communicet, ut satis ex se liquet : ergo prædicta doctrina tanquam manifeste Pontificio decreto contraria, minime potest sustineri. Cætera constant. Et major demonstratur : nam in clausula 8 illius decreti dicitur : « Episcopi, in quorum diœ- « cesibus viget hujusmodi devotio erga « SS. Sacramentum, pro illa gratias Deo « agant, eamque ipsi, adhibito prudentiæ, « et judicii temperamento, alere debe- « bunt. » Ergo subditorum communio sive frequens, sive quotidiana committitur, et subjicitur prudentiæ, et judicio tam Episcoporum, quam aliorum superiorum. Et in clausula 6, ubi sermo est de Monialibus dicitur : « Si quæ vero puritate mentis eni- « teant, et fervore spiritus ita incaluerint, « ut dignæ frequentiori, aut quotidiana « SS. Sacramenti perceptione videri pos- « sint ; id illis a Superioribus permitta- « tur. » Ubi frequens, aut quotidiana Monialium communio committitur permissioni Superiorum, ubi per se, vel per confessarios judicaverint illa dignas. Quippe tale judicium non remittitur ipsis Monialibus, sed aliis, ut liquet ex illis verbis, *si dignæ videri possint*, quæ habent significationem passivam, et denotant tale judicium non a Monialibus, quæ dijudicandæ sunt, sed ab aliis fieri debere. Sed refellitur ulterius illa doctrina per oppositam, quæ est communis apud Sanctos, et Patres spirituales nihil frequentius inculcantes, quam damna propriæ voluntatis in religiosis, et subditis agentibus contra præceptum, vel

Quintum corollarium.

Calasib. Sanctius

Ad Hebr. 13. obedientiam superiorum. Quæ fundatur in Apostolo ad Hebr. 13 : *Obedite Præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Unde Div. Augustinus in sermone 61, ad fratres in eremo inquit : « Prælatus vices agit Christi in monaste- « rio, et ipse suis Pastoribus ait : Qui vos « audit me audit, et qui vos spernit, me « spernit. Sicut enim gaudere debent, et « magnum a Domino præmium expectare, « qui libenter obediunt : quia quod ipsi « Majorum jussu faciunt, hoc ipsum Au- « ctori Deo impendunt : sic nimirum ma- « gnum judicium a Deo timere debent, qui « Prælatorum suorum jussa despiciunt. « Quia cum prælatus contemnitur, non « ipse, sed is, in cujus loco positus est, « contemptui habetur. » Unde sicut nemo sanæ mentis dicet religiosum, aut monialem, cui Christus præciperet, ne hodie communicaret, minime obligari ad obediendum, sed posse laudabiliter communicare : ita nec id dicere valet, ubi Superior, qui Christi vices gerit, idem mandat. (D. Aug.)

Evertuntur falsa principia. Quod magis constat evertendo opposita fundamenta, quæ sunt valde falsa, et deceptiora. Primum quidem : quia subditus non habet jus absolutum ad communicandum quotidie ; sed habet ad id jus subordinatum judicio, et dispositioni Superiorum, ut ostendimus numero 85. Et ex opposito fieret monialem, cui prælatus nollet præbere communionem quotidianam, posse licite clausuram monasterii egredi, et communionem quærere in aliis Ecclesiis : sicut id proportionabiliter facere posset, si ei in monasterio negaretur corporalis cibus pro sustentatione vitæ, ad quod habet jus naturale absolutum. Id vero dicere est adeo monstruosum, ut alia confutatione non egeat. Secundum etiam dispellitur : quia licet communio debite sumpta sit melior, quam obedientia ; non tamen communio contra obedientiam facta : nam eo ipso non debite fit. Quare sicut religiosus, qui nollet obedire prælato prohibenti aliquam corporis castigationem, v. g. istud, aut illud jejunium voluntarium sub prætextu consilii Christi dicentis, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum ;* ab omnibus recte sentientibus censetur illusus : sic si videremus religiosum, aut monialem contra obedientiam prælati suscipere communionem sub prætextu, quod Christus Eucharistiam vocavit *panem quotidianum ;* minime dubitaremus illos esse a dæmone vehementer deceptos. Nam qui illa dixit, etiam dixit : *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit,* et per suum Apostolum, *Obedite Præpositis vestris, etc.* Unde Div. Bernardus sermone 17, *in Cant.* inquit : « Si in die jejunii mei inveniatur « voluntas mea, non tale jejunium elegit « sponsus : nec sapit illi jejunium meum, « quod non lilium obedientiæ, sed vitium « propriæ voluntatis sapit. Ego autem non « solum de jejunio, sed de silentio, de vi- « giliis, de oratione, de lectione, de opere « manuum, de omni observatione mona- « chi » (idem dicturus de communione) « ubi invenitur voluntas sua in ea, et non « obedientia magistri sui, id ipsum sentio. « Minime prorsus observantias illas, etsi « bonas in se, tamen inter lilia, id est, in- « ter virtutes censuerim deputandas. » Et post alia concludit : « Grande malum pro- « pria voluntas, quo fit, ut bona tua tibi « bona non sint. » (D. Bern)

Judicium gravium Doctor. Unde apud graves Auctores non bene audit opposita doctrina, quam in hoc, et præcedenti consectario refutavimus. Prado dub. 13, num. 15, dicit nostram esse communem inter Theologos sententiam, Lugo disp. 17, num. 35, ait : « Unde non de- « sunt, qui doctrinam illam de non se- « quendo consilio Confessarii in ordine ad « communionem, temerariam, et scanda- « losam judicent, cum quibus sentit Lui- « sius Turrianus. » Quod idem a fortiori applicabunt doctrinæ de non obediendo præceptis Superiorum in ordine ad communionem. Diana 11 p. tract. 7. miscell. resolut. 15, refert plus quam quadraginta Auctores pro nostra, et communi sententia, et addit « oppositum non esse admit- « tendum utpote contra communem opi- « nionem Doctorum, et contra praxim « Ecclesiæ, et usum omnium confessario- « rum. » Laurentius Aponte in cap. 2, Matth. annot. morali 46, num. 28: « Ex « qua doctrina elicitur falsitas illius, quam « in Ecclesia Dei introducere præsumpsit « quidam Joannes Sanctius in selectis suis « disputationibus, affirmans in receptione « SS. Sacramenti Eucharistiæ non solum « non debere pœnitentem stare, neque « obedire confessario præcipienti abstinen- « tiam a sacramenti sumptione ; imo quod pœnitens (Prado. Lugo. Diana. Aponte.)

« pœnitens melius aget, si non obediat. « Quam doctrinam (si tale meretur nomen) « uti novam, et in Ecclesia Dei nunquam « auditam, et contra communem sensum « Patrum, et magisterii spiritualis praxim, « reputo falsam, et periculis plenam. » Similiter sentiunt alii, quos brevitatis causa non recensemus.

Sextum corollarium.

88. Infertur sexto falsam admodum esse doctrinam Calasibetæ in opere cit. num. 4, ubi affirmat prælatum, qui subdito negaret, aut impediret communionem quotidianam peccaturum, et fore cœcum, crudelem, præsumptuosum, etc. Probatur nostra resolutio ex decreto sæpius allegato : nam ut numero præcedenti vidimus, committit judicio, et prudentiæ Superiorum, ut censeant, quando subditos oporteat communicare aut rarius, aut frequentius, aut quotidie. Ergo quando Superiores prudenter judicant non expedire subdito communionem quotidianam, minime peccant illam impediendo, aut prohibendo ; sed agunt potius conformiter ad decretum Pontificium. Probatur ulterius : quia nequit superior peccare, nec illis vitiis infuscari, quibus eum ille Auctor respergit, ubi agit discrete, et prudenter ; cum nihil magis prudentiæ opponatur, quam peccatum, et vitia : sed Superior in prohibendo subdito communionem quotidianam potest prudenter agere, utputa ad recognoscendum humilitatem subditi, ad illum probandum in mortificationis studio et ob alios similes fines : ergo non peccat, ubi ob hæc, et similia motiva interdicit subdito quotidianam communionem. Præterea non peccat prælatus utens jure suo in ordine ad bonum communitatis : sed sic agendo potest impedire communionem quotidianam subditi, ut cum jubet illum esse in aliquo loco, ubi non est copia communionis ; cum mandat, ut choro assistat tempore officii divini, licet subditus aliud tempus pro communione quotidiana, quam sibi procuret, non habeat, et in similibus casibus : ergo Superior in his eventibus ita disponens non peccat. Denique nequit prælatus peccare agendo juxta suæ Religionis leges approbatas a Sede Apostolica : sed juxta illas agendo potest negare subditis quotidianam communionem : ergo sic agendo non peccat. Minor posset probari diversis Religionum constitutionibus, quas ad hunc finem expendit Sicardus in opere relato, puncto 5, sed nobis sufficit nostra Constitutio approbata a SS. D. N. Alexandro VII, quæ 1 part. cap. 4, num. 4, post relatos dies, in quibus fratres communicare debent, subdit : « Si vero plures communionis dies, « aut festivitates simul, aut frequenter oc- « currant ; Prioris judicio aliquis ex his « communis dies relinquatur. Neque ali- « quis professus audeat sine Prioris licentia « ad communionem accedere, exceptis tam « professis, quam novitiis, qui sunt sub « disciplina Magistri novitiorum, aut Ma- « gistri noviter professorum, qui de horum « licentia id facient. » Nullum itaque peccati, aut vitii genus est, quod in nostro Ordine Priores, et Magistri tam novitiorum, quam professorum agendo juxta prædictam constitutionem concedant, aut negent subditis quotidianam communionem, prout magis expedire censuerint. Quæ omnia confirmantur illustri exemplo Seraphicæ, et illuminatissimæ Virginis, et M. N. S. Theresiæ, quod ipsamet refert in lib. Fundat. cap. 6, nam cum in quodam Monasterio reperisset duas Moniales excellentis (ut ipsa testatur), perfectionis ; sed adeo communioni addictas ut perire, deficere, et mori viderentur, nisi quotidie communicarent ; S. Mater curavit, mandavit, et tandem consecuta est, ne Moniales illæ cum tanta frequentia susciperent Eucharistiam, « Melius census, » inquit prudentissima Virgo, « permittere, quod duæ illæ Mo- « niales morerentur, quam quod similis « consuetudo radices ageret in his domi- « bus, ubi reperiuntur aliæ animæ ita « sicut illæ a Deo dilectæ, et quæ ad id « consequendum possent illarum exemplo « tentari. » Magis enim curavit propriarum legum observantiam, quam extraordinarias quarumdam suarum Virginum devotiones. Id, quod nemo, ut confidimus, audebit in Sancta Matre reprehendere.

Constitutio nostra.

M. N. S. Theres.

Septimum corollarium.

89. Infertur septimo, quid dicendum sit de communione laicorum feria sexta in Parasceve. Eam licitam esse asseruerunt Suarez, Vazquez, Sanctius, Layman, Pellizarius, et plures alii, quos refert Prado dubio 15, § 2, numero 8. Sed ex decreto Pontificio supra relato colligitur oppositum : nam in clausula 1, refertur ad aures Pontificis pervenisse, quod aliqui in aliquibus Diœcesibus communicabant in prædicta feria ; idque refertur tanquam absur-

dum. (Practicabatur autem specialiter Matriti in Parochia S. Martini.) Sed decretum in clausula 11, præcipit : « Curent etiam « Episcopi, ut circa communionem in feria « sexta Parasceve Missalis Rubricæ, et Ec« clesiæ Romanæ usus serventur. » In Missali autem *in Missa* fer. 5, *in Cœna Domini* disponitur : « Hodie sacerdos conse« crat duas hostias, quarum unam sumit, « alteram reservat pro die sequenti, in quo « non conficitur sacramentnm. Reservat « etiam aliquas particulas consecratas, si « opus fuerit pro infirmis. » Ergo non consecrantur, nec reservantur pro communione bene valentium : ergo juxta hoc decretum confirmans rubricam ita omnino servandum est. Usus autem Ecclesiæ Romanæ non tribuendi sanis in illa die communionem est adeo notorius; ut si oppositum alicubi fiat, de singularitate notetur, et tamquam absurdum fuerit ad Papam delatum. Cum igitur prædictum decretum jubeat servari usum Ecclesiæ Romanæ : ita omnino faciendum est. Unde quamvis opposita sententia secundum se, aut præcisive ab isto decreto fuerit probabilis : tamen per illud antiquata manet, et non est ad praxim reducenda. Sicut ante prohibitionem Ecclesiæ licitum erat laicos communicare in utraque specie ; secus autem, postquam Ecclesia id prohibuit. Et alia decreta sacræ Congregationis Cardinalium prohibentia communionem laicorum in die Parasceve afferunt Gavantus in Rubr. par. 4, tit. 9, num. 25, Barbosa *de potestate Parochi* cap. 20, et Diana p. 9, tract. 7, miscell. resolut. 24. Sic etiam et merito ante decreta sentiebant graves Auctores innitentes communi usui Romanæ Ecclesiæ. Unde ita omnino facere atque consulere oportet.

Gabant. Barbosa. Diana.

Octavum corollarium.

90. Infertur octavo, quid dicendum sit de sacerdotibus in ordine ad quotidianam communionem, et celebrationem? Et quidem quantum ad illos, qui non celebrant, sed communicant more laicorum; eadem videtur habenda ratio, ac de laicis. Unde quidquid de quotidiana istorum communione diximus, est illis etiam proportionabiliter applicandum; quin opus habeamus nova disceptatione, aut motivis. Sicut eadem est ratio de sacerdotibus communicantibus more laicorum, et de ipsis laicis quantum ad calicis usum, ut dub. præced. explicuimus. Sed et quantum ad celebrationem quotidianam plura ex illis, quæ expendimus a num. 76, ut probaremus non expedire, nec consuli debere, ut omnes laici existentes in statu gratiæ communicent quotidie independenter a majori dispositione, videntur plane applicari posse sacerdotibus in ordine ad quotidianam celebrationem. Tum quia plures inveniuntur tepidi, negligentes, et non magis sancti, quam laici. Tum quia plus est celebrare, et communicare quam communicare præcise: ergo si omnibus laicis non est consulendum, ut quotidie communicent cum solo statu gratiæ, et sine majori dispositione; idem de sacerdotibus quantum ad quotidianam celebrationem dicendum est. Et huic parti suffragatur D. Bonavent. lib. 2, *de profectu relig.* cap. 77, ubi ait : « Circa sacerdotes « potest hæc forma teneri, ut nec nimis « raro, nec semper continue, et imprætermisse sacram hostiam studeant immo« lare. Nimis enim quotidie celebrare ali« quam videtur notare irreverentiam : cum « vix aliquis tam devotus sit, quod semper « eadem devotione ferveat, quod semper « illud cum debita reverentia faciat, et « cordis ardore ; quin aliquando tepeat « quantulumcumque etc. » Et Soto in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 10, in fine docet eis sacerdotibus, qui corruptis affectibus fluctuant, licet quotidie resurgant, non esse salubre consilium, quod quotidie celebrent: quia timendum est, quod eorum pœnitentia legitima non sit, et quia debitam erga sacramentum reverentiam afferre non valent.

Grave dubium.

D. Bon.

Soto.

Nihilominus censemus in primis sacerdotes regulares debere in hac parte agere juxta suam regulam, aut constitutiones. In nostris autem (a Sede Apostolica approbatis), 1 parte cap. 4, num. 5, præcipitur: « Sacerdotes omnes, nisi urgenti, inevita« bilique causa impediti, Sacrum quotidie « devote, debitaque cum puritate facient, « pœna panis, et aquæ sine licentia Prioris « omittentibus. » Unde nostris sacerdotibus non solum expedit, sed ex obligatione incumbit quotidie celebrare : et consequenter obligantur eam habere puritatem, et devotionem, quas quotidiana celebratio, et communio postulant, ut ipsa Constitutio satis declarat. Et si indevote aliquando celebrent; non Constitutioni, sed eorum vitio, ac tepori vertendum est.

Resolutio.

Censemus ulterius, generaliter omnibus sacerdotibus

sacerdotibus non existentibus in peccato consulendum est; non quidem ut tepide, aut indevote celebrent; sed ut celebrent quotidie cum ea devotione, et reverentia, quas oportet habere quotidie celebrantem; et ut saltem habeant hujusmodi devotionem, et reverentiam in affectu. Quod si tamen indevotionem, et minorem puritatem habeant; id continget ex humana fragilitate. Quin et consultius attentis omnibus putamus, quod omnes sacerdotes existentes in gratia, licet imperfecti, et tepidi, nullo die omittant divini sacrificii celebrationem. Fundamentum (per quod simul dissolvuntur objecta a similitudine communionis laicorum) est : quoniam laicus communicans agit de peculiari sui utilitate; quam non semper majorem consequitur communicando quotidie cum solo gratiæ statu : unde non expedit illum cum ea præcise dispositione quotidie communicare. Sed sacerdos agit personam publicam, sacrificando nomine Christi, et pro tota Ecclesia : ex qua actione innumeræ utilitates respectu omnium membrorum Ecclesiæ, et maxima Dei gloria resultant, ut videbimus disputatione 15, dub. 5. Unde quamvis tepidus, et imperfectus sit, non oportet, attentis omnibus, quod derelinquat quotidianum sacrificium ; sed magis consulendum illi est, ut singulis diebus celebret. Quæ doctrina, sive differentiæ
D. Tho. ratio desumitur ex Divo Thoma in 4, distinctione 12, quæstione 3, articulo 1, quæstiunc. 4, ad 1, ubi ait : « Dicendum, « quod sacerdos est quasi persona publica. « Et ideo oportet, quod non solum per se, « sed etiam pro aliis celebret : et ideo « necessitate cogente potest pluries cele- « brare in die. Sed non est eadem ratio de « illis, qui non sumunt, nisi ratione sui. » Unde et ipse Divus Bonaventura qui alibi aliter, ut vidimus, consulit; tamen in tractatu *de præparatione ad Missam*, capitulo 5, inquit : « Cum sacerdos absque peccato « mortali, et in proposito bono, non habens « impedimentum, et non ex reverentia, « sed ex negligentia celebrare omittit; tunc « quantum in ipso est, privat Trinitatem « laude, et gloria, Angelos lætitia, pecca- « tores venia, justos subsidio, et gratia, in « Purgatorio existentes refrigerio, Eccle- « siam Christi spirituali beneficio, et se « ipsum medicina, et remedio contra quo- « tidiana peccata, et infirmitates. » Quod etiam docent D. Antoninus 3 part. titulo 13, D. Ant. Petr. Soto.
cap. 6, § 5, Paludanus in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 4, num. 22, Petrus de Soto lect. 9, *de Eucharistia*, et alii plures. Unde Suarez disp. 80, sect. 2, concl. 4, inquit : Suarez.
« Per se loquendo, et seclusa speciali pro- « hibitione Ecclesiæ, non solum est lici- « tum quotidie sacrificare, verum etiam ex « se melius est, magisque consulendum. Est « conclusio certa, et communis Theologo- « rum etc. » Quod autem Dominicus Soto supra aiebat, verum quidem est in illis sacerdotibus, qui ita vitiis, et lapsibus fluctuant, ut merito timeri possit eos esse in statu peccati : quos proinde in hac resolutione minime comprehendimus; sed omnes alios sacerdotes justos absolute, quamvis negligentes, et tepidos.

QUÆSTIO LXXXI.

De modo, quo Christus usus est hoc sacramento, in quatuor articulos divisa.

Deinde considerandum est de usu hujus sacramenti, quo Christus usus est in prima sui institutione. Et circa hoc quæruntur quatuor. Primo, utrum Christus sumpserit suum corpus, et sanguinem? Secundo, utrum Judæ dederit? Tertio, quale corpus sumpserit, utrum scilicet passibile, vel impassibile? Quarto, quomodo se habuisset Christus sub hoc sacramento, si fuisset in triduo mortis reservatum, aut consecratum.

Nullum isto loco transcribimus articulorum Divi Thomæ, nec disputationem pro illorum explicatione aperimus: quia cuncta, quæ in hac quæstione proponit, alibi discussa reliquimus. Ad primum enim constat Nota.

ex dictis disp. 1, cap. 3, § 5, num. 65, ubi cum communi sententia statuimus, et ostendimus Christum Dominum in ultima Cœna suum corpus, et sanguinem sumpsisse. Ad secundum constat ex dictis ibidem a num. 75, ubi cum communi etiam sententia asseruimus, et probavimus, quod Christus Judæ dederit hoc sacramentum, et quod Judas illud cum cæteris Apostolis sumpserit. Ad tertium patet ex dictis disp. 6, per totam, ubi egimus de modo, quo Christus existit in hoc sacramento; et ex ibidem specialiter dictis dub. 5, constat corpus, quod Christus in Cœna dedit, et sumpsit, fuisse tunc passibile in se, habuisse tamen modum existendi impassibiliter in sacramento: quia secundum modum, quem ibi habet, nequit agere, aut pati actione corporea. Ad quartum denique patet ex dictis loco immediate cit. num. 64, et disp. 7, dub. 4, a num. 42, ubi ostendimus, quod si hoc sacramentum reservatum, aut consecratum fuisset in triduo mortis Christi, Christus prout in illo existens non flagellaretur, crucifigeretur, aut pateretur; sed tamen mortuo Christo ad extra, sive in propria specie, non maneret vivus in sacramento; sed ejus corpus esset ibi sine anima, et sine sanguine, sub forma sacri cadaveris. Unde nullum dubium ex propositis a D. Thom. in hac quæst. relinquitur, quod aliam disceptationem, aut declarationem exposcat.

QUÆST. LXXXII.

De ministro hujus sacramenti, in decem articulos divisa.

Deinde considerandum est de ministro hujus sacramenti. Et circa hoc quæruntur decem. Primo etc.

ARTICULUS I.

Utrum consecratio hujus sacramenti sit propria sacerdotis?

Ad primum sic proceditur. Videtur quod consecratio hujus sacramenti non sit propria sacerdotis. Dictum est enim supra, quod hoc sacramentum consecratur virtute verborum, quæ sunt forma hujus sacramenti. Sed illa verba non mutantur, sive dicantur a sacerdote, sive a quocumque alio. Ergo videtur quod non solus sacerdos, sed etiam quilicet alius possit hoc sacramentum consecrare.

Præterea, sacerdos hoc sacramentum conficit in persona Christi. Sed laicus sanctus est unitus Christo per charitatem. Ergo videtur quod etiam laicus possit hoc sacramentum conficere. Unde, et Chrysost. dicit super Matth. quod omnis sanctus est sacerdos.

Præterea, sicut baptismus ordinatur ad hominum salutem, ita et hoc sacramentum: sicut ex supra dictis patet. Sed etiam laicus potest baptizare: ut supra dictum est. Non ergo est proprium sacerdotis conficere hoc sacramentum.

Præterea: Hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ. Sed alias materias consecrare, scilicet chrisma, et oleum sanctum, et oleum benedictum, pertinet ad solum Episcopum: quarum tamen consecratio non est tantæ dignitatis, sicut consecratio Eucharistiæ, in qua est totus Christus. Ergo non est proprium sacerdotis, sed solius Episcopi, hoc sacramentum conficere.

Sed contra est quod Isidor. dicit in quadam epistola, et habetur in Decret. dist. 25. Ad presbyterum pertinet sacramentum corporis, et sanguinis Domini in altari Dei conficere.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) hoc sacramentum est tantæ dignitatis, quod non conficitur nisi in persona Christi. Quicumque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Sicut autem baptizato conceditur a Christo potestas sumendi hoc sacramentum: ita sacerdoti, cum ordinatur, confertur potestas hoc sacramentum consecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est a Domino: Hoc facite in meam commemorationem. Et ideo dicendum est, quod proprium est sacerdotum conficere hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus sacramentalis in pluribus consistit, et non in uno tantum: sicut virtus baptismi consistit in ipsis verbis, et in aqua. Unde et virtus consecrativa non solum consistit in ipsis verbis: sed etiam in potestate sacerdoti tradita in sua consecratione et ordinatione: cum ei dicitur ab Episcopo, Accipe potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium, tam pro vivis quam pro mortuis. Nam et virtus instrumentalis in pluribus instrumentis consistit, per quæ agit principale agens.

Ad secundum dicendum, quod laicus justus unitus est Christo unione spirituali per fidem et charitatem, non autem per sacramentalem potestatem. Et ideo habet spirituale sacerdotium ad offerendum spirituales hostias: de quibus dicitur in Psal. 50: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Et Rom. 12: Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem. Unde et primæ Petri 2, dicitur: Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias.

Ad tertium dicendum, quod perceptio hujus sacramenti non est tantæ necessitatis, sicut perceptio baptismi, ut ex supradictis patet. Et ideo licet in necessitatis articulo laicus possit baptizare, non tamen potest hoc sacramentum conficere.

Ad quartum dicendum, quod episcopus accipit potestatem ut agat in persona Christi super corpus ejus mysticum id est super Ecclesiam. Quam quidem potestatem non accipit sacerdos in sua consecratione: licet possit eam habere ex episcopi commissione. Et ideo ea, quæ non pertinent ad dispositionem corporis mystici, non reservantur episcopo: sicut consecratio hujus sacramenti. Ad Episcopum vero pertinet tradere non solum populo, sed

etiam sacerdotibus ea, ex quibus possunt propriis officiis uti. Et quia benedictio chrismatis et olei sancti, et olei infirmorum, et aliorum, quæ consecrantur (puta altaris, Ecclesiæ vestium, et vasorum) præstat quandam idoneitatem ad sacramenta perficienda, quæ pertinent ad officium sacerdotum : ideo tales consecrationes Episcopo reservantur, tanquam principi totius Ecclesiastici ordinis.

Conclusio est affirmativa.

Absoluta consideratione eorum,quæ pertinent ad usum Eucharistiæ, incipit D.Thomas agere de ejus ministro. Circa quem plura inquirit, quæ opus non habemus in præsenti disputare. Nam quod agit de malo ministro in art. 5 et 6 et 7 et 8, an scilicet possit Eucharistiam valide conficere, et an peccet in conficiendo; constat ex alibi dictis : nam primum statuimus tract. præced. disp. 7, dub. 3, et de secundo egimus ibidem dub. 4. Quod autem in art. 9, inquirit, an suscipientes Eucharistiam a prædicto ministro peccent, constat ex eodem tract. disp. 8, dub. 2. Denique quod art. 4 inquirit, an liceat sacerdoti celebranti nom suscipere communionem,constabit ex dicendis disp. seq. dub. 2. Unde ex multis a S. Doctore propositis, pauca supersunt, et non admodum difficilia, quibus deserviet sequens

DISPUTATIO XII.

De ministro sacramenti Eucharistiæ.

Cum sacramentum Eucharistiæ non consistat in usu, sicut cætera, sed habeat esse permanens antecedenter ad usum; duplex circa illud minister distingui potest : alter conficiens, cujus potestas versatur in consecrando materiam : et alter dispensans, cujus potestas versatur in distribuendo materiam præconsecratam, sive Eucharistiæ sacramentum. De utroque autem in hac disputatione dicemus Sed claritatis, et recti ordinis gratia, prius de consecrante : unde sit

DUBIUM I.

Utrum minister ad conficiendum hoc sacramentum sit solus sacerdos ?

Sacerdotem in lege gratiæ vocamus illum, quem Episcopus ordinat ad consecrandam Eucharistiam, et offerendum Missæ sacrificium, ut liquet ex forma ordinationis, *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis, et mortuis.* Quæ ordinatio non consistit in mera deputatione extrinseca, sed importat impressionem characteris nempe cujusdam signi indelebilis, quo sacerdos a non sacerdote distinguitur, ut explicuimus tract. præced. disp. 5, dub. I, § 1. Et in hoc sensu procedit præsens difficultas, quæ dogmatica est, et ab illa proinde nos breviter expediemus.

§ UNICUS.

Asseritur veritas catholica.

1. Dicendum est solum sacerdotem esse ministrum ad conficiendum sacramentum Eucharistiæ:et consequenter nullum alium a sacerdote posse Eucharistiam conficere. Hæc conclusio est de fide. Pro qua videri possunt, qui contra hæreticos scripserunt, V. Doctor N. Waldensis tom. 2, *de sacram.* cap. 7 et 28, Clictoveus lib. 2, *de officio Missæ* a cap. 1, usque ad 7, Rofensis contra Lutherum art. 13, Bellarminus lib. 4, *de Eucharistia*, cap. 16, Albaspineus lib, 2,*de Eucharist.* cap, 8, et alii. Probatur primo ex constanti, et perpetua Ecclesiæ traditione. De qua certo constat tum per expressas hujus veritatis diffinitiones in Concilio Nicæno 1,cap. 14,in Arelatensi 1, can. 23, in Lateranensi sub Innocentio Tertio,cap. 1, et refertur in cap. *Firmiter de Summa Trinit. et fide cathol.* in Concilio Florentino *in instructione Armenorum*, et denique in Tridentino sess. 22, cap. 1, et sess. 23, cap.1 et 4.Tum constat per doctrinam Patrum,D. Dionysii in lib. de Eccl. Hierarch. cap. 5, D. Ignatii in epist. *ad Trallianos*, Clementis Romani lib. 8 constit. cap. vlt. Basilii lib. 2, *de baptismo*, cap. 8, D. Hieronymi in epist. *ad Heliodorum*, D. Chrysostomi lib. 3, *de sacerdotio*, cap. 4 et 5, D. Augustini lib. 20, *de Civitate*, cap. 10, D. Gaudentii tract. 2, *ad Neophytos*, D. Isidori relati in cap. *Perlectis* dist. 25, et plurium aliorum, quos prolixum esset recensere.

Conclusio. N. Wald. Clictov. Rofens. Bellarm. Albasp. Plura Concilia. Patres.

Probatur secundo ab exemplo antiquæ legis, in qua soli sacerdotes poterant conficere, et offerre sacrificium : et non erant legitimi sacerdotes, nisi qui de tribu Levitica assumebantur, et pro hoc munere initiabantur, juxta illud Apostoli ad Hebr. 5 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Unde

Fundamentum ab exemplo. Ad Hebr. 5.

cæteri nec in casu necessitatis poterant obire officium sacerdotis offerendo sacrificium, ut patet in punitione Saulis, et Oziæ oppositum tentantium, 1 Reg. 13 et 2. Paralip. 26. Ergo cum lex Evangelica sit longe nobilior, et sacrificium nostrum incomparabiliter excellentius ; minime dici potest, quod quilibet possit sacrificium Eucharistiæ conficere, et offerre : sed hæc eminentia illis tantum hominibus reservatur, qui ab Ecclesia ad id sacrantur per Episcoporum ordinationem : quos solos sacerdotes appellamus.

1. Reg. 12. 2. Paral. 26.

Ratio congruentiæ.

2. Tertio probatur ratione congruentiæ, quæ supposita Christi institutione optima est : quia sacramentum Eucharistiæ tantæ dignitatis est, ut non conficiatur a ministro nisi agente, et loquente in persona Christi, ut satis constat ex dictis disp. 9, dub. 4. Sed qui agit in nomine alterius, debet agere per potestatem sibi ab illo concessam. Ergo minister sacramentum Eucharistiæ conficiens debet habere potestatem sibi a Christo immediate, vel mediante Ecclesia communicatam. Hanc autem potestatem non habent generaliter omnes fideles ; sed illi tantum, qui ab Episcopis ordinantur, et destinantur ad istud munus, ut liquet ex ordinationis forma : et hos tantum appellamus sacerdotes. Soli ergo sacerdotes possunt istud sacramentum conficere. Et ita quidem se Christus gessit, cum hoc sacramentum instituens, non omnibus fidelibus, sed solis Apostolis, et eorum in hoc munere successoribus dixit : *Hoc facite in meam commemorationem,* ut optime expendit Concilium Tridentinum sess. 22, cap. 1, dicens : « Christus sacerdotem secundum « ordinem Melchisedech se in æternum « constitutum declarans, corpus, et sangui- « nem suum sub speciebus panis, et vini « Deo Patri obtulit : ac sub earundem re- « rum symbolis Apostolis, quos tunc novi « testamenti sacerdotes constituebat, ut su- « merent, tradidit : et eisdem, eorumque « in sacerdotio successoribus, ut offerrent, « præcepit per hæc verba : Hoc facite in « meam commemorationem, uti semper « catholica Ecclesia intellexit, et docuit. » Et in eodem sensu diffinivit can. 2 : « Si « quis dixerit illis verbis, Hoc facite in « meam commemorationem, Christum non « instituisse Apostolos sacerdotes ; aut non « ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes of- « ferrent corpus, et sanguinem suum ; ana- « thema sit. » Quæ Concilii verba necessario, ut vim, et effectum habeant, accipienda sunt cum præcisione, ut excludant alios homines præter Apostolos, et eorum in hoc munere successores : alias Christus nihil eis verbis vel Apostolis, vel eorum successoribus contulisset.

Concil. Trident.

Responsio hæreticorum.

Huic discursui occurrunt hæretici concedendo solos sacerdotes posse consecrare : sed tamen non inde colligi, quod soli ordinati ab Episcopis habeant hujusmodi potestatem. Tum quia ipsi censent omnes baptizatos esse ratione characteris baptismalis sacerdotes, ut probant aliquibus motivis diluendis num. 5. Tum quia si ratione characteris baptismalis non habent potestatem determinatam ad hujusmodi effectum ; nihilominus respublica ipsa civilis potest creare suos Presbyteros, qui ex munere habeant officium consecrandi cœnam, sive conficiendi Eucharistiam, et illam populo, aut familiæ distribuendi.

Confutatur.

3. Sed hoc illorum effugium præcluditur. Nam in primis dici nequit omnes baptizatos habere ex vi characteris potestatem consecrandi Eucharistiam, et subinde omnes baptizatos esse sacerdotes. Ex opposito enim fieret mulieres etiam esse sacerdotes, et habere potestatem sacrificandi, et consecrandi : habent enim characterem baptismalem. Et licet aliqui Lutherani id concedant ut testatur Soto (qui cum eisdem disputavit) in 4, dist. 13, quæst 1, articulo 1, affirmans ipsos sentire, quod unusquisque pater familias potest domi suæ panem, et vinum consecrare, et corpus, ac sanguinem suæ exhibere familiæ ; et ulterius omnes cujuscumque ætatis, et sexus, etiam mulieres, esse sacerdotes : tamen id stultissimum est, et refellitur tum exemplo legis scriptæ, in qua soli viri erant sacerdotes, ut evidenter constat ex Scriptura : incredibile autem est, quod sacerdotium in lege gratiæ sit vilius, et magis abjectum, utpote mulieribus commune. Tum quia id dicere est error jam antiquatus Collyridianorum, et Pepuzianorum, qui mulieribus munus sacrificandi deferebant : quos refellunt tanquam in hoc hæreticos D. Epiphanius hæresi 79, et D. Augustinus hæresi 27. Et Epiphanius notat munus sacerdotis tam proprium esse hominum, ut nec B. Virgini Mariæ concessum fuerit. Et hæc fuit semper perpetua Ecclesiæ traditio. Ergo nulla ratione dicendum est mulieres esse sacerdotes

Soto.

D. Epip. D. Aug.

sacerdotes in lege gratiæ. Et inde manifeste colligitur potestatem conficiendi Eucharistiam non consistere in solo charactere baptismali : hunc enim etiam mulieres habent.

Quod vero recurrant ad rempublicam civilem constituentem suos Presbyteros, et communicantes illis potestatem consecrandi ; nullo modo prodest, sed efficaciter evertitur. Primo quidem, quia juxta perpetuum, et inconcussum Ecclesiæ usum a temporibus Apostolorum ordinatio sacerdotum non fit a republica civili, sed ab Episcopis. Unde Apostolus Paulus scribens ad Titum Episcopum, monet cap. 1, ut constituat per civitates presbyteros, sive sacerdotes, manifeste significans eos tantum sacerdotes esse, qui essent deputati et consecrati ab Episcopis. Secundo, quia certum est rempublicam civilem non habere postestatem spiritualem, sive in ordine ad supernaturales effectus : ergo nec talem potestatem ullis ministris conferre valet : sed talis potestas requiritur ad consecrandum Eucharistiam ; siquidem ex parte effectus datur aliquid supernaturale, nempe realis præsentia Christi sub speciebus : ergo respublica civilis nequit ullis ministris a se deputatis conferre potestatem conficiendi Eucharistiam. Et quamvis aliqui Lutherani veritatem corporis, et sanguinis Christi in sacramento non agnoscant ; tamen id non negatur ab eorum duce Luthero, nec ab aliis Lutheranis : contra quos procedit specialiter hæc impugnatio. Alii vero ex eo refellendi sunt, quod negata reali Christi præsentia, nihil mirabile, aut supra naturæ ordinem relinquitur in Eucharistia : refellendi etiam sunt per omnia, quæ disp. 1, cap. 1, § 1, expendimus asserentes realem Christi præsentiam in sacramento, quæ hic repetere non oportet. Sed non est prætermittendus canon 14 Concilii Nicæni 1, stultam istam aliquorum Lutheranorum imaginationem evertens : « Hoc neque regula, neque consuetudo tra- « didit, ut si qui sacrificii offerendi non « habent potestatem (ut non habet respu- « blica civilis) his, qui offerunt corpus « Christi, porrigant. »

Ad Titum 1.

Concil. Nicæn.

Hæresis contraria.

4. Contrariam hæresim docuerunt Wiclephus, ut constat ex N. Waldensi loco cit. et Lutherus in lib. *de abroganda Missa privata*, et alii Lutheri discipuli asserentes quemlibet Christianum posse absolute Eucharistiam consecrare, licet hoc officium nemo assumere debeat, nisi legitime vocatus, et destinatus, excepto casu necessitatis, in quo quilibet pater familias potest consecrare Eucharistiam, eamque dispensare suæ familiæ. Quod probant unico motivo : quia omnes Christiani sunt sacerdotes : ergo omnes Christiani possunt Eucharistiam conficere : atque ideo vana est distinctio in nostra assertione insinuata, quod soli sacerdotes possunt Eucharistiam consecrare, non autem cæteri homines. Utraque consequentia patet. Et antecedens probatur : quia in Scriptura omnes Christiani appellantur sacerdotes, ut 1 Petri 2 : *Vos autem, genus electum, regale sacerdotium.* Apocalyp. 1, *Fecit nos regnum, et sacerdotes Deo, et Patri suo.* Et cap. 5 : *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes.* Unde Tertullianus in exhort. *ad castitatem* cap. 7, inquit : « Nonne, et laici sacerdotes « sumus ? Scriptum est, Regnum quoque « nos, et Sacerdotes Deo, et Patri suo fecit. « Differentiam inter ordinem, et plebem « constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor « per ordinis concessum sanctificatus a « Deo. Ubi Ecclesiastici Ordinis non est « concessus, et offers, et tingis, et sacerdos « es tibi solus. Sed, et ubi tres, Ecclesia, « licet Laici : unusquisque enim de sua « fide vivit. » Ergo ex sententia Tertulliani omnes fideles sunt sacerdotes.

Wicl. Luther.

Argumentum.

1 Petri 2. Apoc. 1 et 5.

Tertull.

Confirmatur primo, quia Diaconi non sunt sacerdotes ab Episcopis consecrati, sed in inferiori gradu constituuntur, ut patet ex usu Ecclesiæ Romanæ : et tamen Diaconi olim consecrabant Eucharistiam : ergo minister ad conficiendum Eucharistiam non est solus ille, qui ab Episcopo sacerdos ordinatur. Probatur minor ex Concilio Ancyrano Can. 2, ubi decernitur Diaconos, qui idolis immolaverant, resipiscentes tamen pro fide pugnaverant, privandos non esse gradu suo ; « debere « tamen cessare ab omni sacro, ita ut nec « panem, nec Calicem offerant, nec pro- « nuntient, nisi forte aliqui Episcoporum « conscii sint laboris eorum, et humili- « tatis, et mansuetudinis, et voluerint eis « aliquid amplius tribuere etc. » Ergo Diaconi præscindendo a prædicto crimine, pronuntiabant verba consecrationis, et conficiebant Eucharistiam. Et hunc usum fuisse satis communem colligitur ex Concilio Arelatensi Can. 5, ubi dicitur : « De

Confirmatio I.

Concil. Ancyr.

Concil. Arelat.

« Diaconibus, quos cognovimus multis « locis offerre, placuit minime fieri debere.»

Confirmatio 2. Confirmatur secundo peculiaribus exemplis, sive aliquorum factis. Num in actis Sanctæ Petronillæ legitur ipsam celebratis Dominicæ oblationis mysteriis Eucharistia refectam mortem obiisse. Theod. Theodoretus lib. 2 *historiæ Eccles.* cap. 23, refert Frumentium juvenem, cum in India commoraretur, invitasse Christianos mercatores Romanos illuc appulsos ad celebrandum divina Mysteria : et tamen nec ipse Frumentius, nec advenæ erant sacerdotes, sive homines ab Episcopis in id opus ordinati. Pratum spirtuale Deinde *in Prato spirituali* capit. 25, legitur Monachum laicum super panes verba consecrationis pronuntiasse, Angelumque astitisse, qui panes esse consecratos declaravit. Ex quibus omnibus sequitur potestatem consecrandi Eucharistiam non esse alligatam illis hominibus, quos nos sacerdotes appellamus.

Confirmatio 3. Confirmatur tertio : quia sacerdos, ut affirmamus, conficit hoc sacramentum in persona Christi, et quatenus illi incorporatur : sed laicis sanctus manet unitus Christo per charitatem : ergo laicus, quando est sanctus, potest hoc sacramentum conficere. D. Chrys. Unde Div. Chrysostomus in opere imperf. super Matth. homil. 43, affirmat in hoc sensu, quod *Omnis sanctus est Sacerdos.* Plures itaque, quam a nobis assignati possunt Eucharistiam conficere.

Diruitur argumentum. 5. Ad argumentum respondetur distinguendo antecedens, illudque concedendo de sacerdotibus improprie, et large sumptis : sed negandum est, si intelligatur de sacerdotibus proprie, et specialiter dictis : et deinde negamus utramque consequentiam : nam ut legitime inferrentur ex antecedenti, deberet illud verificari de sacerdotibus proprie, et specialiter sumptis. Explicatur autem distinctio : etenim cum sacerdos dicatur in ordine ad sacrificium ; eodem modo de sacerdote, ac de sacrificio sentire oportet. Sacrificium autem dupliciter dicitur, vel improprie, et large pro quolibet bono opere, et præsertim corporis proprii mortificatione : secundo proprie, et specialiter pro hostia, quæ auctoritate publica immolatur, et Deo offertur. Unde fit, quod etiam quis possit dupliciter dici sacerdos : uno modo improprie, et large, quatenus videlicet spiritum, et corpus coram Deo virtutum exercitiis, et præsertim mortificatione sacrificat : altero modo proprie, et specialiter, quatenus auctoritate publica est mediator inter Deum, et populum, ministrando Dei munera in sacramentis, et vicissim preces fundendo, et offerendo pro populo sacrificium. In priori itaque sensu omnes Christiani dicuntur sacerdotes, ut post alios Patres eleganter declarat Div. Petrus Chrysologus serm 108, ubi D. Chrys. expendens illud Apostoli, « Ut exhibeatis « corpora vestra hostiam viventem, *subjun- « git :* Apostolus sic rogando omnes homi- « nes ad sacerdotale fastigium provexit. « O inauditum Christiani Pontificatus offi- « cium, quando homo sibi ipsi est, et hos- « tia et Sacerdos ! Quando hostia mactatur, « et vivit : et Sacerdos nescit occidere, qui « litavit, etc. » In secundo autem sensu non omnes Christiani sunt sacerdotes, sed illi tantum, qui juxta Christi institutionem, et Apostolorum traditionem ordinantur per Episcopos ad speciale munus conferendi sacra, et offerendi sacrificium, ut constat ex dictis pro nostra assertione. Illa vero testimonia Scripturæ, quæ ad suadendum antecedens inducuntur, non evincunt aliud, quam a nobis concessum, nempe omnes Christianos esse sacerdotes large, et improprie, hoc est, in ordine ad sacrificium improprie dictum suarum operationum. Et liquet ex eo, quod in prædictis testimoniis Christiani eodem modo dicuntur sacerdotes, et reges, Sunt autem reges improprie, et large, nempe quatenus passiones refrænant, et propriis affectionibus principantur subjiciendo illas rationi : sed non omnes sunt reges proprie et specialiter : cum non omnes habeant auctoritatem publicam ad regendum populos. In eodem itaque sensu appellantur sacerdotes. Locus Tertulliani obscurus est. Sed in primis respondemus, quod cum Tertullianus illum librum scripsit, jam erat Montani erroribus implicatus : unde impediri non debemus ejus voto, sed dicemus cum S. Hilario Can. 5, in Matth. quod errore S. Hilar. sequenti detraxit scriptis probabilibus auctoritatem. Deinde dicimus Tertullianum loqui de sacerdotibus non specialiter, et proprie dictis, sed de sacerdotibus large, et improprie sumptis juxta distinctionem præmissam. Et rem ita se habere ex eo efficaciter convincitur, quod nisi ita dicamus, fatendum est fœminas ex Tertulliani Mens Tertull. sententia esse sacerdotes, siquidem ille eo

oco

loco fundat sacerdotium in fide, et baptismo, communibus plane etiam respectu fœminarum. Id vero est evidenter contra ejus sententiam in lib. *de velandis virginibus* cap. 9, ubi ait : « Non permittitur « mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, « nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis « muneris, nedum sacerdotalis officii sor« tem sibi vindicare. » Egit itaque in altero testimonio de sacerdotibus improprie, et communiter dictis.

Dispellitur prima confirmatio. 6. Ad primam confirmationem negamus minorem. Ad cujus probationem respondetur canonem Concilii Ancyrani non agere de consecratione, aut confectione Eucharistiæ ; sed vetare Diaconis illis, ne sacerdoti sacrificanti offerant panem, et calicem, ne Eucharistiam præconsecratam a sacerdote distribuant, et ne denique verbum Dei per prædicationem annuntient : (quæ omnia alias ex officio, seu ordinatione possunt :) idque ad præcedentis delicti, et scandali dilutionem : nisi aliud Episcopis ob magnam talium pœnitentiam, et emendationem congruentius videatur. Concilium autem Arelatense loquitur de oblationibus fidelium (distinctis plane ab Eucharistia) quæ præsente sacerdote, non debent, nec possunt ab alio benedici. Et tamen Diaconi in aliquibus partibus id temere sibi arrogabant. Quod prohibet illud Concilium.

Occurritur secundæ. Ad secundam respondemus nihil valere, ut constabit singulis exemplis occurrendo. Ad primum enim respondetur minime in eis actis dici, quod S. Petronilla celebraverit mysteria ; sed quod celebratis mysteriis (utique ab aliquo sacerdote eam invisente), sumpserit Eucharistiam, et spiritum emiserit. Quæ duo diversa sunt, et toto cœlo distant. Ad secundum dicimus eo Theodoreti loco mysteriorum, aut etiam Liturgiæ nomine non intelligi consecrationem Eucharistiæ, sed preces, et orationes, quæ inter celebrandum Missam dici solebant : sicut et nos possumus, omissa consecratione, plures Missæ orationes, et deprecationes recitare. Aliunde autem minime compertum est nullum ibi adfuisse sacerdotem, sed præsumi potest oppositum : nam proficiscentes in longinquas regiones solebant secum deferre sacerdotem eis in periculo succursurum, quem eleemosynarium appellabant. Probabile etiam est ipsum Frumentium fuisse sacerdotem, quem postea S. Athanasius ordinavit Indorum Episcopum. Ad tertium respondemus totum illud esse apocryphum, et commentitium, sicut et non pauca alia, quæ in Prato spirituali continentur. Gratis autem illo concesso, dicendum est illud extraordinarie, et miraculose factum fuisse a Deo : qui non habet alligatam necessario potestatem suam sacramentis, aut ministris. Sicut idem diceretur, si certo constaret beatum Angelum aliquem baptizasse, licet solus homo sit ordinarius sacramentorum minister, ut diximus tract. præced. disp. 7, dub. 1, § 3.

Solvitur ultima. Ultimam confirmationem optime diluit Div. Thom. in hoc art. juxta distinctionem a nobis præmissam, his verbis : « Ad se- D. Tho. « cundum dicendum, quod laicus justus « unitus est Christo unione spirituali per « fidem, et Charitatem ; non autem per « sacramentalem potestatem» (quam præstat character Ordinis). « Et ideo habet spi« rituale sacerdotium » (large scilicet, et improprii dictum), « ad offerendum spiri« tuales hostias, de quibus dicitur in Ps. « 50 : Sacrificium Deo spiritus contribula« tus, et ad Rom. 12 : Exhibeatis corpora « vestra hostiam viventem. Unde et 1 « Petri 2, dicitur, sacerdotium sanctum « offerre spirituales hostias. » Et in eodem sensu loquitur Divus Chrysostomus, qui D. Chrys. lib. 3, *de sacerdotio* cap. 4, et 5, vel ex eo gradum sacerdotum supra cæterorum hominum potestatem extollit, quod possunt offerre Eucharistiam, et dimittere peccata. Unde liquet ipsum evidenter distinxisse sacerdotes specialiter dictos ab omnibus aliis Christianis licet sanctis.

DUBIUM II.

Utrum plures sacerdotes possint eandem hostiam consecrare ?

Multis modis intelligi potest, quod plures sacerdotes concurrant ad unius hostiæ consecrationem. Primo si unus intendat consecrare unam partem hostiæ, et alter alteram. Et quidem si quilibet intendat consecrare hostiæ partem, sed illam non determinet, sed in confuso procedat ; minime consecrabit : quia forma consecrationis est demonstrativa, et designans materiam determinatam, ut diximus disp. 4, dub. 6. Si autem eorum unus intendat consecrare unam determinate partem, quam assignaret intentione,

aut etiam signo externo, et alius similiter aliam, ut contingeret hostiæ partes distinguendo penicillo : tunc quilibet partem a se designatam consecrabit : quia concurrunt omnia, quæ pro valore consecrationis desiderantur. Secundo intelligi potest, quod ex omnibus ad consecrandum concurrentibus singuli intendant totam adæquate hostiam consecrare. Quod adhuc bifariam contingere posset. Nam et posset quilibet intendere consecrare non absolute, sed dependenter a consecratione alterius tanquam a conditione, ut si Petrus diceret, *Volo consecrare, si Joannes consecret* : in quo casu unaquæque consecratio foret conditionalis, et ab altera dependens. Sed in tali casu non solum intentio esset peccaminosa, sed et inutilis, et minime conficeret sacramentum : quippe ad hujus valorem requiritur intentio absoluta, ut generaliter statuimus tract. præced. disp. 7, dub. 2. Posset etiam fieri, quod quilibet consecrantium haberet intentionem absolutam, et totalem consecrandi. Et in hoc sensu procedit istius dubii difficultas.

Punctum difficultatis.

§ UNICUS.

Defenditur, et explicatur communis sententia.

Conclusio. 7. Dicendum est plures sacerdotes posse eamdem hostiam consecrare. Ita Div. Thomas in præsenti art. 2, in 4, dictinctione 13, questione 1, art. 2, questiunc. 2, cui subscribunt ita unanimiter omnes Theologi, ut opus non sit aliquos in particulari referre. Probatur primo : quia concurrentibus multis sacerdotibus ad consecrandum unam, et eamdem hostiam cum intentione immediate explicata, concurrunt omnia requisita ad valorem consecrationis : ergo in tali casu una, et eadem hostia ab omnibus illis consecratur. Antecedens patet : quia datur materia apta, et sufficienter præsens, ut supponitur : deinde forma : præterea intentio, cum quilibet sacerdos habeat intentionem totalem, et absolutam consecrandi illam materiam : nihil autem præter hæc desiderari valet ad sacramenti, et consecrationis valorem. Confirmatur : quia quilibet eorum sacerdotum, si seorsim concurreret, consecraret : ergo etiam simul concurrens consecrat : atque ideo et omnes. Nec enim est major ratio, ut unus potius consecret, quam alius : nec motivum, ut nullus consecret. Si dicatur consecrationem non fieri nisi in ultimo instanti prolationis verborum, juxta doctrinam traditam tract. præced. disput. 4, dub. 5, et fieri non posse, ut verba consecrationis prolata a multis sacerdotibus in eodem temporis instanti terminentur. Id, inquam, si dicatur facile evertitur : quia nulla est repugnantia in eo, quod prolationes verborum finiantur in eodem momento. Quin nullum est instans, in quo non multa fiant, et terminentur, utputa hominum nativitates, mortes, negotia. Quare itaque repugnabit plures locutiones eodem momento finiri ? Si ulterius dicatur implicare, quod idem effectus proveniat simul a multis causis, et subinde quod eadem transsubstantiatio fiat simul a multis sacerdotibus ; id jam rejectum, et superatum relinquitur supra disputatione 2, dub. ult. nu. 68, quin opus hic eam difficultatem diluere.

D. Tho. — Fundamentum. — Confirmatio. — Præcluduntur effugia.

Aliud fundamentum. 8 Probatur secundo : quia quando sacerdotes ordinantur, omnes simul cum Episcopo ordinante proferunt verba consecrationis : quod vanum esset, nisi possent simul cum Episcopo eamdem hostiam consecrare : fieri itaque valet, ut una, et eadem hostia a multis sacerdotibus consecretur. Confirmatur : quia cum aliquis consecratur Episcopus, quatuor Episcopi, nempe tres consecrantes, et unus consecratus, simul consecrant eamdem hostiam, et conficiunt unum numero sacramentum : ergo idem quod prius. Quamvis enim hic posterior casus sit facilior, quam in argumento propositus; siquidem Episcopi concurrentes sunt sapientiores, et possunt ad hoc tendere, ut simul finiant consecrationis verba in eodem instanti; quod non ita facile continget in plurimis sacerdotibus recenter ordinatis, qui simul concurrere solent : id tamen minime refert : tum quia ipso exemplo plurium sacerdotum simul consecrantium probatur immediate nostra conclusio, nempe plures sacerdotes posse unam, et eamdem hostiam consecrare. Tum quia hoc exemplo prior plurimorum sacerdotum recenter ordinatorum casus facilior, et verisimilior redditur : nam si quatuor Episcopi possunt verba consecrationis simul in eodem momento finire ; non repugnat quod plures, quam quatuor, eodem modo consecrent simul in eodem instanti verba absolvendo.

Roboratur.

Dissimulare

Gravis difficultas. Dissimulare tamen non debemus utriusque exempli, et præsertim primi difficultatem : quia licet nemo neget, quod si plures sacerdotes simul concurrant ad consecrationem unius hostiæ, et simul finiant consecrationis verba in eodem momento, omnes consecrabunt : et similiter nemo neget possibile esse metaphysice loquendo, et per respectum ad divinam potentiam, quod omnes simul finiant verba in eodem instanti: nihilominus in consecratione plurium sacerdotum ordinatorum id est moraliter impossibile. Nam difficillimum est fieri tantam adunationem vocum, et syllabarum tum consecrantium cum Episcopo, tum ipsorum sacerdotum inter se, ut omnes simul per idem indivisibile temporis terminentur : quin experimento patet rem aliter contingere, aliis prius incipientibus, et aliis post alios prolationem terminantibus. Unde consequenter fit hoc exemplum non satis convenienter expendi pro nostræ, et communis assertionis confirmatione : quippe usus ille plurimis inconvenientibus expositus est : atque ideo minime probandus videtur. Si enim unus ex sacerdotibus consecrantibus Episcopum prævenit, sequitur Episcopum non consecrare, quippe cujus verba reperiunt materiam præconsecratam : si autem Episcopus præveniat, cæteri consecrare non valent. Unde et Episcopus, et alii exponuntur periculo proferendi verba consecrationis super materiam indebitam, atque ideo et graviter peccandi : sicut plane peccaret, qui advertens hostiam esse ab alio consecratam, consecrare illam tentaret. Deinde sic agendo contingens est, quod non omnes consecrent utramque speciem : sed solus Episcopus consecret hostiam, si alios præveniat ; et alii e contra consecrent calicem, si præveniant Episcopum : unde consequenter eveniet, quod nemo eorum faciat, et offerat perfectum sacrificium. Quæ omnia sunt satis absurda. Unde Durandus in 4, dist. 13, quæst. 3, nu. 10, suffragantibus Angelo, et Gabriele censet hanc consuetudinem esse periculosam, et merito abolendam. Paludanus autem eodem loco, quæst. 4, Cajetanus in præs. artic 2, dubitant de convenientia talis consuetudinis. Richardus denique dist. cit. art. 2, quæst. 1, et quidam alii sentiunt in tali casu solum Episcopum consecrare, sacerdotes vero recenter ordinatos non consecrare, sed proferre verba consecrationis mere recitative, et materialiter, instructionis gratia. Sicut etiam quilibet eorum dicit, *Calicem salutaris accipiam etc. et sanguis, quam potavi* : et tamen nemo illorum calicem sumit.

Aliquorum judicia. Durand. Angel. Gabriel. Paludan. Caietan. Richard.

9. Verum enimvero quamvis hæc res olim non fuerit adeo certa ; hodie tamen minime potest in dubium revocari. Primum liquet : tum quia olim hæc consuetudo non erat universalis in tota Ecclesia catholica, sed solum in aliquibus Ecclesiis observabatur, ut satis evidenter significat D. Thomas in præs. artic. 2, in *Sed contra* dicens : «Secundum consuetudinem quarumdam « Ecclesiarum sacerdotes, cum de novo ordi« nantur, concelebrant Episcopo ordinan« ti. » Et rursus in corpore : « Et ideo se« cundum consuetudinem quarumdam Ec« clesiarum sicut Apostoli Christo cœnanti « concœnaverunt, ita novi ordinati Epis« copo ordinanti, concelebrant. » Nulla autem consuetudo particularium Ecclesiarum præstat efficax argumentum, sed sola consuetudo universalis Ecclesiæ. Tum etiam quia ipsum antiquum Pontificale Romanum innuebat sacerdotes recenter ordinatos non celebrare, nec consecrare, cum disponebat : « Dicant omnia, quæ sunt in « Missali, sicut si celebrarent. » Unde vetustiores Scholastici potuerunt de convenientia hujus consuetudinis dubitare, illam magis, aut minus probantes. Secundum etiam constat propter opposita motiva : quia modo universalis Ecclesia Romana habet hanc consuetudinem in ordinatione sacerdotum. Et Pontificale Romanum novum aperte significat omnes sacerdotes cum Episcopo ordinante celebrare, et consecrare, cum disponit : « Curet Pontifex, « ut morose, et alte canonem dicat. » Et rursus : « Eodem momento debent ab or« dinatis verba consecrationis dici, quo « dicuntur ab Episcopo. » Superflua autem foret tanta cura, si omnes simul non celebrarent, et consecrarent. Unde hodie non licet de convenientia talis consuetudinis dubitare, aut illam in aliquo reprehendere : sed magis curandum est Theologis illam exponere, atque tueri.

Resolutio. D. Tho. Rituale Romanum vetus. Rituale Romanum novum.

Quod diversimodo explicant, licet omnes conveniant in eo, quod cuncti consecrantes debeant suam intentionem ad idem instans consecrationis referre, ut docent Innocentius Tertius lib. 4, *de mysterio altaris*, cap. 25, et D. Thomas in hoc artic. 2, ubi ait :

Diversæ propositæ difficultatis dilutiones.

« Nec propter hoc iteratur consecratio, quia « sicut Innocentius Tertius dicit, omnium « intentio debet ferri ad idem instans con- « secrationis. » Et quidem Martinus de Ledesma, Valentia, et quidam alii dicunt referendam esse intentionem usque ad ultimum instans ejus, qui ex omnibus consecrantibus ultimus verba profert. Sed Paludanus docet referri debere ad ultimum instans, in quo solus Episcopus verba consecrationis absolvit. Unde vitatur inconveniens supra objectum : quia licet verba consecrationis prius ab aliquibus proferantur, tamen non operantur, nec effectum habent nisi in illo instanti, ad quod referuntur : et sic non fit consecratio super materiam præconsecratam. Sed explicatio ista est voluntaria, et insufficiens : quoniam verba consecrationis sunt practica, et efficiunt, quod significant ad instar causæ naturalis, quæ ablato obice operatur : ergo non stat in potestate consecrantis impedire, quod verba statim operentur, vel quod operentur in alio tempore, ad quod, cum profert verba, refert intentionem : alias per verba de præsenti prolata posset consecrare in anno sequenti, quod est ridiculum, et absurdum. Recurrere vero pro isto speciali casu ad miraculosam aliquam, et extraordinariam providentiam Dei suspendentis effectum consecrationis; nullum habet fundamentum ; sed magis procedit contra communes institutionis sacramenti regulas, quas Theologus in suis discursibus sumere debet.

Responsio Martini de Ledesma — *Et Paludani.* — *Refellitur.*

Quod vero Marchinus, Pasqualigus, et quidam alii significaverunt non requiri concursum metaphysicum omnium consecrationum in eodem instanti : sed sufficere concursum moralem, sive quod inter unam, et alteram consecrationem non sit longa mora, ut virtute omnium consecrationum fiat transsubstantiatio : eodem motivo efficaciter refellitur. Quoniam verba consecrationis efficiunt, quod significant : ergo in illo reali, et metaphysico memento, in quo absolvuntur, operantur transsubstantiationem : atque ideo si tunc non efficiunt, nec efficient in alia duratione, ad quam ex intentione referantur : comparantur enim per modum causæ naturalis, quæ ubi non reperit obicem, necessario agit et ubi non est causa, non agit. Accedit specialis ratio in efficiendo sacramentum Eucharistiæ, quæ non procedit in aliis (quorum exemplo se declarant illi Auctores) : nam in Baptismo v. g. requiritur applicatio materiæ, et formæ, ut fiat sacramentum operans suum effectum gratiæ regenerantis: ad unionem autem materiæ, et formæ sufficit concursus moralis, sive quod inter eas non detur considerabilis mora : sic enim adest moraliter totum signum causativum gratiæ, in quo propria ratio talis sacramenti consistit. Sed in nostro casu non requiritur usus ad consecrationem materiæ ; sed ubi forma supra materiam aptam (ut supponitur), profertur, statim fit consecratio, sive conversio materiæ in corpus, et sanguinem Christi. Idque magis confirmatur exemplo ejus, qui solus consecrat : nam ubi profert verba super panem, statim in ultimo prolationis momento fit transsubstantiatio, quin possit per ullam moram physicam, aut moralem ad aliud tempus differri : ergo idem continget, ubi plures consecrantes concurrunt: quod enim sint plures, est per accidens respectu cujuslibet consecrantis. Unde nec patroni hujus explicationis illam tueri valent, nisi recurrendo ad miraculum : quod tamen non esse admittendum jam diximus. Et Soto, qui hunc dicendi modum primus proposuerat in 4, distinctione 13, quæstione I, artic. 2, § *Sed profecto*, illum tandem ut insufficientem ibidem deseruit.

Solutio Marchini evertitur. — *Nota.*

10. Quare idem proponit, et præfert aliam explicatianem, nempe quod si ex omnibus in eo casu concurrentibus non omnes finiant consecrationis verba in eodem instanti ; ille solus consecrat, sive sit Episcopus, sive alius, qui primus verba consecrationis absolvit. Curare tamen debent sacerdotes cum Episcopo celebrantes, ut si nequeant syllabatim, et cum perfecta adæquatione cum Episcopo verba proferre; curent potius illa morosius, quam festinantius dicere, ut si aliquis consecraturus sit, et est profecto aliquis, (cum omnes intendant absolute consecrare), sit potius ipse Episcopus, quam cæteri : quia illum maxime decet, cum debeat sacrificium perficere utramque speciem sumendo. Nemo autem peccat proferendo verba super hostiam præconsecratam : quia omnes ignorant esse ab alio consecratam. Sed si quis adverteret alios jam absolvisse consecrationis verba, deberet ipse illa non continuare, sed cessare : quamvis practice loquendo tutum etiam sit illa absolvere cum intentione faciendi

Explicatio Soti.

faciendi, quod tunc intendit Ecclesia. Unde vitantur inconvenientia, quæ contra hanc consuetudinem supra objiciebantur. Ita rem declarat Soto, cui subscribunt Vasquez disp. 118, cap. 4, Gaspar Hurtado, Lugo, Amicus, Sfortia, Diana, et Caspensis, apud Pradum quæst. 82, dub. 2, num. 15.

Vazquez et alii.

Non probatur.

Nobis tamen hic dicendi modus non arridet : quia non tam vitat, aut excludit objecta inconvenientia, quam devorat. Quod enim ille non reputat inconveniens nempe in tali casu contingere, quod Episcopus principaliter celebrans, non consecret, si scilicet alius sacerdos prius verba consecrationis absolvat; absurdissimum apparet : tam quia Episcopus est principaliter celebrans, et alii concelebrantes:tum quia ipse Episcopus perficit sacramentum sumendo species. *Deinde* juxta prædictum dicendi modum contingens est, ut unus solus consecret panem, et alter solus consecret vinum, et alter denique, nempe Episcopus sumat utramque speciem: quæ est inordinata confusio in eodem sacrificio, ut de se liquet. *Præterea* malum ab intrinseco est proferre formam super indebitam materiam; ergo etiam est malum exponere se periculo proferendi formam super materiam indebitam : huic autem periculo manifeste se exponunt omnes simul celebrantes juxta hanc explicationem ; siquidem qui primus verba absolvit, ille consecrat, et cæteri supponunt materiam præconsecratam : ergo peccant ita se gerendo. *Item* quando necessitas obligat ad proferendum formam super materiam dubiam, obligamur etiam ad habendum intentionem non absolutam, sed conditionatam : et aliter nos gerentes peccaremus peccato sacrilegii. Unde si quis haberet coram se plures formulas non consecratas cum certitudine morali, quod una earum, quam non cognoscit, esset consecrata, minime posset habere intentionem omnes, et singulas consecrandi; sed deberet procedere cum intentione excludente illam formulam, vel cum intentione conditionata consecrandi formulas, si consecratæ non sunt, aut quæ consecratæ non sunt. Ergo pariter quando concurrunt plurimi sacerdotes ordinati ad consecrandum unam hostiam : cum multi eorum certi moraliter sint Episcopum, vel alium quem præconsecrasse;nequeunt sine sacrilegio habere intentionem absolutam consecrandi. *Denique* quod maxime displicet in hoc dicendi modo, est manifesta oppositio cum D. Thoma, et cum Innocentio Tertio, qui docent omnes tunc consecrantes debere suas intentiones referre ad idem instans consecrationis : quod prædicta sententia minime salvat : cum dicat omnes debere habere intentionem absolutam in consecrando, ita ut ille solus consecret, qui primus finiat verba consecrationis.

Legitima concordia.

Victoria. Ledesm. Nugnus. Serra. Suarez. N. Fran.

11. Relictis ergo his, et aliis dicendi modis, ille facilior, probabilior, et longe communior est, quem docent Victoria in *Summa, de Eucharistia*, numero 88, Petrus de Ledesma capite 9, conclusio 2, Nugnus, et Serra in præsenti articulo 2, Suarez disputatione 61, sectione 4, Coninckus, Filliucius, Villalobos, Castro Palao, et Dicastillo, quos refert, et sequitur Noster Franciscus capite 9, puncto 1, numero 5, Trullench, Granados, Tannerus, Martinus Præpositus, Aversa, Bernal, et alii communiter apud Pradum loco supra citato numero 13 ; statuit itaque ista sententia duo : primum omnes noviter ordinatos debere habere intentionem proferendi verba consecrationis juxta voluntatem Ecclesiæ; sive, et in idem recidit, proferendi illa verba meliori modo, et via, quibus fieri conveniat. Secundum hujusmodi sacerdotes debere habere intentionem consecrandi panem tunc præcise, quando simul cum Episcopo absolvant verba consecrationis in eodem momento ; secus autem, si vel ante, vel post illum absolvant nam si hoc posterius contingat, solum intendunt talia verba proferre instructionis, et cæremoniæ gratia. Unde prædicta sacerdotum consecratio imbibit intentionem conditionatam ex parte objecti conficiendi sacramenti, ubi simul cum consecratione Episcopi in eodem momento finitur ; secus si non ita absolvatur. Et rationabiliter adhibetur hæc conditio, ut in aliis rebus dubiis solet, ad evitandum scilicet proposita inconvenientia. Vitantur autem juxta hunc dicendi modum omnia, quæ opposuimus. Nam in primis salvatur, quod Episcopus, qui est principaliter celebrans, semper consecret : siquidem non aliter alii intendunt consecrare,quam si finiant simul cum Episcopo consecrationem : unde nullus prævenit effectum. Deinde nemo exponitur periculo proferendi verba consecrationis super materiam indebitam : quia nemo illam consecrare intendit, si absolvat post

Episcopum, et inveniat materiam ab illo præconsecratam. Dicere autem illa verba solius instructionis gratia, quod est dicere materialiter, et recitative, nullum est absurdum : præsertim ubi fit cum debita cautela, et reverentia ad observandum ritum Ecclesiæ. Hoc itaque modo se debent habere sacerdotes noviter ordinati in consecratione panis. Et hoc etiam modo debent se proportionabiliter habere in consecratione calicis, nisi quod ulterius debent procedere sub alia conditione, nempe quod prius consecraverint panem ; sive non consecrandi calicem, licet simul finiant cum Episcopo, si prius panem non consecraverint. Sic enim vitatur inconveniens, quod calix consecretur ab eo, qui non consecraverat panem. Quod si alicui videatur absurdum procedere sub tot conditionibus; advertat tum illas esse necessarias ad congruentius observandum hanc Ecclesiæ consuetudinem : tum non esse necessarias explicite, ut quidam scrupulosus imaginari posset, sed sufficere pro implicito in illa una expressa intentione faciendi juxta voluntatem Ecclesiæ meliori modo, quo possit. Nec alia argumenta contra hunc dicendi modum occurrunt, quibus opus sit satisfacere : præsertim cum illud vulgatum de dependentia unius effectus a pluribus causis ejusdem ordinis, militet etiam in aliis explicationibus, et dicendi modis, et dilutum a nobis fuerit loco supra citato.

Nota.

DUBIUM III.

Utrum sacerdos teneatur aliquando celebrare?

Hic etiam actus pertinet ad ministrum hujus sacramenti quantum ad ejus consecrationem : unde præmittendus est aliis, qui ad ipsius dispensationem spectant. Sensus autem tituli est formalis, nempe de sacerdote quatenus tali, sive attento præcise titulo ordinationis : nam quod parochus, capellanus, et religiosus juxta statuta suæ religionis celebrare debeant, evidentius est, ut possit in dubium revocari. In hoc itaque sensu,

§ I.

Sententia affirmans præfertur, et duabus assertionibus explicatur.

12. Dicendum est primo sacerdotes obligari ad aliquando celebrandum. Hanc conclusionem sub hac generalitate propositam docet D. Thom. in ista quæstione articulo 10, resolvens : « Unde sacerdoti, etiamsi « non habeat curam animarum, non licet « omnino a celebratione cessare. » Et idem tuentur omnes ejus discipuli, et alii Auctores, quos dabimus numero 15 et 17. Probatur discursu D. Thomæ in hoc articulo ubi ait : « Quidam dixerunt, quod sacerdos « potest omnino a consecratione licite abs- « tinere, nisi teneatur ex cura sibi com- « missa celebrare populo, et sacramenta « præbere. Sed hoc irrationabiliter » (notandum est verbum in modestissimo Doctore) « dicitur : quia unusquisque tenetur « uti gratia sibi data, cum fuerit opportu- « num, secundum illud 2 ad Corinth. 6 : « Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei « recipiatis. Opportunitas autem sacrifi- « cium offerendi non solum attenditur per « comparationem ad fideles Christi, quibus « oportet sacramenta ministrari, sed prin- « cipaliter per comparationem ad Deum, « cui consecrationis hujus sacramenti sa- « crificium offertur. Unde sacerdoti, etiam « si non habeat curam animarum, non « licet omnino a celebratione cessare. »

Conclusio. D. Tho. Ratio D. Thomæ.

13. Nec refert, si dicatur principia, quibus utitur Divus Thomas ad evincendum hanc conclusionem, esse incerta, et falsa : nam ex eo, quod aliquis habeat aliquam gratiam, aut donum, non obligatur illis uti ; et subinde licet illis non utatur, non peccat, ut patet tum in naturalibus, ubi ex eo, quod quis habeat potentiam operativam, solum sequitur, quod possit operari, non autem quod obligetur operari : tum etiam in politicis, ubi etsi aliquis gaudeat aliquo privilegio, minime propterea tenetur illo uti. Unde consequens videtur, quod quamvis sacerdos habeat hanc gratiam, sive donum, ut celebrare queat, non obligetur ideo ad aliquando celebrandum. Rursus quod ad sacrificium attinet, quamvis sacerdos obligetur Deo aliquando offerre sacrificium (istud namque est de lege naturali), nihilominus huic obligationi satis videtur facere audiendo Missam alterius sacerdotis :

Objectio

tis : sicut generaliter omnes fideles tenentur præcepto naturali sacrificium offerre Deo, cui obligationi satisfaciunt audiendo Missam, et offerendo sacrificium cum celebrante, juxta illud, quod sacerdos in Missa dicit, *Orate fratres, ut meum, ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum, etc.*

Everti-tur. Id, inquam, non refert, sed procedit ex non intelligentia rationis Divi Thomæ. Pro cujus majori luce sufficit vel insinuare duo principia clarissima, et satis certa. Primum unumquemque assumentem aliquod officium, seu munus obligari naturali jure ad ejus actus, sive executionem : atque ideo peccare, si tales actus, sive executionem omittat : quippe in hoc intervenit aliqua inordinatio, quæ semper in moralibus aliquod peccatum est. Secundum propriissimum officium, seu munus sacerdotis esse offerre Deo sacrificium, per quod nomine communitatis Deum supremum omnium bonorum principium recognoscat, et colat : est enim sacerdos ex propria consecratione mediator inter Deum, et homines ad exercendum hujusmodi actum. Et talis actus pro præsenti statu legis Evangelicæ non exercetur, nisi in celebratione Missæ; quippe in hoc statu aliud sacrificium non est. Hinc ergo patet discursum D. Thomæ esse demonstrativum : nam unusquisque obligatur exercere actus proprii officii : sed præcipuus actus officii sacerdotum in lege Evangelica est celebrare Missam : ergo sacerdotes nostri obligantur Missam aliquando celebrare : et si id omnino omittant, nequeunt non peccare. Qui discursus procedit per se, et attenta præcisa obligatione muneris sacerdotalis. Unde dispelluntur objecta : nam licet quis non obligetur uti vel potentia naturali, vel privilegio, seclusa obligatione specialis officii, ad quod teneatur : nihilominus si officium habeat, pro cujus executione necessarium sit uti potentia, vel privilegio ad prædictorum usum obligatur ex suppositione officii, ut patet in prælatis, qui sæpe obligantur in conscientia uti privilegiis, quibus gaudent, ut bono communitatis, vel alicujus subditi consulant. Quod vero dicitur de auditione Missæ, et oblatione sacrificii per alium, ridiculum est : quia officium sacerdotis non consistit in hoc, quod est vel laicis commune ; sed in eo, quod offerat sacrificium celebrando per se ipsum : ad id enim consecratur impressione specialis characteris.

14. Sed oppones ; quia etiam pertinet ad officium sacerdotis conficere alia sacramenta pœnitentiæ, et extremæ-unctionis : et tamen ex eo, quod non conficiat ista sacramenta, non peccat, excepto casu gravis necessitatis proximi, cui aliter, aut per alium ministrum subveniri non possit : ergo idem in nostro casu dicendum est : atque ideo ex eo, quod sacerdos ex vi sui officii possit celebrare, minime sequitur obligari ad aliquando celebrandum, et peccare, si non celebret. Objectio.

Convellitur. Respondetur negando utramque consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod efficientia, et applicatio aliorum sacramentorum consistit in usu respectu subditorum : petit enim non solum potestatem ordinis, sed etiam jurisdictionem : unde si quis nolit aliorum curam habere, nec istud officium assumere, non peccat, quamvis alia sacramenta non administret : quippe non omittit aliquid debitum. Cæterum ad officium sacerdotis pertinet absolute, id est, non alia suppositione facta, quam ipsius sacerdotii, quod offerat sacrificium : ad id enim per se primo ordinatur, et consecratur. Quare sive habeat subditos, sive non, obligatur ex officio aliquando celebrare, et nunquam celebrando peccat. Præsertim cum obligatio attendatur principaliter in ordine ad Deum, cujus cultum exequitur sacerdos oblatione sacrificii pro tota communitate. Quam differentiam optime tradidit Divus Thomas loco citato ad 1, his verbis : « Dicendum, quod alia « sacramenta perficiuntur in usu fidelium. « Et ideo in aliis ministrare non tenetur, « nisi ille, qui super fideles suscipit curam. « Sed hoc sacramentum perficitur in con« secratione Eucharistiæ, in qua sacrifi« cium Deo offertur, ad quod sacerdos « obligatur Deo ex ordine jam suscepto. » D. Tho. Unde exemplum in contrarium allatum debet retorqueri, ut magis nostræ assertioni, et motivo Divi Thomæ deserviat : quoniam sacerdos non minus obligatur ex officio ad sacrificandum, quam pastor ad pascendum : sed qui assumit officium pastoris, ut se habent omnes Parochi, obligatur ex officio ad pascendum subditos, ministrando illis sacramenta; et si non ministraret, peccaret : ergo sacerdos ex officio obligatur aliquando sacrificare ; et si longo tempore non offerat sacrificium, peccat.

15. Dicendum est secundo sacerdotem,

Alia conclusio. qui longo tempore non celebrat, cum possit, peccare mortaliter. Ita manifeste colligitur ex D.Thom.ut statim expendemus.Cui unanimiter (uno Cajetano excepto) subscribunt discipuli, ut testatur Nugnus in præs. art. 10. addens nostram assertionem sibi tam certam esse, ut contraria sententia sit improbabilis. Soto in 4, dist. 13, quæst. 1, art. 10, Paludanus ibidem quæst. 2, D. Antoninus 3 part. tit. 13, cap. 16, § 12, Petrus de Soto lect. 13, *de Eucharistia*, circa finem, Silvester verbo Missa 1, §. 7, Prado in præs. dub. 7, § 2, dicens esse communem sententiam Theologorum.Idem etiam tuentur Durandus in. 4, dist. 13, quæst. 2, Richardus ibi art. 1, quæst. 2, Major quæst. 5, Angelus verbo *Missa*, num. 44, Navarrus cap. 25, num. 88, Vazquez disp. 232, cap. 1, Valentia quæst. 10, punct. 8, Henriquez cap. 23, § 2, et alii plures, quos prolixum esset referre. Videatur Aversa, qui pro hac assertione (quam et ipse tuetur) refert non minus, quam viginti tres Doctores. Quamvis autem Nugnus loco citato illam probet sex fundamentis, sive argumentis; nulla tamen ratio urgentior est, quam jam proposita ex D. Thoma, et quæ ad brevem formam reducitur : nam peccatum in materia de se gravi, et graviter illam violans est peccatum grave, sive mortale, ut inductive potest ostendi : sed sacerdos, qui cum possit, longo tempore non celebrat, peccat in materia de se gravi, et graviter illam violat : ergo sacerdos ita se gerens peccat graviter, sive mortaliter. Cætera constant. Et minor quantum ad illam partem, quod sacerdos ita se habens peccet, constat ex præced. assertione, et non negatur ab Adversariis. Quod autem illud peccatum sit in materia de se gravi, facile ostenditur ; cum sit in materia celebrationis, et oblationis sacrificii Missæ, ad quam sacerdos ex suo officio principaliter obligatur. Denique quod sit violatio gravis, liquet : nam loquimur de eo, qui per longum tempus celebrationem, ad quam ex officio tenetur, omittit. Idque magis constat ex eo, quod Summus Pontifex in cap. *Dolentes de celebratione Missarum*, maxime dolet, quod sacerdotes raro celebrabant. Et Concil. Trident. Concil. Trident. sess. 23, cap. 14, de reformatione disponit in hunc modum. « Curet « Episcopus, ut sacerdotes saltem in die- « bus Dominicis, et festis solemnibus Mis- « sam celebrent; si autem habuerint curam « animarum, tam frequenter, ut suo mu- « neri satisfaciant. » Porro D. Thomas D. Tho. ponderat oppositam aliquorum sacerdotum in hac parte socordiam illis verbis : « Et « hinc est, quod 2 Machab. 4, contra quos- « dam sacerdotes dicitur, quod jam non « circa altaris curam dediti erant, con- « tempto templo, et sacrificiis neglectis. » Et in *Sed contra* expendit ad hunc finem testimonium D. Ambrosii : « Grave est, « quod ad mensam tuam mundo corde, et « manibus innocentibus non venimus : sed « gravius est si dum peccata metuimus, « etiam sacrificium non reddamus. » Dolor autem, cura, et ponderatio, quæ Pontifex, Concilium, et D. Thomas repræsentant, non solet applicari rebus levioris momenti, in quibus per se loquendo solum venialiter delinquitur. Ergo materia hæc est gravis, et diuturna ejus omissio, et jam est gravis, in materia gravi, transgressio.

Confirmatur urgenter : quia sacerdotes Confirtio. tenentur divino præcepto ad celebrandum : ergo si longo tempore non celebrent, peccant mortaliter. Probatur consequentia : quia licet tale præceptum sit positivum, et non obliget semper, obligat tamen ad aliquando celebrandum : sicut communiter dicitur de præceptis virtutum theologalium : quare sicut peccat mortaliter, qui longo tempore non elicit ullum harum virtutum actum, sic etiam sacerdos, qui longo tempore non celebrat. Antecedens autem constat ex verbis Christi Domini Luc. 22: *Hoc* Lucæ 22 *facite in meam commemorationem* : quæ continere præceptum, et dirigi ad sacerdotes declaravit Concilium Tridentinum sess. 22, Concil. Trident. cap. 1, dicens : « Ac sub earundem rerum « symbolis, Apostolis, quos tunc novi tes- « tamenti sacerdotes constituebat, et eis- « dem, eorundemque in sacerdotio succes- « soribus, ut offerrent, præcepit per hæc « verba, Hoc facite in meam commemora- « tionem : uti semper catholica Ecclesia « intellexit, et docuit. » Et conformiter ad hanc doctrinam diffinivit can. 2, ejusdem sess. « Si quis dixerit illis verbis, Hoc fa- « cite in meam commemorationem Chris- « tum non instituisse Apostolos sacerdotes, « aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacer- « dotes offerrent corpus, et sanguinem « suum ; anathema sit. » Tenentur igitur sacerdotes divino præcepto ad celebrandum. Quod motivum proposuerat D. Thom. in 4, dist. 13, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. D. Tho. 1, ad

1, ad 2, his verbis: « Sacerdos, etiam si « nulli homini teneatur; tamen tenetur « Deo, ut reddat ei sacrificium acceptum : « sacerdotibus enim præceptum est, Hoc « facite in meam commemorationem. »

Quantum tempus repute-tur lon-gum in hac ma-teria? 16. Quantum autem tempus censeri debeat longum, ut sacerdos in eo non celebrans peccet graviter, non est facile diffinire. Conveniunt autem omnes illum non teneri ad celebrandum quotidie, nec ad celebrandum regulariter : (quamvis hoc esset optimum consilium:) quia non occurrit, nec præsumi debet præceptum adeo rigorosum: et plures sunt sacerdotes docti, et timoratæ conscientiæ, qui non ita frequenter celebrant. Conveniunt etiam in eo, quod spatium unius anni sit satis longum, et notabile juxta qualitatem materiæ, ut exemplo confessionis, et communionis omnium fidelium satis declaratur. Quoties autem intra eundem annum debeat sacerdos celebrare, ne graviter sua omissione peccet, non certo constat, D. Thomas in hoc art. inquit: « Sed saltem videtur, quod « celebrare teneatur in præcipuis festis, et maxime in illis diebus, in quibus fide- « les communicare consueverunt. » In quibus verbis omnes notant S. Doctorem non significare illas præcise dies, in quibus fideles communicant ex præcepto Ecclesiæ juxta dicta disp. præced. dub. 4, § 2; sed loquimur etiam de diebus aliis multum solemnibus, in quibus regulariter loquendo fideles timoratæ conscientiæ communicant, ut experientia liqnet. Unde licet aliquis sacerdos tempore Paschali non celebraret, posset a peccato gravi excusari celebrando in aliis diebus, aut festivitatibus anni. Et Soto ubi supra censet, quod huic obligationi satisfacit, qui ter, vel quater in anno celebrat; secus autem qui nec his vicibus: quia Pontifex in cap. *Dolentes* supra allegato reprehendit eos sacerdotes, qui vix celebrant quater in anno. Nugnus vero censet: quod quilibet sacerdos debet celebrare duodecim saltem vicibus in singulis annis, ut secure huic obligationi occurrat, alias eidem minime satisfacturus. Idque satis cohærens videtur resolutioni D. Thomæ: nam fideles timoratæ conscientiæ, licet ordinariæ virtutis, solent singulis mensibus satis regulariter communicare. Sed tamen probabilem censemus sententiam Soti, licet mitiorem : quia ad asserendum gravem obligationem requiritur urgens, et certum fundamentum : quod tamen nobis non occurrit ad obligationem celebrandi omnibus diebus, a Nugno assignatis.

Thom.

Soto.

Nugnus

Causæ excusantes ex D. Tho. Recenset autem D. Thomas plures causas, ob quas sacerdos excusatur a peccato non celebrandi, alias quidem naturales, alias vero morales. Nam de naturalibus inquit in resp. ad 3: « Debilitas, vel ægritu- « do superveniens ordini sacerdotali ordi- « nem non tollit: executionem tamen ordi- « nis tollit quantum ad consecrationem « Eucharistiæ. Quandoque quidem propter « impossibilitatem executionis , sicut si « privetur oculis, aut digitis, aut usu lin- « guæ. Quandoque autem propter pericu- « lum, sicut patet de eo, qui patitur mor- « bum caducum, vel etiam quamcumque « alienationem mentis. Quandoque prop- « ter abominationem, sicut patet de lepro- « so, qui non debet publice celebrare. Po- « test tamen Missam dicere, occulte, nisi « lepra adeo invaluerit, quod per corro- « sionem membrorum eum ad hoc reddi- « derit impotentem. » De impedimentis autem moralibus inquit in resp. ad 2: « Sacerdos peccator, si per sententiam Ec- « clesiæ sit executione ordinis privatus, « vel simpliciter, vel ad tempus, redditus « est impotens ad sacrificium offerendum: « et ideo obligatio tollitur. Hoc autem ce- « dit sibi in detrimentum spiritualis fruc- « tus, magis quam in emolumentum. Si « vero sit privatus potestate celebrandi « non solvitur obligatio. Nec tamen per- « fectus est : quia potest de peccato pœni- « tere, et celebrare. » Ex quibus ultimis verbis constat sacerdotem, qui ideo non celebrat in diebus, in quibus celebrare debet juxta doctrinam supra traditam peccare tunc de novo : quia impotentia celebrandi in sensu composito status peccati est simpliciter consequens, et voluntaria; cum possit miserum illum statum deponere, et celebrare. Et idem censemus de eo, qui celebrare nequit ob excommunicationem, vel sententiam Ecclesiæ, si negligens sit in procurando absolutionem : quia etiam illa impotentia est consequens, et voluntaria ; siquidem excludi valet per oppositam diligentiam.

§ II.

Satisfit argumentis sententiæ secundæ conclusioni adversantis.

Alensis. D. Bon. Palac. Gabriel. Rosella. N. Ant. Caietan. Suarez.

17. Quamvis nullum Auctorem viderimus, qui sacerdotem longo tempore non celebrantem excuset ab omni culpa saltem veniali; aliqui tamen negant, quod ad celebrandum obligetur sub reatu peccati mortalis: unde docent sacerdotem, qui suo tempore suscipit communionem, sicut et laici, quamvis nunquam celebret, solum committere veniale peccatum negligentiæ contra fervorem charitatis. Ita Alensis 4 part. quæst. 51, membro 2, D. Bonaventura in 4, dist. 12, par. 2, art. 2, quæst. 2, Palacios ibid. disp. 2, Gabriel lect. 87, super can. Missæ. Summa Rosella verbo *Eucharistia* 3, num. 36, Antonius a Spiritu Sancto consult. 31, n. 4, licet num. 8, fateatur contrariam sententiam esse communiorem, et securiorem, et alii, cum quibus sentit Cajetanus in præs. art. 10. Et in eandem sententiam multum inclinat Suarez disp. 80 sect. 1, § *Hæc res dubia*, ubi docet, quod licet nostra sententia sit magis pia, securior, atque in praxi consulenda, ut magis consentanea rationi; nihilominus non possit negari, quin hæc etiam sit probabilis; ita ut qui se illi practice conformaverit, a peccato mortali excusari queat. Et similiter censet Granados tract. 14, disp. 10, num. 1. Pro qua sententia potest argui primo ab exemplo aliquorum Sanctorum, et Monachorum, qui cum ordinati fuissent sacerdotes, nunquam sacrificaverunt, ut legitur in vitis Patrum lib. 3, n. 188, et lib. 5, n. 27, et lib. 7, cap. 33, n. 3; non est autem credibile, quod ita se gerentes peccaverint mortaliter: ergo sacerdotes non obligantur sub reatu peccati mortalis aliquando celebrare.

Granad. — Primum argumentum.

Solvitur.

Hoc tamen argumentum excessive probat, et ab hujus etiam sententiæ Auctoribus diluendum est: nam quod in exemplum affertur ex factis Sanctorum, debet esse aliquid laudabile, quod proinde nullum peccatum sit: ergo si aliquid probat propositum exemplum, suadebit, quod sacerdotem nunquam celebrare nullum sit peccatum adhuc veniale: id vero nec isti Auctores dicunt, qui cum communi sententia recognoscunt peccare (saltem venialiter) eum sacerdotem, qui nunquam aut raro celebrat. Respondemus igitur id non debere in exemplum adduci: nam aliqua solent sancti interdum operari ex speciali Spiritus sancti instincta præter communes leges: quæ tamen nobis imitanda non sunt. Unde D. Thom. loco supra cit. ex 4, sentent. addidit: « Nisi sorte aliquis ex familiari Spi« ritus Sancti instinctu celebrare dimittat; « sicut legitur de quodam S. Patre in vitis « Patrum, qui ordinatus nunquam postea « celebravit. »

D. Thom.

Secundum argumentum.

18. Arguitur secundo: quia non est assignabile præceptum graviter obligans sacerdotes ad aliquando celebrandum: ergo quod nunquam celebrent, non est peccatum mortale. Consequentia patet: quia ubi non est lex, nequit esse prævaricatio. Antecedens autem probatur: quia tale præceptum nequit esse naturale: quippe non apparet, quomodo obligatio adeo gravis consequatur immediate ex natura ordinationis in sacerdotem, usus enim potestatis acceptæ est accidentalis, sive non necessario consequens ad talem potestatem. Rursus tale præceptum non est divinum: nam quod supra expendimus de verbis Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, potest facile, et commode explicari de communitate: ita quod pontifices Ecclesiæ debeant curare, quod sacrificium Missæ in Ecclesiis, præsertim principalioribus celebretur: non tamen quod quilibet in particulari sacerdos debeat illud aliquando offerre. Denique non est præceptum ecclesiasticum: quia in toto jure ecclesiastico simile præceptum non invenitur.

Confirmatio.

Confirmatur: nam Ecclesia salubriter determinavit præcepta confessionis, et communionis ad certa tempora, quia erant jure divino imposita in communi; ut scilicet cognoscerent fideles, quando teneantur hæc sacramenta suscipere, et sic vitetur ignorantia, atque confusio. Sed Ecclesia minime adhuc determinavit tempus celebrandi pro simplicibus sacerdotibus: nec hanc determinationem assignare possumus. Ergo signum est, quod non datur præceptum divinum obligans sacerdotes ad aliquando celebrandum. Aliter enim Ecclesia minus recte, et satis negligenter se gereret non determinando tempora celebrationis.

Satisfit argumento.

Ad argumentum negatur antecedens. Et ad probationem constat ex dictis numero 13, hoc præceptum esse naturale: nam fundatur in proprietate officii Sacerdotis, qui

qui ad hoc per se primo ordinatur, ut offerat Deo sacrificium. Constat etiam ex dictis numero 15 hujusmodi præceptum esse divinum propter verba Christi, *Hoc facite*. Et expositio, quam argumentum affert, est violenta : quia Christus singulis Apostolis, et eorum in sacerdotio successoribus dixit, *Hoc facite*. Unde sicut præceptum divinum communicandi obligat non solum communitatem, sed etiam singulos fideles : sic etiam præceptum faciendi, et offerendi sacrificium obligat non tantum communitatem, sed etiam singulos sacerdotes. Constat denique ex dictis numero 15, Ecclesiam satis aperte supponere præceptum, et obligationem celebrandi in Sacerdotibus : siquidem maxime dolet, quad raro celebrent, et diligentiam Episcoporum excitat, ut curent, quod simplices etiam Sacerdotes celebrent diebus Dominicis, et festis solemnibus.

Diruitur confirmatio. Ad confirmationem respondetur primo negando consequentiam : non enim semper, et in omni materia oportet, quod Ecclesia determinet præcepta divina in communi posita, ut patet in præceptis fidei, spei, et charitatis. Ratio autem disparitatis inter præcepta confessionis, et communionis, et præceptum celebrationis est, quod priora illa præcepta sunt respectu totius multitudinis ignorantis, et negligentis : quam opus fuit quasi compelli ad observandum ea præcepta certis temporibus per determinationem Ecclesiæ. Sed præceptum celebrandi imponitur solis sacerdotibus, qui pauciores sunt, et debent esse sapientes ad cognoscendum tempora suæ obligationis, et diligentes, ut ei satisfaciant. Respondetur secundo negando minorem : quia licet Ecclesia non determinaverit materialiter hunc diem, aut mensem ad celebrandum : nihilominus satis determinate explicat celebrationem non debere longo tempore differri. Nam Pontifex in cap. *Dolentes* reprehendit eos sacerdotes, qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno : et Episcopi ex dispositione Concilii Tridentini curare debent, ut sacerdotes simplices celebrent diebus saltem Dominicis, et in aliis festivitatibus. Quæ est sufficiens determinatio negativa pro qualitate materiæ, ne scilicet sacerdotes diu differant celebrare.

Tertium argumentum. 19. Arguitur tertio : nam sacramentum Eucharistiæ ordinatur ad perseverandum in gratia, ut diximus disp. 10, dub. 1, § 8. Sed sacerdos potest perseverare in gratia, si utatur medio communionis, licet non celebret : ergo sacerdos non tenetur celebrare; et subinde non peccat graviter, licet celebrationem omittat. Ad hoc tamen facile constat ex dictis : sacerdos enim, quatenus fidelis tenetur communicare; sed quatenus sacerdos, tenetur sacrificare. Unde licet priori obligationi possit satisfacere communicando more omnium aliorum fidelium : nihilominus secundæ obligationi per se loquendo occurrere non valet, nisi sacrificando. Quare negamus absolute minorem : quia ut sacerdos perseveret in gratia, debet unam, et alteram obligationem exequi : aliter enim peccat graviter, et gratiam amittit. **Solvitur.**

Quartum argumentum. 20. Arguitur quarto : quia homo non tenetur ad res magnæ excellentiæ : qua de causa nemo debet Episcopatum appetere : sed conficere Eucharistiam est magnæ excellentiæ, et dignitatis : ergo nullus sacerdos tenetur hoc sacramentum conficere, vel sacrificium offerre. Ex qua radice, nempe ex magna humilitate forte provenit, quod aliqui sacerdotes noluerint unquam sacrificare, ut vidimus numero 17. Sed hoc etiam facile dispellitur : nam si quid probat, evinceret nullum esse peccatum, quod sacerdos nunquam celebret; nec enim peccamus non appetendo res magnæ dignitatis : at quod sacerdotem nunquam celebrare sit aliquod peccatum (saltem leve,) nemo est, qui neget. Probaret etiam, (quod absurdius adhuc est,) sacerdotem peccare celebrando : quia peccatum aliquod esse solet appetere res maximæ excellentiæ: qua de causa minime consulimus appetere Episcopatum. Dicendum itaque est, quod licet celebrare hoc sacrificium sit dignitas valde magna; est tamen valde communis : et quamvis requirat proprietatem ordinis, nihilominus non exposcit necessario perfectionem, sicut in Episcopatu contingit. Quare nulla est inordinatio, nulla præsumptio, quod sacerdos appetat celebrare, et celebret, ut suo munere satisfaciat ex suppositione, quod in ordinatione assumpserit officium, ac perinde obligationem sacrificandi. Et ad id, quod additur de sacerdotibus aliquibus sanctis nunquam celebrantibus, jam diximus loco citato. **Diruitur**

DUBIUM IV.

Quis sit minister hujus sacramenti quantum ad dispensationem.

Absolutis his, quæ pertinebant ad considerationem ministri conficientis hoc sacramentum, succedit, ut dicamus de ministro illud ministrante, seu dispensante. Nota. Dupliciter autem intelligi potest, quod aliquis ministret : uno modo ex officio, altero modo ex commissione, et jussu alterius. Et rursus de pluribus personis quantum ad hujus sacramenti administrationem dubitari potest, utputa de sacerdote, de diacono, de subdiacono, clericis minoribus, et laicis : de quibus eodem ordine dicemus.

§ I.

Quid dicendum de sacerdote ?

Conclusio. 21. Dicendum est primo sacerdotem esse ministrum ex officio ad dispensandum hoc sacramentum. D. Tho. N. Fran. Ita Div. Thomas in præsenti art. 3, cum quo sentiunt communiter omnes, ut superfluum sit eos referre : et plures videri possunt apud Nostrum Franciscum cap. 9, puncto 1, num. 7. Fundamentum ex Concil. Trident. Probatur primo ex Concilio Tridentino sessio. 13, capit. 8, ubi assertionem nostram satis evidenter significat his verbis : « In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent : qui mos tanquam ex traditione Apostolica descendens, jure, ac merito retineri debet. » Ratio. Deinde probatur ratione : quia aliquis minister assignari debet, qui sacramentum Eucharistiæ ex proprio officio ministret : sed nullus alius magis convenienter assignari valet, quam sacerdos : hic igitur est minister ex officio ad dispensationem Eucharistiæ. Minorem luculenter probat D. Thomas in præs. art. 3, D. Tho. his verbis : « Primo quidem, quia sicut dictum est in art. 1 hujus quæst. sacerdos consecrat in persona Christi. Ipse autem Christus sicut consecravit corpus suum in Cœna, ita, et aliis sumendum dedit. Unde sicut ad sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio. » Secundo, « quia sacerdos constituitur medius inter Deum, et populum. Unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre; ita ad eum pertinent dona sanctificata divinitus populo tradere. » Tertio, « quia in reverentiam hujus sacramenti a nulla re contingitur, nisi consecrata : unde corporale, et calix consecrantur, et similiter manus sacerdotis ad tangendum hoc sacramentum. Unde nulli alii tangere licet, nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in aliquo alio necessitatis casu. » Hæc S. Doctor, quibus addere non oportet.

22. Sed oportet observare, quod etsi sacerdos ex propria consecratione habeat potestatem ordinis ad ministrandum hoc sacramentum; nihilominus ut illud licite dispenset, eget insuper potestate jurisdictionis ordinaria, vel delegata. Requisita ad licitam administrationem. Ordinariam habent pastores, sive superiores, ut Papa in tota Ecclesia. Episcopus in sua Diœcesi, et Parochus in sua Parochia. Delegatam vero, et extraordinariam habent illi, quibus a superioribus demandata : uti de facto per bullas Pontificias habent omnes Religiosi Mendicantes ad dispensandum Eucharistiam in suis Ecclesiis, excepto die Paschatis, et in articulo mortis. Porro aliquam ex his jurisdictionibus requiri, ut quis licite ministret Eucharistiam, certo constat : quia pascere oves pertinet ad pastorem : sed qui aliis Eucharistiam dispensat, illos spiritualiter pascit : ergo debet vel esse pastor habens jurisdictionem ordinariam, vel esse delegatus pastoris, habens jurisdictionem delegatam : atque ideo peccat, si aliter Eucharistiam ministret. Et quidem graviter peccat : quia in re gravi usurpat, et invadit officium pastoris, ut sumitur ex Concilio Carthaginensi Primo, capit. 7, et Milevitano Can. 18, Concilia. et expendit Vazquez disputatione 219, capit. 2. Vazq. Quin si Religiosus fuerit, qui ministrat, incurrit etiam ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, ut decernitur in Clementina *Religiosi*, de privilegiis.

Circa quod duo adhuc notanda sunt. Primum est, Nota. 1 quod licet ad ministrandum sacramentum Eucharistiæ requiratur aliqua jurisdictio, sicut, et ad ministrandum sacramentum pœnitentiæ : nihilominus ad illius administrationem non requiritur approbatio Ordinarii ; cum sit necessaria ad ministrationem istius. Ratio autem disparitatis

disparitatis est : quia in sacerdote ministrante sacramentum pœnitentiæ requiritur tum scientia ad cognoscendum, et discernendum peccata, tum probitas vitæ ob intimam communicationem cum pœnitentibus: de quibus oportet Ordinarium cognoscere, et sic ministrum talis sacramenti approbare. Quæ necessitas non occurrit in ministro Eucharistiæ : supposita enim hujus consecratione, ejus ministratio has difficultates non habet. Quare simplices sacerdotes absque ulla Ordinarii approbatione, sed cum commissione Parochorum possunt sacramentum Eucharistiæ administrare. Et ita fit, ut patet ex praxi. Secundum est, quod quamvis ad hoc quod sacerdotes simplices ministrent licite Eucharistiam, requiratur licentia pastorum ; nihilominus ad id sufficit licentia rationabiliter præsumpta , eaque tunc adest, quando probabiliter judicant ingratum non fore pastoribus, quod eorum ovibus alii ministrent hoc sacramentum. Et ita usu communi receptum videtur : nam fideles solent rogare sacerdotem celebrantem, quicumque ille sit, ut formulas ad communionem apponat, quin solent illas ad sacerdotem jam in altari positum deferre suas deinde consecratas sacerdos fidelibus ministrat absque ullo scrupulo, aut investigatione circa consensum pastoris : quia probabiliter judicat illum consentire, et approbare. Et ita communiter præsumendum est de omnibus communionibus, quæ non fiunt ex obligatione, ut contingit tempore Paschatis, et mortis ; sed ex mera devotione, aliis temporibus fiunt : quia in his pastor nullum detrimentum vel utilitatis, patitur ; quin gaudere debet, quod oves vel de aliena manu supererogatorie communicent. Si autem expresse contradiceret (quod absolute valet,) non posset simplex sacerdos contra ejus voluntatem administrare. Et sic docent communiter Auctores, quos refert, et sequitur Noster Franciscus ubi supra puncto 2, numero 13. Videantur etiam Leander tract. 7, disput. 4, quæst. 3, et Prado dub. 4, a numero 3.

(Nota 2.) (N. Fran. Leand. Prado.)

(Casus remittendi.) 23. Solent aliqui hoc loco recensere plures conditiones vel temporis, vel loci, vel debiti apparatus, vel aliarum circumstantiarum, ut licite administret Eucharistiam. Sed alienum studium censemus, cum agamus præcise de ministro ut ministro, sive quantum ad potestatem in administrante requisitam. Quare ea magis particularis consideratio Theologis practicis relinquenda est : circa quam consuli possunt Noster Franciscus proxime relatus, et plurimi Doctores, quos allegat.

(Alii casus.) Solent etiam aliqui in præsenti disputare, an sacerdos non solum possit, sed etiam debeat Eucharistiam ministrare. Sed hæc etiam obligatio est præter conceptum potestatis, quem statuendum assumpsimus. Res vero ipsa satis pervia est : nam si loquamur de simplici sacerdote, manifestum est ipsum non teneri extra casum necessitatis ministrare Eucharistiam ; cum non habeat oves proprias, quas pascat. In casu autem necessitatis, nempe cum proximus est in articulo mortis, et deficit Parochus, non solum potest, sed debet Eucharistiam ministrare. Quod debitum non est justitiæ, sive fundatum in pacto, vel officio : sed est debitum charitatis : quilibet enim tenetur subvenire proximo extreme indigenti, ubi potest. Et in tali casu rationabiliter præsumitur licentia proprii pastoris : quia illam concedere tenetur. Vel saltem ipso malitiose deficiente, aut impediente præsumitur voluntas Ecclesiæ, quæ cupit suis fidelibus in eo articulo subveniri meliori modo, quo fieri possit. Loquendo autem de ipso pastore, seu parocho, manifestum est illum teneri ad ministrandum Eucharistiam suis ovibus in eo articulo constitutis : et peccaret non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam, si id prætermittat. Quin tenetur investigare, an aliquis ex subditis sit in hoc periculo, et isto remedio egeat, ut illud ipsi dispenset. Nam ad hæc omnia obligat officium pastoris. Sed præscindendo ab illo articulo, Sylvester, et pauci alii sentiunt Parochum solum obligari ad ministrandum Eucharistiam suis ovibus, quando præceptum communicandi ipsos obligat ; quod contingit semel in anno : secus autem, quando volunt communicare ex sola devotione. Sed ea sententia communiter refellitur, et merito : tum quia ad munus pastoris pertinet non solum non negare necessaria ad salutem ; sed etiam concedere ea, quæ ad prædictam salutem, et augmentum vitæ spiritualis multum conferunt, ut est sacra communio. Tum quia pastores aluntur a subditis non solum secundum simpliciter necessaria, sed etiam secundum utilia : ergo par est, ut pastores curent de subditis

(Sylvestri opinio.) (Excluditus.)

non solum in simpliciter necessariis ad conservationem vitæ spiritualis, uti se habet adimpletio præceptorum, sed etiam in aliis mediis saluti animarum opportunis. Unde cavendum illis est, ne se difficiles ostendant in ministrando subditis Eucharistiam ; quin potius eos allicere curent ad frequentem communionem, ut constat ex dictis disputatione præced. dub. 7, num. 84. Rationabilis tamen causa poterit occurrere, ob quam parochus excusetur a ministrando Eucharistiam : sed tunc subditos remittet ad coadjutores suos, vel ad Regulares, prout ipsi voluerint, et ille viderit ad eorum salutem magis conferre.

§ II.

Quid sentiendum de Diacono?

Secu conclusio. 24. Dicendum est secundo Diaconum posse ex officio ministrare Eucharistiam, si id illi committatur a sacerdote. In hac assertione D. Tho. Soto. Ledes. Prado. N. Fran. Gonet. conveniunt omnes Theologi cum D. Thoma in præs. art. 3, ad 1 et 3. Videantur Soto in 4, dist. 13, q. 1, art. 3, Petrus de Ledesma cap. 9, *de Euchar.* concl. 4, Prado dub. 3, § 2, Suarez disp. 72, sect. 1, N. Francis. ubi supra punct. 1, nu. 8 et Gonet disp. 10, artic. 2, concl. 3, cum aliis. Sed antequam conclusionem probemus, illius terminos explicabimus, ne quis in illis offendat : videntur enim incompossibilia, Explicatur assertio. quod Diaconus habeat ex officio posse ministrare, et quod ad ministrandum egeat commissione sacerdotis. Sed apparens hæc contradictio sola vocum expositione dispellitur : quamvis enim Diaconus ut licite Eucharistiam ministret, debeat rogari, vel mandari a sacerdote ; tamen ex consecratione sua habet, quod sit subjectum ad id aptum, et congruenter eligibile. Unde non est ad libitum sacerdotis eligere Diaconum, vel non Diaconum ad hujusmodi ministerium : sed determinatus manet ad hoc, quod si nolit, aut nequeat Eucharistiam per se ipsum, aut alium sacerdotem dispensare, debeat pro tali ministerio Diaconum eligere. Habet itaque Diaconus ex consecratione, sive ex officio esse subjectum aptum ad administrandum : sed ut actu ministret eget, quod hoc illis sacerdos committat : et in hoc sensu procedit conclusio. Deinde circa alterum terminum *Eucharistiam* observandum est, quod cum hujus ratio salvetur in qualibet ejus specie seorsim, et in utraque simul ; solum statuimus indeterminate Diaconum posse ministrare Eucharistiam, non determinando, an possit in utraque specie, an in una tantum, et quæ illa sit. Sed hoc ipsum ex dicendis pro ipsa assertione constabit.

Probatur igitur, quoad omnes partes : Fundamentum. nam Diaconi in primitiva Ecclesia ministrabant Eucharistiam : ergo signum est illos posse Eucharistiam ministrare : quippe nec Apostoli, nec eorum proximi successores permitterent Diaconos se intromittere ad actionem adeo sacram, si eam exercere non possent. Antecedens constat D. Jus. ex S. Justino Martyre in apologia pro Christianis prope finem, ubi ait : « Postquam is, qui præest, gratias egit, et populo omnii benedixit, ii, qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt, percipiendum panem, vinum, et aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt. » Ubi manifestum est, quod specierum nominibus significat Eucharistiæ sacramentum. Deinde Divus Cy- D. Cypr. prianus in sermone *de lapsis*, refert Diaconum cuidam puellæ de sacramento calicis infudisse. Denique S. Laurentius fundendi proprii sanguinis sitibundus dicebat Beato Pontifici Sixto : « Experire, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem. » Ergo Diaconi in primitiva Ecclesia ministrabant Eucharistiam. Deinde Congruentia eadem pars probatur ratione congruentiæ assignata a Divo Thoma in resp. ad 3, quia sicut sacerdos proxime accedit ad Episcopum ; sic Diaconus accedit proxime ad sacerdotem : sed supremum infimi attingit infimum supremi : ergo licet Diaconus non possit Eucharistiam conficere, qui actus est supremus ex pertinentibus ad sacerdotem circa hoc sacramentum ; potest tamen Eucharistiam ministrare, qui est actus secundarius, consequens, minus principalis respectu sacerdotis.

Deinde quod Diaconus habeat prædictam Aliæ assertionis partes. potestatem ex officio, sive ex propria consecratione, ostenditur ex immediate dictis ; siquidem consecratur tanquam proxime accedens ad dignitatem sacerdotis. Unde in cap. *Diaconus* distinctione 23, dicitur : « Diaconus, dum ordinatur, ad ministerium consecratur. » Ministerium autem adæquatum

adæquatum postulat, quod non solum ministret sacerdoti panem, et vinum ad consecrandum, sed etiam consecrata aliis ministret. Denique ultima assertionis pars, nempe Diaconum non ministrare Eucharistiam, nisi rogatus, vel imperatus a sacerdote, constat ex S. Clemente Romano lib. 8. *Constit. Apostolorum* cap. 28, ubi ait : « Oblatione ab Episcopo, aut Presby« tero facta, ipse Diaconus dat populo, « non tanquam sacerdos, sed tanquam qui « ministrat presbyteris. » Et Concilium Carthaginense 4, can. 38, statuit : « Ut « Diaconus præsente Presbytero, Eucha« ristiam corporis Christi populo, si ne« cessitas cogat, jussus eroget. » Et S. Diaconus Laurentius dicebat : « Cui commi« sisti Dominici sanguinis dispensatio« nem. » Et in eodem sensu accipiendus est Tertul. in lib. *de corona militis* inquiens : « Eucharistiæ sacramentum nec « de aliorum manu, quam de Præsiden« tium sumimus : » quia hi per se, sive independenter ab aliorum commissione Eucharistiam dispensabant : quod Diaconi non habent, sed de aliorum commissione dispensant, qui sunt presbyteri, aut præsidentes. Unde in Festo Corporis Christi canit Ecclesia : « Cujus officium committi « voluit solis Presbyteris, quibus sic con« gruit, ut sumant, et dent cæteris, » videlicet per se, vel per Diaconos, qui sunt immediati eorum ministri.

S. Clem. — Concil. Carthag. — Tertul.

Distantia Diaconi a simplici sacerdote in ministrando.

Ubi incidenter notanda est differentia inter Diaconum, et sacerdotem simplicem, cum ministrant hoc sacramentum, juxta ea, quæ diximus num. 22. Nam sacerdos ex sua ordinatione habet potestatem ad absolute ministrandum Eucharistiam ; eget tamen assignatione ovium, quibus ministret : sed Diaconus licet ex ordinatione sua sit subjectum idoneum, ut ad hujusmodi ministerium eligatur, semper tamen respicit actum ministrandi ut dependentem a consensu alterius. Præterea sacerdos simplex quamvis ex commissione ministret, nihilominus non ministrat ut famulus, minister, aut instrumentum alterius sacerdotis; sed utitur sua dispensandi potestate sibi in sua consecratione collata : sed Diaconus in ipsa consecratione accipit, quod sit minister sacerdotis, et quod possit ab eo ad istud ministerium eligi; unde cum actu dispensat Eucharistiam, agit formaliter ut sacerdotis minister.

An Diaconus possit ministrare utramque speciem?

25. Superest, ut dicamus, an Diaconi possint Eucharistiam in utraque specie ministrare. Et respondendum est, quod absolute potest. Et quidem eum posse absolute ministrare sanguinem in calice omnes docent, etiam seclusa gravi necessitate, sed pro solo arbitrio, et mandato sacerdotis. Quod autem possit absolute ministrare speciem panis, constat evidenter ex usu primitivæ Ecclesiæ apud S. Justinum loco citato. Et quod nunc etiam possit talem speciem urgente necessitate dispensare cuncti admittunt, ut si nullus adesset sacerdos, qui moribundo Eucharistiam ministraret. Quin etiam præsente sacerdote, ipsoque impedito, ac jubente posset speciem panis populo ministrare, ut Concilium Carthaginense allegatum satis evidenter significat.

Sed tamen licet hæc ita absolute se habeant, nihilominus quando utraque species panis, et vini fidelibus dispensabatur (de quo recolenda sunt, quæ diximus disputatione præcedenti dubio 5 et 6), Diaconus vel nulla occurrente notabili necessitate, sed præcise rogatus, aut jussus a sacerdote, ut ipsum in ministrandi adjuvaret, poterat dispensare hoc sacramentum in specie vini; et tamen sine gravi necessitate non poterat ministrare speciem panis. Quam differentiam intendit, et differentiæ rationem assignat Div. Thom. in præsenti art. 3, ad 1, his verbis : « Dicendum, quod Diaconus « quasi propinquus ordini sacerdotali, ali« quid participat de ejus officio, ut scilicet « dispenset sanguinem, non autem corpus, « nisi in necessitate, jubente Episcopo, « vel Presbytero. Primo quidem, quia « sanguis Christi continetur in vase : unde « non oportet, quod tangatur a dispensante, « sicut tangitur corpus Christi. Secundo, « quia sanguis designat redemptionem a « Christo in populum derivatam : unde et « sanguini admiscetur aqua, quæ significat « populum. Et quia Diaconi sunt inter sa« cerdotem, et populum, magis convenit « Diaconibus dispensatio sanguinis, quam « dispensatio corporis. » Et similia tradit in 4, dist. 13, quest. 1, artic. 3, quæstiunc. 2, ubi ait : « Sicut sacerdos participat ali« quid de virtute perfectiva, quæ est Epis« copi : ita Diaconus participat aliquid de « dispensatione hujus sacramenti. Compe« tit enim ei ex officio sanguinem Domini « dispensare, sed non corpus : quia dispen-

D. Tho.

« sator corporis oportet, quod ipsum cor-
« pus tangat, non autem dispensator san-
« guinis: Diacono autem non licet corpus
« Christi tangere, cum non habeat manus
« sacratas. Et ideo non debet corpus dis-
« pensare, nisi de mandato Presbyteri, vel
« Episcopi, vel Presbytero longe posito in
« casu necessitatis. » Ex quibus apparet differentia, quam juxta usum antiquum Ecclesiæ (retentum adhuc tempore D. Thomæ in aliquibus Ecclesiis), observabant Diaconi in ministrando speciem panis, et speciem vini : nam panem nunquam nisi in gravi necessitate ministrabant; sed speciem vini, vel nulla occurrente necessitate, sed sola voluntate sacerdotis dispensabant. Et hanc differentiam fundat principaliter S. Doctor in reverentia erga sacramentum : nam ad ministrandum Eucharistiam in specie panis opus erat illam manibus attingere : quod opus non erat in dispensatione sanguinis, qui sumebatur in calice per fistulam. Unde supposito usu utriusque speciei, et ministratione Diaconi congruenter Ecclesia illis temporibus ita disponebat.

[Nota ad praxim.] Nunc autem, cum Ecclesia prohibuerit laicis usum utriusque simul speciei; vix, aut raro occurrit casus, in quo Diaconus Eucharistiam ministret. Sed tamen aliquando occurrit. Nam ut aliqui referunt, in capella Summi Pontificis in usu est, quod cum ille solemniter celebrat, post sumptionem panis sessum vadit : et tunc Diaconus Cardinalis consecratum calicem ipsi porrigit. Et similiter potest Diaconus ministrare calicem illis laicis, qui ex privilegio aut permissione Ecclesiæ illum sumunt, ut cum aliquibus, et in aliquibus locis adhuc fieri, notavimus disputatione præcedenti num. 68. Similiter quantum ad speciem panis, quam Diaconus absque gravi necessitate ministrare, non debet, dicendum etiam est : raro enim occurrit hæc necessitas propter copiam sacerdotum, quæ in Ecclesia crevit. Potest tamen occurrere in articulo mortis : nam tunc si absit sacerdos, vel malitiose nolit Eucharistiam infirmo ministrare, poterit Diaconus hoc munus exercere Eucharistiam ministrando in specie panis, ut de simplici sacerdote dicebamus numer. 23, et de Diacono in hoc casu affirmant Soto, Nugnus, Joannes de la Cruz, Serra, Diana, Leander, et alii communiter, quos refert, et sequitur Prado dubio 3, num. 15. [Soto. Prado.]

§ III.

Quid tenendum circa alios?

26. Dicendum est tertio nullum alium præter sacerdotem, et diaconum posse ex officio Eucharistiam ministrare; ac perinde non posse subdiaconos, clericos minores, et laicos. Sic docent Div. Thomas infra referendus, et omnes Theologi, quos propterea superfluum est recensere. Probatur : quia nullus præter sacerdotem, et diaconum consecratur ad hoc ministerium: cum differentia tamen inter sacerdotem, et diaconum supra assignata : sed ministrare ex officio est ministrare conformiter ad consecrationem : ergo nemo præter sacerdotem, et diaconum potest Eucharistiam ex officio administrare. Confirmatur : nam si aliquis posset, maxime subdiaconus, cum sit constitutus in altiori ordine, quem non attingunt clerici minores, et multo minus laici : sed nec subdiaconus potest : ergo nullus. Probatur minor : nam ideo diaconus potest ex officio rogatus, vel jussus a sacerdote Eucharistiam ministrare, quia proxime accedit ad dignitatem sacerdotis, et hujus virtutem aliquomodo participat : Sed subdiaconus non ita se habet; cum sit infra diaconum : ergo subdiaconus nequit Eucharistiam ex officio ministrare. Et in hoc, ut vidimus, omnes conveniunt. [Tertia conclusio.] [Fundamentum.] [Roboratur.]

27. Sed difficultas est, ubi occurrit casus gravis necessitatis, ut si quis sit in articulo mortis constitutus, et nullus adsit vel sacerdos, vel diaconus, qui ei ministret viaticum Eucharistiæ, poterit ne subdiaconus, vel etiam laicus huic necessitati subvenire, et ministrare Eucharistiam? Affirmant Cajetanus in cap 26 Matth. ad illa verba : *Accipite, et comedite*, Valentia quæst. 10, punct. 1, ad finem, Diana 3 p. tract. 4, resolut. 47, et 5 p. tract. 3, resolut. 47, et 9 p. tract. 6, resolut 39. Aversa quæst. 10, sect. 3, § Quinto, Thomas Hurtado tom. I, tract. 5, cap. 6, resolut. 36, Granados, Reginaldus, Filliucius, Quintanadvenas, Escobar, Victorellus, N. Lezana, et alii, quos refert, et sequitur Leander tract. 7, disp. 4, quæst. 12. Quam sententiam probabilem [Quid occurrente necessitate?] [Aliquorum opinio.] [Caietan. Valent. Diana. Hurtado Aversa. Leand. Suarez.]

Motivum babilem vocant Suarez disp. 72, sect. 3, et alii. Probatur ratione : quia solo jure ecclesiastico prohibitum est, ne laici Eucharistiam tangant, vel illam aliis ministrent: sed talis prohibitio non urget in casu proposito : ergo in tali casu potest laicus (et a fortiori subdiaconus, et quivis clericus,) Eucharistiam moribundo administrare. Cætera constant. Et minor probatur : tum quia jus ecclesiasticum non solet obligare cum tanto rigore. Tum quia in tali casu occurrit aliud jus fortius, nempe divinum, quod obligat infirmum ad communionem. Tum denique, quia etiam jus ecclesiasticum prohibet, ne Eucharistia sumatur a non jejuno : et tamen hoc non obligat in articulo mortis ; sed ægrotus etsi non jejunus licite suscipit Eucharistiam : ergo quamvis Ecclesia prohibeat, ut laici ministrent Eucharistiam, hæc tamen prohibitio non urget in casu necessitatis.

Appendix prædictæ opinionis. Ex qua doctrina colligit Thomas Hurtado loco cit. resolut. seq. laicum in tali casu obligari ex charitate ad subveniendum proximo, ministrando illi Eucharistiam : quia licite potest, et si potest, ad id ex charitate obligatur : sicut nos supra numero 23, dicebamus de simplici sacerdote. Colligunt etiam alii satis communiter posse laicos in eo articulo constitutos sibi administrare Eucharistiam, si ad manum habeant : nam si possunt aliis, multo magis possunt, et debent sibi providere sumendo viaticum. Idque confirmant exemplo Sanctissimæ fœminæ Mariæ Stuart Scotorum Reginæ, quæ martyrium imperio, et tyrannide Elisabetæ (non tam mulieris, quam furiæ,) proxime subitura, Eucharistiam sacram propriis manibus sumpsit. Et denique, quod persecutionis tempore liceat omnibus Eucharistiam sibi administrare

Contens. docet Contenson dissert. 3, cap. 1, speculat. 3, § *Unum excipio :* idque confirmat ex testimonio D. Basilii in epist. *ad Cæsariam Patritiam*, nondum ex Græco translata, sed quæ extat apud Groperum.

Vera sententia. 28. Nihilominus longe probabiliorem, sicut et communiorem, censemus contrariam sententiam, quæ negat subdiaconos, Clericos minores, et laicos posse vel in casu prædictæ necessitatis aliis ministrare

D. Tho. Soto Sylvest. Prado. Eucharistiam. Ita D. Thomas statim referendus, Soto in 4, dist. 13, quæst. 1, art. 3, in fine. Sylvester verbo *Eucharistia* 3, § 4, Serra in præs. art. 3, Prado dub. 3, num. 20, Gonet disp. 10, art. 2, num. 18, N. Franciscus cap. 9, punct. 1, num. 11, Lugo disp. 18, sect. 1, Victoria, Vazquez, Henriquez, Chamerota, Vivaldus, Bonacina, Fagundez, et alii, quos refert, et sequitur Dicastillo disput. 11, dub. 5. Probatur primo, quia licet hoc non sit prohibitum jure divino ; nihilominus Ecclesia ob majorem erga sacramentum reverentiam, præcepit in cap. *Pervenit de consecrat.* dist. 2, ne laici ministrent Eucharistiam : hoc autem præceptum se extendere ad casum, in quo infirmus sumpturus est Viaticum, constat ex ipso usu Ecclesiæ: nam cum casus sit non rarissimus, tamen nec audivimus, nec vidimus, nec legimus, quod laici moribundis Eucharistiam ministraverint : ergo signum est præceptum Ecclesiæ communi praxi explicatum interdicere, quod laici in illo casu dispensent aliis hoc sacramentum. Confirmatur : quia minus longe est, quod sacerdos celebret absque planeta, quam quod laicus deferat, et ministret Eucharistiam : et tamen Ecclesia non permittit, quod sacerdos ad communicandum infirmum celebret sine planeta : ergo multo minus permittit, quod laicus deferat Eucharistiam, et illam ministret infirmo.

(Gonet. Serra. N. Fran. Lugo Dicastil. — Fundamenta. — Fulcitur)

Probatur secundo auctoritate, et ratione D. Thomæ in 5, dist. 13, quæst. 1, art. 3, quæstiunc. 1, ad 3, ubi ait : « In casu necessitatis potest, et debet corpus Christi « tangere, etiam si sit peccator, ut si in « loco aliquo immundo jaceret. Sed non « est simile de dispensatione sacramenti : « quia receptio hujus sacramenti non est « necessitatis. Unde ei, qui non potest sa« cramentaliter manducare, dicendum est: « Crede, et manducasti. » Quibus verbis S. Doctor et diruit motivum Adversariorum, et assignat rationem a priori hujus resolutionis. Quia licet infirmus teneatur jure divino suscipere Eucharistiam in articulo mortis ; id tamen intelligitur, ubi commode fieri valet servata debita reverentia erga sacramentum : unde sicut ob hanc rationem non oportet, quod sacerdos non jejunus, aut sine vestibus celebret ad præbendum infirmo Viaticum ; ita etiam non expedit, quod laicus ad illum Eucharistiam deferat, et ministret. Assignat etiam Sanctus Doctor perspicuam disparitatem inter casum, quo laicus tangeret corpus Christi ad elevandum illud de loco immundo, et casum, quo laicus illud ad

(Alia ratio. — D. Tho.)

moribundum deferret. Nam in priori casu tactus, et tota actio ordinantur per se ad majorem sacramenti cultum : sed in secundo casu ordinatur per se delatio ad majorem utilitatem infirmi : hæc autem utilitas cedere debet reverentiæ, quæ sacramento debetur : ergo minime expedit, nec licet, quod laicus deferat Eucharistiam, et illam ministret infirmo. Confirmatur: quia Ecclesia non minus prohibet laicis ministrare Eucharistiam, quam prohibet laicis usum calicis, sive sumptionem sanguinis Christi in specie vini : sed quamvis infirmus sit in articulo mortis, et non detur alia species, non est licitum ministrare illi speciem vini, ut diximus disp. præced. dub. 6, num. 64 ; ergo pariter in eodem articulo, et deficiente ministro, non est licitum, quod laicus ministret Eucharistiam.

Roboratur.

Tertium motivum

Probatur tertio ab inconvenienti, quod colligitur ex opposita sententia, et motivis, quibus utitur : nam si quid valent, probant etiam, quod non solum laicus, sed etiam fœmina possit Eucharistiam ministrare. Quo quid absurdius, et magis contrarium usui Ecclesiæ, fœminas vel a ministris altaris ministeriis repellentis ? Unde neminem Adversariorum putamus id admissurum. Si autem devoret, non aliud opponemus quam ipsam rei absurditatem omnibus prudentibus formidabilem. Inferri autem ostenditur : quia sicut contingens est, quod homine in extremis existente non adsit sacerdos, vel diaconus, sed solus laicus ; ita contingens est, quod non adsint homines, sed sola mulier : ergo sicut non obstante prohibitione Ecclesiæ, dicunt Adversarii posse laicum ministrare Eucharistiam infirmo, ut satisfaciat divino tunc urgenti communicandi præcepto ; sic etiam consequenter dicere debent posse fœminam Eucharistiam ministrare, nempe ob idem motivum, ut infirmus divinum præceptum impleat, et subsidio viatici non privetur. Porro ne quis dicat casum esse metaphysicum, advertat non raro contingere in monasteriis Monialium : fieri enim valet, quin et solet, ut in profundo noctis earum aliqua ex repentino morbo, aut alio accidenti incidat in periculum mortis jamjam imminentis : et nec intra clausuram est minister, qui sacramentum dispenset ; nec spes est, ut ex alio loco tunc veniat ; nec infirmitatis rigor moras admittit. Tunc ergo juxta Adversariorum doctrinam poterit una Monialis Eucharistiam e sacrario trahere, deferre ad infirmam, et illam ipsi administrare. Quod plane absurdissimum apparet, inauditum est, et contra omnem usum Ecclesiæ.

Nota.

Evertitur oppositum fundamentum.

29. Ad eorum autem fundamentum respondetur negando minorem. Et ad illius probationes satis constat ex dictis. Prima diluitur : nam quod hoc Ecclesiæ præceptum obliget cum tanto rigore, constat ex ipsius Ecclesiæ usu, quæ nunquam permittit, ut laici Eucharistiam ministrent : et alias fœminæ etiam possent ministrare. Secundo solvitur : quia jus divinum non obligat ad communionem infirmorum, nisi ubi fieri valet cum debita erga sacramentum reverentia : unde sicut hac de causa non obligat, ut sacerdos non jejunus, aut sine sacris vestibus consecret ; ita etiam non obligat, ut laicus Eucharistiam deferat, tangat, et ministret. Ad tertiam negatur consequentia : et disparitas constat ex ipsa Ecclesiæ praxi, quæ infirmis communiter non jejunis concedit Eucharistiam ; et tamen non permittit laicos Eucharistiam ministrare. Fundamentum vero predictæ disparitatis est, quod infirmi per se loquendo nequeunt esse jejuni : quare ne sine viatico quasi per se loquendo, et communiter relinquantur ; concedit Ecclesia, ut infirmi in eo articulo constituti vel non jejuni communicent. Sed quod nullus detur sacerdos, aut diaconus, qui Eucharistiam ministret, est casus magis rarus. In quo consultius judicat Ecclesia, quod infirmus moriatur sine communione sacramentali, alias non necessaria simpliciter ad salutem; quam quod laici, et fœminæ se intromittant ad officia spiritualia, et præsertim tangendi, et ministrandi sacramentum adeo excellens.

Discutiuntur contrariæ sententiæ illationes.

30. Unde judicium ferre possumus de duobus illis apud Adversarios corollariis. Et primum convulsum omnino relinquitur; nam si laicus nequit Eucharistiam licite ministrare, multo minus tenetur ad ejus ministrationem. Secundum est magis verisimile : unde probabilius putamus consectarium secundum se, quam principium, ex quo deducitur : quia minor inordinatio, et irreverentia est, quod laicus aut etiam fœmina, si nullus adsit minister, propriis manibus Eucharistiam sumat, qnam quod laicus illam alteri ministret : sicut infirmus non jejunus potest Eucharistiam suscipere ;

cipere ; et tamen sacerdos non jejunus nequit Eucharistiam conficere pro infirmi communione. Sed absolute censemus, quod laici nec in articulo mortis constituti, et deficientibus ministris, possunt Eucharistiam tangere et propriis manibus suscipere ad sui communionem. Quoniam hæc etiam sumptio est aliqua sacramenti administratio : et eis generaliter interdicitur administratio hujus sacramenti, ut constat ex cit. cap. *Pervenit, de consecrat.* distinct. 2, ubi asseritur indecens esse « ut quibus « prohibetur, ne sacrarium ingrediantur, « nec ad altare appropinquent, illis Sancta « Sanctorum administranda committan« tur. » Unde laici in tali casu reputare debent, quod non habent Eucharistiam, et se per alia media ad mortem disponere. Exemplum autem Reginæ Scotiæ in contrarium allatum non urget : tum quia S. Pius V, cum illa inter hæreticos degente dispensaverat circa hanc prohibitionem ecclesiasticam, ut suis scilicet manibus posset Eucharistiam suscipere, ut refert Caussinus in historia martyrii illius. (Caussin.) Tum quia sanctissima hæc mulier Eucharistiam martyrio proxima suscepit, non tam ut se ipsam communicaret, quam ne Eucharistiam relinqueret injuriis hæreticorum expositam : ad vitandum autem hujus sacramenti injuriam ab infidelibus, licitum unicuique est illud sumere. In quo sensu non reprobamus Contensonis sententiam, si præcise intendat omnes fideles tempore persecutionis posse suis manibus Eucharistiam sumere ad vitandum scilicet infidelium irrisiones erga sacramentum. Deficientibus autem hoc periculo, et motivo, illi sententiæ non subscribimus, sed standum putamus communi Ecclesiæ dispositioni. Nec latet nos usus antiquæ Ecclesiæ, in qua laici suscipiebant propriis manibus Eucharistiam et deferebant, et domi pro communione servabant, ut in Patribus non semel legimus, et observat Baronius anno Christi 57, num. 42. Sed tamen illud illis (Nota.) temporibus conveniebat. Modo autem omnino stare oportet presentibus Ecclesiæ decretis supra allegatis, juxta quæ, et communissimam Ecclesiæ praxim resolutiones nostræ procedunt.

QUÆST. LXXXIII.

De ritu hujus sacramenti in sex articulos divisa.

Deinde considerandum est de ritu hujus sacramenti. Et circa hoc quæruntur sex. Primo etc.

ARTICULUS I.

Utrum in hoc sacramento Christus immoletur ?

Ad primum sic proceditur. Videtur quod in celebratione hujus sacramenti, Christus non immoletur. Dicitur enim Hebr. 10. Quod Christus in una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Sed illa oblatio fuit ejus immolatio. Christus ergo non immolatur in celebratione hujus sacramenti.

Præterea. Immolatio Christi facta est in cruce, in qua tradidit semetipsum oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis : ut dicitur Ephs. 5. Sed in celebratione hujus mysterii Christus non crucifigitur. Ergo nec immolatur.

Præterea. Sicut Augustinus dicit in 4 lib. de Trinit. in immolatione Christi idem est sacerdos, et hostia. Sed in celebratione hujus sacramenti non est idem sacerdos, et hostia Ergo celebratio hujus sacramenti non est Christi immolatio.

Sed contra est, quod August. dicit in lib. sent. Prosperi : semel immolatus est in semetipso Christus, et tamen quotidie immolatur in sacramento.

Respondeo dicendum, quod duplici ratione celebratio hujus sacramenti dicitur immolatio Christi. Primo quidem quia sicut dicit August. ad Simplicium : solet imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt : sicut cum intuentes tabulam, aut parietem pictum, dicimus : ille Cicero est, et ille Salutius. Celebratio autem hujus sacramenti (sicut supra dictum est) imago quædam est repræsentativa passionis Christi, quæ est vera ejus immolatio. Et ideo celebratio hujus sacramenti dicitur Christi immolatio. Unde Ambros. dicit super Epist. ad Hebr. In Christo semel oblata est hostia, ad salutem sempiternam potens ; quid ergo nos, nonne per singulos dies offerimus ? Sed ad recordationem mortis ejus. Alio modo quantum ad effectum passionis Christi : quia scilicet per hoc sacramentum participes efficimur fructus Dominicæ passionis. Unde in quadam Dominicali oratione secreta dicitur : Quoties hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur Quantum igitur ad primum modum, poterat dici Christus immolari etiam in figuris veteris testamenti. Unde, et Apoc. 13, dicitur : quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi. Sed quantum ad secundum modum proprium est huic sacramento, quod in ejus celebratione Christus immoletur.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Ambros. ibidem dicit : Una est hostia (quam scilicet Christus obtulit, et nos offerimus) et non multæ, quia semel oblatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplum est illius. Sicut enim quod ubique offertur, unum est corpus, et non multa corpora, ita et unum sacrificium.

Ad secundum dicendum, quod sicut celebratio hujus sacramenti est imago repræsentativa passionis Christi, ita altare est repræsentativum crucis ipsius, in qua Christus in propria specie immolatus est.

Ad tertium dicendum, quod per eandem rationem etiam sacerdos gerit imaginem Christi in cujus persona, et virtute, verba pronuntiat ad consecrandum : ut ex supra dictis patet. Et ita quodammodo idem est sacerdos, et hostia.

Conclusio est affirmativa.

Absolvit D. Thomas in præced. quæstione omnia, quæ pertinent ad Eucharistiam in ratione sacramenti consideratam. Sed quia Eucharistia illam inter alias prærogativas eminentiam habet, quod non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium : propterea D. Thomas addendam merito censuit hanc ultimam quæstionem, in qua agit de Eucharistia considerata in ratione sacrificii. Quem ordinem imitantes extremam hanc disputationem aperimus, in qua de eadem materia agemus, illa proponendo dubia, quæ ad Theologiam scholasticam specialiter spectant.

DISPUTATIO XIII.

De sacrificio Missæ.

Cum Eucharistia excellens adeo sacramentum sit, ejus dignitas exposcebat solemnem specialem ritum, quo consecraretur : et ceremoniam hanc (plures reipsa complectentem) Missam appellamus. Quia vero quæstio an est alias præcedere solet, primo loco statuere oportet, an Missa sit sacrificium; et deinde talis sacrificii proprietates, et effectus exponemus.

DUBIUM I.

Utrum Missa sit vere, et proprie sacrificium?

Non possumus propositam difficultatem convenienter resolvere, nisi prius explicemus ejus terminos, nempe quid sit Missa, et quid sit sacrificium : inde namque dependet, quod prædicatum debeat subjecto attribui, vel ab illo removeri. Ante alia igitur

§ I.

Aperitur status quæstionis.

I. Plura hic de sacrificio in genere oporteret dicere , nisi dicta a nobis fuissent tract. 21, de Incarnat. disp. 31, ubi ex professo agimus de sacerdotio Christi, cujus principalis actus est sacrificium. Unde hoc loco satis erit ibi tradita refricare, et velut ad compendium redigere. Inchoando igitur ab ipsa voce, sacrificium non aliud significat, quam factionem sacri, et sacrificare est sacrum facere, ut constat ex D. Isidoro lib. 6 *Etymol.* cap. 16, et D. Thom. 2, 2, quæst. 85, art. 3, ad 3. Unde nonnulli censuerunt, quod omne opus bonum relatum ad honorem, et cultum Dei, est vere, et proprie sacrificium: quia est aliquod sacrum factum. Idque significasse videtur D. Augustinus lib. 16, *de Civitate*, cap. 6, dicens : « Verum sacrificium est omne opus, quod agitur, ut « charitate inhæreamus Deo. » Et hi consequenter sacrificium vere, et proprie dictum dividunt in sacrificium internum consistens in actionibus interioribus relatis ad cultum Dei, atque in sacrificium externum consistens in operibus exterioribus factis ex intentione prædicti cultus.

[Quid sit sacrificium? — D. Isid. — D. Tho. — Falsa aliquorum positio. — D. Aug.]

Sed hos paucos alii Theologi communiter refellunt constituentes veram sacrificii rationem in aliquo externo, quod cum aliqua sui immutatione ordinetur ad cultum Dei. Et quidem merito sic censet communis sententia. Tum quia D. Thom. loco immediate cit. inquit : « Sacrificia proprie « dicuntur, quando circa res Deo oblatas « aliquid fit : sicut quod animalia occidebantur, et comburebantur. » Et in 3, dist. 9, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 2, ad 1, ait : « Hoc, quod dicitur, omne opus, quo Deo « jungimur, est sacrificium, est metaphorice dictum, in quantum Deum placabi- « lem reddit, ad quod sacrificium offertur.» Tum etiam qui juxta communem scripturæ usum sacrificium, sacerdotium, altare, et victima relative, et connexive dicuntur : sed cætera, nempe sacerdotium, altare, et victima dicuntur in ordine ad aliquid extrinsecum, si proprie loquimur : ergo pariter vera sacrificii ratio aliquid externum importat : atque ideo non salvatur in quolibet opere etiam interno, licet ad cultum Dei referatur. Tum etiam quia ex eadem scriptura edocemur alias in lege antiqua fuisse dispositiones de sacrificiis, et alias de aliis ritibus ad cultum Dei ordinatis : ergo non omne opus relatum ad cultum Dei habet specialem, et propriam sacrificii rationem. Tum præterea quia de facto in Ecclesia sunt septem sacramenta : cum non sit nisi unicum sacrificium, ut palam docent

[Confutatur multipliciter. — D. Tho.]

cent Concilium Florentinum, et Tridentinum : et tamen juxta contrariam doctrinam septem sacramenta deberent esse septem sacrificia: siquidem sunt opera bona in Deum referibilia : falsum itaque est omne opus bonum relatum in Deum esse vere, et proprie sacrificium. Tum denique quia ex opposito fieret omnem hominem jure naturæ esse vere et proprie sacerdotem ; siquidem omnis homo jure naturali obligatur ad opera bona, quæ referre debet ad Dei honorem : in qua ratione constituunt Adversarii proprium munus sacrificii, ad quod sacerdotium ordinatur : unde ulterius fiet omnes tam viros, quam feminas non consecrari, sed nasci sacerdotes : id vero est absurdissimum, et contra commune judicium totius generis humani distinguentis inter sacerdotes, et non sacerdotes : ergo fateri oportet veram, et propriam rationem sacrificii non salvari in quolibet opere bono, sive interno, sive externo, relato ad Dei cultum; sed plus aliquid exigere. Nec oppositum significavit D. Augustinus in testimonio relato, sed appellavit *verum sacrificium* omne opus etc. non quia propriam rationem sacrificii habeat, sed quia effectum sacrificii perfectius præstat. Sicut etiam Christus dixit Joan. 15 : *Ego sum vitis vera*, non quia vere vitis sit, sed quia mystice communicat excellenter, quæ vitis sunt. Ita ergo cum dicitur omne opus bonum factum, ut inhæreamus Deo, esse verum sacrificium, inquit D. Thomas, « est « metaphysice dictum, in quantum Deum « placabilem reddit, ad quod sacrificium « offertur. »

Mens D. Aug.

Joan. 15

Analoga sacrificii divisio.

2. Juxta quam doctrinam sacrificium analogice dicitur, dividiturque communissima divisione in sacrificium improprie, et metaphorice dictum, atque in sacrificium verum, et proprium. Et sacrificium metaphorice dictum salvatur in quolibet opere ad cultum Dei relato. Unde in scriptura plura dicuntur in hoc sensu sacrificia, licet propriam sacrificii rationem non habeant. Sic de interna contritione dicitur in Psalm. 50 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* De laude vocali in Psalm. 46 : *Sacrificium laudis honorificabit me.* De eleemosyna ad Hebr. 13 : *Talibus enim hostiis promeretur Deus.* De corporis castigatione ad Rom. 12: *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam* Et similia facile occurrunt in scriptura. Sed præter hanc usurpationem impropriam, aliam scriptura propriam, secundum quam sacrificium speciale opus importat, a cæteris condistinctum, sicut Oseæ 6 : *Misericordiam volo, et non sacrificium*, et 1. Reg. 13 : *Melior est obedientia, quam victimæ*, et ad Hebr. 5: *Omnis Pontifex constituitur, ut offerat dona, et sacrificia.*

Psalm. 50. Psalm. 46. Ad Hebr. 13. Ad Rom. 12

Oseæ 6. 1 Reg. 13. Ad Hebr. 5.

Relicta igitur impropria illa acceptione, quæ latissime patet, et quam nec ipsi hæretici (contra quos acturi sumus) negant, quin libenter concedunt omnia virtutum officia esse quædam sacrificia, ut patet ex Melanchthone *in apologia Confessionis, in art. de Missa* : sermo restringendus est ad sacrificium vere, et proprie dictum. Hujus autem conceptum, et a cæteris operibus distinctionem non aptius, aut brevius explicare valemus, quam descriptione apud Theologos satis communi. « Est oblatio « facta Deo per immutationem alicujus rei. « in signum supremi super omnes res « dominii, ex legitima institutione. » Quæ descriptio, et exponit positive, quid sacrificium sit, et excludit cuncta alia, quæ sacrificium non sunt. Dicitur oblatio : quia in sacrificio aliquid offertur Deo. Et in hoc distinguitur sacrificium ab adoratione, quæ est cultus exterior, et a pluribus aliis externis, in quibus tamen nihil directe, et formaliter Deo consecratur. Additur « facta « Deo per immutationem alicujus rei : » et per hoc distinguitur a pluribus rebus, quæ oblationes sunt, et cum quibus in genere convenit : quia oblatio ex communi conceptu non exposcit immutationem rei oblatæ, quam tamen exposcit sacrificium : ut puta, quod animal occidatur, quod dividatur, aut comburatur ; quod panis benedicatur, et frangatur, et sic de aliis. Unde omne sacrificium est oblatio, sed non omnis oblatio est sacrificium, ut observat D. Thom. 2, 2, quæst. 85, art. 3, ad 3. Sic denarii dicuntur offerri : et tamen hic actus non est sacrificium. « Primitiæ autem, « *addit S. Doctor*, oblationes sunt, quia Deo « offerebantur, ut legitur Deuter. 26, non « autem sunt sacrificium, quia nihil sa- « crum circa illas fiebat. Decimæ autem « proprie loquendo non sunt sacrificia, « neque oblationes, quia non immediate « Deo, sed ministris divini cultus exhi- « bentur. » Subjungitur « in signum su- « premi super omnes res dominii : » quibus verbis denotatur finis, seu motivum sacrificii : ordinatur enim ad sacrificandum

Sacrificium proprie dictum.

D. Th.

nos, et quamcumque rem ita a Deo ut supremo omnium principio pro nutu sui destrui posse, sicut illa res a nobis oblata immutatur. Est namque sacrificium opus externum imperatum a virtute religionis, et quod Deum secundum illam rationem recognoscit, ac reveretur. Denique adduntur ea verba *ex legitima institutione* ad significandum, quod sicut sacerdos sacratur publica auctoritate, ut sit mediator inter Deum, et populum offerendo Deo populi dona, et impetrando populo Dei beneficia: sic etiam sacrificium, quod est propriissimus sacerdotis actus, debet determinari legitima institutione: quamvis hæc institutio diversa possit esse juxta diversos status nostræ naturæ. Nota Nam in naturæ lege forte non erant determinata sacrificia ex determinatione communitatis; sed determinabantur a singulis per specialem Dei instinctum, sive impulsum, sicut proportionabiliter contingebat in sacramentis, ut explicuimus tract. præcedenti disput. 3, dubio 3. In statu autem legis scriptæ ipsa lex determinabat plura, et diversa sacrificia, ut constat ex lib. Levitici a capit. 1, et aliqua saltem in genere infra numero 12, assignabimus. In opere itaque externo cum conditionibus assignatis consistit ratio sacrificii vere, et proprie dicti. Aliæ autem controversiæ, quam quidam excitare solent, utputa, an sacrificium constituatur in prædicamento qualitatis, an autem in prædicamento relationis; et rursus an si per relationem constituatur, talis relatio sit realis, vel rationis; necessariæ in isto loco non sunt. Satis fuerit significare sacrificium, cum sit opus virtutis, consistere in aliqua actione, et importare relationem tum ad dispositionem internam, quam repræsentat, tum ad Deum, cui offertur. Cætera videri possunt in Nugno, et Prado ad istum 1 art. D. Thomæ.

3. Succedit ut alteram vocem explicemus. Et plane, quid sit *Missa*, ex ipso usu satis fidelibus innotescit, ut magis eam signare possint, quam diffinire. Constat enim consistere in illo ritu, et actione, quibus sacerdotes in Ecclesia Catholica sacramentum Eucharistiæ conficimus, multis præcedentibus, et subsequentibus orationibus, et ceremoniis, ut experimento liquet. Missa unde dicatur. De ipsius autem vocis etymologia, sive radice prolixam solent aliqui texere controversiam, quæ ad duas doctissimorum classes reducitur. Nam quidem sentiunt vocem esse Hebraicam, nempe Missah, quæ significat spontaneam oblationem, et optime quadrat celebrationi Eucharistiæ, in qua offerimus Deo corpus, et sanguinem Christi. Aliquorum sententia. Et hanc partem tuentur Concilium Senonense *in decretis fidei* capit. 11, Covarruvias libro 4 *Variar.* capit. 22, Baronius anno Christi 34, numero 59, Malvenda in capit. 14, Deuteron. Pagninus, Cano, Joannes, Faber, Jacobus Faber, Sainctes, Hector Pinctus, Henriquez, et alii, quos refert, et sequitur Marchinus, tract. 3, *de sacrific. Missæ* sect. 4, num. 3. Aliorum placitum. Quidam autem sentiunt eam vocem nullo modo esse Hebraicam, nec ab Hebræa, aut Chaldaica radice derivatam; sed esse simpliciter vocem Latinam a verbo mitto deductam, ex eo, quod in illa oblatio, et preces ad Deum mittantur. Unde cum in fine celebrationis dicitur: *Ite Missa est*, significatur: *Abire licet, quia oblatio, et hostia salutaris jam transmissa est ad Deum cum precibus pro vobis.* Ita Hugo de Sancto Victore lib. 1, *de sacram* parte 8, capit. 14, Rabanus lib. 1, *de instit. Cleric.* capit. 22, Rupertus lib. 2, *de divinis offic.* capit. 24, Magister in 4, dist. 13, Div. Bonaventura in exposit. *Missæ.* Bellarminus lib. 1, *de Missa,* capit. 1, Vasquez disputat. 221, capit. 1, Suarez, Granados, Petrus Anellus, Lugo, et alii plures, quos refert, et sequitur Leander tract. 8, quæst. 1.

Judicium. Et quamvis parum referat, quod unam, vel aliam partem referat, quod unam vel aliam partem præferamus, et multo minus, quod alicui addamus proprium suffragium; tamen ultimæ subscribendum duximus: et ducimur duobus motivis. Primo, quia si hæc vox esset Hebraica, retineretur apud omnes Christianorum nationes; sicut retinentur istæ, *Amen, Alleluia, Sabaoth,* et aliæ: quibus non minus Græci, quam nos utuntur: id vero constat esse falsum, quippe Græci celebrationem Eucharistiæ non vocant *Missam*, sed *Liturgiam:* signum ergo est hanc vocem non esse Hebraicam, nec ab Hebræis ad alias nationes derivatam fuisse. Quin ipsi Syri, et Maronitæ, qui Chaldaica lingua Eucharistiæ mysterium celebrant, vocem *Missæ* non habent: quod incredibile apparet, si illa vox esset Hebraica, et ab illa lingua in nos transmissa: apud illos enim præsertim in usu esset, qui prædictam linguam in usu habent. Secundo, et

et principaliter movemur propter auctoritatem Divi Thomæ, et aliorum Sanctorum Doctorum, qui secundam tuentur sententiam affirmantem *Missam* esse missionem, et a verbo *mitto* deduci. Div. Thom. articulo 4 hujus quæst. ad 9, inquit : « Et « propter hoc etiam Missa nominatur : « quia per Angelum sacerdos preces ad « Deum mittit : sicut populus per sacerdo- « tem : vel quia Christus est hostia nobis « Missa a Deo. Unde, et in fine Missæ « Diaconus in festivis diebus populum « licentiat dicens : Ite Missa est, scilicet « sit Deo accepta. » Et in 4, dist. 13, in exposit. textus approbat sententiam Hugonis sic exponentis hoc vocabulum, et ait : « Missa dicitur transmissa, eo quod popu- « lus fidelis per ministerium sacerdotis,qui « mediatoris vice fungitur inter Deum, et « hominem, preces, vota, et oblationes « Deo transmittit. » Similiter Div. Gregorius lib. 4 *Dialogorum* capit. 58, inquit : « Dicitur Missæ quasi transmissio, eo quod « populus fidelis per ministerium sacerdo- « tis, qui fungitur vice mediatoris inter « Deum et homines, preces, supplicatio- « nes, et vota transmittat Altissimo. Ipsum « vero sacrificium, id est, hostia, Missa « vocatur, quasi transmissa : primum no- « bis a Patre, ut esset nobiscum per Incar- « nationem ; postea Patri a nobis, ut inter- « cedat pro nobis ad ipsum per passionem : « ut et in Sacramento primum nobis a « Patre per sanctificationem, postea Patri a « nobis per oblationem. » Denique *Missam* dici a verbo Latino *mitto*, sive significet missionem sacrificii, sive significet emissionem Cathecumenorum post Evangelium, et ante Offertorium, sive denique significet dimissionem totius populi absoluta jam mysterii celebratione, docent Divus Augustinus sermone 237, *de tempore*. Divus Isidorus libro 6 *Etymolog.* cap. *de officiis*, § *Missa*, Div. Remigius lib. *de officio Missæ*. Div. Algerus lib. *de corp. Domini*, cap. 16, et alii.

4. Ex quacumque autem radice vocabulum istud derivetur, illud antiquissimum est ad mysterium, quod consideramus, significandum, ut productis exemplis probat Baronius anno cit. numero 6. Nam Pius Papa proximus Apostolorum temporibus scribens ad Justum Viennensem Episcopum, inquit : « Soror nostra Eupre- « pia, sicut bene recordaris, titulum do- « mus suæ pauperibus assignavit, ubi nunc « cum pauperibus nostris commorantes, « Missas agimus. » Sanctus Cornelius Papa s. in epist. ad Lupicinum Viennensem Episcopum ait : « Publice, neque cryptis notio- « ribus Missas agere Christianis licet. » Et in eadem significatione hac voce utuntur Concilium Romanum sub Sylvestro in fine, Carthaginense 2, Canone 3, Agathense capit. 47, Divus Ambrosius Epist. 33, ad Marcum, Divus Augustinus sermone 251, *de temp.* et alii Patres apud Auctores numero præcedenti relatos. His circa significationem vocum prælibatis veniamus ad rem ipsam in titulo dubii propositam.

§ II.

Veritas catholica multipliciter suadetur.

5. Dicendum est Missam esse vere, et proprie sacrificium. Hæc assertio est immediate de fide, ut statim dicenda liquido evincent. Unde necessarium non est particulares Auctores referre. Videri tamen possunt Rossensis in lib. *de visibili sacerdotio.* Cajetanus in tract. *de sacrificio Missæ.* Catharinus in lib. *de veritate incruenti sacrificii,* Soto in 4, dist. 13, quæst. 2, Casalius in tribus libris *de sacrificio Missæ,* Alanus lib. 2, *de Eucharistia,* Bellarminus toto lib. 1, *de Missa,* Suarez in præs. disp. 74, et alii. Immediatior autem, et urgentior assertionis probatio est, quæ primo loco sumitur ex Conciliis palamas serentibus Missam esse verum sacrificium. Unde Tridentinum sess. 22, can. 1, diffinivit : « Si quis dixerit in Missa « non offerri Deo verum, et proprium sa- « crificium, etc. anathema sit. » Et hanc ipsam doctrinam tradiderant antiquiora Concilia, Toletanum Primum, cap. 14, Toletanum Duodecimum, cap. 5, Bracharense Tertium cap. 1, Antiosodorense cap. 8, Carthaginense Tertium, Lateranense sub Innocentio Tertio, Florentinum in decreto unionis Armenornm, et Constantiense damnans hunc errorem : « Non est « fundatum in Evangelio, quod Christus « Missam ordinaverit. » Et similia occurrunt in jure Canonico, capite *In Sacramento de Consecrat.* dist. 1, capite *Neces- « sariæ,* distinct. 2, capite. *Pervenit,* distinct. 9, et « capit. *Firmiter* de summa Trinitate etc.

Probatur secundo ex Apostolica, et perpetua Ecclesiæ traditione, de qua certo nobis

D. Tho. D. Greg. D. Aug. D. Isid. D. Rem. D. Alg. Vocis antiquitas. Pius Papa. S. Corn. Concil. Romanum. Alia. D. Amb. D. Aug. Conclusio. Rosens. Cajet. Cathar. Soto. Cano. Casalius. Alanus. Bellar. Primum fundamentum ex Conciliis. Secundum ex Patribus

constat per evidentia SS. Patrum testimonia. Nam in primis cum de celebratione Eucharistiæ agunt, utuntur vocibus sacrificii, immolationis, oblationis, et hostiæ. Unde Sanctus Andreas dixit Ægeæ Proconsuli, ut referunt Presbyteri. et Diaconi Achaiæ : « Ego immaculatum agnum in « altari offero, cujus carnes postquam om-« nis populus credentium manducaverit, « agnus, qui immolatus est, integer perse-« verat, et vivus. » Divus Ambrosius in capit. 1 Lucæ ait : « Cum sacrificamus, « Christus adest, Christus immolatur. » Div. Augustinus lib. 4, *de Trinit.* cap. 14 : « Quid gratius offerri, aut suscipi posset. « quam caro sacrificii nostri, corpus ef-« fectum sacerdotis nostri? » Div. Chrysostomus tomo 24, in 1, *ad Corinth.* « Pro « victimarum, et pecorum cæde se ipsum « offerendum præcepit. » S. P. N. Cyrillus in defensione 11, anath. ait : Sanctum, « ac vivificum, incruentumque in Ecclesia « celebramus Sacrificium. » Similiter loquuntur S. Hyppolitus Martyr in orat. *de Antichristo.* S. Gregor. Nyssen. in oratione, *de Mensur.* Div. Fulgentius lib. 2, *ad Ronymum*, cap. 2, et alii, quos prolixum esset referre. Deinde altare est in ordine ad victimam, ac sacrificium, et quidem proprie dicta ; quippe manifestum est pro aliis operibus, quæ improprie, et abusive sacrificium appellantur, altare minime requiri : unde hæretici qui negant Eucharistiam esse sacrificium, ubique altaria demoliuntur, substituendo mensas conviviales, quia intelligunt altare esse evidens signum sacrificii proprie dicti. Occurrit autem in Patribus antiquissima, et frequentissima mentio altaris ad conficiendum, et offerendum Eucharistiam. Nam ejus meminerunt Div. Dionysius de *Eccles. hierarch.* cap. 3, Tertullianus lib. *de pœnitentia*, Div. Cyprianus lib. 1, epist. 9, Div. Augustinus lib. 8, *de Civitate*, cap. ult. Div. Ambrosius lib. 5, epist. 33, et alii communiter. Sed proferamus aliquorum verba. Div. Gregorius Nazianz. orat. in Gorgoniam scribit « illam « ad altare procubuisse, et invocasse illum, « qui super altare coli solet. » Divus Chrysostomus hom. 20, in 1, ad Corinth. ait : « Tu altare honoras, quod accipit corpus « Christi, » et hom. 53, *ad populum*: « Si quis « vellet hoc altare subruere, nonne illum « lapidibus obrueritis ? » Optatus Milevitanus lib. 6, contra Parmenianum : « Quid « est tam sacrilegium, quam altaria Dei, in « quibus aliquando, et vos obtulistis, fran-« gere ? » Denique concedentibus ipsis hæreticis, sacerdos proprie dicitur in ordine ad sacrificium : unde sicut illi nostrum sacrificium negant, sic etiam non admittunt, nec habent ullos sacerdotes, sed ministros (sic vocant) verbi, et sacramentorum. At in Patribus frequentissime reperimus nostræ legis sacerdotes, ut in Dionysio *de Eccles. hierarch.* cap. 1, et 3, et 5, Tertulliano in lib. *de velandis virginibus*, Eusebio lib. 5, demonstr. Evang. capit. 3, Divo Cypriano in plurimis epistolis, Div. Chrysostomo in sex libris *de sacerdotio*, Div. Augustino lib. 20, *de Civitate*, capit. 10, et aliis, quos prolixum esset referre. Satis fuerit referre verba Sancti Gaudentii, qui primis sæculis floruit, tract. 2, *de Exodo*, ubi ait : « Domi-« nus discipulis fidelibus mandat, quos « primos Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, « ut indesinenter ista vitæ æternæ myste-« ria exercerent : quæ necesse est a cunctis « sacerdotibus per singulas totius orbis Ec-« clesias celebrari. » Hæc evidenter demonstrant, quod tam ex Patrum sententia, quam ex perpetua Ecclesiæ traditione, quæ in eorum scriptis repræsentatur, Missa est verum, et proprie sacrificium. Nec id vel ipsi hæretici negare queunt ; quin potius in rabiem, et desperationem acti fatentur se contra Patres sentire. Unde Lutherus in lib. contra Regem Angliæ inquit : « Ultimo « dicta Patrum inducit Rex pro Missario « sacrificio, et ridet meam stultitiam, quod « solus velim sapere præ omnibus, Hoc est, « quod dixi, Thomistas asinos habere nihil, « quod producant, nisi multitudinem homi-« num, et usum antiquum. » Et lib. *de captivit. Babyl.* capit. 1, statuit : « Si nihil ha-« betur, quod dicatur : melius est omnia « negare, quam Missam sacrificium esse « concedere. » O arrogans stultitia ! Sic illa bestia mordebat, et frangebat frænum, Patrum scilicet auctoritatem, et canos, cum nihil tutius piis pectoribus fuerit, quam eo contineri ; et quiescere in illorum traditione.

Idem. | Idem. | Hæreticorum confessio.

6. Ea vero supposita, quæ est securissima Scripturarum interpres, probatur tertio nostra conclusio multis Sacræ Paginæ testimoniis, quæ late expendit Bellarminus lib. 1, *de Missa* a cap. 6. Sed quia nos hæc non tam scribimus, ut controversiam pro dignitate materiæ producamus, quam ut

Probat ex locis scripturæ.

ut non prætermittamus veritatem, quæ præstat fundamentum succedentibus difficultatibus Scholasticis pertractandis; idcirco pressius unum, aut alterum Scripturæ
Psal. 109 locum proponemus. Celebris est ille Psalm. 109. *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: quem Apostolus ad Hebr. 7, explicat de Christo Domino probans illum fuisse sacerdotem non secundum ordinem Aaronis, sed secundum ordinem Melchisedech. Porro Melchisedech sacerdos obtulit sacrificium panis, et vini,
Gen. 14. ut constat Genes. 14: *Mechisedech Rex Salem protulit panem, et vinum: erat enim sacerdos Dei altissimi.* Unde fit, quod si sacerdotium Christi durat usque ad finem mundi, ut Deus juravit; duret etiam sacrificii ritus: at sacrificium cruentum crucis semel peractum est: ergo aliud esse sacrificium oportet, quod jugiter offeratur: quippe nullus dicitur sacerdos, nisi habeat sacrificium, quod offerat. Atqui in Ecclesia nullum sacrificium assignari valet, nisi Missa, in qua Christus mystice immolatur sub speciebus panis, et vini: sicut Melchisedech panem, et vinum obtulit. Ergo Missa est vere, et proprie sacrificium, quod Christus, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, offert jugiter per suos ministros. Et quamvis hæretici variis cuniculis istud fundamentum subruere curaverunt: in eis præcludendis modo non immoramur: quia hoc studium late posuimus tract. 21, disput. 31, dub. 1, egentes de Christi sacerdotio, quem locum repetat lector. Nunc satis fuerit dicere hunc esse communem Patrum sensum, ex quibus
D. Aug. D. Augustinus lib. 16, *de Civitate, cap.* 22, agens de oblatione Melchisedech inquit: « Ibi primum apparuit sacrificium, quod « nunc a Christianis offertur Deo toto orbe « terrarum. » Et lib. 1, contra advers. legis et Proph. cap. 20, ait: « Noverunt, qui « legunt, quæ protulerit Mechisedech, quan- « do benedixit Abraham; et jam sunt par- « ticipes ejus. Vident tale sacrificium nunc « offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem « juratio incredulorum est increpatio: et « quod Deum non pœnitebit, significatio « est, quia hoc sacerdotium non mutabit. »
Malach. 1. Celebris etiam locus est Malachiæ 1, prænuntiantis futurum esse nobilissimum sacrificium in lege gratiæ: « Ab ortu solis, « *inquit*, usque ad occasum magnum est « nomen meum in Gentibus: et in omni « loco sacrificatur, et offertur nomini meo « oblatio munda. » Ubi tempus præsens stat pro futuro juxta morem Prophetarum, qui propter certitudinem prædictionis futura quasi præsentia, aut etiam præterita nuntiant, sicut in Psalm. 21: *Diviserunt* Psal. 21.
sibi vestimenta mea, hoc est, divident. Datur igitur juxta præmissam prophetiam nobilissimum aliquod sacrificium in lege Evangelica: et non est assignabile aliud, quam Missa, in qua Christum mystice immolamus. Nec potest dici sermonem ibi esse de Præcluduntur effugia.
aliquo sacrificio Judæorum: quia horum sacrificia non fuerunt in Gentibus, nec in omni loco ab ortu Solis usque ad occasum; sed in sola Judæa. Nec dici ulterius valet Prophetam loqui de sacrificiis Gentilium oblatis vero Deo, quem aliqui eorum coluerunt per veram fidem, ut immerito, et minime secura (ut putamus) singularitate interpretatur ibidem Arias Montanus. Tum quia locus significat futuram esse unam tantum oblationem: Gentiles autem habuerunt plures, et nulli determinato ritui alligabantur in offerendo. Tum etiam quia Gentiles habentes veram fidem fuerunt paucissimi: Propheta autem significat maximam multitudinem offerentium unum sacrificium, « in Gentibus, *inquit*, in omni « loco, ab ortu Solis usque ad occasum. » Tum denique, quia Propheta exaggerat puritatem oblationis: nulla autem erat apud Gentiles oblatio, quæ in puritate, et sanctitate excederet sacrificia Judæorum; siquidem ista fuerant præscripta a Deo, et Judæi habebant expressiorem fidem, et Dei cultum, quam ullæ Gentes. Non itaque pertinet illa prophetia ad antiquos Gentiles sed ad fideles in lege gratiæ. Tandem dici nequit cum Calvino Malachiam loqui de sacrificio spirituali, et invisibili, quod consistit in fide Christi, oratione, et aliis operibus. Id enim refellitur primo ad hominem contra Calvinum, et asseclas, qui dicunt omnia opera nostra esse immunda: Propheta autem loquitur de oblatione munda. Secundo, quia Propheta pronuntiat sacrificium futurum post statum legis Mosaycæ, atque illi successurum, et sacrificium invisibile, et spirituale consistens in fide, et operibus commune quid est, et fuit omnibus justis in quocumque generis humani statu. Tertio, Propheta absolute vocat sacrificium, et oblationem: sacrifi-

cium autem invisibile non est absolute tale ; sed solum improprie, et abusive, ut diximus numero 1. Quarto, et ultimo (quod caput est) quia Patres, quos et non Calvinum audire oportet, illam prophetiam explicant de sacrificio eucharistico Missæ, Justinus Martyr *in Dialogo cum Triphone*, D. Just. D. Irenæus lib. 4, cap. 32, D. Augustinus D. Iren. D. Aug. in lib. 1, *contra advers. leg. et Prophet. cap.* D. Dam. 20, D. Damascenus lib. 4, *de fide*, cap 14, et alii. Quamvis autem eorum aliqui locum etiam explicent de sacrificio laudis ; id tamen minime præjudicat : quia sacrificium Missæ cum laude etiam offertur. Et iidem Patres unam, et alteram expositionem in eodem illo loco conjungunt, ut alias sæpe contingit in Scriptura.

Insinuantur alia testimonia. Alia etiam Scripturæ testimonia hanc veritatem liquido evincunt, quæ insinuare sufficiet. Daniel cap. 11, prænunciat quendam regem (nempe Antichristum, ut expli- Dan. 11. 2 ad Thes. 2. cat Apostolus 2 *ad Thessalon.* 2,) ablaturum esse juge sacrificium : est igitur in Ecclesia juge aliquod sacrificium, quod auferre curabit Antichristus. Nec proderit recursus hæreticorum ad sacrificium invisibile : quia istud nec est proprie sacrificium, nec auferri valet per exteriorem Ad Hebr. 13. tyrannidem. Apostolus *ad Hebræ.* 13, manifeste profitetur dari in Ecclesia altare. *Habemus*, inquit, *altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Porro altare non requiritur, nec deservit ad sacrificium invisibile, et metaphoricum ; sed ad sacrificium externum, et proprie dictum. Oportet itaque fateri dari de facto in Ecclesia verum sacrificium : et aliud assignari non valet, quam Eucha- Isaiæ 19. ristiæ celebratio, seu Missa. Isaias cap. 19, prædixit : *Cognoscent Egyptii Dominum in die illa , et colent eum in hostiis, et muneri-* D. Hier. Euseb. *bus.* Quem locum D. Hieronymus in ejus *Comment.* et Eusebius lib. 1, *demonstrat. Evang.* cap. 6, explicant de sacerdotibus novæ legis, inde probantes legis translationem, quia sacerdotium translatum est ad Ægyptios, sive Gentiles. Nec proderit hæreticis recursus ad sacrificia invisibilia : quia eodem loco fit mentio altaris: *In die illa erit altare Domini in medio Ægypti :* ad sacrificia autem spiritualia nullum altare requiritur. Idem propheta cap. 66, prænuntiat Dei nomine : *Assumam ex eis sacerdotes, et Levitas.* Et D. Hieronymus ibidem exponit de sacerdotibus legis gratiæ : et merito quidem : nam sermo est de conversione Gentium ; et Propheta distinguit sacerdotes a reliquo populo. Per quod excluditur recursus ad sacrificium spirituale : istud enim toti populo est commune.

Motivum ab ipsa institutione. 7. Quarto probatur conclusio ex ipsa hujus sacramenti institutione : quoniam Christus instituendo, et consecrando Eucharistiam, verum sacrificium Deo obtulit : sed hoc ipsum, quod ipse fecit, præcepit Apostolis, et aliis sacerdotibus, ut facerent, cum dixit : *Hoc facite in meam commemorationem :* ergo sacerdotes, cum celebramus Missam conficiendo Eucharistiam, verum sacrificium Deo offerimus. Cætera constant. Et major ostenditur : quia celebratio agni Paschalis apud Hebræos erat verum sacrificium, ut omnes affirmant, et constat ex illo Numer. 9 : *Si quis mundus est, et itinere* Num. 9. *non fuit, et tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis : quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo.* Christus autem post cœnam agni Paschalis instituendo, et celebrando Eucharistiam se ipsum obtulit, implendo, quod per antiquum agnum repræsentabatur. Unde sicut occisio, et celebratio agni erat verum sacrificium, sic oportuit, quod celebratio, et consecratio Eucharistiæ foret verum sacrificium, quod Christus offerret Patri. Et sic mysterium, et illius figuræ ad istam veritatem correspendentiam explicant communiter Patres. D. Cyprianus in serm. D. Cypr. *de cœna Domini*, ait : « Cœna disposita, inter « sacramentales epulas, obviaverunt sibi « instituta antiqua et nova : et consumpto « agno, quem antiqua traditio proponebat, « inconsumptibilem cibum Magister apponit, nempe se ipsum sub speciebus, qui « solus cibus inconsumptibilis potest merito appellari. » D. Gaudentius tractatu 2, D. Gaud. *in Exodum* ait : « In umbra illius legalis « Paschæ non unus agnus occidebatur, sed « plures : nam sufficere unus non poterat « universis. Sed idem Christus per singulas « Ecclesiarum domos in mysterio panis, et « vini immolatus, vivificat creditus, con- « secrantes sanctificat consecratus : hæc « agni caro, hic sanguis est. » Div. Chrysostomus *in homilia de prodit. Judæ* D. Chris. inquit : « Fuit quidem aliquando Pascha « Judaicum, sed exemptum, et evacuatum est Paschæ spiritualis adventu, « quod Christus tradidit. Nam cum manducarent, et biberent, accepit panem

« et fregit, et dixit: Hoc est corpus meum.» D. Leo. D. Leo sermone 7, *de Passione* ait : « Ut « ergo umbræ cederent corpori, et cessa- « rent imagines sub præsentia veritatis, « antiqua observantia novo tollitur sacra- « mento : hostia in hostiam transit, san- « guinem sanguis excludit, et legalis fes- « tivitas, dum mutatur impletur. » Similia Tertul. proferunt Tertullianus lib. 4, *contra Mar-* D. Naz. D. Aug. *cionem* circa finem, D. Nazianzenus orat. D. Greg. 2, de Pascha. Div. Ambrosius in cap. 1 *Lucæ*, Div. Augustinus lib. 3, contra litt. *Petiliani*, capite 27, Div. Gregorius homil. 22, *in Evang.* et alii communiter, qui diversis verbis hanc unam sententiam explicant, nempe Christum subrogasse agnum immaculatum, id est, se ipsum sub speciebus sacramentalibus loco veteris agni, cujus celebratio erat apud Judæos sacrificium. Unde consequitur, quod instituendo Eucharistiam, excluso veteri illo sacrificio, se 1 A. Corinth. 5. Deo in sacrificium obtulerit. Et hoc ipsum mysterium significavit Apostolus 1 *ad Corinth.* 5, dicens : *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus...Itaque epulemur in azymis sinceritatis etc.*

Confirmatio. 8. Confirmatur : nam Christus Dominus Ecclesiam suam fundans aliquod in ea instituit sacrificium : sed non aliud invenitur instituisse, quam Eucharisticum, offerendo scilicet Deo suum corpus, et sanguinem sub speciebus panis, et vini, et mandando discipulis, quod id facerent in ejus commemorationem : ergo quando Christus instituit et celebravit Eucharistiam, tunc etiam instituit sacrificium, quod in ejus Ecclesia perseverat, et per ministros in Missa offertur. Minor, et consequentia patent. Major autem ostenditur : quia Christus Ecclesiam fundans debuit ita providere, quod illam non destitueret eo genere cultus, qui Deum maxime colit, et sine quo nulla religio consistit : aliter enim disponendo non satis ostenderet summam suam sapientiam, et immensum erga Ecclesiam, sponsam scilicet sibi dilectissimam, amorem. Modus autem colendi Deum per sacrificium aptissimus est ad maximum Dei cultum ; siquidem eo modo reveremur summam Dei excellentiam, et protestamur supremæ potestatis dominium, quod in vitam, et mortem habet. Deinde nullam reperiemus religionem veram, vel falsam, quæ non habuerit sacrificia ad colendum scilicet nomen, quod tanquam Deum venerabatur, ut ex lectione historiæ tam sacræ, quam profanæ manifeste constat, Unde D. Au- D. Aug. gustinus lib. 19, *contra Faustum* asseruit, « in nullum nomen Religionis, sive verum, « sive falsum coadunari homines posse, « nisi aliquo sacrificiorum, et sacramento- « rum visibilium consortio colligentur. » D. Tho. Et D. Thomas 2, 2, quæstione 85, artic. 1, docet, et probat sacrificium esse de jure naturæ : quod proinde locum habere debet in omni statu, aut lege, in quibus humana natura gubernetur. Ergo Christus fundans suam Ecclesiam aliquod sacrificium in illa instituit.

Nec momenti est, quod respondent hæretici Christum nec instituisse, nec debuisse instituere ullum in sua Ecclesia sacrificium : quia per sacrificium crucis, quod semel obtulit, perfecte satisfecit pro peccatis hominum, et eisdem impetravit cuncta bona, quæ Deus illis dispensat : unde superfluum est aliud sacrificium. Id, inquam, nihil valet, sed facile evertitur. Primo quidem, quia finis adæquatus, et principalis sacrificii non est Deo satisfacere, vel apud illum mereri, aut aliquid impetrare ; sed maxime ad sacrificium pertinet colere Deum protestando sensibiliter ipsius eminentiam, et potestatem : unde sacrificium importat opus externum imperatum a Religione, cujus est principale officium Deum colere ; sed ex eo, quod Christus in cruce obtulerit perfectissimum sacrificium ; minime impeditur, quod nos eliciamus virtutum opera, et quod colamus Deum pluribus aliis mediis, ut ex se liquet : ergo pariter non impeditur, quod ipsum colamus per sacrificium : ergo ex prædicto motivo minime vitatur, quod Christus recte providens debuerit in sua Ecclesia instituere aliquod sacrificium. Secundo, quia si illud motivum aliquid probaret, evinceret utique nulla ullo in tempore fuisse vera sacrificia; siquidem Christus per sacrificium crucis perfecte satisfecit pro peccatis omnium hominum in quocumque statu vel naturæ, vel legis, vel gratiæ : propter sacrificium etiam crucis dedit, et dat Deus hominibus cunctam gratiam, et alia dona. Sed consequens est manifeste falsum utpote evidenter contrarium Sacræ Scripturæ, in qua reperimus vera sacrificia a Deo instituta. Ergo prædictum motivum nullius ponderis est, ut Christus propter illud non debuerit aliquod sacrificium in sua Ecclesia

Responsio hæreticorum.

Confutatur multipliciter

instituere. Tertio, quia licet Christus per sacrificium crucis perfectissime satisfecerit pro nobis quoad sufficientiam ; (fuit enim illud sacrificium valoris simpliciter infiniti in actu primo tum ad satisfaciennum pro omnibus peccatis, tam ad impetrandum, et merendum omnia bona :) nihilominus quantum ad efficaciam, sive effectum in actu secundo debet nobis applicari per instrumenta, et media a Christo instituta, ut sunt sacramenta, et sacrificium. Quare sicut non obstante mysterio crucis non sunt vana, aut superflua in Ecclesia Dei sacramenta ; quin potius in eorum usu valor sacrificii crucis nobis applicatur ; sic etiam contingit in sacrificio : et propterea licet sacrificium crucis fuerit perfectissimum, minime inde sequitur non existere in Ecclesia aliquod verum sacrificium : præsertim cum istud sit illudmet quod Christus obtulit in cruce, si consideremus rem ablatam, et principaliter offerentem, ut infra declarabimus.

Ratio a priori. 9. Probatur quinto eadem assertio ratione a priori, suppositis fidei principiis : quia Missæ convenit diffinitio sacrificii : ergo est sacrificium vere, et proprie; sicut vere, et proprie illud est homo, cui convenit hominis diffinitio, nempe esse animal rationale. Antecedens ostenditur discurrendo per omnes particulas diffinitionis sacrificii. Nam in primis est *oblatio Deo facta:* quippe in Missa offerimus Deo corpus, et sanguinem Christi sub speciebus sacramentalibus : et ut inquit D. Augustinus lib. 4, *de Trinit.* cap. 14: « Quid tam grate offerri, « et suscipi posset, quam caro sacrificii « nostri, corpus effecta sacerdotis nostri? » Deinde verificatur, *per immutationem alicujus rei :* quia in consecratione adest aliqua immutatio rei oblatæ : quippe corpus, et sanguis Christi ex vi consecrationis recipiunt novum modum realem, quem prius non habebant, ut diximus disp. 5, dub. 3, et disp. 6, dub. 3. Præsertim cum et si totus Christus sit sub qualibet specie ; nihilominus ex vi verborum ponitur sub specie panis corpus Christi, non autem ejus sanguis; et e converso sub specie vini ponitur ex vi verborum sanguis Christi, et non ejus corpus : sicut re ipsa ponerentur separata in illis specibus, si in triduo mortis Christi facta fuisset Eucharistiæ consecratio, ut explicuimus disp. 7, dub. 1, cum duobus sequentibus. (Sed de immutatione ad istud sacrificium requisita magis ex professo dicemus dub. seq. a numero 19.) Præterea totum hoc fit « in signum su« premi dominii Dei super omnes res : » ad hoc enim offerimus istam hostiam. Denique verificatur id fieri *ex legitima potestate* : quia Christus hoc instituit, et dedit sacerdotibus potestatem idem faciendi dicendo : *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo Missæ convenit diffinitio sacrificii. Cujus motivi non major confirmatio desiderari potest, quam dilutio manifesta argumentorum, quibus Adversarii utuntur, ut proxime præstabimus.

10. Sed priusquam illud præstemus, omittere non oportet prudentiale motivum (et sextum sit pro nostra assertione argumentum), plane convincens omnem intellectum, qui in reprobum sensum datus non sit. Etenim Missam esse verum sacrificium docuit expresse, et uniformiter tota Ecclesia Catholica tam Latinorum, quam Græcorum, et Barbarorum, quæ ab annis mille floruit : et oppositum cœperunt post tot sæcula docere homines perditissimæ vitæ, Wiclephus, Lutherus, Calvinus, et similes, qui nos, quod sacrificium Missæ offeramus, vocant impios, idololatras, et sacrilegos. Ergo sententia nostra est vera, et Adversariorum falsa. Antecedens posset in primis demonstrari evidenter testimoniis nostrorum, ut D. Isidori, Amalarii, Walfridii, Ruperti, Hugonis, et aliorum plurium Doctorum Latinorum, qui de sacrificio Missæ, ejus partibus, et significatione scripserunt : et similiter Germani Constantinopolitani, Simeonis Thessalonicensis, Nicolai Cabasilas, et aliorum, qui inter Græcos floruerunt. Sed probatur evidentius ex ipsa hæreticorum confessione : nam Lutherus in lib. *de captiv. Babyl.* cap. 1, dixit : « Missa creditur passim esse sacrifi« cium, quod offertur Deo. Accedunt his « dicta SS. Patrum, tot exempla, tantus« que usus per orbem constanter observa« tus. » Et infra : « Totus orbis contra« rium et sensum et usum habet. » Similia habet in epistola dedicatoria libri *de abroganda Missa.* Et Calvinus lib. 4 *Instit.* cap. 18, § 1, inquit : « Pestilentissimo « errore Satan totum pene orbem obcæca« vit, ut crederet Missam sacrificium esse, « et oblationem ad remissionem peccato« rum, et § 18, Sententia, quod Missa sit « sacrificium, inebriavit omnes reges ter-

Notabile fundamentum

Luther.

Calvin.

ræ,

« ræ, et populos a summo usque ad novis- « simum. » Consequentia vero ostenditur: tum quia supposita veritate antecedentis, et doctrina Adversariorum sequitur totam Ecclesiam per spatium mille annorum, et amplius errasse graviter in fide, Christumque subinde toto hoc tempore sponsam, et hæreditatem non habuisse : quod evidenter opponitur Scripturæ Matth. 16: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Lucæ 1: *Regni ejus non erit finis.* Cum igitur id colligatur ex hæreticorum sententia, sequitur illam esse evidenter falsam. Tum etiam quia ulterius sequitur Ecclesiam fuisse toto isto tempore idololatram, quod palam dicunt, nobisque opponunt Adversarii : id autem contradicit vaticiniis Prophetarum, et nominatim Oseæ 2, qui prædixerunt post adventum Messiæ cessaturam idololatriam. Tum præterea quia similiter infertur plurimos Sanctos, et Doctores, qui præcedentibus sæculis floruerunt, et Missam celebrarunt, fuisse impios, idololatras, et sacrilegos. Tum denique quia infertur Deum suæ Ecclesiæ non recte providisse, qui cum omnia necessaria revelet, tamen mysterium istud adeo necessarium tot sæculis non revelavit, sed hanc lucem servavit Luthero, Calvino, et ejusdem farinæ hominibus in temporibus jam novissimis. Quæ omnia tam dura, tam absurda sunt, ut nemo, quod prius dicebamus, illa admittat, vel credat, nisi quem pessimus diabolus obcæcaverit.

Matth. 16. Lucæ 1.

§ III.

Evertuntur hæreticorum motiva.

11. Contrariam hæresim primus docuisse videtur Wiclephus Anglus, qui cum in omnes ritus, et sacramenta Ecclesiæ inveheretur, huic etiam mysterio minime pepercit. « De quo articulo » (inquit Soto lib. 9, *de justitia*, quæst. 2, art. 1). « Venerabilis Waldensis contra ipsum egregie « disputavit lib. 2, de sacramentis : ac de « hoc peculiari puncto, an sit sacrificium, « cap. 31 et 32. » Sed consepultum errorem, et aperte reprobatum extumulaverunt Wiclephi hæredes Lutherus in libello *de abroganda Missa privata*, et in lib. *de captivitate Babylonica*. Calvinus loco citato. Kemnitius in 2 parte *Examinis* pag. 800, et alii sectarii, asserentes in lege Evangelica solum dari sacrificium spirituale, et improprie dictum : unde in celebratione Eucharistiæ non recognoscunt sacrificium verum, sed solam memoriam crucis, et mortis Christi, vel aliquod laudis sacrificium. Et arguunt primo ; quia sacrificium proprie dictum est sacrificium visibile, sive consistens in visibili rei oblatione, ut supra num. 2 explicuimus : sed in lege Evangelica nullum est sacrificium visibile : ergo in tali lege nullum est verum, et proprium sacrificium : atque ideo Missa nequit esse sacrificium ejusmodi. Cætera constant, Minor autem probatur : quia Christus Samaritanæ interroganti, an Deus deberet coli in templo, vel in monte Garizim ? respondit Joan. 4 : *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.* Et subjunxit rationem : *Quia veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate. Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportet adorare.* In quo testimonio ly *adorare* toties repetitum idem valet, ac sacrificare : tum quia sic accipiendum est juxta phrasim Scripturæ, ut constat Genes. 22: *Postquam adoraverimus, revertemur ad vos*, id est, postquam obtulerimus sacrificium. Et Act. 8: *Venerat adorare in Hierusalem*, id est, sacrificare. Tum quia quæstio erat inter Judæos, et Samaritanos, et ab illa muliere proponebatur, quo loco deberet sacrificium offerri. Ergo juxta sententiam Domini nullum futurum erat sacrificium visibile in lege gratiæ.

Wicl. Luther. Calvin. Kemnit. Primum argumentum. Joan. 4. Gen. 22. Act. 8.

Respondetur concessa majori negando minorem. Ad cujus probationem concedimus eo loco nomine adorationis significari sacrificium. Sed ex ipso testimonio magis evincitur nostra sententia, et evertitur hæreticorum illatio : nam Christus loquitur de sacrificio proprio legis Evangelicæ, ut constat ex Christi verbis : *Venit hora, et nunc est, etc.* sacrificium autem mere spirituale, et improprie dictum non est sacrificium proprium legis Evangelicæ, et quod tunc mulieri Samaritanæ proponebatur, et promittebatur; manifestum namque est sacrificium invisibile, sive per actus internos, commune quid fuisse omnibus fidelibus in lege naturæ, et in lege scripta. Sermonem itaque faciebat Christus de alio sacrificio, nempe sui corporis, et sanguinis; quod modo celebramus. Merito autem asseruit hoc sacrificium futurum *in spiritu*,

Diruitur.

et veritate. In spiritu quidem non quia invisibile omnibus modis sit; sed quia fit non actione materiali et carnali, ut olim sacrificia fiebant. Si namque attendamus ad externum ritum, solo verbo fit: et si attendamus ad mutationem ibi intervenientem, fit sola virtute divina. In veritate autem, quia jam non in figuris sicut olim; sed vere, et realiter caro, et sanguis Christi in illo continentur, et offeruntur. Unde hic locus consonat mirabiliter alteri, in quo Christus Joan. 6, de isto mysterio agens, et illud promittens dixit: *Verba, quæ ego loquor vobis, spiritus, et vita sunt*. Sensus itaque totius responsionis Christi est, quod neque in illo monte, neque in templo Hierosolymitano in posterum coleretur Deus sacrificiis carnalibus Judæorum. Sed minime negavit futurum esse sacrificium verum, quod quantum ad suam virtutem, et modum existendi rei oblatæ esset spirituale, et invisibile; licet foret visibile quantum ad species, sub quibus res oblata continetur, et quantum ad ritum, quo celebratur. Quare qui hoc sacrificio Deum colit, illum adorat in spiritu, et veritate: et objectus locus merito in opponentes regeritur.

Joan. 6.

Secundum argumentum.

12. Arguitur secundo: quia supposito sacrificio cruento crucis, vel hoc sacrificium, quod celebramus, est adhuc necessarium ad satisfaciendum pro peccatis, et impetrandum beneficia; vel non est necessarium? Si eligatur hoc ultimum; inde liquido sequitur nos absque necessitate, et subinde sine fundamento introducere istud in lege Evangelica sacrificium. Si autem eligatur primum; non minus manifeste sequitur sacrificium, quod Christus in cruce obtulit, fuisse insufficiens ad satisfaciendum, et impetrandum: atque ideo dum introducimus istud Missæ sacrificium, injuriam irrogamus sacrificio crucis, et summo sacerdoti Christo, qui illud obtulit: convincimur enim, quo abjecte de illis sentiamus. Quod argumentum urgenter confirmatur diversis illationibus desumptis ex Apostolo in epist. *ad Hebræos*, ubi agit de sacerdotio Christi, et imperfectione sacrificiorum veteris legis. Nam in primis per totam epistolam docet omnia vetera sacramenta fuisse infirma, quia post illa necessarium fuit sacrificium crucis: hoc autem motivum æqualiter probat, ubi unum sacrificium succedit post aliud; siquidem inde evincitur primum minime suffecisse: ergo si post sacrificium crucis datur in lege gratiæ sacrificium, sequitur crucis sacrificium fuisse infirmum, et imperfectum. Præterea cap. 9, dicit antiquos sacerdotes frequentasse, atque iterasse sacrificia, eo, quod ad perfectionem non perducebant, et deinde subjungit: *Christus autem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa*. Et infra: *Nunc autem semel ad destructionem peccati in consummatione sæculi per hostiam suam apparuit*: ergo ex Apostoli sententia non debet admitti nisi unicum sacrificium, quod Christus in cruce obtulit. Unde cap. 10, ait: *Christus autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei: de cætero expectans, donec ponantur inimici sub pedibus ejus: una enim oblatione consummavit sanctificatos*. Deinde cap. 7, docet in veteri lege multiplicatos fuisse sacerdotes, quia morte prohibebantur permanere: sed Christus manet, et est sacerdos in æternum, ut ibidem probat Apostolus: ergo oportet, quod post Christum nulli sint sacerdotes Christi successores: atque ideo, quod nec sit sacrificium, ad quod sacerdotium ordinatur.

Confirmatio.

ad Hebr. 9.

Solvitur argumentum.

Ad argumentum respondetur, quod post sacrificium crucis non fuit necessarium aliud sacrificium quasi offerens pretium pro remissione peccatorum, et impetratione donorum: quippe sacrificium a Christo in cruce oblatum habuit valorem simpliciter infinitum, et sufficiens ad omnia. Fuit autem necessarium aliud sacrificium (aliud intellige, saltem in modo, et ex parte ministrorum proxime offerentium), ad applicandum pretium, sive valorem sacrificii Christi in cruce. Quod minime derogat hujus perfectioni; sed magis manifestat illam fuisse universalissimam: quam proinde oportuit determinari per alias causas magis particulares, ut sunt sacramenta, et sacrificia. Sicut non fuit contra perfectionem, et sufficientiam sacrificii crucis, quod in veteri lege fuerint vera, et propria sacrificia: nec est contra perfectionem redemptionis per Christum, quod applicetur nobis per usum sacramentorum: nec denique est contra perfectionem summam Dei in agendo, quod secum admittat concursum causarum secundarum tam universalium, quam particularium. Quam doctrinam aliqui magis, et non incongrue explicant

Nota.

cant distinguendo triplex genus sacrificii pro peccatis. Primum est adeo imperfectum, quod ex se non habeat virtutem vel ad remittenda peccata, vel ad applicandum satisfactionem exhibitam per aliud sacrificium : sed comparatur præcise tanquam figura alterius sacrificii, et quatenus secundum communem rationem actus virtuosi deservit ad impetrandum, et satisfaciendum, suppositis aliis contitionibus, quæ ad id requiruntur. Secundum vero sacrificium est adeo perfectum, ut ex se offerat, et offerat saltem in actu primo pretium sufficiens pro remissione peccatorum, et pro quibusvis aliis effectibus. Tertium denique medio modo se habet : quia non ordinatur ad offerendum novum pretium, sed præcise ad applicandum jam acquisitum. Priori modo se habuerunt antiqua sacrificia, ut quæ nec ex se continebant pretium sufficiens, nec supponebant sacrificium Christi, quod applicarent : sed præcise habuerant esse figuras sacrificii Christi, et communem rationem operum laudabilium. Secundo modo comparatur sacrificium crucis a Christo oblatum, quod cum infiniti valoris fuerit, continet pretium in actu primo sufficientem ad expiandum omnia peccata, et ad impetrandum cuncta bona. Tertio denique modo comparatur sacrificium; quod in lege gratiæ habemus: supponit enim sacrificium Christi, de se sufficiens, et applicat virtutem ejus ad particulares effectus, indeque trahit omnem, qua gaudet, efficaciam. Unde tantum abest, quod sacrificium Missæ deroget sacrificio crucis, vel demonstret illud non fuisse de se sufficientissimum ut potius explicet infinitam ejus virtutem ex parte pretii in illo oblati, eamque virtutem determinet, et applicet ad peculiares effectus.

Evertitur confirmatio. 13. Et hinc etiam patet ad confirmationem desumptam ex diversis locis Apostoli in epist. *ad Hebr.* ut singula verba explicando constabit. Sed prius in genere duo observanda sunt, juxta quæ procedit legitimus Apostoli sensus. Primum intentionem ejus eo respicere, ut instruat Judæos, qui plurimum suis sacrificiis legalibus deferebant: ipse vero e contra ostendit imperfectionem illorum, atque necessitatem alterius sacrificii longe perfectioris, ut fuit sacrificium crucis : et consequenter etiam manifestat, quod sacerdotium Christi incomparabiliter excedit sacerdotium Aaronicum, sive legis scriptæ. Secundum intentionem Pauli, cum toties repetit redemptionem Christi esse perfectam, et eam consummasse nostram salutem, esse manifestare sufficientissimam ejus virtutem in actu primo ex parte pretii, sive infiniti valoris. Nam quod ad efficaciam pertinet, nec ipse excludit, nec hæretici excludere possunt concursum aliarum causarum : quippe et ipsi aliud requirunt, ut pretium redemptionis Christi hominibus efficaciter applicetur, sive illud sit sacramentum baptismi, sive fides, sive aliud quid. Ex opposito enim fieret omnes homines (siquidem pro omnibus passus est Christus) salvari reipsa, et neminem condemnari : quod est evidenter falsum, ut ipsi hæretici recognoscunt. Quando igitur Apostolus inculcat: *Introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa,* et *una oblatione consummavit sanctificatos etc.* non efficacem redemptionis et oblationis applicationem significat ; sed sufficientissimam vim in actu primo ex parte infiniti valoris reperti in pretio pro nostra salute oblato. Mens Apostoli in epistola ad Hebr.

Unde ad primam illationem neganda est minor, et etiam consequentia. Et disparitas est, quod post sacrificia antiqua ita successit sacrificium crucis, quod illa fuerint ejus umbræ, et figuræ, quæ non supposuerunt pretium oblatum: et ideo erant valde imperfecta, et insufficientia de se. Cæterum nostrum sacrificium ita succedit post sacrificium crucis, quod supponit infinitum ejus valorem, et illum applicat ad determinatos effectus. Unde minime sequitur, quod sacrificium crucis sit imperfectum, et insufficiens; sed magis manifestatur ejus virtus. Sicut Adversarii non dicent sacrificium crucis esse imperfectum, quod post ipsum oblatum requiratur baptismus, aut fides pro consequendo justitiam. Similiter ad secundam neganda est consequentia. Et disparitas est, quod antiqua sacrificia ideo non perducebant ad perfectionem, quia nec ex se afferebant pretium redemptionis, nec supponebant illud a Christo oblatum ; sed erant sacrificii Christi figuræ : quas oportebat multiplicari tum ad evidentius repræsentandum sacrificium Christi, tum ut prodessent in ratione operationum honestarum ex opere operantis. Sed sacrificium Christi in cruce fuit infiniti valoris: et ideo non debuit multiplicari, nec repeti eodem modo. Quod autem post illud Christi

sacrificium nos etiam sacrificium offeramus, non provenit ex eo, quod sacrificium Christi fuerit imperfectum, et insufficiens; sed quia oportet infinitam ejus virtutem applicari ad peculiares effectus cum efficacia: sicut Adversariis non negantibus applicatur per baptismum, et fidem. Ad tertiam dicendum est Apostolum merito affirmare sacerdotes antiquos plures fuisse, quia morte prohibebantur offerre: et e contra sacerdotium Christi non multiplicari, quia Christus manet, et est sacerdos in æternum. Sed inde solum infertur non dari in lege Evangelica sacerdotes, qui sint successores Christi, et paris cum eo potestatis; sicut in sacerdotibus antiquis, aliis morientibus, et aliis succedentibus, contingebat. Sed minime infertur non dari sacerdotes vicarios, ministros, et dispensatores; quin potius infertur oppositum: nam cum ipse Christus non fungatur suo sacerdotio, offerendo per se immediate sacrificium visibile; congruum fuit habere plures sacerdotes ministros, per quos hoc faciat, juxta illud ejusdem Apost. 2, *ad Corinth.* 5: *Pro Christo* 2 ad Corinth. 5.
legatione fungimur. Idque nec dignitati, nec unitati sacerdotii Christi præjudicat: sicut etiam idem Christus est unus Doctor, et Magister noster, ut profitetur Matth. 23, et nihilominus habet in terra plures ministros, qui ejus vice homines docent.

Tertium argumentum. 14. Arguitur tertio: nam si ex aliquo capite constaret dari in lege gratiæ sacrificium, maxime ex verbis Christi ad Apostolos: *Hoc facite in meam commemorationem:* sed ex his verbis magis colligitur oppositum: ergo nullum est verum sacrificium in lege gratiæ. Probatur minor: quia ex illis verbis ad summum colligitur nos debere facere, quod Christus in Cœna gessit. Ipse vero instituens, et consecrans Eucharistiam minime sacrificavit, vel sacrificium obtulit: unde in nullo Evangelio factum Christi referente invenitur aliquod vestigium sacrificii, sed solum cujusdam mystici convivii. Hoc igitur Christus ordinavit, nempe nos celebrare mysticam cœnam, non autem sacrificium. Confirmatur: quia si tunc Christus obtulisset sacrificium, per illud utique consummasset opus nostræ salutis; siquidem tale sacrificium fuisset infiniti valoris, et Deum redderet nobis pacatum: consequens est falsum; cum Christus postea obtulerit sacrificium crucis, et tunc dixerit Joan. 19, *Consummatum est* ergo Christus instituendo, et consecrando Eucharistiam non obtulit sacrificium. Ad hæc: si Christus in cœna obtulit sacrificium, per illud repræsentavit sacrificium crucis, atque ideo ut futurum; siquidem tunc nondum erat factum: sed præcepit, ut idem faceremus: ergo si sacrificamus, repræsentamus utique sacrificium crucis ut futurum: quod tamen est sacrilegium ob significationem falsam.

Confirmatio. (margin)

Alia. (margin)

Respondetur argumento. Ad argumentum negamus minorem. Ad cujus probationem constat ex dictis nu. 7, esse communem Patrum doctrinam, et constantem Ecclesiæ traditionem; quod Christus instituendo Eucharistiam instituerit novum pro lege Evangelica sacrificium: quod sufficientissimum est fundamentum, ut in prædicto sensu accipiantur verba Christi ad Apostolos: *Hoc facite in meam commemorationem.* Cum autem hæretici pulsant, et urgent, ut producamus Evangelii locum, in quo Cœna Domini appelletur sacrificium; prius ipsi urgeri debent, ut proferant Evangelistam, qui mortem Christi in cruce sacrificium appellaverit. Satis itaque est in scriptura haberi rem significatam, id scilicet, quod exprimi potest vocabulo sacrificii, ut § præced. ostendimus. Ad confirmationem respondetur negando sequelam: quia Deus disposuerat, quod Christus totum nostræ salutis negotium absolveret per mortem in cruce; unde ipse dixit, *Consummatum est.* Et plane nec ipsi hæretici negare possunt Christum antecedenter ad crucem habuisse plurima opera excellentissimi valoris, sufficientis ad nostram salutem: et tamen hæc omnia elicuit Christus cum subordinatione ad passionem, et mortem, ut constituentia unum meritum adæquatum, et unam satisfactionem totalem illo termino consummandam, ut ex professo explicuimus tract. 21, disp. 78, dub. 3. Sic igitur quamvis in cœna instituerit, et obtulerit verum sui corporis, et sanguinis sacrificium; id tamen minime præclusit locum passioni, et sacrificio offerendo in altari crucis. Ad augmentum difficultatis dicendum est Christum præcepisse Apostolis, et aliis sacerdotibus, ut istud sacrificium facerent, et offerrent modo convenienti. Unde ipse, qui sacrificando mortem suam prævenit, potuit eo sacrificio significare sacrificium ut futurum: nos autem ob oppositam rationem non possumus illud ut futurum repræsentare

Solvitur confirmatio. (margin)

Corruit secunda. (margin)

tare, quia illud jam oblatum supponimus: sicut etiam ipsi hæretici sua cœna non repræsentant cœnam Christi præsentem, quam ille instituens præsentem habuit, sed ut jam præteritam. Accedit illa verba, *Hoc facite* referri ad substantiam operis, non ad circumstantias, et modos: alias cœna Domini nec apud ipsos hæreticos posset celebrari nisi in determinata anni die, et tempore nocturno, et in solo pane azymo, et sedendo: hæc enim concurrerunt in prima Eucharistiæ institutione. Quod tamen non ita fit quia non oportet eodem prorsus modo nunc fieri, quo tunc. Ita ergo licet Christus in celebratione Eucharistiæ respexerit suam mortem ut futuram; sic etiam res tunc se habebat: minime infertur nos in celebrando Eucharistiam debere respicere mortem Christi ut futuram; quippe res aliter se habet.

Quartum argumentum. 15. Arguitur quarto: nam id, quod est sacramentum, et testamentum, nequit esse vere, et proprie sacrificium: sed Eucharistia est sacramentum, et testamentum: ergo non est vere, et proprie sacrificium. Cætera constant. Et major ostenditur: nam rationes sacramenti, et testamenti pugnant cum ratione sacrificii vere, et proprie dicti; siquidem sacramentum datur nobis a Deo, sacrificium autem Deo offertur a nobis: testamentum etiam est promissio hæreditatis Dei communicandæ, hœres autem nihil communicat testatori; ergo id, quod est sacramentum, et testamentum, nequit esse vere, et proprie sacrificium. Hoc argumentum dicit Lutherus esse solidum suæ doctrinæ in hac materia fundamentum, ut propterea pronuntiet idololatras Episcopos, et sacerdotes cum omnibus suis majoribus.

Confirmatio. Confirmat exemplo Christi, quem in ultima cœna legimus ad mensam discubuisse, et sacramentum discipulis distribuisse; sed non legimus, quod illud obtulerit Patri; fuit ergo Eucharistia a sua prima institutione sacramentum, non autem sacrificium.

Dispellitur argumentum. Ad argumentum respondetur nihil valere, ut vehementer miremur stultam arrogantiam Apostatæ, qui tantum illi detulerit. Nam licet idem, et secundum eandem rationem nequeat esse simul sacramentum, testamentum, et sacrificium; nulla tamen est repugnantia in eo, quod aliquid secundum diversas rationes exerceat prædicta munia. Quamvis enim sacramentum, qua tale, non sit sacrificium, aut e converso; nihilominus illud potest esse simul sacrificium, sacramentum, et testamentum. Sicut album, qua tale, non est dulce: sed tamen idem potest esse dulce, et album secundum diversas formas, et rationes. Neganda itaque est argumenti major. Et ad ejus probationem negamus iterum majorem, quam insertæ probationes minime evincunt: nam Eucharistia quatenus instituta a Deo in signum nostræ sanctificationis per gratiam cibantem, est sacramentum: et quatenus a nobis Deo offertur in signum supremi dominii, est vere, et proprie sacrificium. Sicut agnus Paschalis in antiqua lege, quatenus significabat gratiam, erat vere sacramentum: et quatenus offerebatur Deo erat vere sacrificium. Similiter Eucharistia, quatenus est instrumentum publicum voluntatis, et promissionis Christi de futura gloriæ hæreditate, habet rationem testamenti, seu signaculi voluntatis Christi testatoris: et tamen, ut continens corpus, et sanguinem Christi, quæ ejus nomine Patri offerimus, habet rationem sacrificii vere, et proprie. Quemadmodum in antiqua lege sanguis victimarum effusus super populum, habebat rationem tam sacrificii, quam testamenti, ut significatur Exodi 24. Nulla igitur est contradictio in eo, quod Eucharistia simul sit sacramentum, testamentum, et sacrificium secundum diversas rationes. Corruit. Ad confirmationem patet ex jam dictis, quod licet in Evangeliis non explicetur ratio oblationis, aut sacrificii; significatur tamen id, quod hac voce significari solet: sicut etiam in Evangeliis non explicatur ratio sacramenti; et tamen nec isti hæretici negant Christum Eucharistiæ sacramentum instituisse. Illud autem arguendi genus mere negativum, *Hoc non continetur expresse in Scriptura, ergo non contigit*, jam ipsis pueris ridiculum factum est: quippe potuit fieri, et in Scriptura non referri, sicut accidit in pluribus, quæ habemus per traditionem. Vel ostendant hæretici in Scriptura expressum baptismum parvulorum; quos tamen baptizant.

Quintum argumentum. 16. Arguitur quinto: quia mysterium Eucharistiæ est imago, figura, et signum sacrificii crucis: ergo non est vere, et proprie sacrificium. Consequentia patet: quia sicut imago hominis non est vere homo, et in universum sola rei repræsentatio non est veritas; sic imago, aut repræsentatio sacrificii non est vere sacri-

ficium. Antecedens autem etiam constat : quia illud communiter Patres affirmant, D. Aug. ut D. August. epist. 23, D. Chrysostomus D.Chry. hom. 17, *ad Hebræ*. D. Tho. statim referendus, et alii communiter. Explicatur hoc amplius, quia si mysterium Eucharistiæ esset vere, et proprie sacrificium, foret utique vera immolatio Christi : quippe de ratione veri sacrificii est illud in eo immolari, quod in eo offertur : unde si Christus in hoc sacrificio offertur, in eo utique immolabitur. Consequens autem non solum falsum, sed absurdissimum apparet : tum quia Christus jam non moritur : tum quia ex opposito fieret nostros sacerdotes in mysterio Eucharistiæ Christum occidere. Non itaque in hoc mysterio intervenit, nisi sola immolatio mystica, et repræsentativa : atque ideo nec tale mysterium est vere sacrificium, sed sola sacrificii crucis repræsentatio. Quæ omnia docuisse videtur D. Thom. in præsenti quæst. art. 1 his D. Tho. verbis :« Dicendum, quod duplici ratione « celebratio hujus sacramenti dicitur im- « molatio Christi. Primo quidem,quia sicut « dicit Augustinus ad Simplicium, solent « imagines earum rerum nominibus ap- « pellari, quarum imagines sunt : sicut « cum videntes tabulam, aut parietem pic- « tum, dicimus, ille Cicero est, et ille Sa- « lustius. Celebratio autem hujus sacra- « menti, sicut supra dictum est, imago « quædam est repræsentativa passionis « Christi, quæ est vera ejus immolatio. Et « ideo celebratio hujus sacramenti dicitur « Christi immolatio. Unde Ambrosius dicit « super epist. ad Hebræ. In Christo semel « oblata est hostia,ad salutem sempiternam « potens. Quid ergo nos, nonne per singu- « los dies offerimus ? Sed ad recordationem « mortis ejus. » Ergo ex mente Patrum mysterium Eucharistiæ solum est imago, et repræsentatio sacrificii, quod Christus in cruce obtulit. Unde Calvinus, ut refert Bellarminus, omnia argumenta Catholicorum eludebat, dicendo mysterium hoc esse sacrificium repræsentative, non autem vere, et proprie.

Solutio. Ad argumentum respondetur distinguendo antecedens, illudque concedendo absque exclusione aliarum rationum : sed negandum est, si cum exclusione intelligatur : et deinde negamus absolute consequentiam, quæ inepte ex illo colligitur. Quia sicut ex eo, quod aliquid sit imago repræsentans sacrificium, non sequitur esse vere sacrificium, ut patet in baptismo repræsentante sacrificium crucis, quin propterea sit verum sacrificium : sic etiam ex eo, quod aliquid sit imago alterius sacrificii, non sequitur, quod non sit in se vere sacrificium : fieri enim optime potest, quod sit alterius imago, et simul habeat omnes rationes, et conditiones veri sacrificii requisitas, ut patet in sacrificiis antiquæ legis, quæ repræsentaverunt sacrificium Christi futurum,et nihilominus vera sacrificia fuerunt, ut docet D. Augustin. lib. D. Aug. 20, *contra Faustum*, cap. 18. Et hoc modo mysterium Eucharistiæ est imago,et repræsentatio sacrificii Christi in cruce : et nihilominus est in se vere, et proprie sacrificium : quia habet omnes conditiones pro vero sacrificio necessarias, ut diffinitio sacrificii illi conveniat, sicut obtendimus num. 9. Ad explicationem autem et augmentum difficultatis respondemus negando sequelam : quia immolatio proprie dicta exposcit cruentam oblationem, sive mactationem hostiæ cum reali sanguinis effusione. Et Christus non ita offertur in hoc mysterio, ut satis ex se liquet. Sed inde minime infertur hoc mysterium non esse vere et proprie sacrificium : sed solum quod non sit sacrificium cruentum ; ratio enim sacrificii vere, et proprie dicti a cruento, et incruento præscindit, ut patet in sacrificio panis, et vini, quod obtulit Melchisedech.Unde licet immolatio Christi in hoc mysterio solum sit mystica, scilicet in repræsentatione, et sacramento : tamen ratio sacrificii est vera, et propria, ut constat ex diffinitione sacrificii, quam huic mysterio num. 9 applicuimus, et ex omnibus motivis, quæ expendimus § præced. Et hinc patet, quæ fuerit D. Thom. loco Mens D. cit. cum Magistro in 4, dist. 12, et omni- Thomæ. bus Scholasticis : quippe omnes catholice supponebant mysterium Missæ esse vere et proprie sacrificium : et hac de causa disputaverunt, an Christus in hoc sacramento immoletur : præsertim ut exponerent testimonia aliquorum sanctorum, ut D. Augustini, aut Prosperi relati in cap. *semel, de consecrat*, dist.2, dicentis « semel « immolatus est in semetipso Christus, et « tamen quotidie immolatur in sacramen- « to. » Respondit autem D. Thomas et respondent etiam alii hanc immolationem solum esse mysticam, sive in imagine, et ut

ut Augustinus loquitur in sacramento. Sed inde minime sequitur mysterium Eucharistiæ esse sacrificium solum in imagine, et non vere, et proprie : quoniam prædictæ rationes non convertuntur : quippe dari potest verum sacrificium incruentum, licet immolatio non sit. Præsertim cum in hoc mysterio salvetur aliqua realis immutatio rei oblatæ, quantam sacrificium ex communi sacrificii conceptu requirit, ut num. 9 diximus. Calvinus autem illa distinctione utens ludebat verbis, et illudebat Christo. Sed oportebat vulpem magnam, et veternosam capere premendo ulterius distinctionem : nam quæ diximus § præced. probant mysterium Eucharistiæ esse sacrificium non solum repræsentative, sed in se; maxime cum illi conveniat sacrificii diffinitio.

Sextum argumentum 17. Arguitur sexto : nam qua ratione dicimus mysterium Eucharistiæ esse vere, et proprie sacrificium, possemus etiam asserere dari in Ecclesia alia vera sacrificia ; consequens est absurdum, utpote derogans dignitati Eucharistiæ, et contra doctrinam ipsius Ecclesiæ, quæ in quadam Collecta dicit : « Deus, qui legalium differentiam victimarum unius sacrificii perfectione sanxisti. » Sequela autem ostenditur : tum quia dantur alii etiam ritus, quibus adaptari valet diffinitio sacrificii : unde Ecclesia in benedictione cerei Paschalis oblationem incensi sacrificium appellat dicendo : « Suscipe sancte Pater incensi « hujus sacrificium vespertinum. » Tum etiam, quia sicut semel admisso, quod in Ecclesia datur verum sacramentum, admittimus plura, septem scilicet, sic etiam supposito, quod in Ecclesia detur verum sacrificium, ut affirmamus, poterimus admittere plura sacrificia, ut paritatis ratio convincere videtur. Eo vel maxime, quod sicut sacrificium nostrum repræsentat passionem Christi ; sic etiam sacramentum nostrum habet virtutem causandi gratiam ex Christi passione: ergo sicut non obstante, quod passio fuerit una, sacramenta sunt plura ; sic etiam non obstante unitate passionis, erunt multa sacrificia.

Convellitur. Respondetur negando sequelam : nam quidquid fuerit de possibilitate multiplicationis sacrificiorum in lege gratiæ per respectum ad potentiam Dei absolutam; nihilominus de facto, et secundum præsentem providentiam non datur in Ecclesia nisi unicum Eucharistiæ sacrificium. Et præcipuum hujus veritatis fundamentum est voluntas Dei nullum aliud pro isto statu sacrificium instituentis, vel admittentis : de qua voluntate certo nobis constat per doctrinam ipsius Ecclesiæ, quæ nullum aliud verum, et proprium sacrificium recognoscit. Unde Concil. Trident. sess. 22, in principio illud *singulare* appellat. Ad primam autem sequelæ probationem respondetur oblationem cerei Paschalis esse, et dici sacrificium improprie : idque vel ex eo constat, quod sacrificium proprie dictum a solo sacerdote fieri valet; oblatio autem cerei Paschalis a Diacono fieri potest. Ad secundam probationem negamus consequentiam : et præcipua ratio disparitatis est voluntas Dei instituentis plura sacramenta, et non instituentis plura sacrificia, ut de facto contingit. Ratio autem congruentiæ assignari valet, quod sacrificium ordinatur per se primo ad cultum Dei : sacrificium vero Eucharistiæ tam ob rem oblatam, quam propter principaliter offerentem, nempe Christum, est maximus cultus, quo Deum venerari possimus unde hoc sacrificium sufficit, et non oportet, quod alia cum eo concurrant. Sacramentum autem ordinatur per se primo ad instructionem, et salutem hominum secundum diversos illorum status, et conditiones : unde oportet, quod sicut sunt diversæ hominum necessitates, sic etiam sint plura sacramenta, sive remedia, ut expendimus tract. præced. disp. 3, fere per totam. Augmentum autem dfficultatis excluditur per disparitatem immediate assignatam. Sed addimns passionem Christi comparari ad sacramenta per modum causæ efficientis universalis : hæc autem influere solet per plures, et diversas causas particulares : et sic passio Christi influit per plura, et diversa sacramenta. Sed non oportet, quod de facto influat per multa sacrificia : quia ipsa passio Christi continetur, et offertur Deo in sacrificio Eucharistiæ : et utrumque sacrificium tam Eucharistiæ, quam crucis est idem sacrificium tam ex parte rei oblatæ, quam ex parte principaliter offerentis.

Concil. Trident.

DUBIUM II.

In qua actione essentialiter consistat Missæ sacrificium.

Expediti jam ab hæreticis, et præsupponentes catholicam veritatem, controversiam ingredimur scholasticam circa difficultatem, quam titulus proponit. Cum enim in Missa concurrant plures partes, sive actiones ; videre oportet, in qua, vel quibus earum consistat vera, et propria ratio sacrificii, quam dubio præced. statuimus. Ut autem ad punctum præcipuæ difficultis magis accingamur, et a quibusdam non admodum necessariis explicemur, oportet aliqua observare.

§ I.

Quibusdam prælibatis proponitur speciale quæstionis punctum.

Duæ sacrificii acceptiones. 18. Id, quod ex dictis dub. præced. facile apparebat, hic supponendum est, videlicet sacrificium posse sumi vel pro re, quæ offertur, et immolatur, vel pro actione, qua ista fiunt. Sæpe namque contingit nomen operationum transferri ad earum objecta, sive materiam : sicut fides dicitur formaliter de actu, et habitu, quibus credimus objecta ; sed tamen etiam attribuitur objectis : sicut cum in Symbolo Athanasii relatis nostræ religionis mysteriis dicitur, *Hæc est fides catholica.* Et Deus, quem speramus beatitudine possidere, appellatur spes nostra. Et D. Th. in 3, dist. 9, q. 1, art. 1, quæstiunc. 1, observat « quod hoc « nomen latria tripliciter sumitur ; quan- « doqueenim proeo,quod Deo in obsequium « exhibetur, sicut sacrificium, genuflexio- « nes, et hujusmodi : quandoque autem pro « ipsa exhibitione : quandoque autem pro « habitu, quo exhibetur. Et primo modo « latria non est virtus, sed materia virtu- « tis. » Ad hunc itaque modum sacrificium potest sumi vel pro actione, qua Deo rem offerimus, vel pro re ipsa, quæ offertur. Et juxta hanc secundam acceptionem nulla est inter Catholicos controversia : omnes enim supponimus rem, quæ Deo in sacrificio Missæ offertur, esse corpus, et sanguinem Christi sub speciebus. Et in eodem sensu D. Thom. supra quæst. 22, art. 6, ad 2, dixit : « Unde etiam in nova « lege verum Christi sacrificium commu- « nicatur fidelibus sub specie panis, et « vini. » Loquitur enim de sacrificio materialiter, et objective sumpto, sive ex parte rei oblatæ. Unde proposita difficultas ad sacrificium formaliter acceptum, sive ex parte operationis revocanda est : et ita in sequentibus loquemur. (D. Tho.) (Sensus dubii.)

19. Deinde observandum est istud sacrificium non consistere in tota Missæ adæquate sumpta, nec in omnibus, et singulis ejus partibus collective, aut divisim sumptis. Nam sacrificium hoc essentialiter acceptum est non ab institutione Ecclesiæ, sed ex institutione Christi, qui primus illud obtulit,ut satis constat ex dub. præced. Manifestum est autem plurimas partes, et actiones Missæ esse ab institutione Ecclesiæ. Unde D. Isidorus lib. *de Ecclesiast. officiis*, affirmat D. Petrum instituisse ordinem Missæ, et orationum, quibus oblatum Deo sacrificium consecratur. Et D. Gregorius lib. 7 *Registri*, cap. 66, refert, quod Apostoli in initio Ecclesiæ adhibebant tantum orationem Dominicam verbis consecrationis. Et in vitis plurimorum Pontificum refertur, quod hæc, aut illa verba in Canone, et istam, vel illam cæremoniam in Missa addiderint. Relinquitur itaque plura esse in Missa, in quibus ratio sacrificii essentialiter non consistit. Addita nihilominus fuerunt prudentissime, et salubriter : nam, ut inquit Concilium Trident. sess. 22, cap. 5: « Cum natura homi- « num ea sit, ut non facile queat sine ad- « miniculis exterioribus ad rerum divina- « rum meditationem sustolli : propterea « pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut sci- « licet quadam submissa voce, alia vero « altiore in Missa pronunciarentur, insti- « tuit. Cæremonias item adhibuit, ut mys- « ticas benedictiones, lumina,thymiamata, « vestes, aliaque id genus multa ex Apos- « tolica disciplina, et traditione : quo et « majestas tanti sacrificii commendaretur; « et mentes fidelium per hæc visibilia reli- « gionis, et pietatis signa ad rerum altis- « simarum, quæ in hoc sacrificio latent, « contemplationem excitarentur. » Ex quibus liquet plurima istius modi pertinere quidem ad præparationem, ornatum, et reverentiam hujus sacrificii ; minime tamen ingredi essentialem ejus constitutionem, vel essentialiter ad illud requiri. Liquet etiam quam evidenter, et inverecunde (Sacrificium hoc non consistit in singulis Missæ partibus.) (D. Isid.) (D. Greg.) (Concil. Trident.)

Mendacium Kemnitii cunde, ut solet, mentitus fuerit Kemnitius in 2 part. examinis a pag. 739, cum asserit quæstionem esse « an illa repræsentatio « per varios gestus, et vestes, quæ in « Missa cernitur, sit sacrificium a Christo « institutum. » Et impudentius addit totam « Panopliam verborum, rituum, ges- « tuum, actuum, ornamentorum, vestium, « quæ accesserunt ad simplicem Christi « institutionem, esse ipsam substantiam, « et nervos Missæ Pontificiæ. » Nemo tamen Catholicorum id unquam dixit, aut scripsit : sed omnes summo consensu sentimus cuncta, quæ accesserunt ad Christi institutionem esse extrinseca, et accidentia hujus sacrificii ornamenta. Et ideo omnia illa a præsenti consideratione excludenda esse supponimus.

Distinguendæ in Missa actiones. 20. Illis autem prætermissis, aliæ actiones principaliores occurrunt in Missa, de quibus dubitari posset, an in eis, vel earum aliqua essentia hujus sacrificii consistat : ex quibus actionibus quædam præcedunt consecrationem, quædam sunt ipsa consecratio, quædam denique illam subsequuntur. Prima actio est oblatio panis, et vini consecrandorum, quæ dicitur offertorium. Secunda est consecratio corporis, et sanguinis Christi sub speciebus panis, et vini. Tertia est oblatio post consecrationem facta expresse illis verbis : *Unde et memores nos servi tui, sed et plebs tua sancta ejusdem Christi.... offerimus præclare majestati tuæ etc.* Quarta est fractio hostiæ consecrata in tres partes, quarum una mittitur in calicem. Quinta est sumptio Eucharistiæ a sacerdote. Sexta, et ultima est distributio, et communicatio hujus sacramenti facta populo. Videndum itaque est, in qua, vel quibus istarum actionum sacrificium Missæ consistat. Sed quia circa aliquas, vel nulla, vel satis levis difficultas occurrit; curabimus nonnullas statim breviter excludere, ut expeditus locus relinquatur difficultati præcipuæ.

Hoc sacrificium non consistit in distributione Eucharistiæ. Unde supponimus distributionem Eucharistiæ populo factam nec esse sacrificium Missæ, nec partem ejus essentialem. Probatur urgenter : quia sacrificium Missæ salvatur, ubi salvatur ipsa Missa licita, et sancta : sed hujusmodi potest esse Missa privata, in qua nullus præter sacerdotem communicet : ergo in tali Missa salvatur vera ratio hujus sacrificii : atque ideo ad ejus essentialem rationem non pertinet quod Eucharistia populo distribuatur. Cætera constant. Et minor etiam liquet ex Concil. Trident. sess. 22, cap. 6 et can. 8, ubi in hoc sensu diffinit : « Si quis dixerit « Missas, in quibus solus sacerdos sacra- « mentaliter communicat, illicitas esse, « ideoque abrogandas; anathema sit. » Concil. Trident. Adde primo distributionem istam Eucharistiæ populo factam supponere sacrificium jam peractum ; cum sit ejusdem sacrificii participatio, juxta illud Apostoli 1, *ad Corinth.* 10: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* 1. ad Corinth. 10. Quare talis communicatio non constituit sacrificium, sed constitutum supponit. Adde secundo sacrificium non posse fieri nisi a sacerdote; mutuo enim sibi correspondent sacerdotium, et sacrificium : non solum autem sacerdos, sed etiam diaconus potest Eucharistiam populo distribuere, ut diximus disp. præced. dub. 4, § 2; ergo talis distributio non est sacrificium.

Nec in oblatione præcedente consecrationem. 21. Supponimus præterea oblationem hostiæ, quæ consecrationem præcedit, non esse sacrificium Missæ, nec essentialem ejus partem. Oppositum significavit Scotus in 4, dist. 13, q. 2, § *Ad quæstionem*, vers. *Si objicis*, ubi distinguens inter oblationem, et consecrationem ait : « Offertur enim « hostia non consecrata, et tunc est sacri- « ficium, non sacramentum : sicut Eucha- « ristia consecrata conservata in pixide est « sacramentum, licet non ut ibi sit sacrifi- « cium. » Et idem dicit Gabriel illa dist. q. 1, art. 3, dub. 2, § *Sed adhuc*. Obscurum Scoti, et Gabrielis dictum. Obscure autem loquuntur, et non constat, an disserant de sacrificio vere, et proprie dicto, ut nunc consideramus. Sed ut ut sit de illorum sententia, nostra suppositio est communis, et probatur efficaciter. Tum quia sacrificium proprie dictum, importat necessario aliquam immutationem rei oblatæ : atqui per illam oblationem, quæ consecrationem antecedit, nulla fit immutatio in pane, et vino, sed solum circa hæc adhibentur extrinsecæ cæremoniæ : ergo ibi non intervenit sacrificium, sed mera, et simplex oblatio, quæ a sacrificio distinguitur. Tum etiam quia res oblata in sacrificio Missæ est corpus, et sanguis Christi, ut docet Concil. Trid. sess. cit. cap. 2, sed in ea oblatione, quæ præcedit consecrationem, non offertur corpus, et sanguis Christi, utpote quæ ibi ante consecrationem non sunt: ergo illa oblatio non est sacrificium Missæ

nec essentialis ejus pars. Tum præterea, quia talis oblatio est cæremonia introducta ab Ecclesia, et quæ non semper in usu fuit: Ecclesia autem nec istud sacrificium, nec essentiales ejus partes instituit, ut notavimus nu. 19; ergo idem quod prius. Et plane ipsa Ecclesia satis aperte significat in ea oblatione non fieri sacrificium, sed præparari materiam, quæ sacrificio futuro deserviat : unde orat, *Veni sanctificator, omnipotens, æterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancti nomini præparatum.* Tum denique quia licet omitteretur prædicta oblatio, posset dari verum sacrificium Missæ, sicut et consecrari verum Eucharistiæ sacramentum, ut docet Div. Thomas supra quæst. 78, art. 1 ad 4, et cum eo communis sententia, quam supra statuimus disp. 9, dub. 2; oblatio ergo illa nec est sacrificium Missæ, nec essentialem ejus rationem ingreditur. Scimus Casalium lib. 1, cap. 20, distinxisse in Missa duo Eucharistiæ sacrificia, aliud panis, et vini, aliud autem corporis, et sanguinis Christi : juxta quam doctrinam primum constituendum est in illa oblatione, quam sacrificium vocat Scotus. Sed in hoc refellendo non immoramur : quia nos loquimur determinate de sacrificio incruento corporis Christi. Et rursus illa panis, et vini oblatio, cum nullam importet rerum oblatarum immutationem, nequit esse sacrificium vere, et proprie. Præter quam quod in lege gratiæ non datur nisi unicum sacrificium, ut diximus num. 17, et docet communis sententia. Unde illa Casalii est satis singularis, et minime probanda.

Casalius.

Nec in oblatione post consecrationem facta.

22. Deinde supponimus oblationem, quæ post consecrationem expressis verbis fit, non esse sacrificium Missæ, nec essentialem ejus partem. Contrarium hujus suppositionis docuerunt Cano lib. 12, *de locis*, cap. 13 ad 4, Azor lib. 10, cap. 19, Covarruvias, et alii apud Dicastillum tract. 4, disp. 1, dub. 8. Quorum fundamentum est oblationem esse de essentia sacrificii, ut constat ex illius diffinitione num. 9 proposita : ergo cum oblatio consecrationem præcedens non sit de essentia hujus sacrificii, ut num. præced. ostendimus ; sequitur oblationem saltem subsequentem pertinere ad essentiam illius. Sed nostra suppositio est communis, et probatur primo evertendo oppositum fundamentum : nam licet oblatio sit de essentia sacrificii, minime tamen requiritur, quod fiat expressis verbis, aut per actionem ab immolatione distinctam : sed sufficit ipsamet actio sacrificandi facta ea intentione, quod res Deo consecretur : unde legimus Abraham immolavisse arietem : sed non legimus, quod verba aliqua dixerit, cum immolavit. Quamvis ergo ad majorem expressionem sacrificii eucharistici Ecclesia ordinaverit, quod oblatio ejus verbis, et gestibus exprimatur, nihilominus talis expressio non requiritur ad essentiam sacrificii. Secundo, quia non legimus Christum, qui hoc sacrificium instituit, et primus obtulit, illud expressis verbis ad Deum ordinasse tanquam rem oblatam. Quin nec Apostoli illa oblatione a principio usi sunt: nam ut tradit D. Gregorius relatus num. 19, post consecrationem solum recitabant orationem Dominicam. Tertio, quia oblatio essentialis sacrificio debet fieri in persona principalis sacerdotis; hic est enim, qui principaliter offert : atque ideo oblatio hujus sacrificii debet fieri in persona Christi. Oblatio autem post consecrationem fit in persona, et nomine Ecclesiæ, ut constat ex illis Canonis verbis : *Unde, et memores Domine nos servi tui etc. offerimus præclaræ Majestati tuæ etc.* Ergo talis oblatio non intrat hujus sacrifici essentiam. Quarto, quoniam ubi sacerdos consecraret, et sumeret species, intelligeretur sacrificium essentialiter completum, licet illa oblationis verba omisisset : et quamvis postea adverteret a se omissa fuisse, minime teneretur illa dicere, vel ad Canonem regredi : et sic sentiunt communiter Doctores : signum igitur est oblationem verbis expressam non esse de essentia hujus sacrificii.

Cano. Azor.

D. Greg.

Nec consistit in fractione hostiæ.

23. Ultimo supponimus idem dicendum esse de fractione hostiæ ; quidquid in contrarium dicant Cano loco cit. et Gregorius de Valentia disp. 6, punct. 1, quæst. 1, § *De quæstione.* Sic tenet communis sententia, et probatur : quia licet hostia non frangatur (ut contingeret, si hostia, antequam frangeretur, casu caderet in calicem) adhuc maneret tota essentia sacrificii Missæ : ergo talis fractio ad essentiam hujus sacrificii non pertinet. Antecedens constat ex D. Thom. in hac quæst. art. 6 ad 3, ubi ait : « Fractio hostiæ consecratæ, et quod una « sola pars mittatur in calicem, respicit « corpus mysticum : sicut admixtio aquæ « significat populum. Et ideo horum præ« termissio non facit imperfectionem sacrificii

Cano. Valentia

D. Tho.

« crificii, ut propter hoc sit necesse aliquid « reiterare circa celebrationem hujus sa- « cramenti. » Unde in casu, quo hostia ante fractionem cadit in calicem, nec extrahenda est, nec adhibenda alia, nec curandum de fractione : et ita disponunt Rubricæ Missalis § 10, num. 10; ergo tota essentia hujus sacrificii salvatur independenter ab hostiæ fractione. Confirmatur : quia si divisio panis esset essentialis huic sacrificio, etiam oporteret dividere vinum: quippe actio sacrificativa, de qua loquimur, necessario respicit, et complectitur utramque speciem : siquidem sacrificium Missæ est secundum ordinem Melchisedech, qui panem, et vinum obtulit : sed ad essentiam hujus sacrificii non pertinet, quod vinum in partes dividatur : et propterea non dividitur : ergo nec ad illam pertinet hostiæ fractio, seu divisio. Unde talis fractio, et cæremonia primo inventa videtur, ut sacerdos valeret hostiam convenienter accipere : quamvis simul tam fractio, quam modus, quo fit, deserviant ad diversa mysteria repræsentanda, ut videri potest apud D. Thom. in hac quæst. art. 5 ad 7 et 8.

Objectiones. Nec refert, si huic suppositioni opponas primo, quod Christus non solum consecravit panem, sed illum etiam fregit, cum hoc sacrificium instituit : ergo ad ejus essentiam pertinet hostiæ fractio. Secundo, quia D. Tho. D. Th. 2, 2, quæst. 85, art. 3. ad 3 inter alias actiones, quæ sufficiunt ad essentiam sacrificii, recenset fractionem panis : ergo ex ejus sententia fractio hostiæ pertinet ad essentiam sacrificii Missæ. Tertio, quia in illa actione consistit essentia hujus sacrificii, quæ repræsentat sacrificium crucis ; siquidem sacrificium Missæ est commemorativum, et repræsentatio quædam passionis Christi : sed fractio hostiæ passionem, et crucem Christi repræsentat. Unde D. Prosper relatus in cap. *Cum frangitur de* D. Pros. *consecrat.* dist. 2, inquit : « Cum frangitur « hostia, quid aliud, quam Dominici cor- « poris in cruce immolatio designatur ? » Ergo talis fractio pertinet ad essentiam hujus sacrificii.

Dissolvuntur. 24. Non, inquam, ista referunt. Nam ad primum respondetur, quod sicut non omnia, quæ Christus instituendo Eucharistiæ sacramentum gessit, sunt de essentia hujus sacramenti ; alias si consecravit in azymo, non posset fieri consecratio in fermentato ; vel si consecravit in fermentato, non posset consecratio fieri in azymo : sic etiam non omnia, quæ Christus in institutione hujus sacrificii fecit, pertinent ad ejus essentiam; alioquin non possemus sacrificium essentialiter perficere nisi elevando oculos in cœlum. Aliqua itaque in hujus sacrificii institutione concurrerunt, quæ non fuerunt de ejus essentia, sed se tunc etiam habuerunt tanquam ritus, et cæremoniæ. Quare ex eo, quod Christus panem fregerit, non statim sequitur fractionem panis ad hoc sacrificium essentialiter pertinere. Sed absolute negamus Christum fregisse panem præconsecratum : fregit namque panem consecrandum : unde post fractionem dixit, *Hoc est corpus meum.* Porro fractionem panis non consecrati esse extra essentiam hujus sacrificii nemo est, qui neget.

Ad secundum potest responderi D. Thomam eo loco non agere determinate de sacrificio corporis Christi sub specie panis ; sed de immolatione panis communis : et merito docet, quod circa hujusmodi sacrificium aliqua immutatio fiat, v. g. fractio. Quæ adaptari nequeunt præsenti materiæ : quia sacrificium Missæ non est oblatio panis, sed Christi : unde fractio specierum panis nequit pertinere ad essentiam hujus sacrificii. Secundo, et magis ad mentem S. Doctoris respondetur illum solum intendere adhibere exempla mutationis pro sacrificio requisitæ : et inter hæc recenset fractionem panis. Sed minime determinat, quod hæc sit pars essentialis sacrificii Missæ. Ad hujus enim rationem non sufficit quælibet immutatio, sed debet esse immutatio ex institutione Christi : quod hostiæ fractio non habet. Unde ipse D. Thomas num. præced. relatus statuit, quod prætermissa fractione hostiæ, non propterea sacrificium relinquitur imperfectum. Ad tertium respondetur non quamlibet repræsentationem sacrificii crucis esse sacrificium : alias baptismus, qui repræsentat passionem Christi sacrificium foret : et plures sunt ab Ecclesia institutæ cæremoniæ ad repræsentationem passionis Christi, quæ sacrificium non sunt. Requiritur itaque, quod præter alias sacrificii conditiones habeat sacrificium crucis repræsentare ex institutione Christi: sicut omnia ad hujus sacrificii essentiam pertinentia habent esse ex prædicta institutione, ut observavimus num. 19. Fractio autem hostiæ in tres partes solum est ritus quidam ex institutione Ecclesiæ.

Status præsentis controversiæ. Exclusis itaque præmissis actibus, sive partibus Missæ a ratione essentiali sacrificii, supersunt consecratio Eucharistiæ, et illius sumptio per sacerdotem. Unde punctum speciale propositæ difficultatis, ad hoc tandem reducitur, ut investigemus, an consecratio pertineat intrinsece ad essentiam hujus sacrificii? Et rursus, an essentia sacrificii Missæ consistat adæquate in sola consecratione Eucharistiæ, sumptione illius se habente extrinsece, et terminative? an vero tale sacrificium sumptionem etiam essentialiter complectatur, ita quod ejus essentia tam in consecratione, quam in sumptione sicut in partibus essentialibus ejusdem sacrificii consistat? Quibus difficultatibus eodem ordine respondendum est.

§ II.

Statuitur prima conclusio.

Prima conclusio. 25. Dicendum est primo consecrationem corporis, et sanguinis Christi pertinere ad essentiam sacrificii Missæ. Hæc conclusio est sententia communis : illam enim docent omnes Theologi (si unum, vel alterum singulariter sentientem excipiamus), quos dabimus num. 29 et 42 : quare superfluum nunc est aliquem in particulari referre. Sed non omittemus eorum Principem D. Thomam, qui hanc partem satis evidenter docet : nam quæst. præcedenti art. 10, in corp. ait : « Opportunitas autem « sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles « Christi, quibus oportet sacramenta ministrare; sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus « sacramenti sacrificium offertur. » Sentit itaque in prædicta consecratione fieri, et offerri sacrificium. Et eandem sententiam explicat ibidem, cum in resp. ad 1, repetit : « Hoc sacramentum perficitur in con« secratione Eucharistiæ, in qua sacrificium « Deo offertur. » Et art. 4 ejusdem quæst. in resp. ad 1, dixerat : « Consecratio chris« matis, vel cujuscumque alterius materiæ « non est sacrificium, sicut consecratio « Eucharistiæ. » Ergo ex sententia S. Doctoris consecratio Eucharistiæ pertinet ad essentiam hujus sacrificii. Quod potest etiam alia via satis immediate ostendi : nam cum sacrificium Eucharistiæ sit commemorativum, sive repræsentativum sacrificii crucis; in actione consistere debet, quæ immolationem, sive sacrificium crucis repræsentat. Hanc autem perpetuo asserit D. Thomas esse consecrationem Eucharistiæ. Unde quæst. 80, art. 12 ad 1, inquit : « Repræsentatio Dominicæ passionis agitur « in ipsa consecratione hujus sacramenti, in « qua non debet corpus sine sanguine conse« crari.» Et quæst. 78, art. 3 ad 2, dixerat: « Sanguis seorsum consecratus expresse pas« sionem Christi repræsentat. » Et ut alia testimonia prætermittamus, in præs. quæst. art. 1, inquit :« Celebratio hujus sacramenti » (et non est aliud celebratio hujus sacramenti, quam Eucharistiæ consecratio), « dicitur immolatio Christi. Primo qui« dem, quia sicut dicit Augustinus ad « Simplicium solent imagines earum rerum « nominibus appellari, quarum imagines « sunt, etc. Celebratio autem hujus sacra« menti imago quædam est representativa « passionis Christi, quæ est vera (id est « realis physica), ejus immolatio. Et ideo « celebratio hujus sacramenti dicitur Chris« ti immolatio, » nempe mystica, et in qua ratio hujus incruenti sacrificii consistit. Non itaque dubitari potest, quod ex sententia D. Thomæ consecratio Eucharistiæ vel sit tota essentia hujus sacrificii, vel illam indispensabiliter intret, et constituat.

Probatur primo ratione desumpta ex D. Thoma in prioribus testimoniis : quoniam de essentia sacrificii est esse oblationem factam Deo : sed oblatio hujus sacrificii consistit in consecratione Eucharistiæ : erga talis consecratio pertinet ad essentiam hujus sacrificii. Consequentia est legitima. Et major constat ex diffinitione sacrificii proposita num. 2. Minor autem probatur : tum quia consecratio Eucharistiæ facta ex intentione colendi Deum est intransitive ejusdem oblatio : sicut immolatio arietis facta ab Abraham ex intentione colendi Deum fuit oblatio ejusdem arietis : neque enim ad oblationem sacrificii requiritur oblatio signata, et expressis verbis facta, sed sufficit oblatio, quæ ipsa actione, et intentione fiat. Quemadmodum et ipse Christus Dominus in cruce obtulit sacrificium corporis, et sanguinis sui, non tam verbis, quam factis suis moriendo videlicet ad Dei gloriam pro hominum salute. Tum etiam quia in sacrificio Missæ non reperitur

reperitur alia actio, quæ oblatio sit, et ad sacrificium essentialiter pertineat, ut patet ex supra dictis num. 21, et 22, ubi oblationem verbis factam, tam præcedentem, quam subsequentem consecrationem, ab essentiali ratione hujus sacrificii exclusimus : restat igitur, quod oblatio propria hujus sacrificii in Eucharistiæ consecratione consistat.

Alia ratio ex D. Tho

26. Probatur secundo ratione desumpta ex D. Thoma in posterioribus testimoniis : nam cum istud Missæ sacrificium sit quædam repræsentatio sacrificii crucis, sive passionis, et mortis Christi; illa Missæ pars, in qua ex institutione Christi fit præcipue hujusmodi repræsentatio, sive commemoratio, nequit non ad prædictum sacrificium essentialiter, et satis principaliter pertinere : sed hujusmodi est Eucharistiæ consecratio : ergo pertinet ad essentiam hujus sacrificii. Cœtera constant. Et minor ostenditur : nam in primis Eucharistiæ consecratio non est ritus aliquis novus, et accidentarius ab Ecclesia inventus; sed provenit ex immediata Christi institutione. Deinde cum ex vi verborum ponat sub specie panis solum corpus, et sub specie vini, solum sanguinem Christi, juxta superius dicta disp. 7, dub. 2, satis aperte repræsentat separationem sanguinis a corpore Christi, quæ in ejus passione intervenit; atque ideo eadem expressione repræsentat sacrificium crucis : ergo consecratio Eucharistiæ habet ex institutione Christi esse commemorationem, sive repræsentationem sacrificii crucis, vel passionis, et mortis Christi. Cujus fundamenti omnes fere propositiones docet Concilium Tridentinum sess. 22, cap. 1, his verbis : « Is « igitur Deus, et Dominus noster, etsi semel « se ipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia « tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima, « qua morti tradebatur, ut dilectæ sponsæ « suæ Ecclesiæ visibilis, sicut hominum « natura exigit, relinqueret sacrificium, « quo cruentum illud, semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret « etc. Apostolis, quos tunc novi testamenti « sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem, eorumque in sacerdotio « successoribus, ut offerrent, præcepit per « hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem : uti semper catholica Ecclesia intellexit, et docuit. » Ex quibus primo habemus Christum instituisse hoc sacrificium incruentum ad repræsentandum cruentum crucis sacrificium : atque ideo illam actionem, aut partem pertinere essentialiter ad sacrificium incruentum, quæ cruentum sacrificium apte repræsentat. Secundo habemus Christum eatenus præcepisse Apostolis, quod incruente sacrificarent quatenus eis præcepit facere, quod ipse fecerat. Ipse autem consecraverat Eucharistiam : atque ideo Apostolis, ut consecrarent, præcepit. Stat igitur principalis ratio sacrificii incruenti in consecratione Eucharistiæ, quæ crucis sacrificium repræsentat.

Concil. Tridentinum.

Tertia ratio.

27. Probatur tertio, et satis efficaciter contra unum, aut alterum, qui negant consecrationem pertinere essentialiter ad istud sacrificium : quoniam de essentia sacerdotii legis gratiæ est potestas consecrandi : ergo de essentia sacrificii legis gratiæ est ipsa actualis consecratio. Antecedens est omnino certum : quoniam forma constituens sacerdotium nostrum est character ordinis : hic autem dat per se ipsum potestatem consecrandi : ergo de essentia sacerdotii novæ legis est potestas consecrandi. Consequentia vero probatur : quia actus principaliter correspondens sacerdotio est sacrificium : ergo si sacerdotes constituuntur essentialiter per potestatem consecrandi; necessarium est, quod sacrificium includat essentialiter consecrationem : eodem enim modo comparari inter se debent sacrificium, et consecratio, sicut inter se comparantur sacerdotium et potestas consecrandi. Quem nexum satis aperte docuit Concilium Tridentinum sess. 23, cap. 1, ubi ait : « Sacrificium, et sacerdotium ita « Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur « in novo testamento sanctum Eucharistiæ « sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit; fateri « etiam oportet in ea novum esse, visibile, « et externum sacerdotium. » Et conformiter ad hanc doctrinam diffinit can. 1 : « Si quis dixerit non esse in novo testamento sacerdotium visibile, et externum, « vel non esse potestatem aliquam consecrandi, et offerendi verum corpus, et « sanguinem Domini, etc. anathema sit. »

Concil. Tridentinum.

Ex quibus constat sacerdotium nostrum constitui per potestatem ac actum consecrandi : constituitur autem per ordinem ad sacrificium Eucharistiæ sicut ad actum sibi primario correspondentem : ergo sacrificium Eucharistiæ importat essentialiter actum consecrandi, sive actualem consecrationem.

Confirmatio. Confirmatur, et declaratur amplius : quia sacrificare est intransitive, et formaliter offerre sacrificium : sed consecratio Eucharistiæ pertinet essentialiter ad oblationem sacrificii : ergo pertinet etiam essentialiter ad sacrificium, sive actum sacrificandi. Major constat : quia sacrificare constituitur in genere oblationis, et sacrificium est oblatio rei facta Deo, etc. Minor etiam liquet ex testimoniis Tridentini supra relatis, ubi semper contingit consecrationem, et oblationem sacrificii, et unum explicat per aliud : sicut quando dicit, « quod « Christus Apostolis, et eorum in sacerdo« tio successoribus, ut offerrent, præcepit « per hæc verba: Hoc facite in meam com« memorationem. » Et tamen præcepit, quod consecrarent, et efficerent Eucharistiam, sicut ipse consecraverat, et fecerat : nec enim alia oblatio distincta reperitur in Evangelio. Quod satis manifestat ex sententia Concilii idem esse consecrare Eucharistiam, et offerre sacrificium, atque e converso. Idque amplius liquet ex eo, quod homini, quando in sacerdotem ordinatur, dicitur, *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, ut constat tam ex decreto Concil. Florentinum. Concilii Florentini in instructione Armenorum, quam ex communi usu Ecclesiæ. Sed eo ipso, et sine alia expressione accipit ordinatus potestatem consecrandi : si enim homo tunc talem potestatem non acciperet, illam minime haberet; quod dicere est hæreticum. Unde D. Thomas in præced. D. Tho. quæst. 1 ad 1, dixit : « Virtus consecrativa « non solum consistit in ipsis verbis, sed « etiam in potestate sacerdoti tradita in « sua consecratione, et ordinatione, cum « ei dicitur ab Episcopo : Accipe potesta« tem offerendi in Ecclesia sacrificium tam « pro vivis, quam pro mortuis. » Actus igitur potestatis sacerdotalis consecrativæ est consecrare, et consecrare est offerre sacrificium, et offerre sacrificium est sacrificare. Quare de primo ad ultimum sequitur sacrificium includere essentialiter sicut oblationem, sic etiam consecrationem materiæ.

28. Nec refert, si opponas posse contin- Objectio gere, quod sacerdos proferendo verba consecrationis intendat consecrare : atque ideo consecret; et tamen non intendat sacrificare, sive sacrificium offerre, et consequenter non sacrificet : ergo signum est consecrationem hujus sacramenti non esse formaliter, et intransitive sacrificium, aut sacrificii oblationem. Id, inquam, non refert : quia dupliciter intelligi valet, quod sacerdos consecrans intendat consecrare absque intentione sacrificandi, sive offerendi sacrificium. Primo præcisive, sive absque expressa intentione sacrificandi : et tunc nihilominus re ipsa sacrificium ageret, et offerret : quia simul cum carentia illius expressæ intentionis cohæret intentio communis faciendi, quod facit Ecclesia : quæ intentio includitur virtualiter in intentione formali consecrandi, juxta generalem doctrinam; quam circa intentionem ministri tradidimus tract. præcedenti disput. 7, dub. 2. Aliter se habere posset contrarie, scilicet, sive cum positiva intentione non faciendi, aut offerendi sacrificium : et tunc licet in particulari erraret, si tamen simpliciter vellet in consecrando facere, quod facit Ecclesia ; reipsa sacrificaret, et sacrificium offerret : quia error particularis subderetur illi intentioni generali simpliciter efficaciori, et per illam in effectu, non impediretur : sicut si minister hoc modo vellet conferre puero sacramentum baptismi, non conferendo illi characterem, adhuc tamen illum imprimeret. Si autem erraret simpliciter, et nollet agere secundum intentionem Ecclesiæ, sed sistere in consecratione sola materiæ, nullatenus sacrificando, vel offerendo sacrificium; tunc sicut non sacrificaret, nec offerret sacrificium; sic etiam non consecraret : nam consecratio hujus sacramenti est essentialiter sacrificatio, sive oblatio sacrificii, ut supra ostendimus, idque habet ex Christi institutione : quare qui simpliciter non vult sacrificare, convincitur nolle simpliciter consecrare : atque ideo neutrum efficiet.

§ III

§ III.

Alia assertio dubium absolute resolvens.

Secunda conclusio.

29. Dicendum est secundo sumptionem Eucharistiæ a sacerdote celebrante, esse partem intrinsecam, et essentialem hujus sacrificii : atque ideo ejus essentiam non consistere adæquate in sola consecratione, sed in duabus illis actionibus consecrandi, atque sumendi Eucharistiam. Posterior assertionis pars necessario, et evidenter colligitur ex prima, quin opus sit ulla probatione. Ne quis autem offendat in eo, quod dicimus hoc sacrificium adæquate sumptum consistere essentialiter in duabus illis actionibus, sive Missæ partibus ; advertat, quod sicut sacramentum est unum non unitate physica, sed morali, ideo potest constare rebus satis diversis, ut sunt res, et verba : sic etiam sacrificium habet similem unitatem per modum cujusdam entis artificiosi, et consequenter constitui valet ex actibus physice differentibus : præsertim si unum importet in recto, et alterum in obliquo, licet unum, et alterum essentialiter, ut ex dicendis magis declarabitur. Primam autem assertionis partem, in qua est difficultas, insinuat satis clare D. Thom. locis statim referendis, et docent communiter ejus discipuli, Soto in 4, dist. 13, quæst. 2, art. 1, §, *sed rogas*, Cano lib. 12, cap. 13, ad 4, Viguerius in instit. Theolog. cap. 16, § 3, versu 11, Arauxo in hac quæst. post. art. 6, num. 35, Prado in præs. dub. 4, § 3, et idem a fortiori docent ex Thomistis Martinus de Ledesma, Joannes a Cruce, N. Gabriel a S. Vincentio, et alii qui sentiunt solam sumptionem esse de essentia hujus sacrificii, ut num. 36 videbimus. Ex aliis etiam hanc nostræ assertionis partem amplectuntur Echius lib. 2, *de sacrificio Missæ*, cap. 9, Castro lib. 10, adversus hæreses, verbo *Missa*, hæresi 2, Ruardus art. 16, *contra Lutherum*, Clictoveus lib. 2, *contra Lutherum* cap. 16, Bellarminus lib. 1, *de Missa*, cap. 27, proposit. 7 et 8, Henriquez lib. 9, cap. 9, num. 3, Lugo disp. 19, sect. 5, Scortia lib. 1, cap. 5, Villalobos tom. 1, tract. 8, difficult. 5, Aversa quæst. 11, sect. 2, Marchinus tract. 3, part. 2, Toletus, Azor, Reginaldus, Bassæus, Ludovicus de S. Joan. Martinus a S. Joseph, Bonacina, Angles, Fagundez, et alii, quos refert Prado ubi supra num. 4 et num. 8.

D. Tho. Soto. Cano. Viguer. Arauxo. Prado. N. Gabr. Echius. Castro. Ruardus Clictove. Bellarm. Henriq. Lugo. Scortia. Villalo Aversa. March. Tolotus.

Quam assertionis partem haud obscure significavit D. Augustinus lib. 17, *de Civit.* cap. 5, affirmans « manducare panem est « in novo testamento sacrificium Christia- « norum : » quia scilicet quamvis non sit adæquate totum sacrificium, pertinet tamen ad essentiam nostri sacrificii adæquate sumpti. In quo etiam sensu lib. 20, *contra Faustum*, cap. 10, dixit : « Unde jam Chris- « tiani peracti (nempe in cruce) jam sacri- « ficii memoriam celebrant sacrosancta « oblatione, et participatione corporis, et « sanguinis Christi. » Loquitur de oblatione non verbali, sed reali, quæ in consecratione intercedit, ut supra explicuimus : et in ea non constituit adæquate sacrificium commemorativum, quod in Missa celebramus : sed ulterius addidit participationem corporis, et sanguinis Christi, quæ fit per sacerdotem sumentem. Idem adhuc magis expressit D. Thom. 2, 2, quæst. 85, art. 3 ad 3, dicendo : « Sacrificia proprie dicun- « tur, quando circa res Deo oblatas aliquid « fit, sicut quod animalia occidebantur, et « comburebantur; quod panis frangitur, « et comeditur. » Ubi non sine mysterio usus est verbis significantibus tempora diversa : cum enim loquitur de animalibus, utitur tempore præterito, occidebantur, et comburebantur : cum vero loquitur de pane utitur tempore præsenti, *Frangitur, et comeditur* : sic enim commutata verborum proprietate satis manifestavit se in priori exemplo loqui de sacrificiis antiquæ legis, in secundo autem de unico sacrificio legis gratiæ. Et affirmat tunc sacrificium proprie dici cum comeditur. Sentiebat igitur sumptionem Eucharistiæ a sacerdote factam pertinere ad essentiam adæquatam hujus sacrificii. Nec inde sequitur eandem rationem esse de fractione, quam etiam pro exemplo mutationis producit ; tum quia fractio non fit per se, sed ordinatur ad sumptionem, ut scilicet hostia convenienter comedi possit. Tum quia fractionem expresse ab hac essentiali participatione excludit ipse S. Doctor relatus num. 23. Unde magis confirmamur in ejus sententia : nam immutationem, secundum quam affirmat dici proprie sacrificium, constituere oportet in panis fractione, aut comestione : at fractio panis non est necessaria ad hujus sacramenti essentiam : ergo saltem sumptio, sive comestio Eucharistiæ per sacer-

Est sententia D. Aug.

Est etiam D. Tho.

dotem requiritur ad salvandum essentiam hujus sacrificii.

Ratio ex D. Tho. 30. Secundo probatur ratione ex verbis D. Thomæ desumpta : quoniam de essentia sacrificii vere, et proprie dicti est, quod victima, sive res oblata immutetur realiter ut patet tum ex communi sacrificii diffinitione num. 9 proposita, tum ex verbis D. Th. immediate relatis, tum inductione facta in omnibus sacrificiis antiquis. Sed sacrificium Missæ est sacrificium vere, et proprie dictum, ut fides docet, et ostendimus dub. præced. Ergo de essentia sacrificii Missæ, est, quod victima, sive res in illa oblata, nempe Christus contentus sub speciebus panis, et vini, realiter immutetur; atqui per consecrationem non immutatur; siquidem ante consecrationem non erat res contenta sub speciebus; et ubi per consecrationem incipit contineri, sic immutatus manet usque ad sumptionem sacramenti per sacerdotem. Ergo antecedenter ad sumptionem non salvatur adæquate essentia sacrificii Missæ : atque ideo sumptio sacramenti a sacerdote facta pertinet ad ejus essentiam.

Confirmatio. Confirmatur, et declaratur amplius, quoniam hoc sacrificium non est utcumque sacrificium, sed habet esse sacrificium per modum holocausti : sed holocaustum essentialiter exposcit consumptionem, et non esse victimæ, sive rei oblatæ: ergo ad essentiam hujus sacramenti pertinet quod victima, sive res oblata, nempe Christus ut existens sub speciebus, consummatur, et desinat esse sub illis : ergo sumptio hujus sacramenti per sacerdotem pertinet ad essentiam hujus sacramenti. Hæc secunda consequentia patet ex prima : quia Christus ut existens sub speciebus non consumitur, nec desinit esse sub speciebus, priusquam sacramentum sumatur a sacerdote celebrante. Prima autem consequentia legitime infertur ex præmissis. Quarum minor est certa, et communiter recepta : holocaustum enim ab aliis sacrificiis distinguebatur in eo, quod tota victima cremabatur in obsequium Dei. Unde D. Thomas (D. Tho.) 1, 2, quæst. 102, art. 3 ad 9, ait : « Holo« caustum dicebatur quasi totum incensum: « hujusmodi enim sacrificium offerebatur « Deo specialiter ad reverentiam majestatis « ipsius, et amorem bonitatis ejus : et con« veniebat perfectioni status novæ legis « in impletione consiliorum : et ideo to« tum comburebatur. » Major denique, in qua poterat esse difficultas, probatur : quia cum sacrificium Missæ sit perfectissimum sacrificium, debet assimilari perfectissimo antiquæ legis sacrificio : perfectissimum autem omnium fuit holocaustum, ut constat tum ex D. Thoma immediate relato, tum ex D. Gregorio hom. 20, *in Hesechiel* : (D. Greg.) unde observant iidem Doctores, quod in holocaustum non potest offerri, nisi masculus : quia fœmiua est animal imperfectum : ergo sacrificium Missæ est sacrificium non utcumque, sed habet esse sacrificium per modum holocausti.

Adversariorum responsio. 31. Quod motivum est adeo efficax, ut nullis Recentiorum effugiis, aut responsionibus subruatur, ut constabit ex eorum confutatione. Respondent ergo non esse de ratione hujus sacrificii, quod res in eo oblata, nempe Christus realiter immutetur. Quod diverso modo illi explicant, et defendunt. Nam Arriaga ita docet, quia putat (Arriaga.) non esse de communi conceptu sacrificii hanc rei oblatæ immutationem : fuit enim aliquod verum sacrificium in antiqua lege, quod sine ulla immutatione fiebat, ut sacrificium zelotypiæ, ut Numeror. cap. 5 legitur. Vazquez autem, quia licet de ra- (Vazq.) tione sacrificii absoluti sit, quod ejus victima destruatur, aut immutetur non tamen de ratione sacrificii, quod non est absolutum, sed commemorativum alterius : et hujus posterioris generis est sacrificium Missæ, quod consistit in sola repræsentatione sacrificii crucis. Suarez denique, quia (Suarez.) censet, quod quando in sacrificio res oblata producitur ex alia re, non requiritur immutatio rei oblatæ, sive termini ad quem; sed sufficit destructio, aut immutatio termini a quo : unde cum res in sacrificio Missæ oblata sit Christus productus ex pane in ipsum converso : non requiritur, quod destructio, vel immutatio fiat in re oblata, nempe in Christo; sed sufficit, quod fiat in termino a quo, nempe in pane : et ita contingit; panis quippe immutatur, destruitur, et in Christum transsubstantiatur.

Confutatur. Sed prædicta responsio, quocumque illorum modorum explicetur, minime satisfacit : et refellitur in communi, sive complectendo omnes prædictos modos. Primo quidem quia omne sacrificium vere, et proprie dictum, debet participare communem rationem sacrificii, quæ ejus diffinitione explicatur, ut patet in aliis, quæ communem

communem aliquam rationem participant: sed in diffinitione sacrificii in communi ponitur, quod res Deo offeratur cum aliqua sui immutatione : ergo de ratione hujus sacrificii Missæ est, quod Christus, qui est res Deo oblata, aliquo modo immutetur. Secundo, quia id ipsum constat ex communi voce sacrificii apud Hebræos, nempe Zebach, quod apud Latinos est mactatio, et immutatio. Tertio, quoniam hæc fuit, et est communis sententia Philosophorum, et Theologorum cum D. Thoma loco cit. ex 2, 2, ibi : « Sacrificia proprie dicuntur, « quando circa res oblatas aliquid fit, » et ponit exempla in occisione, combustione, fractione, et comestione. Quarto, quia nisi ita dicamus, confundimus proprias rationes oblationis, et sacrificii : quippe sacrificium, seclusa victimæ mactatione, non erit aliter aliud, quam victimæ, sicut et cujusvis alterius rei, oblatio. Quinto, quia id ipsum constat inductive in omnibus sacrificiis proprie dictis veteris legis ; in omnibus enim intercedebat destructio, aut realis immutatio rei oblatæ : in victimis quidem per occisionem animalium ; in libaminibus autem aquæ, vel vini, vel olei per horum effusionem : in immolationibus denique rerum solidarum, ut sunt sal, thus, simila etc. per horum contritionem, et combustionem. Sexto, quia licet de essentia cujuslibet sacrificii non esset immutatio, aut destructio rei oblatæ ; nihilominus dubitari non potest inesse de essentia sacrificii, quod vocatur holocaustum : sacrificium autem Missæ est sacrificium per modum holocausti, ut in nostra confirmatione expendimus.

Urgentior confutatio. 32. Sed, quot caput est, ut prædicta Recentiorum responsio summe nobis displiceat, illa plane dat occasionem hæreticis Catholicos irridendi, et opponendi, quod non teneamus, nec tueamur verum Missæ sacrificium, quale dub. præced. statuimus, et proponendum juxta doctrinam fidei suscepimus. Sacrificium enim vere et proprie dictum non debet describi juxta ea, quæ Recentiores comminiscuntur, prout suas opiniones magis referre putant : sed statuendum est juxta communem, et communiter ab antiquis receptam diffinitionem, et juxta ea, quæ circa alia sacrificia tam in usu Scripturæ sacræ, quam in lectione prophanæ, et tam apud Hebræos, quam apud alias Nationes contigisse reperimus. Juxta quæ omnia sacrificium est oblatio rei facta Deo cum aliqua rei oblatæ immutatione, ut satis superque constat ex proxime dictis. Ergo hæretici cum vident in quibusdam catholicis ista non defendi, sed aliam sacrificii essentiam depingi ; opponent (et non immerito) illos cadere in causa principali ; cum non propugnent in sacrificio Missæ illam conditionem, quam sacrificium vere, et proprie dictum requirit : sed intrudunt sacrificium aliud, quod nec hæretici recognoscunt, nec controvertunt de illo

Unde superfluum apparet ad confutationem particularium modorum, quibus se declarant, descendere. Sed tamen addemus Arriagam falso supponere, quod in sacrificio zelotypiæ non fieret aliqua realis rei oblatæ immutatio : oppositum enim constat ex scriptura loco cit. nam vers. §, dicitur : « Et offeret oblationem pro illa decimam « partem sati farinæ hordeaceæ. » Et infra subjungitur : « Ita dumtaxat, ut prius pu- « gillum sacrificii tollat de eo, quod offer- « tur, et incendat super altare. » Vazquez non recte explicat rationem hujus sacrificii Missæ : licet enim sit commemoratio, et repræsentatio sacrificii crucis ; nihilominus catholice etiam fateri oportet esse in se vere, et proprie sacrificium, et non meram sacrificii repræsentationem. Nec primum illud negant hæretici : quippe non ignorant plura repræsentare sacrificium crucis, quæ vera in se sacrificia non sunt, ut patet in baptismo, et in sacrificio crucis depicto. Ergo oportet, quod immutatio, et aliæ conditiones pro vero sacrificio necessariæ salventur non solum in sacrificio crucis, sed etiam in sacrificio Missæ. Atque ideo de hujus etiam incruenti, et commemorativi sacrificii essentia est, quod importet aliquam realem immutationem rei oblatæ. Suarez denique voluntarie loquitur, dum affirmat ad sacrificium rei ex alio productæ non requiri mutationem in termino *ad quem*, sed sufficere in termino *a quo* : nullum enim hujus regulæ fundamentum assignari valet ; sed est merum effugium ad declinandum propositum motivum. Si enim pro vero sacrificio requiritur aliqua immutatio, ut certe requiritur ; hæc constituenda est in eo, quod Deo offertur, et consecratur : id autem non est terminus a quo transsubstantiationis, sed terminus ad quem, nempe Christus : ergo non suffi-

Specialis singulorum impugnatio. Arriaga. Vazq. Suarez.

cit immutatio panis, sed aliqua etiam mutatio admitti debet in ipso Christo, si est res oblata Deo per verum sacrificium, ut catholice fateri debemus. Eo vel maxime, quod pro vero sacrificio ita requiritur immutatio, sicut oblatio : sed pro isto sacrificio non sufficit offerri panem, ex quo fit Christus (quin nec id requiritur, sed posset absolute prætermitti) requiritur autem, quod offeratur Christus ex pane factus : ergo similiter non sufficit, quod mutatio detur ex parte termini a quo, sed adesse debet ex parte termini ad quem, qui est ipse Christus sub speciebus. Præsertim cum illa præcedens immutatio panis ordinetur ad producendum, et exhibendum materiam sacrificii : et hac supposita debeat fieri ejus immutatio, sicut, et oblatio.

Objectio. 33. Nec refert, si opponas propositum a nobis fundamentum evincere, si quid probat, quod nec in sumptione Eucharistiæ facta a sacerdote datur mutatio sufficiens ad sacrificium : unde obligamur assignare aliam actionem, vel partem Missæ ultra consecrationem, et sumptionem sacramenti : quod est absurdum. Sequela ostenditur : quoniam nos exigimus immutationem realem ejus, quod in sacrificium offertur : sed per hoc, quod sacerdos sumat Eucharistiam, Christus, qui est materia oblata in hoc sacrificio, non immutatur realiter in se ; sed manet sicut prius : ergo in sumptione Eucharistiæ per sacerdotem non salvatur mutatio sufficiens ad sacrificium. Confirmatio. Confirmatur præcludendo tacitam responsionem : nam si ibi adesset aliqua immutatio, consisteret plane in eo, quod Christus amitteret præsentiam sacramentalem ad species : nec enim aliud ex vi sumptionis Eucharistiæ amittere valet, cum maneat immutatus in se ipso : sed quod Christus amittat præsentiam sacramentalem, non sufficit ad mutationem pro isto sacrificio requisitam : ergo vel argumentum a nobis factum nihil probat, vel oportet addere novam mutationem. Probatur minor : nam diximus istud sacrificium Missæ esse sacrificium per modum holocausti : sed holocaustum petit, quod tota res ablata destruatur, seu desinat esse : ergo ad mutationem pro hoc sacrificio requisitam non sufficit, quod Christus, quando sacramentum sumitur a sacerdote, amittat solam præsentiam sacramentalem ad species.

Non, inquam, refert objectio, sed dispellitur negando sequelam. Ad cujus probationem dicendum est rem oblatam in hoc sacrificio non esse Christum secundum se, aut in propria specie : sed esse Christum prout in sacramento. Quamvis autem per sumptionem Eucharistiæ factam a sacerdote Christus non desinat esse, aut immutetur secundum se, et in propria specie ; immutatur tamen, et desinit esse prout in sacramento ; siquidem exuit modum realem præsentiæ sacramentalis ad species, et desinit esse sub sacramento. Quare adest realis, et sufficiens mutatio, quam istud sacrificium requirit. Unde ad confirmationem respondetur concedendo majorem, et negando minorem. Et ad illius probationem dicimus, quod licet holocaustum exigat realem mutationem totius rei oblatæ, sive quod desinat esse ; tamen non exigit, quod destructio sit totius, et secundum omnem sui partem, aut modum : quia ut totum deficiat, (quod petit holocaustum) sufficit, quod destruatur secundum unionem vel partium. vel termini, a quo dependet. Et ita contingit in præsenti materia : quia destructo modo reali præsentiæ sacramentalis corporis Christi ad species per sumptionem sacerdotis, totus Christus ut existens sub sacramento desinit esse : quia destructo illo modo non habet esse sub sacramento. Unde cum materia hujus sacrificii, et holocausti sit Christus non secundum se, aut in propria specie, sed Christus ut existens sub sacramento : adest sufficiens immutatio et desitio rei oblatæ, qualem holocaustum requirit. Quæ doctrina declaratur tum exemplo sacrificii cruenti crucis, quod etiam fuit holocaustum : et tamen singulæ partes, quibus constat Christus, non fuerunt destructæ ; sed destructa est partium unio : et consequenter humanitas : idque satis fuit ad veram holocausti rationem. Tum exemplo holocaustorum antiquæ legis, in quibus materia prima rerum oblatarum nunquam destructa fuit, sed perseveravit in aliis compositis. Sufficit itaque ad rationem holocausti, quod sit destructio totius, quamvis non sit destructio singularum partium, vel totius quoad omnes partes. Et ita contingit in præsenti : nam materia oblata in hoc sacrificio est Christus prout in sacramento : et Christus, sumptis a sacerdote speciebus, desinit esse sub sacramento ; quamvis alias maneat secundum se, et in propria specie.

Convelluntur.

Sed

Replica. 34. Sed insistes : quoniam Christus non desinit esse sub sacramento, nec exuit præsentiam sacramentalem ex hoc præcise, quod sacramentum sumitur a sacerdote : sed quando species post illam sumptionem corrumpuntur, et digeruntur in stomacho : quandiu enim manent species, manet etiam Christus sub illis : ergo si aliqua actio immutans Christum existentem in sacramento, illa scilicet, quæ desinit sub sacramento esse, pertinet ad essentiam hujus sacrificii ; sequitur talem actionem non esse sumptionem hujus sacramenti, sed illam, qua species in stomacho corrumpuntur. Id vero est omnino absurdum : quia omnis actio pertinens essentialiter ad Missæ sacrificium, debet consummari in Missa, et exerceri in altari, in quo sacrificium fit : corruptio autem et digestio specierum sacramentalium non fit communiter loquendo nec in altari, nec in Missa, sed post illam, et extra altare ; cum corruptio specierum exigat aliquam temporis moram. Ergo actio, qua Christus sub sacramento existens immutatur, et amittit esse sacramentale, non pertinet ad essentiam hujus sacrificii.

Diluitur. Respondetur negando sequelam. Et ad insertam eidem probationem dicendum est, quod licet physica destructio specierum sacramentalium, et subinde desitio Christi sub sacramento non contingat præcise ex hoc, quod sacerdos sumat, et manducet sacramentum ; sed ex hoc, quod species in stomacho corrumpuntur : nihilominus actio immutans, et consumens essentiam hujus sacrificii in ipsa sumptione perficitur, et non spectat specierum in stomacho corruptionem. Et ratio est : quoniam cum actus constituens essentiam sacrificii formalis sit actus virtutis religionis, debet esse actio humana, seu voluntaria : quod convenit sumptioni, seu manducationi sacramenti ; non autem corruptioni specierum in stomacho : hæc enim, supposita sumptione, naturaliter omnino contingit virtute facultatis vegetativæ : unde actio modo humano, et voluntario immutans Christum, sive materiam oblatam, et consummans essentiam sacrificii in sola sumptione consistit. Quod autem tunc non destruantur immediate species, nec cesset sacramentalis Christi præsentia, nihil refert : quia satis est, quod tunc res oblata ponatur in statu necessario destructionis subsequendæ : sicut hac de causa dicitur alimentum destrui, quod manducatur ; et vinum, quod bibitur. Et hac etiam de causa sacrificia antiqua solebant perfici in ipsa immolatione, sive percussione animalium facta per sacerdotem ; licet aliquando contingeret animalia vivere aliquo tempore post percussionem : jam enim ab ipsa percussione dicebantur occisa modo humano, et voluntario, et interitus succedens ad eam causam naturaliter sequebatur. Idem itaque in præsenti materia cum debita proportione dicendum est.

35. Secunda pro nostra assertione ratio desumitur ab inconvenienti, quod ex contraria sententia deducitur : nam si Missæ sacrificium non complecteretur sumptionem sacramenti a sacerdote factam, sed consisteret, et consummaretur essentialiter adæquate in sola consecratione ; sequeretur, quod sacerdos peracta consecratione non posset valide applicare Missam v. g. defuncto, cui prius illam minime applicaverat : consequens est falsum : ergo sacrificium Missæ non consistit essentialiter adæquate in sola consecratione, sed complectitur etiam sumptionem sacramenti ut essentialem sui partem. Sequela ostenditur : quia effectus sacrificii Missæ correspondens illi ex opere operato, nequit esse suspensus, sed confertur statim, ac sacramentum essentialiter perficitur, et consummatur : atque ideo non est in manu sacerdotis prædictum fructum suspendere, vel eum huic, aut illi applicare, postquam sacrificium consummatum est : ergo si consummatur essentialiter in sola consecratione, sacerdos ea paracta non poterit applicare prædictum sacrificium isti, aut illi defuncto, cui prius non applicaverat. Falsitas autem consequentis patet ex ipsa praxi Ecclesiæ, quæ peracta consecratione, et non ante offert sacrificium pro defunctis, ut patet ex Canone Missæ, et explicat D. Thom. in præs. quæst. art. 4, in quo exponens convenientiam eorum, quæ in Missa dicuntur, et propositis pluribus, quæ post consecrationem sacramenti dicuntur, subjungit : « Quinto petit hujus sacrificii, « et sacramenti effectum. Primo quidem « quantum ad ipsos sumentes, cum dicit : « supplices te rogamus. Secundo quantum « ad mortuos, qui jam sumere non pos- « sunt, cum dicit : Memento etiam Domine « etc. Tertio quantum ad ipsos sacerdotes « offerentes, cum dicit: Nobis quoque pec-

Aliud pro assertione motivum

« catoribus. Deinde agitur de præparatione « sacramenti, etc. » Ergo peracta sacramenti consecratione, adhuc relinquitur locus, ut sacerdos possit hujus sacrificii fructum defunctis applicare. Nec audiendus est Suarez, qui disp. 75, sect. 5, monet, applicationem sacrificii, quantum ad fructum ex opere operato, (quæ non fit nisi per intentionem sacerdotis offerentis,) fieri semper debere ante consecrationem : quia illa peracta nequit talis fructus suspendi, cum sacrificium consummatum sit. Num præferri longe debet auctoritas, et expositio D. Thomæ verbis Canonis omnino cohærens. Et motivum Suarii, quod sacrificium in consecratione consummatum maneat, est ipsum principium, de quo disputamus : unde ea responsio, vel doctrina petit principium.

Excluditur Suarez.

Confirmatio.

Confirmatur ab alio inconvenienti : quia si Eucharistiæ sumptio per sacerdotem sacrificantem, sive celebrantem non pertineret essentialiter ad sacrificium Missæ, illudque essentialiter compleret ; nullum esset solidum fundamentum ad statuendum quod sacerdos celebrans debeat in omni eventu sacramentum sumere : consequens est falsum . ergo et antecedens. Falsitas consequentis liquet ex ipsa praxi Ecclesiæ : nam licet sacerdos celebrans post consecrationem cognoscat se non esse jejunum, adhuc tenetur sacramentum suscipere : et si ipse post celebrationem moritur, adhibendus est alius sacerdos, qui sacramentum sumat, et sacrificium absolvat, ut patet ex Missalis *rubrica de defectibus*. Sequela vero ostenditur : quia supposito, quod illa sumptio non sit pars essentialis sacrificii, erit præcise aliquod complementum, vel additamentum accidentale, sine quo sacrificium possit esse essentialiter completum, et perfectum, ut palam Adversarii concedunt. Ubi autem sacrificium manet essentialiter perfectum, et completum ; non apparet tanta necessitas sumptionis, ut propterea debeat sacerdos non jejunus communicare, vel adhiberi alius sacerdos, qui loco sacerdotis celebrantis communicet, quamvis adhibitus illud sacramentum non consecraverit. Facilius autem posset disponi, quod in similibus casibus omitteretur sumptio tanquam res non essentialiter necessaria : sicut contingit in pluribus aliis, quando ad sacrificii essentiam non pertinent : ut si sacerdos post consecrationem recordetur se non posuisse aquam in calice, vel recognoscat panem, quem consecravit, esse fermentatum. Ipsa igitur summa obligatio, ut sacramentum suscipiatur a sacerdote celebrante, vel ab alio ejus loco, satis manifestat consumptionem sacramenti consecrati pertinere essentialiter ad Missæ sacrificium.

Rupert.

Unde Rupertus *in Levit. cap.* 32, inquit : « Bene, ac legitime canonica censuit autho« ritas, ut nunquam sacerdos, qui Missas « celebrat, omittere audeat, quin ipse com« municet. » Et Div. Thom. quæst. præced. art. 4, in *Sed contra* ait: « In Concilio « Toletano legitur, et habetur de consecrat. « dist. 2, cap. Relatum. Modis omnibus te« nendum est, ut quotiescumque sacrificans « corpus, et sanguinem Domini nostri Jesu « Christi in altari immolat, toties percep« tionis corporis, et sanguinis Christi par« ticipem se præbeat. » Et in corp. art. *concludit :* « Et ideo necesse est, quod sacerdos, « quotiescumque consecrat, sumat integre « hoc sacramentum. » Et in præs. quæst. art. 6 ad 3, resolvit, quod si sacerdos post consecrationem calicis « venenum ibi esse « deprehenderit, nullo modo debet sumere, « nec aliis dare ; ne calix vitæ vertatur in « mortem : sed debet diligenter in aliquo « vasculo ad hoc apto cum reliquiis conser« vari. Et ne sacramentum maneat imper« fectum, debet aliud vinum apponere in « calicem, et denuo resumere a consecra« tione sanguinis, et sacrificium perficere. » Plane sacrificium quantum ad consecrationem utriusque speciei jam completum erat. Solum ergo deficiebat perfectio sumptionis ad rationem sacrificii. Et quæ est ejusmodi perfectio? Si accidentalis, et supponens sacrificium essentialiter completum in ratione sacrificii ; nullum erat inconveniens, quod omitteretur, sicut solent omitti alia non essentialia. Est ergo essentialis perfectio, sine qua nequit sacrificium essentialiter perfici, et consummari. Sed quod major exaggeratio est, ipse S. Doctor loco cit. ex quæst. præced. in resp. ad 3, docet, quod « si miraculose corpus Christi in altari sub « specie carnis appareat, aut sanguis sub « specie sanguinis, » non est sumendum. Sed tamen subjungit : « Consulendum ta« men esset sacerdoti, quod iterato corpus, « et sanguinem Domini consecraret, et su« meret. » In quo casu jam præcesserat integra totius sacramenti consecratio : et tamen,

D. Tho.

D. Tho.

tamen, vel impedita divinitus, ac miraculose sacramenti sumptione, (per quod Deus in suis legibus dispensare videretur,) nihilominus D. Thomas consulit, ut sacerdos rursus consecret, et sacramentum sumat, ne scilicet sacrificium maneat imperfectum. Sentiebat igitur sumptionem esse essentialem sacrificii perfectionem : et plane altius de sumptione sentiebat, quam Adversarii.

§. IV.

Convelluntur argumenta contrariarum opinionum.

Martin. Ledesm. Nugnus. Joannes a Cruce. N. Gabr. 36. Prima sententia primæ nostræ assertioni contraria negat essentiam sacrificii Missæ consistere adæquate, vel inadæquate in consecratione. Ita Martinus de Ledesma 1 p. Quarti quest. 23, art. 4, in fine, Nugnus in præsenti art. 1, difficult. 10, Joannes a Cruce in Direct. *de sacrificio Missæ* quæst. 1, dub. 3, concl. 3, N. Gabriel tract. 1, disp. 1, quæst. 4. Et pro eadem sententia N. Franciscus tract. 5, cap. 1, dub. unico, num. 12, refert Scotum, Gabrielem, Echium, et alios multos. Argumentum. Probatur primo: quia adductio, sive præparatio victimæ immolandæ non est actio sacrificandi, nec intrat formalem, et essentialem rationem sacrificii : sed consecratio est adductio, sive præparatio victimæ immolandæ in sacrificio Missæ : ergo consecratio non pertinet ad essentiam talis sacrificii. Major constat tum inductive in omnibus aliis sacrificiis, in quibus victima per unam actionem adducitur, et præparatur, et per aliam diversam actionem sacrificatur. Tum ratione, quia prius est victimam adduci, et præparari, quam immolari; cum immolatio præsupponat existere victimam præparatam. Minor etiam liquet : quoniam victima immolanda in sacrificio Missæ est Christus ut existens sacramentaliter sub speciebus: sed Christus hanc præsentiam acquirit per consecrationem; siquidem antecedenter ad illam non existit in sacramento: ergo consecratio est adductio, et præparatio victimæ in sacrificio Missæ immolandæ.

Confirmatio. Confirmatur : nam ita se habet consecratio ad incruentum Missæ sacrificium, sicut se habuit Incarnatio ad cruentum sacrificium crucis : quemadmodum enim Deus factus homo per Incarnationem in cruce oblatus est ; sic etiam Christus factus per consecrationem panis vitæ spiritualis offertur in Missa. Incarnatio autem non fuit de essentia sacrificii crucis, sed prævie se habuit, præparando scilicet victimam in cruce immolandam, juxta illud Apostoli *ad Hebr.* 10, *Corpus autem aptasti mihi.* Ergo similiter consecratio non pertinet ad essentiam sacrificii Missæ, sed ad illud comparatur præsuppositive, quatenus affert, et facit præsentem victimam immolandam. Ad Hebr. 10

Solvitur argumentum. Ad argumentum respondetur negando majorem universaliter intellectam : quia licet necessarium non sit, quod adductio, et præparatio victimæ sit sacrificatio: et quamvis conceptus præparandi victimam, et conceptus illam sacrificandi sint semper expressiones formaliter distinctæ : nulla tamen est contradictio, quod unamet realiter actio exerceat utrumque munus, producendo rem ex intentione colendi per illam Deum. Talis enim actio, quatenus rem producit, est præparatio victimæ : et quatenus illam Deo offert, est saltem partialiter sacrificatio. Ut plane contingeret, si homo haberet virtutem producendi agnum: posset enim illum producere ex intentione offerendi illum ad Dei cultum, et cum subordinatione ad immolationem, seu mactationem. Ubi in eadem actione concurreret esse præparationem victimæ, et esse sacrificationem saltem inadæquate, et ex parte. Et ita contingit in hac materia : nam consecratio, quatenus ponit Christum sub speciebus, præparat victimam: et quatenus illam victimam ponit ex intentione offerendi, illam Deo offert, atque ideo sacrificat saltem inchoative, ut supra diximus num. 25. Ad primam autem majoris probationem fatemur communiter satis contingere, quod præparatio victimæ non sit essentialiter adæquate, vel inadæquate sacrificatio, (quod ad summum probari illa inductione potest) : quia homines communiter non producunt res, quas offerunt, vel immolant, sed productas præsupponunt. Sed tamen non repugnat, quod victima eadem actione producatur, et offeratur, ut in consecratione contingit. Ad secundam dicendum est ad summum evincere, quod sacrificatio, aut oblatio supponit rei sacrificandæ existentiam secundum prioritatem naturæ, vel ordine intelligendi. Sed cum hoc cohæret, quod eadem realiter actio utrumque præstet, nempe et quod res existat, et quod Deo offeratur. Et hoc modo

eadem consecratio et prius constituit Christum sub sacramento, et deinde illum Deo offert; quin opus sit ad aliam oblationem distinctam recurrere, ut supra diximus loco citato.

Corruit confirmatio. Ad confirmationem respondetur vel negando majorem; vel illa omissa, et concessa minori, negando consequentiam. Ratio autem disparitatis est duplex : prima, quod principalis offerens in sacrificio Missæ, nempe Christus, præsupponitur simpliciter ad consecrationem : quia non offert, ut est sub speciebus, sed ut existit in propria specie ; ut autem existit sub speciebus, est res oblata. Sed idem Christus, qui se obtulit in sacrificio crucis, non potuit præsupponi existens ad Incarnationem. Unde Incarnatio sicut et Christus principaliter offerens debuerunt præsupponi simpliciter ad sacrificium crucis: et propterea Incarnatio non potuit ingredi essentialiter, aut intrinsece rationem talis sacrificii. Præsertim supposita Dei dispositione, quod Christus viveret aliquot annis apud nos, antequam se offerret in cruce. Secunda ratio disparitatis est, quod Incarnatio non fuit positio corporis Christi super altare crucis, et consequenter nec formalis oblatio ejus in sacrificium. Sed consecratio simul habet ponere Christum sub speciebus in altari, et illum offerre : quare minime impeditur a participando rationem veri sacrificii.

Secundum argumentum. 37. Arguitur secundo : nam sacrificium est actio rem oblatam immutans, et destruens: sed consecratio non est hujusmodi: ergo consecratio non est sacrificium, nec ejus rationem adæquate, vel inadæquate participat. Major constat: quia nisi actio immutet, et destruat rem oblatam, erit quidem simplex oblatio; non autem sacrificium, quod supra oblationem addit rei oblatæ immutationem, et destructionem. Minor etiam patet : quia tantum abest, ut consecratio immutet, aut destruat rem oblatam, nempe Christum, quod potius ipsum ibi producat, detque illi esse sacramentale.

Refellitur aliorum responsio. Hinc argumento respondent Recentiores relati num. 31, negando majorem universaliter intellectam : quia censent non esse de ratione cujuscumque sacrificii immutare, aut destruere rem oblatam. Sed hanc eorum doctrinam jam ibidem confutavimus: eo vel maxime, quod sacrificium Missæ sit per modum holocausti, ad cujus specialem rationem essentialiter pertinebat non quælibet immutatio, sed rei oblatæ destructio.

Respondet secundo Gonet disp. 11, art. 2, num. 61, ad rationem sacrificii sufficere, quod ex modo, quo fit. vel offertur, debeat sequi connaturaliter mors victimæ, quamvis de facto non sequatur : quia verba in diffinitionibus non semper dicunt actum, sed aptitudinem. Consecratio autem, quantum est de se, et ex vi verborum habet separare corpus a sanguine Christi; siquidem consecratio panis ponit per se solum corpus, et consecratio vini ponit per se solum sanguinem. Unde quamvis talis actio non destruat Christum de facto, est tamen destructiva illius : atque ideo habet ab hac parte, quidquid requiritur ad rationem sacrificii. Quod confirmat exemplo Martyrii: nam multi docent ad ejus rationem non requiri, quod martyr moriatur ; sed sufficere, quod tale vulnus ei infligatur, ut natum sit inferre mortem, quamvis ex aliquo accidenti mors non sequatur. Responsio Gonet.

38. Sed hæc responsio, quam prius adhibuerant Salmeron tom. 9, tract. 26, *in Evang.* Gaspar Hurtado in præs. difficult. 8 et quidam alii Juniores, est insufficiens, et continet plura falsa. Unde refellitur primo : quia consecratio non solum non destruit Christum sub speciebus, sed nec est destructiva illius: nam cum per se, et essentialiter habeat constituere Christum sub sacramento, implicatorium est, quod tendat de se ad destruendum hoc esse sacramentale. Idque a posteriori evidenter cognoscitur eo, quod sacramentalis Christi præsentia nunquam destruitur, aut cessat ex vi consecrationis ; sed contingit ad destructionem specierum inductam virtute causarum naturalium, ut explicuimus disp. 6, dub. 7. Quod vero consecratio ex vi verborum ponat sub una specie corpus, non autem sanguinem, et sub altera specie sanguinem, non autem corpus ; minime probat consecrationem esse actionem realiter destructivam Christi ; sed solum quod sit mystica mortis ejus repræsentatio : quia consecratio non pertingit ad causandum illam separationem inter corpus, et sanguinem Christi in se; sed solum in sacramento, hoc est, in signo, et repræsentatione. Ubi enim corpus, et sanguis Christi sunt in se unita, eodem modo ponuntur in Eucharistia : et si supponantur separata ut in triduo mortis Christi, eodem modo in sacramento Salmer. Hurtado Refellitur primo.

cramento constituuntur. Unde liquet consecrationem nec actu, nec aptitudine destruere Christum : non quidem illum in se, cum ad ipsum in se non extendatur : nec etiam in sacramento, aut sub speciebus, cum potius eidem sic considerato communicet esse.

Refellitur secundo. Secundo, quia licet permitteremus consecrationem esse actionem de se, aut connaturaliter destructivam Christi, quod omnino falsum est ; tamen de facto illum non destruit : ergo de facto non est immutatio, aut destructio rei oblatæ: atque ideo de facto non erit sacrificium saltem per modum holocausti : istud namque essentialiter exposcit, quod victima destruatur, et desinat esse. Quod vero respondent verba in diffinitione non dicere actum, sed aptitudinem, nihil refert : quia manifestum est dari aliqua, quæ important non solam aptitudinem, sed actum, et exercitium, ut patet in verbo mentali, de cujus essentia est non solum, quod possit cognosci, sed quod actu cognoscatur, et terminet actionem. Porro idem dicendum esse in præsenti materia liquet : tum quia si non detur actualis immutatio rei oblatæ, aderit quidem oblatio simplex, sed non sacrificium, ut sæpius diximus. Tum exemplo ipsius oblationis, quæ non solum dicit aptitudinem, sed actum exercitum. Unde magis evertitur contraria doctrina : quia non minus pertinet ad rationem sacrificii esse immolationem, sive immutationem rei oblatæ, quam esse oblationem illius ; nec in diffinitione sacrificii ponitur minus expresse unum, quam aliud: constat autem ad rationem essentialem sacrificii non sufficere, quod actio possit offerre aliquam rem ; sed necessario requiri, quod actu illam offerat: ergo pariter ad rationem essentialem sacrificii non sufficit, quod actio sit destructiva, aut immutativa rei oblatæ; sed necessarium est, quod illam actu destruat, aut immutet. Quare idem olim contingebat in sacrificiis: nam si in percussione victimæ impediebatur vulneratio, vel occisio, non dicebatur fieri sacrificium, sed impediri ; undecumque proveniret impedimentum. Et idem dicimus de Martyrio : quamvis enim infligatur vulnus de se mortale, si tamen ex miraculo, vel alio accidenti impediatur hominis mors, non datur Martyrium: Martyr enim non appellatur, qui potuit mori, aut qui ex vulnere moreretur : sed qui re ipsa moritur ex causa inducta propter odium fidei, vel alterius virtutis. Et oppositum dicentes, quos suppresso nomine allegat Gonet, minus recte propriam Martyrii rationem exponunt.

Legitima ad argumentum responsio. 39. Quare omissis his, et aliis responsionibus insufficientibus, concedimus sacrificium, et præsertim per modum holocausti debere esse immutationem, aut etiam destructionem rei oblatæ : concedimus etiam consecrationem non esse immutationem, et multo minus destructionem Christi prout in sacramento, qui est res oblata in sacrificio Missæ. Sed inde solum sequitur consecrationem non esse totam adæquate essentiam hujus sacrificii : sed minime infertur, quod non sit sacrificium saltem inadæquate, et per modum partis ad sacrificium adæquate sumptum essentialiter pertinentis. Nam in hoc sacrificio sicut in aliis concurrunt essentialiter oblatio, et immolatio rei, quæ Deo per sacrificium offertur : ex quibus oblatio salvatur in consecratione Eucharistiæ, tunc enim intransitive offertur Deo corpus, et sanguinis Christi sub speciebus, ut explicuimus § 2 : sed immolatio, immutatio, et destructio rei oblatæ salvatur in sumptione sacramenti per sacerdotem, quippe tunc res oblata, (nempe Christus sub sacramento) amittet esse sub sacramento, ut exposuimus § præcedenti. Quamvis enim sacrificium complectatur essentialiter utramque rationem, et oblationis, et immutationis; non oportet, quod quamlibet et utramque importet, aut explicet secundum singulas sui partes divisim acceptas ; sed sufficit, et requiritur, quod utramque rationem habeat secundum suas partes conjunctim, et collective consideratas. Et ita contingit, atque salvatur in præsenti materia. Idque etiam sufficit, ut Missa sit non solum sacrificium, sed etiam holocaustum corporis, et sanguinis Christi : ad hujus enim rationem satis est, quod ultima ejus actio, sive consummatio sit destructio rei oblatæ, ut nihil ejus supersit in sacramento : et non obest, quod præcedat alia actio, quæ non sit destructio hujusmodi. Ipsa enim vel antiqua holocausta non in sola combustione consistebant; sed complectebantur etiam victimarum oblationem, jugulationem, et fractionem, ac denique combustione absolvebantur. Argumentum itaque objectum aptum est ad probandum sacrificium Missæ non consistere adæquate in

sola consecratione, sed complecti etiam sumptionem : quod non negamus, sed potius in secunda conclusione statuimus : aptum tamen non est, ut consecrationem excludat a participando saltem inadæquate essentialem rationem sacrificii.

Tertium argumentum. 40. Arguitur tertio : quia rationes sacramenti, et sacrificii sunt valde differentes ; cum sacramentum sit in genere signi, et sacrificium sit in genere actionis religiosæ: et sacramentum ordinetur per se primo ad bonum hominum, sacrificium vero ad cultum Dei : ergo oportet, quod sacramentum, et sacrificium non fiant per eandem actionem : sed consecratio facit sacramentum Eucharistiæ : ergo consecratio non facit, nec formaliter constituit sacrificium Missæ : atque ideo hujus sacrificii essentia non consistit in consecratione.

Solutio. Respondetur primo nullum esse inconveniens, quod idem secundum diversas rationes, aut expressiones sit simul sacramentum, et sacrificium ; et consequenter nec est inconveniens, quod fiat eadem actione respiciente talem terminum secundum prædictas rationes diversas. Sic enim ut Abulensis (Abul.) in cap. 23 *Exodi*, quæst. 27, Cano in relect. *de sacramentis* part. 1 ad 4, et alii volunt, agnus Paschalis antiquæ legis erat simul sacramentum, et sacrificium. (Catechismus.) Quod etiam supponit Catechismus Pii V, par 2, cap. 4, num. 70, dicens : « Hujus « rei (*nempe Eucharistiæ*) figuram, et simi- « litudinem in agno Paschali licet ani- « madvertere, qui ut sacrificium, et sacra- « mentum a filiis Israel offerri, et comedi « consueverat. » Idque a fortiori salvari valet in Eucharistiæ mysterio, quod ob magnam sui eminentiam conjungere valet in se rationes sacrificii, et sacramenti ; ac perinde consecratio, quatenus terminatur ad signum gratiæ sanctificantis nos, efficiet sacramentum ; et quatenus offert Christum Deo, efficiet sacrificium. In quo nulla apparet contradictio. (Alia probatior responsio.) Secundo et melius respondetur, quod si rationes in eodem materialiter mysterio concurrentes magis distinguamus, reperiemus non esse idem sacramentum, et sacrificium : nam sacramenti Eucharistiæ essentia non consistit formaliter in consecratione, nec in Christo sub speciebus contento ; sed consistit formaliter adæquate in solis speciebus sacramentalibus Christum continentibus, ut diximus disp. 2, dub. 2 Ratio autem sacrificii, si de sacrificio objective sumpto, sive quantum ad rem oblatam loquamur, non consistit in consecratione, nec in speciebus sacramentalibus, sed in solo Christo sub speciebus contento : solus enim Christus ita sumptus est res, quæ offertur in hoc sacrificio. Si autem sermo fiat de sacrificio formaliter accepto, consistit quidem non in speciebus, nec in Christo, sed in consecratione, et sumptione ut supra diximus. Sed in hoc sensu manifestum est, quod consecratio, quæ efficit sacramentum, non efficit sacrificium : quippe per semetipsum est sacrificium formale : et constat, quod consecratio non efficit se ipsam. Unde non sequitur, quod eadem actione fiant sacramentum, et sacrificium formale : præsertim cum supposito sacramento, requiratur adhuc alia actio, nempe sumptio ad formale sacrificium.

Quartum argumentum. 41. Arguitur quarto : nam in die Parasceves offertur verum sacrificium : atqui tunc non fit consecratio : ergo signum est consecrationem non pertinere ad essentiam sacrificii. Minor, et consequentia patent. Major autem probatur : tum quia sacerdos inter orandum appellat illam actionem sacrificium. Tum etiam quia fideles tenentur illi actioni tanquam Missæ assistere, si ea die incidat dies festus. Tum præterea, quia illa actio sacra sumendi corpus Christi pertinet ad aliquam speciem Religionis, et non ad aliam, quam ad speciem sacrificii. Tum denique, quia ibi intervenit oblatio religiosa alicujus rei facta Deo cum aliqua immutatione, in quo tota sacrificii ratio salvatur. Ergo in die Parasceves offertur Deo verum sacrificium.

Evertitur. Respondetur negando majorem, non solum quia in die Parasceves non fit consecratio, verum etiam quia nec sumitur utraque species, sed sola species corporis : cum tamen hoc sacrificium tanquam commemorativum Dominicæ passionis exigat concursum utriusque speciei, ut repræsentet sanguinis divisionem, et effusionem. Ad primam autem majoris probationem respondetar illam actionem appellari sacrificium, non quia verum sacrificium sit, sed quia est oblatio, et sumptio saltem inadæquata sacrificii antecedenti die peracti : in quo sensu etiam sæculares communicantes possunt sacrificium suscipere, et consumere.

Ad

Opinio quædam. Ad secundum Araûxo loco cit. contendit illam sacram actionem esse verum Missæ sacrificium saltem quoad partem principaliorem : unde consequenter affirmat, quod si dies alias festus sit, tenentur fideles illi sacro tanquam Missæ assistere : quod usu fidelium confirmari videtur. Et hanc assistendi obligationem etiam statuunt Vazquez disp. 232, cap. 2, Gonet loco cit. num. 65, et alii pauci. Sed prædicta doctrina contradicit D. Thomæ, qui sentit Ecclesiam ea die non intendere sacrificare sacrificio commemorativo Dominicæ passionis : quia ea die passio Domini realiter physice contigit. Si autem Ecclesia non intendit sacrificare, plane non sacrificat, sacrificium enim essentialiter pendet ab intentione offerentis. Verba S. Doctoris in hac quæst. art. 2 ad 2, sunt : « Dicendum, quod veniente veritate, cessat figura. Hoc autem sacramentum » (idem intellige de sacrificio) « est figura quædam, et exemplum Dominicæ passionis, sicut dictum est. Et ideo in die, quo ipsa psssio Domini colitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus sacramenti, » ac perinde, nec consecratio, aut oblatio hujus sacrificii. Quod motivum prius proposuerat Hugo de S. Victore in 2 *codice Miscell.* lib. 5. his verbis : « Hodie non sacrificamus dum hostia de manibus tollitur : non sacrificant amici, dum trucidant inimici. » Quod additur de obligatione fidelium ad assistendum illi sacræ actioni ; nihil valet, sed in partem contrariam regerendum est : nam sacra Rituum Congregatio die 19 Februarii anni 1622, declaravit in ea die non esse præceptum audiendi illud officium, vel sacrum, ut refert Gavantus part. 4, titulo 9, num. 24, et sic docent communiter Theologi. Nec oppositum probari valet ex usu fidelium : tum quia fundari potest in ignorantia : tum quia fideles illi actioni sacræ communiter assistunt independenter ab obligatione diei festivi. Ad tertiam dicendum eam sumptionem pertinere ad illam Religionis speciem, ad quam pertinet sacramenti sumptio independenter a sacrificio. Sed addi valet pertinere ad sacrificii speciem, non per se, sed reductive : quia licet sacrificium essentialiter non sit, est sumptio partialis sacrificii objectivi (id est rei oblatæ) quod præcedenti die peractum est. Ad quartam patet ex dictis deficere ibi plures conditiones ad essentiam sacrificii necessarias : quoniam non adest consecratio ; non concurrunt ambæ species ; ac denique Ecclesia non intendit sacrificare.

Arauxo. Vazquez Gonet. Rejicitur. D. Tho. Hugo Victor. Gavant.

4?. Secunda sententia secundæ nostræ conclusioni opposita docet essentiam hujus sacrificii consistere essentialiter adæquate in sola consecratione : sumptionem autem extrinsece se habere tanquam terminum, in quem consecratio, aut sacrificatio ordinatur. Quæ opinio est valde communis inter Recentiores. Sic enim docent Suarez disp. 75, sect. 4, Vazquez disp. 222, cap.5, Coninckus in præs. art, 1, dub. 5, Dicastillo disp. 1, *de sacrificio Missæ* dub. 10, num 176, Becanus cap. 25. quæst 6, Castro Palao disp. unica, punct.2, Palacios, Catharinus, Alanus, Granados, Caspensis, Filliutius, Gaspar Hurtado, Tannerus, Ochagavia, et alii, quos referunt, et sequuntur Trullench. lib. 3, cap. 7, dub. 2, Hieronymus Garcia tract. 3, difficult. 1, dub. 3, punct. 4, Leander tract. 8, disp. 1, quæst. 16, Bernal disp. 22, sect. 2, et alii. Ad quos ex Thomistis accedunt Serra in præs. art. 1, dub. 2, Gonet. disp. 11, art. 2, conclus. 4, N. Franciscus tract. 5, cap. 1, dub. unico, num. 15, et forte alii, quos non vidimus. Quam opinionem suadere solent patroni multis SS. Patrum testimoniis. Sed ista non urgent : quia Patres quidem significant consecrationem pertinere ad hoc sacrificium : sed minime dicunt, quod sola consecratio sit tota essentia sacrificii, exclusa sumptione, aut præcise extrinsece connotata : nec istæ subtilitates ad eorum intentionem referebant.

Sententia secundæ conclusioni contraria. Suarez. Vazquez Coninck Dicast. Becanus Palaus. Palacios Trullen. Garzia. Leand. Bernal. Serra. Gonet. D. Fran.

Melius probari potest ex D. Thoma, qui solam consecrationem esse perfectum Missæ sacrificium non obscure significare videtur : nam in hac quæst. art. 4, in quo explicat verba Canonis, inter alia inquit : « Quarto petit sacerdos hoc sacrificium peractum, esse Deo acceptum, cum dicit : « Supra quæ propitio, ac sereno vultu etc.» sed hanc orationem dicit sacerdos populo post consecrationem, et omnino antecedenter ad sumptionem : ergo ex sententia D. Thomæ sacrificium hujusmodi peragitur et perficitur in ipsa consecratione. Deinde quæst. præced. art. 4 ad 1, inquit : « Consecratio Chrismatis, vel cujuscumque alterius materiæ non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ. Et ideo non est similis ratio. » Supponit itaque conse-

Primum argumentum ex locis D. Tho.

crationem Eucharistiæ esse sacrificium. Et in resp. ad 2, addit : « Sacerdos in hoc « sacramento non consecrat se ipsum, sed « panem, et vinum. In qua consecratione « perficitur sacramentum : usus autem « sacramenti est consequenter se habens ad « hoc sacramentum. » Et eadem ratio occurrit in sacrificio. Ex sententia ergo S. Doctoris sacrificium Missæ essentialiter adæquate consistit in sola consecratione panis, et vini ; reliquæ autem actiones subsequentes solum ex consequenti se habent, et pertinent ad usum sacrificii.

Responsio. Respondetur hæc, et alia D. Thomæ testimonia, quæ expendimus num. 25, apta quidem esse ad probandum positive, quod istud sacrificium complectitur essentialiter consecrationem, sive quod in ea saltem inadæquate essentialiter consistit : sed non evincere, quod tota sacrificii essentia in sola consecratione sita sit, et quod non extendatur ad sumptionem sicut ad essentialem sui partem : oppositum enim satis constat ex aliis S. Doctoris, quæ proposuimus § 3. Ad primum ergo ex modo objectis respondetur, quod quando D. Thomas asserit sacerdotem rogare,quod sacrificium peractum sit Deo acceptum ; sacrificii nomine non intelligit sacrificium formale, aut sacrificationem ; sed intelligit sacrificium materiale, sive objectivum, nempe rem oblatam : et merito in hoc sensu vocat illud *peractum :* quia per consecrationem Christus, qui est res oblata, totus ponitur præsens in sacramento, sive speciebus. Sed tamen licet res ita se habeat, adhuc deficit alia actio essentialiter ad sacrificium pertinens, illudque consummans, nempe sumptio, quæ est rei ablatæ immolatio, et consumptio, ut supra explicuimus. Addimus ly *peractum* satis congruenter referri posse ad totum sacrificium, ubi peractum sit, sive consummetur in sola consecratione, sive expectet sumptionem ; ut sensus totius sententiæ sit : « Rogat sacerdos hoc « sacrificium, cum peractum fuerit, esse « Deo acceptum.» Ex quo minime sequitur, quod independenter a sumptione sicut ab essentiali sui parte peragatur. Ad secundum testimonium respondetur solum probare,quod consecratio Eucharistiæ sit sacrificium saltem inadæquate, et partialiter : per hoc enim distinguitur a consecratione chrismatis, et ab omnibus aliis consecrationibus, quæ nec adequate, nec inadæquate habent rationem sacrificii : quam differentiam intendebat Divus Thomas. Sed inde non sequitur, quod senserit consecrationem esse totum essentialiter sacrificium. In tertio non loquitur de sacrificio, sed de sacramento,ut ex ipsis verbis liquet. Et merito ait in consecratione perfici sacramentum, ita quod usus consequenter ad sacramentum jam perfectum se habeat : quia ut sæpius diximus, Eucharistia in hoc ab aliis sacramentis distinguitur, quod non consistit in usu, sive applicatione materiæ, ut in aliis contingit ; sed ubi consecratur, habet esse permanens, atque independens ab usu. Hinc vero minime sequitur idem dicendum esse de sacrificio : occurrit enim manifesta ratio disparitatis, quod ad rationem sacramenti sufficit esse signum rei sacræ sanctificantis nos ; idque habet Eucharistia statim, ac consecratur. Sed de ratione sacrificii, et præsertim holocausti est immolatio, et consumptio : quod hoc sacrificium non habet, priusquam sumatur a sacerdote sacrificante, ut supra ostendimus.

43. Argumenta vero pro hac opinione non multa sunt, aut supersunt ; quia principaliora præcidimus § præced. ostendentes necessitatem immutationis, et sumptionis ad salvandum essentiam hujus sacrificii. Opponit tamen secundo Suarez loc. cit. quia si sumptio esset de essentia hujus sacrificii, debuissent Evangelistæ directe, et satis clare referre, quod Christus sumpserit Eucharistiam a se consecratam, sicut directe, et perspicue referunt ipsum illam consecrasse : sed nullus Evangelistarum id expresse retulit : ergo signum est manducationem, sive sumptionem non esse de essentia hujus sacrificii. Secundum argumentum.

Respondetur hoc argumentationis genere uti hæreticos, ut negent mysterium Eucharistiæ esse vere, et proprie sacrificium, quia nimirum licet Evangelistæ referant Christum panem, et vinum consecrasse, nullus tamen eorum expresse dicit Christum sacrificasse : quod dicere non omitterent, si consecratio Eucharistiæ esset sacrificium. Et eodem argumento probari posset oblationem non esse de essentia hujus sacrificii, quia Evangelistæ referentes Eucharistiæ institutionem, oblationis vocabulum non usurpant. Sed quam nullius momenti sit hic modus arguendi, jam supra diximus num. 14, simili hæreticorum objectioni Corruit.

objectioni occurrentes. Non enim oportet, quod omnia pertinentia ad hoc, et alia fidei mysteria fuerint expresse proposita in scriptura : plurima enim habentur per traditionem ; vel ab his, quæ scriptura expresse refert, efficaciter colliguntur. Et hoc ultimum accidit in præsenti materia : nam cum de essentia sacrificii proprie dicti sit immutatio realis rei oblatæ : hoc ipso, quod Missa sit vere, et proprie sacrificium, ut fides docet ; concedere oportet Christum, qui est res oblata, debere realiter immutari : quod minime salvatur nisi in reali sacramenti sumptione, ut supra ostendimus. Addimus, quod licet Evangelistæ expresse non dicant Christum sumpsisse Eucharistiam ; nihilominus, quod eam sumpserit, est satis communis, ac certa Theologorum sententia, et quæ ab Evangelistis insinuatur, et præsertim apud Lucam 22, illis verbis : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*, ut expendimus disp. 1, cap. 3, § 5, a num. 65. Unde quamvis non ita certum sit Christum in cœna sumpsisse Eucharistiam, sicut est illam consecrasse ; nihilominus illud etiam sufficientissimam certitudinem habet, et plane longe majorem, quam nostra sententia asserens sumptionem esse partem essentialem hujus sacrificii ; et quam opinio Suarii sententis totam adæquate hujus sacrificii essentiam consistere in sola consecratione.

[Lucæ 22]

[Tertium argumentum.] 44. Tertio opponunt Auctores relati motivum a nobis propositum excessive probare : probat enim præter sumptionem sacramenti a sacerdote factam requiri ulteriorem immutationem, vel destructionem rei oblatæ : quod absurdum est, et a nemine assertum. Probatur sequela : quia si aliqua realis immutatio, vel destructio ad essentiam hujus sacramenti desideratur, debet fieri utique in re oblata : sed res per se oblata in hoc sacrificio est Christus, non autem sunt species sacramentales : ergo cum per sumptionem non destruatur Christus, s d solæ species ; sequitur ultra sumptionem sacramenti requiri aliam actionem, qua res oblata immutetur, et destruatur.

[Confirmatio.] Confirmatur primo : quia sumptio sacramenti per alios, qui non consecraverunt, non est sacrificium, nec pars essentialis illius : ergo idem dicendum est de sumptione, licet fiat a sacerdote consecrante. Probatur consequentia : nam quod sacramentum sumatur ab eo, qui consecravit, vel ab eo, qui non consecravit, nihil variat de ratione sumptionis : ergo si cum fit a non consecrante, non est pars sacrificii ; idem dici debet de sumptione a consecrante facta. Confirmatur secundo : quia ex opposito sequeretur, quando sacerdos consecrat plures formulas, quæ non ab ipso, sed a laicis communicantibus sumuntur, prædictas formulas non esse perfecte sacrificatas ; siquidem non sumuntur a sacerdote, quod tamen, ut affirmamus, requiritur ad essentiam sacrificii. Consequens est falsum, et contra illud Apostoli 1, *ad Corinth.* 10: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* et contra illud Canonis: *Ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus*. Ergo ad rationem essentialem sacrificii minime requiritur, quod sacerdos celebrans sumat sacramentum. [Alia] [1. Ad Corinth. 10.]

[Responsetur argumento.] Ad objectionem negamus sequelam. Ad cujus probationem patet ex supra dictis rem per se oblatam in hoc sacrificio non esse species sacramentales, sed Christum. At Christus non est res oblata, sive materia sacrificii secundum esse, quod habet in se, sive in propria specie ; sed secundum esse, quod habet in sacramento ratione præsentiæ sacramentalis ad species. Quamvis autem per sumptionem sacramenti a sacerdote factam non immutetur, nec cesset Christus secundum modum, quem habet in se, aut in propria specie ; nihilominus vere immutatur, et desinit esse secundum modum, quem habet in sacramento : hoc enim destructo, nequit Christus in illo permanere. Unde nulla præter hanc immutationem alia actio requiritur ad essentiam sacrificii.

[Fit satis primæ confirmationi.] Ad primam confirmationem concesso antecedenti, negamus consequentiam. Ad cujus probationem dicendum est solum evincere, quod sumptio facta, vel a sacerdote consecrante, vel ab aliis non consecrantibus sit materialiter eadem in esse entis, et physice loquendo ; secus autem in ratione sacrificii. Et ratio disparitatis inter sumptionem factam a consecrante, et sumptionem factam a non consecrante est, quod sacrificium solum potest fieri a ministro, ut ministro publico ex legitima auctoritate, et cum intentione sacrificandi. Solus autem sacerdos celebrans,

et consecrans ita se gerit, non autem alii non celebrantes : et ideo non istorum. sed illius communio pertinet ad essentiam sacrificii. Quamvis etiam dici possit populum suo modo, et gradu sacrificare, quatenus per sacerdotem offert sacrificium, et participat de re immolata suscipiendo communionem.

Occurritur secundæ. Ad secundam confirmationem negamus sequelam : quoniam ad hoc, quod tota materia oblata sit, et dicatur sacrificata, non est necessarium, quod tota, et totaliter, sive quoad omnes, et singulas partes absumatur, aut destruatur a ministro; sed sufficit, quod in earum aliqua fiat immutatio hujusmodi, ut patet exemplo hostiæ pacificæ, de qua agens D. Thomas 1, 2, quæst. 102 art. 3 ad 8, inquit : « Una pars « incendebatur ad honorem Dei, alia pars « cedebat in usum sacerdotum, tertia vero « pars in usum offerentium ; ad significan- « dum quod salus hominis procedit a Deo, « dirigentibus ministris Dei, et cooperanti- « bus ipsis hominibus. » Ubi patet, quod omnes illius sacrificii partes dicebantur sacrificatæ ; tamen non omnia a sacerdote incendebantur, vel consumebantur, sed etiam participabantur ab aliis. Et ita proportionabiliter contingit in præsenti materia : nam omnes particulæ offeruntur Deo per sacerdotem, a quo etiam secundum aliquid sui consumuntur : unde sufficienter dicuntur sacrificatæ, ut populus communicans participet etiam de sacrificio. Quin nec contra rationem antiqui holocausti erat, quod postquam sacerdos mactaverat victimam, et applicuerat ignem ad ejus consumptionem, alii etiam ministri, licet non sacerdotes, continuarent applicationem ignis, et de ultima ejus combustione curam agerent. Quod hic etiam suo modo contingit, concurrente populo cum sacerdote ad communionem, et consumptionem hujus mystici holocausti.

D. Tho.

Quartum argumentum. 45. Quarto opponunt : quia in illa actione consistit essentia hujus sacrificii, quam sacerdos, ut Christi minister exercet : sed sacerdos non sumit sacramentum ut minister Christi : ergo essentia hujus sacramenti non consistit in sumptione : atque ideo in sola consecratione adæquate consistit. Ambæ consequentiæ patent ex præmissis. Major autem est certa : nam cum principalis sacerdos, et offerens in hoc sacrificio sit Christus Dominus ; oportet actionem, in qua hujus essentia sacrificii consistit exerceri a sacerdote præcise ut Christi ministro. Minor etiam constat : quia si sacerdos ut Christi minister sumeret sacramentum, multo magis ipse Christus diceretur sacramentum suscipere : sed de Christo nunc dici non valet, quod communicet, aut suscipiat sacramentum : ergo sacerdos in sumendo sacramentum non se habet ut minister Christi. Cujus argumenti vis declaratur exemplo oblationis, quæ saltem inadæquate sacrificium essentialiter constituit : nam quia hanc actionem exercet sacerdos ut Christi minister, Christus est principaliter offerens hoc sacrificium : ergo si sacerdos sumeret sacramentum, ut Christi minister, Christus foret principaliter sumens hoc sacramentum : quod tamen esse falsum constat ex dictis.

Diruitur. Respondetur negando minorem universaliter intellectam : quia licet sacerdos celebrans exerceat nomine proprio sumptionem sacramenti, quatenus est actio personalis, et quæ illius animæ prodest per communicationem spiritualis alimenti : nihilominus ut minister, et instrumentum Christi concurrit ad eandem actionem, ut est actio publica, et sacrificium pro omnibus : ad id enim habet præ aliis specialem a Christo ordinis potestatem. Ad minoris autem probationem negamus sequelam : quia ut Christus sit principalis sacerdos in hac ipsa sumptione, non est necessarium, quod denominetur sumens, sed quod se præbeat sumendum, et velit per sacerdotem celebrantem sumi. Sicut ipse etiam Christus fuit principalis sacerdos se sacrificans in illo cruento crucis sacrificio : et tamen non se occidit, sed se obtulit ad occidendum. Et holocausto antiquo, de cujus ratione erat combustio, sacerdos non cremabat immediate, aut principaliter, sed mediante igne : et tamen principaliter eo modo sacrificii sacrificabat, quia ignem supponebat. Ut itaque Christus comparetur, vel ad ipsam sumptionem ut principaliter sacrificans, et ut sacerdos in hac ipsa actione comparetur ut Christi minister ; sufficit, quod Christus sumendum in sacramento se offerat, et quod sacerdotes suo imperio applicet ad se in sacramento suscipiendum. Unde excluditur augmentum difficultatis desumptum ab exemplo oblationis : quia non probat ex vi formæ, sed ratione materiæ : cum alias Christus sit

capax

capax, ut denominetur offerens. Sed generaliter loquendo non requiritur, quod denominatio competens ministro, ut ministro conveniat principaliter agenti : ut enim interim alia exempla omittamus, Diaconus ex vi suæ ordinationis, et ex potestate a Christo accepta ministrat sacerdoti : et tamen dici non debet, quod Christus sacerdoti ministret. Conjuges etiam contrahentes matrimonium sunt ministri Christi ad efficiendum illud sacramentum : et nihilominus de Christo dici non valet, quod contrahat matrimonium.

Quintum argumentum. 46. Quinto opponitur : nam essentia hujus sacrificii in uno aliquo actu debet consistere, sed consistit in actu consecrationis,ut in prima conclusione statuimus : ergo nequit consistere in actu sumptionis ; atque ideo nec unum, et alterum actum consecrationis, et sumptionis essentialiter complecti. Cætera constant. Et major probatur : quia sacrificium est specialis actus virtutis religionis : specialis autem actus virtutis in una tantum operatione debet consistere. Tum etiam, quia sacrificium non est aliquod ens per accidens : foret autem si in una tantum actione non consisteret, sed plures essentialiter importaret. Tum denique, quia si consisteret in multis actibus, nempe consecratione, et sumptione, deberet illos cum aliquo ordine importare vel in recto, vel in obliquo : sed hunc ordinem assignare non possumus : ergo essentia hujus sacrificii in uno aliquo tantum actu consistere debet.

Dispellitur. Respondetur negando majorem intellectam, ut debet intelligi, de sacrificio proprie dicto, nempe de opere externo, quod sacrificium appellatur : istud enim essentialiter constitui, et consummari non valet sine oblatione, quæ in consecratione consistit, et sine immolatione, aut destructione rei oblatæ, quæ consistit in sumptione, ut constat ex supra dictis. Ad primam autem majoris probationem respondetur,quod licet interior virtutis Religionis actus ad sacrificandum, sive exercendum externum sacrificii opus, sit una operatio; tamen externum opus potest importare plures actus ordinatos ad finem talis virtutis juxta peculiarem illam internam operationem. Sicut actus, quo quis vult templum ædificare ad cultum Dei, est unus specialis actus religionis : sed tamen exterior templi ædificatio plures actus importat. Et in hac eadem materia nequeunt Adversarii negare, quod sacrificium Missæ importat plures actus externos realiter distinctos : nam consecratio complectitur necessario consecrationem panis, et consecrationem vini, quæ unica actione juxta Christi institutionem fieri non valent, sed plures essentialiter exigunt ; cum exerceri debeant per prolationes diversas, et diversorum verborum : actus autem interior religionis hæc dirigens, et imperans unus est. Eadem itaque ratione sacrificium exterior complectitur essentialiter actus a nobis assignatos consecrationis, et sumptionis. Ad secundam probationem respondetur, quod ne sacrificium dicatur ens per accidens, sufficit habere unitatem artificiosam, et ordinis per respectum ad finem colendi Deum tali modo. Unde licet sumptio, et consecratio sint plures actus in esse entis ; sunt nihilominus unum aliquid in ratione sacrificii. Sicut res, et verba multum differunt in esse entis : et tamen sunt, et constituunt unum sacramentum. Et apud Adversarios consecratio panis, et consecratio vini sunt plures actus in esse rei: quo non obstante constituunt unum numero sacrificium. Unde ad tertiam respondetur, quod sicut nullum est inconveniens, quod consecratio panis, et consecratio vini pertineant in recto ad hoc sacrificium tanquam partes ejusdem consecrationis totalis : ita nec inconveniens est, quod consecratio, et sumptio intrent in recto ad hujus sacrificii constitutionem sicut partes ejusdem totalis sacrificii. Quamvis nec inconveniens esset dicere hoc sacramentum dicere in recto consecrationem, sive oblationem, et in obliquo sumptionem; utrumque tamen intrinsece, et essentialiter, ut in pluribus similibus contingit. Sed tamen præferenda est prior responsio : quia utraque actio est pars principalis, et nulla est ratio, quare sacrificium non importet in recto rei oblatæ immolationem,quæ in ejusdem rei sumptione consistit.

DUBIUM III.

Qui sint offerentes sacrificium Missæ?

Cum sacrificium sit quædam oblatio, ut ex supra dictis satis constat ; pro majori hujus sacrificii notitia videre oportet, qui

dicantur Missæ sacrificium offerre ;et rursus, pro quibus illud offeratur. Sed majoris distinctionis gratia primum tractabimus in hoc dubio, et secundum in sequenti. Tres autem distinguere possumus offerentes, nempe sacerdotem celebrantem, Christum Dominum, in cujus persona hoc sacrificium fit, et Ecclesiam, sive omnes fideles, qui per sacerdotem celebrantem orant, et offerunt. Et quod ad sacerdotem spectat, nulla alicujus momenti difficultas circa istud punctum occurrit.

Suppositio communis quantum ad sacerdotem celebrantem.

47. Unde supponedum est sacerdotem celebrantem esse ministrum, qui vere, proprie, et immediate offert Deo istud sacrificium. Et probatur primo : quia sacerdos ex ordinatione sua habet specialem potestatem offerendi hoc sacrificium : quæ potestas ejus specialiter est, et laicis non competit, ut docet Concilium Tridentinum sess. 23, cap. 1 et can. 1 ; ergo sacerdos celebrans est, qui proprie, et immediate offert hoc sacrificium. Secundo, quia oblatio hujus sacrificii consistit in consecratione sacramenti Eucharistiæ, ut diximus dub. præced. sed solus sacerdos est minister, qui potest Eucharistiæ sacramentum consecrare, ut ostendimus disp. præced. dub, 1 : ergo ille est, qui proprie, et immediate istud sacrificium offert. Tertio, quia generaliter loquendo sacerdos ad hoc instituitur, ut pro populo oret, et nomine totius multitudinis offerat Deo sacrificia, ut constabit discurrendo per sacerdotes cujuscumque legis : ergo pariter in statu legis gratiæ sacerdotes ad hoc ordinantur, ut offerant sacrificium proprium hujus legis : atque ideo ipsi sunt ministri proprie, et immediate offerentes. Quod suppositis aliis fidei veritatibus proxime insinuatis, neminem vidimus, qui negaverit. Sed duo hic breviter observanda sunt. Primum, (Nota I.) quod cum hæc offerendi potestas nostri sacerdotii propria, communicetur per impressionem characteris indelebilis ; nunquam hæc potestas semel impressa auferri valet, ut colligit, et docet Concilium Tridentinum sess. cit. cap. 4, et consequenter omnis sacerdos, licet sit excommunicatus, degradatus, aut etiam hæreticus, hanc potestatem habet, quod si verba legitima super legitimam materiam cum debita intentione pronuntiet, valide consecret, et verum offerat Missæ sacrificium. Idque omnes Theologi unanimiter docent cum Divo Thoma quæst. 82, art. 7. Secundum est, quod (Nota) cum hæc potestas fundetur in ordinatione, et charactere, ut proxime vidimus, nemo, qui ordinatus in sacerdotem non sit, habet potestatem celebrandi, et offerendi sacrificium Missæ. Et qui oppositum tentant celebrando, priusquam ordinentur, ipso facto impugnant veritatem Catholicam circa verum sacerdotium : unde puniuntur tanquam de hæresi suspecti, ut statuit Gregorius XIII in Bulla incipiente (Greg. XIII) *Officii nostri*, quæ est 21, in Bullario. Et vel pro primo lapsu tradendi sunt brachio sæculari, ut decrevit Clemens VIII in Bulla (Clem. VIII) incipiente *Et si alias*. De quibus, et aliis ad hoc delictum pertinentibus videri possunt Cæsar Carena *de officio S. Inquis.* (Caren.) part. 2, tit. 3, Sousa in aphorismis *Inquis.* libro 1, cap. 32 et alii. His circa sacer- (Sous.) dotem delibatis, transeundum est ad alia, in quibus nonnulla difficultas occurrit.

§ I.

An, et quomodo Christus offerat hoc sacrificium ?

48. Christum Dominum esse sacerdotem (Christus principalit. offerens) præcipue offerentem Deo sacrificium Missæ, tenet concors Theologorum sententia. Et quidem merito : tum quia ita satis aperte significaverunt Concilia, et Patres : nam in Tridentino sess. 22, cap. 1, dici- (Concil. Trident.) tur : « Una, eademque est hostia : idem « nunc offerens sacerdotum ministerio, « qui se ipsum tunc in cruce obtulit. » Et in cap. *Firmiter de summa Trinit., etc.* dicitur : « Idem ipse sacerdos est sacrifi- « cium Jesus Christus : » et loquitur de sacrificio Missæ, ut liquet ex textu. Div. Augustinus lib. 10 *de Civitate*, cap. 20, (D. Aug.) inquit : « Per hoc et sacerdos est, ipse offe- « rens, et ipse oblatus. Cujus rei sacra- « mentum quotidianum esse voluit Eccle- « siæ sacrificium. » Div. Thomas in hac (D. Th.) quæst. art 1, ad 3, Div. Hieronymus re- (D. Hi.) (D. Ch.) latus in cap. *Sacerdos de consecrat.* dist. 2, Div. Chrysostomus hom. 83, in Matthæum. et alii communiter Patres apud Suarium disput. 77, sect. 1. Tum quia cum Christus sit summus sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech ; conveniens erat, ne in perpetuum a munere præcipui offerentis vacaret, sed quod magis esset præcipuus offerens nostra sacrificia. Tum præ-

terea

terea quia id ex una parte non repugnat : ex alia vero parte magis congruit tam ad majorem Dei gloriam, quam ad eminentiorem dignitatem sacrificii nostri. Tum denique (et est ratio a priori) quia Christus instituit hoc sacrificium, et simul disposuit, quod per legitimos sacerdotes tanquam per suos ministros, et legatos Deo offerretur : unde sacerdotes offerentes se habent ut ministri, et legati Christi : id autem, quod geritur a ministro, vel legato alterius personam agente, intelligitur ab isto fieri, sicut reverentia, quam legatus regius Pontifici exhibet, est moraliter actus, et reverentia Regis erga Pontificem. Et ista motiva evincunt id in rigore sufficere, ut Christus dicatur sacrificium Missæ per sacerdotes offerre. In quo proinde facile conveniunt Theologi. Addunt aliqui non improbabiliter Christum eo tempore, quo hoc sacrificium instituit, prævidisse in particulari omnia Missæ sacrificia, quæ per suos ministros offerenda erant usque ad finem mundi : et tunc singula actu elicito, et expresso Patri obtulisse. Unde magis declaratur, quod Christus sit sacerdos præcipuus, qui Deo offert Missæ sacrificium.

Nota.

An nunc sit immediatus offerens? 49. Est autem difficultas, utrum Christus in singulis, quæ offerimus, sacrificiis sit immediatus offerens peculiari actu elicito.

Qui negent

Scotus Gabriel Cordub. Vazquez

Ad quod Scotus quodlib. 20, art. 1 § *His præmittendum*, Gabriel lect. 26 et 27, in *Can. Missæ*, Corduba lib. 1, quæst. 3, opinione 2, Vazquez disp. 225, cap. 3, Gaspar Hurtado, Fagundez, et alii respondent Christum quidem esse principaliter offerentem, quia instituit hoc sacrificium, et jussit, quod sacerdotes illud conficerent, et ejusdem Christi nomine Patri offerrent, ut constat ex dictis num. præced. sed negant Christum illud offerre proxime, et immediate speciali aliquo actu, quem nunc eliciat.

Motiva.

Quod probant primo : quia absurdum esset imaginari, quod Christus dicat Patri eam orationem, *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per sanctum Angelum tuum*, vel alias orationes, quæ in Missa recitantur : ergo Christus non offert istud sacrificium immediate, et actu expresso ; sed tantum ratione primæ institutionis. Secundo, quia Chritus in cœlo existens non orat Patrem actu formali, et expresso, sed solum virtualiter, aut interpretative, manifestando sua vulnera, et repræsentando merita suæ passionis, ut ex professo ostendit Vazquez in hac 3 p. disp. 82, cap. 2; ergo similiter non offert hoc sacrificium, nec rogat, ut acceptum Patri sit. Tertio, quia si Christus quotidie offerret hoc sacrificium per actum specialem; nihil huic actui deficeret ad rationem meriti : atque ideo Christus in cœlo regnans adhuc nobis merita acquireret, et applicaret : quod est absurdum; cum sit extra viam, et in termino meriti. Quarto, quia actio exterior consecrandi solum elicitur a sacerdote Christi nomine agente ; ergo idem de oblatione dicendum est. Quinto : nam quod Christus offerat modo in numero præcedenti descripto, sufficit, ut absolute dicatur offerre : ergo absque necessitate, et subinde sine fundamento introducitur alia oblatio formalis, et elicita, qua Christus offerre dicatur.

Verior affirmantium opinio.

50. Sed longe veriorem, sicut et communiorem, censemus opinionem contrariam docentem, quod sicut Christus secundum humanitatem concurrit instrumentaliter ad omnes, et singulas conversiones, sive transubstantiationes, quæ in Ecclesia fiunt ; ita etiam cogitat de omnibus, et singulis sacrificiis, et ea vult, et Deo offert: atque ideo est immediatus offerens in ratione præcipue sacerdotis, oblatione formali, actuali, et elicita.

Nugnus. Huertos. Prado. N. Gabr N. Fran. Suarez. Coninck Dicastil. Leander

Sic sentiunt Nugnus in præs. art. 1, in secunda parte dub. 5 et 8, Huertos quæst. 6 *de sacrificio Missæ*, Prado dub. 5, numero 9, Noster Gabriel disp. 1, quæst. 5, Noster Franciscus cap. 2, punct. 1, numero 3, Suarez disp. 77, sect. 1, Coninckus in præs. dub. 6, numero 108, Dicastillo tract. 5, disputatione 2, dub. 1, numero 12, Castro Palao, Tannerus, Filliutius, Miranda, Montesinos, Molina, Carthusianus, Trullench, et alii, quos referunt Prado, et Noster Franciscus locis relatis. Et eamdem sententiam, quam amplectitur, certissimam vocat Leander tract. 8, disp. 1, quæst. 28.

Fundamentum.

Probatur : quia cum humanitas Christi sit instrumentum conjunctum divinitati, et quasi præcipuum divinitatis organum, concurrens ad omnes effectus supernaturales, et miraculosos, qui per alia instrumenta fiunt, ut ex professo ostendimus tract. 21, disp. 23, dub. 4, consequens est, quod Christus ut homo instrumentaliter etiam concurrat ad omnes transubstantiationes, quæ in sacrificio Missæ contingunt : sunt enim omnes opus supernaturale, et miraculosum. Atqui non

concurrit ut instrumentum inanimatum : hic enim concurrendi modus ejus dignitatem non decet : sed concurrit per intellectum, et voluntatem. Ergo cognoscit, et vult concurrere ad omnes prædictas conversiones in particulari. Sed eadem ratione potest offerre omnia, et singula sacrificia : in quibus illæ fiunt. Ergo Christus est præcipuus offerens actu formali, et elicito omnia, et singula sacrificia, quæ in Ecclesia fiunt.

Confirmatio 1. Confirmatur primo evertendo opposita fundamenta : quia non magis dedecet, quod Christus actu elicito sit præcipuus offerens omnia, et singula nostra sacrificia, quam quod sit orans pro nobis actu formali orationis : sed Christus existens in cœlo actu formali, et elicito orat pro nobis, ut cum communi sententia ex professo ostendimus tract. citato disputatione 30, dub. 2: ergo pariter in cœlo existens actu formali, et elicito offert nostra sacrificia.

Confirmatio 2. Confirmatur secundo : quia præsumendum est Christum in offerendo sacrificia, quæ in Ecclesia fiunt, se gerere illo modo, qui magis congruit tam dignitati æterni sacerdotii ejusdem Christi, quam excellentiæ sacrificii a se instituti. Sed ad hæc magis conducit, quod Christus actu formali, et elicito offerat singula sacrificia, quam quod solum mediate, et remote concurrat, quatenus instituit sacrificium, et dedit sacerdotibus potestatem, ut illud ejus nomine offerrent. Ergo dicendum est Christum offerre omnia, et singula nostra sacrificia non solum remote, aut mediate modo descripto, sed etiam immediate, et actu elicito singula Deo offerendo. Minor liquet: nam perpetuitas sacrificii Christi magis declaratur per hoc, quod nunc actu formaliter sacrificia offerat, quam per hoc, quod offerat remote, et mediate quatenus sacrificium instituit, et dedit sacerdotibus potestatem sacrificandi. Deinde ad dignitatem hujus sacrificii pertinet, ut æquale sit illi, quod Christus in Cœna obtulit, ut habeat nunc eundem principaliter offerentem, qui non solum per legatum, sed per se immediate, sicut et tunc, illud offerat. Quamvis enim honor a Rege per suum legatum alteri exhibitus habeat specialem dignitatem a persona Regis mandante : nihilominus dubitari non potest multum dignitatis in æstimatione morali accessurum, si Rex per se ipsum, ut posset, immediate ad eam honorationem concurreret. Ergo tam ad perpetuitatem sacerdotii Christi, quam ad dignitatem nostri sacrificii confert, quod Christus non præcise per legatos, aut sacerdotes, sed per se ipsum actu formali, et elicito istud sacrificium Deo Patri offerat.

51. Motiva autem contraria facile eliduntur. Nam ad primum concesso antecedenti negamus consequentiam : quamvis enim Christus non oret, aut offerat illis verbis, quæ ejus dignitatem non decent ; potest tamen orare, et offerre aliis verbis congruentibus propriæ majestati. Præterquam, quod in illa oratione potest Angeli nomine intelligi ipse Christus, ut exponit Divus Thomas in hac quæstione art. 4 ad 9, dicens : « Vel per Angelum intel- « ligitur ipse Christus, qui est magni con- « silii Angelus : qui corpus suum mysti- « cum » (nempe Ecclesiæ fideles) « Deo « Patri conjungit, et Ecclesiæ trium- « phanti. » Ad secundum negamus antecedens : nam oppositum statuimus loco citato ex tract. 21, et docent communiter Patres. Unde Div. Augustinus enarrat. in Ps. 85, inquit : « Unus et ipse Salvator « noster orat pro nobis, et orat in nobis, « et oratur a nobis. Orat pro nobis ut sacer- « dos noster : orat in nobis ut caput nos- « trum : oratur a nobis ut Deus nostrer. » Et S. Laurentius Justitianus in serm. *de Christi corpore* ait : « Cum in altari Chris- « tus immolatur, clamat idem Redemptor « ad Patrem. Corporales suas cicatrices « ostendens, quatenus ab æternis suppliciis « sua homines interpellatione custodiat. » Ad tertium neganda est sequela, quæ non continet specialem difficultatem ; quia certum est Christum in cœlo elicere plures, et honestissimos actus infiniti valoris : et tamen per eos actu non meretur, quia est simpliciter extra viam. Idem itaque dè oratione, et de oblatione hujus sacrificii dicendum est. Impetrat autem per tales acrus bona, quæ nobis conferuntur, sicut cum debita proportione, et inferioritate in aliis Beatis contingit : quia impetratio non limitatur ad statum viatoris, sed potest in quolibet statu exerceri. Ad quartum dicendum, quod exterior consecratio, quatenus est actio instrumentaria, revocanda est non solum in sacerdotem, sive ministrum, sed etiam in Christum Summum Sacerdotem : quia non solum minister, sed etiam ipse Christus

Evertuntur opposita fundamenta.

D. Tho.

D. Aug.

D. Laurentius Just.

Christus ut homo concurrit instrumentaliter physice ad transubstantiationem. Sed minister concurrit ut instrumentum particulare, et separatum : Christus autem secundum humanitatem concurrit ut instrumentum universale, et divinitati conjunctum, ut loco supra citato explicuimus. Ad ultimum omisso antecedenti, negamus consequentiam : quia ut in secunda confirmatione expendimus, oportet salvare, non solum quod Christus sit absolute offerens hoc sacrificium ; sed quod offerat modo magis convenienti tam ipsi Christo sacerdoti, quam sacrificio. Et ad hoc oportet,quod Christus offerat omnia,et singula nostra sacrificia actu formali, et elicito.

§ II.

Qualiter fideles ad offerendum istud sacrificium concurrant ?

Ecclesia offert hoc sacrificium

52. Non solum Christum Dominum, et sacerdotem consecrantem, sed omnes Ecclesiæ fideles (si excommunicatos excipiamus), offerre Missæ sacrificium supponunt communiter Doctores. Et quidem merito : nam id satis aperte constat ex verbis, quibus Ecclesia utitur in hujus sacrificii celebratione. Sacerdos enim ante Canonem dicit ad assistentes : « Orate fratres, ut « meum, ac vestrum sacrificium accepta« bile fiat etc. » Deinde in Canone : « Hanc « igitur oblationem servitutis nostræ, sed « et cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Do« mine, ut placatus accipias. » Et ulterius: « Unde et memores Domine nos servi tui, « sed et plebs tua sancta, offerimus præ« claræ majestati tuæ, etc. » Et sic docent communiter Patres, Div. Irenæus lib. 4, cap. 32 et 34. Div. Augustinus epist. 122, et lib. 10, *de Civit*, cap. 20. Div. Thomas quæst. 80, art. 12, ad. 3, dicens : « Sacer« dos in persona omnium sanguinem of« fert, et sumit. » Et quæst. 82, art. 6 : « Oratio in Missa profertur a sacerdote in « persona totius Ecclesiæ, cujus sacerdos « est minister. » Rupertus lib. 2, *de divinis officiis* cap. 6, et S. Petrus Damianus epist. 13, ad Leonem inclusum, cap. 8, ubi præmissis illis Canonis verbis præclare subjungit : « In quibus verbis patenter osten« ditur, quod a cunctis fidelibus, non solum « viris, sed et mulieribus sacrificium illud « laudis offertur ; licet ab uno specialiter « sacerdote offerri videatur : quia quæ ille « offerendo manibus tractat, hæc multitudo « fidelium intenta mentium devotione « commendat. Quod illic quoque declara« tur, ubi dicitur : Hanc igitur oblationem « etc. Quibus verbis luce clarius constat, « quia sacrificium, quod a sacerdote sacris « altaribus superponitur, a cuncta Dei fa« milia generaliter offeratur.» Idem etiam docent communiter Theologi. Et videri possunt Soto in 4, dist. 13, quæst. 2, art. 1, Suarez disp. 77, sect. 3, et Prado quæst. 83, dub. 10, § 1.

D. Iren. D. Aug. D. Tho. Rupert. Petrus Damian.

Soto. Suarez. Prado.

Quo modo fideles dicantur offerre ?

Circa modum autem, quo omnes fideles, præter sacerdotem celebrantem, dicuntur istud sacrificium offerre, iidem Theologi observant non esse immediatum, et rigorosum; sed mediatum, denominativum et minus rigorosum : nam sicut sacerdos est, qui immediate sacrificat, sic etiam rigorose, ac immediate offert sacrificium : alii vero offerunt per sacerdotem, atque ideo mediate, et denominative ab ejus oblatione. In quo etiam modo tres adhuc gradus distinguendi sunt. Primus est generalis, et communis omnibus fidelibus, qui non fundatur in eo, quod singuli per particulares actiones offerant ; sed quia sacerdos offert pro omnibus; cum enim sacerdos consecretur ut publicus omnium minister quando istud sacrificium immediate offert, omnes generaliter dicuntur illud offerre, mediate scilicet, et denominative ab oblatione sacerdotis, qui omnium nomine agit. Secundus modus est magis specialis, nempe cum fit per actionem aliquam specialem moventem sacerdotem ad offerendum, ut cum fidelis vel precibus, vel oblata eleemosyna procurat, ut sacerdos celebret sacrificium. Tertius, et adhuc specialior est, quando fideles immediatius concurrunt ad sacrificium Missæ, utputa illi assistendo, et multo magis respondendo, et adjuvando. Quanto autem fideles dicuntur magis ad sacrificium concurrere, et illud offerre juxta gradus immediate assignatos ; tanto magis, cæteris paribus, participant sacrificii fructus, quos dub. sequenti assignabimus. Et hæc sunt, quæ in substantia pertinent ad notitiam oblationis factæ per alios fideles a sacerdote.

An animæ Purgatorii offerant ?

53. Dubitare autem potest, utrum de animabus Purgatorii dici possit, quod specialiter offerant hoc sacrificium ? Negant

Amicus. Amicus, et alii Recentiores apud Pradum loco citato numero 8. Tum quia istud sacrificium est proprium Ecclesiæ militantis, et visibilis : prædictæ autem animæ jam non existunt in hac Ecclesia : ergo nequeunt offerre specialiter hoc sacrificium. Tum etiam quia ex opposito fieret idem de beatis etiam, et Angelis dici posse, quod istud sacrificium specialiter offerant, si aliquo modo moveant sacerdotem ad celebrandum : id vero est absurdum, et contra communem omnium sententiam.

Resolutio. Sed satis probabilem judicamus oppositam sententiam, atque etiam præferendam : quoniam ex una parte animæ Purgatorii non sunt omnibus modis extra statum viæ ; cum conservent fidem, et spem : ex alia vero parte possunt movere sacerdotem ad celebrandum. Ergo dici potest, quod animæ Purgatorii offerunt sacrificium Missæ non solum generalissimomodo, quatenus sacerdos offert omnium fidelium nomine, præcisive a peculiaribus eorum oblationibus, sed etiam modo magis speciali, quem in secundo gradu descripsimus. Antecedens quoad primam partem est certum, et quantum ad secundam probatur : tum in casu, in quo sunt animæ illorum defunctorum, qui pecuniam, sive stipendium reliquerunt pro Missarum oblatione: nam sic movetur sacerdos a prædictis animabus ad offerendum. Tum etiam in casu, quo Deo permittente animæ Purgatorii apparent sacerdoti, et rogant, ut pro eis celebret : quippe his precibus illum ad offerendum sacrificium excitant : idque non semel contigisse constat ex historiis Ecclesiasticis. Et huic sententiæ favet D. Thomas non solum, quia 2, 2, quæstione 18, art. 3, docet, quod « in viatoribus, sive sint « in via ista, sive in Purgatorio potest esse « spes, » atque ideo fides, (quæ est prima propositi fundamenti pars,) sed etiam quia in 4, distinct. 45, quæstione 2, art. 1, quæstiunc. 3, inquit : « Si aliquis in charitate decedens præcipiat sibi suffragia fieri, illa suffragia valent defuncto; quamvis illi, per quos fiunt, in peccato existant: quia sacerdos agit ut instrumentum « illius, » nempe ut motum ab eo per eleemosynam, quam illius nomine recipit, ut celebret. Quæ est præcipua pars propositi fundamenti. Tenendum itaque est animas Purgatorii non solum offerre generaliter hoc sacrificium : quod omnibus fidelibus, vel nihil de eo cogitantibus commune est ; sed posse etiam illud magis specialiter offerre modo jam significato. Et hoc ipsum docent Sylvester verbo *Missa* 1, quæst. 9, § *Sciendum est tertio*. Cajetanus tom. 2, opusc. tract. 3, quæst. 2, § *Unum tamen*, Soto num. præced. relatus, § *Offerente autem*, et alii. Ea vero, quæ opinio contraria opponebat, diluta relinquentur ex dictis : nam ad primum constat animas Purgatorii non esse omnibus modis extra statum viæ, sed magis ambulare adhuc per fidem. Ad secundum patet disparitas inter has animas, et animas beatorum : istæ enim sunt simpliciter in termino, quod illæ non habent. Præterquam quod si animæ beatorum movent aliquo speciali modo sacerdotem ad offerendum, nullum est inconveniens, quod dicantur specialiter offerentes hoc sacrificium : nec illa sententia communis id negat.

D. Tho. — Sylvest. Caietan. Soto.

54. Secundo dubitari valet, an offerens solo affectu, vel actu interno dicatur specialiter hoc sacrificium offerre. Negant Suarez disput. 77, sect, 3, in fine, Trullench libro 3, capite 8, dubio 3, et alii. Quorum motivum est : nam ut quis dicatur specialiter offerre sacrificium, debet aliquid operari ad oblationem, vel circa rem oblatam : sed offerens præcise per actum internum nihil hujusmodi operatur : ergo non potest dici, quod offerat specialiter sacrificium. Probatur minor : quia sacrificium est quid visibile, et consistens in actione externa : sed oblatio mere interior non est aliquid sensibile, nec circa externa versatur : ergo ille, qui actu mere interiori offert, nihil operatur ad oblationem, vel circa rem oblatam. Confirmatur : quia si offerre interiori devotione sufficeret, ut quis diceretur specialiter offerre sacrificium ; posset quis specialiter offerre non solum sacrificium præsens, sed etiam omnia sacrificia præterita, et futura : quippe ad omnia hæc potest affici interiori devotione : consequens est absurdum : ergo non sufficit interior affectio, ut quis dicatur specialiter offerre sacrificium, et cooperari sacerdoti sacrificanti. Et plane B. Virgo assistens sacrificio crucis, illud interno affectu offerebat : et tamen in ea immolatione non potuit dici specialiter offerens, vel aliquo modo sacrificans. Oppositam vero sententiam amplecti videntur Bellarminus lib. 2, *de Missa*, cap. 4, § *Ubi est*. Vazquez

Dubium circa offerentem solo actu interno. — Aliquorum opinio. — Suarez. Trullen. — Contraria sententia.

Bellarm. Vazquez Vazquez disp. 226, cap. 2, num. 10, et alii. Et probant : quia hujus sacrificii victima omnibus relicta est : ergo potest quis prædictam victimam solo interiori affectu Deo præsentare ex intentione aliquid consequendi : quo nihil amplius desiderari videtur, ut ita se gerens dicatur hoc sacrificium specialiter offerre.

Judicium. Sed quæstio hæc videtur ad solas voces, et earum usurpationem pertinere. Quod autem ad rem attinet, sentimus cum priori sententia eum, qui, præcise affectu interiori offert hoc sacrificium, non posse dici illud offerre illa specialitate, qua offerunt, qui vel precibus, vel stipendio movent sacerdotem ad celebrandum, vel qui illi in ipsa celebratione ministrat, et assistit. Nam hic multo majori specialitate offert, cooperando ad actum sacrificandi, qui externus est. Et hoc convincunt motiva prædictæ sententiæ. Sed in favorem secundæ sentimus offerentem solo affectu interiori esse specialiter offerentem per comparationem ad omnes fideles, qui quamvis nihil de hoc sacrificio cogitent, dicuntur generaliter offerre, quia sacerdos omnium nomine agit, et orat. Quippe manifestum est vel solo affectu interiori offerentem aliquid addere supra generaliter offerentes : atque ideo posse in hoc sensu dici, quod specialiter offerat. Nec motiva prioris sententiæ contrarium suadent ; quia solum probant ita offerentem non cooperari ad sacrificium, quod concedimus ; sed non probant, quod aliqua specialitate non respiciat sacrificium, si non ut effectum, saltem ut objectum, quod Deo tanquam victimam præsentat. In quo sensu nullum est inconveniens dicere quod B. Virgo obtulerit aliqua specialitate sacrificium cruentum crucis : et quod simili affectu dicatur offerre omnia sacrificia. Et hanc partem non obscure docet S. Petrus Damianus loco cit. ubi generalem illam assertionem statuit, quod « istud sacrificium a cunctis « fidelibus, non solum viris, sed et mu- « lieribus offertur. » Et illam probat : quia « quæ sacerdos offerendo manibus tractat, « hæc multitudo fidelium intenta mentium « devotione commendat. » Ubi non ad preces sacerdoti factas, non ad stipendium altaris ministerium, non ad specialem assistentiam unice, aut determinate revocat, quod hoc sacrificium offeratur a viris et mulieribus ; sed ad hoc quod intenta mentium devotione (estque actus interior) commendant illud ipsum, quod sacerdos exterius gerit.

An accidentalis sacrificii valor crescat ex sanctitate offerentium? 55. Tertio dubitari solet, utrum valor accidentalis Missæ crescat ex majori sanctitate offerentium ? Et loquendo de sacerdote specialiter, atque immediate offerente, omnes communiter id concedunt. Idque facile intelligitur, et suadetur discursu D. Thomæ quæst. præced. art. 6, ubi ait : D. Tho « Dicendum, quod in Missa duo est considerare, scilicet ipsum sacramentum, « quod est principale : et orationes, quæ « in Ecclesia fiunt pro vivis, et mortuis. « Quantum ergo ad sacramentum non « minus valet Missa sacerdotis mali, quam « boni : quia utrobique idem conficitur « sacramentum. Oratio etiam, quæ fit in « Missa, potest considerari dupliciter. Uno « modo in quantum habet efficaciam ex « devotione sacerdotis orantis. Et sic non « est dubium, quod Missa melioris sacer- « dotis magis est fructuosa. Alio modo in « quantum oratio in Missa profertur a « sacerdote in persona totius Ecclesiæ. » Et in hoc sensu concludit, quod Missa etiam mali sacerdotis est fructuosa. Sed quod ad rem magis facit, est illa propositio S. Doctoris, quod quantum ad aliquem fructum specialem Missæ, « non est dubium, « quod Missa melioris sacerdotis magis est « fructuosa. » Idque in *sed contra* magis confirmat ex cap. *Ipsi sacerdotes* 92, 1, quæst. 1, ubi dicitur : « Quanto sacerdotes « fuerint digniores, tanto facilius in neces- « sitatibus, pro quibus clamant, exaudiun- « tur. »

Sed cum præter sacerdotem immediate celebrantem, dentur etiam alii offerentes, et maxime tota Ecclesia, in cujus nomine sacerdos offert ; dubitari potest an ex majori sanctitate offerentium, et præsertim Ecclesiæ augeatur accidentalis sacrificii fructus ? Ut si fiat suppositio, quod in Ecclesia Christiana invenitur hoc tempore major sanctitas, quam tempore v. g. Constantini. Crescet ne accidentalis hic fructus ? In quo sensu uterque Soto ad partem negantem inclinat : Petrus lect. 13, quæ est *de ministro Eucharistiæ*, § *secundum hoc sit*, et Dominicus in 4, dist. 13, quæst. 1, art. 6, in fine. Et eorum motivum est, quod licet fideles Ecclesiæ varientur, et Ecclesia quantum ad illos habeat aliquam varietatem in sanctitate, ut secundum il- Negat uterque Soto.

lam possit dici magis aut minus sancta nihilominus Ecclesia hoc sacrificium offerens repræsentat omnes sanctos non solum qui sunt, sed qui fuerunt. Unde vel præcludendus est locus comparationi ; vel tenendum, quod fructus accidentalis hujus sacrificii semper est idem ex parte Ecclesiæ offerentis.

Præfertur aliorum sententia. 56. Nihilominus licet hæc res valde incerta sit quantum ad ipsam suppositionem, illa tamen præmissa, probabiliorem censemus partem affirmativam : quam tuentur Scotus quodlib. 20, art. 2, vers. *Sed, sic est.* Suarez disp. 79, sect. 11, conclus. 3 Bellarminus lib. 2, *de Missa*, cap. 4, et alii. (Scotus. Suarez. Bellarm.) Probatur primo ex D. Thom. in hac quæst. art. 4, ubi cum opposuisset : quod hoc sacrificium est Deo acceptissimum : ergo non recte petit sacerdos, quod Deus illud acceptet, sicut olim sacrificium Abel, Abraham etc. respondit : « Ad octavum dicendum, quod licet hoc sacrificium ex se ipso præferatur omnibus antiquis sacrificiis ; tamen sacrificia antiquorum fuerunt Deo acceptissima ex eorum devotione. Petit ergo sacerdos, ut sic hoc sacrificium acceptetur a Deo ex devotione offerentium, sicut illa accepta fuerunt Deo. » (Tho) Ubi supponit S. Doctor hoc sacrificium posse esse magis, aut minus acceptabile, et subinde magis, aut minus accidentaliter fructuosum juxta majorem fidelium offerentium devotionem : cum igitur Ecclesia sit collectio fidelium ; consequens est, quod sentiat hoc sacrificium esse magis acceptabile, et magis fructuosum juxta majorem, quæ actu in Ecclesia sit, offerentium sanctitatem. Secundo, quia orator, vel legatus alicujus reipublicæ tanto facilius impetrat apud Pontificem, quanto personæ illius reipublicæ gratiores Pontifici sunt, et melius de ipso meritæ : ergo sacerdos, qui tanquam orator, et legatus totius Ecclesiæ orat, et offert Deo istud sacrificium, eo plus fructus accidentalis hujus sacrificii apud Deum impetravit, quo Ecclesia sanctior, ac perinde gratior Deo sit : atque ideo fructus accidentalis hujus sacrificii crescit juxta majorem sanctitatem Ecclesiæ offerentis.

Diluuntur objecta. Quæ autem opponunt Auctores contrarii, excludunt quidem suppositionem, et comparationem. Sed tamen illis admissis nequeunt veritatem nostræ resolutionis excludere. Sed nec ipsam suppositionem penitus excludere valent : quia licet Ecclesia offerens offerat non solum merita actu præsentia, sed quæ aliquando fuerunt ; tamen dubitandum non est, quod Ecclesia secundum diversos status, et tempora, per quæ decurrit, contineat aliquando plures, et aliquando pauciores justos, et subinde quod sit aliquando in statu magis, aut minus sancta, et grata Deo. Et hoc sufficit ad prædictam suppositionem, et comparationem. Quæ autem de Ecclesia diximus, cum majori certitudine procedere censemus in communitatibus, aut choris assistentibus, et offerentibus istud sacrificium : in quibus dubitari non debet reperiri hujusmodi inæqualitatem. Unde quanto Communitas sanctior, et devotior fuerit, tanto magis ab hac parte crescet fructus accidentalis hujus sacrificii, ut satis evidenter docet D. Thomas loco relato. (Nota)

DUBIUM IV.

Pro quibus sacrificium Missæ offeratur ?

Succedit recto ordine, ut videamus, pro quibus personis, sive in quarum utilitatem istud sacrificium offerri possit. Ad cujus dubii resolutionem supponendum est hujusmodi sacrificium plures habere fructus; nam et est propitiatorium in ordine ad obtinendum remissionem peccatorum ; et est impetratorium in ordine ad consequendum beneficia ; et est satisfactorium in ordine ad remittendam pœnam pro culpis debitam, ut magis declarabimus dub. seq. Non requiritur tamen, quod in omnibus, et singulis personis, pro quibus hoc sacrificium offertur, habeat semper omnes prædictos effectus ; sed fieri valet, ut vel omnes, vel unum, aut alterum habeat : et cum eadem proportione, et respectu potest offerri, nempe ut alicui, aut aliquibus prosit, vel quantum ad omnes effectus, vel saltem quantum ad aliquem. (Plures hujus sacrificii effectus.) Deinde cum istud sacrificium a pluribus offeratur, ut dub. præc. explicuimus, fieri valet, quod quando sacerdos illud pro aliquo offert, agat vel nomine proprio, et secundum suam particularem intentionem, vel nomine Christi, vel denique nomine Ecclesiæ. (Sacerdos potest illud offerre diverso modo) Præterea dubium istud vix potest in genere, sive juxta unam communem regulam determinari : quia occurrunt plurima subjecta, in quibus quælibet resolutio limitari,

tari, aut explicari debet. Sed tamen curabimus prius in communi veritatem aliquam statuere, et deinde ad peculiares exceptiones, sive subjecta, in quibus occurrit aliqua difficultas, descendere.

§ I.

Proponitur vera, et communis assertio.

Conclusio. 57. Dicendum est sacrificium Missæ offerri pro tota Ecclesia Catholica, atque ideo pro omnibus baptizatis, ab Ecclesia non præcisis. Hæc conclusio est de fide, ut immediate dicenda satis evincunt. Probatur primo : quia sacerdos ordinatur, ut sit publicus minister totius Ecclesiæ offerendo sacrificium pro illa, juxta illud Apostoli ad Heb. 5: *Et præterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis :* ergo sacrificium Missæ offertur pro tota Ecclesia Catholica. Probatur secundo ex ipsis verbis, quæ in Canone recitat sacerdos : *In primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica.* Probatur tertio ex Concil. Trident. sess. 22, cap. 2, et can. 3, ubi statuit : « Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum « actionis, aut nudam commemorationem « sacrificii in cruce peracti, non autem « propitiatorium : vel soli prodesse su- « menti; neque pro vivis, et defunctis, pro « peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis « necessitatibus offerri debere, anathema « sit. » In quibus verbis satis significatur universalis hujus sacrificii effectus, ac perinde et ejus oblatio extendenda ad totam Ecclesiam Catholicam. Unde hic est communis sensus omnium Catholicorum, et Theologorum cum D. Thoma in hac quæst. art. 4, ubi ait : « Deinde sacerdos « secreto commemorat, primo quidem, « pro quibus hoc sacrificium offertur, « scilicet pro universali Ecclesia, et pro « his, qui in sublimitate sunt constituti, 1, « ad Timoth. 2, et specialiter quosdam, « qui offerunt, vel pro quibus offertur. »

Ad Hebr. 5. — Concil. Trident. — D. Tho.

Hoc sacrificium potest offerri pro parvulis baptizatis. Ex qua assertione immediate colligitur hoc sacrificium offerri posse pro parvulis baptizatis : tum quia vere sunt membra Ecclesiæ Catholicæ. Tum quia licet non egeant hoc sacrificio ad fructum, vel effectum satisfaciendi ; potest tamen illis prodesse quantum ad fructum impetrationis, ut v. g. perseverent in gratia, et liberentur a malis. Pro fidelibus peccatoribus. Colligitur etiam posse hoc sacrificium offerri pro fidelibus, licet existant in peccato mortali : quia etsi illis, quandiu sunt in eo statu, non prosit quantum ad satisfactionem ex opere operato ; prodest tamen quantum ad fructum impetrationis plurium beneficiorum ; et præsertim conversionis : et quantum ad fructum propitiationis, ut Deus illis pacetur communicando eis auxilia, sacramenta, et alia media, quibus justificentur. « Hujus quippe « sacrificii » (inquit Concilium Tridentinum loco citato cap. 2,) « oblatione placatus « Dominus gratiam, et donum pœnitentiæ « concedens, crimina, et peccata etiam in- « gentia dimittit. » Concil. Trident. Pro energumenis. Colligitur præterea posse etiam offerri pro energumenis, ut cum Vasquez, et Dicastillo, notat specialiter N. Franciscus cap. 2, punct. 2, num. 11. Sed nec de hoc rationabiliter dubitari poterat : non solum quia non est prohibitum sed quia energumeni possunt esse non præcise fideles, sed et justi : quare de illis quantum ad hoc sicut de quibusdam infirmis censendum est. Quare non est ratio, ut excludantur ab illis sacerdotis offerentis verbis : « Et omnibus orthodoxis, atque « catholicæ, et Apostolicæ fidei cultoribus. » Et ista sunt, quæ possumus in genere dicere. Sed descendere oportet ad peculiares hominum conditiones.

§ II.

Quid sentiendum de Catechumenis ?

An pro catechumenis ? 58. Hi dicuntur, qui fidem Christi, aut etiam gratiam jam habent, sed tamen adhuc baptizati non sunt. Et pro istis posse Missæ sacrificium offerri negat in universum Vazquez disput. 227, cap. 3, pro eadem sententia aliquos referens, quid id minime sentiunt. Sententia negans. Illam tamen amplectuntur Azor, Granados, Gaspar, Hurtado, Castro Palao, Marchinus, Huertos, et alii, quibus subscripsit Leander tract. 8, disp. 2, quæst. 6. Vazquez. Leander. Argumenta. D. Aug. Quam probant primo ex D. Augustino lib. 1, *de anima, et ejus origine*, cap. 9, ubi ait : « Quis offerat corpus Christus nisi pro « eis, qui sunt membra Christi ? » Fit autem homo membrum Christi per hoc, quod baptizatur, et per baptismum illi incorporatur. Ergo cum catechumeni non sint baptizati, sequitur Missam pro illis offerre

Concil. Brachar. non posse. Secundo, quia in Concilio Bracharensi primo, cap. 35, decretum est, « ut « Catechumenis sine redemptione baptismi « defunctis, nec oblationis sanctæ commemoratio, nec psallendi impendatur officium. » Non est autem major ratio de catechumenis viventibus, quam defunctis : ergo non licet sacrificium Missæ pro illis offerre. Tertio, quia Ecclesia Romana solum in die Parasceves orat pro catechumenis : sed multo magis est sacrificium offerre, quam orare : ergo non licet Missam offerre pro illis. Quarto, et ultimo, quia illis tantum prodest Eucharistia per modum sacrificii, quibus prodest per modum sacramenti : absurdum enim apparet aliquem non esse capacem Eucharistiæ in ratione sacramenti, et esse capacem ejus in ratione sacrificii : sed nullus Catechumenus est capax fructus Eucharistiæ in ratione sacramenti : cum non susceperit baptismum, qui est janua sacramentorum: ergo pariter non est capax fructus illius in ratione sacrificii. Si autem res ita se habet; vanum, ac subinde, illicitum est sacrificium offerre pro catechumenis.

Vera sententia. 59. Nihilominus tenendum est sacerdotem, ut offerentem nomine proprio, et etiam in persona Christi posse sacrificium Missæ offerre pro catechumenis saltem quantum ad fructum impetrationis. Ita Nugnus in præs. art. 1, part. 2, difficult. 5, concl. 3, Petrus de Ledesma cap. 17, *de Eucharistia*, concl. 18, corol. 3. Joannes a Cruce dub. 5, concl. 5, Bartolomæus a S. Fausto, *de indulgentiis*, lib. 2, quæst. 80, N. Lezana verbo *Missa*, num. 7. N. Franciscus loco cit. num. 2,. Prado in præs. dub. 11, num. 14, in fin. Suarez disp. 78, sect. 2, Villalobos tra. 8, difficul. 9, num. 1, Tamburinus lib. 2, *de Missa*, cap. 2, § 3, Trullench. lib. 3, *de sacram.* cap. 8, Lugo disp. 19, sect. 10, a num. 166, Aversa quæst. 11, sect. 10, Coninckus, Lessius, Præpositus, Filliutius, Luyman, et alii plures.

(Nugnus. Ledes. Joan. a Cruce. A S. Fausto. N. Lez. N. Fran. Prado. Suarez. Villal. Tambur. Trullen. Lugo. Aversa.)

Primum fundamentum. Probatur primo ex ipso Ecclesiæ usu : nam S. Clemens Romanus lib. 8 *Constit. Apostol.* cap. 5 et 12, refert obsecrationes, quæ in Missa fieri solebant pro catechumenis. Et idem constat ex D. Augustino epist. 107, *ad Vitalem*, et ex D. Chrysostomo *in propria liturgia*, in qua pro catechumenis orat, et offert. Quin etiam de facto in lib. inscripto *ordo Romanus*, in Missa, dum catechumeni præparantur ad futurum baptismum, in oratione infra Canonem dicitur : « Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, ut placatus accipias : quam tibi offerimus pro « famulis, et famulabus tuis, quos ad æternam vitam, et beatum gratiæ donum « eligere atque vocare dignatus est. » Potest ergo sacerdos saltem suo nomine, et nomine Christi offerre pro catechumenis fructum, Missæ sacrificium quantum ad aliquem saltem impetrationis.

(S. Clem. D. Aug. D. Chry.)

Probatur secundo alio motivo, per quod magna ex parte evertuntur fundamenta contraria : nam sacrificium Missæ potest offerri pro illis, qui sunt fideles et membra Christi : sed catechumeni sunt fideles, et membra Christi: ergo sacrificium Missæ potest pro illis offerri. Major patet ex verbis Canonis, quibus Ecclesia orat pro « orthodoxis atque catholicæ, et Apostolicæ « fidei cultoribus. » Et Concilium Tridentinum sess. 22, cap. 6, docet « Missas a « publico Ecclesiæ ministro, non pro se « tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui « ad corpus Christi pertinent, celebrari. » Minor autem probatur, tum ex D. Augustino lib. 2, *de Symbolo*, ubi catechumenos alloquens ait : « Nondum quidem adhuc « per sacrum baptisma renati estis, sed per « crucis signum in utero sanctæ Matris « Ecclesiæ jam concepti estis. » Tum etiam, quia nullus salvatur, nisi sit Christi membrum, et intra Ecclesiam per ejus fidem, ut dicitur in cap. *Firmiter de summa Trinit. et fide catholica* : sed aliqui catechumeni salvantur vel baptismo sanguinis, vel baptismo flaminis : ergo catechumeni sunt fideles, et membra Christi. Confirmatur specialiter ex regula, quam D. Thomas supra quæst. 79, artic. 7, statuit his verbis : « Sicut passio Christi prodest quidem omnibus quantum ad sufficientiam, et ad « remissionem culpæ, et adeptionem gratiæ, et gloriæ : sed effectum non habet, « nisi in illis, qui passioni Christi conjunguntur per fidem, et charitatem : ita et « hoc sacrificium, quod est memoriale Dominicæ passionis, non habent effectum nisi « in illis, qui conjunguntur huic sacramento « per fidem, et charitatem. » Constat autem omnes catechumenos conjungi Christo, et huic sacramento saltem per fidem, et quod aliqui eisdem etiam conjunguntur per charitatem

(Aliud motivum. Concil. Trident. D. Aug. Confirmatio. D. Tho.)

ritatem

ritatem. Ergo hoc sacrificium potest habere in catechumenis aliquem effectum. Atque ideo sacerdos potest Missam pro catechumenis in ordine ad talem effectum offerre.

Legitima intelligentia assertionis.

60. Diximus in assertione sacerdotem posse offerre *nomine proprio, et nomine Christi* pro catechumenis : quia quantum ad orationem publicam, et oblationem totius Ecclesiæ nomine faciendam, omnino servandum est, quod ipsa Ecclesia præscribit : tenetur namque sacerdos in hoc sicut in aliis, agere juxta ejus dispositionem, et intentionem. Ecclesia autem non orat oratione publica pro catechumenis, nisi in die Parasceves, et in Missa catechumenorum proxime baptizandorum, ut supra diximus ex lib. *Ordo Romanus* cujus etiam Missæ meminerunt Concilium Carthaginense 4, relatum in cap. *Episcopus de consecrat.* dist. 1, et Concilium Illerdense relatum in cap. *de his* 35, q. 2. Unde præscripto modo, et limitatione se gerere debet in orando publice, atque in offerendo nomine totius Ecclesiæ pro catechumenis. Congruentiæ autem ratio, ut sic disposuerit Ecclesia, potuit esse, tum ut ostenderet majorem amorem, et curam ad propria membra visibilia, nempe ad fideles baptizatos, et ad se ingressos per legitimam januam baptismi. Tum ut hæc via magis provocaret catechumenos ad baptismum celerius suscipiendum, ne scilicet existant privati publicis Ecclesiæ suffragiis quæ ad eorum salutem plurimum referre queunt.

Concil. Carthaginense. Concil. Illerd.

Alia observatio.

Diximus etiam in assertione sacerdotem posse pro catechumenis Missam offerre « saltem quantum ad fructum impe« trationis : » quia longe facilius intellectu est, quod hic Missæ fructus illis prodesse valeat, et quantum ad illum conveniunt omnes Auctores ibidem relati. Sed non ita convenit inter eos quantum ad fructum satisfactionis. Suarez namque, Coninkus, Lugo, et alii non pauci negativam tuentur: quia fructus satisfactionis datur ex opere operato, et communicatur ad instar effectus sacramentorum : unde cum sacramenta non prosint nisi baptizatis, sive membris visibilibus Ecclesiæ ; sequitur, quod nec Missa prodesse valeat non baptizatis quantum ad fructum satisfactionis. Et est satis probabile. Sed Nugnus, Ledesma, et alii plures ex supra relatis non adhibent hanc limitationem, sed positive docent oppositum. Primo, quia minime admitti debet, quod satisfactiones propriæ, seu personales magis se extendere, aut prodesse queant, quam satisfactio, quæ est fructus hujus sacrificii, nomine Christi, et sacerdotis oblata : sed aliæ satisfactiones propriæ, seu personales applicatæ catechumenis existentibus in gratia habent effectum : ergo idem de fructu satisfactorio Missæ dicendum est. Secundo, quia non est major ratio, quare fructus satisfactionis sacrificii Missæ prosit animabus catechumenorum existentibus in Purgatorio, quam ipsis catechumenis vivis existentibus in gratia : nec inter hæc comparationis extrema facile quis assignabit congruentem disparitatem. Sed sacrificium Missæ prodest quantum ad fructum satisfactionis animabus catechumenorum existentibus in Purgatorio : tum quia omnes animæ ibi existentes, sicut etiam existentes in beatitudine, conveniunt in omnibus, præterquam in charactere : tum quia Ecclesia Catholica indiscriminatim, et sine limitatione offert sacrificium Missæ pro omnibus animabus existentibus in Purgatorio, licet catechumenorum sint, ut recte observarunt Franciscus de Lugo lib. 5, cap. 4, quæst. 6, et Scortia lib. 12. Ergo pariter sacrificium Missæ quantum ad fructum satisfactionis prodesse potest catechumenis vivis existentibus in statu gratiæ. Et hoc videtur nobis absolute probabilius. Unde negandum est istum sacrificii fructum se habere tanquam effectum sacramenti : sed magis comparari debet satisfactioni propriæ personali, quæ cuilibet existenti in gratia applicari valet.

Aliquorum opinio.

Probabilior aliorum sententia.

Franc. Lugo. Scortia.

Argumentis contrariis satisfit

61. Argumenta vero proposita num. 58 facile dissolvuntur. Nam ad primum respondetur, quod licet catechumeni non sint visibiliter membra Christi ob non susceptionem baptismi ; nihilominus jam invisibiliter sunt membra Christi propter internam dispositionem fidei, aut etiam charitatis, ut num. 59 ostendimus. Ad secundum respondetur eam concilii dispositionem esse in ordine ad orationes, sive oblationes publicas, sive Ecclesiæ nomine factas : quas concedimus non debere a sacerdote fieri, nisi quando, et ubi Ecclesia præscribit, ut n. 60 observavimus. Quamvis quantum ad catechumenos defunctos alia ratio habenda sit ; cum Ecclesia illos non excludat a communi Missæ participatione, et oblatione pro animabus fidelium defunctorum. Unde Innocentius III, in cap.

Innocentius III.

Apostolicam 2, *de Presbytero non baptizato*, monet Episcopum Cremonensem : « Sopitis « quæstionibus Doctorum, Patrum sententiam teneas et in Ecclesia tua juges preces, hostiasque Deo offerri jubeas pro « presbytero memorato. » De quo constabat baptizatum non fuisse. (Nota.) Et ideo videtur dispositioni Concilii Bracharensis jam derogatum. Ad tertium patet ex dictis solum evincere, quod sacerdos non debet offerre oblatione publica, et nomine Ecclesiæ, nisi quando Ecclesia determinat. Ad quartum neganda est major : quia magis extenditur influxus Eucharistiæ in ratione sacrificii, quam in ratione sacramenti : unde subjectum incapax recipiendi Eucharistiam in ratione sacramenti potest suscipere aliquem ejus fructum in ratione sacrificii, ut patet in animabus Purgatorii, quæ cum non sint in statu recipiendi sacramentum Eucharistiæ, participant nihilominus de ejus fructu in ratione sacrificii. Et idem proportionabiliter contingit in catechumenis : nequeunt enim recipere Eucharistiæ sacramentum propter rationem in ipso argumento assignatam : sed possunt recipere aliquem sacrificii fructum sicut alia divinæ gratiæ beneficia.

§ III.

Quid tenendum de infidelibus?

(Opinio negans.) 62. Vazquez relatus num. 58, valde consequenter ad ea, quæ circa catechumenos tenet, negat sacrificium Missæ offerri posse (Vazquez. Gabriel. Azor. Hurtado. Granad. Leand.) pro infidelibus, ut sunt Pagani, Judæi, hæretici. Quod prius docuerat Gabriel lect. 24 *in Canonem litt. A*. et amplectuntur Azor tom. I, lib. 10, cap. 22, q. 1, Gaspar Hurtado disp. 2, difficult. 4, Granados, Marchinus, Huertos, Lublinus, Machado, et alii, quos refert, et sequitur Leander tract. 3, disp. 2 quæst. 6. Pro eadem sententia referri solet Soto in 4, dist. 11, quæst. 2, art. 7 ad 2. Sed immerito : nam Soto tam (Argumenta.) ibi, quam lib. 9 *de justitia* quæst. 2, art. 2, concedit posse institui Capellaniam pro conversione infidelium, quibus subinde Missæ prosint quantum ad effectum impetrationis. Probant autem prædicti Auctores (D. Aug.) suam opinionem primo in verbis D. Augustini num. 58 relatis : « Quis offerat « Corpus Christi nisi pro eis, qui sunt mem- « bra Christi ? » Infideles autem non sunt membra Christi, cum prima ad Christum unio debeat fieri per fidem : ergo istud sacrificium offerri pro infidelibus non potest. Secundo, quia in cap. *Nemo*, et in cap. *sacris* prohibetur, ne sacerdos oret, et offerat pro infidelibus, et apostatis : ergo non licet oppositum agere. Tertio, quia incredibile apparet Christum instituisse Eucharistiam in ratione sacrificii pro illis, quibus subsidio non est in ratione sacramenti : manifestum est autem hoc sacramentum institutum non fuisse pro infidelibus.

63. Asserendum tamen est sacerdotum posse saltem suo nomine, et Christi offerre (Vera sententia.) hoc sacrificium pro infidelibus, qui excommunicati non sunt. Legitima intelligentia hujus resolutionis satis constat ex dictis (Explicatur.) num. 60, sed ulterius observandum est ultima verba addita fuisse propter aliquos infideles, qui simul sunt excommunicati, ut plane sunt omnes hæretici. Nam in præsenti solum agimus de infidelibus secundum communem omnibus infidelibus rationem : quid vero de excommunicatis dici debeat, § sequenti constabit. Observare etiam oportet sacrificium directe oblatum pro ministris Evangelicis curantibus infidelium conversionem prodesse etiam, et offerri saltem indirecte pro ipsis infidelibus in ordine ad talem finem, ut ex ipsis terminis satis liquet : sicut enim fieri nequit, quod tales ministri convertant infideles, quin isti convertantur; sic etiam fieri non valet, quod sacerdos offerat directe sacrificium Missæ pro ministris conversuris infideles, quin saltem illud indirecte offerat pro infidelibus convertendis. Quare cum nemo neget illud primum; vix reperitur ullus, qui non admittat posterius. Sed resolutio nostra non in isto præcise sensu procedit, sed se extendit ad directam sacrificii Missæ pro infidelibus oblationem. In quo sensu illam docent Soto locis relatis, Martinus de Ledesma in 2 par. (Soto. Ledesm.) *Quarti*, quæst. 23. art. 1, Petrus de Le- (Prado. Gonet.) desma cap. 17, *de Eucharist.* concl. 18, (Sylvius.) Prado in præs. dub. 11, n. 23, in fine, (N. Fran. Navar.) Gonet. disp. 11, art. 3, num. 70, Sylvius (Bellarm. Suarez.) in præs. art. 1, quæsito 8, N. Franciscus (Henriq.) tract. 5, cap. 2, punct. 2, n. 19, Navarrus (Villalob.) *de oratione* cap. 8, n. 72, Bellarminus lib. 2, *de Missa*, c. 6, Suarez disp. 78, sect. 2, conclus. 3. Enriquez, Coninckus, Lugo, Laiman, Scortia, Fulliucius, Bonacina, et alii, quos refert N. Franciscus, loc cit. Villalobos

lalobos tract. 8, difficul. 7, et alii plures.

Primum fundamentum. Probatur primo ex sacra scriptura: nam Apostolus 1 ad Timoth. 2, ait: *Obsecro fieri obsecrationes etc. pro omnibus hominibus, pro Regibus, et qui in sublimitate sunt.* 1. ad Timoth. 2. Quo loco Apostolum loqui de obsecrationibus, quæ in Missa fiunt, multi Patres tam latini, quam Græci interpretantur. Reges autem tunc erant communiter idololatræ, ut ex historia Ecclesiastica liquet. Licitum ergo est in Missa orare, et sacrificium offerre pro infidelibus ad impetrandum eis beneficia, et præsertim conversionem. Confirmatio. Confirmatur: quia in lege antiqua licitum fuit offerre sacrificia pro infidelibus, sive non pertinentibus ad populum Dei, ut constat 1, Esdræ 6, et 1, Machab. 12, sacrificium oblatum fuisse pro vita Darii Regis, et pro salute Heliodori Gentilis: ergo pariter in lege Evangelica non est illicitum, aut prohibitum, quod sacrificium Missæ pro infidelibus offeramus.

Aliud ex Patribus. 64 Secundo probatur ex Patribus, qui id satis aperte docent: nam S. Clem. Tertull. D. Aug. Clemens Romanus lib. 8 *Constit.* cap. 12, præcipit in Missa orare pro Rege, et pro omnibus, qui in sublimitate sunt, et pro his etiam, *qui foris sunt et erunt.* Tertullianus in lib. *ad scapulam* ait: « Sacrificamus pro salute Imperatoris. » Et erat tunc idololatra. D. Augustinus epist. 59 ad Paulinum agens de orationibus, et oblationibus, quæ in Missa fiunt, inquit: « Ne quisquam existimaret non esse ista facienda pro his, a quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omni essent hominum colligenda. » D. Prosper lib. 1, *de vocat. gentium*, cap. 12, inquit: « Supplicat ubique Ecclesia Deo non solum pro sanctis, et in Christo jam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus, et inimicis crucis Christi, pro idolorum cultoribus, pro Judæis etc » Et idem docent communiter alii Patres, ut merito D. Pros. dixerit D. Prosper loc. cit. « Quam legem supplicationis ita omnium sacerdotum, et omnium fidelium devotio tenet. »

Ratio. Ultimo probatur ratione: quia orare in Missa, et illud sacrificium offerre pro infidelibus, non est de se illicitum, nec invenitur ab Ecclesia prohibitum: ergo sacerdos licite potest suo saltem, et Christi nomine orare, et sacrificium offerre pro infidelibus. Consequentia patet. Et antecedens quoad secundam partem constat: quia nullum assignabitur decretum, quo Ecclesia prohibeat ita fieri. Prima etiam antecedentis pars ostenditur: quoniam infideles sunt capaces plurium beneficiorum tum gratiæ, et in ordine ad se, ut illuminationis, et conversionis; tum naturæ, et in ordine ad fideles, et Ecclesiam, ut salutis, et vitæ Principis temperati, licet infidelis, qui Ecclesiam minime persequatur. Aliunde vero oratio, et oblatio hujus sacrificii habet vim impetrandi prædicta beneficia. Ergo hæc agere pro infidelibus non est de se illicitum, sed potius honestum, et meritorium. Confirmatur: quia oblatio sacrificii incruenti Confirmatio. Missæ est applicatio sacrificii cruenti crucis. Sed Christus obtulit sacrificium crucis, non solum pro prædestinatis, et pro fidelibus, verum etiam pro multis, sive pro omnibus, quamvis infidelibus, ut efficaciter colligitur ex prima ad Timoth. 2, et ex prima Joan. 2, et docent communiter Theologi. Ergo pariter sacerdos Missam celebrans potest tali intentioni se conformare, et sacrificium illud pro infidelibus offerre.

65. Motiva vero contrariæ opinionis non Dissolvuntur objecta. urgent. Nam ad primum respondetur D. Augustinum eo loco non agere de omnibus infidelibus, sed de infidelibus defunctis, nempe de parvulis qui sine baptisimo decesserunt: agit enim contra hæreticum, qui affirmabat pro his orandum, et sacrificandum esse. Quod S. Doctor merito negat: quia nullo modo sunt membra Christi, id est, nec actu, nec potentia: cum sint jam in statu æternæ, et irrevocabilis damnationis. Quod motivum non occurrit in infidelibus viventibus: quia licet non sint membra Christi in actu, sunt tamen in potentia: possunt enim consequi salutem, et ad id solent aliquibus auxiliis excitari. Unde licitum est sacrificium pro eis offerre in ordine ad talem finem, ut optime significavit D. Thom. in 4, dist. 12, q. 2, art. 2, quæstiunc. 2 ad 4, dicens: « Eucha- D. Tho. ristia in quantum est sacrificium, habet effectum etiam in aliis, pro quibus offertur: in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantum. » Quare cum istud sacrificium offertur pro infidelibus, potest etiam dici, quod offeratur pro membris Christi: nam offertur pro eis, ut sint actu Christi mem-

bra. Ad secundum respondetur eos canones directe procedere circa excommunicatos de quibus § sequenti dicemus, sed non comprehendere omnes infideles ; cum certum sit omnes non baptizatos excommunicatos non esse. Quamvis autem illi canones agerent de infidelibus præcisive etiam ab excommunicatione, solum inferretur sacerdotem non posse pro infidelibus sacrificium offerre oratione publica, et oblatione nomine totius Ecclesiæ ; secus autem suo proprio, et Christi nomine. Ad tertium patet ex dictis num. 61, quin opus sit alia addere.

Corrollarium. Ex dictis autem facile colligitur sacrificium Missæ non posse pro infidelibus offerri quantum ad fructum satisfactionis : quoniam hic fructus supponit in subjecto, cui applicatur, statum gratiæ : quippe nequit remitti pœna ante remissionem culpæ. Infideles autem nequeunt in sensu composito esse in statu gratiæ ; cum fides, qua carent, sit principium salutis. Quare in sensu composito infidelitatis incapaces sunt, ut sacrificium Missæ illis ad satisfaciendum proficiat.

§. IV.

Quid dicendum de Excommunicatis?

Duo genera excommunicatorum. 66. Excommunicati dicuntur quos Ecclesia privat communibus ejusdem Ecclesiæ suffragiis. Et aliqui dicuntur vitandi, cum quibus scilicet fideles communicare præsertim in sacris non debent : sunt autem isti, vel manifesti percussores Clerici ; vel nominatim, sive specialiter excommunicati. Cæteri autem omnes excommunicati dicuntur *non vitandi*, seu tolerati, ut plane sunt omnes hæretici in illis Provinciis, in quibus vivere cum libertate permittuntur, et sunt etiam omnes, qui excommunicationem majorem ab homine, vel jure impositam incurrunt, sed tamen nec percusserunt Clericum, nec nominatim publicantur, ut in multis aliis criminibus sæpe contingit. Quam distinctionem introduxit Constitutio Concilii Constantiensis ita disponentis, non quidem in favorem ipsorum excommunicatorum, sed ad tollendum scrupulos aliorum fidelium, quos incurrebant ex frequenti, et sæpe necessaria communicatione cum illis.

Igitur illicitum esse, quod sacerdos Christi, vel Ecclesiæ nomine offerat directe, et in particulari sacrificium Missæ pro aliquo excommunicato vitando, concors est Doctorum sententia. Et probatur ex cap. *A nobis* 28, et cap. *sacris* 38, *de sententia excommunicationis*, et ex cap. *si quis Episcopus* 11, quæst. 3, ex aliis decretis, in quibus id prohibetur. Et cum prohibitio sit in materia satis gravi, obligat sub peccato mortali. Quamvis autem Navarrus *in Manuali* cap. 27, num. 56, dixerit id non esse extendendum ad excommunicatum quidem valide, sed tamen ex injusta causa ; nec ad excommunicatum valide, et juste, quem tamen præsumimus pœnitere : quia pro his censet sacerdotem orare, et sacrificium offerre posse, dum tamen id publice non fiat : tamen prædicta limitatio communiter refellitur, ut videri potest apud Sotum in 4, distinct. 22, q. 1, art. 1, in fine, et plures alios quos refert, et sequitur Leander 4, par. tractat. 2, disp. 3, quæst. 10, Et quidem merito : quia ita satis evidenter prohibet Ecclesia in cap. *Sacris*, supra relato, ubi de excommunicato (et erat eo tempore vitandus) in bello occumbente dicitur : « Quod non « sint absolutiones, vel oblationes reci- « piendæ pro eo, vel orationes Domino « porrigendæ, nisi cum de ipsius viventis « pœnitentia per evidentia signa consti- « terit. » Ergo in omni alio casu minime licet pro hujusmodi excommunicatis Ecclesiæ nomine orare, aut sacrificium offerre. Et hinc fit sacerdotem non posse directe, et in particulari orare pro his excommunicatis in oratione *Memento :* quia hanc orationem recitat Ecclesiæ nomine.

[Margin: Communis sententia circa excommunicatos vitandos. — Singularis Navarri sententia. — Refellitur.]

Sed tam etiam convenit inter Doctores posse sacerdotem proprio nomine, et per modum particularis personæ orare in Missa pro excommunicatis vitandis, et illud opus bonum ex opere operantis eis applicare, ut cum communi Theologorum sententia docet Suarez tom. 5, in 3 par. disput. 9. sect. 5, et probatur tum ex D. Bernardo *de gradibus hnmilitatis* circa finem, ubi agens de excommunicatis excommunicatione majori, (qui suo tempore omnes erant vitandi,) inquit : « Absit a « nobis, ut etiam pro talibus, etsi palam « non præsumimus, vel in cordibus nostris « orare cessemus. Et si enim a commu- « nibus orationibus ipsi se excludunt ; sed ab

[Margin: Communis etiam limitatio. — D. Bern.]

« ab affectibus omnimo non possunt. » Tum ratione insinuata a D. Bernardo : quoniam excommunicatio solum privat orationibus communibus, non autem privatis : et excommunicatus, si sit in gratia pertinet etiam ad communionem sanctorum, quam habent omnia viva Christi membra : ergo quamvis sacerdos nequeat nomine Ecclesiæ, et oratione publica pro his excommunicatis orare ; quia Ecclesia, cui parendum est, id prohibet : potest tamen pro his orare, et bonum sacrificandi opus offerre nomine proprio, et per modum particularis personæ : sicut etiam valet extra sacrificium se gerere. Et quamvis Ecclesia potuerit non solum prædictos excommunicatos suis sacrificiis privare, verum etiam sacerdotibus inhibere, ne inter sacrificandum pro illis orarent (quod nonnulli huic communi doctrinæ opponere solent) : nihilominus de facto non constat Ecclesiam ita providisse. Quare pie, et secure possumus, pro talibus excommunicatis orare, tam intra quam extra Missam oratione secreta, et privata.

ravc bium. 67. Major difficultas est, an si sacerdos re ipsa, licet illicite, offerat directe, et in particulari nomine Christi, et Ecclesiæ sacrificium Missæ pro ejusmodi excommunicatis ; sit valida oblatio, et illis prosit ? Ad quod negative respondent Marchinus tract. 3, par. 2, cap. 8, Luisius Turrianus lib. 2, *de censuris*, disp. 8, dub. 2, Diana part. 5, tract. 9, resol. 76, et alii, quos refert, et sequitur Leander 4 par. disp. 3, q. 15. Et probant primo ; quia Ecclesia legitima potestate a Christo accepta præcipit, ne sacerdos offerat sacrificium pro excommunicato vitando : ergo sacerdos contrario modo se gerens non solum illicite, sed etiam invalide agit : atque ideo tale sacrificium ex parte tam Christi, quam Ecclesiæ non prodest excommunicato vitando. Secundo, quia si tale sacrificium haberet fructum ex parte Christi, illum etiam haberet ex parte Ecclesiæ : consequens est implicatorium : siquidem Ecclesia positive intendit, quod non prosit excommunicato vitando : ergo tale sacrificium nec ex parte Christi habet fructum in excommunicato vitando. Sequela ostenditur : nam intentio Ecclesiæ non est contraria intentioni Christi : ergo si intentio Christi esset, quod sacrificium, vel oblatum contra mandatum Ecclesiæ prodesset excommunicato ; etiam præsumi posset intentionem Ecclesiæ esse, quod sacrificium oblatum contra ejus intentionem haberet fructum ex parte ipsius Ecclesiæ prohibentis. Quod tamen, ut diximus, importat contradictionem.

Vera sententia. Vera tamen sententia docet, quod licet in tali casu sacrificium oblatum pro excommunicato vitando, nihil prosit, quatenus offertur a ministro nomine Ecclesiæ ; prodest tamen, et habet fructum quatenus offertur a ministro nomine Christi : et in hoc sensu quamvis oblatio, sive applicatio sit illicita, nihilominus est valida. Ita communiter omnes Recentiores quos refert, et sequitur Prado ubi supra § 4, num 35, Suarez *de censuris*, disp. 9, sect. 4 Lugo, Layman, Filliucius, Bonacina, et alii multi, quibus subscribit N. Franciscus ract. 5, cap. 2, pun. 2, n. 14. (Prado. Suarez. Lugo. N. Fran.) Prima resolutionis pars, quam etiam supponit sententia contraria, facile ostenditur : quia minister, sive dispensator, si tentet dispensare bona contra domini voluntatem, et mandatum, nihil agit : sed Ecclesia vult, et mandat, ne sacerdos ejus nomine offerat sacrificium pro excommunicato vitando : ergo si sacerdos pro eo illud offerat, nihil excommunicato prodest tale sacrificium, quatenus offertur a ministro nomine Ecclesiæ : atque ideo hujusmodi oblatio non solum est illicita, sed etiam invalida, quantum est ex parte Ecclesiæ. Eo vel maxime, quod oblationis fructus extendi nequit ultra intentionem offerentis. (Fundamentum.) Secunda vero resolutionis pars, in qua est difficultas, etiam ostenditur : quoniam Ecclesia impedire non potest, quod sacrificium oblatum nomine Christi habeat effectum cujus subjectum, pro quo offertur, est capax : sed excommunicatus vitandus est capax alicujus fructus sacrificii, qui sibi nomine Christi communicetur : ergo quamvis sacerdos agens contra mandatum Ecclesiæ peccet ; nihilominus oblatio tenet, et valet, quatenus nomine Christi fit. Idque amplius exemplo declaratur : nam etiam Ecclesia præcipit, ne sacerdos ministret sacramentum excommunicato : unde si sacerdos illi ministret, peccat contra mandatum Ecclesiæ : quo non obstante sacramentum per se loquendo perficitur, quin, et effectum in suscipiente habet, si nullum reperiat obicem præter censuram.

Idem itaque proportionabiliter in applicatione, et oblatione sacrificii, prout fit nomine Christi, dicendum est.

Convelluntur motiva contraria.

68. Unde ad primum motivum oppositum concesso antecedenti, negamus consequentiam : quia quamvis Ecclesia utatur legitima, quam habet a Christo, potestate prohibendo, ne Missa applicetur pro excommunicato vitando : hinc solum sequitur talem oblationem esse illicitam, minime vero quod nulla sit, quatenus fit nomine Christi : sicut in exemplo proxime inducto prohibitio Ecclesiæ facit, ut sacramenta illicite administrentur hujusmodi excommunicatis, non autem invalide. Ecclesia namque non accepit potestatem invalidandi actus, qui concurrentibus aliis requisitis in nomine Christi fiunt. Unde ad secundum neganda est sequela : manifestum enim est actum nomine Ecclesiæ factum minime valere, si ipsa Ecclesia dissentiat habendo intentionem contrariam. Ad probationem autem sequelæ dicendum est nullam inter intentionem Christi, et intentionem Ecclesiæ dari oppositionem : quia versantur circa diversa. Ecclesia namque solum intendit, quod actus ejus nomine factus non teneat sine ipsius Ecclesiæ intentione minime vero, quod actus factus nomine Christi non teneat sine intentione Ecclesiæ. Similiter Christus intendit, quod actus factus nomine Ecclesiæ non valeat sine ipsius Ecclesiæ intentione : sed tamen vult, quod actus factus ipsius Christi nomine teneat etiam sine intentione Ecclesiæ, concurrentibus aliis requisitis. Unde nulla ex parte objecti concurrit implicatio, aut contrarietas inter prædictas intentiones. Tenet igitur oblatio sacrificii Missæ pro excommunicato vitando, quatenus nomine Christi sit : licet fructum non habeat ex parte Ecclesiæ, quippe quæ tale sacrificium non offert. Quare oblatio est simpliciter illicita propter prohibitionem Ecclesiæ : sed ex parte est valida, et fructuosa propter subordinationem ad Christum principaliter offerentem : sicut proportionabiliter contingit in sacramentis, quæ excommunicatis administrantur.

Suppositio communis circa excommunicatos non vitandos

69. Veniamus jam ad aliud præmissæ distinctionis extremum, nempe ad excommunicatos toleratos, seu non vitandos. Et supponimus sacerdotem proprio nomine, et per modum personæ particularis posse bonum opus sacrificandi pro illis offerre. Nam licitum est ita se gerere, vel cum excommunicatis vitandis, ut statuimus, et ostendimus n. 66; ergo a fortiori id etiam licet respectu excommunicatorum toleratorum, sive non vitandorum : quippe Ecclesia minus istos aversatur, et punit, quam illos, ut ex ipsa Ecclesiæ dispositione constat.

Est autem difficultas, utrum sacerdos ut minister Christi, et Ecclesiæ possit sacrificium Missæ directe, et in particulari offerre pro excommunicato tolerato publice, seu non vitando. Negant Suarez *de censuris* disp. 9, sect. 2, Vazquez *de Excommun.* dub. 2, Bonacina disp. 2, q. 2, punct. 1, § 1, Valentia, Marchinus, Filliucius, Avila, Covarruvias, et alii, quos referunt, et sequuntur Leander par. 2, tract. 8, disp. 2, q. 10, et N. Franciscus loco cit. punct. 2, n. 16. Sed inter hos solent allegari aliqui, ut Sotus, et Adrianus, qui talem sententiam minime docent : allegantur etiam aliqui, qui inter excommunicatos vitandos, et non vitandos non distinguunt, sed in genere loquuntur. Probatur autem prædicta sententia primo : quia ante Concilium Constantiense non licebat sacerdoti offerre sacrificium specialiter pro excommunicatis excommunicatione majori (in quo sensu loquebantur plures antiqui, qui referri pro hac opininione solent) sed Concilium illud non concessit hanc facultatem ; siquidem illius constitutio facta non est in favorem excommunicatorum, sed in favorem aliorum fidelium, ut licite cum eis communicare valerent ; ergo illicitum est quod sacerdos ut minister Christi, et Ecclesiæ offerat directe sacrificium Missæ pro excommunicatis toleratis, seu non vitandis. Secundo, quia principalis effectus excommunicationis majoris est privare excommunicatos communibus Ecclesiæ suffragiis : sed quamvis excommunicati, de quibus agimus, tolerentur, sunt nihilominus simpliciter excommunicati : ergo non participant communia Ecclesiæ suffragia, et orationes : atque ideo sacerdos ut minister Ecclesiæ nequit sacrificium Missæ pro illis directe offerre.

Vera sententia.

70. Veriorem tamen, sicut, et magis piam censemus oppositam opinionem id concedentem. Quam tuentur Huertos *de sacrificio Missæ*, quæst. 12, Prado in præs. lib. 11, § 4, num. 29, Navarrus cap. 27, num. 36, Villalobos

Villalobos tract. 17, difficult. 4, concl. 3, Sayrus lib. 2, cap. 4, num. 4, Lugo disp. 19, sect. 10 num. 187, Henriquez, Diana, Gaspar Hurtado, Coninckus, Castro Palao, Hieronymus Garcia, Aversa, et alii apud Pradum loco cit. Graphius, Hugolinus, et alii apud N. Franciscum ubi supra. Fundamentum est : quoniam post Concilium Constantiense licet communicare in divinis cum excommunicatis toleratis : unde non arcentur a sacris : sed oblatio Missæ pro illis non est aliud, quam aliqua cum illis in divinis communicatio : ergo licitum est sacerdoti Missæ sacrificium pro illis, sicut, et pro aliis offerre. Idque amplius in hunc modum declaratur : quia prædicti excommunicati licite possunt assistere Missæ sacrificio, quin et deficientibus aliis eidem inservire (quamvis ipsi ad hæc se ingerere non debeant) : alias sacerdos advenientibus his excommunicatis, aut inservientibus, non posset Missam continuare; et sic non vitarentur inconvenientia, quibus Concilium Constantiense occurrere voluit. Sed sacerdos directe, et nomine Ecclesiæ orat, et offert pro omnibus assistentibus, et inservientibus, sacrificio, ut constat ex illis verbis : « Et omnium circumstantium, pro quibus tibi « offerimus hoc sacrificium. » Ergo sacerdos ut minister Ecclesiæ potest directe pro excommunicatis toleratis Missæ sacrificium offerre. Confirmatur urgenter : quia post Concilium Constantiense licitum est sepelire excommunicatos toleratos in Ecclesia, seu loco sacro : ergo pariter licitum est offerre pro illis Ecclesiæ orationes, et sacrificia. Antecedens constat ex ipsa praxi Ecclesiæ, quæ prædictis excommunicatis non denegat Ecclesiasticam sepulturam : et sic sentiunt communiter Adversarii ac nominatim Suarez loco cit. disp. 12, sect. 4. Consequentia vero probatur: tum quia ante Concilium Constantiense eadem erat dispositio circa applicationem suffragiorum, et circa sepulturam Ecclesiasticam, ut patet ex cap. *sacris de sepulturis* : ergo pariter si post Concilium Constantiense licita est ecclesiastica sepultura, licita etiam erit orationum, et sacrificiorum pro talibus excommunicatis oblatio. Tum etiam quia concessa ecclesiastica sepultura, intelliguntur concessæ orationes Ecclesiæ, et oblationes Missarum : quippe ob hanc præsertim causam fideles sepeliuntur in loco sacro, ut participent de orationibus, suffragiis, et sacrificiis, quæ in prædicto loco fiunt.

Motiva autem opposita non urgent. Nam ad primum concessa majori, negamus minorem intellectam de concessione saltem virtuali, et implicita. Et ad insertam minori probationem dicendum est, quod etsi Concilium Constantiense noluerit directe favere his excommunicatis, sed solum aliis fidelibus : nihilominus non potuit istis directe favere concedendo communicationem cum excommunicatis toleratis, tam in civilibus, quam in sacris ; quin virtualiter, et implicite concesserit eisdem excommunicatis aliquos, et non minimos favores : nempe assistentiam in sacrificio Missæ, et ecclesiasticam sepulturam, ut ipsa praxis declarat. His autem suppositis, consequens est posse sacerdotem, pro illis Missæ sacrificium offerre, ut in argumento, et confirmatione satis evidenter deduximus. Unde ad secundum respondetur effectus excommunicationis dependere ex dispositione Ecclesiæ illos magis, aut minus extendentis. Sicut autem Ecclesia de facto non privat excommunicatos toleratos assistentia ad sacrificium Missæ, et ecclesiastica sepultura, ut liquet ex ipsa praxi ; sic etiam illos non facit inhabiles, ut sacrificium Missæ queat pro illis offerri. Et certe excommunicatus occultus existens in statu gratiæ alienus non est a communione fidelium. Non sunt itaque ista eadem, vel uniformi regula determinanda : sed juxta usum, et consuetudinem Ecclesiæ. Et patet disparitas quantum ad hos effectus respectu excommunicatorum vitandorum, de quibus diximus, n. 66. Eliduntur argumenta

§ V.

Quid asserendum de defunctis?

71. De his tandem agimus, non quia circa illos notabilis aliqua difficultas occurrat, sed pro complemento doctrinæ. Reducuntur autem defuncti ad certas classes : nam quidam existunt in purgatorio ad eluendum perfecte maculas peccatorum venialium, et ad sustinendum pœnas, pro quibus in vita non satisfecerunt. Alii perfecte purgati existunt in beatitudine. Alii denique addicti sunt æternæ damnationi, omnes scilicet decedentes in statu peccati Defunctorum classes.

mortalis : ex quibus aliqui existunt in inferno, nempe omnes adulti ; aliqui autem in Lymbo, videlicet omnes infantes non baptizati. De quibus omnibus eodem ordine dicemus.

Quid de animabus Purgatorii? Et quod ad animas existentes in purgatorio attinet, certum est sacrificium Missæ pro illis offerri posse tam ut satisfactorium, quam ut impetratorium. Quod satis constat ex usu, et traditione Ecclesiæ: et quia tales animæ sunt secundum suum statum capaces participandi prædictos Missæ effectus. Concil. Trident. Unde Concilium Trident. sess. 25, in decreto *de Purgatorio.* docet : « Animas in « Purgatorio detentas fidelium suffragiis, « potissimum vero acceptabili altaris sacri- « cio juvari. » Et sess. 22, cap. 2, inquit : « Quare hoc sacrificium non solum pro « fidelium vivorum peccatis, pœnis, satis- « factionibus, et aliis necessitatibus ; sed et « pro defunctis in Christo, nondum ad ple- « num purgatis, rite juxta Apostolicam tra- « ditionem offertur. » Idque in præmisso sensu diffinit can. 3 ejusdem sessionis. D. Chry. Cujus etiam traditionis meminit D. Chrysostomus hom. 3, in epist. ad Philipp. his verbis : «Non frustra instituerunt Apostoli, « ut cum mysteria celebrantur, fieret eo- « rum commemoratio, quia ex hac vita de- « cesserunt. Sciebant enim magnum lu- « crum, multamque utilitatem eis prove- « nire. Cum enim adsit populus universus, « et collegium sacerdotale manus attollat, « et coram posita sit tremenda hostia; quo- « modo iram Dei non placabimus pro illis « orantes ? » Tertul. D. Cypr. D. Aug. D. Amb. Similiter loquuntur alii Patres, Tertullianus lib. *de corona militis*, cap. 3, D. Cyprianus lib. 1, epist. 9, D. Augustinus lib. *de cura pro mortuis*, cap. 1, D. Ambrosius *in orationibus de obitu Theodosii, Valentiniani, et Satyri fratris*, in quibus promittit se pro illorum animabus sacrificium. Negant hanc doctrinam Lutherani, et Calvinistæ. Sed eorum confutationem remittimus ad illos, qui controversias contra hæreticos scribunt: pro nostro namque instituto sufficit ea dicere, quæ præmisimus.

Quid de Beatis? 72. Quod ad Beatos spectat, certum etiam est sacrificium Missæ pro eis non offerri ut satisfactorium, aut impetratorium : posse tamen offerri in eorum honorem, et in gratiarum actionem pro gloria, qua donati sunt. Primum patet : quia beati ex vi sui status sunt expertes, et incapaces cujuscumque mali culpæ, vel pœnæ ; aliunde vero habent omne bonum, quod sibi competit : ergo non sunt capaces, ut fructus Missæ satisfactorius, aut impetratorius eis prosit. Secundum etiam constat ex usu, et orationibus Ecclesiæ satis declarantis se ea tantum intentione Missas pro beatis offerre, ut cum in oratione secreta Missæ de S. Bartholomæo rogat : « Quæsumus, Domine, ut « ejus auxilio tua beneficia capiamus, pro « quo tibi laudis hostias immolamus. » Quare dum similia agimus, non tam pro beatis, quam pro nobis sacrificium offerimus : poscimus enim, ut beati magis, ac magis laudentur, et glorificentur in terra : quod nostra potius, quam sua interest; licet nostra utilitas ad majorem eorum gloriam redundet. Sicut etiam in oratione Dominica dicimus : *Sanctificetur nomen tuum :* quod ad nostram, et totius Ecclesiæ utilitatem pertinet, quamvis indirecte importet honorem Deo extrinsecum. Et ita communiter observant Theologi moderni, et prius docuerat Innocentius Tertius in cap. *Cum Marthæ, de celebrat. Missarum*, his verbis: « Sancti orationibus nostris non indigent, « pro eo, quod cum sint perfecte beati, om- « nia eis ad vota succedunt. Sed nos potius « eorum orationibus indigemus, quos, cum « miseri simus, undique mala nostra per- « turbant. Unde quod in plerisque orationi- « bus continetur, prosit, vel proficiat huic « sancto, vel illi talis oblatio ad honorem, « et gloriam, ita debet intelligi, ut ad hoc « prosit, quod magis, ac magis a fidelibus « glorificetur in terris. » Similia omnino tradit D. Thomas in 4, dist. 45, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 4 ad 1.

73. Loquendo autem de damnatis, sive sint adulti ad infernum, sive sint infantes ad lymbum, certum omnino est non licere pro illis orare, aut sacrificium offerre : et suffragia, aut sacrificia pro eis oblata nihil illos adjuvare, nec ullum in eis fructum habere. Ratio desumpta evidenter ex principiis fidei est : quoniam illorum damnatio est æterna ex immutabili lege Dei, juxta illud Matth. 3: *Paleas autem igni comburet inextinguibili* et *cap.* 25: *Discedite a me maledicti in ignem æternum :* ergo supervacaneum, et inutile omnino est orare, vel sacrificia offerre pro condemnatis, quin ita agens præsumeretur errare in fide circa æternam condemnationem eorum, qui in peccato decedunt, et renovare hæresim Origenis

Origenis docentis omnes tandem salvandos esse. Unde Ecclesia prohibet orare, aut offerre pro damnatis, ut constat ex cap. *Pro obeuntibus*, cap. *Cum gravia*, cap. *Quibus* et aliis 13, quæst. 2, et cap. *Audivimus* 1, *de reliquiis, et vener. sanct.* Et propterea resolutio nostra, vel est immediate de fide, vel ad eam proxime accedit, ut recte observavit Soto in 4. dist. 45, quæst. 2, art. 2, §. *Quapropter*.

Soto.

Objectiones. Nec refert primo exemplum, quod afferri solet de anima Trajani ab inferis liberata precibus S. Gregorii Magni : ex quo exemplo colligitur tum damnationem non esse perpetuam irrevocabiliter : tum illicitum non esse pro damnatis vel etiam ethnicis offerre suffragia. Nec iterum refert D. Thomam loco citato quæstiunc. prima, sic de ista materia loqui: « Tutius est simpliciter « dicere, quod suffragia non prosunt dam- « natis, nec pro eis Ecclesia orare inten- « dit. » Quo loquendi modo satis significat, quod oppositum dicere est *tutum*, atque ideo non omni probabilitate destitui. Non, inquam, ista referunt. Nam ad primum respondetur illud, et similia exempla esse omnino apocrypha, ut plures volunt ; unde nihil valent ad persuadendum aliquid communi doctrinæ contrarium. Admissa autem probabilitate circa exemplum Trajani. et factum S. Gregorii (de quibus recolenda sunt, quæ late diximus tract. 13, disp. 17, dub, 3, §. 1,) dicendum est id contigisse præter, et contra communes leges, quas Deus statuit : quare nec possunt in exemplum adduci, nec procedunt contra communem nostram resolutionem, quæ ad communes regulas revelatas in scriptura, traditas a Patribus, et in Ecclesia receptas attendit. Ad secundum dicendum est D. Thomam in aliis locis absolute asserere communem doctrinam. In eo autem scripto locutus est cum ea moderatione, non quia senserit oppositum habere ullam probabilitatem, sed propter reverentiam aliquorum Doctorum, qui id eo tempore in opinionibus constituebant, ut colligitur ex Altissiodorensi, et optime observavit Soto loco citato.

Evertuntur.

DUBIUM V.

Quos effectus habeat sacrificium Missæ, et quomodo illos causet ?

Non semel in superioribus hujus sacrificii effectus insinuare opus habuimus ob connexionem cum difficultatibus, quas versabamus. Sed nunc oportet de illis, per se, et specialiter dicere, præsertim ad explicandum modum, quo illos inducit. Et quamvis voluerimus (idque recta methodus exigebat) eos, et prædictum modum certis aliquibus assertionibus universalibus diffinire : ab hoc tamen procedendi ordine revocamur, quia prævidemus ista non posse uniformiter determinari ob varias exceptiones quæ in singulis, fere occurrunt. Unde seorsim dicemus de hujus sacrificii effectibus saltem principalioribus, ad quos alii revocari queunt, et de modo, quo per istud sacrificium causantur. Quos autem effectus habeat Eucharistia in ratione sacramenti, late diximus disp. 10, dub. 1.

§ I.

De remissione peccati mortalis.

74. Peccatum aliud est mortale, quod excludit vitam gratiæ ; et aliud veniale, quod prædictam vitam, ac perinde principium veniæ, non expellit ; sed tamen inducit aliquam maculam consistentem in privatione nitoris gratiæ, et fervoris charitatis, ut fuse, et magis exacte declaravimus tract. 13, disp. 19, dub. 1. Ut igitur cum majori distinctione procedamus, a mortalibus inchoando, tenendum est sacrificium Missæ esse propitiatorium, et valere ad remissionem peccati mortalis. Hæc assertio est de fide : nam Concil. Trident. sess. 22, cap. 2, inquit : « Docet Sancta Sy- « nodus sacrificium istud vere propitiato- « rium esse, per ipsumque fieri, ut si cum « vero corde, et recta fide, cum metu, et « reverentia contriti, et pœnitentes ad « Deum accedamus, misericordiam conse- « quamur, et gratiam inveniamus, in auxilio « opportuno. Hujus quippe oblatione placa- « tus Dominus gratiam, et donum pœni- « tentiæ concedens, crimina, et peccata « etiam ingentia dimittit. » Conformiter ad quam hanc doctrinam diffinivit eadem sess. can. 3. « Si quis dixerit Missæ sacri-

Missæ valor ad remissionem peccati mortalis.

Concil. Trident.

« ficium tantum esse laudis, et gratiarum « actionis, aut nudam commemorationem « sacrificii in cruce peracti, non autem « propitiatorium ; anathema sit. » Et hæc est, fuitque perpetua traditio Ecclesiæ catholicæ, ut constat ex Liturgiis, et Patribus : nam in Liturgia Jacobi Apostoli dicitur : « Offerimus tibi incruentum sacrificium « pro peccatis populi, et ignorantiis po- « puli. » In Liturgia D. Chrysostomi : « Idoneos nos redde ad inferenda tibi dona, « et sacrificia pro peccatis nostris etc. » In Liturgia D. Basilii : « Dignos efficito, qui « offeramus hoc sacrificium ad abolenda « delicta nostra, et pro piaculo populi tui.» Origenes hom. 13, *in Leviticum* de hoc mysterio agens, inquit : « Ista est commemo- « ratio sola, quæ propitium facit Deum ho- « minibus. » D. Athanasius relatus a D. Damasceno in serm. de defunctis : « In- « cruentæ hostiæ oblatio propitiatio est. » D. Ambrosius lib. 1 de officiis cap. 48, *de Eucharistia* agens ait : « Offert Christus « se ipsum quasi sacerdos, ut peccata nostra « dimittat. » D. Hieronymus in epist. *ad Titum*, cap. 1 : « Si laicis imperatur, ut « propter orationem abstineant se ab uxo- « rum coitu : quid de Episcopo sentiendum « est, qui quotidie pro suis, populique pec- « catis illibatas Deo oblaturus est victimas?» D. Augustinus quæst. 57, *in Leviticum* « in « multis sacrificiis, quæ pro peccatis offe- « rebantur, unum hoc nostrum sacrificium « significatum, in quo vera fit remissio « peccatorum, » D. Gregorius lib. 4 *Dialog.* cap. 58: « Hæc victima singulariter ab « æterno interitu animam salvat. » Alios plures referre possemus, qui communiter occurrunt in scribentibus controversias contra hæreticos. Sed relati nostro instituto sufficiunt, et id esse Ecclesiæ traditionem satis evincunt.

Diversæ Liturgiæ. Origenes. D. Athan. D. Amb. D. Hier. D. Aug. D. Greg.

Ratio fundamentalis. Quod insuper suadetur : nam præcipuum munus sacerdotis est sacrificium offerre pro peccatis, juxta illud Apostoli ad Hebræos 5 : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccato.* Sed in lege gratiæ datur verum sacerdotium, et datur verum Eucharistiæ, seu Missæ sacrificium, ut supra ostendimus dub. 1. Ergo tale sacrificium offertur ad delendum peccata, sive ut Deus pacetur peccatoribus, et illa remittat : quod vanum esset, nisi istud sacrificium esset propitiatorium, et valeret ad delenda peccata.

Ad Hebr. 5.

Confirmatio. Confirmatur : quia hoc sacrificium eminentiori ratione habet, quidquid perfectionis conveniebat antiquis sacrificiis ; cum omnia ea fuerint typi et figuræ istius : sed apud antiquos fuerunt sacrificia propitiatoria, quæ deserviebant ad delendum peccata : ergo idem a fortiori de nostro sacrificio dicendum est. Minor liquet : nam in lege naturæ constat Job. 1, obtulisse sacrificia pro peccatis filiorum suorum : et cap. ultimo ejusdem libri, Deum ipsum præcepisse, ut amici Job sacrificarent pro peccato suo. Deinde in lege Moysis Levit. 4 et 5, et 6, describuntur varia sacrificia pro peccato.

Hæresis contraria. 75. Hæresim oppositam docent Lutherus, Calvinus, et alii relati dub. 1, num. 11, qui generaliter negant Missam, sive Eucharistiæ oblationem esse vere et proprie sacrificium. Modo autem specialiter opponunt, quod licet concedatur Eucharistiæ oblationem, aut consecrationem esse sacrificium laudis, et actionis gratiarum pro beneficio redemptionis ; nihilominus dici non debet sacrificium propitiatorium, et causantis remissionem peccati. Quod primo probat Lutherus in lib. *de captiv. Babyl.* cap. 1, quia si sacrificium Missæ esset propitiatorium, ut affirmamus, communio unius prodesset alteri : hoc autem non magis verum est, quiam quod baptismus unius prosit alteri, sive quod unus possit a peccato purgari per baptismum alterius : ergo sacrificium Missæ non est propitiatorium. Probat secundo Kemnitius in 2 parte *examinis :* nam ex opposito fieret non oportere accedere ad sacramenta pro remissione peccatorum : quod minime concedemus. Sequela ostenditur : nam consequeretur homo remissionem peccatorum per Missam ab alio dictam absque ullo sui labore, vel periculo ; quam tamen per sacramenta non sine labore, ac periculo consequimur.

Argumenta hæreticorum.

Proteruntur. His objectionibus non aptius satisfaciemus, quam explicando modum, quo istud sacrificium concurrit ad delendum peccatum mortale ejus, pro quo offertur, habetque rationem propitiatorii. Circa quod in primis dubitari potest, utrum hoc sacrificium habeat vim remittendi immediate, per se, et infallibiliter peccatum mortale saltem in homine attrito, faciendo illum de attrito contritum, sicut contingit in sacramentis

Qui affirment hoc sacrificium remittere peccata immediate, et per se cramentis baptismi, et pœnitentiæ ? Affirmat Aragon 2, 2, quæst. 83, art. 3, §. *Tertio est advertendum*. Et probabile reputat Cassalius lib. 2, *de sacrificio Missæ*. Probatur primo : quia Concilium Tridentinum, et Patres num. præced. relati plane affirmant hoc sacrificium habere vim delendi peccata : ergo delet illa immediate et per se. Patet consequentia : quia si illa excluderet solum remote, et mediate, quatenus impetrat auxilium pœnitentiæ, ut homo disponatur ad remissionem, et contritionem concipiat, vel ad sacramenta accedat; fieret hoc sacrificium solum esse impetratorium, non autem propitiatorium : consequens est omnino falsum ; siquidem Concilium Trident. expresse docet illud esse, et impetratorium, et propitiatorium : ergo istud sacrificium concurrit ad remittendum peccatum non solum per viam impetrationis consequendo auxilium ad pœnitendum ; sed etiam alia via proximiori, causando scilicet remissionem peccati immediate, et per se. Probatur secundo : nam ideo sacramentum pœnitentiæ remittit immediate, directe, et per se peccata, quia institutum est a Christo ad remissionem peccatorum : quod Ecclesia collegit ex ejus verbis Joann. 20 : *Quorum remiseritis peccata* etc. unde hoc ipsum exprimitur in forma talis sacramenti. Sed etiam istud sacrificium institutum fuit ad remissionem peccatorum, idque ipsum significatur expresse in ejus forma, ut patet ex illis verbis : *qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum :* ergo hujusmodi sacrificium talem remissionem directe, immediate, et per se inducit.

Aragon. Cassal. Fundamenta.

Communis sententia negat. 76. Communis tamen, et vera sententia docet hoc sacrificium non remittere immediate peccatum ad instar sacramentorum, sed solum mediate, impetrando videlicet auxilium ad actum pœnitentiæ, quem si homo eliciat, consequitur justificationis gratiam. Ita D. Thomas statim referendus, et ejus discipuli, Nugnus in præs. quæst. art. 1, in tertia tractatus parte dub. 6, conclus. 2, Serra dub. 3, conclus. 2, Prado dub. 9, § 1, num. 5, Gonet. disp. 11, art. 4. nu. 81. Cano lib. 12, de locis, cap. 13, ad 9, § *Harum trium*. Petrus de Soto lect. 7, *de hoc sacrificio*, § *secundum*. Huertos quæst. 10, conclus. 1, N. Franciscus tract. 5, cap. 3, punct. 1, num. 3, Idem etiam docent Suarez disp. 79, sect. 3, Vazquez

D. Tho. Nugnus. Serra. Prado. Gonet. Canon. Soto. Huertos. N. Fran. Suarez. Henriq.

disp. 228, cap. 2. Durandus, Richardus, Gabriel, Azor, et plures alii apud N. Franciscum loco cit. Ex quibus Auctoribus Nugnus, et Serra dicunt oppositum esse erroneum. Suarez affirmat nullum antiquorum de nostra sententia dubitasse, Vazquez denique ait illam esse Theologorum communem. Probatur in primis ex D. Thoma, qui illam satis evidenter docet : D. Thom. nam in 4, dist. 12, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 2 ad 4, inquit : « Peccata mortalia « in eis delet, non sicut causa proxima, sed « in quantum gratiam contritionis eis impetrat, » nempe auxilia, ut moveantur ad contritionem, et disponantur ad justitiam. Et in hac 3 par. q. 79, art. 7 ad 2, ait : « Passio Christi prodest quidem omnibus quantum ad sufficientiam, et ad « remissionem culpæ, et adeptionem gra- « tiæ, et gloriæ : sed effectum non habet « nisi in illis, qui passioni Christi conjun- « guntur per fidem, et charitatem. Ita, et « hoc sacrificium, quod est memoriale Do- « minicæ passionis, non habet effectum « nisi in illis qui conjunguntur huic sacra- « mento per fidem, et charitatem. » Quod falsum foret, si hoc sacrificium directe, immediate, et per se causaret remissionem peccati, et faceret de attrito contritum, ut in baptismo, et pœnitentia contingit.

Deinde suadetur pluribus motivis. Tum Motiva. quia ex contraria sententia infertur sacramentum pœnitentiæ non esse simpliciter necessarium ad remittendum peccata post baptismum commissa ; siquidem dicit hoc sacrificium ex divina Christi institutione habere vim illa remittendi immediate: consequens autem nequit salva fide sustineri. Tum etiam quia si hoc sacrificium haberet hanc virtutem, vel esset ex aliquo privilegio, de quo non constat ; vel esset juxta communem legem, quod nulla ratione dici valet : quia juxta prædictam legem nulli peccatori infunditur justificationis gratia nisi vel in sacramentis, vel cum contritione : ergo hoc sacrificium non remittit immediate per se peccata. Tum præterea, quia inde fieret sacerdotem celebrantem in peccato mortali cognito, dummodo actualiter non peccaret, et haberet attritionem, consequi ipso sacrificio justificationis gratiam: unde ulterius fieret licitum esse sacerdoti peccatori accedere ad sacrificandum cum sola attritione cognita : hæc vero absurdissima sunt, et inaudita in Ecclesia, ut illa,

et alia inconvenientia expendens ponderat Suarez loco citato. Tum denique ratione a priori (si quæ assignari valet in his, quæ ex libera Dei voluntate pendent), desumpta ex differentia inter sacramentum, et sacrificium : illud namque institutum primario est ad hominum sanctificationem ; quare illi competere valet, quod hominem immediate effective sanctificet, producendo videlicet justificationis formam, sive gratiam sanctificantem. Cæterum sacrificium ordinatur, et refertur primario ad cultum Dei ; secundario autem, et quasi per redundantiam confert ad nostram utilitatem : unde non habet immediate causare gratiam in nobis, sed placare Deum movendo illum, ut excitet in peccatore pœnitentiæ motum, ut non obscure significavit Concilium Tridentinum loco cit. ubi explicans modum, quo istud sacramentum peccata remittit, ait : « Hujus oblatione placatus « Dominus gratiam » (nempe excitantem) « et donum pœnitentiæ concedens, crimi- « na, et peccata etiam ingentia dimittit. »

Concil. Trident.

Evertuntur contraria.

77. Ad primum autem fundamentum contrariæ sententiæ, concesso antecedenti, negamus consequentiam. Cujus probatio non urget : nam hoc sacrificium merito appellatur impetratorium, et propitiatorium, licet remissionem peccatorum non inducat nisi per viam impetrationis : quippe ad diversitatem istorum nominum, et munerum sufficit, quod sæpissime sit impetratorium plurium beneficiorum, quamvis propitiatorium in eis consequendis non sit; cum non semper prædicta beneficia consistant in remissione peccati : et propitiatorium appellatur, quatenus valorem specialiter habet inducendi prædictam remissionem. Præsertim cum secundum prædicta munera importet diversas connotationes, et effectus : est enim propitiatorium, quia Deum placat, ne irascatur, et malum inferat : est vero impetratorium, quia Deum movet ad conferendum bona tam spiritualia, quam temporalia. Unde non immerito Concilium Trident. hoc sacrificium vocat impetratorium, et propitiatorium. Ad secundum omittendo præmissas, neganda est consequentia. Et disparitas constat ex dictis, sumiturque ex diversitate materiæ : nam illa ratio recte procedit in pœnitentia, quæ cum sacramentum sit, ordinatur per se, et directe ad utilitatem hominum : unde cum institutum fuerit ad remittendum peccata, debet hunc effectum directe, immediate, et per se inducere. Sed Eucharistia in consideratione, ad quam nunc attendimus, non est sacramentum, sed sacrificium, quod per se primo ordinatur non ad bonum hominum, sed ad cultum Dei : quare non inducit immediate in hominibus remissionem peccati, sed concurrit ad prædictum effectum mediate, nempe movendo Deum, ut det homini peccatori auxilia ad pœnitendum.

Nota observanda

Hoc autem loco bene observandum est contingere posse, quod quædam hujus sacrificii pars remittat homini peccatum mortale, et conferat primam gratiam. Idque legitime infertur ex principiis a nobis in superioribus traditis. Nam essentialis hujus sacrificii pars est sumptio corporis, et sanguinis Christi, qua sacerdos sacrificans totum sacrificium absolvit, ut supra ostendimus dub. 2, § 3. Fieri autem valet, quod sacerdos existens re ipsa in statu peccati mortalis accedat cum bona fide, et attritione ad sacrificandum, et sumendum Eucharistiam. Habet autem istam conditionem hoc sacramentum (quamvis vivorum sit), ut bona fide, atque ideo digne, sive absque obice susceptum conferat immediate, licet per accidens, primam gratiam remissivam peccati, ut ex professo ostendimus tract. præced. disp. 4, dub. 7. Contingens itaque est, quod quædam hujus sacrificii pars, nempe sumptio Eucharistiæ conferat immediate sacerdoti sumenti primam gratiam, remittatque peccatum, et faciat ex attrito contritum. Verumenimvero hæc præstat talis sumptio, non quia sacrificium est, aut pars sacrificii, sed quia est usus, et applicatio cujusdam sacramenti. Et hujus signum est, quod prædictum effectum, et prædicto modo solum causat in sumente, cui in ratione sacramenti unice applicatur : sed illud non causat in aliis, quamvis ad eos extendatur in ratione sacrificii.

An causet remissionem peccati ex opere operato?

78. Deinde dubitari potest, utrum istud sacrificium causet remissionem peccati ex opere operato? Negant Suarez, Serra, et alii apud Gonet loco cit. num. 80. Quorum opinio deduci haud obscure videtur ex his, quæ proxime diximus. Primo quidem, nam quod causat remissionem peccati ex opere operato, facit ex attrito contritum, et operatur ultra dispositionem subjecti : sed hoc sacrificium non habet istam virtutem, ut diximus

Negantes, et quibus motivis.

diximus : ergo non concurrit ad remissionem peccati ex opere operato. Secundo, quod influit solum per modum impetrationis, non causat ex opere operato : sed sacrificium Missæ concurrit ad remissionem peccati solum per viam impetrationis ; siquidem illam non inducit immediate; sed solum habet movere Deum, ut det auxilia ad pœnitendum : ergo idem, quod prius. Tertio, quia omnis effectus causatus ex opere operato causatur infallibiliter in non ponentibus obicem : sed remissio peccati non causatur infallibiliter in omnibus, pro quibus Missæ sacrificium offertur, quamvis ipsi novum obicem non adhibeant, alias omnes, pro quibus sacrificamus, justificarentur, et vitæ rationem mutarent ; quod ipsi experientiæ repugnat : ergo istud sacrificium non causat remissionem peccati ex opere operato.

Præfertur contrarius dicendi modus. Sed quamvis hæc quæstio ad modum loquendi pertinere videatur; simpliciter tamen fateri oportet sacrificium Missæ causare remissionem peccati, non ex opere operantis, sed ex opere operato. Sic supponunt communiter Theologi, ut merito observavit N. Franciscus tract. 5, cap. 3, puncto 1, in principio. Et probatur motivo satis efficaci : quoniam quod effectus causari dicatur ex opere operantis, vel ex operato, non stat principaliter penes differentias, quas contraria opinio in argumentis a se factis repræsentet : sed penes hoc, quod effectus tunc dicitur fieri, aut dari ex opere operantis, quando datur intuitu meriti, aut devotionis facientis opus; tunc autem fit, et datur ex opere operato, quando confertur ex meritis Christi instituentis, et sua merita tali, aut tali operi, a quocumque immediate, aut ministerialiter fiat, applicantis, ut declaratur exemplo causalitatis sacramentorum, ut patet ex dictis tract. præced. disp. 4, dub. 1. Sed hoc sacrificium causat remissionem peccati ex sola dignitate ipsius sacrificii a Christo instituti; non autem juxta meritum, dignitatem, aut devotionem sacerdotis, sive ministri immediate sacrificantis, et offerentis. Ergo hoc sacrificium causat remissionem peccati non ex opere operantis, sed ex opere operato. Major, et consequentia patent. Minor autem (præterquam quod facile constat, ubi sacerdos sacrificans est peccator, et tamen sacrificium prodest ei, pro quo offertur, ad peccati remissionem), probatur ex Concilio Trident. sess. 22, cap. 2, ubi inquit: « Quoniam in divino hoc sacrificio, quod in « Missa peragitur, idem ille Christus con« tinetur, et incruente immolatur, qui in « ara crucis semel se ipsum cruente obtu« lit; declarat Sancta Synodus sacramen« tum istud vere propitiatorium esse etc. « Hujus quippe oblatione placatus Domi« nus, gratiam, et pœnitentiam concedens, « crimina, et peccata etiam ingentia dimit« tit : una enim, eademque est hostia, « idemque nunc offerens sacerdotum mi« nisterio, qui se ipsum tunc in cruce « obtulit, sola offerendi ratione diversa. » Ubi manifestum est, quod Concilium eam hujus sacrificii virtutem revocat in rem oblatam, et in principaliter offerentem, qui est Christus. Quod autem sacrificio ex his capitibus convenit, convenit plane ratione dignitatis ipsius operis, et independenter a merito, et devotione ministri, aut sacerdotis immediate offerentis. Ergo hoc sacrificium causat remissionem peccati ex sola dignitate operis a Christo instituti; non autem juxta dignitatem, devotionem, aut meritum sacerdotis offerentis immediate.

Ratio.

Enervantur opposita. Quæ autem pro contraria opinione opponebantur, facile dissolvuntur. Nam ad primum respondetur majorem solum verificari, ubi illud, quod causat effectum ex opero operato, illum causat immediate, et per se, ut contingit in sacramentis respectu effectus primarii ; secus autem contingit, si illum causet mediate, quatenus movet Deum ad dandum auxilia in ordine ad talem effectum. Nam tunc vel positis auxiliis fieri valet, quod ob vertibilitatem arbitrii effectus præintentus non subsequatur. Et sic accidit in hac materia : nam sacrificium Missæ causat remissionem peccati, non immediate, et per se, sed mediate movendo scilicet Deum ad conferendum homini auxilia, ut pœniteat. Unde licet causet ex opere operato, non sequitur, quod faciat ex attrito contritum conferendo justificationis formam supra dispositionem subjecti. Ad secundum dicendum illud, quod causat per viam impetrationis, non causare ex opere operato, si virtus impetrationis fundetur in merito, oratione, aut dignitate, et dispositione orationis; secus autem, si impetrationis virtus, et valor fundetur in dignitate operis, quam habet ex re oblata, et principaliter offerente: tunc enim effectus non revocatur in opus imme-

diate operantis, sed in opus operatum, secundum illud, quod habet ex dignitate Christi instituentis. Et ita accidit in præsenti, ut patet ex fundamento a nobis proposito. Ad tertium negatur major universaliter intellecta : plura enim solent causari ex opere operato, cum re ipsa fiunt; et tamen non causantur infallibiliter, aut semper. Sic enim sacramentum Extremæunctionis causat sanitatem corporalem ex opere operato, quando illam causat, et tamen non causat illam infallibiliter, et in omni eventu. Similiter Eucharistia causat perseverantiam ex opere operato, et tamen non infallibiliter. Denique ipsa Eucharistia in ratione sacramenti, et sacramentum pœnitentiæ causant ex opere operato, et virtute sacramenti remissionem peccatorum venialium : et tamen non semper illam inducunt : quia non semel contingit liberum arbitrium non cooperari ad actum, per quem formaliter, et immediate expelluntur illa peccata, ut ex professo declaravimus tract. 15, disp. 2, dub. 8. Et sic etiam accidit in præsenti materia : nam sacrificium Missæ non remittit peccatum mortale immediate, et per se, ut supra diximus, movendo scilicet Deum ad dandum auxilium, ut homo pœniteat : sed eo auxilio posito potest homo non pœnitere, et multoties non pœnitet : unde impeditur remissio peccati, quæ esset sacrificii effectus ex opere operato.

An causet infallibiliter remissionem peccati?

79. Ex quibus decisum fere relinquitur aliud dubium, quod Theologi versare solent, an scilicet hoc sacrificium causet infallibiliter remissionem peccati in eo, pro quo offertur in ordine ad talem effectum? Et affirmant Bellarminus lib. 2, *de Missa* cap. 5 ad 3, Henriquez, Marchinus, Hieronymus Garzia, et alii, quos refert, et sequitur Leander tract. 8, disp. 3, quæst. 4. Idque explicant, quia hoc sacrificium infallibiliter impetrat novum auxilium ad pœnitentiam : et si is, pro quo Missa offertur, sit dispositus ad contritionem, efficietur in eo contritionis motus, et delebitur peccatum. Affirmant a fortiori Joannes de Lugo disp. 9, sect. 9, a num. 149, Franciscus de Lugo lib. 5, cap. 4, quæst. 3, num. 28, Aversa quæst. 11, sect. 1, § *Rursus*, et alii. Quod probant : quia licet hoc sacrificium ut impetratorium causet cum his limitationibus, et conditionibus, quas ex suo genere habet oratio, et propterea secundum hanc rationem non semper effectum inducat : tamen ut propitiatorium est, debet inferre infallibiliter suum effectum in ea mensura, quam divina ejus institutio providit. Tum quia si infallibiliter infert remissionem pœnæ, ut videbimus num. 90. non est ratio, quare non inducat etiam infallibiliter remissionem culpæ; siquidem uterque effectus procedit ab eadem expiandi, atque propitiandi virtute. Tum quia antiqua sacrificia propitiatoria infallibiliter conferebant suum effectum expiandi culpas : ergo idem a fortiori dicendum est de hoc sacrificio, quod hanc virtutem, sicut et alias perfectiones præ omnibus veteribus habet.

Opinio affirmans. Bellarm. Henriq. Leand. Uterque Lugo. Aversa. Motiva.

Sed negant absolute communiter Thomistæ, et alii Theologi. Petrus de Soto lect. 7, *de hoc sacrificio*, § *Secundum*, Dominicus Soto in 4, dist. 13, quæst. 2, art. 1, § *Tertio assequuntur*, Cano lib. 12, cap. 13, ad 9, § *Quamobrem*. Nugnus, Petrus de Ledesma, Huertos, et alii, quos refert, et sequitur Prado dub. 9, § 2, num. 16, Durandus in 4, dist. 12, quæst. 4, Vazquez disp. 228, cap. 3, Suarez disp. 79, sect. 3, et alii plures. Quorum sententia probatur primo, quoniam nobis non constat de aliqua lege, aut pacto Dei, quibus statuerit, aut promiserit prædictum effectum : sed talis infallibilitas nequit fundari nisi in aliquo pacto, vel promissione Dei : ergo hujusmodi infallibilitas sine fundamento asseritur. Secundo, quia sicut effectus hujus sacrificii est remissio peccati, ita et perseverantia in gratia : sed non omni, pro quo offertur hoc sacrificium, datur infallibiliter donum perseverantiæ : ergo nec omnis, pro quo offertur, consequitur infallibiliter remissionem peccati. Tertio, quia si omni, pro quo offertur hoc sacrificium, conferretur infallibiliter remissio peccati ; plurimi hac via liberarentur ab illo, et mutarent vitæ rationem : quod tamen est falsum, ut liquet experientia : ergo istud sacrificium non inducit prædictum effectum infallibiliter.

Sententia negans. Uterque Soto. Cano. Nugnus. Ledesma Prado. Vazq. Durand. Suarez. Fundamenta.

80. Quamvis autem hanc ultimam sententiam censeamus simpliciter veram ; nihilominus prima non est prorsus rejicienda, sed veritatem etiam in aliquo sensu continet. Unde distinguendum censemus circa hunc modum *infallibiliter*, sicut supra circa modum *ex opere operato* distinguebamus. Etenim si ly *infallibiliter* referatur ad ipsam remissionem peccati in se, fateri

Judicium.

fateri omnino oportet hoc sacrificium non conferre infallibiliter talem remissionem : quia hæc ex multis capitibus impediri potest, cum dependeat ex libera cooperatione voluntatis humanæ se disponentis, aut non. Et ita fere evidenter ipsa experientia constat, ut in motivis ultimæ sententiæ expenditur. Cæterum si ly *infallibiliter* referatur ad remissionem peccati, non in se, et immediate, sed ad remissionem mediate, et in alio, nempe in auxiliis datis ad prædictam remissionem ; ulterius distinguendum est. Nam si sermo fiat de auxiliis efficacibus, idem ac de remissione peccati in se dici debet, nempe non dari infallibiliter ex vi hujus sacrificii : quia si darentur infallibiliter, etiam remissio infallibiliter subsequeretur ; cum auxilium efficax habeat ab intrinseco infallibilem connexionem cum effectu, ad quem datur : at consequens est falsum, ut proxime diximus cum Auctoribus secundæ sententiæ. Si autem fiat sermo de auxiliis sufficientibus, valde probabilem reputamus priorem opinionem, nempe homini, pro quo offertur hoc sacrificium, conferri infallibiliter aliqua specialia auxilia sufficientia, ut convertatur, quibus si homo cooperetur, remissionem ipsam actualem, et in se consequatur. Hoc enim et decet dignitatem tanti sacrificii, ac principaliter offerentis, et nihil ponderis contra se habet, ut refellatur. Nam ad primum, quod secunda sententia opponit, respondetur id sufficienter nobis constare ex ipsa institutione hujus sacrificii in ratione propitiatorii, et ex doctrina Conciliorum, et Patrum illi deferentium hanc excellentiam. Quod haud convenienter explicatur, nisi istud sacrificium remittat peccatum saltem in causa, et quantum ad sufficientiam auxiliorum. Ad secundum respondetur idem dicendum de perseverantia : nam hoc sacrificium causat infallibiliter illam mediate, et in causa : quia præstat auxilia, quibus homo perseverare possit, si velit. Ad tertium patet ex dictis, quod licet hoc sacrificium præstet auxilia, ut homo possit pœnitere, et a peccato purgari ; nihilominus hæc non sunt semper efficacia, sed frequentius sufficientia, quæ non cooperante arbitrio impediuntur ab effectu : unde provenit non omnem hominem, pro quo offertur hoc sacrificium, converti, aut justificari.

Convelluntur ultimæ sententiæ argumenta.

Quæ vero pro priori sententia afferebantur, non plus evincunt, quam quod admittimus. Nam ad primum constat, quod licet hoc sacrificium non sit mere impetratorium, sed propitiatorium ; nihilominus hoc etiam secundum munus non exercet causando immediate remissionem culpæ, sed per viam impetrationis movendo scilicet Deum, ut det homini auxilia ad pœnitendum, si velit, ut vidimus num. 76. Ad secundum neganda est similitudo inter culpam, et pœnam : nam culpæ remissio non semper habet in homine dispositionem ob cooperationis defectum : sed pœnæ remissio, cum non contingat nisi in homine justo, semper habet dispositionem, ut fiat. Deinde culpæ remissio nequit fieri absque intrinseca peccatoris mutatione, et in adultis non contingit absque libera hominis cooperatione, ut ex professo ostendimus tract. 15, disp. 2, dub. 7, st disp. 3, dub. 1 ; quare licet hoc sacrificium consequatur auxilia ad pœnitendum, non semper sequitur culpæ remissio ob non cooperationem arbitrii. Sed pœna potest remitti ab extrinseco, et independenter a cooperatione ejus, cui remissio fit. Ad tertium neganda est consequentia : quoniam dimissio culpæ, quam sacrificia antiqua infallibiliter inferebant, non erat semper remissio peccati mortalis, sed sola dimissio culpæ legalis ad emundationem carnis. Inde vero nulla similitudo trahi debet ad remissionem peccati mortalis, quæ fit per infusionem gratiæ, et renovationem interiorem, cooperante libero arbitrio ejus, qui justificatur.

Diluuntur etiam prioris.

81. Ex dictis constat responsio ad duo argumenta hæreticorum contra rationem hujus sacrificii in esse propitiatorii, num. 75 proposita. Nam ad argumentum Lutheri patet ex differentia inter sacramentum, et sacrificium : nam sacramentum ordinatur per se primo ad utilitatem suscipientium, quibus applicatur. Et ideo per baptismum unius non baptizatur, nec justificatur alius. Sed sacrificium concurrit inter alios modos per viam impetrationis, et orationis : quare sicut unus potest orare pro alio, eique impetrare alia beneficia, sic etiam sacrificium ab uno oblatum potest prodesse alteri ad remissionem peccatorum, ut satis in superioribus explicuimus. Ad argumentum Kemnitii neganda est sequela: quia sacrificium Missæ non remittit immediate, et per se peccatum ejus,

Respondetur hæreticis.

pro quo offertur, ut immerito docuerunt aliqui relati numero 66, qui aliquam occasionem sua sententia dederunt hæreticorum oppugnationibus. Sed præcise remittit alterius peccatum mediate, et per viam impetrationis, nimirum movendo Deum ad conferendum auxilia, ut homo pœniteat, et convertatur. Quocirca justificatio ejus, pro quo offertur hoc sacrificium, non contingit absque ejus cooperatione, et labore ; nec homo liberatur ab obligatione suscipiendi sacramenta ad salutem necessaria : Deus namque hoc sacrificio excitatus movet hominem, non ut otietur, sed ut laboret cooperando, et quærendo media salutis.

§ II.

De remissione peccatorum venialium.

82. Quæ § præcedenti fusius diximus, conducent, ut pressius circa alios hujus sacrificii effectus procedamus : nam circa remissionem peccati mortalis, et ejus modum dicta, aliis etiam facile adaptari poterunt. Occurrit autem secundo loco peccatorum venialium remissio. Et tenendum est istud sacrificium esse etiam propitiatorium in ordine ad hæc peccata levia, illaque remittere. Quam fidei assertionem satis evincunt, quæ expendimus num. 74. Tum quia si hoc sacrificium habet valorem propitiatorium ad delendum peccata gravia ; multo magis ad levia. Tum etiam quia plura testimonia, quæ ibi proposuimus, loquuntur in genere, et indiscriminatim de omnibus peccatis : quare venialia minime excludunt. Tum quia specialiter Concilium Tridentinum nostram assertionem satis evidenter significavit verbis ibidem relatis : « Hujus quippe oblatione « placatus Dominus gratiam, et donum « pœnitentiæ, concedens, crimina, et « peccata, etiam ingentia, dimittit : » nam ly « etiam ingentia » supponit a fortiori alia peccata non ingentia, sed levia hoc sacrificio dimitti.

(Vis hujus sacrificii ad delendum venialia.) (Concil. Trident.)

Sed est difficultas circa modum remissionis. Et plures sentiunt hoc sacrificium remittere per se, et immediate peccata venialia : unde consequenter inferunt illa remittere semper, et infallibiliter ; dummodo homo, pro quo sacrificium offertur, sit dispositus ad talem remissionem : quod habet, si existat in statu gratiæ, et habeat aliquem affectum displicentiæ erga venialia. licet talis affectus non sit de se sufficiens ad eorum exclusionem. Ita ultra Cassalium, et Aragonium relatos num. 75, Cano loco supra citato. § *Errant deinde*, Nugnus ubi supra dub. 6, concl. 6, Cordoba, Valencia, Henriquez, Azor, Filliutius, Petrus de Navarra, Machado, Garzia, et alii, quos refert, et sequitur Leander tract. 8, disp. 3, quæst. 7. Et probabile reputant Serra in præs. art. 1, dub. 3, concl. 3, et Gonet disp. 2, art. 4, concl. 4. Fundamentum illorum est tum, quod sacramentalia cum tali displicentiæ affectu applicata remittunt immediate peccata venialia : ergo idem a fortiori dicendum est de hoc sacrificio, quod cunctis sacramentalibus præponi debet. Tum etiam quia licet aliquis displicentiæ motus erga venialia non sit de se sufficiens ad eorum deletionem : nihilominus huic sacrificio conjunctus potest esse sufficiens ad prædictum effectum : sicut attritio de se non sufficit ad excludendum peccatum mortale, et tamen conjuncta sacramento pœnitentiæ sit sufficiens ex divina institutione, ut in suo genere sufficiat ad mortalis remissionem. Et quia illi, qui sacrificium Missæ expressa, vel saltem virtuali intentione offerunt, pro remissione suorum peccatorum venialium, talem affectum displicentiæ erga illa habent ; propterea colligunt plures ex relatis Auctoribus talem hominem consequi immediate remissionem eorum.

(An immediate ?) (Affirmantes.) (Cassal. Aragon. Cano. Nugnus. Leand. Serra. Gonet.) (Fundamentum.)

83. Sentimus tamen hoc sacrificium non remittere peccata venialia, nisi mediate, nimirum movendo Deum ad dandum homini auxilia, quibus eliciat actum, per quem venialia immediate, et formaliter remittantur. Ita etiam sentiunt Petrus de Ledesma cap. 17, *de Eucharistia*, concl. 10, in fine, Huertos quæst. 10, *de hoc sacrificio*, Prado in hac quæst. dub. 9, § 4, num. 28, N. Franciscus cap. 3, punct 1, num. 8, Suarez disp. 79, quæst 5, Vazquez disp. 128, cap. 3, Lugo disp. 19, sect. 9, Aversa quæst. 2, sect. 6, Coninckus, Layman, Bonacina, Villalobos, Castro Palao, Tannerus, Lindanus, Aiala, Dicastillo, et alii, quos refert N. Franciscus loco citato. Unicum et satis efficax nobis fundamentum est : quoniam peccatum veniale nequit immediate, et formaliter excludi, nisi per aliquem actum formalem, aut virtualem charitatis, qui

(Verior sententia.) (Ledesm. Huertos. Prado. N. Fran. Suarez. Vazq. Lugo. Aversa.) (Ratio fundamentalis)

qui sit talis peccati retractatio : sed sacrificium Missæ nequit causare immediate talem actum : ergo sacrificium Missæ non remittit immediate peccata venialia, licet offeratur in ordine ad effectum talis remissionis. Consequentia patet. Et minor est certa : nam cum talis actus sit operatio vitalis, debet elici immediate ab homine per illum vivente : ergo nequit provenire immediate a sacrificio, quod ad hominem extrinsece se habet. Majorem denique statuimus, et ex professo probavimus tract. 15, disp. 2, dub. 8. Sed nunc breviter suadetur : quia nullum peccatum excluditur absque mutatione intrinseca peccatoris, sive per formam eidem peccato physice incompossibilem. Macula autem peccati venialis non consistit in privatione gratiæ sanctificantis, vel alicujus doni habitualis : quippe nihil horum per peccatum mere veniale excluditur. Sed talis macula consistit in carentia fervoris charitatis : cui carentiæ directe, et physice opponitur ipse actualis fervor, qui in actu formali, aut virtuali Charitatis invenitur. Ergo peccatum veniale nequit immediate, et formaliter excludi nisi per hujusmodi actum. Quam doctrinam perpetuo tradit Div. Thomas, et præsertim infra quæst. 87, fere per omnes articulos, ut recte observavit Cajetanus eadem quæst. art. 2, § *Ad horum evidentium.* Unde in sententia S. Doctoris in Purgatorio contingit hujusmodi venialium remissio sine tali actu, ut docet in quæst. 7, *de malo*, art 12, et cum eo Sotus in 4, dist. 15, quæst. 2, art. 2. In quo principio suadendo non amplius immoramur, quia illud late stabilivimus loco citato. Videantur etiam, quæ diximus tract. præced. disp. 10, dub. 2, num. 20.

D. Tho. Cajetan. Soto.

Confirmatio. Confirmatur : quia si sacrificium Missæ causat, vel inducit immediate remissionem peccatorum venialium; vel id præstat communicando immediate gratiam, aut aliud donum habituale, vel communicando immediate actum venialibus oppositum ? Non primum : tum quia sacrificium Missæ non causat immediate gratiam, vel aliud donum habituale, ut numero 86 videbimus : tum quia licet illud causaret, nihil tamen præcise ejusmodi habituale habet oppositionem physicam cum peccatis venialibus, sed eisdem conjungi valet. Nec etiam secundum : quoniam hoc ipso, quod actus fit, debet provenire immediate ab homine, et non ab aliquo extrinseco; ut sacrificium.

Diluuntur motiva contraria. Quæ vero pro contraria opinione asseruntur, sunt satis levia. Nam ad primum negatur antecedens (quod alias continet eandem, et majorem difficultatem); sacramentalia enim non remittunt peccata venialia immediate, ut ostendimus tract. præced. disput, 10, dub. 2, concl. 3, explicantes modum, quo sacramentalia concurrunt ad remissionem peccatorum venialium. Unde magis firmatur præsens resolutio. Ad secundum respondetur, quod si semel motus hominis erga venialia non habet physicam oppositionem cum illis, nequit ratione hujus sacrificii fieri virtuosior, aut potentior ad talem effectum : nam peccatum veniale excludendum est per aliquid intrinsecum, et eidem repugnans : sacrificium autem est aliquid extrinsecum, et nihil formaliter in eo effectu constituit : unde relinquit illum sub eadem impotentia, et defectu. Exemplum autem attritionis, et sacramenti pœnitentiæ non est ad rem, nec huic materiæ adaptari valet : quia sacramentum pœnitentiæ connotando attritionem efficit in homine gratiam sanctificantem, per quam omnia peccata mortalia formaliter, et immediate excluduntur tanquam per formam sibi physice incompossibilem : et in hoc sensu fit homo de attrito contritus. Sed sacrificium Missæ non causat in homine aliquid, quod habeat immediatam, et formalem oppositionem cum venialibus ; unde non per se, nec per motum aliquem imperfectum hominis, quem supponat, nec per formam ullam, quam causet, potest venialia immediate excludere. Et ideo minime admittimus appendicem prædictæ opinionis nisi in casu, quo offerens Missam pro venialium remissione eliciat actum formalem, vel virtualem charitatis eisdem physice incompossibilem.

Corollarium 1. 84. Ex qua resolutione, et ejus principiis facile colligitur decisio aliarum quæstiuncularum, quæ circa eandem materiam excitari possent. Unde infertur primo hoc sacrificium remittere venialia mediate, et per viam impetrationis. Et probatur : tum ratione quia hoc sacrificium deservit ad remissionem venialium, ut fides docet : sed illa non remittit immediate, ut ostendimus : ergo remittit saltem mediate, et per viam impetrationis, consequendo nimirum

a Deo auxilia, ut homo eliciat actum perfectum, quo immediate venialia deleantur. Tum etiam exemplo : nam hoc sacrificium remittit mortalia non immediate, sed mediate, ut diximus nu. 76 : similiter sacramentalia remittunt venialia non immediate, sed mediate, et per viam impetrationis, ut ostendimus loc. cit. ex tract. præced. n. 17 et 19 : ergo eodem modo istud sacramentum concurrit ad venialium remissionem ; id enim paritatis ratio satis evincit. Infertur secundo hoc sacrificium remittere venialia ex opere operato, non quidem immediate, et in se, sed mediate, sive in auxiliis, quæ consequitur ad formalem remissionem. Primum patet ex dictis num. 78; nam quod hoc sacrificium remittat venialia non habet ex devotione, vel sanctitate sacerdotis immediate offerentis; sed ex ipsa dignitate operis a Christo instituti, et principaliter oblati : quod est remittere non ex opere operantis, sed ex operare operato. Secundum etiam patet ex primo consectario : quia hoc sacrificium non remittit immediate venialia in se, sed mediate, sive in auxiliis, quæ consequitur ad eorum exclusionem : ergo causat talem remissionem ex opere operato, non immediate, aut in se, sed mediate, sive in auxiliis, vel causa. Quod declaratur exemplo remissionis peccatorum mortalium per hoc sacrificium, et remissionis venialium per sacramentalia, ut statuimus locis supra relatis. Infertur tertio hoc sacrificium non inducere infallibiliter hunc effectum remissionis venialium in se, sed solum in sua causa, sive in auxiliis collatis ejus intuitu in ordine ad talem finem. Hoc corollarium satis constat ex doctrina tradita num. 80, et breviter suadetur : nam hoc sacrificium remittit venialia, qualenus impetrat auxilia sufficientia, ut homo venialia detestetur, et per actus contrarios excludat : sed positis hujusmodi auxiliis potest homo illis non uti, et non cooperari, et hoc ultimum sæpissime contingit : ergo hoc sacrificium non inducit infallibiliter remissionem peccatorum venialium in se. Quod satis declaratur exemplo remissionis peccati mortalis per hoc sacrificium, ut loco cit. expendimus. Et idem contingit in remissione venialium per sacramentalia, ut diximus loco cit. ex tract. præced.

Corollarium 2.

Corollarium 3.

§ III.

De prima gratia, et gratiæ augmento, ac aliis beneficiis spiritualibus, et corporalibus.

85. Post notitiam effectuum correspondentium huic sacrificio, ut propitiatorio, succedit dicere de illis, quæ ipsi ut impetratorio respondent, et sunt plane omnia bona, quæ ejus intuitu nobis conferuntur a Deo, et revocantur ad ea, quæ in hoc titulo recensuimus. Porro sicut apud antiquos fuerunt specialia sacrificia, quæ impetratoria dicebantur, et ad nova a Deo obtinenda beneficia referebantur : ita dubitandum non est sacrificium Missa (de quo Ecclesia in oratione secreta Dominicæ 7, post Pentecostem, inquit : « Deus qui legalium differentiam victimarum unius sacrificii perfectione sanxisti) » habere virtutem impetrandi nobis beneficia. Quare sicut omnia bona consequimur per Christum, ejusque cruentum in cruce sacrificium, sic illa etiam in suo genere per incruentum sacrificium Missæ impetramus, ut satis expressit Concilium Trident. sess. 22, cap. 2, ubi postquam dixit hoc sacrificio expiari peccata, subjunxit : « Una enim eademque est hostia, idemque nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidam oblationis, cruentæ inquam, fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur. » Sed ad eos jam descendamus. Et primo occurrit prima gratiæ infusio. Sed quia hæc in nobis pro hoc statu non contingit sine remissione peccati, in quo homo ante illam existit : quidquid a nobis § 1 dictum est circa virtutem hujus sacrificii ad tollendum peccatum mortale, et circa modum, quo concurrit ad illud remittendum ; pari ratione applicanda sunt primæ infusioni gratiæ, per quam tale peccatum formaliter excluditur. Et opus hic non habemus alia addere.

Hoc sacrificium est impetratorium.

Concil. Trident.

Impetrat primam gratiam et quo modo?

86. Circa augmentum autem prædictæ gratiæ, quod justis solet decursu temporis adjici, omnes supponunt sacrificium Missæ habere virtutem, et valorem illud illis consequendi, pro quibus offertur. Sed dubitant circa modum, quo istum effectum causant. Quod enim ipsum immediate inducat, affirmant Gabriel lect. 85, *in Canon.* Corduba lib. 1.

Impetrat gratiæ augmentum.

lib. 1, q. 3, § *Item supposito*, Toletus lib. 2, cap. 2, c. 6 et 7, Machinus tra. 3, p. c. 10, a n. 7, Machado documento 2, n. 4, et aliis, quos refert, et sequitur Leander tract. 8, disp. 3, q. 5. Moventur primo : quia hoc sacrificium non est minus nobile, ac perfectum, quam sacramenta : hæc autem causant immediate in justo augmentum gratiæ : ergo idem de hoc sacrificio dicendum est. Idque specialiter confirmatur, et declaratur exemplo ipsius Eucharistiæ : hæc enim considerata in ratione sacramenti confert illud augmentum immediate. Cur ergo non illud conferet etiam immediate considerata in ratione sacrificii ? Secundo, quia principaliter offerens est Christus, et ipse etiam est res oblata : sed ejus merita minime excedit, quod augmentum gratiæ conferatur immediate per hoc sacrificium : ergo ita sentire oportet. Tertio, quia non minoris virtutis est nunc hoc sacrificium, quam erat, cum illud Christus in ultima cœna obtulit : sed tunc dedit immediate augmentum gratiæ illis, pro quibus oblatum est : ergo idem de eo dici debet, cum modo offertur. Quarto, quia hoc sacrificium habet vim delendi peccata venialia : ut § præced. vidimus : sed horum remissio non contingit absque novæ gratiæ infusione : ergo hoc sacrificium causat immediate illius augmentum.

An illud causet immediate? Quædam opinio. Gabriel. Cordub. Toletus. March. Machado Leand. Argumenta.

Sed vera est sententia contraria, quæ docet hoc sacrificium non causare immediate augmentum gratiæ, sed solum mediate, quatenus impetrat justis, pro quibus offertur, auxilia ad eliciendum actus, per quos se disponant ad tale augmentum, illudque mereantur. Ita Soto (quem immerito solent pro se referre Adversarii), in 4, distin. 11, quæst. 2, art. 7, § *Sed percontaris*, Nugnus in hoc art. dub. 6, conclus. 4, Ledesma cap. 17, *de Eucharistia*, conclus. 13, Prado in præs. dub. 9, § 3, nu. 23, N Franciscus cap. 3, punct. 1, num. 13, Vazquez disp. 228, cap. 3, dicens esse sententiam communem. Suarez disp. 79, sect. 4, Enriquez, Coninckus, Lugo, Dicastillo, Villalobos, Bonacina, Granados, Castro Palao, et alii apud N. Franciscum loc. cit. Præcipuum fundamentum hujus resolutionis est, quod nihil solidum assignari possit ex pacto, vel promissione Dei desumptum, ut asseramus insignem adeo effectum uti est, quod hoc sacrificium causet immediate aliquod augmentum gratiæ in omnibus, et singulis justis, pro quibus offertur : hoc enim vel nulli sacramentorum competere cum hac universalitate satis liquet : ergo minime admitti debet sententia contraria, ut quæ sine fundamento procedit. Aliud fundamentum desumitur ab inconvenientibus: nam in primis ex ea colligitur posse hoc sacrificium offerri pro infantibus baptizatis, ut scilicet augmentum gratiæ suscipiant: quod tamen contradicit communi Ecclesiæ usui, et fidelium apprehensioni. Ulterius fieret hoc sacrificium oblatum pro adulto in ordine ad talem finem causare vel ipso dormiente, vel alia cogitante prædictum augmentum : quod est falsum, et absurdum ; cum nullus adultus, vel gratiam consequatur, vel in gratia proficiat absque libera cooperatione liberi arbitrii. Tandem fieret Petrum v. g. qui nullum fere opus bonum egisset, superare in gratia, et sanctitate, ac perinde in gloria essentiali multos alios, qui plures exercueruent virtutum actus, et multum laboraverunt in vinea Domini, ut plane juxta contrariam sententiam accidere opus est, si plurimi, et plurimas pro Petro offerant Missas: quod vel sola improportione manifestat suam falsitatem. Ultimum fundamentum est : quoniam hoc sacrificium eo modo causat augmentum gratiæ, quod causat remissionem peccatorum, ut Adversarii non negant : atqui non causat remissionem peccatorum mortalium, aut venialium immediate sed solum mediate impetrando videlicet auxilia, quibus homo pœniteat, si velit, ut supra statuimus nu. 76 et 83 ; ergo non causat augmentum gratiæ immediate, sed mediate.

Vera sententia. Soto. Nugnus. Ledesm. Prado. N. Fran. Vazq. Suarez. Fundamentum. Aliud. Aliud.

87 Ad primum motivum contrariæ sententiæ, omittendo præmissas, negamus consequentiam. Et disparitas constat ex dictis num. 77, desumiturque ex diversa ratione sacramenti, et sacrificii ibidem assignata. Quare sicut non valet : aliqua sacramenta causant immediate, et per se remissionem peccati mortalis in eis, quibus applicantur : ergo sacrificium Missæ causat immediate, et per se remissionem peccati mortalis in illis, pro quibus offertur ; ut cum communi, et certa sententia declaravimus loco cit. Sic etiam non valet, Eucharistia in ratione sacramenti, et cætera sacramenta causant per se, et immediate augmentum gratiæ in eis, qui illis utuntur ; ergo similiter sacrificium Missæ causat tale augmentum in illis justis, pro quibus applica-

Fit satis objectis.

tur. Eo vel maxime, quod effectus sacramenti determinatur ad eos, qui illis utuntur, et singuli sunt respectu singulorum sacramentorum : sed sacrificium Missæ, cum unum sit, potest pro innumerabilibus offerri. Ad secundam concessis etiam præmissis, negamus consequentiam : quia licet talis effectus non excedat merita Christi, nec dignitatem sacrificii ; tamen ultra hæc requiritur divina institutio, de qua non constat, sed magis inconvenientibus constat oppositum. Unde sicut prædictum motivum non evincit, quod tale sacrificium causet immediate remissionem peccati mortalis, vel omnium hominum, pro quibus offertur, finalem perseverantiam : licet nihil horum excludat dignitatem sacrificii, et merita principaliter offerentis : ita etiam non probat, quod causet de facto immediate augmentum gratiæ in omnibus justis, pro quibus offertur. Ad tertium negamus minorem : quia nihil obligat, ut dicamus sacrificium a Christo in ultima cœna oblatum induxisse immediate augmentum gratiæ in omnibus, pro quibus obtulit. Sed satis fuit, quod illud causaverit mediate, sive mediis auxiliis datis ad effectum, sicut de facto contingit. Et si oppositum accidit ; fuit specialis privilegii dispensatio ob dignitatem Christi celebrantis, et immediate offerentis : unde trahi non debet consequentia ad alia sacrificia ordinaria. Ad quartum, et ultimum patet ex dictis § præced. quod hoc sacrificium non delet peccata venialia immediate, sed mediate : et eodem modo causat augmentum gratiæ, ut argumentum supponit.

An causet augmentum gratiæ ex opere operato?

Juxta quam doctrinam satisfaciendum est aliis quæstionibus, et dicendum in primis hoc sacrificium causare augmentum gratiæ ex opere operato, sive ratione dignitatis, quam ex sua institutione habet independenter, et præcisive a sanctitate ministri immediate offerentis: causat tamen ex opere operato non immediate, sed mediate, videlicet consequendo homini auxilia ad tale augmentum. Et ratio constat ex dictis num. 78 et 84. Dicendum item est hoc sacrificium non inducere infallibiliter talem effectum : quia illum causat, quatenus consequitur homini auxilia, quibus possit se præparare ad hujusmodi augmentum, illudque mereri, si velit. Sed homo multoties eis non utitur: unde impeditur talis effectus juxta ea, quæ circa similia diximus num. 80 et 84. Omnes enim præmissæ quantum ad hoc resolutiones pendent ex eadem radice.

An infallibiliter?

Causat plura bona spiritualia, et corporalia.

88. Præter augmentum gratiæ impetrat hoc sacrificium plura alia bona tam spiritualia, quam corporalia, quatenus conducunt ad æternam salutem. Quod est de fide, et probatur tum ex Concilio Tridentino sess. 22, can. 3, ubi statuit : « Si quis dixe-
« rit Missæ sacrificium tantum esse, laudis,
« et gratiarum actionis, aut nudam comme-
« morationem sacrificii in cruce peracti ;
« non autem propitiatorium: vel soli pro-
« desse sumenti : necque pro vivis, et de-
« functis, pro peccatis, pœnis, satisfactio-
« nibus, et aliis necessitatibus offerri de-
« bere ; anathema sit. » Quibus ultimis verbis, *Et pro aliis necessitatibus* comprehendit bona spiritualia, et corporalia, de quibus agimus. Tum etiam ex perpetua Ecclesiæ traditione : nam in liturgiis Jacobi, Clementis, Basilii, et Chrysostomi oratio fit, et sacrificium offertur in ordine ad prædictos effectus. Unde Cyrillus Hierosolymit. catechesi 5, inquit : « Postquam con-
« fectum est illud spirituale sacrificium: et
« ille cultus incruentus, super ipsa propi-
« tiationis hostia obsecramus Deum pro
« communi Ecclesiarum pace, pro tranquil-
« litate mundi, pro regibus, pro militibus,
« pro sociis, pro ægrotis, et affectis, et in
« summa pro omnibus, qui egent auxilio.»
D. Chrystostomus hom. 18 et 21, in Acta Apost. docet hoc sacrificium offerri pro fructibus terræ. D. Augustin. meminit hujus sacrificii oblati ad purgandum puerum a dæmone. Et similia occurrunt in D. Prospero in lib. *de prædictionibus Dei*, cap. 6, D. Gregorio hom. 37, *in Evangel.* V. Beda lib. 4 *historiæ Angliæ*, cap. 22, et frequentissime in Auctoribus Historiæ Ecclesiasticæ. Tum denique ratione desumpta ex superius dictis : quia hoc sacrificium impetrat remissionem peccatorum mortalium, et venialium, impetrat gratiam, et ejus augmentum : ergo pariter impetrat alia bona, quatenus conferunt ad salutem. Probatur consequentia : quia ex una parte hoc sacrificium habet valorem ad omnes istos effectus : et ex alia parte non est ratio, ut impetret quosdam, et non alios. Consequitur itaque omnes, et pro cunctis offerri valet.

Con ci Trident. — Cyrillus Hieros. — D. Chris. D. Aug. D. Pros. D. Greg. V. Beda.

Modus causandi isa boan.

Circa modum autem quo istud sacramentum causat prædicta bona, censemus

in

in primis, quod illa causat ex opere operato : quia independenter a merito, et devotione sacerdotis operantis, ipsum opus operatum, nempe sacrificium habet ex sua institutione dignitatem, et valorem ad inducendum prædictos effectus. Quamvis negandum non sit, quod sanctitas, et devotio ministri offerentis conducat quandoque ex opere operantis ad eorum impetrationem. Censemus ulterius hoc sacrificium causare in suo genere prædictos effectus immediate, cum illos causat : quia tales effectus non dependent proxime a libertate humani arbitrii, ut alii supra relati, nec præsupponunt alia auxilia sufficientia, sed possunt immediate conferri intuitu hujus sacrificii, ut patet in sanitate, in fructibus terræ etc. ergo cum hoc sacrificium prædictos effectus impetrat, illos causat immediate. Magis hæremus circa modum causandi illos infallibiliter : quia non videtur occurrere pactum de illis infallibiter conferendis. Sed tamen censemus, quod licet hoc sacrificium non semper impetret hos effectus, quamvis pro illis offeratur, nihilominus id provenit, quia non semper tales effectus conferunt ad salutem. Attamen ubi ex divina ordinatione præsupponitur aliquos hujusmodi effectus ad salutem conferre, valde probabile, et pium existimamus, quod sacrificium pro eis impetrandis oblatum infallibiliter illos consequitur. Quæ infallibilitas fundatur in generali conditione orationis, quæ a fortiori vires humanas habere debet in hoc sacrificio, quod nomine Christi offertur. Aliunde vero tales effectus non subsunt libero arbitrio, nec illo impediri, queunt. Et denique supponitur illos esse conducentes ad salutem.

§ IV.

De remissione pœnæ debitæ pro peccatis.

89. Succedit tandem, ut dicamus de alio effectu, quem hoc sacrificicium habet in ratione satisfactorii, nempe de remissione pœnæ, quæ pro peccatis debetur. Sæpissime namque contingit, ut excusso peccato quoad maculam, maneat reatus, sive obligatio subeundi pœnam, et satisfaciendi pro illo. Igitur certa fide tenendum est istud sacrificium præter alios effectus nobilissimos, quos habet, prodesse plurimum tam vivis, quam defunctis ad satisfaciendum, sive ad remittendum pœnas, quas pro suis culpis sustinere debet. Et quidem si defunctis prodest in ordine ad prædictum effectum; manifestum a fortiori est, quod vivis proficuum etiam in ordine ad illum sit. Negant tamen illud hæretici, præsertim Calvinus *in antidoto articulorum Parisiensium*, et Kemnitius in 2 p. *examinis*, in ultimo argumento. Sed hæc veritas probatur primo ex Concilio Tridentino illam contra prædictos hæreticos diffinientis can. relato nu. præced. ibi : « Si quis dixerit « neque debere offerri pro vivis, et defunc- « tis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, « etc. anathema sit. » Et sess. 25, in decreto de Purgatorio inquit : « Cum catholica Ec- « clesia Spiritu Sancto edocta, ex sacris « litteris, et antiqua Patrum traditione, in « sacris Conciliis, et novissime in hac œcu- « menica Synodo docuerit Purgatorium esse, « animasque ibi detentas fidelium suffra- « giis, potissimum vero acceptabili altaris « sacrificio juvari; præcipit sancta Synodus, « etc. » Probatur secundo ex scriptura quæ lib. 2 *Machab*. c. 12, refert Judam Machabæum præcepisse offerri sacrificia pro peccatis mortuorum, et hoc factum laudat iis verbis : « Sancta ergo, et salubris est cogi- « tatio pro defunctis exorare, ut a peccatis « solvantur. » Quo testimonio D. Augustinus in lib. *de cura pro mortuis*, cap. 1, et lib. *de origine animæ* cap. 11, probat prodesse defunctis sacrificia pro eis oblata. Probatur tertio, ex perpetua, et constanti Ecclesiæ circa id traditione, quam relatis Conciliis, et Patribus recte manifestat Bellarminus lib. 2, *de Missa*, c. 7 ; sed nobis sufficiat vel solus D. Chrysost. qui jam olim hom. 69, ad populum Antiochenum testabatur : « Non temere hæc ab Apostolis sancita « fuerunt, ut in tremendis mysteriis de- « functorum agatur commemoratio ; sciunt « enim illis inde multum contingere lu- « crum multam utilitatem. »

Probatur ultimo ratione theologica desumpta ex hactenus dictis : quia hoc sacrificium habet valorem non tantum propitiatorium, aut impetratorium, sed etiam satisfactorium : et rursus tam vivi, quam defuncti habent capacitatem, ut illis prosit per modum satisfactionis, sicut prodest per modum propitiationis, et impetrationis : ergo sicut hoc sacrificium prodest eis pro quibus offertur, quantum ad effectus propitiationis, et impetrationis, ut in supe-

Istud sacrificium est satisfactorium.

Tam in vivis quam pro defunctis.

Concil. Trident.

2. Mach. 12.

D. Aug.

Bellarm.

D. Chry.

Ratio.

rioribus dictum est; sic etiam prodest vivis, et defunctis, pro quibus offertur, quantum ad effectum satisfactionis: atque ideo hoc sacrificium pro eis oblatum extinguit, vel in toto, vel in parte reatum, sive obligationem satisfaciendi sustinendo pœnam. Confirmatur: quia cruentum crucis sacrificium secundum actum externum effusionis sanguinis doloris, et mortis fuit proprie, et directe satisfactorium pro pœna. quam pro culpis debebamus: sed incruentum altaris sacrificium, quod est illius commemoratio, et applicatio, debuit proprie, et directe institui ad ejusmodi effectum satisfaciendi pro pœnis, quas pro peccatis meremur: ut sicut sacrificium crucis profuit hominibus generaliter, et quantum ad sufficientiam in ordine ad prædictum effectum; ita sacrificium altaris proficiat determinate, et quoad efficaciam illis hominibus, pro quibus in ordine ad talem effectum offertur: ergo ita asserendum est.

Confirmatio.

Nec momenti est, quod hæretici objiciunt mortuos non sumere, nec edere Eucharistiam: nam solis viventibus dixit Christus, *Accipite, et manducate.* Nam hæc objectio procedit ex sinistra eorum intelligentia non distinguente in Eucharistia rationem sacramenti, et rationem sacrificii. Fatemur ergo fructum Eucharistiæ in ratione sacramenti pendere ab ejus usu, et applicatione: unde prædicto modo non prodest animabus defunctorum. Fatemur etiam istas non comedere de hoc sacrificio, sive re oblata. Sed tamen inde minime sequitur, quod non possint participare sacrificii fructum, sive effectum, cujus sunt capaces: sacrificii namque virtus ad non comedentes, et ad non assistentes etiam extenditur. Unde S. Job pro filiis absentibus, et Judæi pro Rege Babylonis etiam absente leguntur non inutiliter sacrificasse. Hac itaque via prodest hoc sacrificium defunctis in ordine ad satisfaciendum pro pœnis; licet Eucharistiam non sumant, nec comedant de sacrificio, ut quæ diximus satis evincunt.

Dispellitur hæreticorum objectio.

90. Supposita autem hac fidei veritate, difficultas occurrit circa modum, quo istud sacrificium in ratione satisfactorii prodest ad dimissionem pœnarum, an scilicet hunc effectum habeat ex opere operato, an immediate, an denique infallibiliter? Tenendum in primis est, quod prodest ex opere operato: nam talis valor non convenit huic sacrificio ex devotione, aut dignitate ministri offerentis, sed ex dignitate ipsius operis, quam habet ex sua institutione, et ex Christo illud principaliter offerente: unde talis valor, aut virtus minime impeditur peccatis, et dignitate sacerdotis offerentis immediate. Sicut igitur alii hujus sacrificii effectus sunt ex opere operato, ut supra statuimus, sic etiam de isto satisfactionis effectu dicendum est. Et idem dici debet ad aliam quæstionis partem, nempe istud sacrificium causare istum effectum immediate, sive extinguere per se ipsum debitum satisfaciendi vel in toto, vel in parte secundum ordinem divinæ providentiæ, et subjectorum, quibus applicatur, dispositionem. Cum enim extinctio, aut remissio talis debiti non dependeat necessario ex libero arbitrio hominis debitoris, sed ex voluntate Dei creditoris; fieri valet ab extrinseco, sive absque intrinseca mutatione voluntatis humanæ elicientis aliquem actum. Quare non oportet, quod hoc sacrificium causet prædictum effectum mediate, aut per solam viam impetrationis, consequendo videlicet auxilia, quibus homo aliquid operetur in ordine ad talem effectum, sicut de aliis vel remittendi culpam, vel augescendi gratiam supra dicebamus. Sed potest talem effectum inducere immediate per se hoc ipso, quod in ordine ad illum offeratur, et applicetur. Eo vel maxime, quod ex parte subjectorum, quibus facienda est pœnæ remissio, detur immediata capacitas; cum supponantur existere in statu gratiæ: et ex parte sacrificii adsit sufficientissimus valor ob continentiam, et applicationem satisfactionis Christi, quæ per illud efficaciter derivatur. Causat itaque hoc sacrificium immediate talem effectum.

Modus quo confert ad satisfactionem.

Major poterat esse difficultas circa alterum modum, an scilicet eum effectum inducat infallibiliter? Et quo ad vivos attinet certissima est apud Theologos pars affirmativa; de quod videri possunt Innocentius Tertius lib. 3, *de mysteriis Missæ*, cap. 5. D. Thomas in 4, dist. 45, quæst. 2, art. 1, quæstiunc. 3, et art. 3, quæstiunc. 1, ad 3, Soto dist. 13, quæst. 2, art. 1, Cano lib. 12, cap. 13, ad 9, *Qui vero.* Bellarminus lib. 4, *de Pœnitentia*, cap. 15, Suarez disp. 79, sect. 6 et alii. Fundamentum autem est satis manifestum, et principiis

An infallibiliter.

Resolutio quantum ad vivos.

Innoc. 3. D. Tho. Soto. Cano. Bellarm. Suarez.

cipiis fidei innitens : quoniam ad hunc effectum concurrunt omnia requisita, ut talis effectus infallibiliter subsequatur. In primis enim homo, cui pœna remittenda est, supponitur in statu gratiæ, et in statu viæ, atque ideo in dispositione, et habilitate omnino proxima, ut illi remissio fiat. Deinde hoc sacrificium habet sufficientem valorem ad delendum debitum satisfaciendi : et in finem hunc inter alios ex sua institutione ordinatur, ut vidimus num. præced. Præterea sacerdos, cui ejus applicatio commissa est, illud ordinat ad prædictum effectum, et pro determinata persona. Denique ex hujus parte non requiritur aliquis actus, quo positive cooperetur ; siquidem remissio pœnæ non est aliquis effectus positivus, sed mera remotio cujusdam debiti, quæ ab extrinseco fieri valet oblato æquili pretio, et pro sola voluntate creditoris. Nihil itaque est, quod impediat talem effectum, ubi sacrificium Missæ pro satisfactione alicujus viventis justi applicatur. Ergo prædictis concurrentibus sequitur infallibiliter ejusmodi effectus. Non tamen semper remittitur tota pœna : quia
Tho. ut egregie docuit D. Thomas supra quæst. 77, art. 5, in corp. « In satisfactione magis « attenditur affectus offerentis, quam quan« titas oblationis. Unde et Dominus dicit « Lucæ 21, de vidua, quæ obtulit duo æra, « quod plus omnibus misit. Quamvis ergo « hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad « satisfaciendum pro omni pœna : tamen « fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, « vel etiam offerentibus,secundum quanti« tatem suæ devotionis, et non pro tota « pœna. » Et ad 3 addit : « Dicendum, quod « hoc, quod tollitur pars pœnæ, et non « tota pœnæ per hoc sacramentum,non con« tingit ex defectu virtutis Christi, » (qui est res oblata), « sed ex defectu devotionis « humanæ. » Quod hic insinuamus magis explicaturi numero 123.

Quantum ad defunctos. 91. Sed quod ad defunctos pertinet, non est eadem certitudo. Dubitant enim Cano loco supra citato, et Corduba apud Dicastillum disp. 2, dub. 2, an istud sacrificium sortiatur infallibiliter in animabus Purgatorii, pro quibus offertur, effectum remis-
Opinio. sionis pœnarum. Quia in defunctis, inquiunt, non occurrit eadem causa, ac in vivis. Istis namque prodest satisfactio Christi per modum redemptionis, et pretii, quod lege justitiæ acceptari debet: sicut contingit, cum quanta pecunia debetu tanta solvitur. Respectu autem defunctorum sicut merita Christi per indulgentias applicata non prosunt nisi ad modum suffragii : sic etiam existimari potest, quod virtus hujus sacrificii non pervenit nisi ut habens locum suffragii, et orationis : his vero non respondet infallibiliter effectus, ut patet in aliis, quæ petimus.

Communis tamen, et vera sententia docet hoc sacrificium habere etiam infallibiliter hunc effectum in animabus Purgatorii, pro quibus offertur, quantum ad remissionem alicujus pœnæ, sicut in vivis proportionaliter contingere diximus. Ita Sotus in 4, dist. 21, q.2, art. 3, *Est tamen.* Nugnus in præs. dub. 6, conclus. 8, Huertos quæst. 10, conclus. 3, Prado dub. 9 num. 37, Navarrus *de Jubilæo*, notab. 22. n. 18, Suarez disp. 79, sect. 10, Vazquez disp. 228, cap. 4, Dicastillo loc. cit. Lugo et Castro Palao, quos refert et sequitur N. Franciscus tract. 5, cap. 3, puncto 2, num. 18. Probatur primo ex Concilio Tridentino loco relato num. 89, ubi diffinit esse « Purgatorium , animasque ibi detentas « fidelium suffragiis, potissimum vero al« taris sacrificio juvari. » Ergo vel nullæ vivorum satisfactiones, et suffragia prosunt infallibiliter animabus Purgatorii ad remissionem pœnarum ; quod dicere est absurdum : vel fateri oportet prodesse illis infallibiliter pro eodem effectu sacrificium Missæ, quo potissimum adjuvantur. Secundo, quia sicut hoc sacrificium applicatum pro justis viventibus nullum reperit in eis impedimentum, ne illis prosit quantum ad remissionem alicujus pœnæ ; unde talem remissionem infallibiliter infert, ut num. præced. vidimus, sic etiam in sanctis Purgatorii animabus nullum reperit obstaculum ad prædictum fructum ; siquidem in gratia sunt, et minime resistunt, et hoc sacrificium pro vivis, et defunctis offertur ut diffinivit Concilium Trident. sess. 22, can. 2 : ergo tam prodest defunctis, quam vivis infallibiliter in ordine ad alicujus pœnæ remissionem. Tertio, et ultimo probatur : nam ideo hoc sacrificium oblatum pro animabus Purgatorii non haberet in illis infallibiliter effectum remissionis alicujus pœnæ ; quia sunt in alio statu, et non habent cum viventibus commercium : sed hæc ratio est nulla : ergo hoc sacrificium prodest illis infallibiliter in ordine

Vera sententia. Scto. Nugnus. Huertos. Prado. Navar. Suarez. Vazq. Dicastil. N. Fran. Concil. Trident.

ad talem effectum. Probatur minor: quia præcipua radix, ut satisfactiones, et oblationes vivorum aliis justis viventibus infallibiliter prosint in ordine ad remissionem pœnarum, non est ista communicatio visibilis, sed unio per charitatem : constat autem, quod hanc per charitatem, unionem, et communicationem habemus etiam cum animabus Purgatorii : ergo quod non habeant visibile cum viventibus commercium, sed in alio statu sint; nihil refert, ut sacrificium Missæ illis prosit infallibiliter ad remissionem pœnarum. Præsertim cum hoc sacrificium sit sacramentum Christianæ Charitatis, et unitatis. Qui discursus sumitur ex D. Thoma in 4, distin. 45, quæst. 2, art. 3, quæstiunc. ubi ait : « Suffragia « vivorum prosunt defunctis, secundum « quod uniuntur viventibus in charitate ; « et secundum quod intentio viventium « refertur in mortuos. Et ideo illa opera « præcipue nata sunt mortuis suffragari, « quæ maxime ad commuuicationem cha« ritatis pertinent, vel ad directionem in« tentionis in alterum. Ad charitatem « autem sacramentum Eucharistiæ præ« cipue pertinet ; cum sit sacramentum « Ecclesiasticæ unionis, continens illum, « in quo tota Ecclesia unitur, et consolida« tur, scilicet Christum. Unde Eucharistia « est quasi quædam charitatis origo, seu « vinculum. » Addit ad 3 : « Eucharistia « est signum Ecclesiasticæ unionis; et ideo « ex ipso opere operato ejus efficacia in « alterum transire potest : quod non con« tingit in aliis sacramentis. »

D. Tho.

Dissolvuntur opposita.

Ad Auctores contrarios respondendum est illos immerito dubitare , ut patet ex motivis a nobis præmissis, accedente communi aliorum Theologorum consensu. Eorum vero fundamentum corruit ex dictis : nam differentia statuum, quos habent vivi, et defuncti nihil in præsenti materia refert : quia omnes sunt conjuncti per charitatem, et habent capacitatem ad hunc effectum. Ad illud, quod insinuatur de indulgentiis pro defunctis applicatis respondetur illas etiam, suppositis aliis conditionibus, prodesse infallibiliter defunctis. Ut enim, inquit D. Thomas loco proxime citato, quæstiun. 2 :« Non est aliqua ratio, « quare Ecclesia non possit transferre « merita communia, quibus indulgentiæ « innituntur, in vivos,et non in mortuos. » Licet autem oppositum permitteretur in indulgentiis, aut quibusdam aliis suffragiis ; merito tamen excipiendum erat hoc sacrificium, quod dignitate tum rei oblatæ, tum principaliter offerentis meretur, ut infallibiliter acceptetur a Deo pro pœnarum remissione, cui alias animæ Purgatorii nullum opponunt impedimentum.

§ V.

Incidens quæstiuncula cunctis præmissis effectibus communis.

An is sacrificium causet physice?

92. Quamvis sacrificium Missæ causet relatos effectus modis quos hactenus explicuimus ; adhuc tamen dubitari potest, utrum illos inducat physice an moraliter ; sicut de causalitate sacramentorum controverti solet. Et pro sententia deferente huic sacrificio causalitatem physicam unum tantum vidimus Nugnum in præs. dub. 2, *de effectibus hujus sacrificii.* Cujus opinio potest probari primo : quia Concilia, et Patres affirmant hoc sacrificium causare absolute, atque ideo vere, et proprie tales effectus ; sed si non causaret physice, non causaret illos vere, et proprie : ergo istud sacrificium suos effectus physice causat. Probatur minor : nam si nostra sacramenta non causarent physice gratiam, non causarent illam vere, et proprie, ut late ostendimus tract. præced. disp. 4, dub. 2, cum seq. ergo idem de isto sacrificio dicendum est, ut ratio similitudinis satis evincit. Secundo, quia sacramentalia causant physice suos effectus, ut prædictus Auctor probat supra quæst. 71, art. 3, post 4 conclusionem : ergo idem dicendum est de hoc sacrificio in ordine ad effectus, quos inducit. Consequentia patet : quia cum sacrificium sit excellentior causa, quam sacramentalia : debet excellentiori modo causare ; et modus causandi physice est aliis excellentior. Tertio, quia passio Christi concurrit efficienter physice ad salutem humanam, ut docet D. Thomas supra quæst. 48, art. 6, et statuimus tract. 21, disp. 23, num. 41 ; sed hoc sacrificium causat ad instar sacrificii crucis ut non obscure significat Concilium Trident. sess. 22, cap. 2, illis verbis : « Oblationis cruen« tæ fructus per hanc uberrime perci« piuntur : » ergo hoc sacrificium causat physice suos effectus.

Opini Nugni motiv

Sed

Refellitur. Sed prædictæ sententiæ, licet probabilitatem aliquam habeat, non subscribimus : quia nullum solidum fundamentum nobis occurrit, ut asseramus rem ex sola Dei voluntate pendentem, quæ circa hujusmodi causalitatem physicam minime revelatur. Contraria etiam sententia est communis non solum apud eos, qui talem causalitatem sacramentis negant, sed etiam apud patronos illius, ut videri potest apud Pradum in præs. dub. 9, num. 11. Et omissis aliorum motivis, quæ non multum urgere videmus, suadetur comparando hoc sacrificium ad effectus supra relatos. Ratio. Nam causat remissionem peccatorum mortalium, et venialium, primam gratiam, et augmentum gratiæ, et alia beneficia per viam impetrationis, movendo scilicet Deum ad causandum prædictos effectus, vel simul cum libero arbitrio creato, vel independenter ab illo, ut satis in superioribus explicatum est. Causare autem per viam impetrationis est causare non physice, sed moraliter, ut generaliter constat in aliis orationibus, et impetrationibus, quæ influunt movendo, et excitando agentem physice ut agat. Ergo Eucharistia in ordine ad omnes relatos effectus non influit physice, sed moraliter. Causat præterea hoc sacrificium remissionem pœnæ pro culpis debitæ, ut § præced. explicuimus : sed prædictum effectum causat per viam satisfactionis, nimirum offerendo, et applicando satisfactionem Christi, atque extinguendo immediate debitum. In quo non intervenit aliquis influxus physicus, sed solum concursus moralis, qualis in aliis solutionibus, et contractibus adesse solet. Causat itaque istud sacrificium relatos effectus influxu non physico, sed morali. Confirmatio. Confirmatur : nam si hoc sacrificium causaret physice suos effectus, causaret utique per modum instrumenti physici : sed non causat illos tanquam physicum instrumentum : ergo non concurrit physice ad eos causandos. Probatur minor : quoniam quod concurrit ut instrumentum physicum, influit in genere causæ efficientis ; siquidem causa efficiens in communi dividitur in principalem, et instrumentalem : concursus autem sacrificii in esse sacrificii non pertinet ad genus causæ efficientis ; siquidem sacrificium non causat ut agens, sed magis passive per modum rei oblatæ, vel offerendo pretium pro redemptione, et satisfactione, vel impetrando pro sua dignitate, ut ex supra dictis satis constat : ergo concursus sacrificii in esse sacrificii non pertinet ad genus causæ efficientis.

93. Nec oppositum suadent argumenta contraria. Evertuntur opposita fundamenta. Nam ad primum respondetur negando minorem. Ad cujus probationem concesso antecedenti negamus consequentiam. Et ratio disparitatis desumitur ex immediate dictis : quoniam influxus proprius sacramentorum pertinet ad genus causæ efficientis, non principalis, sed instrumentalis : nequeunt autem sacramenta influere effective instrumentaliter vere, et proprie, nisi influant physice, ut eo loco ex professo ostendimus ; unde quia juxta doctrinam Conciliorum, et Patrum sacramenta novæ legis vere et proprie causant gratiam ; merito colligimus, quod illam causant physice instrumentaliter. Est itaque illud argumentum optimum juxta qualitatem materiæ, cui applicatur. Cæterum sacrificium non concurrit in genere causæ efficientis ; sed per modum oblationis, vel rei oblatæ. Unde ipsa major proprietas concursus illius exposcit, ut non influat physice, sed moraliter, vel impetrando, vel solvendo debitum ut explicuimus. Ad secundum negamus antecedens : oppositum enim statuimus tract. præced. disp. 10, dub. 2, num. 15, et ibidem num. 24, diruimus contraria ejusdem Auctoris motiva. Unde præsens argumentum in eum regerendum est.

Ad tertium respondetur passionem Christi, aut potius ejus humanitatem, dupliciter concurrere ad nostram salutem : uno modo per modum agentis instrumentalis, et sic influit physice : et alio modo per modum sacrificii, aut rei oblatæ, et sic concurrit moraliter, extinguendo scilicet debitum, ut significavit D. Thomas supra quæst. 49, art. 4, dicens passionem Christi esse D. Tho. causam nostræ reconciliationis ad Deum, « in quantum est sacrificium Deo acceptis- « simum : est enim hoc proprie sacrificii « effectus, ut per ipsum placetur Deus : « sicut homo offensam in se commissam « remittit propter aliquod obsequium ac- « ceptum, quod ei exhibetur. Unde dicitur « 1, Reg. 16 : Si Dominus incitat te adver- « sum te, odoretur sacrificium. » Quæ omnia satis constat pertinere ad influxum mere moralem, ut in reconciliatione inter homines contingit. Sed tamen idem S.

Doctor quæst. 48, art. 6, attribuit eidem passioni alium concursum non quidem per modum sacrificii, sed per modum efficientiæ, utique physicæ, ut liquet ex ejus verbis : « Duplex est, inquit, efficiens principale, et instrumentale. Efficiens quidem principale humanæ salutis est Deus. « Quia vero humanitas Christi est Divinitatis instrumentum, ut supra dictum « est : ex consequenti omnes actiones, et « passiones Christi instrumentaliter operantur in virtute divinitatis ad salutem « humanam. Et secundum hoc passio « Christi efficienter causat salutem humanam. » Quæ distinctio etiam habet locum in Eucharistia, quæ est repræsentatio passionis Christi : nam considerari potest in ratione sacramenti, et sic causat instrumentaliter physice gratiam in solis utentibus illa per realem sumptionem juxta doctrinam generaliter a nobis traditam tract. præced. disp. 4, dub. 4. Et considerari etiam potest in ratione sacrificii : quo pacto causat plures effectus non solum in sumentibus illam, sed in aliis, pro quibus offertur. Sed prædicto modo non est causa physica, sed moralis per modum impetrationis, solutionis, et obsequii, ut in ipsa passione Christi contigisse docet D. Thomas. Distinguendo itaque in prædicto sensu argumenti præmissas, negamus consequentiam intellectam de hoc sacrificio in ratione sacrificii.

Idem.

§ VI.

De intentione, sive applicatione ex parte sacerdotis ad prædictos effectus requisita.

94. Quod ad valorem hujus tam sacramenti, quam sacrificii requiratur aliqua intentio ex parte sacerdotis illud conficientis, et qualis esse debeat hujusmodi intentio; constat ex generali doctrina, quam circa ministrum sacramentorum tradidimus tract. præced. disp. 7, dub. 2. Sed ulterius hic statuendum est, quod cum hoc sacrificium habeat effectum non solum in sumente Eucharistiam, sed etiam causet in multis aliis plurimos effectus supra relatos; necessaria est intentio, sive applicatio sacerdotis, ut hoc sacrificium illis prosit. Idque probatur tum ex communi consensu Theologorum, quos refert, et sequitur N. Franciscus tract. 5, cap. 3, num. 22. Tum etiam ratione satis manifesta : nam sacerdos hoc sacrificium conficiens, et offerens est dispensator mysteriorum Dei, atque ex vi sua ordinationis accipit potestatem offerendi sacrificium, et subinde applicandi ejus fructum : ergo quod fructus hujus sacrificii huic, aut illis in particulari prosit, pendet ex intentione sacerdotis tale sacrificium ad hunc effectum referentis : atque ideo illi in particulari prodest, cui per sacerdotem in particulari applicatur : si vero sacerdos nemini in particulari illud applicet, nemini in particulari proficiet.

Ut hoc sacrificium prosit aliis requiritur intentio ministri sacrificantis.

Ratio.

Confirmatur :quia licet istud sacrificium habeat de se valorem ad omnes effectus supra relatos ; nihilominus non est de se determinatum, ut istos, aut illos causet in hoc, vel alio subjecto ; sed se habet ad instar causæ universalis de se indifferentis in actu primo. Ergo oportet, quod hoc sacrificium ad causandum hunc, aut illum effectum in isto, aut illo subjecto determinetur. Non autem aliud aptius principium assignabitur ad ejusmodi determinationem, quam intentio, sive applicatio sacerdotis illud conficientis : oportet enim, quod ab eo habeat determinationem, a quo habet esse, et quod ab illo applicetur a quo proxime fit. Ergo intentio, sive applicatio sacerdotis necessaria est, ut hoc sacrificium prosit isti, aut illi particulari subjecto, ut in eo habeat hunc, aut alium particularem effectum. Sicut igitur sacrificium cruentum crucis, sive passio Christi licet habeat omnem sufficientiam ad nostram salutem, quia tamen comparatur per modum causæ universalis de se indifferentis, debet determinari per sacramenta, et alia media, ut effectum particularem efficaciter inducat : ita proportionabiliter dicendum est incruentum altaris sacrificium debere determinari applicatione, et intentione sacerdotis illud offerentis, ut huic, aut illi subjecto in ordine ad istum, vel illum effectum in particulari efficaciter proficiat.

Confirmatio.

95. Ex qua doctrina infertur primo, quod quamvis sacerdos agat contra obligationem justitiæ, et peccet mortaliter applicando hoc sacrificium, cui non debet, et non applicando, cui debet ratione v. g. capellaniæ, vel stipendii accepti ; nihilominus applicatio sacerdotis simpliciter tenet : et sacrificium illi ex opere operato prodest, cui sacerdos vult. Sic sentiunt communiter Doctores, quibus relatis subscribunt N. Franciscus

Corollarium.

N. Fran. Leand. Franciscus ubi supra n. 23, et Leander tract. 8, disp. 3, quæst. 17. Fundamentum est, quod applicatio sacrificii est actus potestatis ordinis, et libere procedit a sacerdote: ergo ex priori radice nequit impediri per causas extrinsecas, vel accidentales, ut est pactum ; et ex secunda radice fit juxta placitum sacerdotis, illique subditur in causando effectus. Quod motivum magis confirmabitur ex dicendis numero sequenti.

Sententia Scoti et Gabriel. Oppositum hujus consectarii docuerunt Scotus quodlib. 20, § *De secundo*, et Gabriel in canonem Missæ lect. 26, littera P. Moventur : quia sacerdos in applicatione Motivum hujus sacrificii non potest mutare intentionem, quam habere tenetur ex debito justitiæ : ergo si talem intentionem mutet, nihil aget, nec proderit ei, pro quo applicat. Suadetur antecedens : nam sacerdos agit in hoc sacrificio ut minister Christi : sed voluntas Christi est, ut sacerdos habeat intentionem, ad quam ex debite justitiæ obligatur : ergo sacerdos in applicando istud sacrificium nequit mutare prædictam intentionem.

Corruit. Sed argumentum debile est, et quod similiter applicari sub eadem fere forma potest valori sacramenti, et sacrificii. Nam sacerdos hæc agit ut minister Christi, atque ideo agere debet juxta ejus voluntatem : Christus autem vult, ne sacerdos conficiat sacramentum, et sacrificium in statu peccati mortalis : ergo sacerdos celebrans in tali statu non conficit verum sacramentum et sacrificium. Ecce idem argumentum. Sed consequens est contra fidem, manifestatque proinde fallaciam, et debilitatem discursus. Quare dicendum est, quod sicut in hoc casu distinguendæ sunt duæ voluntates in Christo : alia, ut sacerdos agens secundum potestatem ordinis valide agat : et alia, ne peccet agendo in statu peccati mortalis : unde sacerdos in tali statu celebrans agit valide conformiter ad primam voluntatem Christi, cujus est minister ; et simul agit illicite contra voluntatem Christi volentis, ut sancta sancte tractet. Sic etiam in nostro casu distinguere opertet : unde applicatio sacrificii est valida, quia fit juxta potestatem ordinis ; et simul est peccaminosa, quia fit contra debitum justitiæ. Distinguendum est itaque antecedens, et concedi debet, quod sacerdos non possit licite mutare intentionem ; sed negandum est, quod non possit valide : et deinde negatur absolute consequentia. Antecedentis autem probatio non amplius evincit : quia sacerdos agit ut minister Christi in eo, quod utitur potestate ordinis : non autem in eo, quod peccat in ejus usu. Quæ doctrina, et ejus fundamentum desumuntur ex D. Thoma in quæst. præced. art. 7, ad 3, ubi ait : D. Thom. « Sacerdos in consecratione sacramenti « loquitur in persona Christi, cujus vicem « in hoc gerit per ordinis potestatem. Et « ideo si sacerdos ab unitate Ecclesiæ præ- « cisus Missam celebret, quia potestatem « ordinis non amittit, consecrat verum « corpus, et sanguinem Christi. Sed quia « est ab unitate Ecclesiæ præcisus, orationes « (*nempe communes, et Ecclesiæ*) efficaciam « non habent. »

96. Colligitur secundo ex eadem doctrina idem dicendum esse quamvis sacerdos applicans sit regularis, et agat contra præceptum prælati, quo tenebatur pro alio applicare ; quin licet agat contra voluntatem superioris intendentis irritare contrarias talis subditi applicationes : tenet namque applicatio subditi pro alio facta, licet illicita sit. Hæc est communis, aut certe longe communior Doctorum sententia. Petrus de Ledesma cap. 18, *de Eucharistia*, concl. 18, et Huertos quæst. 6, conclus. 1, dicunt esse Theologorum communem. Lugo disp. 19, sect. 10, dicit esse omnium fere Recentiorum, Garzia tract. 3, difficult. 3, dub. 5, punct. 2, viginti Auctores pro illa refert. Quibus omnibus subscribunt Prado dub. 10, num. 23, et N. Franciscus cap. 3, num. 25. Secundum corollarium. Ledesm. Huertos. Lugo. Garzia. Prado. D. Fran. Probatur ratione : quia applicatio fructus hujus sacrificii est actus potestatis ordinis : unde sacerdoti, cum ordinatur, dicitur : *Accipe potestatem offerendi sacrificia Deo, et missas celebrandi pro vivis, et defunctis :* Ratio. sed hujusmodi potestatis actus non dependet ab alio, quam ab eo, qui habet talem potestatem : ergo tenet juxta ejus intentionem, et applicationem : atque ideo licet subditus agat contra intentionem, et præceptum prælati, et ita agendo peccet; nihilominus applicatio a subdito facta valida est.

Confirmatur : nam quamvis subditus agat contra intentionem, et præceptum Confirmatio. prælati in consecrando, vel in baptizando, vel in absolvendo; tamen omnes istæ actiones sunt simpliciter validæ: et ideo validæ sunt, quia sunt actus potestatis ordinis, se-

cundum quam subditus non subjicitur prælato, sed soli Christo, cujus est minister. Sed etiam applicatio fructus sacrificii est actus potestatis ordinis. Ergo licet subditus peccet applicando contra intentionem, et præceptum prælati : nihilominus applicatio simpliciter tenet, et prodest illi, cui per subditum celebrantem fit. Videatur D. Thomas loco supra cit. art. 8, ad 2, ubi ait : « Episcopus non dat potestatem sacerdotalis ordinis propria virtute, sed instrumentaliter, sicut minister Dei, cujus effectus per hominem tolli non potest, secundum illud Matth. 19 : Quod Deus conjunxit, homo non separet. Et ideo Episcopus non potest hanc potestatem auferre etc.» Idque a fortiori de prælato regulari dicendum est, qui sicut non dat potestatem ordinis, sic nec illam auferre potest, nec impedire valorem actus applicationis eidem potestati correspondentis. Præsertim cum prælatus regularis possit esse non sacerdos, et nunquam sit immediatus minister, aut dispensator sacrificii a subdito facti, et oblati. Hujus itaque applicatio non in prælatum ; sed in subditum, vel agentem juxta ejus intentionem, vel agentem contra ejus mandatum, debet immediate revocari, atque tenere.

D. Tho

Opinio diversa.

97. Contrariam nihilominus sententiam ultra Scotum, et Gabrielem supra relatos amplectuntur Corduba lib. 1, q. 3, notab. 5, Rodriguez p. 1, cap. 251, n. 1, Barbosa *de offic. et potest. Episc.* alleg. 24, Gavantus in rubricis p. 3, tit. 12, Marchinus tract. 3, par. 2, cap. 33, Leand. disp, 3, q. 18, et alii. Idque ex relatis maxime tuentur aliqui in casu, quo prælatus regularis non solum prohiberet contrarias subditi applicationes, sed illas aliter factas irritas redderet, et declararet : tunc enim sentiunt subditum non solum illicite, sed etiam invalide agere applicando contra intentionem prælati. Quod probant primo argumento proposito n. 95, quod sacerdos agit, et offert hoc sacrificium ut minister Christi : qui præcipit, ut subditi obediant prælatis. Sed hoc tantum probat subditum peccare agendo contra voluntatem prælati, non tamen applicationem esse invalidam, ut ibidem declaravimus. Et argumentum retorqueri valet : nam Christus, qui voluit subditos obedire prælatis, noluit potestatem ordinis prælatis subdi quantum ad valorem actuum eidem correspondentium.

Cordub. Rodrig. Barbosa. Gabant. Marchin. Leand.

Inefficax argumentum.

Alia argumenta

Probatur secundo, quia regularis non habet velle, vel nolle, ut dicitur in cap. 2, *de testam.* in 6, atque ideo sequitur in omnibus voluntatem prælati : ergo isto applicante pro uno sacrificium subditi, nequit hic pro alio valide illud applicare. Tertio, quia superior habet potestantem irritandi vota, et juramenta subditorum : ergo pariter potest irritare alias ejus voluntates, atque ideo, et applicationem Missæ : ergo prælato ita se gerente, tenet prælati applicatio, et invalida redditur contraria applicatio subditi. Quarto, et ultimo, quia in Ecclesia datur potestas, ut aliquos inhabiles faciat in ordine ad aliquos actus, utputa ad solemnem professionem, ad matrimonium etc. ergo pariter datur potestas, ut religiosos inhabiles reddat ad actum applicandi Missam, nisi juxta intentionem prælati : atque ideo ubi superiores ista potestate utuntur, applicatio Missæ per subditum celebrantem facta contra voluntatem prælati erit nulla, irrita, et invalida : sicut exemplo matrimonii, et professionis declarari valet.

Convelluntur.

Sed nec ista urgent. Nam ad secundum respondetur antecedens solum verificari in his, in quibus religiosus subditur prælato, cujusmodi non est potestas ordinis ad faciendum, et applicandum sacrificium Missæ ut supra diximus. Unde sicut contra voluntatem prælati potest velle sacrificare, et sacrificatio tenet : ita contra voluntatem prælati potest applicare sacrificium, et applicatio absolute valet. Addimus, quod vel in aliis illud argumentum solum probat subditum peccare agendo contra voluntatem prælati : non autem, quod actus subditi ita facti sint in universum invalidi : nam ut dicitur in cap. *Ad Apostolicam, de Regularibus:* « Multa fieri probibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent firmitatem. » Et sic contingit in hac materia. Ad tertium concesso antecedenti negamus utramque consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod subditus in actionibus personalibus, ut sunt vota, et juramenta, subditur prælato : qui proinde potest omnia ejusmodi irritare. Sed subditus in potestate ordinis, et in actibus eidem correspondentibus, quos exercet ut minister Christi, non subjicitur prælato, nec illo minor, aut inferior est. Quare sicut ob hanc rationem prælatus non potest irritare vel cassam facere consecrationem sacrificii

factam

factam a subdito, ita nec ejusdem sacrificii applicationem. Ad quartum, et ultimum patet ex immediate dictis, quod illa Ecclesiæ potestas est in ordine ad actus hominum personales ; secus autem ad actus ordinis quos sacerdos exercet ut Christi minister. Unde Ecclesia nulla via efficere potest, ne consecratio facta a sacerdote rite ordinato sit valida, quamvis talis sacerdos sit excommunicatus, et ab Ecclesia præcisus ut nu. præced. vidimus ex D. Thoma. Et eadem ratio est de valida applicatione sacrificii. Addimus, quod gratis permisso esse in Ecclesia potestatem inhabilitandi subditos ad omnes Missarum applicationes factas contra prælatorum voluntatem : tamen hæc potestas non convenit superioribus secundum ordinariam jurisdictionem, quam habent : nec constat ullo ex capite, quod illis ab Ecclesia commissa fuerit. Unde non est ratio, ut vel ob istud motivum putemus esse invalidas applicationes Missarum factas a subditis contra prælatorum intentionem, et voluntatem.

Quando sacerdos debeat habere intentionem applicandi sacrificium?

98. Solent autem circa hanc sacerdotis intentionem, sive applicationem, quam ut sacrificium alicui prosit, diximus necessariam, aliqua inquiri. Primum, quando sacerdos debeat habere hujusmodi intentionem? Ad quod Suarez, Coninckus, Dicastillo, et alii, quos refert, et sequitur N. Franciscus ubi supra n. 28 respondent debere talem intentionem habere ante consecrationem, vel in ipsa consecratione : quia in ista consistit, et perficitur sacrificium : unde ea transacta jam non est in potestate sacerdotis illud applicare. Sed legitima hujus quæstionis decisio constat ex supra dictis dub. 2, et præsertim n. 35, ubi diximus sufficere, vel si intentio, aut applicatio fiat post consecrationem, et ante sumptionem specierum. Et fundamentum desumitur a contrario motivo, quod sacrificii Missæ essentia non consistit in sola consecratione, sed complectitur sumptionem specierum, atque in ipsa consummatur, ut eo loco ostendimus ex professo.

An possit intentionem referre ad tempus futurum.

99. Secundum dubium est an sacerdos possit suam intentionem, sive applicationem suspendere de præsenti, et referre ad tempus futurum, ut si statuat : Applico hoc sacrificium illi, quem Petrus postea interrogandus assignabit; vel ei, qui mihi stipendium proxime offerat; vel illi, quem Deus scit ex hac vita primo decessurum.

Opinio. Henriq. Navarra. Aragon. Moure. Vega.

Affirmarunt olim non pauci, Henriquez lib. 9, cap. 21, § 2, pro eadem sententia referens plures Theologos, et Jurisperitos hujus florentissimæ Universitatis Petrus Navarra lib. 2, de restitut. cap. 2, quæst. 9, Aragon 2, 2, quæst. 85, art. 4, Moure in examine *Theologiæ moral.* part. 5, cap. 5, § 9, interrogatione 5, Vega lib. 1 *praxis fori pœnitentiæ*, casu 170, et alii, quos refert Prado in præs. dub. 1, § 6. Et probatur primo, quia in hoc casu datur virtualis conventio utilis illi, qui v. g. dabit crastina die stipendium Missæ prius celebratæ pro eo, quem Deus noverat cras daturum : ergo non est ratio, quare applicatio Missæ nequeat fieri prædicto modo. Secundo, quia hic modus applicationis est quædam anticipata solutio debiti, quæ magis commendari debet, ut in aliis debitis, et solutionibus constat. Tertio, quia licet sit futurum contingens, quod Petrus cras dabit, aut non dabit stipendium ; nihilominus Deum hoc scire jam est præsens, et necessarium : atque ideo intentio applicandi pro eo, quem Deus scit cras daturum, jam reperit de præsenti subjectum, cui fructus prosit : et consequenter talis modus applicandi validus est. Ad quam sententiam ex parte accedunt, qui illam admittunt in casu, in quo sacerdos applicat pro illa anima patiente in Purgatorio, pro qua Deus scit aliquem primo collaturum stipendium sacerdoti : quia talis anima est de præsenti subjectum capax, et indigens. Quod non ita contingeret, ubi applicatio fieret pro vivo daturo postea stipendium : nam accidere potest, quod de præsenti non sit dispositus, vel non indigeat. Et ita sentiunt Vazquez disp. 234, cap. 3, Gaspar Hurtado, Meratius, Aversa, et alii, quos sequitur Discastillo tract. 5, disp. 4, dub. 20.

Argumenta.

Similis opinio

Vazquez. Hurtado Discast

Resolutio quantum ad speculationem.

In hac tamen difficultate distinguere oportet inter speculationem, et praxim. Et quod ad speculationem attinet, censemus probabile non esse, quod sacerdos valeat suspendere fructum sacrificii in hoc sensu, quod de præsenti non prosit, sed solum in tempore futuro, aut dependenter a conditione futura, ad quæ intentione sacerdotis determinetur. Et ita etiam censent communiter Doctores, quos refert, et sequitur N. Franciscus tract. 5, cap. 3, puncto 3, num. 29. Et ratio est : quia sicut non est in manu ministrorum perficientium alia sacramenta suspendere eorum effectus :

influunt enim sacramenta, ubi fiunt, ad instar causarum naturalium, nempe quantum possunt : ita etiam non est in manu sacerdotis perficientis hoc sacrificium suspendere ejus fructum provenientem ex opere operato. Et ex opposito fieret sacerdotem celebrantem in peccato mortali posse suspendere fructum satisfactionis sibi correspondentem pro tempore, quo postea erit in gratia : quod est absurdum.

Quare difficultas revocanda est ad sensum in argumentis supra factis insinuatum, nempe ad aliquid, quod licet respectu nostri, et mensuræ temporis sit contingens, aut futurum ; tamen respectu Dei sit præsens, et ex suppositione necessarium, ut si sacerdos applicet pro ejus indigentia, vel intentione, quem Deus scit primo daturum stipendium : in quo casu videtur dari subjectum certum de præsenti, cui fructus sacrificii de præsenti prosit, maxime si applicatio fiat pro anima Purgatorii, ut sententia ultimo loco proposita se declarat.

Continuatio resolutionis.

Sed unam, et alteram, quocumque modo explicetur, censemus etiam speculative loquendo falsam, ut et sentiunt N. Lezana, Lugo, Castro Palao, et alii, quos refert, et sequitur Prado ubi supra. Et probatur tum quia offerre Missam pro dante stipendium est offerre pro cooperante, et quasi adjuvante sacerdotem ad sacrificii celebrationem : qui autem postea offert, aut dat stipendium nulla ratione dici potest, quod cooperetur, et adjuvet ad sacrificium; siquidem supponit illud jam peractum. Tum etiam, quia si sacerdos posset applicare de præsenti sacrificium pro eo, quem Deus scit daturum postea stipendium, eo quod talis conditio est Deo præsens; simili ratione posset offerre Missam pro his, qui non sunt nati, vel non sunt Christiani; si Deus de præsenti sciat, quod postea petent Missam, et offerent stipendium. Id vero est adeo monstruosum, ut suam falsitatem liquido manifestet. Tum denique quia certum est tales ministrorum intentiones in aliis sacramentis, et eorum effectibus esse nullas, quamvis conditio futura, sub qua procedunt, sit Deo præsens, ut si quis intendat baptizare Joannem, si ejus parentes postea approbent, et consentiant, aut si Deus sciat eos consensuros. Quod satis declarat hos effectus vel sacramentorum, vel sacrificii non communicari a Deo juxta præscientiam, et æternitatem suam, sed conformiter ad præsentem hominum intentionem, et dispositionem, quam habent secundum suæ propriæ durationis mensuram.

Resolutio quantum ad praxim.

100. Quantum vero ad praxim pertinet, rejiciendæ omnino sunt prædictæ sententiæ tanquam improbabiles, et impraticabiles post decretum Sacræ Congregationis Concilii sub Paulo V transmissum ad Cardinalem de Guevara, Archiepiscopum Hispalensem, quod transcribimus. « Superioribus diebus significatum fuit SS. D. N. « paucis ab hinc annis in Hispania novam « consuetudinem, recentiorum aliquorum « Theologorum opinioni innixam, sensim « receptam, in dies magis invaluisse, ut « sacerdotes Missam celebrantes ejus valorem generalem applicent his, qui postea « Missæ celebrationem postulaturi, ac pro « ea eleemosynam præbituri sunt : tametsi antequam Missæ sacrificium perageretur, neque a sacerdote illud rogassent, « nec ei hac de causa eleemosynam præstitissent. Quam rem cum sanctitas sua « ad sacram Congregationem Cardinalium « Concilii Tridentini Interpretum pro materiæ gravitate examinandam rejecisset: « in ipsa Congregatione primo de ea actum « est diligentissime, et deinde relatum ad « sanctitatem suam : quæ ex hujusmodi « Congregationis sententia hujusmodi consuetudinem tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis, et « offensionibus obnoxiam, atque a vetusto « Ecclesiæ more aberrantem explosit, atque « improbavit, atque Amplitudini tuæ litteras dari (quod facimus), mandavit : ut « omnibus illius Regni Archiepiscopis, « atque Episcopis, in quorum Diœcesibus « hujusmodi applicatio in usum introducta « fuerit, per litteras, aut alias scripto « injungat, ut talem usum aboleant, et « prohibeant, excommunicationis, aut aliis, « quas opportunas, et necessarias existimaverint, pœnis. Idemque præcipiat « Generalibus, et Capitulis Ordinum, quos « in istis regnis nunc noverit commorari: « ut scilicet et ipsi regularibus sibi subditis tales applicationes, eisdem pœnis « propositis, interdicant. Quæ omnia pro « sua pietate, et SS. D. N. jussu, obsequendi « studio Amplitudinem tuam sedulo effecturam sperantes, omnipotentem Deum « rogamus, ut eam quotidie cœlestis gratiæ « suæ donis velit augere. Romæ 15 novemb. 1605. » Quamvis autem Pellizarius

Pellizar.

rius in Manuali Regul. tract. 5, cap. 9, sect. 3, et quidam alii de auctoritate hujus Decreti dubitaverint; nihilominus certissimum est eam authenticam esse. Tum quia communiter Doctores, præsertim Hispani, mentionem faciunt prædicti decreti tanquam legitimi, et indubitanter recepti, ut videri potest apud Barbosam *de potest. Episc.* allegat. 24, num. 12, Thomam Hurtado tom. 1, tract. 2, cap. 4, resolut. 14, Leandrum tract. 8, disp. 4, quæst. 19, qui alios referunt. Tum quia Inquisitio Generalis Hispaniæ in Catalogo expurgatorio præcepit deleri verba Antonii de Moure docentis licitum esse offerri Missas anticipata intentione. Semotis autem illo Decreto, legitimaque ejus auctoritate, quamvis ea Mouræ, et aliorum sententia esset falsa, ut supra vidimus; nihilominus non erat adeo falsa, vel absurda, ut mereretur S. Inquisitionis censuram. Attendit itaque Inquisitio ad Congregationis Decretum, cui edito, et recepto illius Auctoris resolutio opponebatur.

Barbosa. Hurtado. Leand.

Solvuntur argumenta. Motiva autem contrariæ sententiæ possent ad summum evincere aliquam probabilitatem speculativam, quam nonnulli illi deferunt: sed nequeunt fundare probabilitatem practicam, quæ ad usum licitum reduci valeat: habet enim contra se illud Decretum talem usum interdicens. Sed nec tali sententiæ deferenda est probabilitas speculativa, ut satis probant, quæ illi supra opposuimus. Et insuper refellitur: quia Sacra Congregatio prohibuit usum talis sententiæ, quia est *pluribus nominibus periculosa*: ergo est non solum illicita in usu, quia prohibita, sed est etiam in se falsa, et improbabilis: quod enim veram probabilitatem habet, nequit dici tot titulis periculosum. Und ad primum negatur antecedens: alias sacerdos posset petere ex justitia stipendium ab illo, qui ipsum voluntarie offert; siquidem daretur interpretativa apud eos conventio: quod tamen est implicatorium; siquidem offerens pro sua voluntate stipendium non debet illud ex justitia, ut ex terminis liquet. Præterquam quod anticipata illa applicatio nequit dici grata postea offerenti: hic namque vult oblatione stipendii movere sacerdotem ad sacrificandum pro se, et hoc modo adjuvare ad sacrificium, participareque isto modo fructum ejus: quæ tamen locum non habent, ubi sacrificium supponitur perfectum, et antecedenter applicatum. Ad secundum negamus etiam antecedens, et suppositum illius: quia vere non solvitur, nisi quod alicui debetur: nam si illi, cui nihil debemus, aliquid conferamus, magis videmur donare, quam solvere: impossibile quippe est dari verum debitum, et perinde veram ex justitia solutionem, aut satisfactionem, nisi detur actu verus creditor habens jus justitiæ ad illam exigendam: sunt enim ista correlativa, ut ex professo ostendimus tract. 21, disp. 7, dub. 4, num. 119. Quare cum in tempore, in quo sacerdos anticipate offert, et applicat pro eo, qui postea oblaturus sit stipendium, nullus detur creditor, sive habens jus ad talem applicationem: fit applicationem hujusmodi minime esse posse veram solutionem. Ad tertium negamus utramque consequentiam: quia in his actibus humanis conditionatis non est attendendum pro eorum valore, quid sit præsens respectu Dei, sed quid sit præsens, aut futurum respectu nostri: multa enim sunt absoluta quoad Deum, quæ tamen habent esse futura conditionata quoad nos. Unde sicut matrimonium celebratum sub conditione, quam Deus videt absolute implendam, atque ideo habet præsentem, non est simpliciter validum, et absolutum in se ante impletam conditionem quoad homines, sive respectu propriæ mensuræ: et idem contingit in aliis sacramentis: sic etiam de applicatione fructus hujus sacrificii ex opere operato (in quo assimilatur sacramentorum effectibus), dicendum est. Et hinc etiam patet ad id, quod addebat secunda sententia primam limitans, et temperans.

101. Porro ex præmissa resolutione, a contrario sensu infertur fructum hujus sacrificii valide applicari posse sub conditione de præterito, aut de præsenti: quia fieri valet, ut talis conditio sit impleta: in quo casu applicatio conditionata transit in absolutam, sicut exemplo effectuum sacramentorum sub similibus conditionibus applicatorum facile explicari valet, et cum aliis observat N. Franciscus loco cit. num. 31. Corollarium.

Colligitur secundo sacerdotem, qui ex obligatione alicujus Capellaniæ tenetur Missas certis diebus celebrare, et applicare, posse licite prævenire istos dies anticipate celebrando, et applicando. Quia in hoc casu applicatio non suspenditur ad futurum eventum: et aliunde nihil fit in dam- Aliud.

num tertii, aut contra voluntatem testatoris : quin potius ea supposita commendari debet anticipata illius debiti solutio, ut fundatori, et aliis jus habentibus magis proficua. Et ita per se loquendo contingit, et observant Auctores, quos refert, et sequitur Noster Franciscus ubi supra num. 30.

Limitatio. Limitari autem debet resolutio, si fundator assignavit determinatos mensis, aut hebdomadæ dies ob rationabilem causam v. g. sabbatum propter reverentiam B. Virginis : tunc enim oblatio, et applicatio sacrificii fieri debet in his determinate diebus juxta voluntatem fundatoris, cui ex conventione se accommodare tenetur sacerdos. Sed raro in hac variatione peccatum mortale continget, quia materia communiter loquendo est de se levis ; præsertim ubi omissio celebrandi in illis determinatis diebus non est frequentissima, ut cum aliis observat Prado dub. 13, num. 66.

Quem fructum sacerdos applicet ei, pro quo celebrat? 102. Tertium dubium est, quem Missæ fructum debeat sacerdos applicare illi, pro quo celebrare debet vel ex justitia ratione stipendii, vel ex promissione acceptata, vel ex alio titulo ? Pro quo omnes communiter notant alium esse fructum ex opere operantis, aliumque ex opere operato : quod satis constat ex supra dictis. Rursus fructum ex opere operato dividunt in generalissimum, qui videlicet prodest omnibus existentibus in gratia : nam omnes propter communionem Sanctorum habent aliquam participationem in quibusvis bonis operibus a quocumque factis. Alius est specialissimus, qui singulariter prodest ipsi celebranti tanquam effectus operis ab eo procedentis. Alius denique appellatur medius, qui per intentionem sacrificantis huic, aut illi in particulari applicatur.

Opiniones. Sunt igitur, qui sentiunt sacerdotem debere applicare pro sibi dante stipendium, non tantum sacrificium quoad fructum medium, sed etiam orationes Ecclesiæ ; et illarum impetrationem : nam qui stipendium dat, videtur sibi velle non solum primum illud, sed etiam hoc posterius. Ita Vazquez disp. 131, cap. 6, et indicaverat Suarez disp. 86, sect. 1. (Vazquez Suarez.) Sunt etiam, qui putant sacerdotem debere applicare pro sibi dante stipendium fructum, aut effectum non tantum ex opere operato, sed etiam ex opere operantis : quoniam dantes stipendium curant (et quidem rationabiliter) Missas celebrari per sacerdotes optimæ vitæ : quæ diligentia vana foret, si isti non deberent applicare fructum ex opere operantis. Ita Martinus de Ledesma 2 p. Quarti, quæst, 16, art. 14, et alii, cum quibus sentire videtur Diana 5 p. tract. 14, resolut. 80. (Martin. Ledesm. Diana. Honcala.) Ex quo principio collegit Honcala art. 10, *de valore Missæ*, sacerdotem celebrantem in peccato mortali non satisfacere præmissæ obligationi adæquate, sive quantum ad debitum fructum ex opere operantis; atque ideo debere compensare per alia bona opera in hunc finem directa.

Vera sententia. Communis tamen, et vera sententia docet sacerdotem in præmissa obligationis applicandi suppositione, facere satis, si applicet fructum medium hujus sacrificii ex opere operato ; quamvis non applicet fructum ex opere operantis, nec fructum, et impetrationem orationum Ecclesiæ. Sic sentiunt Nugnus in præsenti, dub. 8, de effectibus sacrificii. Petrus de Ledesma cap. 18, concl. 5, Serra dub. 4, § *Si hinc inferas*, Prado dub. 10, num, 37, Suarez disp. 79, sect. 8, § *Tertia differentia*, Aragon. 2, 2, quæst. 85, art. 3, § *Ad tertiam difficultatem*, Lugo, Coninckus, Granados, Gaspar Hurtado, Bonacina, Trullench, et plures alii apud istos. (Nugnus. Ledesm. Serra. Prado. Suarez. Aragon. Lugo.)

Fundamentum. Probatur : nam sacerdos celebrans in statu peccati mortalis aut etiam excommunicationis. et applicans sacrificium pro illo, cui debet, peccat quidem contra religionem ; sed non peccat contra justitiam, ut est communis sententia : ergo obligationi ex justitia satisfacit applicando fructum medium, licet non applicet fructum ex opere operantis, nec fructum, aut impetrationem ex orationibus Ecclesiæ. Patet consequentia : quia celebrans in peccato mortali nullum habet ex opere operantis fructum, quem applicet. Et similiter excommunicatus, aut præcisus ab Ecclesia non agit ejus nomine, atque ideo non offert ejus orationes, nec valet impetrationem eis respondentem applicare.

Confirmatur. Confirmatur, et declaratur : quia sacerdos suæ obligationi satisfacit applicando illud, quod Deus ex hoc sacrificio pro aliis applicandum instituit : hoc autem non est bonum proprium ipsius operantis, aut celebrantis, nec sunt orationes Ecclesiæ ; quippe hæc omnia accidunt sacrificio: sed est fructus ille medius ex opere operato : hunc igitur, et non alium debet sacerdos ex justitia applicare pro eo, a quo stipendium accepit. Præsertim cum vel hac

sola

sola applicatione possit sacrificium in ratione sacrificii esse alteri perfecte, et adæquate applicatum. Unde evertuntur motiva insinuata pro contrariis opinionibus : nam dans stipendium, ut sacerdos pro eo celebret, intelligitur petere, quod prudenter petere potest ; et plus petens imprudenter ageret, nec hac via posset ad amplius obligare sacerdotem. Unde ex accepto stipendio, quacumque intentione detur, non obligatur sacerdos applicare nisi fructum medium ex opere operato. Consulendum tamen est illi, ne opinionibus, et scrupulis implicetur, ut omnia in divinam dispositionem referat, et intendat suis obligationibus occurrere meliori modo, et majori extensione, quibus valet : sic enim re ipsa suo muneri præcisis dubitationibus satisfaciet, sicut sapienter jam olim monebat Gerson in opusc. *de solicitudine Ecclesiasticorum*, part. 34.

Dissolvuntur opposita.

DUBIUM VI.

Utrum valor sacrificii Missæ sit infinitus ?

Quanta sit hujus sacrificii dignitas, non obscure constat ex pluribus capitibus, quæ in hac disputatione assignavimus. Si enim ad rem oblatam attendamus, est ipse Christus Dominus Deus, et homo, ut ostendimus dub. 1. Si ad sacerdotem principaliter offerentem, etiam est idem Christus, ut vidimus dub. 3. Si ad subjecta, pro quibus offertur, innumera plane sunt et in hac vita, et in alia, ut expendimus dub. 4. Denique si ad effectus, quos causat, plures profecto, et nobilissimi sunt, ut dub. præced. explicuimus. Quare si ad hæc omnia attendamus, non possumus non in hoc sacrificio recognoscere eminentem quendam valorem, qui ex illis fontibus derivetur, et fructus tam uberes gignat. Sed difficultas est, an tantus sit, ut infinitus merito dici queat. Pro cujus decisione oportet aliqua præmittere : inde enim fiet, ut suppositis facilioribus, et rejectis extraneis, accingamur ad speciale punctum, circa quod gravis controversia occurrit.

§ I.

Quæ sint præsupponenda in hoc dubio ?

103. Primo loco observandum est valorem cujusvis operis in ordine ad aliquem effectum posse considerari dupliciter, videlicet vel quantum ad sufficientiam, et in actu primo ; vel quantum ad efficaciam, sive in actu secundo. Et prius illud consistit in æstimabilitate, quam habet opus in se, ut possit effectum inducere : posterius vero supra talem virtutem addit actualem, et exercitam causalitatem, quæ effectum inducit : ad quod præter operis dignitatem communiter requiritur aliquod pactum, sive conventio, juxta quæ virtus, sive sufficientia in actu primo reducatur ad actum secundum. Unde contingit opus habens æstimabilitatem, et condignitatem in actu primo ad aliquid causandum per viam meriti, aut satisfactionis, non illud semper inducere efficaciter in actu secundo, ob defectum scilicet ordinationis, aut pacti. Sic enim, ut alia exempla omittamus, opera Christi Domini habuerunt infinitum valorem, et sufficientem in actu primo ad causandum tam per modum meriti, quam per modum satisfactionis omnium hominum salutem : et tamen id non causavit efficaciter, et in actu secundo, ut constat ex late dictis tract. 21, disp. 1, dub. 6, et disp. 18, dub. 1. Sed tamen ad operis commendationem primum illud sufficit ; siquidem fundatur in operis æstimabilitate, quam habet : et non requiritur secundum ; cum prius supponat, sitque illi accidentale, et possit ex aliis capitibus impediri, præsertim vero ex defectu ordinationis, ut in operibus Christi liquet. Cum igitur in præsenti inquirimus, an valor sacrificii Missæ sit infinitus, quæstio in priori sensu accipienda est, nempe quantum ad æstimabilitatem, et sufficientiam in actu primo : hinc enim constabit ejus dignitas. Unde facile cum communi omnium sententia supponimus tale sacrificium non esse infinitum quantum ad efficaciam, sive in effectu, et ex parte fructus, qui a fidelibus percipitur. Quod breviter ostenditur : tum quia nec cruentum crucis sacrificium fuit in isto sensu valoris infiniti, quippe quod re ipsa causavit determinatum effectum : ergo idem a fortiori dici debet de incruento Missæ sacrificio, quod illius est

Valor in actu primo, et in actu secundo.

Hujus sacrificii valor non est infinitus in actu secundo sive quoad efficaciam.

commemoratio. Tum etiam quia sicut in naturalibus causæ universales agunt juxta dispositionem subjecti, unde sæpe contingit earum effectum limitari : sic etiam sacrificium crucis, et Missæ non influit in suo genere nisi juxta mensuram dispositionis eorum, quibus applicatur : quæ dispositio semper est finita, atque ideo impedit, ne prædictum sacrificium sit infinitum quantum ad efficaciam, et in effectu, ut optime vidit Div. Thomas supra quæst. 79, art. 5, in corp. et ad 3, cujus verba numero 13 referemus.

D. Tho.

Infinitas quoad sufficientiam et in actu primo.

104. Exclusa ergo infinitate valoris hujus sacrificii quantum ad efficaciam, sive effectum in actu secundo, videndum est, utrum illam habeat quantum ad æstimabilitatem, et sufficientiam in actu primo. Pro quo ulterius supponendum est infinitum illud dici, quod in sua linea caret terminis, sive in quo nihil sit assignabile, ultra quod aliud, et aliud sine ulla determinatione assignari non possit, ut in perfectione Dei satis liquet. Potest autem aliquid esse infinitum physice, sive in prædicatis ad entitatem pertinentibus : quo pacto solus Deus est infinitus : quidquid enim creatum est, sicut in essentia habet limitationem, sic etiam illam habet in omnibus aliis prædicatis illam consequentibus, vel illi advenientibus, ut docent communiter Theologi, et Philosophi, et recte probant N. Complutenses abbrev. in lib. *Physic.* disp. 18, quæst. 2, cum sequent.

Infinitum physice.

N. Comp.

Infinitum moraliter.

Potest etiam aliquid esse infinitum moraliter. Et hoc dupliciter : nam moralitas dicitur vel per conformitatem ad regulas morum, vel per respectum ad prudens judicium. Et priori modo consistit in habitudine ad objecta ut consona, et dissona regulæ morum, nempe legi, dividiturque in bonitatem, et malitiam, et subinde in plures harum species : quo pacto licet moralitas non sit aliquid entitativum, sive physicum, et pertinens ad rerum naturas : est tamen aliquid reale nostris actibus inhærens, a quo intrinsece boni, vel mali dicuntur. Et talis moralitas solum in Deo habet infinitatem, cujus liberi actus sunt infinite boni bonitate morali. In actione autem creata secus contingit : nam (ut alias causas non referamus) cum moralitas hæc sit aliquis modus realis, et realiter receptus in entitate physica operationis creatæ, quæ finita est ; necessario per illam limitatur, et finitur : quare sicut nihil creatum est infinitum physice, ita nec est infinitum moraliter moralitate dicta per ordinem ad regulas morum. Loquendo autem de moralitate per respectum ad prudentem æstimationem non implicat aliquid creatum dici, et esse moraliter infinitum : quia licet omnia, ex quibus intrinsece constat, sint finita ; nihilominus vel ex omnibus capitibus, vel ex aliquo offert fundamentum sapientibus, ut infinite illud æstiment, recognoscantque nullum habere æstimabilitatis terminum, sed posse condigne appretiari in ordine ad plura, et plura bona sine fine. Quo modo operationes Christi Domini fuerunt valoris simpliciter infiniti : quia licet in entitate physica, et bonitate morali per ordinem ad regulas morum fuerint ejusdem rationis cum nostris, atque ideo simpliciter finitæ, sicut istæ : nihilominus quatenus procedebant a supposito divino se per illas subjiciente in humanitate assumpta, præstabant cuilibet prudenti fundamentum, ut illas infinite æstimaret. Et idem dicendum est de carne Christi, et de sacrificio crucis, et de aliis ad ipsum spectantibus. Unde quod satisfactio Christi, et sacrificium crucis fuerint infiniti simpliciter valoris moralis in præmisso sensu, est communis, ac vera Theologorum sententia, ut ostendimus loco supra citato. Quod plane in præsenti supponendum est : si namque valor satisfactionis Christi, et sacrificii crucis non fuit infinitus ; aditus præsenti dubio prorsus præcluditur. Qua enim ratione imaginari possumus sacrificium Missæ infinitum illum valorem habere, quem vel non habuit crucis sacrificium a Christo omnino immediate oblatum ? Procedit itaque præsens difficultas in præmissa suppositione, et investigat, an sacrificium Missæ sit infiniti valoris ; non quidem physice, vel moraliter per ordinem ad regulas morum (quod repugnare diximus), sed solum moraliter juxta æstimationem prudentum, ut de sacrificio Crucis, et aliis Christi operationibus communiter dicitur.

Per conformitatem ad regulas morum.

Secundum prudentem æstimationem.

Supponitur sacrificium crucis fuisse valoris moralis simpliciter infiniti secundum prudentem æstimationem.

105. Deinde observandum est, quod infinitum moraliter juxta prudentum æstimationem dividi ulterius potest in infinitum secundum quid, et infinitum simpliciter. Et primum dicitur, quod licet intrinsece, et in se finitum sit, secundum aliquam rationem utique extrinsecam crescere

Ulterior divisio infiniti moraliter.

cere non valet : quia v. g. habere nequit nobiliorem terminum, aut eminentius objectum. Quo pacto dignitas maternitatis in B. Virgine dicitur infinita ; quia non potuit terminari ad digniorem filium, quam Christum : et excellentia visionis beatificæ infinita appellatur ; quoniam habere non valet nobilius objectum, quam Deum in se : cæterum prædictæ perfectiones in se limitatæ sunt, et augmentum suscipere possunt, ut ex se constat. Infinitum autem simpliciter duobus adhuc modis dici valet : quia ly *simpliciter* potest sumi dupliciter. Nam *simpliciter* aliquando idem valet, ac omnibus modis sive ex omni capite : aliquando autem idem importat, ac absolute dictum : et plura dicuntur talia absolute, quæ talia non sunt omnibus modis, sive ex omni capite. Unde in priori sensu solus Deus est simpliciter infinitus infinitate etiam morali juxta prudentem æstimationem : quia hæc nihil reperit in Deo, quod infinite dignum non sit : unde merito censet ipsum esse infinitum simpliciter, id est, omnibus modis, et ex omni capite. Operationes autem Christi Domini dicuntur infinitæ moraliter juxta prudentem æstimationom in posteriori sensu : quoniam licet non fundent æstimabilitatem infinitam ex omni capite, aut secundum omnem rationem ; nihilominus aliquam rationem habent, secundum quam possunt prudenter æstimari infinite dignæ. Si enim attendamus ad entitatem prædictarum operationum, et ad principia proxima, ex quibus procedunt ; finitæ profecto perfectionis, et æstimabilitatis sunt : unde nequeunt dici infinitæ simpliciter, id est, omnibus modis. Cæterum attendendo ad suppositum divinum, unde procedebant, et quod in eis se subjiciebat ; fundamentum reperiemus immensum, ut illas æstimemus infinite dignas, et infinite Deo gratas, et acceptabiles in ordine ad quemcumque effectum : quocirca possunt, et debent dici infiniti valoris moralis simpliciter, id est, absolute. Quæ omnia fusius exposuimus, et confirmavimus loco cit. et illa utique sunt satis ex se perspicua.

Subdivisio.

Sacrificium Missæ est infiniti valoris, saltem infinitate

Hanc vero doctrinam præsenti materiæ applicando, facile reperiemus sacrificium Missæ posse dici infinitum, aut infiniti valoris, saltem infinitate secundum quid, et extrinseca. Tum quia in illo offertur Christus Dominus : quo nullo res melior, et Deo gratior offerri valet. Tum quia sacerdos offerens saltem remote, et quoad institutionem hoc sacrificium est ipse Christus : quo nemo sacerdotum potest excogitari dignior, et Deo magis acceptus. Unde sicut ob similia motiva maternitas in B. Virgine, et visio beatifica dicuntur infinitæ saltem extrinsece, et secundum quid ; sic etiam hoc sacrificium appellandum est infinitum, nempe ex parte rei oblatæ, et ex parte Christi summi sacerdotis illud offerentis. Nec hoc ullus Theologorum negat. Quare difficultas proposita ad rationem infiniti simpliciter, quæ reperiatur intrinsece in ipso sacrificio, sive oblatione, revocanda est, et in isto sensu procedit.

secundum quid.

Supponitur hoc sacrificium non esse infinitum simpliciter, hoc est, omnibus modis.

106. Atque in eodem sensu supponimus valorem sacrificii Missæ non esse infinitum simpliciter in priori acceptione, nempe omnibus modis, sive ex omni capite. Quoniam nec ipsum cruentum crucis sacrificium a Christo immediate oblatum fuit in hoc sensu valoris simpliciter infiniti : ergo multo minus hujusmodi infinitas incruento sacrificio altaris deferri potest. Et ratio utrique, et communis, et manifesta est : nam utrumque importavit actionem creatam, procedentem immediate a principiis omnino limitatis : ergo ab his capitibus desumpta, et secundum has rationes considerata non potuit fundare valorem moralem juxta prudentem æstimationem, qui fuerit, aut sit infinitus simpliciter, si ly *simpliciter* accipiatur pro omnibus modis; aut ex omni capite. Unde dubium ulterius trahendum est ad alium sensum, sumendo videlicet ly *simpliciter*, prout idem valet, ac *absolute* : sicut in præmissa acceptione operationes Christi Domini dicuntur habere valorem moralem simpliciter infinitum : hujusmodi namque infinitas ad summum, et non alia major potest sacrificio Missæ attribui, et in dubium revocari. Quod propterea deinceps in hac acceptione procedet. Cum autem, ut supra dub. 3 explicuimus, plures sint offerentes hoc sacrificium, nempe Christus Dominus, minister, sive sacerdos celebrans, et tota Ecclesia ; ulterius supponimus sacrificium hujusmodi non esse valoris simpliciter, sive absolute infiniti, vel ex parte ministri immediate sacrificantis, vel ex parte Ecclesiæ illud offerentis. Non quidem ex parte ministri : quia hujus sanctitas, et dignitas

Nec ex parte sacerdotis, aut Ecclesiæ

est absolute finita, et limitata : ergo non potest communicare sacrificio æstimabilitatem simpliciter, sive absolute infinitam, sed in gradu certo, et determinato : unde provenit, quod hoc sacrificium consideratum ex parte ministri possit esse magis, aut minus dignum, et gratum juxta majorem, aut minorem ejusdem sanctitatem, et devotionem. Nec etiam ex parte Ecclesiæ : nam licet hujus dignitas, et sanctitas sit longe major, quam cujuscumque ministri particularis ; nihilominus est absolute finita, et limitata : atque ideo nequit derivare ad oblationem æstimabilitate simpliciter infinitam : et inde etiam provenit, quod valor sacrificii ab hac parte esse valeat inæqualis juxta majorem, aut minorem sanctitatem Ecclesiæ offerentis de præsenti. Recolantur supra dicta dub. 3, num. 55. Et quia valor iste desumptus, vel ex ministro celebrante, vel ab Ecclesia offerente potest merito dici valor ex opere operantis ; propterea ultimo loco supponendum est valorem hujus sacrificii ex opere operantis esse simpliciter, hoc est absolute finitum in se.

Exclusis multis infinitatibus, proponitur status quæstionis. Colligendo ergo hactenus præmissa, reperimus hoc sacrificium quantum ad efficaciam, sive effectum non esse simpliciter infinitum, sed finitum. Rursus consideratum quantum ad sufficientiam, sive valorem in actu primo non esse infinitum vel physice, vel moraliter moralitate sumpta per ordinem ad regulas morum. Loquendo autem de valore morali juxta æstimationem prudentum esse infinitum saltem secundum quid, et extrinsece saltem ratione rei oblatæ, et remote offerentis. Sed non est infinitum simpliciter, id est, omnibus modis, sive ex omni capite. Unde solum relinquitur controversiæ obnoxium, an sit infinitum simpliciter, prout *simpliciter* idem est, quod absolute. Ad quod oportet dari aliquod caput, ex quo prædictum sacrificium fundet æstimabilitatem absolute infinitam in ordine ad prudentem æstimationem : sicut de sacrificio crucis, et de aliis Christi operationibus dici solet. Et nec hanc infinitatem mutuari potest ex ministro sacrificante, vel ab Ecclesia offerente : atque ideo nec illam habere valet ex opere operantis. Quare arduum apparet, quomodo Missæ sacrificium possit esse valoris absolute infiniti. Quamvis autem valor hujus sacrificii sit propitiatorius in ordine ad remissionem culpæ, satisfactorius in ordine ad tollendum pœnam, et impetratorius in ordine ad consequendum beneficia, ut explicuimus dub. præced. nihilominus ad excludendum multiplicationem terminorum, et ortam inde confusionem, loquemur communiter de hoc sacrificio in ordine ad satisfactionem pro pœnis debitis : quia hunc præ aliis effectibus inducit immediate, et ex infallibili lege, ut ibidem diximus § 4, sed doctrina extendi poterit in ordine ad alios effectus : præsertim cum impetratio non tam fundetur in valore operis, quam in misericordia largientis. In præmisso itaque sensu, qui ex tot divisionibus, et præcisionibus residuus est

§ II.

Eligitur, et defenditur affirmativa sententia.

107. Dicendum est valorem sacrificii Missæ esse infinitum. Hæc conclusio est de mente D. Thomæ, ut constabit ex dicendis num. 113. Unde illam docent plures ejus discipuli, Cajetanus tom. 2 Opuscul. tract. 3, quæst. 2, § *sacrificium igitur*, et in hac 3 p. quæst. 79, art. 5, Sylvester verbo *Missa*, quæst. 8, Herbeus quodlib. 10, quæst. 13, Cano lib. 12, cap. 13 ad 10, Baptista Conradus in *responsis casuum*, quæst. 266, Banez, Mantius, et Pena in suis lecturis, ut refert Henriquez, lib. 9, cap. 19, Viguerius in *institutionibus* cap. 16, § 3, Petrus de Ledesma cap. 17, *de Eucharistia*, concl. 23, Joannes a Cruce *in Directorio*, part. 2, quæst. 1, dub. 6, Huertos quæst. 6, et 7, Nugnus in præs. art. 1, dub. 7, Serra ibidem dub. 4, Joannes a S. Thoma. disp. 32, art. 3, Aragon 2, 2, quæst. 85, art. 3, Gonet. disp. 11, art, 5, concl. 1, N. Franciscus tract. 5, cap. 4, dub. unico, et alii plures. Unde Prado in hac quæst. dub. 7, num. 13, fatetur esse his temporibus communem inter Thomistas. Idem etiam tuentur Angelus verbo Missa, § 52, Corduba lib. 1, quæst. 3, concl. 3, Petrus Navarra lib. 2, restit. cap. 2, a num. 268, Suarez disp. 79, sect. 11, concl. 1, Vazquez disp. 230, Dicastillo *de sacrificio Missæ* disp. 3, dub. 4, Marchinus tract. 3, *de Ordine*, parte 2, cap, 13, Columbus lib. 4, art. 3, Hieronymns Garzia tract. 3, difficult. 1, dub. 7, punct. 1, Leander tract. 8, disp. 3,

Conclusio. D. Tho. Cajetan. Sylvest. Herbeus Cano. Conrad. Bannez. Henriq. Viguer. Ledesm. Joannes a Cruce Huertos. Nugnus. Serra. Joan. a S. Thom. Aragon. Gonet. N. Fran. Angel. Cordub. Navar. Suarez. Vazquez Dicast. March. Columb. Garzia. Leand.

8, disp. 3, quæst 10, et alii plures, quos isti referunt.

[R]atio [fu]nda-[me]ntalis Probatur primo ratione a priori, quæ simul manifestat radicem, sive caput, unde sacrificium Missæ habet valorem infinitum, quem illi attribuimus. Nam cruentum sacrificium, quod Christus obtulit in cruce, incruentum, quod instituit, et obtulit in ultima Cœna, fuit valoris infiniti : ergo idem dicendum est de sacrificio Missæ. Antecedens supponitur ex dictis tract. 21, ubi sæpius hanc veritatem statuimus, et inculcavimus circa omnes Christi operationes, et præsertim loco cit. num. 103. Consequentia vero probatur : nam ideo illud sacrificium fuit infiniti absolute valoris moralis in ordine ad prudentem æstimationem, quia oblatum est a Christo Domino, sacerdote infinite digno, et infinite grato Deo propter divinum ejus suppositum : sed sacrificium Missæ etiam offertur a Christo Domino : ergo sacrificium Missæ est etiam infiniti absolute valoris moralis in ordine ad prudentem æstimationem. Cætera constant. Et minor (præterquam quod supra firmata fuit dub. 3, § 1,) breviter ostenditur ex Concilio Tridentino : nam cum Lutherani objicerent per juge Missæ sacrificium injuriam irrogari sacrificio crucis, quod repeti necesse sit tanquam imperfectum, et non sufficiens contra doctrinam Apostoli ad Hebræos 10, afferentis Christum una oblatione consummasse in æternum sanctificatos : Concilium e converso illorum calumniæ occurrens docuit illud inconveniens non sequi: quia sacrificium Missæ est idem cum sacrificio crucis ex parte rei oblatæ, et ex parte principaliter offerentis, qui est ipse Christus. « Una enim, *inquit* sess. 22, « cap. 2, eademque est hostia, idemque « nunc offerens sacerdotum ministerio,qui « se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offe- « rendi ratione diversa. Cujus quidem « oblationis, cruentæ inquam, fructus per « hanc incruentam uberrime percipiuntur. « Tantum abest, ut illi per hanc quovis « modo derogetur. » Sicut ergo sacrificium crucis oblatum est a Christo Domino, sic etiam, et sacrificium altaris. In quo etiam sensu Div. Ambrosius relatus a Divo Thom in hac quæst. articulo 1 ad 1, dixit : « Hoc « sacrificium exemplum est illius. Sicut « enim, quod ubique offertur, unum est « corpus, et non multa corpora : ita, et « unum sacrificium.» Quod vividius adhuc expressit Div. Chrysostomus hom. 2, in epist. 1, *ad Timotheum* his verbis : Volo « quiddam dicere plane mirabile. Quid « vero istud est ? Sacra ipsa oblatio, sive « illam Petrus, sive Paulus, sive cujusvis « meriti sacerdos offerat,eadem est, quam « dedit Christus ipse discipulis, quamque « sacerdotes modo conficiunt. Nihil habet « ista, quam illa minus. Cur id ? Quia non « hanc sanctificant homines, sed Christus, « qui illam ante sacraverat. » Et Div. Thomas quæst. præced. articulo 1, inquit : « Hoc sacramentum » (idem a fortiori intelligit de sacrificio) « est tantæ dignitatis, « quod non conficitur, nisi in persona « Christi. »

Concil. Trident. — D. Amb. — D. Chrys. — D. Tho.

108. Respondent Adversarii, quod licet Christus aliqua ratione offerat sacrificium Missæ ; nilominus immediatus offerens est sacerdos celebrans. Quare cum iste sit finitæ dignitatis,et sanctitatis; necessarium est, quod valor sacrificii per ipsum limitetur; atque ideo non sit absolute infinitus in ordine ad prudentem æstimationem. Responsio.

Sed hoc illorum effugium salvat quidem id, quod supra supposuimus, et modo concedimus, nempe istud sacrificium non esse infinitum simpliciter,sive ex omni capite, quippe quod infinitum valorem haurire non valet ex ministro offerente. Sed minime impedit, quod statuimus, et intendimus, nempe esse infiniti valoris absolute in ordine ad prudentem æstimationem : ad hoc enim satis est, quod ex vi alicujus rationis, aut capitis fundet æstimabilitatem infinitam.Sicut operationes Christi Domini non fuerunt valoris infiniti simpliciter, id est, omnibus modis, aut ex omni capite ; cum habuerint entitatem limitatam, et processerint a principio proximo finito : et nihilominus fundaverunt æstimabilitatem infinitam absolute, quatenus procedebant a supposito divino : istud namque vel solum caput sufficit, ut prudentes illas infinite apprecient, et ut ipsæ sint Deo infinite gratæ. Et in hoc sensu (in quo, ut præmisimus, loquimur), evertitur prædicta responsio. Tum exemplo proxime proposito : quia non obstante quod operationes Christi Domini procedant immediate a principiis finitis, et limitatæ perfectionis, habent tamen valorem moralem absolute infinitum : eo quod procedunt reipsa a supposito divino se in prædictis operationibus subji- Confutatur.

ciente : quod est infinite æstimabile : ergo pariter sacrificium Missæ quamvis fiat immediate a ministro limitato, et finitæ perfectionis, importat nihilominus valorem moralem infinitum absolute : cum procedat re ipsa a Christo sicut a principali sacrificante, et se offerente ; ut constat ex Concilio Tridentino, et patribus jam relatis. Tum etiam altero exemplo in hac eadem materia : quoniam licet minister offerens nullam habeat gratiam, aut sanctitatem, sed sit homo peccator, et impurus, nihilominus hoc sacrificium non evadit impurum, sed semper est purum, sanctum, et Deo acceptissimum. Unde Concilium Tridentinum sess. cit. cap. 1, inquit : « Hæc quidem munda illa oblatio est, quæ « nulla indignitate, aut malitia offerentium « inquinari potest : quam Dominus per « Malachiam nomini suo, quod magnum « futurum esset in Gentibus, in omni « loco mundam offerendam prædixit. » Cujus rei ratio est, quod principaliter offerens, et supremus sacerdos sacrificans non est minister. Sed Christus Dominus : qui cum infinite sanctus, purus, et gratus sit ; nequit non sacrificium Missæ ut ab eo procedens esse sanctum, purum, et Deo acceptum, quidquid fuerit de dispositione ministrorum ejus nomine offerentium, ut significavit idem Concilium eodem capite illis verbis : « Sacerdotem secundum ordi- « nem Melchisedech se in æternum constituturn declarans, corpus, et sanguinem « suum sub speciebus panis, et vini Deo « Patri obtulit : ac sub earum rerum sym- « bolis Apostolis, quos tunc novi testa- « menti sacerdotes constituebat, ut sume- « rent tradidit ; et eisdem, eorumque in « sacerdotio successoribus, ut offerrent, « præcepit etc. » Hæc autem doctrina etiam militat respectu valoris hujus sacrificii. Ergo etsi minister offerens sit finitæ dignitatis, aut etiam nullius ; quia tamen Christus Dominus, qui est principaliter offerens, est infinite dignus, et Deo acceptus ; sacrificium istud debet esse valoris moralis absolute infiniti. Si enim impuritas ministri non impedit, quod sacrificium evadat purissimum ; nec limitatio ministri impedire debet, ut sacrificium habeat infinitum valorem in ordine ad æstimationem prudentum attendentium infinitam dignitatem Christi principaliter offerentis.

Concil. Trident. — Idem.

Confirmatio 1. 109. Confirmatur primo : quia licet minister offerens nullum habeat valorem moralem ; sacrificium hoc aliquem valorem habet, ut nemo Catholicorum negat : ergo quamvis minister offerens habeat valorem moralem finitum, sive dignitatem limitatam sacrificium istud habet valorem moralem absolute infinitum. Probatur consequentia: nam ideo hoc sacrificium habet aliquem valorem moralem, licet minister nullum habeat, quia offertur principaliter a Christo Domino, qui tali valore, sive æstimabilitate fulget : Christus autem non solum est moraliter dignus, sed etiam moraliter infinite dignus : ergo hoc sacrificium ex dignitate Christi principaliter offerentis haurit non solum dignitatem moralem, sed dignitatem moralem absolute infinitam in ordine ad prudentem æstimationem.

Confirmatio Confirmatur secundo : nam oblatio, qua offertur res infiniti valoris a persona infinitæ dignitatis tanquam a principali offerente, merito censetur infiniti valoris in ordine ad quamlibet prudentum æstimationem : sed ita se habet oblatio, sive sacrificium Missæ : ergo est infiniti valoris ordine ad prudentem æstimationem. Minor liquet : nam res oblata, in hoc sacrificio est Christus Dominus, persona scilicet infinite digna : principalis etiam offerens est idem Christus, ut loco citato ostendimus : ergo ista oblatio, et offert rem infiniti valoris, et fit ab offerente principali infinitæ dignitatis. Per quod excluditur quoddam exemplum apud Adversarios vulgare : nam B. Virgo obtulit puerum Jesum in templo: quæ tamen oblatio non fuit infiniti valoris moralis. Sed id ideo contigit : quia B. Virgo principaliter offerens non fuit dignitatis infinitæ : quocirca illius actionis valor limitatus est in ordine ad prudentem æstimationem. In hac autem oblatione principaliter offerens est infinite dignus, et Deo acceptus, nempe ipse Christus Dominus.

Confirmatio Confirmatur tertio, et delaratur amplius: quoniam æternus Pater videns sacrificium Missæ sibi offerri non solum a ministro, sed etiam a Christo Domino, minime sistit in ministro offerente. Sed progreditur ad personam Filii offerentis principaliter sacerdotum ministerio : sed personam Filii infinite æstimat pro sua dignitate, atque in eo sibi summe complacet : ergo tale sacrificium ut a Christo oblatum est infinite gratum Deo, atque ideo infiniti valoris moralis. Sicut enim ab hac radice provenit, quod

quod quamvis minister offerens sit Deo ingratus, utpote peccator ; nihilominus hoc sacrificium est illi gratissimum, quia attendit ad personam Filii illud principaliter offerentis, et sibi grati : sic etiam hoc sacrificium debet esse illi infinite gratum, et acceptum, quia attendit ad personam Filii sibi infinite grati, et accepti.

Alia responsio. 110. Occurrunt secundo Adversarii, et dicunt oblationem Christi remote, et extrinsece se habere ad oblationem, quæ fit in altari, et elicitur a sacerdote : unde minime sufficit ad hoc, quod talis oblatio habeat intrinsece valorem simpliciter infinitum : sed sufficiet ad summum, ut dicatur infinita extrinsece, nempe ratione alicujus termini, aut principii, quæ connotet, ut num. 105 de quibusdam similibus dicebamus.

Evertitur. Cæterum ista, sicut et præcedens evasio solum salvat, quod nos libenter concedimus, nempe hoc sacrificium non esse infiniti valoris ab ea parte, quæ importat actionem ministri sistendo ibi. Sed minime vitat, quod habeat prædictum valorem ab ea parte, quæ complectitur Christi oblationem. Quod amplius ostenditur : quia principaliter offerens hoc sacrificium est Christus Dominus, ut Concilium Tridentinum supra relatum satis expressit dicens Christum illud offerre sacerdotum ministerio. Quam oblationem exercet Christus actu formaliter per operationes a se elicitas, ut diximus dub. 3, § 1. Ergo cum operationes Christi Domini sint infiniti valoris moralis in ordine ad æstimationem prudentem ; sequitur hoc sacrificium qua parte complectitur oblationem Christi (et illam utique potissimum, et principaliter complectitur), habere valorem moraliter infinitum in ordine ad prudentem æstimationem. Concedimus itaque hoc sacrificium, ut est oblatio a sacerdote, non habere hujusmodi infinitatem : sed illam nihilominus habet, quatenus est oblatio a hristo Domino. Ad quod minime requiritur, quod actio a Christo elicita sit nova satisfactio, vel meritum : plenissime enim satisfecit quoad sufficientiam per sacrificium crucis ; et modo non est in statu satisfaciendi. Sed sufficit, et requiritur, quod Christus, cum celebratur sacrificium Missæ, offerat, et applicet suam satisfactionem : in qua ipsa actione invenitur valor moralis infinitus propter infinitam dignitatem offerentis, et applicantis. Et licet concederemus Adversariis (ut hoc eis permittamus), quod Christus nunc de novo non offerat hoc sacrificium per actus de novo elicitos ; sed quod offerat, quatenus illud primo obtulit, et instituit, atque per ministros fieri mandavit, ut Scotus, Vazquez, et quidam alii relati numero 49 discurrunt : nihilominus persistit adhuc propositum fundamentum. Quoniam salva fide negari nequit, quod nunc Christus sit principaliter offerens sacerdotum ministerio : sive nunc dicatur offerre per actus de novo elicitos, quod docet verior, et communior sententia, sive dicatur offerre nunc per actum antiquum primæ oblationis physice præteritum, et nunc moraliter permanentem, ut illi Auctores sentiunt, et gratis permittimus. Constat autem quod talis oblatio a Christo facta, quolibet modo explicetur, est infinite digna, et æstimabilis propter dignitatem Christi offerentis, ut in aliis Christi actionibus contingit, et hic supponendum est. Ergo licet hoc sacrificium non sit infiniti valoris, quatenus importat oblationem ut a ministro factam ; nihilominus infiniti valoris est, quatenus complectitur oblationem factam a Christo. Quin oblatio sacerdotis, et oblatio Christi possunt dici moraliter una oblatio propter illius subordinationem ad hanc: quod satis est ut in eodem sensu, nempe moraliter, tota hujus sacrificicii oblatio dicatur moralitur infinita in ordine ad prudentem æstimationem. Sicut de qualibet Christi operatione dici potest habere valorem infinitum : non quia secundum quamlibet sui rationem, aut partem habeat eam infinitatem ; sed quia in tota illa actione reperitur infinite dignificans. Nota.

111. Nec refert, si opponatur (quod Adversarii in præmissa evasione significant), oblationem a Christo factam extrinsece se habere ad hoc sacrificium, et esse extra ejus essentiam : ergo istud sacrificium secundum sibi intrinseca, et essentialia consideratum nullum habet valorem moralem absolute infinitum. Consequentia patet : quia si secludamus Christi oblationem, et alias hujus sacrificii rationes consideremus ; nihil in eo reperitur, ex quo valeat habere prædictum valorem, ut satis liquet ex his, quæ § præced. observavimus. Assumptum autem, sive antecedens suadetur : quoniam per hoc, quod Christus instituerit Objectio

hoc sacrificium, et dederit sacerdotibus potestatem illud offerendi, possunt sacerdotes illud offerre, seclusa omni alia oblatione Christi : ergo quamvis Christus illud offerat, nihilominus talis oblatio extrinsece se habet ad ipsum, et est extra ejus essentiam. Et plane dubitandum non est potuisse hoc sacrificium ita institui, quod non offerretur a Christo, saltem immediate, sed a solis sacerdotibus : in qua suppositione esset ab una parte ejusdem rationis cum sacrificio Missæ, quod modo celebratur in Ecclesia ; et ex alia parte nihil instrinsecum haberet, per quod valoraretur infinite, aut deberet infinite appretiari.

Solutio. Id, inquam, non refert, sed dissolvitur, et simul confutatur negando assumptum, sive antecedens : quoniam, quod Christus offerat hoc sacrificium uno ex prædictis modis, pertinet intrinsece, et essentialiter ad essentiam sacrificii Missæ, prout de facto fit, et institutum est. Quippe sacrificium importat essentialiter oblationem : et oblatio quæ in hoc sacrificio intervenit fit principaliter a Christo Domino summo sacerdote nostrorum sacerdotum ministerio, ut vidimus ex Concilio Tridentino. et magis expendimus dub. 3. Quare non minus intrinsece, et essentialiter, sed multo magis ad hoc sacrificium pertinet oblatio a Christo, quam ab aliis sacerdotibus. Et cum oblatio prout a Christo sit valoris moralis absolute infiniti; idem dicendum est de hoc sacrificio, quatenus importat talem oblationem. Ad antecedentis autem probationem respondemus, quod in hypothesi, quod Christus non offerret, quamvis daret ministris potestatem illud in suo nomine offerendi, sacrificium non esset ejusdem rationis cum nostro : nam variaretur oblatio, quam tamen sacrificium importat essentialiter in recto. Unde admittimus potuisse sacrificium ita institui, quod non offerretur a Christo, sed a solis ministris. Cæterum in præmissa suppositione sicut variarentur offerentes ; sic etiam variaretur oblatio, ac perinde sacrificium illam essentialiter importans. Quare consequenter concedendum est sacrificium in prædicta suppositione non fore intrinsece infinitum moraliter ; sed solum dicendum esse infinitum secundum quid, et extrinsece, nimirum ratione solius rei oblatæ. De facto autem contingit oppositum : quia de facto hoc sacrificium est oblatio a Christo principaliter, et immediate facta, licet admittat sacerdotum ministerium : oblatio vero a Christo est valoris moralis absolute infiniti, sicut aliæ ejusdem actiones.

112. Dices sacrificium Missæ non consistere essentialiter adæquate in sola oblatione, sed complecti etiam specierum sumptionem tanquam essentialem sui partem, ut statuimus dub. 2, § 3; atqui sumptio specierum non est actio Christi, sed fit unice a ministris: siquidem manifestum est Christum de facto non sumere species sacramentales : ergo hoc sacrificium, quatenus importat sumptionem, non habet valorem moralem infinitum : atque ideo essentialiter adæquate consideratum non habet valorem hujusmodi. Replica.

Sed hoc nihil est. Tum quia plures ex Adversariis sentiunt essentiam adæquatam sacrificii in sola oblatione consistere : negare autem salva fide non possunt, quod Christus sit principaliter offerens hoc sacrificium : atque ideo nec valent negare hoc sacrificium complecti essentialiter oblationem prout a Christo. Et sic procedit fundamentum a nobis propositum, evincitque infinitum moraliter hujus sacrificii valorem : sicut eodem fundamento probatur idem valor in aliis operationibus Christi. Tum et præcipue, quia prædicta objectio solum concludit istud sacrificium non esse infinitum simpliciter, hoc est, omni modo, et ex omni capite : quod verum est, et a nobis præsuppositum § antec. Sed minime excludit, quod sit infinitum moraliter absolute : quia ad id sufficit, quod ex aliqua sui ratione adæquata, vel inadæquata fundet hujusmodi infinitatem : quam plane fundat, quatenus est oblatio facta a Christo Domino, quidquid de sumptione specierum sit. Unde solum concluditur hoc sacrificium non esse valoris absolute infiniti ab ea parte, quæ sumptio essentialiter est : sed non concluditur, quod talem valorem non habeat ab alia parte, quæ essentialiter est oblatio. Sicut operationes Christi non habuerunt talem valorem vel ab entitate sua, vel a principiis proximis, vel a tendentia in objecta, nec ab ipsis objectis : sed illum habuerunt, quatenus processerunt a supposito divino. Quare ad objectionem admissis præmissis, et concessa prima consequentia, negamus secundam : quia licet hoc sacrificium non habeat valorem simpliciter infinitum ratione cujuslibet Dispellitur.

bet

bet sui partis essentialis, utputa sumptionis ; nihilominus tota ejus essentia habet prædictum valorem ratione unius partis intrinsecæ, et essentialis, nempe oblationis.

Secundum pro assertione motivum

113. Secundo probatur eadem assertio alia ratione, a posteriori, sive ab effectu : quoniam valor sacrificii Missæ tantus est, ut absque sui additione, vel variatione posset inducere effectum syncategorematice infinitum, hoc est majorem, et majorem tam intensive, quam extensive absque ullo termino : ergo prædictus valor est absolute moraliter infinitus. Antecedens probatur : quia idem sacrificium Missæ causat ex opere operato suum effectum in multis illud offerentibus, sive eidem adstantibus. Unde licet plures, et plures ad id concurrant, non minus unicuique prodest ex opere operato, quam si ille tantum offerret, vel assisteret. Alias consultius unicuique foret offerre, et audire Missam seorsim ab aliis, et solitarie, quam in eorum concursu : quod absurdissimum est, et contra omnium judicium ; cum magis omnes censeant Missam publicam, et conventualem, in quo omnis populus assistit, non esse inferioris utilitatis, quam privatam. Ergo idem sacrificium Missæ extendit suum fructum, sive effectum ex opere operato ad plures, et plures sine ullo termino. Rursus prædictum sacrificium causat suum effectum in offerentibus, vel his, pro quibus offertur, juxta illorum dispositionem, et devotionem : unde quanto hæc major est, tanto majorem intensive effectum inducit absque ullo fine, aut determinatione ex parte ipsius sacrificii : et nunquam tantum proderit, quin possit absque ulla sui additione magis et magis prodesse, si augeatur devotio, et dispositio ex parte ejus, cui applicatur : atque ideo potest inducere effectum majorem, et majorem intensive absque nllo termino. Tantus igitur est hujus sacrificii valor, quod absque ulla ex parte sui additione possit inducere effectum syncategorematice infinitum tam extensive, quam intensive. Quam valoris amplitudinem satis expressit D. Thomas supra quæst. 79, art. 5, in corp. his verbis : « Quamvis « hæc oblatio » (quam in recto importat sacrificium) ex sui quantitate (nimirum ex sui valore) « sufficiat ad satisfaciendum « pro omni pœna : tamen fit satisfactoria « illis pro quibus offertur, vel etiam offe- « rentibus secundum quantitatem suæ de- « votionis, et non pro tota pœna. » Ubi limitationem prædicti effectus revocat non in oblationis, sive sacrificii, valorem, sed in dispositionem limitatam eorum, pro quibus offertur. Atque in eodem sensu addit in resp. ad 3 : « Hoc, quod tollitur pars « pœnæ, et non tota pœna per hoc sacra- « mentum » (sic frequenter vocat sacrificium) « non contingit ex defectu virtutis « Christi, sed ex defectu devotionis hu- « manæ. » Et similiter artic. 7 sequenti, in resp. ad 2, ait : « Dicendum, quod sicut « passio Christi prodest quidem omnibus « quantum ad sufficientiam, et ad remis- « sionem culpæ, et adeptionem gratiæ, et « gloriæ ; sed effectum non habet nisi in « illis, qui passioni Christi conjunguntur « per fidem, et charitatem : ita et hoc sa- « crificium, quod est memoriale Dominicæ « passionis, non habet effectum, nisi in « illis, qui conjunguntur huic sacramento « per fidem, et charitatem. » Et post aliqua subdit : « Illis tamen prodest plus, vel « minus secundum modum devotionis « eorum. »

D. Tho.

Consequentia autem præmissi discursus suadetur : tum exemplo cruenti sacrificii crucis, quod etsi nullum effectum in nobis actu infinitum, vel per modum meriti, vel per modum satisfactionis efficiat ; nihilominus recte convincitur fuisse valoris simpliciter infiniti quantum ad sufficientiam, quia ex parte sua potest inducere majorem, et majorem tam intensive, quam extensive effectum, sive terminum syncategorematice infinitum. Quo etiam motivo utuntur communiter Theologi, ut probent infinitum valorem operationum Christi, quia ut Clemens VI asseruit, timendum non est, quod concessione indulgentiarum exhauriatur Ecclesiæ thesaurus, cum in eo recondatur satisfactio Christi, quæ ad delendam omnem pœnam sufficientiam habet. Cum igitur sacrificium Missæ tanti valoris sit, quod possit etiam effectum majorem, et majorem tam intensive, quam extensive inducere, absque ulla ex parte sui limitatione, ut proxime ostendimus : recte a posteriori colligitur valorem talis sacrificii esse absolute infinitum quoad sufficientiam : sicut similem valorem habet sacrificium crucis. Tum etiam ratione omnibus præmissis exemplis communi, nam Nota.
cum causa per id, quod actu habet, debeat præcontinere effectus ; impossibile est,

quod effectus perfectiores tam intensive, quam extensive sine termino possint procedere ab aliqua causa ; quin talis causa secundum id, quod actu habet, sit absolute infinita. Unde ex infinitate syncategorematice, sive in potentia effectuum recte colligitur infinitas actualis in virtute causæ. Et propterea licet impossibile sit dari aliquid creatum, quod sit actu simpliciter infinitum ; cum hæc infinitas creaturæ repugnet ex parte facti : nihilominus quia virtus Dei absque ulla sui additione, vel mutatione potest producere plures, et plures creaturas perfectiores sine termino; optime concluditur talem Dei virtutem esse omnipotentem, sive simpliciter infinitam. Ergo cum tantus sit valor sacrificii Missæ, ut absque sui additione possit plures, et plures effectus tam intensive, quam extensive inducere ut supra ostendimus : legitime infertur talem valorem esse absolute infinitum moraliter in ordine ad prudentem æstimationem.

Objectio 114. Sed oppones hunc discursum applicari etiam posse sacramentis : quippe quæ valent efficere majorem, et majorem tam extensive, quam intensive effectum sine termino connotando præcise majorem multitudinem, aut dispositionem subjectorum ea suscipientium : et tamen virtus, vel valor sacramentorum nullam habet infinitatem moralem absolute dictam : ergo ex præmisso discursu non recte colligimus, quod valor moralis sacrificii missæ sit absolute infinitus in ordine ad prudentem æstimationem. Quin potius ille discursus potest in nos regeri : quia non est minor valor Eucharistiæ in ratione sacramenti, ac in ratione sacrificii : sed in ratione sacramenti non habet valorem moralem absolute infinitum : ergo nec illum habet in ratione sacrificii.

Responsio Nugni. Huic objectioni posset quis occurrere dicendo cum Nugno loco supra citato in resp. ad 3, sacramenta etiam esse infinitæ virtutis, quia possunt producere perfectiorem, et perfectiorem effectum, et sic in infinitum syncategorematice. Quæ responsio, si verum contineret, nostram assertionem magis firmaret. Sed ea doctrina

Improbatur. est falsa : quia nullum intrinsecum prædicatum reperitur in sacramentis, quod sit actu infinitum moraliter, vel similem valorem, aut infinitatem fundet in ordine ad prudentem æstimationem. E contra vero se habet sacrificium Missæ, quod intrinsece, et essentialiter includit oblationem, quæ prout a Christo est infiniti valoris, fundatque, et meretur acceptabilitatem simpliciter infinitam, ut supra in prima ratione declaravimus.

Melior solutio. Quare omissa ea responsione, concessis præmissis, negamus consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod sacramenta non concurrunt ad suos effectus ut causa principalis moralis, vel physica, sed concurrunt præcise ut causa physice instrumentalis. Manifestum namque est sacramenta non influere ratione alicujus bonitatis, vel valoris moralis, quem in se habeant ; cum sint aliqua opera, vel artefacta mere externa, in quibus nec bonitas, nec valor moralis intrinsece participatur, ut fuse declaravimus tract. præced. disp. 4, dub. 2. Et permisso, quod essent causæ morales, nemo dixit sacramenta esse causas principales effectuum, ad quos concurrunt. Sunt itaque causæ mere instrumentales, vel solum physice, ut nos sentimus, et eo loco ostendimus dub. 4, vel moraliter, ut aliqui opinantur. Porro de ratione causæ instrumentalis non est, quod habeat virtutem, aut valorem, quibus adæquet perfectionem effectus ; sed constitui valet, et debet per virtutem longe imperfectiorem. Quare sicut ex eo, quod sacramenta concurrant prædicto modo, nempe instrumentaliter, ad producendum verbi causa gratiam sanctificantem ; non sequitur, quod debeant constitui per virtutem, quæ sit formaliter, aut eminenter gratia sanctificans ; sed sufficit alia virtus longe inferior, nempe incompleta, et per modum transeuntis : ita ex eo, quod sacramenta concurrant ad effectus majores, et majores extensive, aut intensive, minime sequitur, quod debeant constitui per virtutem ejusdem perfectionis, et multo minus per virtutem absolute infinitam, ad quam revocetur omnium illorum perfectio. Cæterum sacrificium Missæ influit in suos effectus, non quidem physice, nec instrumentaliter moraliter; sed influit in suo genere moraliter principaliter ratione valoris : sicut hoc modo in suo genere influunt meritum, et satisfactio. Est autem de ratione causæ moralis principalis constitui per valorem moralem adæquantem perfectionem effectus : sicut de ratione causæ principalis physicæ est constitui per virtutem, quæ totam

totam perfectionem effectus in actu primo formaliter, vel eminenter contineat. Unde sicut ex eo, quod causa principalis physica possit producere plures, et plures effectus tam extensive, quam intensive syncategorematice sine termino, recte concluditur talem virtutem esse actu physice infinitam, ut patet in potentia Dei : sic ex eo, quod causa principalis moralis, ut est meritum, satisfactio, et sacrificium, possit causare plures, et plures effectus tam extensive, quam intensive sine ullo termino ex parte sui, recte arguitur talem causam habere valorem moralem actu infinitum, sicut liquet in merito, et satisfactione Christi, et in sacrificio, quod in cruce obtulit. Cum igitur sacrificium Missæ ita se habeat, ut supra ostendimus : sequitur valorem prædicti sacrificii esse moraliter absolute infinitum. Præmissus itaque discursus recte probat in causis principalibus tam moralibus, quam physicis ; sed applicari non debet causis instrumentalibus, ut sunt sacramenta propter disparitatem jam assignatam. Unde facile dispellitur, quod addebatur, negando majorem, et ejus suppositum: nam cum Eucharistia in ratione sacramenti non sit causa moralis, sed physica, non constituitur in ratione sacramenti per valorem, qui est aliquid morale, sed per virtutem physicam. Et rursus cum in ratione sacramenti non sit causa principalis, sed instrumentalis ; non oportet id, quo constituitur (sive sit valor, sive sit virtus) adæquare perfectionem effectus. Oppositum autem contingit in eadem Eucharistia considerata in ratione sacrificii, aut proprius loquendo in sacrificio, sive in oblatione Eucharistiæ : nam et causa moralis est constituenda per valorem : et ut causa principalis est constituenda per valorem continentem in actu totam perfectionem effectus.

Tertium pro assertione motivum

115. Tertio probatur eadem conclusio : nam cum Sancti Patres, et tota Ecclesia tam alte sentiant de sacrificio Missæ, illudque tot elogiis commendent ; oportet, quod et nos altissime sentiamus de ejus valore, nempe tantum esse, quantus non repugnat : sed non repugnat sacrificium Missæ habere valorem moralem simpliciter, id est, absolute infinitum in ordine ad prudentem æstimationem : ergo asserendum est sacrificium Missæ habere valorem hujusmodi. Minor probatur tum ex dictis in prima ratione, in qua assignavimus radicem, ex qua istud sacrificium fundare potest valorem sive æstimabilitatem simpliciter infinitam, nempe quia est oblatio a Christo principaliter facta. Tum etiam, quia id facile constabit dissolvendo Adversariorum motiva, ut præstabimus § sequenti. Tum quia dubitandum non est Christum potuisse huic sacrificio conjungere meritum, et satisfactionem suæ vitæ, et mortis : quorum valor cum infinitus sit, præstet, ut sacrificium Missæ infiniti etiam valoris sit. Nec momenti erit, si ad hanc ultimam probationem dicatur Christum non ita disposuisse, sed magis voluisse valorem hujus sacrificii esse finitum, et limitatum : quod a signo constat, cum voluerit illud frequentari. Id, inquam, nihil valet : nam ut sacrificium istud repeti possit, satis est, quod licet illud sit infiniti valoris in actu primo, et quoad sufficientiam, ut hactenus ostendimus ; nihilominus participetur ejus fructus finito modo juxta mensuram, et quantitatem dispositionis aut devotionis eorum, pro quibus offertur, ut præmisimus num. 103 ; nam eo ipso locus relinquitur, ut repetatur, ad hoc scilicet, quod novum, aut majorem effectum inducat. Præcidi-tur fuga.

§ III.

Refertur opinio contraria, et dissolvuntur ejus motiva.

116. Valorem sacrificii Missæ non esse simpliciter, sive absolute infinitum, sed esse finitum, et limitatum simpliciter, et solum infinitum secundum quid, et extrinsece ratione rei oblatæ, docent D. Bonaventura in 4, dist. 46, art. 3, quæst. 3, ad ultimum, Durandus ibi quæst. 3, ad 3, Major quæst. 2, Scotus quodlib. 20, art. 2, § *De tertio*, et art. 3, § *Ad argumentum*, Gabriel lect. 26, et 27, in can. Missæ, Miranda *in Manuali* quæst. 41, art. 9, Villalobos tom 1, tract. 8, difficult. 13, Bellarminus lib. 2, *de Missa*, cap. 4. Salmeron to. 8, *in Evang.* tract. 33, Henriquez supra relatus, Granados controv. 6, tract. 14, disput. 4, sect. 2, Lugo disput. 19, sect 12, Barbosa *in Pastorali* par. 2, allegat, 24. Bonacina disp. 4, quæst ult. punct. 4, et alii. Ad quos ex Thomistis accedunt Paludanus in 4, dist. 45, quæst. 2, Sotus lib. 9, *de justitia* quæst. 2, art. 2, et in 4, dist. 50, quæst. unica,

D. Bon. Durand. Major. Scotus. Gabriel. Miranda Villalob. Bellarm. Salmer. Henriq. Granad. Barbosa. Lugo. Bonacin. Palud. Soto. Prado.

art. 6, et Prado quæst. 83, dub.7, §3, num. 20. Plura autem argumenta, quibus utitur hæc opinio, convulsa relinquuntur tum in his quæ § 1 præmisimus, tum in rationibus, quas expendimus in 2. Quare non multa, nec admodum difficilia supersunt, quibus occurramus. Sed tamen

Primum argumentum. Arguitur primo : quia valor sacrificii non tam attenditur penes rem oblatam, quam penes oblationem : sed oblatio hujus sacrificii non habet valorem moralem absolute infinitum : ergo idem de ipso sacrificio dicendum est. Probatur minor : quia oblatio hujus sacrificii est actio finita, et elicita a sacerdote finitæ dignitatis : ergo nequit habere valorem absolute infinitum.

Confirmatio. Confirmatur præoccupando tacitam responsionem : quia licet hoc sacrificium offeratur etiam a Christo Domino, nihilominus id prodesse nequit, ut istud sacrificium sit valoris infiniti : ergo ex nullo capite potest mutuari valorem ejusmodi. Suadetur antecedens : tum quia Christus solum remote offert ; immediatus autem offerens est minister. Tum quia cum Christus modo non mereatur, nec satisfaciat ; oblatio Christi nequit habere valorem per modum meriti, aut satisfactionis, sed ad summum applicare potest antiquum valorem sui meriti, et satisfactionis, illum conjungendo huic sacrificio : magis autem congrnit, quod illi non conjungeret valorem absolute infinitum, sed certum, et determinatum valoris gradum, ut sic sacrificium repeteretur : ergo hoc sacrificium nec ab ea ratione, quod offeratur a Christo, habet valorem absolute infinitum.

Dissolvuntur. Ad argumentum negamus minorem. Ad cujus probationem dicendum est solum evincere hoc sacrificium, quatenus est oblatio facta a Ministro, non esse valoris simpliciter infiniti, sed tamen hunc valorem habet ex alio capite, nimirum quatenus est oblatio facta a Christo Domino, ut expendimus in primo nostræ assertionis fundamento. Unde ad confirmationem negandum est antecedens. Ad cujus primam probationem respondetur Christum non solum remote, aut ratione primæ institutionis offerre hoc sacrificium ; sed etiam proxime, immediate, et actualiter, ut loco cit. ostendimus. Ad secundam negamus minorem : quia ut sacrificium Missæ possit, et debeat frequentari, sufficit, quod habeat effectum finitum propter dispositionem suscipientium ; licet sit valoris absolute infiniti in actu primo, et quoad sufficientiam, ut num. præced. dicebamus.

Secundum argumentum. 117. Sed insistes (et sit secundum argumentum) nam ideo sacrificium crucis fuit unicum, et non congruit, quod iteretur, quia habuit valorem absolute infinitum quoad sufficientiam : ergo si sacrificium Missæ haberet hujusmodi valorem, non deberet repeti, et frequentari : hoc autem dicere est omnino falsum, et contra ipsius sacrificii institutionem, et Ecclesiæ usum : ergo tale sacrificium non habet valorem absolute infinitum. Confirmatur : quia ex duobus infinitis simpliciter, sive absolute talibus nequit unum esse majus alio : sed valor sacrificii crucis est major, quam valor sacrificii Missæ : quis enim dicet sacrificium a simplici sacerdote in altari oblatum esse ejusdem perfectionis, et valoris, cum sacrificio, quod Christus immediate per se ipsum obtulit in cruce ? ergo sacrificium Missæ non habet valorem simpliciter, sive absolute infinitum. Confirmatio.

Satisfit argumento. Ad replicam, sive argumentum respondetur negando primam consequentiam, ex qua ultima dependet. Et ratio disparitatis desumitur ex diverso modo, quo sacrificium crucis, et sacrificium Missæ comparantur, licet conveniant in habendo valorem absolute infinitum. Etenim sacrificium crucis habuit modum pretii universalis, ex quo licet semper hauriatur, quatenus ejus intuitu remittantur plures et plures pœnæ, atque conferantur majora, et majora dona ; semper tamen manet idem universale pretium inexhaustum : et propterea nec opus fuit, nec oportuit, quod prædictum sacrificium repeteretur. Sacrificium autem Missæ licet sit infiniti valoris, ut explicuimus, nihilominus non comparatur per modum pretii universalis, sed per modum causæ magis particularis nempe applicantis valorem pretii sacrificii crucis ad causandum ejus effectum in his, pro quibus offertur. Porro de facto, et in actu secundo nunquam applicat totum illum valorem adæquate, nec causat totum fructum, quem de se inducere valet : sed præcise inducit effectum limitatum propter non majorem dispositionem subjecti, et illum semel inducit, nempe cum applicatur. Unde conveniens est prædictum sacrificium repeti, ut multoties frequentatum,

multoties

multoties causet fructum, et sic augeatur ejusdem sacrificii effectus.

Occurritur confirmationi. Ad confirmationem posset responderi, quod licet ex duobus infinitis simpliciter nequeat unum esse majus alio quantitative, sive quantum ad carentiam terminorum; nihilominus potest unum excedere aliud qualitative, sive ratione materiæ, in qua utriusque infinitas invenitur. Sicut si daretur infinitum aurum, et infinitum ferrum: non esset majus unum, quam aliud in quantitate, sive in habendo terminum; et nihilominus infinitum aurum esset majus, hoc est, melius, aut dignius, quam infinitum ferrum. Quo etiam modo valor satisfactionis Christi est major, quam gravitas offensæ peccati mortalis; licet conveniant in habendo infinitatem simpliciter. De quo videri possunt, quæ diximus tract. 21, disp. 1, dub. 4, § 7. Unde quamvis in prædicto sensu concederetur valor sacrificii Missæ, non inde colligeretur hunc non esse absolute infinitum sed argueretur tale infinitum esse inferioris qualitatis. Melius tamen respondetur negando minorem: quia illa sacrificia habent eundem simpliciter valorem, licet differant in modo aliquo accidentali. Et ratio est: quoniam in utroque est eadem res oblata, nempe corpus, et sanguis Christi; et est idem principaliter offerens, nempe ipse Christus; denique oblatio Christi est ejusdem valoris personalis, cum procedat ab eodem divino Christi supposito. Quod vero

Nota in sacrificio Missæ interveniat etiam ministerium, et oblatio simplicis sacerdotis; minime præjudicat, ut oblatio prout a Christo habeat semper suum, atque infinitum valorem. Sicut non minoris æstimabilitatis est actio, qua Deus agit simul cum creaturis, quam actio, qua Deus solitarie, et sine creaturis agit. Nec aliquis hanc veritatem negabit, vel admirationibus contemnet, nisi qui neget in sacrificio crucis, et in sacrificio altaris eundem Christum esse rem oblatam, et eundem Christum esse principaliter offerentem. Modus autem offerendi est diversus, sed est etiam sacrificio accidentalis: qui proinde nequit variare aut diminuere substantialem ejus valorem.

Tertium argumentum. 118. Arguitur tertio: nam si valor sacrificii Missæ est simpliciter, sive absolute infinitus; fieret sacrificium Missæ pro multis oblatum posse æqualem fructum in omnibus, et singulis habere, ac si uni tantum applicaretur: quippe causa infinitæ virtutis potest æqualiter suum effectum, et fructum derivare sive ad unum, sive ad multa, ubi tam multis, quam uni applicatur. Hoc autem est absurdum, et contra sensum, et intentionem fidelium, qui diligenter curant, ut sibi Missæ specialiter applicentur: et clamarent se defraudatos, si scirent Missam aliis æqualiter applicari. Ergo valor sacrificii Missæ non est absolute infinitus.

Aliquorum excessus. In diluendo hoc argumentum plures occurrunt dicendi modi, quos prolixe recenset Prado quæst. 83, dub. 7. Et quidem aliqui adeo ad suas opinationes afficiuntur, ut non dubitent, vel ab hoc capite, sive inconvenienti objecto nostram sententiam percellere: in quo (cum nihil fere solidum afferat) largus est Salmeron tract. citato. Sed quam inefficax illud argumentum sit, posset ostendi negando absolute sequelam, quam ægre, aut nullo modo adversarii evincent. Quomodo posset argumentum dilui? Nam causa infinitæ virtutis diversimode applicata potest inducere majorem, aut minorem effectum, quo applicatio fuerit major, aut minor: quamvis enim applicatio mera conditio sit; nihilominus sicut absolute requiritur, ut causa absolute influat, sic etiam inæqualiter facta potest conducere, ut causa perfectiorem, aut minus perfectum effectum inducat. Manifestum autem est applicationem Missæ dependere a ministro immediate consecrante et offerente. Unde ab hac parte contingere potest, quod valor sacrificii Missæ licet infinitus inæqualiter applicetur, et subinde inæqualiter influat. Præsertim cum intentio, et applicatio ministri ad plures extensa magis distrahatur, et minus circa singulos se habeat, quam si ad unum tantum recolligererur. Quare non est immediata, aut evidens consequentia, quod si valor Missæ est absolute infinitus, Missa multis applicata æqualiter omnibus, et singulis prosit, ac si pro uno tantum applicaretur. Et ideo non pauci, qui primum illud nobiscum docent, negant hoc posterius, ut videri potest apud Pradum loco cit.

Legitima responsio. 119. Nos vero, ut Adversariorum intentioni magis obsistamus (sed magis quia oppositum censemus omnino verum) aliter ad objectum argumentum respondemus concedendo sequelam intellectam de fructu, sive effectu sacrificii per se, et correspon-

dente illi ex opere operato. Pro cujus luce recolendum est, quod ut fusius diximus dub. præced. duplex fructus in hoc sacrificio distingui debet. Alius qui per se correspondet illi ex se, sive ratione ipsius operis independenter a devotione. aut sanctitate sacerdotis, et aliorum offerentium : qui proinde dicitur ex opere operato : et hic effectus quantum est de se, semper est idem, et non impeditur peccatis, aut perversa dispositione, aut etiam intentione ministri. « Hæc enim » ut inquit Concilium Tridentinum relatum num. 108, « illa munda oblatio est, « quæ nulla indignitate, aut malitia « offerentium inquinari potest. » Alius autem est fructus, sive effectus correspondens per se dispositioni, et devotioni ministri offerentis:qui hac de causa dicitur ex opere operantis : et talis effectus sicut absolute impediri potest propter absolutam offerentis indispositionem, sic etiam esse valet major, aut minor ob majorem ejus sanctitatem, aut devotionem in offerendo, et applicando. In quo sensu D. Thomas in 4, dist. 13, quæst. 1, artic. 1, quæstiunc. 4, dixit : « Missa boni sacerdotis « melior est : quia non solum habet efficaciam ex opere operato, sed ex opere operante. » Et idem proportionabiliter censendum est de fructu proveniente ex sanctitate et devotione aliorum offerentium, et præsertim totius Ecclesiæ; cum enim possit esse major, aut minor, potest etiam derivare in applicatione hujus sacrificii majorem, aut minorem fructum ex opere operantis Recolantur supra dicta dub. 3, § 2. Interest autem hoc discrimen, quod valor hujus sacrificii, eidem accidentaliter conveniens ex opere operantis est simpliciter finitus : quare si ad plures referatur, dividitur inter eos, et minus singulis prodest, quam prodest uni, si pro eo tantum applicaretur, ut de suffragiis loquendo tradidit D. Thomas in 4, dist. 45, quæst. 2, art. 4, quæstiunc. 2, his verbis : « Si consideretur valor suffragiorum, in quantum « sunt satisfactiones quædam per intentio« nem satisfacientis translatæ in mortuos ; « tunc magis valet suffragium alicui, quod « pro eo singulariter fit, quam si pro eo « communiter fit, et multis aliis. Sic enim « effectus suffragii dividitur ex divina jus« titia inter eos, pro quibus suffragia fiunt.» Cæterum valor hujus sacrificii correspondens illi per se, et ex opere operato, quatenus a Christo offertur, est absolute infinitus. Et quia infinitum nec dividitur in partes determinatas, nec diminutionem ex qualibet substractione patitur : propterea quamvis hoc sacrificium multis, aut infinitis specialiter applicetur, potest eundem fructum in singulis inducere, quem causaret, si uni tantum, aliis non inclusis, applicaretur, nempe quantum unumquodque subjectum est capax suscipiendi secundum suam dispositionem, et devotionem, juxta generalem illam regulam, ex D. Thom. propositam num. 113 : « Illis prodest plus, « vel minus secundum modum devotionis « eorum. » Unde sicut unius dispositio non diminuitur ex aliorum, pro quibus hoc sacrificium offertur, concursu : sic etiam nec minuitur hujus sacrificii fructus correspondens illi per se, et ex opere operato : atque ideo oblatum pro multis ita unicuique prodest, sicut si pro uno tantum offerretur. Concedimus itaque sequelam in hoc sensu, sive quantum ad fructum, et effectum hujus sacrificii ex opere operato ; qui sensus refert ad præsentem quæstionem ; quamvis negari debeat quantum ad fructum, et effectum ex opere operantis ; qui sensus impertinens est ad istam controversiam ; cum non in eo, sed in priori procedat, ut a limine observavimus.

Concil. Trident. — D. Tho. — D. Tho.

Ad improbationem sequelæ respondemus illam nullum absurdum continere, sed veram doctrinam, ut constat ex hactenus dictis. Quod vero dicitur de judicio, et postulatione fidelium petentium applicari sibi totam Missam, nihil refert : nam forte cum petunt totam Missam sperant non tantum fructum ex opere operato, sed fructum etiam ex opere operantis tam virtute devotionis ministri offerentis, quam orationum factarum nomine Ecclesiæ. (An autem sacerdos teneatur applicare hujusmodi fructum ex opere operantis pro dante stipendium constat ex dictis num. 102). Si autem peterent ita Missam sibi specialiter applicari, ut nullatenus ejus valor ad alios extenderetur communicando fructum, quem ex se, sive ex opere operato inducere valet ; non minus stulte agerent, quam qui curaret, ne calor, et lux solis ad alios, quam ad se, illuminandos, et calefaciendos extenderetur : nam ex hoc, quod alii illud ex sole solatium percipiant, nullo gradu lucis, vel caloris solis ipse privatur; sed

Nota.

sed eundem percipit, sive alii concurrant, sive non. Unde scite, prudenterque (quidquid alii obmurmurent, et cum eis opponat Antonius a Spiritu Sancto consult. 98, num. 23), dixit Cajetanus quæst. 79, art.5: « Una Missa non perdit vim satisfactionis « suæ pro primo offerente ex hoc, quod « pro secundo, tertio, quarto, quinto, et « aliis offertur : sicut quantitas devotionis « unius nihil tollit de quantitate devotionis « alterius. Unde arguendi, instruendique « simul sunt homines ignoranter petentes, « vel exigentes pro sua eleemosyna totam « sibi Missam dari, aut suo defuncto. Ni« hil enim minus ipse habebit, si mille « alii petant eandem Missam pro se ipsis, « et aliis defunctis, quam si pro ipso solo « celebrari dicatur. Immo ex hujusmodi in« devotione sic petentis damnum videtur « incurrere, quod minus sibi proderit. » (Cajetan.)

(Urgens motivum ex Canone Missæ.) Quod latius prosequitur tom. 3 Opusc. tract. 3, quæst. 2, et confirmat ex ipso Canone Missæ, « in quo non solum generali« ter pro Ecclesia, pro Principibus, et om« nibus Christianis; sed specialiter pro his « qui in Memento cogitantur, et omnibus « circumstantibus offerri dicitur hoc sacri« ficium. Constat namque, quod non est « determinatus numerus circumstantium : « quod nullus ex alterius consortio minus « habet de effectu Missæ. Et quod hæc non « referuntur ad orationem. » (Quod est aliquorum effugium recurrentium ad vim impetratoriam orationis, quæ cum non innitatur dignitati operis, sed liberalitati Dei miserentis potest ad innumeros se extendere cum eodem impetrationis fructu). « Sed ad sacrificium : quoniam ibi ex« presse dicitur, Pro quibus tibi offerimus, « vel qui tibi offerunt hoc sacrificium lau« dis. Et quod non solum pro impetra« tione, sed pro satisfactione offertur: quo« niam expresse dicitur: Pro redemptione « animarum suarum : redemptio enim a « malis est : et ut ipsum nomen testatur, « satisfactio per modum solutionis est, si« cut Christus redemit nos solvendo pre« tium Deo Patri. Potest igitur sine cujus« quam detrimento pro infinitis sacrificium « hoc offerri, et satisfacere juxta singulo« rum devotionem. » Hæc subtiliter, et nervose Cajetanus. Cujus sententiam, inquit Aragon loco supra citato, sequuntur communiter Theologi. Et de eadem Prado, (licet nobis contrarius in assertione, et in isto ejus consectario) dixit dub.8, num. 9: « Est vera probabilis speculative, et prac« tice, intrinsece, et extrinsece. »

(Observatio ad rectam præmissæ resolutionis intelligentiam.) 120. Hoc autem loco observare oportet præmissam resolutionem, atque doctrinam intelligi debere de influentia Missæ in ordine ad fructum communem, qui ad omnes fideles extenditur, et in ordine ad fructum specialem, seu medium, quem sacerdos potest his, aut aliis applicare : non autem de influentia in ordine ad fructum specialissimum, qui ipsi sacerdoti sacrificanti singulariter correspondet. Nam circa hunc ulterius distinguendum est : quoniam si loquamur de influentia sacrificii in hunc fructum, fateri debemus juxta nostram assertionem, quod cum valor sacrificii Missæ sit infinitus, potest in sacerdote causare effectum majorem, et majorem usque in infinitum syncategorematice : semper tamen habebit fructum finitum, et determinatum, quia hic communicatur juxta suscipientis dispositionem seu devotionem, quæ semper est in actu finita. Sed cum sacerdos hunc fructum satisfactorium sibi specialiter correspondentem possit a se abdicare, et aliis charitative applicare, sive pro aliis Deo offerre : fatendum est hunc fructum in plures directum minus prodesse singulis, quam prodesset uni, si pro illo totum offeretur. Quoniam licet hic fructus sacerdoti specialissime correspondens possit, quantum est ex valore sacrificii, esse infinitus : nihilominus semper actu finitus est propter limitatam ipsius sacerdotis dispositionem, aut devotionem. Finitum autem multis applicatum necesse est dividi, et minus in singulis participari, sicut num. præced. dicebamus de fructu hujus sacrificii ex opere operantis. Quare de fructu hoc prout ad sacerdotem determinato, licet per ipsum in alios directo eodem modo discurrendum est, ac de aliis effectibus, qui in hoc sacrificio ex opere operantis concurrunt, nempe minus prodesse singulis, si pro multis offeratur, quam prodesset unicuique, si illi dumtaxat applicaretur.

(Alia observatio pro legitimo ejusdem doctrinæ sensu.) Deinde observare oportet, ut tacitam objectionem præoccupemus, remissionem pœnæ ex satisfactione, quam Christus pro nobis obtulit, dupliciter contingere in Ecclesia : primo per indulgentias ex Ecclesiæ thesauro : secundo per sacrificium Missæ, quod habet vim delendi reatum pœnæ, ut diximus dub. præced. § 1, et infinitam qui-

dem tam intensive, quam extensive, ut in isto dubio statuimus. Sed est differentia, quod priori modo determinatur remissio pœnæ, sive quantitas pœnæ remittendæ juxta intentionem ejus, ad quem pertinet ex thesauro Ecclesiæ applicare non autem juxta devotionem recipientis, supposito statu gratiæ. Unde Papa in concessione indulgentiarum assignat remissionis quantitatem, aliquando solos aliquos dies, vel annos : aliquando autem impartiendo indulgentiam plenariam, quæ totam remittat pœnam. Et effectus contingit juxta hanc determinationem : unde ex vi hujus aliquis cum inferiori devotione lucratur indulgentiam plenariam ; et alter cum majori devotione solum consequitur aliquos dies, vel annos remissionis, nimirum juxta dispositionem concessionis indulgentiæ plenariæ, vel partialis. Cæterum posteriori modo aliter res contingit : nam ad sacerdotem celebrantem solum pertinet offerre pro aliquibus, sive assignare personas, quibus sacrificium secundum specialem ejus fructum applicetur ; sed ad ipsum non pertinet determinare quantitatem pœnæ remittendæ, nec hoc illius arbitrio, et dispositioni commissum est : alias applicando unam missam posset totam obligationem satisfaciendi delere, et unius Missæ pro aliquo applicatio foret æquivalenter indulgentia plenaria respectu illius : quod est falsum, et contra sensum Ecclesiæ. Unde quantitas satisfactionis ex vi istius sacrificii non in hoc caput revocanda est, sed in dispositionem, et devotionem ejus, pro quo offertur: nam quo ista major fuerit, major fiet remissio ex vi sacrificii, atque ex opere operato. Pertinet itaque ad intentionem sacerdotis extensio sacrificii ad has, et illas personas, pro quibus specialiter applicat : sed hac extensione, aut designatione supposita, sacrificium influit non quidem juxta mensuram, vel quantitatem intentionis sacerdotis, sed juxta suam virtutem, quam de se habet, et secundum dispositionem eorum, in quibus causat effectum. Et hinc provenit, quod licet hic sacrificii effectus dependeat ab applicatione sacerdotis sicut a conditione : nihilominus ab hac parte non limitetur : quia talis applicatio non se habet sicut approximatio agentis ad passum (unde in naturalibus contingere solet, quod agens propter majorem, aut minorem approximationem plus, vel minus causet) sed comparatur per modum puræ designationis : quippe in his supernaturalibus, et moralibus nulla altera approximatio necessaria est.

121. Arguitur quarto ab inconvenientibus, quæ nostram sententiam consequuntur. Nam si sacrificium Missæ habet valorem absolute infinitum, et applicatum multis non minus unicuique prodest, quam si pro illo tantum oblatum fuisset, infertur primo illum sacerdotem inique agere, qui pro uno tantum celebrat, sive qui fructum hujus sacrificii uni tantum applicat : quod tamen dicere absurdum est. Sequela ostenditur : nam si hoc sacrificium potest multis absque alicujus detrimento applicari, ut affirmamus ; iniquum plane erit ejus virtutem limitare, uni tantum applicando. Falsitas autem consequentis liquet ex ipsa praxi sacerdotum, qui licet sapientes, et timorati, solent hoc sacrificium pro uno aliquo, aut pro speciali una necessitate applicare. Infertur secundo Ecclesiam frustra multiplicare sacrificium Missæ ad aliquid impetrandum : siquidem idem valor utpote infinitus est in uno, ac in multis, consequens autem derogat ejusdem Ecclesiæ auctoritati, et prudentiæ. Infertur tertio stultum esse, quod moriturus relinquat plura sacra pro se facienda ; cum possit eundem satisfactionis fructum uno sacro, sicut multis obtinere : habet enim quodlibet valorem absolute infinitum. Id vero concedere est valde impium, et retardans fideles morituros a tam pia dispositione. Infertur quarto sacerdotem posse pro una Missa plura stipendia lege, vel consuetudine taxata a pluribus recipere : nam si Missa est valoris absolute infiniti, et tantum prodest multis applicata, quam si pro uno præcise offerretur ; sequitur sacerdotem in tali casu omnibus sibi stipendia dantibus æqualiter prodesse, atque ideo nulli facere injuriam. Consequens autem istud non solum est contra intelligentiam fidelium, sed etiam contra decreta Pontificum. Unde ab hoc præcipue latere nos impetit Salmeron loca citato. « Si enim, *in-* « *quit ille*, fructus sacrificii infinitus exis- « tit » (nos id non dicimus, sed valorem sacrificii esse infinitum quoad sufficientiam) « nihil primo, cui promissa est Mis- « sa, tollitur per hoc, quod pro tribus aliis « etiam offeratur, vel pro trecentis, vel pro « tribus millibus : quia infinitus valor nunquam

Quartum argumentum ab absurdis

Primum

Secundum.

Tertium.

Quartum

Salmeronis voces

« nunquam exhaurietur. Quæ si vera sunt, « ingens fenestra cupiditatis, et avaritiæ « aperiretur sacerdotibus : innumeras enim « pro eodem sacrificio captarent eleemosy- « nas : daretur etiam occasio illis otiandi, « postquam una missa celebrata pro multis « fidem suam liberare possent. » Ita ille plurima alia addens in idem tandem recidentia.

Evertitur argumentum. 122. Respondetur nihil ex nostra sententia colligi, quod vere inconveniens sit, ut constabit objecta diluendo. Ad primum enim negandum est suppositum: nunquam enim sacerdos pro uno tantum sacrificium istud offert, sed semper pro multis, pro Ecclesia sancta, pro omnibus orthodoxis, pro Summo Pontifice, pro Rege, pro Episcopo, pro circunstantibus, et denique pro omnibus fidelibus vivis, atque defunctis, ut constat ex Canone Missæ, et recte observavit Cajetanus supra relatus. Unde sacerdos nunquam impedit extensionem fructus hujus sacrificii ad multos. Dato autem, quod pro uno tantum applicaret ; minime peccaret contra justitiam : quia ex hujus debito solum tenetur applicare pro illo, a quo stipendium accepit. An autem ageret contra charitatem, et peccaret, non certo constat. Et plane si ita applicaret pro uno, quod alios positive, aut contrarie excluderet ; non videtur ab omni culpa immunis: quia similis exclusio cæterorum ab hujus sacrificii participatione, nec decet ordinem charitatis, nec congruit hujus sacrificii ubertati in fructibus, quos abundantissimos habet : quare similis restrictio proveniret, vel ex turbi ignorantia, vel ex prava affectione. Unde censemus ita se gerentem per se loquendo aliqualiter peccare. Quod non ita contingeret in eo, qui pro uno applicaret : et non applicaret pro aliis præcisive : nam ad id sufficit, quod unius recordetur, et non aliorum: id vero contingit aliquando ex naturali oblivione, vel inconsideratione absque ulla culpa. Et diximus *per se loquendo* quia licet res ita se habeat consequenter ad nostram sententiam, quæ vera est : nihilominus posset quis prudenter agere se conformando sententiæ contrariæ, quæ probabilitate non caret: atque ideo applicare pro uno, et non applicare pro aliis, aut cæteros excludere, quia opinatur, quod sacrificium pro multis oblatum minus proderit illi : cui ex justitia tenetur. Sed id per accidens est, nempe ex suppositione talis dictaminis, alias falsi.

Excluditur primum inconveniens.

Satisfit secundo. Ad secundum negamus sequelam : nam licet valor hujus sacrificii ad impetrandum, sicut, et ad alios effectus, sit infinitus, quoad sufficientiam, nihilominus non consequitur impetrationis effectum ex lege infallibili, sed quando oportet, et Deo placet. Et forte Deus decrevit concedere Ecclesiæ, quod petit, si multiplicentur sacrificia, et non aliter. Unde vanum non est, quod Ecclesia repetat sacrificia ad aliquid ex Deo consequendum : quia forte impetrabit per multa, quod per unum non assequitur. Eo vel maxime, quod aliqua bona, quæ Ecclesia petit, debent supponere dispositionem in eis, pro quibus rogamus, et hæc forte non adest, quando offertur primum sacrificium : unde oportet alia addere, et frequentare, quorum aliquod dispositionem illam reperiat, et effectum inducat.

Diluitur tertium. 123. Ad tertium negatur sequela : quia licet valor hujus sacrificii sit absolute infinitus quoad sufficientiam, et in actu primo; nihilominus semper consequitur effectum limitatum in actu exercito : quippe qui commensuratur dispositioni ejus, pro quo offertur, et illa semper est finita. Unde non stulte, sed pie, et prudenter agunt morituri, qui disponunt, ut multæ pro eis Missæ offerantur : quia illud pœnæ, quod post applicationem primæ Missæ relinquitur, remittetur per applicationem secundæ ; et quod remanet post secundam, extinguetur per tertiam, et sic de cæteris usque ad consummatam totius debiti dilutionem. Verbi gratia, moriturus habet reatum, sive debitum satisfaciendi, et subeundi pœnam ut mille ; et in morte, aut post mortem habet pro fructu Missæ dispositionem, aut devotionem solum ut quatuor. Tunc prima Missa, quæ pro illo applicatur, quamvis de se habeat valorem de se sufficientem in actu primo ad extinguendum totum illud debitum ut mille, et eo amplius; nihilominus quia efficaciter, sive in actu secundo concurrit ad hujusmodi remissionem secundum dispositionem, et devotionem subjecti, et solum reperit dispositionem ut quatuor : propterea solum remittit debitum satisfaciendi, diluitque pœnam ut quatuor, perseverante adhuc satisfaciendi debito quoad alios gradus. Ubi autem applicatur alia Missa, remittit etiam alios quatuor gradus

pœnæ : et sic de applicatione tertiæ, et aliarum, usquedum per hanc correspondentiam tota satisfaciendi, aut sustinendi pœnam obligatio extinguatur. Unde liquet multo consultius esse relinquere plures Missas in ordine ad hunc effectum, quam relinquere unam, aut paucas ; licet earum quælibet habeat de se sufficientem valorem ad totius debiti extinctionem : quia simul requiritur dispositio, aut devotio ex parte subjecti, ut ea sufficiens de se virtus se explicet efficaciter : quæ dispositio non semper adest, ut explicuimus.

Nota. Quando autem elicietur hæc dispositio, aut devotio, cui Missæ pro defunctis applicatæ attemperantur, ut cum proportione explicata pœnæ remissionem inducant, latet nos, et putamus a nemine sciri nisi ex speciali revelatione Dei ista secretissima disponentis. Existimare tamen quis posset fieri in purgatorio, ubi animæ pœnarum cruciatus sustinentes vehementer afficiuntur ad allevationem : et subinde ad potissimum Missarum remedium : quo desiderio, et devotione disponuntur ad percipiendum satisfactorium illarum fructum. Sed ita discurrens attendat, quod hoc modo citissime finiretur pœna Purgatorii regulariter loquendo : quia illud desiderium juxta magnitudinem pœnarum vehementissimum excitatur: unde si afferet dispositionem, juxta quam fructus Missæ applicaretur ; vel una sola Missa totum debitum solveret. Quod regulariter loquendo non ita contingit : scimus enim ex probatissimis revelationibus aliquas animas post plurium Missarum applicationem in Purgatorio longo tempore detineri. Unde magis probabile existimamus proportionem valoris per Missas applicandi attendi per respectum ad devotionem, et dispositionem, quam homo habuit in morte, vel morti proximus, et quæ tot intentionis gradus habere non solet, quod habet illud desiderium, et affectio existentium in Purgatorio. Ex qua radice provenire consequenter existimamus, quod vel stante debito æqualis pœnæ contingat, ut aliquæ animæ per applicationem unius, aut paucarum Missarum illud diluant, atque a Purgatorio liberentur : e converso autem aliæ per applicationem plurium Missarum non illud tandem solvant, sed eo loco longius detineantur. Primum enim illud accidit, quia tales animæ in fine hujus vitæ habuerunt dispositionem valde intensam ad prædictum effectum : unde sacrificium Missæ illis applicatum, et influens juxta prædictam dispositionem, plurimos gradus obligationis satisfaciendi remitti : et sic vel semel applicatum extinguit totum debitum, vel saltem aliquoties repetitum. Sel aliæ animæ habent in fine vitæ pro prædicto effectu remissam, et languidam dispositionem : atque ideo Missæ eisdem applicatæ, juxta eam dispositionem influentes, pauciores debiti satisfaciendi gradus excludunt : quare diutius earum pœna protrahitur. Quia itaque in prioribus datur dispositio v. g. ut decem, quælibet Missa eis applicata prodest ad fructum satisfactorium ut decem : unde brevius pœna finitur : sed quia in secundis solum datur dispositio v. g. ut duo, quælibet Missa pro eis oblata inducit effectum satisfactionis præcise ut duo; quare pœna, et detentio longius durant. An vero res ita re ipsa accidat, Deus scit. Crediderimus tamen ad hujusmodi dispositionem præstantiam plurimum conferre, quod quis in hac vita multum affectus fuerit ad divinum hoc sacrificium, et quod maxime procuraverit animabus Purgatorii per media sibi possibilia succurrere : præsumendum namque de divina pietate est, quod ita providet, ut antiquæ erga sacrificium devotioni rependantur uberes sacrificii fructus ; et quod aliorum charitas illos non deserat, qui illam exercuerunt erga animas eodem loco detentas, et paria sufferentes tormenta pœnarum.

124. Ad quartum respondetur negando sequelam. Ad cujus probationem dicendum est abjectissime de valore hujus sacrificii sentire, qui attendit proportionem inter ipsum, et stipendii valorem: indeque causatur posse sacerdotem plurima stipendia emungere, quod dicamus valorem sacrificii esse infinitum : parcus namque est in colligendo, qui ex infinito sacrificii valore posset inferre titulum satisfaciendi unico sacrificio omnibus stipendiis existentibus, et possibilibus. Sed quam nulla ea consequentia sit, facile constat ipsam in opponentem regerendo : quippe licet infime sentiat de valore sacrificii : non negabit tamen excedere valorem abjectissimum unius argentei, et unius aurei, quin

Corruit quartum.

Retunditur Salmeronis querimoniæ.

quin et plurium : res enim inferioris ordinis, ut est pecunia, adæquare nequit valorem rei superioris ordinis, ut est sacrificium. Si itaque illa consequentia tenet, concedere opponentem necesse est, quod sacerdos pro una Missa possit recipere ultra stipendium communi lege taxatum : illius enim valor, licet omnibus modis finitus supponatur, longe excedit stipendii vulgaris pretium ; sicut itaque hoc inconveniens ex contraria nobis opinione non sequitur, sic etiam inepte ex nostra sententia colligitur. Unde minime hac via aperimus avaritiæ fenestram (patentem alias aliis negotiationibus ultra stipendiorum Missæ commercia). Ad illam ergo probationem respondetur stipendium non dari sacerdori tanquam pretium valoris, et fructus sacrificii : hæc enim permutatio esset apertissima simonia : unde quod prædictus valor sit finitus, vel infinitus, nihil refert, ut sacerdos possit licite sumere plura stipendia. Sed stipendium datur, vel tanquam eleemosyna pro sustentanda vita sacerdotis : vel datur, (quod verius est) tanquam pretium pro externo ministerio, ad quod sacerdos locat opera sua. Pro his autem titulis non debetur tanta stipendii sine termino compensatio ; sed ea solum quæ lege superiorum, vel consuetudine introducta est. Unde quamvis valor sacrificii Missæ infinitus sit, et pro multis applicatus tantum prosit singulis, quam prodesset uni, si pro eo tantum applicaretur ; minime sequitur sacerdotem posse unica sacrificii celebratione pluribus stipendiis satisfacere, eave lucrari : quia, ut diximus, stipendia non dantur pro valore, et fructu Missæ, sed ob alios titulos, qui minime præstant jus ad corradendum plura stipendia. Præsertim cum intentio dantis stipendium non solum sit, quod sibi applicetur fructus ex sacrificio ; sed etiam quod ejus frequentatione augeatur divinus cultus, et quod tam vivorum, quam defunctorum animæ repetitis sacrificiis adjuventur, ut num. præced. explicuimus.

Corollarium observandum. Quibus de causis (quæ sunt apertissimæ, et justissimæ), merito Romani Pontifices prohibent, reprobantque, quod sacerdos possit pro una Missa plura stipendia recipere, et quod uno sacrificio possit pluribus obligationibus ortis ab stipendio satisfacere. Quæ decreta afferunt communiter Theologi moralistæ, et non pauca recenset N. Franciscus tract. 5, cap. 5, quod est de justo Missæ stipendio, per totum. Quibus nos addimus urgentiora, nempe declarationem doctrinalem, et ex cathedra, qua S. D. N. Alexand. VII, die 24 septemb. anni 1665, inter plures alias (alio spectantes), propositiones, tres sequentes ad hanc materiam pertinentes, condemnavit, quas referemus ordine, quem in ejus decreto habent. 8. « Duplicatum stipendium potest sacerdos « pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem : idque post decretum Urbani « Octavi 9. Post decretum Urbani potest « sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi « minori stipendio, alia parte stipendii sibi « retenta. 10. Non est contra justitiam pro « pluribus sacrificiis stipendium accipere, « et sacrificium unum offerre. Neque etiam « est contra fidelitatem, etiamsi promittam « promissione etiam juramento firmata, « danti stipendium, quod pro nullo alio « offeram. » Post quas, et alias propositiones subditur in eodem decreto : « Interea « idem sanctissimus re mature considerata « statuit, et decrevit prædictas propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas, et prohibendas : sicut eas damnat ac prohibet. Ita ut quicumque illas « aut conjunctim, aut divisim docuerit, « defenderit, ediderit, aut de eis etiam « disputative publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto « incidat in excommunicationem, a qua « non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate « fulgente, nisi a pro tempore existente « Romano Pontifice absolvi. Insuper districte in virtute sanctæ obebientiæ, et « sub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, « etiam speciali, et specialissima nota « dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant. »

Propositiones damnatæ ab Alexandro VII.

Hæc omnia in illo decreto publicato, et ab omnibus recepto : unde sublatæ sunt plurimæ controversiæ inter Casuistas illo antiquiores. Nos autem eidem obsequentissime obedientes, nihil aliud sentimus,

Conclusio.

nec alia addemus. Addimus tamen toti operi nos illud, et præcedentia, cunctaque nostra judicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelissimo corde submittere : et si quid in nostris scriptis inveniatur, quod illi minus probetur, illud sæpenumero reprobamus, dictumque nolumus. Revocamus etiam, quidquid doctrinæ Angelici Præceptoris nostri D. Tho. convincatur adversum. Cedant vero minimæ istæ scriptiones nostræ in laudem Omnipotentis Dei, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti : Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli, Castissimique ejus Sponsi D. Joseph, Sanctissimi Patriarchæ Eliæ, Parentum Theresiæ, et Joannis a Cruce, necnon Angelici Doctoris D. Thomæ. Amen.

LAUS DEO

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR

In quo D: disputationem: N numerum marginalem : Q quæstionem: A articulum : C commentarium : et P paginam designant.

B.

C.

D.

E.

F.

Q.

T.

BRUXELLIS. — TYPIS A. VROMANT